This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

De vita et rebus gestis sancti Caroli Borromei ... libri septem ...

Giovanni Pietro Giussano

Mason.
O. 103.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Eques Jo. Bapt: Saxius Mediol. delin.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS

SANCTI CAROLI BORROMEI

S. R. E. CARDINALIS

ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

LIBRI SEPTEM

QUOS EX JOANNE PETRO GLUSSIANO

PATRICIO MEDIOL. AC PRESBYTERO CONGR. OBLATORUM

BARTHOLOMÆUS RUBEUS

EJUSDEM SODALITATIS SACERDOS ET S.T.D.

LATINE REDDIDIT

BALTHASSAR OLTROCCHI

OBLATUS, S.T.D. ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PROPRÆFECTUS

NOTIS UBERRIMIS ILLUSTRAVIT.



MEDIOLANI MDCCLI.

Ex Typographia Bibliothecæ Ambrosianæ

APUD JOSEPH MARELLUM

SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO

JOSEPH

PUTEOBONELLO

S. R. E. PRESB. CARDINALI
S. MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ
ARCHIEPISCOPO

BARTHOLOMÆUS RUBEUS
F.

Paucos ante annos, cum adhuc inter Metropolitani Templi Canonicos futuræ magnitudinis Tuæ ſpecimen dares, PRINCEPS EMINENTISSIME, *& pro Tua erga Oblatos benignitate Rhaudenſe Collegium inviſeres, hortari, ac rogare me cœperas, ut S. CAROLI BORROMEI CARDINALIS Archiepiſcopi Mediolani res præclare geſtas, opera, & ſtudio Jo. Petri Gluſſiani toti Italiæ*

Digitized by Google

liæ notiſſimas ad Tranſalpinæ Eccleſiæ utilitatem latinis literis conſignarem. Egi tunc, ut debui, gratias, quòd tam honorifice de ingenio meo ſentires; at ſimul conabar oſtendere, quantum a veritate Tua de me opinio diſtaret. Præter mentis infirmitatem magna illa in literarum ſtudiis impedimenta excuſabam; ſenectutem videlicet, & aſſidua fere incommoda valetudinis, quæ me jampridem Canturienſis Eccleſiæ Præfectura decedere coëgiſſent. Diu, ac multum his officiis certatum eſt, cum Te rei deſiderium acrius in dies impelleret; me vero rei difficultas quotidie magis a ſcribendi ſtudio retardaret. Prodiit interim inexpectatum illud Divinæ Providentiæ Decretum, quæ Te ad Romanæ Purpuræ decus, & hujus Mediolanenſis Eccleſiæ regimen deſtinabat. Quod cum ſummo gaudio Provinciam univerſam, ac meipſum affeciſſet, illud etiam inter argumenta lætitiæ meæ poſui, quòd in ea curarum mole, quæ ſummas dignitates conſequitur, oblitum Te penitus ejus conſilii credidi, cui & obſequi ſine multis periculis, & obluctari ſine multo dolore non poteram. Sed longe aliter, quam putabam, evênit. Roma enim reverſus, cum me ad Sacræ Purpuræ oſculum dignanter admitteres, ad priſtina officia rediiſti, quæ in illa titulorum ſublimitate, qua emines, plus quam exhortationes, & conſilia eſſe cœperunt. Quamquam enim humaniſſimis verbis me ad hunc laborem perducere conabaris; intellexi tamen, quantum auctoritatis in illa ipſa humanitate lateret; atque eo promptius obediendum putavi, quòd, jubere cum poſſes, rogare maluiſſes. Statim itaque ad ſcribendum me contuli, neque ultro cenſuras hominum timui, quòd tanto viribus majus onus ſubirem. Quis enim ſuccenſere mihi audeat, quòd Archiepiſcopo meo paruerim? Quod ſi ſerius fortaſſe, quam velles, juſſa perfeci, veniam mihi, ut ſpero, impetrabunt gravis ætas, & articularis morbus,

cujus

Digitized by Google

cujus plane ſimilitudinem aliquam in ſcriptis hiſce meis invenies. Occurrent Tibi alia fœde inæqualia, alia mutila, alia contracta, qualia fere vitia acerbiſſima hæc peſtis, quæ me tamdiu vexat, in humanis corporibus gignit. Verum, ut iraſci naturæ non potes, quòd mihi corpus tot obnoxium vitiis dederit; ita patienter laturum Te arbitror, quòd mihi ſimile corpori ingenium contigerit. Ego interim mihi ipſi gratulor, quòd hujus infortunii mei ſolatium in Te ipſo repoſitum habeam. Certo enim futurum exiſtimo, ut Sanctiſſimi Prædeceſſoris Tui vitam, quam apte deſcribere narratione mea non potui, elegantius expreſſam Chriſtiana Reſpublica in virtutibus Tuis aſpiciat.

Ex Collegio Rhaudenſi Prid. Idus Decembris MDCCXLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

BALTHASSAR OLTROCCHI
OBLATUS, S.T.D., COLLEGIO, ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ
PROPRÆFECTUS.

QUOD olim de Homero Achillis præcone Scriptores Græci tradidere, id noſtra ætate de JOANNE PETRO GLUSSIANO, qui Sancti CAROLI BORROMEI Hiſtoriam concinne, & fuſe ſcripſit, jure optimo dictum a multis accepimus, & plane ſentimus. Etenim, quemadmodum divinus ille Poëta quoddam Herois ſui laudibus incrementum veluti, & cumulum addidit canendo; ita egregius iſte Hiſtoricus ad S. Antiſtitis res exponendas divinitus datus, tantam ſtyli dignitatem, & rerum copiam ad ſublime argumentum attulit, ut ſuæ ante virtutis laude celebratus Cardinalis, commendatior etiam Scriptoris nomine crederetur. Hinc effectum putavimus, ut, cum tot politi, ac graves Viri texendam de BORROMEI actis narrationem ſuſceperint, univerſi demum uni GLUSSIANO perfectæ, abſolutæque decus conceſſerint. Etenim plura ſummatim, ac fere per capita de Paſtore Sanctiſſimo, biennio poſt Ejus obitum, complexus fuerat AUGUSTINUS VALERIUS Cardinalis, & Veronenſium Epiſcopus, cujus fides, religio, & nomen, commendatiſſimum ſane omnium Auctorem offerebant. Geminam idem adumbrare CAROLI imaginem antea viſus fuerat, cum EPISCOPUM, & CARDINALEM rectis formatum inſtitutis deſcriberet. Verum ipſa Opuſculorum brevitas, quæ legentium commovebat deſiderium, nunquam fortaſſis implevit. Neque feliciori exitu, quinquennio poſt editas VALERII Synopſes, provinciam inire eamdem aggreſſus eſt JOANNES BAPTISTA POSSEVINUS Presbyter Mantuanus, qui, licèt ex BORROMEI Ipſius ſinu depromptus certiſſimus, ac domeſticus teſtis eſſet, plus fidei, quam artis nomine celebratus, ſpecimen quoddam reliquit Hiſtoriæ, quod apte congruenterque diſpoſitum, luculentiorem forte Scriptorem idem ſtadium facile ingreſſurum, omnibus polliceretur. Ingreſſus eſt revera haud multo poſt, anno ſcilicet MDXCII. CAROLUS A BASILICA-PETRI, tum Congregationis Clericorum Regularium Sancti

Digitized by Google

Pauli Præpoſitus Generalis, qui ſeptem comprehendens Libris quidquid de BORROMEO memoria dignum occurrebat, VALERII ferme, & POSSEVINI memoriam obliteravit. Animos itaque occupavit novæ Hiſtoriæ fama; & ut facilius tereretur omnium manibus, eamdem Latine prius ab Authore ſcriptam, in Etruſcum ſermonem poſtmodum LUCAS VANDONUS tranſtulit, ſeu jam translatam protulit, ùt innuere viſus eſt INNOCENTIUS AB ECCLESIA Scriptor rerum geſtarum A BASILICA-PETRI, aſſerens, nihil in eam Hiſtoriam a VANDONO, præter nomen, illatum. Poſtremus omnium ſcripta aliorum ſuis feliciter intexuit GLUSSIANUS Patricius Mediolanenſis, & ex Oblatorum Sodalitio Sacerdos, qui ordine cuncta digerens, ſine fuco, ſine ſermonis illecebra, ſuoque in lumine vere omnia collocans, tantum de CAROLI A BASILICA-PETRI laude ferme imminuit, quantum ille aliorum ſcriptis ante detraxerat. Mirum dictu eſt, quo plauſu, & favore hominum volitaverit per omnium manus opus eximium; cumque ſuperioris ætatis diligentiam curâ ſuâ ſuperaſſet, facile pervicit, ut unus perfecti Scriptoris decus poſteris etiam eriperet. Atque id neceſſitate veluti quadam factum putamus; cum uberrima illi quotidie offerretur ad bene ſcribendum ſupellex ex pluribus jam editis Hiſtoriis, earumque laciniis, quæ typis editæ diſſeminabantur, aut jamdiu in omnium oculis erant: nimirum JOANNIS FRANCISCI BONHOMII Vercellenſium Epiſcopi *Borromeide*, Deſcriptione peregrinationis Auguſtam Taurinorum viſendi primùm Sacri Lintei cauſa ſuſceptæ, per Patrem FRANCISCUM ADURNUM Societatis Jeſu; & itineris ad Deſertinenſe Monaſterium, per JOANNEM BAPTISTAM SACCUM expoſita; ut omittam BERNARDINI TAURUSII, JOANNIS BOTERI, & CAROLI A BASILICA-PETRI de Borromei morte dilucidam expoſitionem, aut P. F. FRANCISCI PANIGAROLÆ Orationem Funebrem, ac JOANNIS FRANCISCI BESUTII, JOANNIS PETRI BIMII J. C., & ALPHONSI VILLEGÆ de CAROLI rebus epitomas. Hæc tamen leviſſima adhuc judico, ſi cum immanibus, ac pluribus Voluminibus comparentur, quæ complectuntur dicta productorum in quæſtione habita pro CAROLI Apotheoſi curanda ſexcentorum Teſtium, qui viſa omnia, aut ab aliis certiſſime accepta publicis Tabulis jurati conſignarunt. Incredibilis inde exorta eſt rerum ſcribendarum materies, ex qua conflari potuiſſe omnibus numeris abſolutum opus, nemo eſt qui ignoret; cum quidquid ad Noſtrates, & Exteros tantæ Sanctitatis emanaverat indicii, facile oculis obverſaretur diuturna conquiſitione collectum. Quare,

cum

Digitized by Google

cum univerſas fere Nationes hæc tangeret urtica, ut ſcripto etiam in ſuorum oculis defigerent præclara ejus Cardinalis facinora, cujus per-crebreſcentem quotidie famam admirabantur; miro certe conſenſu alienigenarum ſtudia in hanc GLUSSIANI Hiſtoriam peculiari Gentis cujuſcumque ſermone donandam conſpiravere, quò laus ad Mediolanenſes, fructus verò ad omnes perveniret. Primi omnium Germani anno MDCXV. lingua ſua donatam in lucem protulere; & Sereniſſimarum Auſtriæ Archiducum auſpicio, ac juſſu prodendam ſub Sextiles Calendas, literæ ab ipſomet GLUSSIANO ad ANTONIUM OLGIATUM primum Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectum eo ipſo anno datæ, & apud nos rite cuſtoditæ teſtantur luculentiſſime. Germanorum curam anno MDCXXVI. imitati ſunt Hiſpani; ac præreptam Genti laudem vindicare ſolertiori ubertate conatus eſt ALOYSIUS MUNNOZ, qui ornare item, atque amplificare aliorum ſcriptis GLUSSIANI laborem ſtuduit. Poſtmodum eodem provecto Seculo, vinci ſe nequaquam aliorum diligentia paſſi ſunt Galli; & pro ſingulari, & conſtanti ſua in BORROMEUM Antiſtitem obſervantia, R. P. EDMUNDO CHOYSEAULT Oratorii Presbytero, ac Seminarii Cabillonenſis Præſidi habuere gratias, quod Gallice ſcriptam hujuſmodi narrationem publici juris feciſſet; neque enim HENRICUS ejus Urbis Epiſcopus & Comes, qui illius Hiſtoriæ patrio ſermone efferendæ conſilium dederat, putaverat, apprime ſuorum votis ſatisfactum elucubratione ANTONII GODEAU Vincienſis Epiſcopi, qui duodeviginti ante annis elogium potius (ut HENRICI ipſius verbis utar), quam narrationem de CAROLI rebus concinnaverat: quamquam quadriennio abhinc auctius, atque uberius idem Vincienſis Epiſcopi opus lucem iterum vidit Pariſiis. Sed neque Luſitani, qui fortaſſe acceptis a S. Cardinali beneficiis ſuperiores ceteris extitere, voluerunt deinde aliis de grati animi laude concedere. Hinc cùm jamdiu PETRUS DE MELLO Sancti noſtri Paſtoris texuit Hiſtoriam, quæ mihi ad manus tamen nondum venit; tùm recentiſſime audivi, eos idem ſibi laboris ſtrenue depoſcere; illorumque ipſemet vota excepi, dum latentia, ſi apud nos eſſent, tantæ Sanctitatis indicia diligenter veſtigarent. Hoc unum igitur videbatur optandum, ut ejuſdem Hiſtoriæ utilitas ad exteras quaſcumque Nationes, quæ adhuc tanti beneficii expertes eſſent, perveniret Latinæ linguæ auxilio, cujus communione omnes ferme inter ſe Gentes continentur. Conatus quidem fuerat ad hanc laudem aſpirare immortalis famæ FEDERICUS Cardinalis BORROMEUS Mediolani Archiepiſcopus,

Digitized by Google

pus, qui, ut patet ex ipsius literis Roma datis, & a me lectis, testatus est, id negotii jam datum BALTHASSAR ANSIDEO Bibliothecæ Vaticanæ Custodi, ut se huic operi Latine reddendo strenue accingeret. Quis autem casus tantam interceperit utilitatis segetem, adhuc latet: hoc unum scio, defunctum postmodum hac provincia non adeo feliciter JOSEPH RIPAMONTIUM, qui, cum anno MDCXXV. Antistitum nostrorum res gestas post GLUSSIANUM describeret, ad CAROLUM veniens, fassus est, se majorem ubertatem ac copiam in iis, qui ante se de Eodem scripserant, desiderare; Cum vero ipse peculiari volumine tanti Pastoris gesta complecteretur, quo ceteros reprehenderat vitio, ipse merito potuit reprehendi.

Itaque id sibi relictum laudis, & gloriæ strenue occupavit Ecclesiæ Mediolanensi datus Archiepiscopus JOSEPH Cardinalis PUTEOBONELLUS, qui vixdum commissam sibi Pastoralem Administrationem iniens, consilii hujus perficiendi Author esse voluit; imo pulcherrimo omine nondum ad Ambrosianam Sedem evectus, dignam Antistite cogitationem voto anteverterat: Quare BARTHOLOMÆUM RUBEUM ex Sodalitio Oblatorum Sacerdotem, antea ex Ambrosiani Collegii Doctoribus ad Canturii Sacrorum Præfecturam translatum, eâque depositâ, in Oblatorum Rhaudensis Collegii ædibus hoc etiam tempore versantem, frequentibus officiis permovit, ut sibi id oneris sumeret, neque perditum ire vellet egregiæ latinitatis decus, cujus paulo ante specimen nobilissimum dederat, edito in lucem Volumine, quod *de Origine, & Progressu Congregationis* suæ inscripserat. Paruit ille officioso Antistitis sive desiderio, sive mandato; neque prope jam acta ætas, decursaque retardavit, quominus styli vigore, & luxu florentis studia imitaretur. GLUSSIANUM sequutus eodem partium ordine, & rerum, quantum paterentur leges Historiæ per ordinatam seriem sine illecebris, & amplificatione conceptæ, eo tandem scriptionem provexerat, ut condito in Sepulcrali Arca CAROLO epitaphium apponeret. Cum, ingravescente præter morem inveterata, qua laborabat, arthritide, ut manuum etiam usum interciperet, artem, cæstumque reposuit; & consecratum BORROMEI laudibus calamum ante Ipsius imaginem defigens, absolutum cetera, perfectumque opus, ad summam tamen consilii mancum, & mutilum reliquit.

Urebat quamplurimos interceptus consilii exitus; atque ea iterum subibat cura, ne ullibi in obscuro laterent CAROLI Fama, & Virtus, magno utique Christianæ Reipublicæ damno, & tot Pastoralis

Digitized by Google

lis curæ conjuncta exemplis documenta Tranſalpini adhuc nonnulli ob idiomatis diſſimilitudinem ignorarent. Perficiendi operis demandata mihi provincia eſt, errore aliquorum, qui pares in me oneri vires fore ſuſpicabantur. Admota ultro officia ſunt, præter ceteros, a Nobiliſſimis Urbis noſtræ Patriciis AMBROSIO FAGNANO, & ANTONIO VERRO: Illo quidem Collegii Metropolitani Archipresbytero, atque ex Bibliothecæ Ambroſianæ Præſidibus; Hoc Collegii ejuſdem Decano, & fratre GABRIELIS Ampliſſimi Senatoris, Juris ſcientia, & politioris literaturæ laude celeberrimi. Ego, qui nec eximiorum Virorum dignitatem minoris ducere, quam deceret, poſſem; neque opportunum tanto operi in me viderem quidquam, præter voluntatem, ægre primùm aſſentiebar. Verum, cum ANTONII BONTII Sodalitii Oblatorum Præpoſiti Generalis auctoritas accederet, cùm aliorum ſententiam laudantis, tùm aperientis ſuam; malui in me aliquid laudis, quam obedientiæ deſiderari. Jubebat præterea, provinciam hanc ingredi, S. CAROLI Parentis amantiſſimi patrocinium, cui omnia debere me fateor, & volo. His recreatus cogitationibus, neque deſtitutus auſpiciis Eminentiſſimi Principis JOSEPHI Card. PUTEOBONELLI, menſe Martio anni ſuperioris manum operi admovi. Quamquam initio ſtatim hæſerat animo ſcrupulus, quem alte infixerat editus *de Scriptoribus Catalogus* ANTONII TEISSERII, commemorantis, a CAROLO CANDA Cœnobii Domp-Martini Rectore latino aliàs ſtylo hujuſmodi conſcriptam fuiſſe Hiſtoriam; quare inanem fortaſſis operam ludere mihi videbar. Conatus tamen ſum utcumque evellere, illud mente recolens, nullibi apud noſtrates hujus libri apographon apparere; hinc ea ſubivit cogitatio, latêre fortaſſe adhuc in ſcriniis fruſtra conquiſitum a me opus; præſertim cum TEISSERIUS idem, qui hanc dubitationem injecerat, nullum loci, aut temporis ſuppeditaret indicium, ex quo prodiiſſe illud in lucem certo intelligerem. Itaque, cum me in ea, quæ perficienda reſtabat, parte abſolutum quodammodo Hiſtoriæ legibus viderem, quam integram jam Cl. RUBEUS obtulerat, ſtatui GLUSSIANI veſtigiis preſſo pede inhærere; quo conſilio facile poteram odioſam ingenii comparationem declinare. Erat enim agendum de fama, ſtatura corporis, virtutibus, & miraculis S. CAROLI, quæ omnia ſuis jam expreſſa coloribus, certis quibuſdam vinculis inter ſe neceſſario non hærerent. Quamobrem aſſequi me felicius rem ipſam poſſe credidi, ſi, additâ ad calcem Libri VII. ſtaturæ, & habitus S. Cardinalis, quæ aberat, deſcriptione, bifariam veluti Opus dividerem, in cujus pri-

Digitized by Google

mam partem, quod a Cl. Rubeo fuerat elucubratum, inferrem; in alteram vero, quæ ad Famam, Virtutes, & Miracula pertinerent, mutato paululum Glussiani in Libris ordine, congererem, ne quid desideraretur. In altero ex geminis postremis Libris nihil, quamtumvis leve, omisi; cum CAROLI nomen summa cum laude in publico sermone versari omnes exoptent, atque illud peculiare veræ virtutis sit, etiam in minimis excellere. Miracula tamen narraturus, paulo liberius egi; id tamen spectavi, ut nihil de rerum veritate imminuerem, sed tædio dumtaxat, & satietati legentium occurrerem.

Hoc statuto, ad Notas converti animum; eoque libentius, quo novitatis, & copiæ commendationem huic operi afferre acrius exoptabam. Septuaginta amplius suppeditabat Ambrosiana Bibliotheca acceptarum a CAROLO, missarumque Epistolarum Volumina: triginta circiter S. Sepulcri Oblatorum Collegium, nobilem S. Institutoris, & Parentis sui hæreditatem. Patebat Eminentissimi Principis munere Archiepiscopale Archivum; imo aliud etiam Oblatorum, in quo ingens asservatur MS. Codex, comprehendens dicta Testium, & quæstiones plurimas pro Apotheosi curanda habitas; ibique aliquot post Glussiani messem manipuli suppetebant. Præsto erant corrasa undique solerti indagine, & difficili conquisitione ex MSS., & editis Libris congesta documenta a Presbytero Felice de Montibus Bibliothecæ Ambrosianæ Custode. Humanissime alia offerebat Cl. Servilianus Latuada notæ in rebus Patriis eruditionis; alia amici: & nonnulla etiam occurrebant menti, quæ aliàs legendo, adnotandoque cognoveram. Tot mihi præsidiis rerum initia, progressiones, & exitus perspicue aperiebantur; & quem molestum Scriptori laborem futurum constabat; perutilem cæterùm legentibus fore apparebat. Nam & intima Historiæ cubilia vestigabam penitus; pulchrumque succurrebat, occulta olim Glussiano, qui ex epistolis aliquas dumtaxat extremis digitis attigerat, consilia depromere, lacunas implere, chronotaxim restituere, & novum veteri Historiæ colorem allinere; imo alicubi novam Historiam facere. Operæ etiam pretium videbatur curare, ne quid tantæ Virtutis subterfugeret aliorum oculos, utque solita latêre Sanctitas e tenebris aliquando emergeret. Gravissimum idcirco subivi pondus; quid enim filius pro Parentis gloria amplificanda refugeret? utque ingenue fatear, puduit me, rogatum ad hanc spartam ornandam accessisse. Annum circiter legendi, comparandi, expendendi, & observandi singula continens labor exhausit. Pluribus omissis, quæ minoris videban-

tur

Digitized by Google

tur momenti, & consuetam præferebant Pastoralis solicitudinis curam; ea diligentius persecutus sum, quæ aut Patriam Historiam illustrarent, aut ordinem suum rebus adjungerent, aut ultra fines Diœceseos, & Provinciæ diffusam, immensam BORROMEI vigilantiam, & Religionem testarentur. Reliquum temporis latine omnia efferendo, atque apte collocando consumpsi. Quantula enim literarum pars latino stylo exarata occurrit? Ne omnes quidem ad Transalpinos, & Summos Pontifices missæ, præter expectationem repertæ sunt Italica lingua conceptæ. Ex datis ad Italos plane nullæ; si eas demas, quæ a Comite FEDERICO Patruele, Oblatis, & Provinciæ Episcopis, in rebus tamen ad Archiepiscopalem administrationem pertinentibus, datæ, acceptæque fuerunt. Quapropter, ut Historicum decet, facilem me veniam a legentibus impetraturum credidi, si verborum fidem sequerer, non elegantiam consectarer. Hinc non laboravi admodum, ut scripta secundis curis emendanda curarem; neque si curassem, spongia uti, aut lima facile potuissem; cum præstituto ad edendam in lucem Historiam tempore eodem, quod transferendo S. CAROLI Corpori designatum fuerat, hæreret quotidie, veluti incumbens Prometheo vultur, nimio accuratior Typographus, & identidem subnascentis scriptionis fragmenta etiam, & lacinias avide diriperet. Ecclesiasticorum aut Civilium vocabulorum, quæ nitori potius, quam latinitati servirent, repudiatum nullum. Si qua injecta est, perspicua fortasse nimis, tempestatum, quæ Ecclesiæ nostræ olim objectæ sunt, commemoratio; cùm ex prudentum Virorum judicio facta fuit, tùm eo consilio, ut memor præteritorum hæc ætas, facilius temporum nostrorum quieti, & felicitati disceret gratulari. Certe una mihi quæsita est diligentiæ, & claritatis laus; quæ quidem si ulla erit, ad Eum pertineat velim, unde profecta est; neque enim aliud ad tenuitatem ingenii mei accessit præsidii, quàm, quod ab amantissimo Institutore, & Patrono CAROLO relictum est Seminarienſi Clero, in cujus sinu educatus, atque instructus, partim discendo, partim docendo, ad virilem hanc, quam attigi, ætatem provectus sum. Versatam meam in evolvendis BORROMEI rebus solertiam putavi, gratam Civibus meis fore, quibus certiora patêre volui Pastoris, ac Patroni sui beneficentiæ monumenta; neque desperavi, aliquam apud Exteros inire me gratiam posse, quibus in posterum uberior, ut spero, ad scribendum seges efflorescet; atque, ut video, nihil unquam desipuit, quod S. CAROLI nomine commendatum in lucem proferretur.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM PRIMÆ PARTIS

LIB. I.

NOnnulla ad Patriam, Parentesque S. Caroli spectantia breviter expediuntur. Cap. I. pag. 1 2

In Aronensi Arce nascitur Carolus non sine cœlesti signo: Quæque ejus pueritiæ studia potissimum fuerint. Cap. II. pag. 7 8

Adolescens Ticini Jurisprudentiæ operam dat: interceptum mox Patris morte, Studiorum curriculum feliciter deinde absolvit. Cap. III. 11 12

Romam ab Avunculo Pontifice evocatus, præter multas dignitates, quibus ornatur, Mediolani Archiepiscopus renunciatur: deque multis ab Eo Romæ præclare gestis. Cap. IV. 17 18

Novi in Eum congesti honores: Fratre e vivis erepto, clanculum Sacris initiatur. Cap. V. 25 26

Collegium educandæ nobilium Familiarum Juventuti Ticini condendum curat. Cap. VI. 31 32

Magni suscepti conatus pro congregandis iterum Tridentini Concilii Patribus: atque felix, Eo adnitente, Concilii exitus. Cap. VII. 33 34

Habiti Concilii Decreta Ejus operâ in posterum stabilita: & Sanctiora in dies Ejus Vitæ instituta. Cap. VIII. 35 36

Romæ degens, multa ad Mediolanensis Ecclesiæ decora, vel retinenda, vel augenda, obtinet: & absens licet, egregie per Vicarios Provinciam administrat. Cap. IX. 41 42

Venia ab Avunculo tandem impetrata, Mediolanum festinat, & plurima in Romanæ Sedis, ac Ditionis commodum in ipso itinere salubriter firmat. Cap. X. 47 48

Solemni ritu Urbem Mediol. ingreditur: & coacto Episcoporum Cœtu, primum Provinciale Concilium celebrat. Cap. XI. 49 50

Romam reversus, morienti Pontifici ultimam, ac piam operam præstat. Cap. XII. 57 58

Comitiis habitis, Pius hujus nominis Quintus, Caroli potissimum opera, Pontifex eligitur: sic demum constitutis omnibus, a Pontifice agre tandem Mediolanum dimittitur. Cap. XIII. 57 58

LIBER SECUNDUS.

INfelix Mediolanensis Ecclesiæ status, & morum, quæ sub Caroli adventum vigebat, corruptela describitur. Cap. I. 65 66

Ut corruptos populi mores informet Carolus, summum in Se Ipso virtutis exemplum ceteris statuit. Cap. II. 71 72

Quibus sanctionibus Familiæ suæ mores composuerit. Cap. III. 75 76

Quo ordine electos in Provinciæ suæ regimen Administros partitus sit, quibusque singulos ordines legibus devinxerit. Cap. IV. pag. 83 84

Ut collapsam Ecclesiæ disciplinam renovet, aliquot ad Cleri Institutionem Seminaria instituit. Cap. V. 89 90

Ad populi universi emendandos mores studium omne, atque operam confert. Cap. VI. pag. 99 100

Alia salubriter ad piam omnium Institutionem statuta: & de Societatis Jesu Patribus in Urbem inductis. Cap. VII. 103 104

Urbem, atque Diœcesim lustrare præsens Ipse constituit; & qua ratione invisere utramque consueseret. Cap. VIII. 109 110

In Primario Urbis Templo dignitatem restituendam curat. Cap. IX. 115 116

Ejusdem pompam, munditiemque supellectilis, & ornamentorum lautitiâ amplificat. Cap. X. 121 122

Cetera item Urbis Templa novis censibus, ac in-

Digitized by Google

institutis ornare aggreditur : Triduanas Rogationes restituit : publicas oblationes decentius fieri statuit : demum ad Diœcesim obeundam animum convertit. Cap. XI. pag. 123 124

Ecclesiæ suæ jura pro virili tuetur ; quare formidolosa illi tempestas offertur. Cap. XII. pag. 131 132

Tres Helvetiorum Valles ditioni suæ subjectas, & summa morum corruptela deformatas invisit. Cap. XIII. 139 140

Humiliatorum, & Franciscanorum Fratrum Ordines ad sanctioris disciplinæ normam revocare nititur. Cap. XIV. 143 144

Turbato Mantuæ Fidei statu, illuc destinatur ex Pontificio mandato Legatus. Cap. XV. 149 150

Mediolanum reversus ex Diœcesi universa Synodum congregat : alii obiter aliqua de ejus celebrandæ Ritibus. Cap. XVI. 151 152

Pium in muliebris Pudicitiæ præsidium excitatum contubernium legibus firmat, atque iterum ad Diœcesim lustrandam incumbit. Cap. XVII. 155 156

Alterum Provincialium Episcoporum conventum habet : & tota hujusmodi habendorum Conventuum ratio atque ordo exponitur. Cap. XVIII. 159 160

Theatini Ordinis Patribus Roma accersitis locum ad Urbem opportunum designat : interim magnificum Sancti Fidelis Templum extruendum curat, atque adjunctas Ædes Societatis Jesu Patribus attribuit. Cap. XIX. 165 166

Violata Ecclesiastica immunitate, novus existit turbo : Scalense Templum lustrare aggressus, vi atque armis repellitur. Cap. XX. 167 168

Re ad Pontificem rejecta, quo animi robore item, & moderatione tantam contumeliam tulerit. Cap. XXI. 171 172

Pontificis hac super re gemina ad Mediolanensis Provinciæ Gubernatorem literæ referuntur. Cap. XXII. 175 176

Lethali ictu petitus ad necem, inaudito miraculo servatur incolumis : Ejus in re tam gravi animi virtus. Cap. XXIII. pag. 183 184

Divinitus aliqua Illi consolationis causa objicitur, Ecclesiæ suæ rebus in melius conversis. Cap. XXIV. 191 192

Scalenses Canonicos palam, & submisso animo veniam petentes omni pœnarum vinculo splendide absolvit. Cap. XXV. 193 194

Intentatæ necis auctores, & administri, frustra reclamante Borromeo, ultimis supplicüs mactantur : quo tempore Ille Diœcesim lustraturus, Urbe primum egreditur ; mox inter Helveticos transalpinos magno cum Religionis incremento versatur. Cap. XXVI. pag. 197 198

Intercedente licet Carolo, Pius Pontifex Humiliatos ex Religiosorum Ordinum numero expungit. Cap. XXVII. 207 208

Laborantem annonæ caritate Mediolanensem Populam sublevat. Alia item ad populi corrigendos mores constituit. Cap. XXVIII. pag. 209 210

Obnoxiam Hæreticorum perfidiæ Religionem in Cisalpinis Helvetiæ finibus periculo liberat. Incommoda deinde usus valetudine, nihil tamen de Pastorali cura remittit. Cap. XXIX. 211 212

Pio mortuo, contumaci licet affectus morbo, ad Comitia Romam properat, atque ab Electo Pontifice Gregorio multa in Ecclesia suæ commodum impetrat. Cap. XXX. pag. 217 218

LIBER TERTIUS.

SE magnificis Titulis abdicat Carolus, quo curas omnes in Ecclesiæ suæ tutelam conferat : Braydense Collegium instituit : Tertiam Provincialem Synodum convocat. Cap. I. 223 224

Graves iterum pro tuenda Ecclesiastica potestate tumultus in Eum excitantur. Cap. II. 227 228

Summum Provinciæ Moderatorem, ejusque fautores, pronunciatu sententiæ, Sacris interdicit : quique fuerit hujuscemodi consilii narratur exitus. Cap. III. 231 232

Nobilium Adolescentium Collegium excitatum præscriptis legibus confirmat : multa autem populo ad restituenda vetera Instituta religiose commendat. Cap. IV. 235 236

E Polonia ad Galliarum Regnum administrandum festinantem Henricum Modoëtiæ invisit : Urbem atque Diœcesim constitutis

Digitized by Google

tis in Synodo Sanctionibus munit, & gemino Canonicorum Collegio exornat. Cap. V. 239 240
Præclara Caroli gesta, cum Romæ Jubilæi causa versaretur, exponuntur. Cap. VI. pag. 247 248
Mediolanum reversus Apostolicum Visitatorem excipit: Ipse interim ad Cremonensem prius, mox Bergomensem Ecclesiam lustrandam proficiscitur. Cap. VII. 255 256
Jubilæum Mediolani ex Pontificis indulgentia concessum celebrat, & pias eo tempore in Urbem inducit exercitationes. Cap. VIII. 261 262
Quartum Provinciæ Concilium indicit: Visitatore demum Apostolico dimisso, & solemni supplicatione per Urbem decreta, Sanctorum Lypsana decentiorem in locum restituit. Cap. IX. 267 268

LIBER QUARTUS.

PEstilentia Mediolanensem Urbem invadit: quæque fuerit Caroli in acerbissima calamitate solertia. Cap. I. 273 274
Obsignato Testamento, se ad extrema quæque subeunda pericula pro populi laborantis tutela strenue comparat. Cap. II. 277 278
Effusis sumptibus, officiis, ac monitis ægris subvenit, & subsidiariam in eorum opem Sacerdotum manum congregat. Cap. III. pag. 279 280
Plebem omni ope destitutam sustentat, atque enixis precibus ad Dei auxilium confugit. Cap. IV. 291 292
Præfectum ac Decuriones Urbis hortatur, ut publico nomine votum Sancto Sebastiano nuncupent: alia interim subsidia peramanter excogitat. Cap. V. 301 302
Limocomia optimis Ministris in animarum, corporumque præsidium instruit. Cap. VI. pag. 305 306
Domi clausis omnibus, pias & quotidianas exercitationes indicit, & Urbem obiens, singulos præsens consolatur. Cap. VII. pag. 315 316
Lue infectos, ac moribundos Eucharistico Pane reficit, & sacris Mysteriis confirmat. Cap. VIII. 317 318
Ex Urbe egressus, agrestem populum pestilentia laborantem invisit, ac consolatur. Cap. IX. 325 326
Acriori voce in populi vitia invehitur. Sacras Leges scisci: novis Pontificiæ Indulgentiæ donis Cives Deo conciliat. Cap. X. pag. 331 332
Primum Quadragesimæ diem a Bacchanalium licentia liberat: solemne Urbis lustrum condit. Cap. XI. 337 338
Supplicabundus Urbem obit: consecratum Christi Sanguine Clavum Ipse circumfert; & quotannis tantæ calamitatis memoriam hujusmodi supplicatione renovari jubet. Cap. XII. 343 344
Novo Indulgentiæ Pontificiæ impetrato dono, funestatum populum expiat: Urbem voti ream, primo Templi lapide posito, religione exsolvit: Funebria pestilenti anno Defunctis indicit: & raptim ad Helvetiorum turbas comprimendas convolat. Cap. XIII. pag. 347 348
Sedata in Urbe & agro pestilentia, Liberatori Deo diligenter gratias agit. Cap. XIV. pag. 351 352

LIBER QUINTUS.

ALias iterum pro Ecclesiastici juris defensione contentiones habet. Cap. I. pag. 357 358
Canonicorum Collegium ex Aureoli Ponte Mediolanum ad Protomartyris Templum transfert. Latentibus Sanctorum Corporibus honestiorem locum designat, & ad Stationales Basilicas primum supplicabundus accedit. Quintum ex Diœcesano Clero Cœtum in Urbe cogit. Cap. II. 365 366
Sanctæ Crucis signis in compitis erectis Societates piorum hominum ad cultum attribuit. Collegium Sanctæ Sophiæ excitat, & superstitum ex pestilentia inopum reliquias in certum locum contrahit. Cap. III. pag. 371 372
Sacerdotum Oblatorum Sodalitatem sub Sancti Ambrosii auspiciis, Mediolanensis Antistitis ad nutus paratam semper, datis legibus, instituit. Cap. IV. 375 376
Augustam Taurinorum Sacræ Syndonis adoran-

Digitized by Google

randæ deſiderio incenſus, aſpera peregrinatione contendit. Cap. V. 385 386
E Taurinis rediens, ad Varalli montem digreditur: Mediolanum deinde adveniens, afflictæ Regiæ Philippi Familiæ cæleſte auxilium implorat. Cap. VI. 403 404
Aliquot ad populum datis literis, & pœnis ſtatutis, prævas Urbis conſuetudines, multis licet obloquentibus, tentat evellere. Cap. VII. 417 418
Sanctæ Praxedis Aſceterium inſtituit: aliquot ibidem Virgines ſolemni ritu Deo conſecrat. Cap. VIII. 427 428
Collectos ex Provincia Præſules quintum ad Concilium vocat: qua occaſione plura Sanctorum Corpora in Nazariana Baſilica deliteſcentia, in ejuſdem Baſilicæ aris honorificentius reponit. Cap. IX. 431 432
Sexta Diœceſis Synodo ſoluta, Sancti Fidelis novum Templum dedicat, atque aliud muliebri pudicitiæ aſylum in Urbe aperit. Cap. X. 439 440
Clericorum Sancti Pauli Comitiis præeſt: & multa apud Patres Sancti Ambroſii ad Nemus ex eorum Inſtituti norma componit. Cap. XI. 441 442
Viglevanenſem Diœceſim luſtrat Ipſe, poſtmodum ſuam: per alios autem ex Pontificio mandato Novocomenſem ac Laudenſem luſtrandas curat. Legatum item Apoſtolicæ Sedis ad Helvetios, & Rhætos mittendum impetrat; quorum juventuti eduandæ Mediolani Collegium condit. Cap. XII. 453 454

LIBER SEXTUS.

OPpugnata a multis Eccleſiæ ſuæ jura ut defendat, Romam contendit. Plura religionis ſuæ ubique in via impreſſa veſtigia relinquit. Cap. I. 471 472
Peramanter a Summo Pontifice exceptus, multa cum eo tranſigit. Romani populi, Principumque ſumma in Eum benevolentia & admiratio. Romam Mediolanenſis Urbis nomine Legati in Carolum deſtinantur, atque adveniunt. Cap. II. 479 480
Legatis exceptis, Mediolanum properans, Florentiam, Ferrariam, hinc Venetias digreditur. Quam honorifice de Eo Veneti omnes ſua in Urbe, itemque ditione ſenſerint. Cap. III. 491 492
Mediolanum in tempore adveniens, plures adverſariorum machinas partim diſſolvit, partim divinitus evertit. Re infecta, & pudenda legatione defuncti, Mediolanum a Pontifice Oratores dimittuntur. Cap. IV. pag. 505 506
Brixianam Diœceſim luſtrare aggreſſus, propere ad Urbem revertitur, ut morienti Provinciæ Inſubricæ Adminiſtratori ultimam opem præſtet; cui deinde defuncto juſta perſolvit. Poſtmodum Clero congregato, & confirmatis in Concilio Decretis ſuis, Cenomanos reviſit. Cap. V. 523 524
Ex Brixienſibus finibus Tiranum deflectit in Vulturenis: ibi celeberrimam Deiparæ Ædem viſit, atque Concione habita, pios excitat animorum motus. Cap. VI. pag. 533 534
In Cenomanorum Valles regreditur: In Aloyſii Gonzagæ, & Federici Borromei animis futuræ jacit Religionis & Sanctitatis ſemina. Ex Ejus Viſitatione uberrimos Brixienſis Eccleſia fructus capit. Cap. VII. pag. 535 536
Ex Societate Jeſu, & Capuccinorum Ordine Patres in Helvetios, impetratis Ædibus, inducit. Cap. VIII. 549 550
Carolum a Baſilica-Petri in Hiſpanias mittit, qui Regem de rerum Mediolanenſium perturbatione coram edoceat, ejuſque opem imploret. Aliqua iterum Mediolani fervent ſuper Eccleſiæ juribus diſſidia. Cap. IX. 551 552
Quid Internuncius cum Hiſpaniarum Rege egerit: & felix tandem legationis exitus ſummatim exponitur. Cap. X. 559 560
Annua de more congregata Synodo, in Sancti Stephani Æde latentia SS. Oſſa ſplendide transfert. Mariæ Auſtriacæ in Luſitaniam proficiſcenti officii cauſa Soncini obviam procedit: mox Laude Pompeja eamdem omni honoris genere proſequitur. Cap. XI. pag. 569 570
Vercellis Sancti Euſebii cineres; Sacrum Linteum Auguſtæ Taurinorum inviſit: Demum luſtratis Helvetiorum Vallibus, De-

ſer-

Digitized by Google

ſertinenſe uſque Cœnobium per invia penetrat, alia SS. Corpora viſurus. Cap. XII. pag. 575 576

Parentalia in defunctæ Hiſpaniarum Reginæ opem inſtituta celebrat: in Seronenſi Oppido inferendam novo Templo Deiparæ imaginem ſolemniter curat. Epiſcopos Provinciæ ſuæ finibus comprehenſos ſextùm congregat. Cap. XIII. 589 590

Splendidus apparatus, & pompa deſcribitur, qua Sancti Simpliciani, aliorumque Sanctorum Corpora in lucem extracta per Urbem detulit. Cap. XIV. 605 606

Sancti Joannis Boni Oſſa in nova a ſe extructa Ara honorifice collocat: deinde Clero, qui Concilii cauſa convenerat, dimiſſo, Auguſtam Taurinorum pergit cum Paleotto Cardinali itineris Socio aſſumpto, ut Sacri Lintei conſpectu oculos, & animum paſcat. Cap. XV. 613 614

Conterminos Lucano, & Lario Lacubus Diœceſis ſuæ Montanas Regiones pedibus, ut plurimum, nec ſine vitæ periculo obit. Cap. XVI. 619 620

LIBER SEPTIMUS.

POſtremum Caroli ad Limina Apoſtolorum iter, & cæleſtis quodammodo vitæ ſpecimen, quam Romæ ſervavit, exhibetur. Cap. I. 631 632

Pro Hiſpaniarum Regis filio e vivis erepto, & electo recens Inſubricæ Provinciæ Præfecto Deo ſupplicat: Decimum agit Cleri univerſi Conventum. Cap. II. 651 652

Aſconenſis Collegii fundamenta jacit. Graviter ægrotantem Sabaudiæ Ducem Vercellis conſolatur, a quo morbum deinde mirabiliter depellit. Poloniæ Regis ex fratre filium Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis informat. Cap. III. 659 660

Rhætiam ex Pontificis nutu obire aggreditur, cujus graviſſimis vulneribus medicinam parat, atque affert. Cap. IV. 681 682

Salubriter conſtituta ut confirmet, ad generale Rhætiæ Concilium Bernardinum Moram Legatum deſtinat: Ipſe interim Belitione, ejuſque in agro ſalutaria multa decernit. Cap. V. 705 706

Concitatis ſeditioſorum turbis, Rhæti decreta omnia refigere conantur. Tantam tempeſtatem Carolus, intercedentibus piis Helvetiorum officiis, ſedat: iterum deinde commoti fluctus ſuorum conſtantia, & ſanctitate componuntur. Cap. VI. 715 716

Aliqua impendentem mortem prævidentis Caroli ſignificantur indicia. Ultimos Ille in Bacchanalium ſpectacula profligandæ conatus exerit. Cap. VII. 723 724

Primum in fundamentis magnificentiſſimi prope Rhaudum Templi lapidem ponit: Xenodochium e morbo convaleſcentibus Mediolani aperit: Omnia jamdiu a ſe inſtituta in ultimo Cleri totius Concilio confirmat. Cap. VIII. 731 732

Legnanum illuſtre Oppidum Canonicorum translato Collegio ornat: Geminos Antiſtites inaugurat. Cap. IX. 739 740

Altero Capuccinarum Virginum Aſceterio Urbem illuſtrat: Novarienſi Epiſcopo defuncto inferias affert. Vercellis plura ex Pontificio mandato componit: Ad inexplebile Sacri Lintei viſendi ſaturandum ſtudium Auguſtam Taurinorum contendit. Cap. X. 743 744

Varalli in Divina abditus, febri corripitur. Mortis inſtantis præſcius, Aronâ navigat Aſconam, ubi Collegium rite inſtituit. Mediolanum navigio reverſus, diem unum ex morbo decumbens, & Sacris Myſteriis expiatus extinguitur. Cap. XI. 757 758

Acerbus, & vix conſolabilis Mediolanenſium dolor, audito Borromei periculo: Eo defuncto, incredibilis mœror, gemitus, & lacrymarum plena Funebria. Cap. XII. pag. 767 768

Caroli vultus, ſtatura, & corporis habitus. Cap. ultimum. 775 776

SE-

Digitized by Google

SECUNDÆ PARTIS

LIBER PRIMUS.

STatim ab obitu, S. Caroli gloria e Cælis per quietem pluribus oſtenditur: & auſterioris diſciplinæ inſtituta in Sanctæ Barbaræ Aſceterio divinitus firmantur. Cap. I. 793 794

Communis ex Ejus interitu dolor, & ſingularis Mediolanenſis præſertim populi amoris in Illum ſignificatio. Cap. II. pag. 801 802

Quantum exinde concepta de Ejuſdem ſanctitate opinio apud omnes excreverit. Cap. III. 807 808

Quanti ante, & poſt obitum a Principibus præſertim viris Borromeus fieret. Cap. IV. 811 812

Populi concurſus, collatæ opes, & dona ad Caroli tumulum. Cap. V. 837 838

De S. Caroli Fide. Cap. VI. 845 846

De Religione. Cap. VII. 857 858

De ſingulari erga Romanum Pontificem, ceteroſque Eccleſiæ Ordines obſervantia. Cap. VIII. 869 870

De admirabili cultus Divini ſtudio in Diœceſi, & Provincia Mediolanenſi. Cap. IX. 877 878

De Divina meditandi, & contemplandi deſiderio, atque ardore. Cap. X. 889 890

Chriſtianæ Doctrinæ Scholas ſalubriter aperit, ſuiſque legibus confirmat. Cap. XI. pag. 895 896

De Spe, ac fiducia in Deum. Cap. XII. pag. 903 904

Quo amore in Deum ferretur. Cap. XIII. pag. 907 908

Quam late ad omnes hominum ordines Ejus amor pertineret. Cap. XIV. 913 914

Quam peculiari amore Eccleſiam Mediolanenſem proſequeretur. Cap. XV. 917 918

De moderato Caroli amore in Conſanguineos. Cap. XVI. 927 928

Quodnam benevolentiæ genus in Familiares ſuos oſtenderit. Cap. XVII. 933 934

Caroli ſtudium, & cura de animarum ſalute. Cap. XVIII. 939 940

De ſplendida in hoſtes ipſos beneficentia. Cap. XIX. 949 950

De paterna in corrigendo caritate. Cap. XX. pag. 951 952

Quam demiſſe de ſe Ipſo ſentiret. Cap. XXI. pag. 955 956

De ſumma animi tranquillitate, & manſuetudine. Cap. XXII. 967 968

In rebus adminiſtrandis, & dando conſilio Prudentia. Cap. XXIII. 973 974

Fortitudo, atque animi conſtantia. Cap. XXIV. 979 980

In adverſis, & aſperis rebus invicta patientia. Cap. XXV. 983 984

Auſterum, & horridum a Carolo initum vivendi genus. Cap. XXVI. 989 990

De Ejuſdem Caſtitate. Cap. XXVII. pag. 1001 1002

De animi integritate, & maturitate morum. Cap. XXVIII. 1009 1010

De ſumma in rebus omnibus religione, & fide. Cap. XXIX. 1015 1016

De Liberalitatis ſuæ magnificentia. Cap. XXX. 1025 1026

De Hoſpitalitate. Cap. XXXI. 1037 1038

De Humanarum rerum contemptu, & ſtudio paupertatis. Cap. XXXII. 1045 1046

De immani effuſione opum in pauperes. Cap. XXXIII. 1053 1054

De Scientia, & Doctrina. Cap. XXXIV. pag. 1061 1062

De Prudentia, & conſilio in Eccleſiaſticis muneribus conferendis. Cap. XXV. pag. 1069 1070

LIBER SECUNDUS.

QUam multa Deus a Carolo exoratus mirabilia egerit. Cap. I. 1083 1084

Recenſentur miracula, quæ Caroli vitam illuſtra-

Digitized by Google

luſtrarunt. Cap. II. 1085 1086
Miracula, quæ Ejus mortem comitata ſunt. Cap. III. 1091 1092
Alia plurima, quæ, Caroli extincti ope implorata, divinitus accidêre. Cap. IV. pag. 1093 1094
Miranda multa, quibus ornatum Illius ſepulcrum fuit. Cap. V. 1107 1108
Miracula per Ejus effigies edita. Cap. VI. pag. 1117 1118
Una Illius imago in Poloniam delata plurimis eſt ſalutaris. Cap. VII. 1125 1126
Veſtes, & quidquid uſui Carolo fuit, ſummo in honore habentur, & pluribus appoſita mirabiliter ſanant. Cap. VIII. pag. 1131 1132
Caroli Corpus in ſepulcro recognitum miraculo eſt. Brevis alia miraculorum epitome. Cap. IX. 1145 1146
Carolus oblatum multorum animæ periculum præſentiſſimo auxilio depellit. Cap. X. pag. 1151 1152
Diarium Actionum omnium, in quibus Paſtoralis S. Caroli cura verſabatur. 1159 1160
Synopſis eorum, quæ geſta ſunt, ut in SS. numerum B. Carolus referretur. 1167 1168

DE

Digitized by Google

UT Reverendiſs. P. Magiſtri F. Hermenegildi Todeſchini Ordinis Prædicatorum, in Inſubria adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoris Generalis, mandatis obſequerer, diligenter perlegi Opus inſcriptum : *De Vita & Rebus geſtis Sancti Caroli Borromei Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis ex Joanne Petro Gluſſiano latinè redditum a Rev. Adm. D. Bartholomæo Rubeo Preſbytero Congregationis Oblatorum, Notis uberrimis illuſtratum ab Adm. Rev. D. Balthaſſar Oltrocchi ex eodem Sodalitio, Collegio & Bibliothecæ Ambroſianæ Pro-Præfecto*, qui etiam Libros duos poſtremos *de Fama, Virtutibus, & Miraculis* latio dedit, & Præfationem addidit; cumque in his omnibus nihil omnino a recta vel Fidei, vel morum regula alienum repererim, imo univerſa ad promovendam Sanctiſſimi Cardinalis gloriam, & novum parandum Orthodoxæ Eccleſiæ ornamentum ſummopere apta ſint, Opus ipſum digniſſimum cenſeo, quod Typis tradatur. In cujus rei teſtimonium has dabam Mediolani in Ambroſiana Bibliotheca Cal. Aprilis, anno a Virginis partu MDCCLI.

Joannes Andreas Iricus Ambroſiani Collegii Doctor, Librorum Cenſor, & Qualificator.

Die xxxi. Auguſti MDCCLI.

Attenta præfata atteſtatione

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Maria Lugani Vicarius Generalis S. Officii Mediolani.

J. A. Viſmara Pœnit. Major pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Archiepiſcopo.

V. Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſs. Senatu.

Digitized by Google



DE VITA ET REBUS GESTIS
SANCTI CAROLI BORROMEI
S. R. E. CARDINALIS
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Nonnulla ad Patriam, Parentesque S. Caroli spectantia breviter expediuntur.

DIVINÆ Providentiæ opem, quam Christus Dominus promiserat Fidelibus suis nullo unquam tempore defuturam, semper sibi singulari quodam modo adfuisse Mediolanensis Ecclesia fateri debet, quæ S. Barnabæ prædicatione, ac laboribus constituta eximios subinde Antistites habuit, qui aut acceptam ab sanctissimo Conditore vivendi disciplinam retinere, aut temporum, hominumque vitio collapsam restituere conarentur. Jam satis constat ex sacris Pastoribus, qui hanc Provinciam tenuere, quinque supra triginta (*a*) Cælitum numero adscriptos, viginti vero ex his ipsis, qui Superûm honoribus coluntur, ex illustribus Urbis nostræ familiis delectos; atque

(*a*) Mediolanensium Antistitum inter Sanctos relatorum numerum auget Ughellus tomo IV. Italiæ Sacræ, qui ex iis quadraginta Beatorum albo adscribit. Alios adjungit Ambrosiano Calendario Puricellus in Dissertatione

Digitized by Google

atque inter eos Ambroſium alieno licet ſub cælo natum amantiſſimis quibuſque Civium adeo caritate, & beneficentia præſtitiſſe, ut Patroni, ac Parentis nomine præ ceteris meruerit appellari. Sed nunquam alias, quam poſtremis hiſce temporibus, manifeſtius apparuit, quantum ille cæleſtis Amor ſaluti noſtræ, gloriæque proſpiceret. Conſpirantibus enim in mutua bella Principibus, turbatoque Italiæ ſtatu, cum ſacrorum cultus, & ſtudia pietatis inter arma, & pediſſequa armorum vitia concidiſſent, is denique Præſul Mediolanenſi populo datus eſt, qui exemplis, & virtutibus ſuis non antiqua modo Eccleſiæ ſuæ inſtituta reficeret, verumetiam univerſæ Chriſtianæ Fidei refovendæ ſpem fere emortuam ſuſcitaret.

CAROLUS BORROMEUS hic eſt, cujus vitam exponere Divino auxilio fretus aggredior. Et quamquam Scriptoribus aliis, qui res geſtas Virorum illuſtrium literis tradiderunt, ſolemne fuit a generis claritate ſcribendi initia capere, hac tamen parte oneris exiſtimo hiſtoriam meam celebritate ipſa generis liberari (*a*). Nota ſunt Italiæ toti, quin & exteris quoque nationibus, Borromeæ Gentis decora, præclaræ cum Principibus affinitates, Præfecturæ Urbium, ac Provinciarum laudabiliter geſtæ, militares palmæ, monumenta ſanctitatis, aliaque id genus, propter quæ familiarum nomina memorantur. Pauca ſolummodo de Parentibus ejus expediam, ut clarius eluceſcat prolem plerumque optimam piis genitoribus dari, quemadmodum, Chriſto teſte, ex bonis arboribus fructus haud abſimiles enaſcuntur.

Gibertus igitur Federici filius ex inclyta hac Mediolani nobilitate Caroli pater fuit. Avitam hanc Familiæ claritatem affinitatibus auxit, ducta in matrimonium Margarita Medicæa, cujus fratres Jo. Angelus, & Jacobus, ingenio, ſtudiiſque diſſimiles, parem apud poſteros famam habuere. Illum ſiquidem ſpectata animi magnitudo ad Pontificatum Maximum evexit; hunc militiæ artibus, & manu præſtantem (*b*) Carolus V. Imp. legionibus ſuis ſummo etiam cum imperio præfecit. Verum Gibertus in eo fortunæ ſplendore nihil altius infixum animo habebat, quam ne omnem nominis ſui gloriam accepiſſe a majoribus videretur. Prudentiam ejus vel ex eo dignoſcere licet, quod cum duo potentiſſimi Reges (*c*), qui Mediolani imperium ætate illa tenuere, implacabilibus inter ſe inimicitiis diſſiderent, atque adeo plena eſſent ſuſpicionibus omnia, ab utroque tamen benigne habitus eſt, ſimulque intactam ab omni invidia Domum, & inviolata Familiæ jura ſervavit. Parta denique victoria, Cæſar Gibertum primo Senatorem, mox Chiliarcam creat. Inter has belli, paciſque curas religionis ſtudium perpetuo retinuit, ſolitus in ſingulas hebdomadas expiare Sacramentis animum, divinaſque preces Sacerdotum more ſtatis temporibus recitare (*d*). Quin etiam, creſcente contemptu rerum humanarum, in Aronenſi arce, quam

tione Názariana cap. CXXVII.; liberalius vero agit Petrus Paulus Boſca in ſuo Mediolanenſi Martyrologio, qui Sanctis a Puricello relatis complures alios adnumerat. In tanta Scriptorum diſſenſione inter cetera eminet Gregorii XIII. Summi Pontificis teſtimonium, qui in Brevibus literis ad Mediolanenſem Populum datis, vivente Carolo, hæc habet: *Cum ipſa Eccleſia ſingulari Dei dono, ac munere complures Martyres, & Archiepiſcopos tranſmiſit ſex in numerum Sanctorum relatos habeat* &c. Inter MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ.

(*a*) Borromeæ Stirpis ſeriem fuſe exponit Joſeph Ripamontius agens de Origine, & Pontificatu S. Caroli, qui primo hujus hiſtoriæ libro Nobiliſſimæ Gentis exordia, & Nepotum præcla e geſta evolvit.

(*b*) Hic ex materno genere Serbellonæ primariæ Familiæ affinis fuit. Uxorem habuit Martiam Urſinam e Comitibus Petiliani. Ejus glorioſa facinora complexus eſt Ericius Puteanus in duobus ſuis de Hiſtoria Ciſalpina libris, quorum complementum adjecit tertium librum Galeatius Capella, quem de Bello Muſſiano inſcripſit.

(*c*) Celeberrimas Auctor hic innuit Caroli Cæſaris, & Franciſci Galliarum Regis excitatas pro Mediolanenſi Provincia contentiones, in quas Giberti ætas inciderat.

(*d*) Addit Bernardinus Tauruſius, productus teſtis in quæſtione de S. Caroli moribus habita ex mandato Pauli V., aſſervata inter Biblioth. noſtræ MSS., proprias Sacerdotum preces quotidie flexis genibus Gibertum recitare conſueviſſe. Subdit inſuper Jo. Petr. Stupanus in MS. extante apud Oblatos S. Sepulcri, tam acriter illum in blaſphemiæ vitium fuiſſe invectum, ut, ſiquando blaſphemam famuli vocem audiſſet, illum e veſtigio ſervorum albo expungeret. Quanto autem amore in ſanctiſſima Chriſti Domini Myſteria conflagraret, argumento

Digitized by Google

quam inter cetera ditionis ſuæ loca Borromei Proceres tenent, cellulam (*a*) ſibi extruxerat, ubi ſacco indutus cæleſtia meditaretur, ac pia cum Superis colloquia miſceret. Subditos quoſque filiorum loco habuit, præſertim pauperes, quibus ex heri munificentia neque orbitas ad vitæ alimenta, neque inopia dotis ad ineunda conjugia impedimento fuit. Adeo certe commovebatur miſeræ plebis neceſſitatibus, ut non antea menſæ accumberet, quam ſtipem aliquam in egenos erogaret. Et cum nonnulli monerent, ne ſpectata filiorum multitudine, quos ex conjugio ſuſceperat, tanta illa erga alienos liberalitate crudelitatis notam apud ſuos incurreret, vaticinante velut animo reſpondebat: ſucceſſura ſemper Borromeorum domui feliciora tempora, ac talem fore erga liberos ſuos Dei beneficentiam, qualem ipſe erga pauperes adhibuiſſet. Quod ſi ſpem hanc Divinitus immiſſam ſubſecutæ in Familia dignitates, divitiæque non comprobaſſent, unius tamen Caroli vita, quem Genitoris virtutibus datum omnes credidere, fidem vaticinio feciſſe videri potuit.

Hanc Giberti pietatem apprime æmulabatur Margarita uxor prudentiſſima ſupra ſexum mulier, & vere digna, ex qua tanti nominis proles naſceretur. Corruptis enim Civitatis moribus, atque ob temporis conſuetudinem peccandi pudore amiſſo, antiquam Chriſtianæ vitæ ſeveritatem conſtantiſſime tenuit familiaribus officiis ſemper intenta, nec unquam fere domo egreſſa, niſi ut rei Divinæ intereſſet, ſive Aſceteria ſacrarum Virginum, aut celebres publica religione aras inviſeret.

Ex tam felici connubio prodiere in primis Federicus, & Carolus, quorum ille ab Avunculo Pio IV. ingentibus titulis auctus, ducta paulo ante Virginia Urbini Ducis ſorore, in ipſo ætatis flore Romæ deceſſit; hic Romana Purpura, & Mediolanenſi Pontificatu inſignitus, dignitatem utramque illuſtravit rebus egregie geſtis, quarum ſeriem exponere præſentis hiſtoriæ labor erit. Fœminas etiam numero plures idem thalamus tulit, ex quibus Eliſabeth natu prior ingreſſa Virginum Aſceterium, veluti victoriam deſignans, quam de rebus humanis retulerat, Coronæ nomen aſſumpſit, reliquæ Borromeorum genus cum præclariſſimis Italiæ Familiis per conjugia miſcuere. Camilla Vaſtallam (*b*), Hieronyma Venuſiam ad earum Regionum Principes miſſæ, Hortenſia Annibali Altempſio (*c*) nuptui data, quem apud Germanos Cardinalis frater, & avita alia Dignitatum nomina commendabant. Et quanquam Sororum omnium illuſtris vita, & honeſtiſſimi mores fuerint, longe tamen in Columnarum domo Anna, Fabritii uxor eminuit. Exemplo enim Caroli Fratris adducta nihil antiquius habuit, quam ut Dei cultum, æternæque vitæ cogitationes humanis omnibus anteferret (*d*). Ita poſt pias in domeſtica cella meditationes

---

to eſt quod Carolus ipſe Octaviano Abbiato de Foreriis familiari ſuo aperuit, dum decretum conderet de dando ſigno Præfationis in Miſſa: nimirum *ſe puerum ſolitum eſſe domo dimitti cum Pædagogo, Patre jubente, quotieſcumque Præfationis in Miſſa ſolemni ſignum inſonaret, juſſumque citato curſu ad templum feſtinare, ut ibidem elevatum Chriſti Corpus viſurus adeſſet.*

(*a*) Locum hunc in Aronenſi Arce ſe vidiſſe ſæpius aſſeveravit Co. Galeatius Vicecomes Mediolani Senator teſtis item citatus in MSS. relatis tabulis, & Bernardus de Magiſtris Aronenſis item teſtis locum eum *Hortuli* nomine appellat.

(*b*) Nupſit hæc Cæſari Gonzagæ Ferrandi filio Principi Malfectæ, & Vaſtallæ. Soror verò Fabricio Jeſualdo Principi Venuſino.

(*c*) Annibal Altempſius Comes Wolfangi Teodorici filius ex Clara Mediceæ Pii IV. ſorore genitus hic eſt. Hortenſiam ſuſceperat Gibertus Borromeus a Thadea dal Verme ſecunda ſuperinducta Conjuge ex nobiliſſima Inſubrum Familia.

(*d*) Plurimæ inter Epiſtolas ad S. Carolum miſſas Hujus literæ extant religionis, & ſanctitatis plenæ. Cardinalis de Gambara ſcripſit eam fuiſſe prudentiæ, bonitatis, ac vitæ Chriſtianæ exemplar. S. Philippo Nerio fuit valde accepta, cum Romæ verſaretur. Plura habet de illa Baccius in Vita S. Philippi Nerii; ſed præ omnibus ſit ipſum S. Fratris teſtimonium, qui ejus conſtantiam in Hortenſiæ ſororis morte laudans ſic ſcripſit 11. Auguſti MDLXXIX. *Magnæ mihi voluptati fuerunt literæ tuæ intuenti; qua firmitate animi Hortenſiæ ſororis noſtræ interitum tuleris. Quam quidem conſtantiam ego in te ſummopere deſiderabam, abunde exhibuiſti, neque minorem religio tua pollicebatur.* Quanta certe virtus fuit, qua majorem Carolus optare non poterat?

Digitized by Google

nes frequens in Templo aderat, adeo defixo in rebus Divinis animo, ut cum cæleſti pane reficeretur, tanquam amiſſo corporis motu ægre ſeſe ab Altaris conſpectu, & tanti myſterii contemplatione divelleret. Ciborum delicias, & veſtium, gemmarumque lenocinia, quibus maxime delectari muliebris ambitio ſolet, prorſus abjecerat, ut omni ſublato inani ſumptu largiora ſubſidia pauperibus ſupereſſent. Hac agendi ratione carior in dies facta, ſummo etiam in honore ab omnibus habebatur, ac præcipue familiaribus, quibus facilius erat cæleſtem ejus vitæ innocentiam, & occultos animi ſenſus inſpicere. Marito denique amiſſo, quem Luſitanico bello Siculæ claſſi Præfectum lethifer morbus oppreſſerat, cum ſeveriores quotidie ſibi leges indiceret, filiiſque liberaliter, ſanctèque educandis aſſiduam operam daret, Panormi, qua in Urbe Marcus Antonius ſocer ejus regio nomine jura Populis dabat, ipſa quoque moritur; haud ſecus deflente Civitate, quam ſi eximium Reipublicæ decus, & miſerabilium hominum commune ſolatium amiſiſſet (*a*). Atque hæc de ſanctiſſimi Viri conſanguineis dicta ſufficiant, ne longius, quam par eſt, a propoſito diſceſſiſſe videar (*b*).

CAPUT II.

In Aronenſi Arce naſcitur Carolus non ſine cæleſti ſigno: Quæque ejus pueritiæ ſtudia potiſſimum fuerint.

1538. ANno trigeſimo octavo ſupra milleſimum quingenteſimum, Paulo III. Pontifice Maximo, Carolo V. Romanorum Imperatore, VI. Nonas Octobris in Arce Aronenſi, de qua paulo antea dictum eſt, Carolus Borromeus naſcitur, cum illuc Parentes pertæſi Urbis negotia, ſive vitia ſeceſſiſſent. Præſidiarii milites, ibi in ſtatione poſiti, jurejurando affirmabant, duabus ante ſolis ortum horis, quo plane tempore edebatur Infans, fulgorem (*c*) quemdam repente emicuiſſe, qui ſplendidæ adinſtar iridis Matris cubiculo ſuperfuſus, non antea videri deſierit, quam, ſole denique orto, cum diurna luce miſceretur. Quo quidem fulgore claritatem deſignari, quæ univerſæ Eccleſiæ in eo fœtu parabatur, tunc maxime dixere homines, cum res ipſa prodigio fidem fecit; ita enim voluiſſe Deum aliquando ſanctiſſimorum hominum futura merita prænunciare miraculis, quemadmodum primos Ambroſii vagitus inſidente labiis apum examine melle perfuſos accepimus, & Suitberti Verdenſis Epiſcopi cunabula admirabili luce radiaſſe auctor eſt Surius.

Ita

(*a*) Audi quam pie de hujus Matronæ virtutibus ſenſerit Marcus Antonius Columna ejus ſocer, dum Carolum de illius interitu moneret IV. Non. Majas MDLXXXII. *Ex tua etiam ſententia dum Romam Anna ire feſtinaret, eam nobis Deus eripuit, ſibique voluit; neque enim aliter credimus, cum ejus vita, & vitæ ſimilis mors ejuſmodi fuerit, ut tantam illi felicitatem invidere debeamus. Domi meæ multa ſanctitatis monumenta reliquit, & amplam nobis omnibus religionis atque inſignium exemplorum hæreditatem. Nihil unquam acerbius notatum in ea eſt, imo curas noſtras ſuavitate ſemper ſua abſtergere conſuevit. Lenire dolorem tuum mihi ſupervacaneum arbitror, ne tuæ conſtantiæ injuriam imponam; Tu nobis petius conſolationem ut adhibeas obſecramus, qui unus conſolari nos potes utpote infirmiores &c.* De ejuſdem interitu ſcribens Panormi Nicolaus Piſacanus Non. Maji *Glorioſum* Annæ *interitum* dicit, *cum jure optimo credenda ſit in morte vivere, quæ vitæ ſuæ tempore mortua credebatur. Quare* concludit, ſe *lacrymis tantæ Matronæ parentaſſe, ſed lacrymas ipſas ſibi ingentem voluptatis ſenſum attuliſſe*; deflenda enim erat ſua ipſius jactura; ſed invidenda beati jam ſpiritus felicitas.

(*b*) Geminos item habuit fratres alios Carolus, ſed immatura morte præreptos, quos eodem Giberti Patris tumulo humatos ſcripſit Albonenſius ad Carolum Viceconitem Intimilienſem Epiſcopum, dum Comitis Federici tumulum Mediolani extruendum curaret.

(*c*) Julius Cæſar de Cuchettis juratus teſtatus eſt: *viſam ea nocte lucidam veluti Zonam quatuor circiter pedes latam, quæ a Turricula in Falconem* (locus is geminus eſt arcis vigilibus deſtinatus) *ab occidente nimirum orientem verſus protendebatur, ſinu ſuo natale Caroli cubiculum complexa.* Teſtes item alii producti ſunt vigiles, & Julii Cæſaris Pater tum arci Præfectus præter fœminas alias, quæ antelucano operi intentæ eo tempore vigilabant. Natale hoc Caroli cubiculum deinde non divulſum eſt arte nova, ut Ripamontius ſcribit, quandoquidem eodem in loco iidem parietes extant, atque altare intus erectum, ad quod Sacris ipſemet ſeptennio abhinc operatus ſum. Laqueare hinc, & aulæa, aliæque minores partes in vicinum montem S. Carolo ſacrum translata ſacello, quod ibidem viſitur, natalis cubiculi nomen dedere.

Digitized by Google

Ita editus Infans, poſtquam res humanas dignoſcere per ætatem potuit, religioſi præſertim animi ſpecimen dabat (*a*), inanes nugas, & crepundia quæque faſtidiens, quibus fere primordia vitæ tranſigimus. Hinc altariola extruere, ſacras canere preces, Sacerdotum officia imitari, qualia olim in puero Athanaſio intuens Alexandriæ Hierarca Alexander eum ſibi in Pontificatu ſucceſſorem fore ſupremo afflatus Spiritu judicavit. Neque inter illa ſanctitatis præludia deerant rudimenta quædam civilis prudentiæ, quæ aptum magnis Imperiis regendis animum adumbrarent. Cum enim tenerrima adhuc ætate in ſuburbano, cui Longhignana nomen, moraretur, caſu ſive conſilio accidit, ut in latebram quamdam ſecederet, atque ibi repertam pomorum multitudinem in varios ordines non ſine multa meditatione diſtingueret. Inventus deinde, ac leniter increpitus (*b*), quod procul a familiariū oculis tanto cum omnium metu, abſque ulla cuſtodia receſſiſſet: quid, inquit, neceſſe erat ſtudium hoc meum ſollicitudine veſtra turbari? Meus ſcilicet in hac latebra labor erat univerſum terrarum orbem in Regna, & Provincias apte, congruenterque componere. Hoc plane reſponſo ſignificavit magnitudinem animi, quam deinde, Avunculo Romæ regnante, accerſitus ipſe in regiminis partem componendis univerſæ Eccleſiæ rebus apertius oſtendit.

Procedente demum ætate (*c*) cum illum quotidie ſapientia, & pietate proficere Gibertus pater videret, Clericali militiæ adſcribi curavit, idque nullo negotio eſt factum, quippe cum Filii indoles Genitoris deſiderio aptiſſime conſentiret. Initiatus hoc modo Puer, & prætexta nondum depoſita, in ſacra toga conſpicuus in eo præcipue curam omnem adhibuit, ut ſe hominum oculis dignum tam honeſtis inſignibus comprobaret. Narrabat alter ex præceptoribus ejus conſueviſſe Carolum poſt deſtinata literarum ſtudiis tempora, aut pias in occulto repetere preces, aut Superûm imagines reverenter inviſere, quas tota paſſim domo in Altarium formam inſtruxerat, nec quidquam illi jucundius hoc ſolatio fuiſſe.

Pueritiam egreſſus Deiparæ templa, quorum alterum juxta portam, quæ in Arcem ducit, alterum prope Celſi Martyris ædem præter alia multa poſuere Majores, frequenter adibat, remota omni divagandi licentia, quæ mentem a piis cogitationibus avocaret. Militaribus ludis, & equorum decurſibus, quæ Federici fratris ſolatia erant, nunquam interfuit, innocentiora vero certamina, quæ in ſubjecta ædibus area exercebantur, ſi quando ex feneſtra proſpiceret, corpus ita compoſuit, ut ſe a nemine conſpici pateretur. Sed cum hominum mentes oblectamento aliquo recreari ob ipſam naturæ infirmitatem oporteat, muſicam artem præcipue ſibi delegerat, non illam quidem, qua multi ad laſciviam abutuntur, ſed ſeveram, & gravem, & quæ modeſtiam cum ſuavitate conjungeret. Quod ſi ambigui aliquid inter canendum incideret, ſcandebat ipſe diſtinctas numeris notas omiſſa verborum recitatione. Et cum tanta eſſet innocentia vitæ, toties expiare conſcientiam, & Altaris myſteria obire conſueverat, quoties a Patre id fieri videret.

Verum in hac tanta ſtudiorum tranquillitate perturbationem aliquam exoriri neceſ-

(*a*) Aronæ educatus primis annis Carolus fuit; ibidem enim enutritum primo, deinde in literarum elementis verſatum comperio. Gibonotus Aronenſis in laudatis ſæpe tabulis teſtis ſe Caroli condiſcipulum illic fuiſſe affirmat. Bartholomæus Botius Aronæ tum Medicinā profeſſus in MS. aſſervato apud Oblatos dicit Carolum puerum infirma admodum uſum valetudine. Ceterum ſeria eum ſemper amaſſe ipſa puerilis corporis ſpecies ſupra ætatem gravis, & in Angleriæ ædibus apud Borromeos dynaſtas adhuc extans, & a me viſa luculenter indicat.

(*b*) Thadea Vermia tum Caroli noverca maternum in eum animum geſſit; de privigni enim periculo ſolicita omnes ædium latebras excuti ſolerter juſſit, teſte Bartholomæo Botio. Jam enim Mater Margarita deceſſerat, cum nondum e pueris Carolus exceſſiſſet.

(*c*) Mediolanum translatus domi ſub Pædagogo latinis inſtructus eſt literis. Is autem fuit Jo. Jacobus Merula, quem ex epiſtolis Albonesii video deinde Caroli beneficio ad curam ſacrorum Beſanæ in Briantels collibus ſitæ traductum.

Digitized by Google

neceſſe erat, ut reformandis mortalium moribus delectus Adoleſcens perferendis malevolorum calumniis, a quibus nunquam bonorum fama immunis fuit, in tempore aſſueſceret. Æqualium nonnulli, quin etiam familiarium, quorum fortaſſe levioribus ingeniis alienæ prudentiæ comparatio pudorem augebat, quidquid in illo altius eminebat, apertius deridebant. Muſſitationes, & cachinni audiebantur, quoties ante aras diutius in genua procumberet, aut expetitas ceteris voluptates cum faſtidio repelleret. Nec tamen emiſſa inferis tentamenta iſta valuere, ut quidquam de priſtina agendi ſeveritate remitteret. His ſociorum famulorumque conviciis ex adverſo reſpondebant judicia graviſſimorum hominum, qui in tam excelſa indole inuſitatum, ac mirabile aliquid occultari opinabantur. Sane Bonaventura Caſtellionæus ſpectatæ integritatis, doctrinæque Sacerdos, qui Ambroſianæ Baſilicæ Collegio ſumma cum laude præfuit, quoties Borromeo obvius fieret, inclinato in obſequium corpore venerabundus in ejus vultu hærebat, rogatuſque a nonnullis, quam tantæ venerationis, & obſequii cauſam haberet, diſerte affirmavit, videre ſe in illo Juvene maximarum initia rerum, ac fore aliquando, ut vetus Eccleſiæ diſciplina ejus ſtudio reviviſceret.

Habebat eo tempore Borromeorum domus opulentum Aronæ Sacerdotium, idque in Carolum Julii Cæſaris patrui ejus ceſſione devenerat (*a*). Hoc titulo, hiſque divitiis auctus, ac ſecum ipſe reputans quanto cum dedecore adnexæ Sacerdotiis opes in domeſticorum commoda, & profanos uſus collocarentur, Patrem enixe rogavit, ut ſibi omnem ejus adminiſtrandi patrimonii facultatem relinqueret. Et cum ex ea rogatione, non veniam modo, verumetiam laudem retuliſſet, quidquid pecuniæ neceſſarii ſumptus ex illo Aronenſi titulo reliquum fecerant in pauperes erogabat. Quod ſi aliquando partem ullam in Familiæ uſum impendi caſus aliquis poſtularet, dati ſubſidii diem ſcripto notabat, ut ſcilicet in tempore mutui rationem ſevere, diligenterque repeteret.

CAPUT III.

Adoleſcens Ticini Juriſprudentiæ operam dat: interceptum mox Patris morte ſtudiorum curriculum feliciter deinde abſolvit.

1554. EXacto inter hæc humaniorum literarum ſtudio, Ticinum mittitur, ut in illa ſcientiarum omnium ſede Juris utriuſque magiſtros audiret (*b*). Decimum ſextum vitæ annum agebat, quæ ferme ætas in deterius prona inops ſimul, & inimica conſilii, ut nunquam voluptatis amore, ita neque periculo caret. Urbs erat inſuper plena vitiorum exemplis, confluente illuc ex diverſis Regionibus juventute ob Gymnaſii famam, aut licentiæ deſiderium, quam in publicis ſcholis multitudo ipſa, & inge-

(*a*) Novit Monaſterium hoc ſeu Sacerdotium eruditiſſimus Mabillonius in ſuo Itinere Italico cap. XXI., licet in Ordinis S. Benedicti Annalibus nullam de eo mentionem fecerit. Antiquum certe hoc videtur cum de ejus origine multa referat Carolus a Baſilica Petri in ſua Novaria Sacra. Ex Catalogo Archiepiſcoporum Mediolanenſium hic traditur conditus Thedaldus qui circiter annum LXXXIV. ſupra milleſimum obiit. Ejus auctor non inconcinne traditur a Cl. P. Beretto in ſua tabula chorographica medii ævi Adam quidam Princeps, qui paulo ante porticum S. Petri Romæ deſtruxerat, & ſic apte chronica ejus Monaſterii antiqua hiſtoriæ accomodantur. Sacerdotii hujus cenſus conflabant S. Caroli tempore XIII. millium librarum æris ſummam; atque in tabulas relatum eſt trecentis ante annis id Sacerdotium penes Borromeorum Familiam fuiſſe.

(*b*) Quinquennium utriuſque Themidos juri addiſcendo Borromeum vacaſſe Ticini tradit Carolus a Baſilica Petri. Condiſcipulos autē ſe in hujuſmodi ſtudiis teſtati ſunt Theopompus Ferrus, & Carolus Franciſcus Bonhomius Vercellenſis deinde Antiſtes, quem ſingulari ſemper amore Carolus complexus eſt. Unde autem hauſerit, quod edidit Scriptor vitæ Bernardini Realini Soc. Jeſu editæ Lugd. ad cap. II., prorſus ignoro: nimirū hunc Patrem, dum Patavium prætergrederetur, plura audiviſſe de Caroli tum adoleſcentis mira ſanctitate; hinc ejus ibi videndi deſiderio accenſum minorem vero famam comperiſſe. Etenim nulla mihi hujus ſtudii indicia in Patavina Academia Caroli acta ſuppeditant, & vereor, ne exterus Scriptor, qui omnia ſe ex MSS. Italicis ſumpſiſſe fatetur, italicum Papiæ nomen Patavii vocabulo latine expreſſerit.

Digitized by Google

ingeniorum varietas fovet. In tam ancipiti rerum diſcrimine ita ſe Carolus continebat, ut ne minimum quidem ab ea, quam Mediolani inſtituerat, vitæ ratione deflecteret. Itaque in ea, propter quæ venerat, ſedulo incumbens Franciſcum Alciatum juriſprudentia inter primos conſpicuum, quem poſtea in Cardinalium Collegium cooptari curavit, privatim adire ſolitus erat, & cum eo conferre difficultates, & capita ſententiarum, quæ a communibus Magiſtris acceperat. Hinc celeres in diſcendo progreſſus, quippe cum nullam temporis partem elabi per ineptias, & ſocordiam ſineret. Sed cum ſilentii amantiſſimus eſſet, neque in verbis proferendis expeditiſſimos a natura motus habuiſſet, accidit aliquando id, quod Angelico Doctori eveniſſe traditur, ut eam linguæ tarditatem ex mentis inopia proficiſci nonnulli temere judicarent. Dicteriorum omnium ipſe contemptor pergebat expolire ſcientiis animum in eo tantum ſolicitus, ne quidquam indecorum notari in ejus moribus poſſet. Clericali veſte ſemper inceſſit, inanes ſermones, nedum inhoneſtos nec ferere ipſe, nec audire ſuſtinuit, in omni pudicitiæ periculo tremebundus, ac fugitans, eoque exemplo teſtatus rarum illud, & fragile humani animi decus nulla ſatis ſolicitudine cuſtodiri. Et quanquam plurimi civium, ſociorumque officii cauſa ad eum quotidie ventitarent, familiaritate tamen, & arctiori quodam mutuæ benevolentiæ genere ſemper abſtinuit, ne frequenti amicorum acceſſu turbarentur pietatis, & ſcientiarum ſtudia, quorum deſcripta tempora habebat. Cavebat interea diligenter, ne quod avertendis diſciplinæ periculis ſapienter invenerat cum aliqua urbanitatis injuria fieret. Rejecta enim nugarum licentia ſuavitatem oris, comitatemque verborum in congreſſu retinebat, ut quomodo omnes ſupervacanea colloquia diſplicere, ita placere illi humanitatem officii ſentirent. Hac ſingulari, & ignota juvenilibus ingeniis mediocritate conciliaverat ſibi amorem ſimul, & reverentiam Civitatis, idque præſertim cum ad ſpectatæ prudentiæ laudem ſpecies quædam, & divinatio futuræ ſanctitatis accederet.

Moritur interea Gibertus Pater magno Caroli dolore, quem idcirco ex Ticinenſi Academia redeuntem multa, & magna incommoda expectabant (*a*). Defertur illico ad ipſum ſumma rei familiaris, quod ſane onus graviſſimum Juveni videri debuit nondum experto, quæ ſtudia, quæve ſolicitudines opulenta patrimonia ſequerentur. Et quanquam Fratrem habebat natu majorem, in quem onera iſta rejiceret, paruit tamen precibus amicorum, qui prudentia magis, quam ætate opus eſſe in eo negotio judicabant. Verum ego Divino conſilio factum exiſtimo, ut in domeſticis rebus adminiſtrandis quodam veluti tyrocinio erudiretur ad perferendas regiminis curas, quarum deinde in ipſum tanta moles incubuit. Sapienter ſiquidem Eccleſiæ Paſtores monet Apoſtolus, ut primum diſcant domum ſuam regere, neque componendis Populorum moribus idoneos videri, qui in familia ſua incompoſitum aliquid eſſe patiantur. Haud aliter Carolus conſtituto primum ſapienter ordine, quo noxia quæque, aut indecora paternis ex ædibus arcerentur, prodibat deinceps ad tollenda Reipublicæ vitia, quæ nemo prudenter, niſi domi ſuæ innocens, in aliena domo reprehendit. Benedictini Patres, Gratiniani Martyris Templum, & proximas Templo ædes habebant, caput videlicet titulumque Sacerdotii, quod ipſe Aronæ obtinebat. Hos cum neglecta vetere diſciplina, licentius agere intellexiſſet, urgere

(*a*) Tacitus hoc loco præterire non poſſum Caroli ſingularem modeſtiam, cum de curando Patris ſepulcro ageretur. In Sanctæ Mariæ Podonis Æde tum etiam extabat gentilitium Borromeæ Familiæ Sacellum, ubi quatuor eminebant juxta ejus temporis morem ſublimi in loco poſitæ ſepulcrales urnæ, in quibus Joannis Senioris, Cleophæ, Lancellotti ſimul, uxoriſque Luciæ, Margaritæ demum Caroli matris cineres ſervabantur ad Borromeæ nobilitatis pompam. Attamen Carolus Patris cadaver humi collocari paſſus eſt, abhorrente jam tum ab inani hac magnificentia animo. Hæc ex Albaneſii epiſtolis apud Oblatos.

Digitized by Google

gere ſalutaribus monitis, & metu pœnarum non antea deſtitit, quam ad priſtina inſtituta revocaret. Rediere nonnulli capti verecundia, ſive lenitate officiorum, nonnullos etiam adverſus conſilia contumaces carcer, atque alia ſupplicia docuerunt, caſte, honeſteque ſibi eſſe vivendum, quamdiu ſub Carolo viverent.

Hæc agenti fœdum quiddam, & horribile dictu intervenit, ex quo parem periculo gloriam reportaret. Domeſticorum unus, quem in illud Aronenſe Oppidum Mediolano ſecum adduxerat, impie callidus, atque, uti fit, ex vetuſtate ſervitii nimiam in familia auctoritatem adeptus, eo demum proceſſerat, ut Hero inſultare ultro, & illudere auderet. Excutiendum aliquando torporem illum animi, ajebat, nobili juvene indignum, quo voluptates, & commercia hominum deteſtatus inditos a natura ſpiritus præfocaret. Sed cum nihil ſuadendo, arguendoque proficeret, excellentis formæ Virginem pretio conductam introire cubiculum jubet; nactus inſuper opportunitatem temporis, quo ſolitudo ipſa pudorem ſceleri adimeret. Expalluit primo Carolus atrocitate periculi, mox recepto ſpiritu ex cubiculo ſeſe proripuit, fremente interim famulo, immo Dæmonum turba, quorum aſtu, haud dubie inchoata res erat. Et ſane miraculo fuit fervidæ indolis juvenem, affluentem opibus, deliciis undique circumſeptum, neque muliebris formæ elegantia, neque ullis verborum illecebris, in tanta vitiorum licentia, quantam illa ætas tulit, adduci potuiſſe, ut virginalis innocentiæ candorem labe aliqua inquinaret (*a*).

Ab eo certamine victor Ticinum rediit, ut ſcientiarum ſtudia ob Patris obitum intermiſſa repeteret: Ibi ex diuturna mentis fatigatione in morbum incidit, cumque Medici ſuaderent, ut, remiſſa literarum cura, jucundius vitæ genus eligeret, nihil ultra obtinuere, quam ut modicum temporis Muſicæ daret. Ea certe agendi ſeveritate effecit, ut neque cito, neque omnino convaleſceret. Pertinax pituita corpori inſederat, nec antea fluere deſtitit, quam ille inuſitato medicamenti genere, vigiliis nempe, ac jejuniis moleſtam illam humoris ſcaturiginem exſiccaret. Hinc ortum eo tempore adagium, ut quoties aliquis ex naturæ, ſive intemperantiæ vitio, eadem lue corriperetur, Borromei remedio opus eſſe vulgo dictitarent.

Dum hæc Ticini agerentur, pervenere ad ipſum bina Sacerdotia Romagnani, & Calvenzani antiquitus inſtituta, (ea nomina Pagorum ſunt in agro Mediolanenſi) quibus Cardinalis Medicæus ſeſe abdicarat, ut huic Sororis filio traderentur. Nec recuſabat ille vectigalia hæc, & incrementa divitiarum, quas Reipublicæ utilitatibus paterno jam animo deſtinabat. Mens erat in eadem Urbe excitare Collegium educandis Nobilium liberis, additis ultro latifundiis, quæ in alimenta, & neceſſariam ſupellectilem juventuti ſufficerent, ne quemquam videlicet a Chriſtianæ vitæ, & liberalium artium cultu rei domeſticæ inopia revocaret. Sed meditamenta iſta, dignoſque Principum ingenio conatus in aliud tempus differri oportebat, quo ampliorem ipſe fortunam aſſecutus deſtinata magnificentius exequeretur.

Interim, cum ſecundum ſupra vigeſimum ætatis annum iniret, Didaſcali pronunciabant maturum eſſe tempus, quo, depoſito Auditoris nomine, Magiſtri titulum aſſequeretur. Itaque productus in Aulam, quo nomine conſtitutam explorandis Candidatorum ingeniis ædem Ticinenſes vocant, datis in publico certamine ſapientiæ experimentis J. U. Doctor eſt appellatus. Haud ego in hac hiſtoriæ parte omittam indicia futuræ magnitudinis, quæ temporis ejus homines notavere. Qua enim die ad capeſſenda Doctorum inſignia prodibat, tantus omnium Ordinum concurſus fuit,

(*a*) Has Caroli pudicitiæ ſtructas inſidias diuturna, ſed ſera Auctoris pœnitentia ſubſecuta eſt. Etenim teſtes pro Apotheoſi producti affirmarunt, eum dictitaſſe *ſcelus hoc ſummo familiæ ſuæ exitio ſtetiſſe*. Nam citius ex famulorum numero expunctus a Borromeo venire in communionem non potuit illius felicitatis, quæ ad reliquos ejus ſervos pervenit, cum Romam evocatus dignitatis, quam videbimus, faſtigium tenuit.

Digitized by Google

fuit, quantum fortaſſe aſſueta hiſce ſpectaculis Civitas nunquam antea viderat. Illud vero longe notabilius, quod, cum Franciſcus Alciatus (*a*) Alumno ſuo lauream de more gratulaturus dicendi initium faceret, disjectis nubibus, quæ ſolis radios jampridem obduxerant, puriſſimus fulgor Aulam repente pervaſit, non ſine Oratoris laude, qui obventuræ in Rempublicam claritatis ex ea luce omen arripuit.

CAPUT IV.

Romam ab Avunculo Pontifice evocatus præter multas dignitates, quibus ornatur, Mediolani Archiepiſcopus renunciatur, deque multis ab eo Romæ præclare geſtis.

1560. EOdem anno, quo hæc Ticini agebantur, Cardinalem Medicæum, de quo antea diximus, congregati de more Patres Summum Pontificem creavere. Quod ubi Mediolani nunciatum eſt, exultare gaudio Civitas, ac Borromeo maxime gratulari, quod in Avunculi Pontificatu dignitatum omnium certiſſima pignora haberet. Ille enimvero in tanto plauſu, & gratulatione amicorum, nullo edito inanis lætitiæ ſigno, in Templum una cum fratre ire pergit, ac Sacrum Chriſti Corpus ſumere, precatus humiliter, ut quæ cum majore Divini Nominis gloria futura eſſent, ea ſibi potiſſimum evenirent. Quin etiam cum Federicus frater, aſſumpto Nobilium comitatu, Romam antea perveniſſet, ipſe obfirmato ad manendum animo, nonniſi Avunculo jubente, diſceſſurum ſe domo affirmabat, ne honorum magis cupiditate, quam officii cauſa iviſſe videretur. Supervenere paulo poſt mandata (*b*) Pontificis, cui deſtinatum jam antea erat hunc ſororis filium non modo ampliſſimis attollere honoribus, verumetiam in partem curarum aſſumere, quæ ſummam in terris poteſtatem comitantur. Romam profectus in ipſo fere Pontificiæ Aulæ veſtibulo obvias habuit dignitates, quas ægre graviſſimi viri, & de Republica optime meriti aſſequuntur. Prothonotarius primo, & Referendarius, quæ nomina apud Romanos primaria Urbis capita deſignant, mox Cardinalis (*c*), & Mediolani Archiepiſcopus renunciatur, non ſine admiratione, ac fortaſſe etiam querela multorum, quorum ſpem converſa omnis in Borromeum gratia deceperat. Sane judicia hominum perſæpe falli, & Vicariam illam in terris Chriſti Domini Poteſtatem ſuperno Spiritu regi non antea omnes intellexere, quam conſtituto virtutibus ſuis Eccleſiæ ſtatu Carolus inuſitatam illam in eo extollendo Pontificis celeritatem cælitus immiſſam comprobaret. Alienum certe ab humanæ

(*a*) Erat hic Anagnoſtes primarius in Ticinenſi Academia ſuis, & avorum meritis clarus. Multa in Carolo grati in eum animi monumenta extitere; ſed illud præcipue, quod Romana Purpura ornatus, ipſo adnitente, fuerit, & Borromei vices in ſupremo Pœnitentiæ Tribunali impleverit.

(*b*) Fornerius Caroli poſtea familiaris, antea inter Ephæbos Comitis Federici Fratris cooptatus ſcripſit Aloyſium Vignolam a Pontifice electo ſtatim huc miſſum, ut eum quantocyus Romam deduceret.

(*c*) Romana Purpura ornavit Carolum Pontifex die ultima Januarii anno MDLX., & titulo Sanctorum Viti, & Modeſti inſignivit. Hunc titulum reſignavit menſe Sextili ejus anni, mortuo Cardinali Diomede Carafa, per cujus obitum Carolo aditus ad titulum Sancti Martini in Montibus patuit. Sexto autem Id. Febr. renuntiatus eſt Ambroſianæ Sedis perpetuus Adminiſtrator. Hoc enim ſe pluries nomine Carolus, & Carolum Pontifex in ſuis diplomatis appellavit. Etenim jam anno MCCCCXCVII. cœperat in uſu eſſe hoc Perpetui Adminiſtratoris nomen cum delata hæc Provincia Hyppolito Seniori Ateſtino fuit. Nomen hoc Carolus depoſuit, ſoluto Tridentino Concilio, ut ipſemet ad Specianum ſcripſit XIII. Julii MDLXXVIII. conquerens omiſſum in quodam diplomate ſuum Archiepiſcopi nomen. Neque videtur omittendum viventi Hyppolito jus adhuc *regreſſus*, ut vocant, fuiſſe, ad Archiepiſcopatum Mediolani, contra id quod ſenſit Ughellus, ut patet ex Pii IV. bullatis literis penſionem annuam ex hujus reditibus Cardinali Serbellono concedentis. Alias item penſiones ſolvendas quotannis Cardinalibus Sirleto, & Alciato habuit Carolus, ex quibus MD. ſcutorum conflabatur ſumma, ut in publicis tabulis confirmavit Comes Georgius Trivultius. Itaque dum Romæ Borromeus verſaretur, Vicario ejus nomine Archiepiſcopatus hujus poſſeſſionem iniit Antonius Robertus anno MDLX. menſe Majo dumtaxat, cum neceſſe fuiſſet Regiæ voluntatis teſtimonium expectari, quandoquidem ab ejus Miniſtris hic offerebatur ineunda poſſeſſio iis legibus, quibus oblata Philippo Archinto prædeceſſori antea fuerat. Eo initæ poſſeſſionis die ſcribit Guidus Borromeus maximum fuiſſe populi gaudio geſtientis plauſum, atque indictum juſtitium.

Digitized by Google

manæ prudentiæ ſenſu videri poterat Mediolanenſem Eccleſiam magnitudine ſua, & Sanctiſſimorum Præſulum nominibus inclytam, nunc impoſitam humeris imperiti Adoleſcentis, tantoque oneri alia inſuper munera adjecta, quorum ſingulis vix prudentiſſimus quiſque ſufficeret. At ubi illa capax maximarum quarumque rerum indoles, ubi mens illa invicta laboribus, illa in conſiliis gravitas, in agendo ſolicitudo apparuit, tum denique omnes fateri, altius aliquid in illo Juvene deſignari, quam ut dignoſci hominum oculis poſſet. Fuere qui dicerent Cardinalem Medicæum ad Summi Pontificatus apicem Divino judicio præcipue delectum, ut ex eo faſtigio Præſulem hunc alterum ad reformandos hominum mores, ac Mediolanenſem in primis Eccleſiam illuſtrandam ipſe deligeret. Nec deerant vaticinia, quæ fidem huic ſententiæ facerent. Memoriæ proditum eſt (*a*), cum Medicæus idem paucos ab ortu dies ageret, innoxiam repente flammam inſediſſe infantis capiti, mox lucerna accenſa, quæ haud procul a cunis aberat, ex oculis eſſe dilapſam. Rem deinde totam ex eventu interpretantes nonnulli crediderant in eo fulgore, quem ex proxima face lucerna arripuerat, prænunciata fuiſſe initia claritatis, quam Carolus ex Avunculi Pontificatu poſtea retulerit. Cui quidem opinioni momentum aliquod addere viſi ſunt duo ſummi Pontifices Gregorius XIII. & Clemens VIII. quorum Ille *Lucernam in Iſrael fulgentem*, Hic *magnum Eccleſiæ lumen* accommodato ad vaticinium illud nomine Carolum appellavit.

Creſcente interim apud Pontificem Caroli gratia, ſeu potius æſtimatione virtutis Pubblico Conſilio præficitur cum ea auctoritate (*b*), ut quidquid ipſe ſtatueret pro rato, & firmo haberetur. Subditorum preces, poſtulata Urbium, Principum legationes, illuc omnia vergebant, prout ſua quemque neceſſitas, aut cura publicæ utilitatis adduxerat (*c*). Ille in tanto Avunculi favore, plauſuque hominum nihilo elatior adeo a petendis honoribus ſemper abſtinuit, ut multa etiam, quæ ad ſplendorem offerebantur, nequicquam reclamantibus propinquis, aperte repudiaret. Id vero longe laudabilius, quod in tanta negotiorum multitudine, quantam ex dignitatum, officiorumque numero oriri neceſſe erat, nihil tamen de priſtina vitæ diſciplina immutaverit raro miraculo in Aula pius, eoque ad Religionis ſtudia promptior, quo altius inter homines emineret. Peculiari Numinis beneficio eveniſſe ſibi poſtea fatebatur, ut inter divitias, honoreſque humanarum ejuſmodi rerum fallacias agnoſceret, quas plerique mortalium nonniſi inter ærumnas, & adverſæ fortunæ caſus agnoſcere didiciſſent.

Illa præcipue cura angebat animum, ne tot acceptis muneribus ingratus Pontifici, aut inutilis videretur (*d*). Leviſſima quæque avaritiæ indicia refugere, dare præ-

(*a*) Hoc habes in additionibus ad Platinam in Pii IV. vita, atque in hiſtoria de rebus a Jo. Jacobo Medicæo geſtis Mediolani typis edita, & ab Antonio Miſſalea concinnata.

(*b*) Egregie de tanta Caroli poteſtate, & pari prudentia ad eum ſcribens Hieronymus Vida anno MDLXIV. IV. Cal. Julii hæc habet: *Conſtatus fama eſt, & omnium ſermone celebrata te unum in primis eſſe noſtra tempeſtate qui Atlanti interdum defeſſo, tantaque ſub rerum mole laboranti ſubſidio venire valeas.*

(*c*) Ad ejus dignitatem ſpectaſſe videntur ſplendidæ Sororum nuptiæ, & Fratris Federici cum Urbinatium Duce ſuſcepta cognatio. Hoc enim anno Martio menſe deſponſa eſt Camilla Soror Cæſari Gonzagæ. Aronæ Virginia a Ruvere eodem menſe exeunte Federico nupſit. Inſequente autem anno Fabritius Columna Sororem item ejus alteram Annam uxorem duxit. Sed in tanto familiæ ſplendore adeo de ſe, ſuiſque demiſſe ſenſit Carolus, ut Jacobo Fagnano amiciſſimo Equiti ſummopere commendaverit, *ne ſorores, quas Romæ opperiebatur, nimium Baſilicæ ornandas curaret*, faſſuſque deinde ſit Fagnanus idem reſcribens *modeſtius earum ornamenta curari non potuiſſe*. Sericum ornatum eo tempore a ſe ablegandum juſſit, ut ex eadem Epiſtola, & Aureliam Viſtarinam Borromeam vetuit Romam venire, ut ex ejus Epiſtola XV. Aprilis MDLXI.

(*d*) Huc ſpectat, quod Carolus de ſe ipſo loquens Octaviano de Foreriis aperuit, qui deinde hoc in tabulas retulit; *nimirum ſe Purpura Romana ornatum totæ, quantacumque fuit, Pontificis curarum mole oppreſſum, quapropter vix duas, tresve horas noctu ſomnum carpere ſibi eo tempore licuiſſe*. Addidit præterea idem Teſtis, Romæ horis pomeridianis Carolum conſueviſſe proferre in medium aliquas de Eccleſiaſticis, ſacriſve rebus quæſtiones; itemque ſciſcitari ſolitum exteros Epiſcopos de Eccleſiarum ſuarum ritibus, inter quos ſiquem uſibus ſuis aptum comperiſſet, ſcriptis conſignabat.

Digitized by Google

præmia virtutibus, remedia vitiis, cavere diligenter omnia, quibus inquinari fama regiminis poſſet, cogitationum omnium ſumma erat. Eaque ut certius evenirent ſelegerat ſibi præſtantes doctrina, & pietate viros, quorum operam in quotidianis conſultationibus adhiberet (*a*). Libris etiam, quibus adminiſtrandæ Reipublicæ præcepta continentur, uti conſueverat, rejectis omnino Scriptoribus, quibus per impia dogmata, & alienas a Majorum fide ſententias ad nominis laudem graſſari lethalis ambitio fuit. Vaticanæ Noctes, quarum adeo celebre nomen fuit, ſatis oſtendunt nihil illum ſæpius cogitaſſe, quam ut honeſtarum artium ſtudiis, & ſacrarum rerum majeſtati conſuleret. Nam minime contentus aſſidua ſolicitudine, quam Eccleſiæ rebus impenderet, hanc quoque curam ſuſceperat, ut futuræ ætati idonei Præſides, & apta ſublimioribus miniſteriis ingenia pararentur (*b*). Poſtquam civilium negotiorum ſtrepitus cum diurna luce defecerat, conveniebant ad ipſum Vaticanas in Ædes literatiſſimi Civium, ducti alii cupiditate diſcendi, nonnulli ſpe præmiorum, ad quæ nonniſi per experimenta ſapientiæ pervenire ſe poſſe cognoverat. Ibi audito ſermone de iis, quæ indicta jam erant, quæſtiones, & argumenta proponebantur, de quibus in proximo deinde conventu pro ſua quiſque facultate diſſereret. Ita intermiſſam apud Epiſcopos concionandi conſuetudinem reſtitui poſſe credebat, nec defuere quamplures, qui Apoſtolicæ eloquentiæ laudem ex iis congreſſibus reportarent. Ipſe etiam in primis innatam ſibi linguæ duritiem recitando, declamandoque expugnabat, jeceratque initia oratoriæ (*c*) artis, quam deinde tanto proventu Populi Mediolanenſis exercuit. Narrabat aliquando Epitecti Manuale, quod eo tempore in deliciis habuerat, multum ſibi profuiſſe, nec non utiliter uſum eſſe Stoicorum ſententiis non modo, ut apta rebus conſilia caperet, verumetiam inordinatos animi motus, & ſenſuum irritamenta compeſceret. Cæterum haud facile dictu eſt quantum ſplendoris in omnem Eccleſiæ partem literariæ illæ Noctes effuderint. Ex ea ſane Academia prodiere Antiſtites Urbium, Cardinaleſque Clariſſimi; & ſatis conſtat Gregorium XIII. non aliunde hauſiſſe rudimenta ſapientiæ, qua univerſam Eccleſiam, mortuo Pio V. Pontifice Maximo, adminiſtravit. Sed enim mirari potius libet florentem auctoritate, & opibus Juvenem adeo de publica ſalute fuiſſe ſolicitum, ut, exacto aſſiduis laboribus die, nocturnæ inſuper quietis partem ſibi ſubduceret. Non enim fiebant iſta more aliquorum, qui videri potius, quam eſſe ſapientes volunt, ac doctrinæ famam inani aliquo Academicorum nomine aucupantur. Serio, & viriliter res agebatur, ac totus in illo erat, cum ut præſcripta regendæ Reipublicæ documenta perdiſceret, tum ut fœdam illam in ſcientiarum cultu ſegnitiem, quæ temporum vitio inoleverat, ex Romanorum Principum animis

(*a*) Poggiani, Sirletique fruebatur conſuetudine, quorum hic ex Ruperto Abbate cum Eccleſiaſtica diſciplina inſtituebat. Celeberrimum item Dominicanæ familiæ decus Hieronymum Vielmium, & Hugonem Boncompagnum poſtea ad ſupremam Petri Sedem evectum, in conſultationem adhibebat. Hæc Fornerius.

(*b*) Vaticanarum Noctium quale inſtitutum fuerit, Carolus ipſe declarat datis ad Ormanetum literis die II. Aprilis MDLXXII.; cum enim ex Vaticanæ hujus Academiæ legibus parem alteram inſtituendam ſuſcepiſſet optimus ille tum Patavii Antiſtes, rogaſſetque Carolum, ut ejus ſibi inſtituta aperiret, in hæc Cardinalis verba reſpondit: *Quod ad Romanam noſtram Academiam attinet, ea primitus inſtituta fuerat, ut honeſtos nos curis utiliter diſtineremus. Quamquam ſenſim a profanis rebus ad ſacras Academicorum contentiones traducta ſunt; Sed non id ſpectabatur præcipue, ut eorum voluntates ad Eccleſiaſticam diſciplinam capeſſendam inflammarentur, quandoquidem profanis viris, & a ſacra vivendi norma alienis omnino noſter ille conventus abundabat.* Ceterum qui plura in hanc rem velit, conſulat præfationem a Cl. Saxio concinnatam, & Vaticanis iiſdem Noctibus biennio abhinc in Typographia Bibliothecæ Ambroſianæ in lucem editis præfixam.

(*c*) Perceptam ex hiſce conventibus utilitatem maximam ipſemet Carolus fatetur ad Cardinalem Mantuanum ſcribens, dum Bononia anno MDLXV. Mediolanum proficiſceretur, atque narraret, quid ſibi in ea Urbe accidiſſet: *Quotidie hic quatuor, aut ſex Orationes latinæ ad me præſentem habentur, quibus latine item uſque reſpondere contendo; licet diſpar ſit dicentium, ac reſpondentis conditio, cum imparato mihi ſit ad meditatam orationem aliquid e veſtigio reponendum. Attamen nunc ex ludicra illa Academia contentione quantum profecerim, patet, cum ſuſcepta per ludum exercitatio ad ſeria hic debeat transferri.*

Digitized by Google

mis exemplo, & æmulatione diſcuteret.

Nec tamen aſperitas ulla in moribus erat, quam ex philoſophandi conſuetudine oriri temere quidam exiſtimant. Modeſtia, & ſeveritas in occulto alebantur, foris omnia ſplendebant, ne a communi Principum uſu recedere, quaſi per contemptum alienæ ſuperbiæ videretur. Cardinalium amicitias reverentia, & comitate diligenter excoluit, ratus nimirum ad omnia feliciter exequenda plurimum ſpei in eorum benevolentia eſſe poſitum, qui plurimum auctoritatis in Republica habeant. Inibat aliquando convivia, & potentiſſimum quemque viciſſim ad epulas invitabat, non ita quidem ut gulæ, verum ut amicorum deſideriis inſerviret. Feſtivis etiam ſpectaculis, quibus Fratris nuptiæ celebrabantur, intereſſe non recuſavit tam honeſte, graviterque compoſitus, ut ejus lætitiæ teſtem magis fuiſſe, quam ſocium appareret. Infimos quoſque de plebe homines benigne excipere, quæ maxima Principum laus eſt, ultima fere virtutum ejus fuit. Jam tum in illo eminebant argumenta paternæ humanitatis, quam in tantis deinde Urbis noſtræ calamitatibus erga pauperes ſemper adhibuit.

Sed inter virtutes ejus ea potiſſimum propior periculo fuit, quam ſummopere ipſe diligeret. Et quanquam de pudicitiæ cura ſimile aliquid paulo ante narraverim, ſubjiciam hoc loco miraculum aliud, quod ægre poſteri credent, & graviſſimi ex ejus familia teſtes, prout ipſi viderant, retulere. Romanorum Principum unus ob ſanguinis propinquitatem rarum (*a*) hoc a Cardinale impetraverat, ut in Villam paucis milliaribus ab Urbe diſtantem ſecum una ire vellet. Parata illic erant ad luxum omnia, inſtructæ opipare dapes, provocandæque voluptati feſtivum quiddam inter naturam, artemque certamen. Latebat interim in abdita ædium parte impudentiſſima pellex in hoc ſimul adducta, ut poſtquam nocturnæ quietis tempus advenerat, in Caroli cubiculum latenter obreperet, atque ibi experiretur, quid virium muliebri formæ, quid veſtium ornamentis, quid verborum blanditiis ineſſet. Tam horrenda flagitia etiam inter propinquos per ludum exercebantur, ſive ita adulari amicis ætas illa conſueverat, quaſi nullam deeſſe peccandi opportunitatem ad magnificentiam hoſpitii pertineret. At ſicuti viator immanis feræ occurſu deterritus retro gradum revolvit, paviduſque, ac tremens effugium omne circumſpicit; haud ſecus Cardinalis muliebri aſpectu perculſus retro ad oſtium refugere, famulorum turbam ciere clamoribus, increpare cubiculi præfectum, nec antea conquieſcere, quam monſtrum illud metus, aut pudor tentatæ infeliciter rei in fugam averteret. Cognita deinde hoſpitis fraude, haud ultra ſe tenuit, quin, illo inſalutato, media fere nocte diſcederet, pia hac inurbanitate teſtatus, quantum ſibi impudens illa, & amica ſcelerum urbanitas diſpliceret.

Ita abdicato voluptatum deſiderio, ex quo fere omnis Principum negligentia gignitur, facile Carolo fuit vim omnem mentis intendere ad ea, quibus Imperii dignitas, & ſubditorum commoda continentur (*b*). Annonæ præſertim ingens cura habebatur, cautumque diligentiſſime, ne ulla Romanæ ditionis Civitas cum dedecore Pontificii nominis eſuriret. Sane Gluſſianus hujus vitæ Scriptor per ea loca iter agens, cum affixum Urbis unius Prætorio gentilitium inſigne Borromeæ Gentis vidiſſet, atque obvium forte ſenem interrogaſſet, quid ſtemma illud Mediolanenſis Familiæ in aliena terra ſignificaret, reſpondit ille, monumentum id Cardinali Borromeo eſſe poſitum, quo tempore Romana

(*a*) Ratius etiam deinde in ſuburbana periculo ſuo edoctus ſeceſſit, teſtatumque reliquit Fornerius, frequentius eum poſtea ad Sirletum in Quirinali monte apud Theatinos Patres degentem itaſſe. Comes autem Georgius Trivultius ſcripſit, *nulla ſuſpicionis nota violatam hac in parte Borromei famam, nullumque in eum licentius dictum ea in urbe fuiſſe, in qua nihil non dici conſuevit.*

(*b*) Magnifice, & vere Nicolaus Cremonenſis Epiſcopus anno MDLXIV. ad Carolum ſcribens: *Ea omnia a te expecto, quæ a ſumma pietate, ſummaque prudentia bis confuſis, perturbatiſque temporibus expectanda ſunt; nam tibi merito tantam poteſtatem contulit Deus, ut Tuam iſtam nobiliſſimam mentem tot Sapientiæ luminibus ornatam ad Chriſtianæ Reipublicæ curam totam convertere.*

Digitized by Google

mana jura ſub Avunculi Pontificatu adminiſtrabat. Atque utinam, ajebat, Superi voluiſſent, ut adhuc in eo munere perſeveraſſet! Non enim tritici copiam hinc exportari ad exteros ſineret, quemadmodum iſti faciunt, quibus pro nihilo eſt publico damno diteſcere, ac per miſeræ plebis jejunia largius epulari. Multa ſubinde alia cum ſuſpirio narrabat, quæ ex præſenti Reipublicæ ſtatu præteritum Caroli regimen commendarent.

Nec ſane niſi feliciter evenire omnia Urbibus, ac Provinciis poterant, quibus regendis nonniſi immunes ab iis vitiis homines mitterentur, quibus maxime turbari publica felicitas ſolet. Horum omnium ſuſpicionem abeſſe ab iis oportebat, qui imperia, & Præfecturas a Carolo peterent. Quod ſi quiſpiam eorum, qui jam antea miſſi erant, imprudentia, vel auri cupiditate peccaret, movebatur illico Magiſtratu, ne præter cetera mala nocentior exemplo fieret. Agebantur autem iſta tam caute, ac prudenter, ut iidem ipſi, quorum damno acta erant, laudare cogerentur. Conſanguineum equidem Cardinalis unius, quem Pontificiæ Civitati præfecerat, ſtatim ac Populo diſplicere ob quædam vitia intellexit, Provincia decedere juſſit, adeo nihil offenſo Cardinali, ut conſilii ſeveritatem ultro comprobaret.

CAPUT V.

Novi in eum congeſti honores: Fratre e vivis erepto, clanculum Sacris initiatur.

MAjor haud dubie ſeveritas erat in explorandis eorum moribus, quos ad Epiſcopatum, aut ſacra quælibet munia ipſe produceret. Chriſtiani nominis decus, immo ſalutem humani generis, inde pendere animadverterat, ac proinde graves pœnas daturum, qui ab juſtitiæ, prudentiæque legibus aberraret. Purpuratorum Collegio neminem adſcribi curavit, niſi qui parem tanto faſtigio virtutem afferret, nec ullus repulſam ferre iniquo animo debuit, cum ab Eccleſiæ rebus propinqui, & familiares eadem ſeveritate arcerentur. Id maxime ſpectatum eſt in Domeſticorum uno, quem ſibi ad nobiliora miniſteria ob caſtiſſimos mores, & ſanguinis affinitatem adſciverat. Habebat eum inter cariſſimos Cardinalis, nec tamen in tanta poteſtate rerum, quanta penes ipſum erat, quidquam ei contulerat, quo amorem ſignificaret. Ac ne diutius ſuſpenſum expectatione præmii relinqueret, data inter colloquium occaſione, eum humaniſſime amplexatus: merita, inquit, tua mihi notiſſima ſunt, ac plane efficiunt, ut te ſummopere diligam. Sed cum nullo ſacro Ordine initiatum te videam, ſcire utique debes me jus aliquod tibi in Eccleſiæ vectigalia ſine conſcientiæ labe conferre non poſſe. Quod ſi te ad ſacra miniſteria tranſferre volueris, tum denique intelliges, quam ſemper benevolo erga te animo fuerim. Ex paucis hiſce verbis conjicere licet quantam ille ſuavitatem ingenii cum Religione conjungeret. Adeo certe omnes iracundiæ motus in poteſtate habuit, ut in tanta negotiorum, & familiarium multitudine, modeſtiam tamen, lenitatemque ſermonis ne ullo quidem verbo violaret.

Qua vero patientia in perferendis laboribus fuerit ſatis teſtantur graviſſima ſub nomine Dignitatum onera, quæ ejus humeris inſidebant. Rempublicam magis, quam Sororis Filium ornari apparebat, quoties illi Provinciam aliquam Pontifex demandaret. Supremum ſane Pœnitentiæ tribunal ejus arbitrio (*a*) gubernari maxima

(*a*) Hiſtoricam temporis ſeriem turbavit hic aliquantulum Gluſſianus. Neque enim Supremo Pœnitentiæ Tribunali tum præfectus eſt Carolus nondum Sacerdos, neque cum Romæ degeret; niſi fortaſſe Scriptoris ea mens fuit, ut delatas illi diverſis temporibus dignitates unum in locum expeditius congereret. Eam provinciam antè Carolum adminiſtrabat Fr. Ranutius Farneſius Cardinalis tit. Sancti Angeli, qui exeunte Octobri anno MDLXV. deceſſit, ut adnotavit etiam Oldoinus, imo ex Fratris Cardinalis Farneſii Epiſtola obiit die XXIX. ejus menſis. Huic itaque provinciæ admotus Carolus fuit anno eodem die VII Novembris inſtante Luſitaniæ Regis verbis ejus Legato, ut ſcripſere ipſemet Meneſius Legatus, Didacus Abulenſis, & Cardinalis

ma pars publicæ utilitatis fuit. Cum enim aliqua minus apte, nonnulla etiam inordinate in eo munere agerentur, author ipſe Pontifici fuit emendandi cuncta, quemadmodum Apoſtolicæ Literæ in idipſum editæ declarant. Quo deinde amplius creſceret fama virtutum, eo latius negotia, curæque extendebantur. Bononienſis, & Anconitana regio, & quidquid terrarum Romanus ager amplectitur, in ejus regiminis partem acceſſerant. Luſitania, Helvetia, & quæ inferior Germania dicitur (*a*), in ejus tutelam traditæ; tum Franciſcani, & Carmelitæ, & Humiliati, & Regulares Canonici Conimbricenſes juſſi referre ad illum, ſi quid ad tuenda ſui Ordinis jura pertineret. Eodem plane patrocinio nitebantur Jeroſolymitani Equites, & Crucigeri alii in Luſitania Nobiles, qui ſodalitio ſuo non alium, quam Regem ipſum præeſſe gloriantur.

Inter hæc Federicum fratrem, de quo antea diximus, lethalis morbus eripuit (*b*), adfuitque morienti Carolus non ita quidem, ut amorem ultimo aſpectu ſatiaret, verum ut hujus humanæ vitæ ſolatia deſerentem ſalutaribus monitis, & immortalis vitæ recordatione reficeret. Satis conſtat nihil illi hac morte acerbius, nihil utilius contingere potuiſſe. Obverſabantur animo ſplendida amiſſi fratris nomina, ætatis decor, elegantia indolis, majeſtas, & pompa initi paulo ante conjugii, atque hæc tanta naturæ, fortunæque dona, tam ſpecioſa hominum oculis una dies abſtulerat. Hinc ſæpe reputans, quam fluxa, & inania eſſent, quæ tam cito eripi poſſe domeſtico exemplo didicerat, cæleſtia, & æterna expetere ardentius cœpit (*c*), in tanto omnium luctu adeo ſui compos, ut eadem nocte, qua frater vita deceſſerat, accerſito Sacerdote ſacra Confeſſione conſcientiam (*d*) expiaret. Ac veluti ad eum diem mollius, quam par erat, ſecum egiſſet, communicatis cum ipſo Sacerdote conſiliis alia ſibi ſeverioris vitæ præcepta conſtituit, quibus inpoſterum uteretur. Diſpar omnino ſententia propinquis amiciſque ejus inſederat, quin & Pontifex ipſe eo inclinabat, ut omiſſo Sacrorum cultu, propagandæ Familiæ curam

---

nalis Alciatus ad Carolum, quorum poſtremus addit: *Cognitam Pontificis voluntatem a coactis in cœtu Cardinalibus ingenti conſenſu approbatam, & maximas Pio actas gratias, quod tam optime providiſſet.* Hæc ex Epiſtolis Bibliothecæ Ambroſianæ. Quod vero Gluſſianus addidit conſtare aſſertum ſuum ex ipſa Pontificis conſtitutione, nullibi in ea videtur occurrere injecta Caroli mentio, ut facile patebit legenti eandem apud Laertium Cherubinum.

(*a*) Commendatam illi Luſitaniam comperio ex Regis Sebaſtiani literis die IV. Jan. MDLXV. cui gratias agit Carolus III. Non. Aprilis eodem anno, ut ex latino ejus reſponſo in Bibl. Ambroſiana. Menſe autem Martio anno MDLXVI. a Cardinali Sancti Clementis ſcribitur miſſum Carolo Philippi Regis Hiſpaniarum Diploma ejus tutelæ Belgium omne offerentis. Præterea Ordinem Equitum Sancti Lazari in Ejus patrocinio latuiſſe ſcribit Carolus ipſe ad Carniliam die III. Octobris MDLXXI. *Sancti Lazari Equites me de Suprema Ordinis Magiſtri obitu certiorem fecere. In eo nimirum errore verſantur ipſorum ad me curam adhuc ſpectare, quam tamen dimiſi, & Cardinali ſeu Altempſio, ſeu Vitellio, concreditam puto.*

(*b*) Obiit Comes Federicus Borromeus die XX. Novembris anno MDLXII., ut etiam apud Cardinalem Pallavicinum in Hiſtoria Tridentini Concilii. Excepit ultimum morientis ſpiritum Carolus ea conſtantia, quam Daneus ex Hiſpania ad Carniliam ſcribens velut incredibilem ſummopere commendavit. Funebria illi perſolvit ablegata pompa omni, quæ tantum virum etiam deceret, atque Mauſoleo ex Romanæ magnificentiæ ritu extruendo ſpoliatum ejus cadaver, & aromatibus conditum Mediolanum tranſvehi juſſit, & noctu ſine exequiali pompa in gentilitio Sanctæ Mariæ Podonis Sacello humari appoſito tantum cœnotaphio. Hæc omnia ex Albaneſii Epiſtolis, qui ad ſe miſſum cadaver excepit, & Carolo totam ejus humandi rationem expoſuit. Idem Carolo ſcripſit mandatum ſibi ejus nomine a Carolo Vicecomite Intimilienſi Epiſcopo, *ut quod pecuniæ eſſet in magnificentius ſepulcrum numerandum, id pro Eccleſiæ illius ornatu impenderetur.*

(*c*) Exinde, teſte Cardinali Valerio in Caroli vita, ablegatis Philoſophicis, profaniſque quæſtionibus in Eruditorum congreſſu ad Evangelica dicta evolvenda animum applicuit, ut patet etiam ex iis, qui ſuperfuere, & editi ſunt, ſermonibus. Ceterum translatam tum ad divina mentem omnino, confeſſus eſt Carolus ipſe Speciano, qui hoc ſe audiviſſe a Borromeo ſæpius ſcripſit: *Federici mortem divinitus accidiſſe, ut ſtrenue valediceret caducis rebus doceretur.*

(*d*) Fornerius hoc in acta Apotheoſis retulit: *Qua nocte deceſſit Federicus, Franciſcana familia fratrem, qui in Aræ Cœli ædibus verſabatur, ſibique a confeſſionibus erat, ad ſe accire juſſit, omnique conſcientiæ labe deterſa, magnis exinde profectibus in ſanctiorem vitæ rationem totus incubuit.* Poſtmodum in Societatis Jeſu Collegio dies aliquot Sacris Meditationibus vacaſſe ſcribit Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoriæ ſuæ lib XIX. cap. IV., & iterum paulo poſt, ut in Vita S. Andreæ Avellini, dicitur ſe apud Theatinos Patres Sacerdotio initiandus recepiſſe, & piæ contemplationi operam navaſſe.

Digitized by Google

curam ſuſciperet, ac paternæ rei, quæ ob fratris obitum in ipſum tota confluxerat, illuſtri aliquo matrimonio hæredes daret. Ille enim vero, ne diutius obluctari alienis conſiliis cum offenſione aliqua cogeretur, difficultatem omnem nullo ferme negotio eluſit. Sacerdotali ſiquidem Ordine per Cardinalem Ceſium clandeſtina cæremonia initiatus, prodiit inde ad Pontificem, eique graviter objurganti, quod inconſultis omnibus inexplicabili vinculo ſeſe illigaſſet, humaniſſime reſpondit, cum ea ſe ſponſa celebraſſe nuptias, quam ſemper cariſſimam habuiſſet (*a*).

Tum denique prodiere ſanctiora illa vivendi inſtituta, quæ in fratris funere occulta ſibi meditatione præſcripſerat. Somno, & cibis parcius indulgere jam cœperat, & quidquid temporis quieti ſubduxerat ſacræ preces, & ſalutifera de rebus æternis colloquia occupabant. Pater Joannes Baptiſta Ribera fuit ex inclyta Societate Jeſu Romæ notus doctrinæ fama, & apto quodam ingenio excolendis hominum moribus, quorum videlicet innocentia ipſe præcelleret. Hunc ſibi ducem delegerat Carolus ad vitanda pericula, quibus etiam pietatis itinera obſidentur. Ille adhibitis primo meditationibus, quas Ignatius Lojola Conditor Ordinis ſui diluendis totius vitæ culpis, ſive excitandis virtutum deſideriis Divino nutu invenerat, pergebat exequi cuncta, quæ Cardinalis ſpiritum ad Sanctiſſimorum Pontificum inſtituta formarent. Quod cum ſedulo, ac peramanter ageret, accidit, ut propinquorum, aulicorumque odia, & offenſiones incurreret, quibus ille ſolitudinis amor, & inimica terrenarum opum ſtudia diſplicebant. Ita quoties in Aulam ſuſcepti officii cauſa ventitaret minacibus oculis aſpiciebatur; ſin vero annunciari adventum ſuum peteret, ludibria, & cachinni pro reſponſo erant (*b*); Sed brevi duravere fraudes, aſſignatuſque Patri aditus, per quem ad interiora ædium occultus perveniret (*c*).

CA-

(*a*) Hoc tempore ſcripſit Gluſſianus reſignatum a Carolo tit. Sancti Martini in Montibus, qui ad Diaconorum Ordinem ſpectat, & Sacerdotalem Sanctæ Praxedis ab eo aſſumptum. Neque id tanto Viro perfacile dandum videtur; habemus enim in Hierarchia Cardinalitia a Bartholomeo Platea Oblato Romæ typis edita Sacerdotali titulo inſignem eſſe Ædem Sancti Martini in Montibus; præterquamquod Pius IV. cum eum triremibus donaret appellavit in Bullato Diplomate Cardinalem Presbyterum Sancti Martini in Montibus, quo nomine eum ornat etiam Ferdinandus Electus Romanor. Imperator in literis ad eum datis Viennæ II. Maji MDLXIV., immo ſe ipſe Carolus hoc titulo inſignem vocat in ſupplici ad Avunculum dato libello nunc in Bibl. Ambroſiana. Demum ne nimius ſim, Chriſtophorus de Monte Aretinus Cardinalis Maſſilienſis tit. S. Praxedis obiit die XXIV. Septembris MDLXIV., ut habet Oldoinus, quo tempore jam Carolus conſecratus Sacerdos fuerat. Videtur itaque aſſentiendum MSS. Sanctæ Praxedis Romæ viſis etiam a laudato Bartholomæo Platea, quibus adnotatur die XXI. Novembris MDLXIV., Maſſilienſi Cardinali mortuo, Carolum ejus Templi poſſeſſionem primum iniiſſe.

(*b*) Narrat etiam Gluſſianus maligna calumniantium aulicorum voce affictum integerrimo Riberæ infandum ſcelus, irrito tamen inferorum conatu, & ſummo Caroli proventu, qui fraude comperta tantum ex egregia Viri diſciplina profecit, ut Ribera ipſe Ulyſſipone certior per Sanctum Franciſcum Borgiam de Cardinalis Sanctitate factus ad hunc XXIV. Novembris MDLXIV. ſcripſerit, *ſummopere ſe gratulari, quod adeo in via Domini profecerit*; cumque ſe eo tempore ad Indicam expeditionem accingeret Chriſto militaturus, enixe ſeipſum Caroli precibus commendaverit.

(*c*) Ad Sacerdotale itaque munus evectus eſt Carolus die Aſſumptæ Deiparæ ſacro, ut illi gratulata eſt ſcribens Corona Eliſabeth ſoror. Et Albaneſius die XVIII. Auguſti anno MDLXIII. Mediolano hæc illi refert: *Palmius orationem Dominica mox elapſa in templo maximo ad populum habuit, eoque tempore palam denuntiavit te eo die ipſo primum operaturum Sacris; quare tantus ammorum ſecutus eſt motus, ut uberrimas auditorum lacrymas elicuerit, præcipue cum in orationis æſtu perſecutus ſit tuas laudes commemorans qua ætate, quo tempore, & quanta contentione in hanc unice Sacrorum curam incumbas.* Quod vero ad ejus Epiſcopalem conſecrationem ſpectat, reperio eum VII. Idus Decembris feliciſſimo auſpicio inauguratum Antiſtitem, atque unctum, ut una dies geminum veluti nobis offerret in hac ſede colendum Ambroſium. Ad manus enim venit in Bibl. Ambroſiana ſupplex Caroli libellus pro conſecrationis munere obtinendo Avunculo oblatus, cui etiam idem ſubſcripſit; atque in ejus tergo adnotatum legi: *Die VII. menſis Decembris MDLXIII. Reverendiſſimus Jo. Antonius Cardinalis Sancti Georgii in Capella Sixti conſecravit in Epiſcopum Reverendiſſimum D. Cardinalem Borromeum ad ibitis R. D. Ptholemeo Archiepiſcopo Sipontino, & Felice Tyranno Archiepiſcopo Urbinatenſi, præſentibus ibidem Petro de Amicis Acolytho Apoſtolico &c.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

Collegium educandæ Nobilium Familiarum juventuti Ticini condendum curat.

1562. SEd nec illa erat Caroli ſanctitas, quæ contemplandi dulcedine mentem denique omnem ab exterioribus curis abriperet. Recens erat memoria Ticinenſis Academiæ, nec non juvenilis proterviæ, quæ ibi per ſtudiorum nomen exercebatur. Nam ut ægre ferebat ingenuos Adoleſcentes inopia prohiberi, quominus celebre illud Scientiarum omnium Domicilium adirent, ita ſæpe damnaverat eam divagandi licentiam, ob quam ipſorum nonnulli ad literarum ſtudia dimiſſi, plus quandoque vitiorum, quam virtutis, & gloriæ in Patriam retuliſſent. Quo igitur utrique malo conſuleret, Collegium in illa Urbe excitare jamdudum ſtatuerat, in quo Nobilium proles liberalium artium cultu ſimul gratuitis alimentis, & procul ab omni innocentiæ periculo educaretur. Nunc opes, & potentiam nactus, ac de re tota cum Pontifice collocutus, parata omnia invenit, quibus ad conſilii exitum indigeret. Latifundia, & privilegia, & immunitates in promptu fuere, & quo facilius cuncta evenirent, avitas ædes, quas hæreditario jure Ticini habebat, Collegio aſſignavit. Haud ego referam immanes ſumptum (*a*), quibus ea moles ſtetit, ne deſcribendi ſtudio tot, ac tanta ædificii decora minora veris faciam. Sacellum intra ædificii ambitum Juſtinæ Virgini, ac Martyri dicari mandavit, antiqua videlicet erga Hanc Familiæ ſuæ pietate, propterea quod Patavini Principis Vitaliani filiam fuiſſe conſtaret, ex quo nonnulli Borromeæ Gentis originem deduxere. Crevit deinde loco honos cum diſciplinæ fama, tum præſertim opera Federici Borromei, quem Patruelem ſuum confluentibus illuc ex primaria Nobilitate Alumnis ſocium ſimul (*b*), ac Præſidem dederat. Fuit enim alter hic Borromeus veluti novus Collegii Conditor, continuata nimirum poſt Caroli obitum Sodalitii cura, deſcriptiſque legibus (*c*), quæ Sixti V. auctoritate firmatæ tamdiu durarent, quamdiu honor aliquis pietati, & literis haberetur. Romam deinde evocatus Sacerdotes Oblatos ad interiorem Collegii diſciplinam adhibuit, quorum ope Collegia omnia, & Seminaria a ſe condita gubernari Carolus ipſe voluiſſet. Leges vero, quas antea deſcripſerat, ita in uſum induci curavit, ut diviſa inter Religionem, ac literas tempora, haud ſecus hodie ſerventur, quam ſerva-

(*a*) Sexaginta & amplius nummorum aureorum millibus tam magnifici operis ſtructura ſtetiſſe dicitur, primuſque ejus poſitus lapis in fundamentis ſcribitur a Peregrino de Peregrinis Architecto cum hac inſcriptione: *Carolo Cardinali Borromeo Fundatore. Anno MDLXIV. die XIX. Junii.* Octo inde menſibus jam ad XI. aureorum millia fuerant expenſa, ut ex Architecti literis. Remiſſius deinde ædificium proceſſit, nam hoc Nobilium contubernium aperuit dumtaxat anno MDLXXX., quo cum nondum eſſet exædificatum, ſuo ipſorū ære ali nobiles adoleſcentes ad aliquot annos juſſit.

(*b*) Vivente Carolo tanta fuit Federici Comitis eo in Contubernio auctoritas, ut ejus præſentia illud niti crederetur, ut Dominicus Ferrus ejus moderator teſtatur. Oblatorum curæ efformandum patruelem tradiderat Carolus præcipue, poſtquam Sextili menſe anno MDLXXX. a Cardinali Paleotto audiverat illum Bononiæ ſolicitatum fuiſſe, ut Religioſæ cuidam familiæ nomen daret. Toſuit itaque ſanctitatis, & Theologiæ tyrocinium in Ticinenſi Collegio Federicus, prælegente primum Julio Cæſare Bonhomio, poſtmodum Sodalitio Oblatorum Præpoſito, deinde ſub Dominico Ferro, ut ex eorum ad Carolum literis apud Oblatos.

(*c*) Aperto hoc contubernio aliqua Legum primordia texuerat vivens Carolus, quas ſubinde pro opportunitate dabat ejus Collegii Rectoribus, teſte Dominico Ferro, qui id ſcribit XXIV. Jul. MDLXXXIII. Concinnius deinde eas in ordinem redegit, & typis edidit ex Federici Cardinalis Borromei nutu Ludovicus Moneta anno MDLXXXVII. poſt Caroli obitum, nam Hujus vota mors præverterat. Expectabat enim ut ad ſe mitterentur hujuſmodi Collegiorum inſtituta, ſiqua extabant apud Tranſalpinos; quam in rem dederat literas ad Pontificios in Germania, Galliis, & Hiſpania Legatos, ut leges Lyceorum, quæ in iis partibus excitata eſſent, ad ſe tranſmitterent, quibus ad condendas Borromei inſtitutiones uti ſtatuerat.

Anno MDLXXIV. Collegii adminiſtrationem penes PP. Congregationis Cler. Reg. Somaſchæ ſibi cumprimis caros eſſe ſtatuerat, quos cum Sancti Majoli Ædibus donaſſet anno MDLXVI., cujus Sacerdotium Collegio ſuo fuerat ab Avunculo Pontifice attributum, inducere etiam illuc Præſides & diſciplinæ exactores religioſiſſimos meditabatur, addito etiam DCC. librarum in annos ſingulos ſtipendio, ut conſtat ex Tabulis in Archiepiſcopali Mediolani Archivo exiſtentibus, quarum Apographum egomet legi. Sed poſtmodum Oblatorum Sodalitate inſtituta ſententiam mutavit.

Digitized by Google

ſervari a ſeverioribus Cœnobitis præcepta ſuorum Ordinum ſoleant. Nec intra Inſubriam tantummodo tam ſalubris conſilii utilitas ſtetit. Exteræ quoque nationes præclariſſimos viros inde accepere, idque ex beneficentia Conditoris, qui in Alumnorum delectu diſcrimen omne inter cives, & alienigenas ſuſtuliſſet.

CAPUT VII.

Magni ſuſcepti conatus pro congregandis iterum Tridenti Concilii Patribus, atque felix, Eo adnitente, Concilii exitus.

ATque hæc erant exempla paternæ ſolicitudinis præclara quidem, & fuſius celebranda, niſi obruerentur magnitudine rerum aliarum, quibus non unam, alteramve Urbem, ſed Rempublicam univerſam ſubinde Carolus illuſtravit. Cum enim pronum ad honeſta quæque conſilia Pontificis animum inveniret, meditabatur quotidie aliquid, quo vel augeri Pontificatus majeſtas poſſet, ſive vitia tollerentur, quorum in magnis Imperiis, ut facilior occaſio eſt, ita continua remedia eſſe debent. Nec fere quiſquam dubitat, quin ipſo Authore prodierint ſaluberrimæ illæ conſtitutiones ab Onuphrio Panvinio deſcriptæ, qui Pii IV. res geſtas literis conſignavit. Aggreditur deinde longe celeberrimum opus, quo nec illuſtrius aliquid noſtra vidit ætas, & raro antiqua ſecula tulere. Serpebant in dies latius nefariæ opiniones, quas duo infenſiſſimi Catholicæ Fidei hoſtes Lutherus, & Calvinus invexerant. Multæ trans Alpes Provinciæ a priſtina Patrum religione deſciverant, atque, ut facilis ad vitia tranſitus eſt, jam ad Italiæ limina ex Helvetiorum, Rhætorumque montibus triſtis illa animorum peſtilentia pervenerat. Unicum tanto malo remedium erat convocare in unum totius Eccleſiæ Capita, quo facilius collatis ſententiis de Orthodoxæ Doctrinæ ſumma judicarent. Id vero remedium cum antea tentaſſent duo Summi Pontifices Julius, ac Paulus III., graves cauſæ intervenerant, ob quas dimitti Concilium, aut differri oporteret. Nunc Avunculo ad Pontificatum aſſumpto, ſuadendo, & orando, & pollicendo operam ipſe ſuam auctor Carolus erat, ut omni ſublata dubitatione intermiſſam tantæ rei curam reſumeret. Et cognita Pius ſalubritate conſilii advocat Cardinales, Legatoſque Principum, & de Chriſtianæ Reipublicæ calamitatibus multa præfatus Concilium indixit. Supplicationes in primis in Urbe habitæ, neque Urbini, ac Florentiæ Ducibus grave fuit confluentem ad Templa multitudinem comitari, cum Pontifex ipſe precabundum agmen nudis pedibus ſequeretur. Supremum denique publicæ religionis incitamentum fuere Apoſtolicæ Indulgentiæ dona large conceſſa iis, qui pro felici rerum eventu, & dignitate Chriſtiani nominis pias ad Deum preces effunderent. Anno a Partu Virginis ſexageſimo ſecundo poſt milleſimum quingenteſimum Tridentinum Concilium reſtituitur (*a*), cujus abſolvendi poſt tot irritos conatus ſpes fere omnis exciderat. Quinque Legati Cardinales in eam Urbem miſſi, quorum primi, mortuo Hercule Gonzaga, Joannes Morones, & Ludovicus Simonetta Mediolanenſes fuere. Borromeo negotium datum, ut rem conſiliis ſuis incœptam ſolicitudine ſua perficeret. Ita quidquid difficile, ac periculoſum incideret Legati ad ipſum per literas referebant, idque tam ſæpe fiebat, ut ne nocturnæ quidem quietis certa tempora haberet. Poſt tot, ac tanta ſtudiorum incommoda modicum ſomni capientem cubiculo Præfecti de ejus man-

(*a*) Quo facilius Patribus in Synodo congregatis ſubſidia ſuppeterent, Carolus ex Piceno, cui Legatus præerat, & ex Cremonenſi agro, interpoſitis apud Piſcarium Demarchum officiis magnam Tridentum verſus frumenti vim convehendam curaverat jam ab anno LXI. ſupra ſeſquimilleſimum, anno autem inſequenti ſcripſit ad ejus Concilii Legatos triticum Tridenti venale minori pretio proſtare, quam quo emptum a ſe fuerat; ærarii tamen Pontificii detrimentum Orbis Chriſtiani beneficio abunde penſari.

Digitized by Google

mandato excitabant, quoties Tridento Nuncius aliquis adveniret (a).

Sed enim iſta vix notari merebantur in conſpectu admirandæ vere fortitudinis, qua exorta in ipſo Concilio certamina, & ineluctabiles fere difficultates ſuſtinuit. Tumultuatum ſæpe à Patribus erat, ſæpe a Principum Oratoribus, idque tanta contentione animorum, ut nec aliquid inter tot jurgia perfici, nec jurgia ipſa placari poſſe viderentur. Graviora etiam impedimenta inſequens annus habuit, Regibus ipſis aliquorum arte in eam ſententiam adductis, ut Congreſſum dimitti haud ambigue poſtularent. Tunc enimvero Carolus adverſa conſilia disjicere, inire concordiæ rationes, confirmare Pontificis animum, precibus denique aſſiduis apud Deum contendere, ne rem ejus auſpiciis inchoatam ullis hominum artibus intercipi pateretur. Quin etiam intercedente Pontificis morbo, cum periculum occultari ad ejus commoda pertineret, Legatos Tridenti agentes ſtatim admonuit, ut diſcrimina omnia, quæ ex morbo imminebant, maturato Concilii fine præverterent. Convaluit tamen ex ea ægritudine Pontifex interpretatione hominum felix, quod occaſionem accelerandæ ſaluberrimæ rei invaletudine ſua præbuiſſet. Cum enim præcipuæ de Religionis, ac diſciplinæ ſumma quæſtiones ad liquidum redactæ jam eſſent, cenſuere Patres optimum fore, ſi indefinita minoris momenti aliqua Summo Pontifici dijudicanda relinquerentur. Ita ab Hæreticorum fallaciis vindicata tandem Catholicæ Fidei veritas, reſtituta Sacrorum majeſtas, parata denique remedia omnia, quibus ex miſerrimo priorum temporum ſtatu Reſpublica convaleſceret.

CAPUT VIII.

Habiti Concilii Decreta ejus operâ in poſterum ſtabilita: & Sanctiora in dies ejus Vitæ Inſtituta.

1564. TRidentino Conventu dimiſſo haud tamen remiſſius Romæ apud Carolum agebatur. Decreta Concilii rite vulgari oportebat, & præfiniri tempus, ultra quod inviolate ab omnibus ſervarentur. Octo ex Cardinalibus delecti, in quorum numero ipſe Carolus fuit, qui controverſias omnes, ſi quæ forte in decretorum uſu orirentur, auctoritate ſua deciderent, ne, ut ſæpe fit, interpretandi licentia irritas leges faceret (b). Verſa inde cura ad reformandos Liturgiæ ritus, diurnaſque preces, quas a Sacris hominibus quotidie recitari vetus Eccleſiæ conſuetudo poſtulat, monitique in primis Epiſcopi, ne ab Eccleſiis quiſque ſuis abeſſe diutius vellent, quo nihil pernicioſius eſſe anteacti temporis exempla docuerant. Acrius urgebat Catechiſmi Romani opus, de quo Tridentini ſanxerant Patres, ut purius explicandis Chriſtianæ Doctrinæ elementis quamprimum ederetur. Extant Caroli literæ ad Luſitaniæ Regem (c) enixe rogantes, ut veniam dare velit Franciſco Forerio, ſi forte promiſſo

(a) Fornerius eo jam tempore inter Caroli famulos adſcriptus jure juxando affirmavit: Suaviſſimis officiis ſæpe ab eo excitatum Avunculum, ut ſtrenue in tantum opus incumberet; Epiſcopos vero Lancianenſem, & Mutinenſem ex Dominicana utrumque familia tantam Caroli pro Concilio perficiendo contentionem ſæpe admiratos dictitaſſe, *imparem tot laboribus plures fore, quibus unus Borromeus eo tempore ſufficeret*. Ceterum infinitum eſſet ſingula perſequi, quæ in Caroli literis ad Concilii Legatos quatuor voluminibus comprehenſa in Bibl. Ambroſiana paſſim occurrunt, & ſingularem ejus vigilantiam commendant.

(b) Vide in Bullario Conſtitutionem editam a Pio IV. die II. Auguſti MDLXIV. Ceterum qua animi conſtantia Concilii Sanctiones tuendas ſuſciperet ex ipſo audi ad Bracarenſem Archiepiſcopum ſcribente Cal. Jul. MDLXIV. *Ego tibi polliceor, quicumque ſanctiones, & decreta Concilii Tridentini minus obſervarint, nullum perfugium in Pontificis clementia paratum eos habituros. Quare te etiam atque etiam rogo ne quid de tua conſtantia deflectas &c.*

(c) Forerium diu Romæ retentum dimittens hiſce verbis III. Non. April. MDLXV. apud Regem excuſat: *Nunc vero, cum Franciſcus Forerius Theologus ſe iſthuc recipiat, non alienum eſſe duxi inſtitutis tuis ad te literas dare, ex quibus plane perſpiceres, quam idem egregie ſit in religionis cauſa, ſtudioque verſatus. Nam Tridentino Concilio dimiſſo, ſtatim Romam venit, nec ita longo intervallo a S. D. N. ad alia munera eſt adhibitus Catholicæ Fidei rationibus valde accommodata.* Explicavit autem ſcribens

missō serius Ulysiponem reverteretur. Detineri eum Romæ Catechismi absolvendi causa, quod eum publicæ pietati maxime necessarium sit, de tam pii Regis consensu minime dubitari. Eadem fere de causa detineri Achillem Statium, quominus reditu suo Regiæ voluntati satisfaciat (*a*). Illius quippe curæ esse commissum, ut depravata Hæreticorum fraudibus Sanctorum Patrum scripta ad normam vetustissimorum Codicum emendaret. Hæc omnia Romæ per Carolum agebantur, quippe cum Pontifex nihil eorum, quæ ab ipso peterentur, abnueret (*b*).

Verum inter tot legum remedia, & Pontificias sanctiones, longe saluberrimum erat videre Cardinalem Collegii Principem ad Ecclesiasticæ vitæ instituta ita compositum, ut legum, & sanctionum omnium exemplar Ipse videretur. Cum enim apud sapientes omnes in confesso sit honesta, & recta exemplo magis, quam ratione suaderi, statutum intra se habebat, ut quæ præstari a ceteris vellet, in semetipso ante perficeret. Sed neque illæ erant virtutes Ejus, quas quilibet imitari facile posset. Honesta quamvis oblectamenta, quibus aliquando utebatur, penitus abdicarat, binæque in singulos dies horæ designabantur, quas intermissa negotiorum cura, piis cum Deo colloquiis impenderet. Tum districta in tergum flagella, & producta in longum jejunia, & nocturnæ ad præcipua Urbis Templa supplicationes, quas velut in diurni laboris solatium obire consueverat. Nec vero nocte ulla tegi fas erat spectaculum aliud, de quo multi retulere: consuevisse videlicet Ipsum, quoties Deiparæ Virginis Ædem in Esquilino vertice sitam inviseret, totam collis altitudinem flexo poplite dimetiri (*c*). Opulenta vectigalia, quo fere in loco ipsius nomine exigebantur, ibi dividi volebat (*d*) in pauperes; erga Mediolanenses eo promptior liberalitas erat, quo vehementius Pastoris, & Civis nomina urgebant.

Proximum ejusmodi studiis erat in domesticorum statum, & vitam inquirere, ex quorum honestis pravisve moribus ad dignoscenda dominorum ingenia facilis conjectura est. Laicos homines, quorum nonnullos illustribus etiam Familiis genitos in aulicorum numero habebat, pro cujusque meritis, & conditione ingentibus donis affectos (*e*) honorifice dimisit, ratus nimirum sacra omnia circa Episcopum esse

---

bens eadem die ad Cardinalem Lusitaniæ Infantem, quod Foretio demandatum munus esset in hæc verba: *Quapropter magna ex parte illius* (Forerii) *diligentia, & industria Catechismum jam habemus absolutum, præclarum opus, & luculentum, in quo pie sancteque vivendi præcepta, & documenta comprehensa fere sunt omnia. Quæ res fecit, ut eum tamdiu apud nos haberemus, quoad summ studium, & facultatem publica causæ impertiret.*

(*a*) Extant in Ambrosiana Bibl. literæ hac super re ad Cardinalem Infantem Lusitaniæ datæ prid. Cal. Maji anno MDLXV. *Literatorum hominum copia opus est, qui in veterum librorum tractatione sint multum, diuque versati, & ingenii, ac judicii laude excellant; quo in genere eminet Achilles Statius. Quapropter egi cum Ferdinando Menesio Oratore Regis diligenter, ut is tamdiu apud Nos esset, quamdiu ætas efflueret, cum præsertim ejus opera in Sancti Hieronymi libris inter se conferendis, & corrigendis mei S. D. N. vellet.* Galesinius item Perusio scribens anno MDLXV. laudat Borromei studium, quod Græcos Patres a Germanis vitiatos jusserit latine efferri denuo, & emendari ad veterum codicum fidem; atque hac de causa Florentiæ Dux jussit Carolo Bibliothecæ suæ MSS. offerti XIX. Septembris MDLXV., ut in tom. I. Epistolarum in Bibl. Ambr.

(*b*) Neque detrahenda est Borromeo Missalis, & Breviarii emendati laus, quæ licet edita ab Avunculi Successore Pontifice in lucem sint, Ipse tamen laudandi operis architectus, & administer fuit. Id ipsemet docet literis ad Cardinalem Varmiensem datis VI. Cal. Jan. MDLXV. *Catechismum habemus jam absolutum, doctissimorumque hominum ingenio, & industria elaboratum, quem nunc perpolsunt, ut cum manus extrema accesserit, opus concinnius, atque perfectius evulgetur. Missalis quoque, & Breviarii nova institutio propediem emittetur, quæ fore arbitror, ut Catholicorum hominum expectationi animoque satisfaciant.*

(*c*) Exposuit productus in quæstione testis Comes Camillus Marlianus, Cardinalem Vicecomitem, qui postmodum extinctus Romæ fuerat, ex multorum opinione idcirco in gravissimum morbum incidisse, quod in nocturni hujus itineris comes adscitus a Carolo fuisset.

(*d*) Bartholomeus Platea in laudata Hierarchia Cardinalitia de Basilica Liberiana differens narrat una die eodem in Templo centum Virginibus dotale munus quinquaginta nummos, & nuptialem vestem a Carolo dono data; neque dissentit in Tabulis Comes Georgius Trivultius, qui se pio spectaculo Romæ interfuisse pronunciavit.

(*e*) Testatus est Fornerius, eo tempore dimissos profanos homines perhonorifice omnes, ex Ecclesiasticis item viris alios item complures minus Ecclesiæ ratio-

Digitized by Google

esse debere. In eorum locum Sacerdotes adsciti pietate, & literis egregie præditi, quibus severe imperatum, ut, quomodo ipse faceret, sericis vestibus abstinerent, & quamdiu in familia esse vellent, graviter, & modeste se gererent.

Sed cum Rempublicam reformare per tot virtutum exempla contenderet, prope periculum fuit, ne spem Reipublicæ de ipso bene conceptam everteret. Sacellum in ædibus suis habebat leni clivo assurgens (*a*), dispositis circumquaque imaginibus, quæ Christi Domini vitam, resque ab eo pro salute humani generis gestas referrent. Has cum sæpe oculis, sæpius cogitatione percurreret, captum denique contemplandi dulcedine agitasse ferunt de exterioribus curis penitus deserendis, quo liberius vim omnem mentis ad pia illa meditamenta conferret. Bracarensem vero Episcopum (*b*), quem in consilium tantæ rei adhibuerat, ostendendo pericula, quæ ex eo secessu imminerent, ac præcipitem in primis Pontificis senectam, quæ ipsius auxilio maxime niteretur, ægre tandem perviciisse, ut in eo, quem susceperat, vitæ genere permaneret.

Ita confirmato ad gerendam Rempublicam animo, præter nocturnos cœtus, de quibus antea diximus, inibat assidua cum sapientissimis viris colloquia, Romanarumque arbiter rerum, & innumeris fere negotiis implicitus Dialecticæ, ac Theologiæ communes locos manu sua conscriptos sub Magistro (*c*) repetebat. Concionandi munus, quod Episcoporum proprium esse ex Tridentina Synodo acceperat, familiaribus primo ad Sacrarum Virginum Asceteria sermonibus, minoribus veluti experimentis excoluit, mox palam in frequentibus (*d*) templis eo majore plausu audiebatur a civibus, quo rarius antea Oratorem in purpura perorantem aspexerant. Quæ cum ille Divino Spiritu ageret, haud tamen effugit invidiam aliquorum, quibus solemne est virtutes eas, quas imitari facile nequeunt, maligne criminari. Dictitabant in vulgus tantam illam in religionis cultu solicitudinem prope ad insaniam accedere, aut certe falsam apud credulos gloriam per inania illa pietatis simulacra captari. Sed veræ virtutes clarius fulgent, quam ut obscurari calumniis hominum possint. Itaque in incœpto constantissime perseverans quamplures eorum, qui propius inspicere in Ejus vitam potuere, non modo in admirationem sui, verumetiam ad imitationem adduxit. Gravi deinde morbo correptus, etsi ex hujus mortalis vitæ angustiis exolvi vehementissime cuperet, Divino tamen auxilio servatus est, ne tot futura Ecclesiæ decora in Ejus obitu interirent.

Et primum quidem receptæ valetudinis

---

rationibus idoneos, alios tamen CC., CCC. alios, aliquot etiam D. Scutis donatos adeo, ut centum admodum famuli ejus servituti addicti exinde solum numerarentur, cum longe majorem numerum antea haberet.

(*a*) *Tum etiam*, idem Fornerius scripsit, *egomet Cardinalem vidi in secreto domus sacello Ejus jussu supra cubiculum extructo sæpe procumbentem in genua ante quasdam icunculas, quæ Christi in Horto orantis speciem referebant: Ibi pluries Divina contemplantem admiratus sum, & voluntaria se flagellatione plectentem; atque humi abjecta flagella manibus ipse contrectavi.*

(*b*) Quantum tanti Viri sanctitati deferret, patet ex Caroli ipsius Epistola ad eum scripta III. Non. Aprilis MDLXV.: *Nam quid dicam de me, cui in conspectu pene animi semper ades, & propter excellentem in omni genere virtutis laudem unus es ad imitandum propositus &c.* Ceterum consilium hoc Caroli turbavit potissimum Pontifex; cum enim, adstante Cardinali Mediceo, rogatus a Borromeo esset, ut Camaldulim sibi petere liceret, respondit: *nimium hoc consilium Ecclesiæ universæ obfuturum, atque præstare Illum potius Romæ omnibus, quam apud Camaldulenses uni sibi vacare.* Hæc in tabulis pro Apotheosi curanda.

(*c*) Hieronymo nimirum Vielmio Dominicani Ordinis literis, & eruditione percelebri. De hoc vide Eccardum agentem de Scriptoribus ejusdem Ordinis.

(*d*) Platea in libro citato scribit, die XXI. Julii MDLXV. Carolum in Sanctæ Praxedis templo publicam de decem Virginibus orationem habuisse coram ingenti Cardinalium, ac Præsulum multitudine, neque sine maxima populi admiratione; mihique inter Ejus Epistolas occurrit laus ab Avunculo Pontifice Ipsi tributa. Alias item orationes Romæ habuit, quarum aliquot extant autographa in Bibl. Ambrosiana, ut concionis habitæ feria V. in Cœna Domini ad domesticos anno MDLXV., quo etiam anno mense Sextili elegantissimum sermonem ad Populum habuit in Basilica Liberiana, data opportunitate precum publicarum, quas Pius Pontifex indixerat, cum summis viribus Melita a Turcis oppugnaretur.

Digitized by Google

dinis fructum Romana Templa ſenſere, quorum multa ex ſqualore vetuſtatis, injuriiſque temporum meliorem in formam revocavit. S. Martini delubro lacunar impoſitum, ad S. Praxedis (*a*), quam Ædem in titulum habuit, renovata tecta, cellæque Monachorum, & ſacra Lipſana decentius condita, Deiparæ odæum in Eſquilino poſitum non ædificiis modo, verumetiam Canonicorum numero auctum, in quorum ſcilicet Collegio principem locum Ipſe obtineret. Fanum etiam, quod Sanctæ Marthæ dicatum Virgines colunt, Ejus ſtudio, & ſumptibus ſtetit; & cum hæc omnia ære ſuo peregiſſet, auctor Pontifici fuit, ut Diocletianas thermas addito Carthuſianorum Cœnobio in templum verteret, tolleretque veſtigia inſanæ magnificentiæ, quæ memoriam infenſiſſimi Cæſaris Chriſtianorum obtutibus renovarent. Ea cum omnium gratulatione fierent, inceſſit ſubinde ceteros Cardinales, alioſque Romanæ aulæ præcipuos æmulatio, aut pudor, ut ſacras ædes, quibus aliquo titulo addicti eſſent, ornare ultro, aut reficere conarentur. Inſederat etiam fortaſſe animis pia quædam ambitio imitandi exempla clariſſimi Viri, quem a ſummis totius Europæ Principibus coli, ornarique viderent. Sane Philippus II. Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, poſtea quam ei Principatum Auritanum Federici fratris Ejus interitu vacuum contulerat, ſua inſuper auctoritate curavit, ut ex Toletanæ Eccleſiæ proventibus novem millia nummûm annuæ penſionis nomine (*b*) Carolo ſolverentur.

CAPUT IX.

Romæ degens multa ad Mediolanenſis Eccleſiæ decora, vel retinenda, vel augenda, obtinet: & abſens licet, egregie per Vicarios Provinciam adminiſtrat.

AT neque regia dona, neque Principum favor, neque Populi acclamationes lenire Cardinalis animum poterant, quoties de Mediolanenſi Eccleſia cogitaret. Angebatur deſiderio adeundæ Metropolis, quam & teneri invicem deſiderio ſui, & adventu indigere intellexerat. Sed diſcedendi veniam impetrare tam difficile erat, quantum Pontifex & ſe ipſum ſororis filio, & terrarum Orbis regimen tanto auxilio privari ægre ferret. Itaque omnem curam in eo poſuerat, ut Mediolanenſis Populus, quamquam corpore abeſſet, præſentem tamen amorem ejus beneficiorum largitate ſentiret (*c*). Extant in Cu-

(*a*) Quid Borromeus in Sanctæ Praxedis ædibus ac templo farciendum juſſerit, deſcribit ſæpe laudatus Platea ex MSS. ejus Cœnobii. Ceterum reperio inter Epiſtolas Sancti Sepulcri ſuppeditata pluribus religioſis Familiis Romæ menſtrua pecuniarum ſubſidia, quæ deinde, urgentibus maximis Eccleſiæ Mediolanenſis curis, minuenda in poſterum cum familiares ſui ſuaderent, ſcripſit ad Specianum, ut hac ſuper re Philippum Nerium, & Ormanetum, quibus plurimum deferebat, conſuleret.

(*b*) Diploma hoc Regium ab Hiſpania miſſum ſcribit Daneus XVII. Septembris MDLXII., licet Pontificis approbantis Bullatas literas oblatas Archiepiſcopo Toletano legam dumtaxat XIII. Maji MDLXIV.

(*c*) Infinita extitere Caroli in nos beneficentiæ, dum Romæ adhuc verſaretur, indicia; aliqua tamen ingrato ſilentio non videntur prætereunda. Ejus nimirum curæ debemus erectum magnificentiſſimum Juriſconſultorum Palatinorum Equitum Collegium; legi enim poſſunt in Bibl. Ambroſiana literæ ad Eum Urbis hujus Moderatorum nomine conſcriptæ XIII. Cal. Sept. MDLXI., quibus immortales pro tanto beneficio gratiæ Illi aguntur, itemque nova ad ædium ornamentum ſubſidia poſtulantur. Aliæ item extant, quibus optimos Patricios Alciatum, & Craſſum Borromei officio Purpura Romana ornatos gratulantur Urbis Præfecti X. April. MDLXV. Robertus Vicarius ſcripſit III. Septembris MDLXI. apparatus ingentes, & Civium plauſus pro Æneo Tabernaculo Maximi Templi aræ imponendo Caroli præcipue cura huic Urbi donato. Urbis Præfectus ſuis, & Aſſeſſorum verbis VII. Junii MDLXIII. gratias agit, quod memoriam turpiſſimam veteris pœnæ deleverit, qua cogebantur quotannis die Sancto Benedicto Sacra Sancti Ambroſii templum adire, atque anathematis in urbem pronunciati audire ſententiam; quod in uſu antehac fuerat, ut ex Mediolanenſi hiſtoria. Ædes Collegii Metropolitani ex Peregrini architecti norma excitari juſſit menſe Majo MDLXIV. Quod ſi ſuam abſentis munificentiam perſequi velim, nimius ſim. Neque enim vacat commemorare veſtes Sacerdotibus egenis attributas ex Ormaneti Epiſtolis, aut annonam Aronenſibus, & Virginum Collegiis ſuppeditatam in hebdomadas ſingulas, aut æs dotale inopibus Virginibus Aronæ, Angleriæque expenſum, ut ex literis Albonenſii. Placet geminum dumtaxat liberalitatis exemplum ex Guidi Borromei, & Albonenſii ſcri-

Digitized by Google

Curiæ noſtræ tabulariis plenæ paternæ ſolicitudinis literæ, quibus Vicarium ſuum (*a*) monebat, ut in officium ſibi commiſſum ſtrenue incumberet, ſeque de ſingulis Eccleſiæ neceſſitatibus certiorem faceret. Miſſus deinde Hieronymus Ferragata (*b*), qui in Provinciæ ſtatum propius inſpiceret, initium aliquod ſalutis Civitati afferre viſus eſt, confirmatis præſertim ſalutari Oleo pleriſque Civium, cujus Sacramenti non uſus modo, ſed memoria fere ipſa interciderat. Mox luſtrata Urbe, & peragrata Diœceſi deteriora omnia invenit, quam ut officiis ſuis ſanari poſſe crederet. Qua de re admonitus Archiepiſcopus validiora remedia quotidie excogitabat adhibitis in conſilium Gabriele Paleoto, & Auguſtino Valerio, quorum uterque Romanæ Purpuræ honore poſtea inſignitus eſt, & ille quidem Bononienſem Eccleſiam, hic (*c*) Veronenſem ſumma cum laude adminiſtravit. Tantorum hominum conſenſu optimum factu Carolus judicavit, ſi Diœceſanam Synodum Mediolani celebraret, de qua Tridenti lata lex erat, ut ſingulis annis in unaquaque Provincia haberetur. Poſſe ita reſtitui Cleri diſciplinam, & Sacerdotibus ſuis reverentiam inſinuari erga Concilii decreta crediderat, quibus omnium primus Ipſe paruiſſet. Hujus conſilii ſumma erat invenire hominem, qui in eo conventu abſentis Archiepiſcopi vices cum dignitate ſuſtineret. Vivebat eo tempore Nicolaus Ormanetus humani, divinique juris peritiſſimus, qui & Matthæo Giberto Vicariam in Veronenſi Epiſcopatu operam præſtiterat, & Reginaldum Polum notiſſimi nominis Cardinalem in Angliam aſſectatus in reformandis ejus Regni ſtudiis eximium probitatis, ac ſapientiæ ſpecimen dederat. Nunc a Tridentino Concilio reverſus quietam in obſcura parœcia vitam agebat, contemptu claritatis illuſtrior, & majore parta per latendi deſiderium celebritate. Hunc, impetrata ab Veronenſi Antiſtite facultate, Carolus Romam accerſit, ac multa cum eo ſecretis, repetitiſque congreſſibus collocutus Præſidem illum, ac Vicarium ſuum Mediolanenſi Synodo deſtinabat. Præmiſerat interim Benedictum Palmium (*d*), alioſque e Societate Jeſu lectiſſimos Sacerdotes, qui Divini Verbi prædicatione ad ſanctioris vitæ inſtituta Civium animos præpararent. Venere cum literis ad Senatum, & Sinueſſæ Ducem Provinciæ Gubernatorem, quos Summus Pontifex enixe rogabat, ut benigne adeſſe Patribus vellent, illoſque pro ea, qua pollebant, auctoritate tuerentur. Humaniter excepti ad

S.

ſcriptis depromere, quorum ille VI. Novembris MDLXI. teſtatur univerſum tritici reditum, qui S. Antiſtiti ex ampliſſimis Coranæ fundis eo anno obvenerat, in miſerorum ſolatium diviſum; alter exponit XXX. Aug. MDLXIV. mandatum ſibi, ut panis modium quotidie in pauperes diſtribuat.

(*a*) Is Antonius Robertus fuit, cujus opera in urbe quinquennium uſus eſt; namque illum Carolus legavit ad poſſeſſionem ineundam menſe Majo MDLX., ut vidimus, neque dimiſit, niſi ſubſtituto Ormaneto ad Cal. Quintil. MDLXV.

(*b*) Ante Ferragatam jam anno MDLX. huc venerat Suffraganei nomine inſignis Sebaſtianus Donatus Bobienſis Epiſcopus, qui deinde ex Comitis Jo. Baptiſtæ Rainoldi Epiſtola XIII. Decembris MDLXI. apoplexia correptus Mediolani occubuit, cum vixdum Diœceſim luſtrare aggreſſus eſſet. Hoc mortuo, huc venit Ferragata, qui pro abſente Cardinali Alexandrino Montis Regalis tum Epiſcopo ejus Urbis ſacra jura adminiſtrabat. Eodem, quo Donatus, titulo auctus Mediolanum ingreſſus eſt XXIII. Aprilis MDLXII., ut ex Roberti Epiſtolis. Erat Ferragata tum Virenſis Epiſcopus, atque Auguſtiniani Ordinis clarum ornamentum & aliquibus poſt annis fuit collocatus in Auguſtæ Prætoriæ Sede. Poſt Ferragatam alterum Suffraganei nomine huc miſſum lego menſe Januario MDLXV., Thomam nimirum Galdivillium Epiſcopum Aſaphenſem in Walliæ partibus, cui ſuppeditata comperio ex Caroli nutu ſplendide omnia ad Pontificale munus obeundum ſubſidia. Hunc certum eſt Carolo Urbem ingredienti adfuiſſe, & poſtmodum petita miſſione Romam reverſum in Theatinorum Collegium, unde huc fuerat dimiſſus, ſe recepiſſe. Hæc ex pluribus Epiſtolis apud Oblatos.

(*c*) Hanc inſulam, favente Carolo, obtinuit Valerius a Cardinali Navagerio, & ipſemet agens gratias ſignificavit obtentam XXV. Maji anni MDLXV. Eodem autem anno XVII. Martii ſcripſerat, ſuadenti Borromeo ut indulgeret, ſe inauguratum Sacerdotem.

(*d*) Mediolanum venit Benedictus Palmius ſociis eum geminis comitantibus die XXIV. Junii MDLXIII., ut Albonefius eo anno, & eodem exeunte menſe ad Carolum ſcripſit. Ineunte Julio ejus vox & oratio e Metropolitano ſuggeſtu ingenti cum populi plauſu audita eſt, præſente Sinueſſano Duce, Veſpaſiano Gonzaga, & Senatorio Ordine univerſo. Summa fuit eo tempore bonorum omnium gratulatio de egregii viri expeditione, ut Rainoldus, & Gabrius Caſatus ex primario Nobilitatis flore Patricii Carolo per literas eodem anno teſtati ſunt.

Digitized by Google

S. Viti intra Ticinenſis Portæ confinia (*a*) conſedere. Superveniens deinde Ormanetus (*b*), cum deformia cuncta, & obſita difficultatibus inveniſſet, animo pene conciderat, niſi quod dociles Mediolanenſium (*c*) animi, & prona ad honeſtum ingenia ſpem fecerant, poſſe aliquando tolli vitia, quæ nonniſi perturbatione temporum, & Præſulum negligentia inoleverant. Acceſſerant ad ſpem confirmandam allatæ nuper ex Hiſpaniis literæ ſcriptum ita habentes: velle Regem, ut in omnibus ditionis ſuæ Provinciis Tridentini Concilii Decreta ſervarentur. Et Gubernator quidem, cum ad arcendam annonæ caritatem multa promulgaret, nullam de ſacris hominibus mentionem injecerat, ne Archiepiſcopi jura invadere videretur. Ob hæc erecto pauliſper animo Ormanetus Synodum indixit præfatus multa erudite, & graviter de dignitate Sacrarum rerum, quæ Palmius ipſe luculenta oratione confirmavit. Mille ducenti Sacerdotes aderant, quos & Catholicæ Fidei capita rite profiteri juſſit, & ſervare impoſterum omnia, quæ Tridentini Patres de Sacerdotalis vitæ officiis edidiſſent. Eadem ſedulitate nonnulla, quæ in Sacrarum Virginum (*d*) ædes præter inſtitutum obrepſerant, emendavit, & rudimenta quædam Seminarii (*e*) conſtituit, in quo delecti adoleſcentes Cardinalis ſumptu educarentur. Et quamquam multa in Urbe, alia in Diœceſi ſancte, & utiliter peregiſſet, ſcripſit denique ad Archiepiſcopum non tantum ſibi artis, & virium eſſe, ut mederi

(*a*) Multa ante ſtabilitam hanc Ædem pro compaſſando commodiore Patribus Societatis contubernio tentata a Carolo, ejuſque Adminiſtris fuere, ſed irrito conatu; contranitentibus veluti Inferis, ut ſalubertimam hanc Societatem urbis luce, atque benevolentia fraudarent. Aliquot primum menſes, commoratus Palmius cum ſociis in Archipræſulis ædibus fuerat, omni ex Caroli mandato liberaliter ſuppeditato in cibum, & veſtes ſumptu. P. Sacchinus ſcripſit Palmium Sacris primum operatum in S. Marthæ Æde audiviſſe ab ejus Monaſterii Antiſtita, nunciatum hunc Patrum Societatis adventum divinitus Archangelæ Panicarolæ, antequam S. Ignatius ejus Ordinis fundamenta jaceret. Inſtante itaque Cæſaris Gonzagæ adventu inde omnes tranſmigravere in Scalenſis Præpoſiti ædes, procurantibus Albonefio, & Raynoldo, qui ibidem menſtruo XVIII. ſcutorum ſubſidio alendos eos ex Caroli reditibus ſuſceperunt. Ibi facultas Palmio Miſſam Romano ritu celebrandi a Carolo obtenta eſt, ſed ab illo repudiata ea de cauſa, *ne Ambroſianis ritibus, & loco ulla viderentur labes impoſi*. Interim Sinveſſano Deæe urgente rogati ſunt Franciſcanæ familiæ ad S. Angelum Fratres, ut uſum Palmio concederent Templi S. Mariæ *del Giardino* infelici tamen exitu. Arridebat maxime Palmio S. Antonii Ædes, quam commendatam ſibi poſſidebat Præſul Marſilius Landrianus. Sed Hæc tergiverſatus diu ſpem poſtremo omnem eluſit. S. Sepulcri Domus, cum miniſteriis ſervorum, qui in Sanctæ Coronæ contubernio erant, neceſſaria videretur, impetrari non potuit. Carugatenſes Ædes Primicerius Mediolanenſis Eccleſiæ, interpoſitis precibus, & lacrymis, in tam religioſum uſum cedere non eſt paſſus. Xenodochium in Brolio, licet ære ſuo Carolus emendum poſtularet, nullo aptiori invento domicilio, in quod ægroti deportarentur, ægris iterum eſt ſervatum. Sancti Stephani Templo Canonicorum jamdiu ibi reſidens Collegium noluit privari. Quare poſtquam Septembri ineunte anni MDLXIV. triginta alii ejuſdem Societatis huc a Carolo miſſi advenerant, qui in Pecchiorum, & Alamanorum domo, nec non apud S. Barnabæ Patres aliquandiu manſere, Lucii Cavenagi Ædes ad Ticinenſem Portam annua pecunia conduci, in quas omnes recepti proximi Templi S. Vito Sacri commodo fruerentur. Huc immigrarunt Id. Decembris anno MDLXIV. Ibi eminuit adhuc Sancti Præſulis munificentia, cum ſupellectili illos ſacra cujuſcumque generis ornaverit, libriſque inſuper præter annuum DC. Scutorum ſubſidium ære ſuo abunde inſtruxerit. Hæc decerpſimus ex Caroli Vicecomitis Epiſcopi Intimilienſis, Albonefii, Benedicti Palmii, aliorumque Epiſtolis apud Oblatos Sancti Sepulcri.

(*b*) Hic ad Cal. Quintil. MDLXIV. Mediolani Vicariam Caroli Provinciam ſuſcepit, Roberto dimiſſo, ex Albonefii Epiſtola. Qua autem animi conſtantia ille eſſet docet idem Albonefius, qui ad Carolum ſcripſit *non potuiſſe opportuniorem tot venenatis vulneribus medicinam, quam Ormanetum afferri*; imo ipſe docuit Ormanetus, qui cum oblatam ſibi ab Albonefio Epiſtolam nullo certo auctore conſcriptam, & minarum plenam impavide legiſſet, audiretque plura ſibi ab eo ad corporis præſidium offerri, reſpondit *ſe pro Deo laborantem non alio, quam divino auxilio indigere*.

(*c*) Hanc civibus noſtris laudem fuſe tribuerat antea Benedictus Palmius, qui ad Carolum ſcribens affirmavit *ſummopere ſe propenſis in Religionem Mediolanenſium ſtudiis recreari*.

(*d*) Adminiſtro in hac Provincia uſus eſt Ormanetus Alberto Lino item Veronenſi, qui, abſente Carolo, ſalubriorem diſciplinam in Virginum aſceteria inverit, in quibus multa a religione, & inſtitutis abhorrentia compererat, ut ipſemet ſcripſit. Plura hic item toleravit adverſa pro inducendo Clathrorum uſu in atriis ad Virginum cum exteris colloquium deſtinatis. Dedit hunc ſtrenuum certe virum Cardinali Navagerius, ut idem ſcripſit menſe Aprili anno MDLXV.

(*e*) Laudat hujuſmodi ſtudium Carolus datis ad eum literis VII. Jul. MDLXV. Etenim ille cum aperiri Seminarium ad Ticinenſem portam curaſſet, ædificari interim ſtrenue Sancti Joannis Ædes ad Orientalem juſſerat; quamobrem Humiliatos in Sancti Spiritus Ædes transferre decreverat, ut ex Caroli Epiſtola XXVIII. Jul. ejuſdem anni.

Digitized by Google

deri tot hujus Provinciæ calamitatibus poſſet (*a*).

CAPUT X.

Venia ab Avunculo tandem impetrata, Mediolanum feſtinat, & plurima in Romanæ Sedis, ac Ditionis commodum in ipſo itinere ſalubriter firmat.

1565. HIs Ormaneti literis, & ſæpe repetendo, quæ de Ambroſianæ Eccleſiæ neceſſitatibus quotidie nunciabantur, pervicit tandem Carolus, ut ſibi ad aliquod temporis ſpatium Metropolis inviſendæ poteſtas fieret (*b*). Abeuntem inſtruxit Pontifex quantacumque auctoritate (*c*) in omni Italiæ parte, & paſtoralibus miniſteriis indigeret. Delecti, quos ſecum duceret, ex Romanæ Sapientiæ flore Scipio Lancellotus, qui poſtea Cardinalis fuit, Jo. Baptiſta Caſtellus, & Michael Tomaſius nata juri dicundo capita, & digna infulis, quas deinde geſſere. Hos politioris literaturæ alii ſequebantur Silvius Antonianus, Jo. Baptiſta Amalthæus, Julius Poggianus, quorum opera uteretur, pro ut occaſio, & cujuſque ingenium ferret (*d*). Cum eo comitatu iter ingreſſus Urbi

(*a*) Operæ pretium eſt audire, quid miſſionem petenti Ormaneto Carolus reſcripſerit, ex Epiſtola ad eum data Prid. Non. Aug. MDLXV. *Quam alte animarum cura menti infixa hæreat tuæ, cum alias probe intellexi, tum apprime ex eo novi, quod diu, noctuque in hanc incumbas; nec ullus tibi vigilantiæ finis ſit, licet abſolutæ numeris omnibus tuæ ſolertiæ videatur. Nimirum quæ egeris non conſideras, cum animum ſemper ad ea, quæ agenda ſuperſunt, adjicias. Hinc imparem te concreditæ Provinciæ profiteris, quod mihi modeſtiæ tuæ cum eximia prudentia conjunctæ indicium eſt probatiſſimum. Non ego diffitear Paſtorale munus ex Patrum ſententia omnis eſſe Angelicis humeris formidandum (quis enim eſt, qui impoſitum ferre humanis viribus poſſit?); Verumtamen nihil Deus oneris gravius imponit, quam ut vires tolerare noſtræ valeant, quas impares licet Ille auxilio ſuſtentat ſuo. Etenim cum noſtri fiducia freti cuicumque nos oneri ſubjicimus, hujus magnitudine oppreſſi ocyus tentamus excutere, atque ea perficere neglegimus, quibus ab Eo corroborati pares certe eſſemus. Quare conatus omnes noſtros exeramus neceſſe eſt una Dei auxiliantis ſpe recreati, quem nobis in tempore affore, imo adeſſe certo ſcimus. Hinc gratiæ nobis primum pro adjuncta jam ope agendæ ſunt Deo, deinde preces admovendæ, ut nos iis, quibus hactenus fovit, præſidiis adjuvare in poſterum non deſinat. Ejo itaque conſtantiæ, animi, & fiduciæ plenus pro virili cæptum opus urge, Deuſque tibi diffidentem corroborabit firmius, teque adjutore utetur ad earum animarum ſalutem curandam, ad quarum tutelam te ſingulari ſuo afflatu compulit. Abſit omnis timoris nota; ſed divinæ acquieſcens voluntati Deum auctorem, atque adminiſtrum intuere in moleſta hac gregis mei, imo tui cuſtodia &c.* Neque felici exitu caruit efficax Epiſtola, cum, non niſi reverſo ab Romanis comitiis Carolo, inſequente anno dumtaxat ſe Magiſtratu hoc Ormanetus abdicaverit ad modicum tempus, pollicitus mox ſe redituram; quamquam Romam evocatum deinde a Pontifice Carolus ipſe illuc juſſit contendere.

(*b*) Jam anno ſuperiore ſtatuerat in Sponſæ amplexus convolare, & adminiſtrationis ſuæ auſpicia capere per Provinciale Concilium. Juvat rem totam intelligere ex Epiſtola Hieronymi Vidæ tum Albenſis Epiſcopi data IV. Cal. Quintiles anno MDLXIV. *Acceperam literas tuas Ampliſſime Pater, ac Domine Illuſtriſſime, quibus mihi ſignificabas decreviſſe Te ad præſcriptum Concilii Tridentini Nonis Auguſti in Provincia Conventum agere, quo ego etiam, ſicut meæ quoque ſunt partes, cum ceteris Provinciæ ipſius Epiſcopis tempore convenire poſſem ..... Cum verò Alba jam me moviſſem, Cremonam iter arripiens, ut tibi in Provinciam adventi expeditius, longiuſque occurrerem, allatæ mihi fuerunt alia literæ primis perquam oppido contrariæ, quibus me certiorem facis, Pont. Max. qui prius profectioni tuæ non gravate ſubſcripſerat, mutato mox conſilio te ad illud iter paratiſſimum quaſi e medio curſu revocaſſe, credo, ut Romæ ſecum habeat, quicum in ſumma re adminiſtranda majuſculas curas, laboreſque paulo graviores partiri poſſit &c.*

(*c*) Vercellenſis Cardinalis gratulatus delatam hanc Carolo dignitatem ſcripſit, eo tempore poteſtatem illi factam *Regularium quoque jus quodcumque antiquandi, atque Legationis Diploma formulis iis omnibus conceptum, quas Romani Notarii exponere poſſent, aut volirt.* Extat ejus apographum in Bibl. Ambroſiana, datumque eſt XVI. Cal. Septembris MDLXV. Tanta autem fuit Caroli moderatio, ut nomine vix Legati, non autem uſus fuerit poteſtate, ut ipſe ad Ormanetum ſcripſit. Cum vero Bonhomius rogaſſet, ut pro Veneto quodam jus ſibi tribueret ſuum, reſpondit die II. Octobris MDLXV. per literas: *Se eo jure ornari voluiſſe in Diœceſis, & Provinciæ commodum, neque mitius interpretari Diplomatis verba velle, cujus ſenſum voluntate ſua contraxerat, licet formulæ latius extenderentur.*

(*d*) Audi quid de hoc Borromeus ipſe ad Ormanetum XVIII. Auguſti MDLXV. fuſe ſcripſerit: *Subit animum ea cogitatio, permultos Theologicis quæſtionibus, & jure cum primis eruditos in Synodo habenda permiles fore; quare ſtatui hujuſmodi viris abunde inſtructus iſthuc venire. Præter Palmium, qui me præcedet, curabo ut P. Salmeron mihi comes detur, atque mens eſt ex Dominicana familia alterum, & fortaſſe P. Lucatellum accenſere. Veniet P. D. Baſilius ex Canonicis Lateranenſibus in dicendo efficax, & populari oratione commendatus. Quare neque diſputationum refrigeſcet ardor, neque ſolido cibo adſtantes carebunt, cum evangelica prædicatione reſici populum pervelim. Ex juris-conſultis Scipio Lancellotus, & Caſtellus in Tridentino Concilio valde probati aderunt, atque ad recondita evolvenda Thomaſii, & Cæſaris Coſtæ ingenio uar. Si quis tibi notior, quam mihi occurrat, cujus opera videa-*

Digitized by Google

Urbi noſtræ appropinquabat ancipiti curſu inter morandi, feſtinandique deſiderium, quippe, cum inde viſendæ Patriæ cupiditas urgeret, hinc Templa religione populorum, aut Sanctorum reliquiis inclyta retinerent. Triduum Bononiæ ſubſtitit Reipublicæ cauſa, Nonantulæ item, cujus loci Abbas erat, paulum moratus nonnulla ad Canonicorum diſciplinam pertinentia conſtituit (*a*). Multa etiam de Epiſcoporum moribus occaſione itineris perquirebat, de quibus ſubinde ad Summum Pontificem ſcriberet. Ormanetum interim de adventu ſuo per literas admonuerat, juſſeratque parare neceſſaria Provinciali Concilio, a quo Pontificatus ſui initia auſpicari decreverat. Mandatum in primis, ne in Palatii apparatu inditium aliquod luxuriæ cerneretur, patinæ ferendis dapibus ex argilla eſſent, cubicula excipiendis Epiſcopis ita inſtrueret, ut neque nitori quidquam, neque modeſtiæ deeſſet.

CAPUT XI.

Solemni ritu Urbem Mediolanenſem ingreditur: & coacto Epiſcoporum Cœtu, primum Provinciale Concilium celebrat.

ANno ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſexto videlicet poſtquam hinc diſceſſerat anno, Carolus Borromeus inter obſequia Principum,

---

mur indigere, liberum tibi erit indicare, mihi autem pergratum. Revera extant literæ, quibus Cardinalem Conſianum rogat, ut Baſilium ad ſe mittat, itemque alias, quibus ad ſe Caſtellum accerſit, deſignato utrique ad viaticum ſtipendio. Tantus celeberrimorum hominum delectus adeo Ormaneto deinde placuit, ut reſponderit: *nullum ſuccurrere, qui aggregaris tot Patribus poſſet, cum nemo hos ſapientia antecellere, aut æquare videretur.*

(*a*) Ne quid lectorem ſubterfugiat juvat hoc ex Borromei Epiſtolis iter exponere. Florentiam itaque profectus perhonorifice ab eo Duce exceptus eſt, qui etiam hoc nomine gratias Pontifici habuit, & ſcripſit ſe Caroli virtutem admiratum. Apenninum inde tranſgreſſus, ad Mantuanum Cardinalem Bononia XV. Septembris hæc ſcripſit Carolus: *Feſtinati hujus itineris exercitatio robur mihi quodammodo adjunxit, majuſque attulit gaudium, quam ut dici poſſit. Non equitandi labor, non viarum aſperitas, non montium horror fatigare me, vedum opprimere potuerunt. Infiniti ad me concurſus facti; ubique exceptus ſum planſu perhonorifico, ſed mihi permoleſto, cum ſæpe tam ampla, & ſplendida animus faſtidiat. Bononienſium me benevolentia ſibi ſummopere devinxit intuentem, quo ſtudio, ac fide Summi Pontificis nomen proſequantur. Ne pluribus, omnia mihi hactenus expectatione cumulatiora. Propitius adſit Deus, & reliquum viæ ſpatium pari exitu fortunet. Certe Mediolanum profectus contendam, ut quod mearum eſt partium, impleam, & Urbi meæ, cujus viſendæ cupiditate inflammor, ea deferam omnia, quæ ejus filius Divinitus illi datus Pater cumulate præſtare poſſit. Ibi ſin minus tantum onus ſuſtinere potero recte Provinciam adminiſtraus meam, quam ſingulari mihi providentia Deus amantiſſimus Pater, & aliquando juſtiſſimus futurus Judex demandavit, conabor ſaltem, ut in me recte adminiſtrandi voluntas non deſideretur. Hæc tibi ſincere aperui, ut unum aliquod ex tot, quibus Deo obſtrictus teneor, nominibus grato ſaltem animo diſſolvam.* Hæc Mantuano Cardinali, Altempſio vero ſcribens XII. Septembris narraverat ſe Bononiam ingredientem a Cardinalibus Craſſo, & Sancti Syxti honoris cauſa deductum. Quid deinde Bononienſi in Urbe egerit, ad Pontificem ſcripſit Parma die XVIII. Septembris: *Bononiæ plura ſanxi ſuper publico regimine, & impenſis moderandis, finibuſque cum Etruria ſtatuendis. Mirandulanus Comes ea me in Urbe convenit. Ibidem Mantuanus, & Corrigienſis Cardinales mecum fuere, quorum hic Parmam me uſque deduxit, atque in ejus dicione noctem unam hoſpitatus ſum. Bononiæ Academia mihi miraculi inſtar fuit, cum nunc ceteras Italiæ antecellat, quæ antea inter poſtremas habebatur. Ferrariæ Dux cum Ateſtino Cardinali me Mutinæ excepit: Multa cum eo compoſita de libertate Eccleſiæ retinenda, de comprimendis Bononiæ, & Romandiolæ exulibus, de ſale tranſvehendo &c. Diem unum Nonantulæ fui, ubi Craſſum Cardinalem Sacerdotem inauguravi.* Reliquum tandem viæ exponit Cardinali Novocomenſi ex ſuburbano Claræ-vallis Monaſterio die XXII. ejuſdem menſis ſcribens: *Die XVIII. noctu ingreſſus ſum Parmam antea a Duce ad fines exceptus. Belgica urgens expeditio impedimento fuit, quominus me Placentiam uſque deduceret; ſed ejus loco deſtinatus eſt Paulus Vitellius, qui hoc mihi officium deferret. Parmam inter Placentiamque geminos Præſules a Clero Mediolanenſi, geminos deinde alios a Metropolitano Collegio, quatuor a Juriſconſultis Equitibus ad me legatos obvios habui, privatos multos, equiteſque ut omittam, quorum alii identidem properanti ſuperveniebant. Placentiæ cum Comite Jo. Baptiſta Borromeo hoſpitatus Cardinalis Tranenſis diſſidium compoſui, eumque adduxi in hanc ſententiam, ut in futuro Mediolani Concilio ſe aſſore pollicereture. Ad Padum occurrêre mihi ſeptem ex primaria nobilitate Patritii Civitatis univerſo nomine delecti, ceteris omiſſis, quos privatus ad me compulit favor. Hinc Mediolanum appropinquans continens ferme cujuſcumque ordinis Civium agmen offendi. Marignani ab Arragoniæ Cardinali exceptus ſum, ejuſque fratre. Die demum XXII. ſub veſperum ad Claræ-vallis Cœnobium tertio ab urbe lapide ſubſtiti. Hac nocte ineunte privato ritu, & paucis adhibitis in via ſocius huc Provinciæ Gubernator venit, & candide fateor me admodum ejus humanitate obſtrictum, & conſuetudine delectatum.* Neque hic præteribo teſtimonium Philippi II. Regis prudentiſſimi rerum æſtimatoris, qui ex Suburbano Matriti rure XXV. Septembris hoc anno gratulatus eſt Carolo de tanto Eccleſiæ ſuæ inviſendæ ſtudio, Regiumque favorem ei ſplendide ſpopondit.

Digitized by Google

cipum, plauſuſque populorum, relictis, quacumque iter ageret, religionis, ac ſapientiæ monumentis, Mediolanum venit. Ad IX. Calendas Octobris ſolemni ritu Urbem ingreſſus tantum jucunditatis, & gaudii Civibus attulit, quantum mœroris, & luctus diſceſſu ſuo Romanis attulerat. Stabant ad capita viarum erecti in altum fornices (*a*), ſtatuæque, & emblemata, quibus effuſa in obſequium Civitas Paſtori, & Civi tot acceptos honores, ſive Paſtorem ſibi, & Civem tot honoribus dignum gratulabatur. Plenæ ſpectatoribus feneſtræ, & faſtigia domorum, ſtipante vias multitudine advenarum, quos ex finitimis Oppidis, Urbibuſque triumphi magnitudo, & Viri fama conciverat. Sacri Ordines, & Clerus univerſus præibant: Dux Albuquercius Provinciæ (*b*) Gubernator, & Senatores in equis, ceterique Magiſtratus pompam agminis ſequebantur, immo pompa agminis erant. Sed omni pompa longe jucundius ſpectaculum erat videre juvenem vigeſimo ſexto ætatis anno jam fere aſſecutum quidquid virtutis, & gloriæ capere humanæ vitæ mortalitas poteſt. Tectus infula (*c*), inſidens mulæ ſub umbella incedebat, quam Confanonerii vetere Familiæ privilegio ſuſtinebant. Feſtivæ undique voces prætereunti acclamabant, multique hactenus ab Eo geſta reputantes alterum Ambroſium Mediolano divinitus datum ominabantur. Lætis hiſce acclamationibus obſtrepebant Dæmonum ululatus ex obſeſſis corporibus proximam ſibi cladem prænunciantes. Ab Sancti Euſtorgii, pro ut antiqui moris eſt, ad Templum maximum ſupplicatio pervenit. Ibi adorato Numine, peractiſque cæremoniis, quibus Provinciam capeſſere Archiepiſcopi ſolent, in Palatium ſeceſſit (*d*) ingentia onera animo volvens, quæ ex tantis honoribus ſequebantur.

Septimo poſtquam Urbem inierat die, cum Pontificale Sacrum in eodem templo (*e*) perageret, Orationem ad Populum habuit, qualem a Vaticanis illis Noctibus, & aſſiduo cum ſapientibus Viris congreſſu expectari oportebat. Initio dicendi verba illa Evangelii, quibus deſiderium manducandi

(*a*) Extat MS. ejus pompæ deſcriptio apud Oblatos Sancti Sepulcri, in qua quinque admodum triumphales arcus inſtructos lego. Plura etiam inibi adnotata ſunt apprime apta ad hujus Eccleſiæ ſtatum dignoſcendum.

(*b*) Nondum Gabriel a Cueva tum Provinciæ Præfectus Ducis Albuquercii titulo ornatus fuerat, cum ejus dignitatis Diploma, ſcribente Ormaneto, menſe Decembri ejus anni dumtaxat illi fuerit oblatum. Eâdem, qua Carolus, tegebatur umbella Gubernator ad Antiſtitis lævam impari greſſu equitans, ut medius ex umbella poſtrema equus extaret. Ita ſcribit Carolus ad Cardinalem Novocomenſem. Gubernatorem ſubſecuti ſunt Genevenſis Epiſcopus ad Sabaudiæ Ducem Pontificius Legatus, Bergomenſis Epiſcopus Cornelius, & Cremonenſis Sfondratus, Delphinus inſuper Torcellanus, & Laudrianus S. Marci in Calabria Epiſcopi. Aderat etiam Ormanetus cum Thoma Aſaphenſi Epiſcopo. Ultimus omnium Petrus Georgius Vicecomes Mantuæ Ducis apud Gubernatorem Orator, quem Senatus deinde, ceterique Urbis totius Ordines de more ſequebantur.

(*c*) Diſputatum jam Bononiæ coram Borromeo fuerat a Cæremoniarum Magiſtris, utrum Legati ritu Cardinalium indutum veſtibus, an Pontificali amictum ornatu Carolum Urbem ingredi expediret, cum hunc præ illo ritum diſſuadere Ormanetus videretur. Verum reſponſum fuit, Pontificium magis ornatum decere, atque idcirco Gonzagam Seniorem Cardinalem Legatum fuiſſe reprehenſum, quod Bononiam purpuratus Cardinalium more eſſet ingreſſus. Prætulit quidem Carolus per miniſtros Virgam, & cetera Legationis inſignia, ſed Umbellam, quæ congrua dignitati in ædium Legati proceto ſolet appendi, modeſte repudiavit. Hæc ex Caroli, & Ormaneti literis in Bibl. Ambroſiana.

(*d*) Seceſſurus pacis oſculo Gubernatorem, & Senatores procedentes excepit, reliquis manum oſculandam porrexit. Neque omittam Gubernatoris officia benevolentiæ plena, qui, ad multam noctem perfectis omnibus, Carolum ad cubile ipſum intimum honorificentiſſime, nec ſine obſervantiſſimi animi ſignificatione deduxit; hinc tanta humanitate captus Carolus ad Pontificem, & fuſius ad Altempſium Cardinalem triduo poſt in hanc ſententiam ſcripſit: *Deo auſpice efficiam profecto, ut Patriæ meæ reddam, quod debeo, quandoquidem tot in adventu meo benevolentiæ teſtimoniis me ſibi adeo obſtrinxit, ut majorem propemodum a me curam, quam quæ munere ipſo debetur, jure ſuo quodammodo exigat. Me præcipue Gubernatoris religio, & pietas ſibi devinxit, quem mei, & Pontificis obſervantiſſimum nactus ſummopere recreor. Integerrimum item, atque laboris amantiſſimum intueor, cum denique, quem vix optare auderem.* Tanta itaque fuit omnium Ordinum in eo excipiendo pompa, ut Hieronymus Vida invidioſa ferme ſententia teſtatum fecerit biduo poſt in Epiſtola, *tantæ Borromeum celebritate exceptum, ut vix a Regali pompa differret.*

(*e*) Cal. Octobr. ad Pontificem ſcribens Carolus exponit ſe *Pontificali ritu primum ſacris operatum inter tantam confluentis populi multitudinem, ut nemo antea majorem unquam meminiſſet.*

Digitized by Google

candi cum Discipulis suis Pascha Christus Dominus significabat, apte traduxit ad explicandam cupiditatem, qua ipse jampridem simul esse cum Mediolanensibus suis optaverat. Flexit deinde sermonem ad ea, quæ ejus temporis erant, luxuriam in moribus, negligentiam Sacrorum, aliasque animorum calamitates, quibus eliminandis Se ipsum, suaque omnia despondebat. Subsecutis diebus, etsi vix ulla ab alloquiis nobilium quies erat, nihil tamen de publicæ salutis studio remittebat, somno sæpe subducens quidquid temporis urbanitatis officiis impenderet. Jam enim ex subjectis Metropoli Provinciis Episcopi (*a*) aderant, quorum singulis cubicula, & alia ad victum necessaria in Palatio assignaverat (*b*), non modo ut eos hospitii caritate sibi arctius obstringeret, verumetiam ut consilia de iis, quæ parabantur, facilius ex propinquo communicaret. Quin etiam argumenta studiorum in singulos dividebat (*c*), quo, difficultatibus omnibus mature discussis, paratiores ad Concilium accederent. Recreavit proxime Urbem indicta supplicatio (*d*), exorando Numini, ut propitium adesse cœptis auxilio suo vellet. Nam præter Principes viros, qui ingredientem paulo ante Archiepiscopum exceperant, quatuor Cardinales, totque alia insulata capita cernebantur, quale fortasse agmen Mediolanensis Populus nullo antea seculo viderat. Ceterum dici vix potest, quanta utilitas (*e*) simul, & Majestas ejus Con-

(*a*) Convenere ad Synodum celebrandam Cardinalis Tranensis, & Vercellensis Episcopus, qui deinde in ipso Concilio purpureo a Carolo impositio pileo inauguratus est Cardinalis. Episcopi interfuere Vida Albensis, Petra Viglevanensis, Mauritius Derthonensis, Scipio Casalensis, Petrus Aquensis, Dominicus Brixiensis, Nicolaus Cremonensis, Hieronymus Alexandrinus, Federicus Bergomensis. Desiderati sunt Laudensis, Novariensis, Astensis, Savonensis, & Intimilliensis, quorum tamen legati adfuere. Honoris causa Bobba, & Castilionæus Cardinales ibidem interesse voluerunt.

(*b*) Ecce tibi quid de parando Præsulum hospitio Ormaneto Carolus Roma præscripserit die XVIII. Augusti: *Certiores de adventu meo Episcopos facies, Conciliumque indices. Quod siquis ex Urbis Præsidibus intercedat, cum aliquis hoc tempore ex Helvetia, & Casalensi agro pestilentiæ rumor invaluerit, paratum habes perfugium, cum passit earum regionum Episcopis aditus intercludi. Septembri exeunte Mediolani adero, & nequid otioso mihi temporis frustra passit elabi, cum ad XIV. Cal. Novembris indicendum Concilium Provinciæ sit, ex Dioceesi Synodus interea cogi poterit* (hanc tamen non habuit) *cum annus ab jam congregata plane effluxerit. Multum hæc præsenti Mihi posset conducere ad Clerum meum de facie saltem agnoscendum. Visum etiam est hospitio Præsules omnes excipere; neque enim fas est eos alio divertere, meumque videtur liberalius agere præsertim, cum me tot tantisque donis abunde Deus cumulaverit. Maxime vellem conterminum esse cujuscumque contubernium, atque omnes præcipue ad cibum sumendum coire, qua familiaris consuetudo, & loci conjunctio cum amorem fovet, tum etiam opportune ad colloquia, & consilia missenda confert. Decem admodum convenient Episcopi: cura, ut singulis instructa ædes sint, & nulla in me benevolentiæ, aut observantiæ significatio desideretur. Albuensius penetralia ornet aulæis, cathedris, strationque. Ego hinc aveham nihil, nisi vasa quædam argentea, supellectilem lineam, & quingemas ex argilla patinas. Familiares centum numero. Ceterum mihi Mediolani agenti pervelim moderata sint omnia; sat sumque omnem, ac pompam refugiam. Præsules cœnate complectar; nihil illi a me aut lautum, aut splendidum sperent. Mensa quantum sat est, instructa sit, habita multitudinis ratione, itemque frugi. Vas nullum argenteum præter aquatilem, & pelvim; lances, paropsidesque fictiles sunto. Gemina mihi, aut tria ferventur conclavia peristromatis plebeis* (mandavit autem Albonesio VII. Septembris, ut panno conclave unum sibi vestiret) *cooperta, atque exulet quidquid luxus speciem obtendat. Siquod commodius sit, hospitibus serva. Hanc hospitandi aquam esse rationem vellem singuli discerent, quandoquidem inanium sumptuum, & nimiæ opulentiæ Ecclesiastici præsertim viri notantur. Vellem item primordiis hisce eam vitæ rationem auspicari, quam ishhic deinde sedens inviolatam servabo &c.* Ad eundem deinde Bononia scribens V. Septembris monet: *Quod de umbella legationis indicio, & dignitatis scribis, ea nec Domi, nec in Synodo mea* [illegible] *Polus in Angliam gravissimis de causis legatus, Antistitis ibi personam non sustinuit, Synodus vero ad Antistitem pertinet. Deinde hæc legationis pompa aliquid de illa supellectilis humilitate imminuit, qua in domestico apparatu mihi probatur maxime.* Quam belle hic Carolus suis se coloribus pingit.

(*c*) Jam hoc mandaverat Ormanero degens Romæ Borromeus; atque plures extant in Bibl. Ambrosiana Episcoporum literæ, quæ agenda videbantur, referentium, & præsertim Vidæ Albensis, cui ex Caroli jussu potior digerenda rerum series fuerat demandata.

(*d*) Indictum etiam tridui jejunium, & condonatam noxarum pœnam præsentibus ex Pontificia indulgentia ad Ormanetum Carolus scribit.

(*e*) Alciatus Cardinalis ad Carolū III. Non. Novemb. de hoc Concilio scripsit: *Obstupuimus omnes, quod tam brevi tempore tot, tantaque tam feliciter gesseris.* Cardinalis autem Novocomensis XIV. Novembris narrat Cardinalem Moronum dixisse: *Multa in hoc Concilio impetrata, quæ exequi Tridentini Patres summis licet conatibus non potuere.* Quantum autem ex eo fructus perceptum sit, docet Cremonensis Episcopus, qui cœtu soluto ad lustrandam statim Diœcesim suam profectus hæc Carolo scripsit: *Dum Abduæ Glaream lustrarem, ex consilio tuo instum timorem meum vici. In*

Digitized by Google

Concilii fuerit. Conſtitutum ibi quidquid Sacerdotale munus, aut Paſtoralis cura complectitur, & Tridentinæ ſanctiones in primis denunciatæ, & acceptæ, quas & Patres ipſi apprime ſervarent, & aliorum animis infigere conarentur. Splendorem vero, & auctoritatem augebant indigenarum, exterorumque concurſus, & poſt Jeſuitam Palmium audita Caroli ipſius Oratio (*a*), & Purpuratorum conſpectus, quorum plerique dignitatem congreſſus hoc ipſo declarabant, quod nullo jure adeſſe cogebantur. Sane Pontifex, auditis iis, quæ Mediolani acta erant, ſcripſit ad Carolum gratulari ſeſe quod abſoluta Synodo non modo pronum ad decreta ſervanda Populum inveniſſet, verum etiam paratam Regii Gubernatoris, ac Magiſtratuum opem inveniſſet. Qua in re, cum Divinum auxilium conſentire conſiliis ejus videret, pergeret alacri animo, & feliciter inchoata prudentia ſua, exempliſque perficeret. Interim Tridentum obviam iret Principibus Fœminis, quas ex Germania in Italiam tranſgredi ſciret, eoque perfunctus urbanitatis officio, Romam redire maturaret (*b*). Maximiliani Cæſaris Sorores erant Joanna, & Barbara, quarum illa Franciſco Medicæo Etruriæ Principi, hæc Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci nupta ad ſponſos deducebantur. Dum opportunum itineri tempus expectat (*c*), viſitabat interim Collegia Canonicorum, aut Virginum Monaſteria, neque ſinebat ullam temporis partem ſine proventu aliquo ſibi ſubduci (*d*). Id maxime ſpectatum eſt in ipſo itinere, quod ad ea, quæ diximus, Germaniæ confinia ſuſcepit.. Cum enim hoſpitii cauſa ad Auguſtinum Valerium Veronæ Epiſcopum divertiſſet, multa de ipſius, multa etiam de Matthæi Giberti Pontificatu aſſidue ſciſcitabatur, quem fama erat in animarum regimine vix ullum ætate ſua parem habuiſſe.

CA-

verbo tuo laxavi rete; bis nimirum orationem ad populum habui, Caravagii, & Soncini, nec ſine ſaluberrimo gregis mei exemplo. Hæc ſcripſi, cum tibi apprime gratum fore intelligam, atque æquum cenſeam exponere, quanti tuam id ſuadentis vocem fecerim. Sipontinus autem Archiepiſcopus ſcripſit XXVIII. Octobris: *Magnus me Siponto abſentem pudor inceſſit, quem tuo præſertim tacitus commones exemplo. Quantum enim nos inter diſcrimen intercedit: Ego mihi Romæ ſervio; tu Eccleſiæ ſervires univerſæ, ſi adeſſes. Pergam itaque, quo me Paſtorale munus vocat, Synodumque item meam indicam &c.* Ultimam Concilii hujus ſeſſionem Sabbato die III. Novembris ſummo mane inchoatam non niſi ad primam Noctis horam jejunus omnino, ac ſiccus Carolus cum reliquis Patribus clauſit, ut in MSS. collectaneis teſtatur Parazozerus.

(*a*) Cardinalis Sirletus de pulcherrima hac oratione in Concilio habita ſummopere Carolo gratulatur XX. Octobris, & Avunculi Pontificis hac ſuper re gaudium exponit.

(*b*) Quod ad hujuſmodi reditum ſpectat, crebræ Romæ de hoc allatæ ſunt Carolo literæ, præcipuè Cardinalium de Gambara, & Paciechi, quorum una, eademque erat ſententia; nimirum *gravi Eum noxa obſtrictum teneri, niſi ocyus Romam reverti feſtinaret*; quibus tamen egregie Carolus ita reſpondit: *Nemiam mihi religionem vacuiſſe, dum gravi crimine alligari abſentem dicis; & quamquam tuum maximi judicium ſemper fecerim, minus tamen me movet ferenda adhuc lex, quam ea jamdiu a Tridentino Concilio lata, quo Epiſcopi in Diœceſi ſubſiſtere jubentur. Quamquam me in Eccleſiæ meæ complexu ſuaviter conquieſcente hac fortaſſe de cauſa non avocares puto, ne voluptatem turbares meam &c.*

(*c*) Interpoſita hæc Mediolani mora ſummopere Carolum recreavit, ut ex Altempſii Epiſtola XV. Septembris licet eruere: *Communis omnium vox eſt, moleſtum Tibi admodum fore hanc nuptialis veluti triumphi pompam. Quamquam curam omnem facile abſterget paratum ſemper tuum ad Pontificis nutus obſequium, præcipue tamen oblata hoc tempore opportunitas, ut diutius in Eccleſiæ tuæ ſinu conquieſcere poſſis, quod tibi longe jucundiſſimum fore certo ſcio.* Revocare enim Carolum Pontifex ad ſe ſtatuerat, niſi oblata hujus expeditionis opportunitas fuiſſet, propter quam commodius videbatur Mediolani Sponſarum adventum opperiri.

(*d*) Incidit opportune Caroli reſponſio ad relatas Pontificis literas, quibus docemur, quid in urbe dimiſſo Concilio Ille egerit. Reſcribit itaque Brixiæ XVI. Novembris, unde Tridentum verſus erat feſtinaturus: *Quo tempore Concilio ſoluto Mediolani fui, Virginum qua in jure ſunt meo, & Canonicorum Collegia inviſi omnia. Solemni ritu Medicaam aram conſecravi, adſtante Senatu, & Inſubriæ Præfecto, qui diſcedentem tanto amore proſecutus eſt, ut veteres omnes amoris ſignificationes facile vicerit. Moarum edium partem olim a Caracciolo uſque Cardinalis temporibus in Regii equilis commodum interceptam reddidit. Demum erga Petri Sedem, Mediolanenſem Eccleſiam, Ejuſque dignitatem tam eſt animatus, quam qui maxime.*

Digitized by Google

CAPUT XII.

Romam reverſus morienti Pontifici ultimam, ac piam operam præſtat.

TRidento cum Auſtriacis ſponſis revertens (*a*) Carolus, cum alteram Ferrariæ reliquiſſet, alteram in Hetruriam proſequeretur, triſte nuncium accepit Pontificem gravi morbo correptum exigua in ſpe trahere animam (*b*). Itaque petita venia, ac mutatis per intervalla equis citato curſu Romam pervenit. Ibi cum mortem adeſſe Medici nunciarent, poſtquam multa alia accommodata tempori dixerat, converſus ad Pontificem rogare cum lacrimis cœpit, ne, quod ultimum benevolentiæ pignus petiturus ab ipſo erat, Sibi concedere gravaretur. Cum ad ea Pontifex benigne annueret, atqui, inquit Carolus, etiam, atque etiam rogo, ut Sanctitas veſtra, omni de rebus humanis cogitatione depoſita, mentem omnem ſuam in æternæ ſalutis ſtudia convertat. Tum Crucifixi Salvatoris imaginem admovere oculis, nunc errorum pœnitentiam, nunc ſpem veniæ excitare, ſubſidia denique omnia morienti adhibere, quæ religio, & amor in re tam gravi, & anceps poſtularent. Ita Pius IV. inter Caroli amplexus extinguitur, annum agens ætatis ſexageſimum ſextum, cum ad ſextum Pontificatus annum ſexdecim dies deeſſent (*c*).

CAPUT XIII.

Comitiis habitis, Pius hujus nominis Quintus Caroli potiſſimum opera Pontifex eligitur: ſic demum conſtitutis omnibus, a Pontifice egre tandem Mediolanum dimittitur.

1566. ACerbiſſimæ mortis mœrorem diſcuſſere comitia, quæ creando Succeſſori parabantur. Habebat Carolus pleroſque Cardinalium partim ſuis, partim Avunculi beneficiis obſtrictos, & quo ipſe rem duceret, eo ſecutura ceterorum ſuffragia credebantur. Hac vero auctoritate cum demereri ſibi multorum Principum animos poſſet, rejecerat omnem utilitatis ſuæ curam, eumque unice præferre ſtatuerat, quem Deo acceptiſſimum judicaret. Sane Cardinali Franciſco Craſſo Mediolanenſi amice interroganti, quem Pontificem

(*a*) Moleſtam hanc ſibi legationem fuiſſe ſignificavit Carolus, ut ex Cardinalis Novocomenſis familiari Epiſtola ad eum ſcripta II. Decembris: *Quod te menſa ſapius VIII. horarum ſpatio clavo veluti trabali affixum ex regionis more ſcribis, ego non adeo moleſte fero; facile enim hinc percipies venia facile dignos fuiſſe, qui vino aliquantulum indulgerent, aut per hyemem caloris excitandi cauſa pila luderent.* Romæ fortaſſe hac de re quempiam objurgaverat Carolus, quod Illi tunc Novocomenſis objecit. Incommodum valde hoc Carolo iter præſenſerat etiam Ormanetus, qui XXVIII. Novembris hæc ad eum ſcripſerat: *Cura, ut nobis, Eccleſiæ, & Provinciæ tuæ valeas, neve iſthic intolerabili te labore conficias, quo Te Mediolani ferme oppreſſeras. Parcius labora, ſi laborare diutius velis. Vehementer id oro, obteſtorque per ſacrum quidquid eſt &c.*

(*b*) Jam die hujus menſis IV. datæ ad Carolum fuerant literæ Alciati, & Altempſii Cardinalium triſte nuncium afferentes. Ceterum Ejus conſtantia comites itineris decepit. Nam Comes Georgius Trivultius tabulis conſignavit, Borromeum ſtatim, nuncio accepto, noctu relicta familia convolaſſe. Quod quidem poſtremum verum eſt, ſed triduo ferme ante de tanto periculo fuerat commonitus. Fluctuabat animo ſuſpenſus Cardinalis, utrum legationi, an pietati deeſſet. Sed illum Romam compulit Magnus Etruriæ Dux, cum Florentiolæ eſſet, ut ipſemet Dux ſcripſit in Epiſtola ad Pontificem a Carolo perlata, & ſcripta VII. Idus Decembris, qua item die citatiſſimo itinere Romam contendit.

(*c*) Non dimittam hoc loco tacitus, quanta modeſtiæ teſtificatione Avunculi inſtrui ſepulcrum juſſerit Borromeus ea in urbe, in qua ſplendide tot cenſus ſuos in egenorum ſubſidium expendit. Miraculo eſt tanti Pontificis Romæ Monumentum hoc uno, quod ornamenta in eo deſiderantur, quæ in aliis ad artis miraculum abundant. Hoc Borromeæ humilitatis indicium eſt, ut declarant literæ ad Carniliam datæ III. Non. Auguſti MDLXIX. in hanc ſententiam: *Avunculi corpus ad Sanctam Mariam Angelorum recondatur, omni ablegata pompa, quemadmodum Ipſe ſupremis tabulis cavit. Si meam ſententiam expectas, marmoream tabulam nuro inſertam vellem appoſito tamen eleganti Epitaphio. Adde ſuperimponendam Ejuſdem effigiem in mea aſſervatam pinacotheca, quam ejus memoriæ conſecratam reſervavi; nec inter ſigna dono diſtribuenda, ut alias ſcripſi, comprehendi volui.* Atque, ne ulla Illi affingi poſſit avaritiæ ſuſpicio, ſciendum eſt mille imperatos in id ſepulcrum nummos libentiſſime, ut ad Specianum ſcripſit, licet Avunculi exhæres eſſet voluntate ſua, atque ea cura Cardinalibus Serbellono, & Altempſio incumberet. Ejus tumuli inſcriptionem elucubrandam Sylvio Antoniano dedit.

Digitized by Google

cem eligi præſtaret, paucis reſpondit: eum eligemus, quem Deus elegerit. Propoſuerat ſibi graviſſimos ex Purpuratorum Collegio viros, quorum ingenia, & mores Pontificii muneris Majeſtati aptius convenirent. Inter eos Michaël Ghislerius erat Dominicani Ordinis Frater, cujus eximiam cum pietate ſapientiam per mutuos congreſſus, & crebra de rebus Eccleſiæ colloquia jampridem agnoverat. Unum illud obſtare videbatur, quod Caraffarum domui addictus ob acceptam a Paulo IV. purpuram, atque adeo Pio IV. parum acceptus, periculum erat, ne Pontifex factus, eodem gratiæ loco Carolum haberet, quo ipſe apud Avunculum Ejus fuiſſet. Sed vana iſta apud Carolum erant, qui Reipublicæ, non ſibi conſulere in tanto illo negotio cuperet (*a*). Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, ſeptimo Calendas Januarii Michaël Ghislerius ſumma Romani Senatus approbatione Pontifex Maximus renunciatur, & ne quis ultro ambigat perſæpe falli judicia hominum, ut nemo ætate illa Pontificatu dignior, ita neque benignior illo erga Carolum fuit. Pium in primis appellari ſe voluit tanquam Borromeo mortui nuper Avunculi benevolentiam ipſo nomine deſponderet. Tantæ deinde virtutes Ejus huic nomini congruentes fuere, ut merito creditum ſit Caroli unius favore Deum uti voluiſſe, ut favorem ſuum erga Chriſtianorum nomen oſtenderet. Fuit enim Ghislerius Pontificatus ſui tempore Tridentini Concilii cuſtos diligentiſſimus, cenſor morum acerrimus, ac denique dignus, quem vix terris ereptum plerique inter Cælites numerarent. Ceterum ut ea, quæ de integritate, conſiliiſque Caroli in hoc negotio retuli, clarius innoteſcant, ſubjiciam hoc loco epiſtolam, quam ipſe ad Henricum Cardinalem Luſitanici Regis fratrem in hæc verba conſcripſit.

Cardinali Infanti Luſitaniæ Carolus Cardinalis Borromeus.

„ CUm ex morte Pontificis Maximi
„ Avunculi mei tanto eſſem dolore
„ affectus, quantum mihi vel mea erga
„ Illum ſumma pietas, vel Illius in me
„ paternus amor, & voluntas afferre de-
„ buit; tamen nulla me acerbitas luctus
„ a ſtudio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ potuit
„ abducere. Atque ad meum domeſticum
„ mœrorem, & incommodum duplex cura,
„ & ſolicitudo acceſſerat, quod ſentiebam
„ multa eſſe mihi conjuncte cum reliquis
„ Cardinalibus præſtanda; & tamen in hac
„ orbitate noſtri Collegii quædam etiam
„ propria eſſe videbantur mei officii, &
„ muneris. Quoties enim mecum ipſe co-
„ gitabam, quam alieno Eccleſiæ tempore
„ Is e vita exceſſiſſet, qui admirabili con-
„ ſilio, vigilantia, & virtute illius digni-
„ tatem, auctoritatemque ſervarat incolu-
„ mem, & quæ in tanta converſione re-
„ rum vel ab Hæreticis hominibus, vel a
„ perpetuis hoſtibus Chriſtiani nominis eſ-
„ ſent metuenda, ſi Sancta hæc Sedes ſuo
„ Moderatore, & Principe diutius caruiſ-
„ ſet, vehementer commovebar animo,
„ nec majoris conſilii, ac deliberationis
„ quidquam eſſe arbitrabar, quam virum
„ optimum, & ſapientiſſimum in Ponti-
„ ficis demortui locum quamprimum repo-
„ ni. Ubi vero in Conclave convenimus,
„ ut more, inſtitutoque majorum novum
„ Pontificem legeremus, ego, quid potiſſi-
„ mum in omnibus meis cogitationibus,
„ curis, ſtudiis, officiis, ſermonibus ſpecta-
„ rim, mihi quidem conſcius ſum: quid
„ autem perfecerim, non dubito, quin &
„ Tu, & ceteri omnes dijudicare facile
„ poſſint: Nam cum in deligendo Ponti-
„ fice præcipua quædam procuratio, &
„ cautio a me adhibenda videretur, ſtatui
„ nihil plus valere apud me, quam Reli-
„ gio-

(*a*) Verſa primum in Cardinalem Moronum ſtudia Borromei in hiſce Comitiis teſtatur Gabutius in Pii V. vita; ſed aliquot huic electioni intercedentibus, tranſlatus eſt in Sirletum Ejus favor. Aliis item Huic adverſantibus, inanes contentiones, ac timorem Borromei virtus facile ſuperavit, pervicitque ut ſuffragia omnia in Cardinalem Alexandrinum conſpirarent.

Digitized by Google

„ gionis rationem, & fidem meam; ne-
„ que enim ad ullum meum privatum
„ commodum, atque cupiditatem, ſed ad
„ univerſæ Eccleſiæ utilitatem omnia mea
„ ſtudia, & officia dirigebam. Et quia
„ Cardinalis Alexandrini ſingularis pie-
„ tas, integritas, ſolertia, ſenſuſque om-
„ nes pleniſſimi Sanctitatis mihi jampri-
„ dem erant cogniti, & probati, putavi
„ ab eodem percommode, & divinitus
„ Chriſtianam Rempublicam poſſe admi-
„ niſtrari, ſi ad Pontificatum eſſet pro-
„ vectus. Quare omnem meam mentem
„ contuli ad eam curam, is ut Pontifex
„ crearetur; nec ita multo poſt univerſi
„ noſtri Ordinis incredibili conſenſu, &
„ lætitia Pontifex Maximus eſt declara-
„ tus. Mihi autem ad levandum luctum
„ major conſolatio afferri nulla potuit,
„ quam Sanctiſſimo Avunculo meo Eum
„ ſucceſſiſſe, qui in tuenda Religionis
„ auctoritate ſimilem ſenſum, eamdemque
„ animi altitudinem, & conſtantiam eſſet
„ habiturus, ut, quæ in illo amiſſa non
„ minus pie, quam dolenter deſideras in
„ tuis literis, omnia in hoc uno Principe
„ nobis reſtituta eſſe viderentur. Itaque
„ hoc nomine tibi etiam valde gratulor,
„ quod Sanctiſſimum, prudentiſſimum, &
„ omni virtutum genere præſtantiſſimum
„ habemus Pontificem, qui etſi ita flagrat
„ ſtudio pietatis, ut nihil ſanctius fieri
„ poſſit, tamen auctoritate, & conſiliis
„ tuis interdum, ſi non augeri, at certe
„ excitari Illius divina virtus poterit.
„ Quæ in meo graviſſimo caſu ad me hu-
„ maniſſime, & prudentiſſime ſcripſeras,
„ ea mihi magnam levationem attulerunt:
„ nam tuam, & conſtantem erga me vo-
„ luntatem adamavi, & Chriſtianam ſa-
„ pientiam ſum admiratus; quarum altera
„ me a nimia ægritudine deterruit, alte-
„ ra etiam ad conſolationem traduxit. Ego
„ tibi officium, & cultum quem debeo,
„ ſemper tribuam, in quo uberem amoris
„ fructum, & judicii laudem me conſe-
„ cuturum certo ſcio. Interea Deum ſup-
„ plex oro, ut Tibi perpetuam vitæ pro-
„ ſperitatem, & incolumitatem largiatur.
„ Romæ die XXVI. Februarii MDLXVI. (*a*).

Electum ita Pontificem non deſtitit ſtatim admonere Carolus de graviſſimis rebus, ac primum de cuſtodia eorum, quæ Tridenti ſancita erant, de Divini Sacrificii ritibus, & canonicis, ut vocant, horis, quæ ut meliorem in formam renovari jam cœperant, ita ſerius in lucem prodire videbantur, tum denique de vulgando Romani cathechiſmi opere, quo Rectores animarum ad explicanda Divinæ Fidei Myſteria uterentur. Poſtremo rogabat, ut Provinciale Concilium, quod Mediolani paulo ante celebrarat (*b*), ſuprema, qua pollebat, auctoritate pro rato eſſe vellet. Et annuit ſtatim ad omnia Pontifex, aliis ſuper alias editis Apoſtolicis literis, quibus, & omnia ſimul Concilii decreta firmarentur, & ſingulatim ea, quæ ad Religioſorum Ordines ſpectant, cum ea inſuper poteſtate, ut quos contumaces ad præſcripta inveniſſet, eos per opportuna juris remedia compelleret.

Diſceſſum inde paranti obſtitere mandata Pontificis ægre ferentis initia regiminis ſui tanti Viri ope deſtitui. Commodam ea mandata occaſionem dabant commorandi in Urbe inter Principum obſequia, honoreſque titulorum, quibus eminebat, quippe cum parendi neceſſitas omnem ambitionis, aut negligentiæ ſuſpicio-

(*a*) De hac Pontificis electione in eamdem ſententiam ſcripſit V. Cal. Mart. Sebaſtiano etiam Luſitaniæ Regi: *Vidi quam cogitationem, & curam ſuſciperes, quam plenam fidei, ac pietatis, atque Te, ideſt Rege maximo, & Sanctiſſimo vere dignum, cum de univerſæ Eccleſiæ tranquillitate, & commodis laborares, Pontificemque fieri eum velles, quo res Chriſtianæ gubernacula tractante, ſummo Catholicæ fidei otio, atque dignitate fruerentur. Quod conſilium, quod cum meo ſenſu mirifice congruebat, ita ſum ſecutus, ut omnem meam operam, ſtudium, & officium ad Cardinalem Alexandrinum contulerim, quem ad tantum imperium ac poteſtatem eſſe maxime idoneum ſentiebam &c.* Egit etiam hoc nomine gratias Carolo Philippus II. Hiſpaniarum Rex, & Dux Albuquercius, quorum Hiſpanica lingua concepta extant in Bibl. Ambroſ. teſtimonia. Neque diſſimulavit Carolus ad Regem reſcribens, ſua potiſſimum opera, & ſummo niſu Pium electum in Pontificem.

(*b*) Provincialem primam Synodum Pontifici approbandam obtulit dumtaxat per literas Carolus ad diem V. Septembris MDLXVI., ut ex latinis Ejus literis habemus in Bibl. Ambroſiana aſſervatis.

Digitized by Google

cionem abſtergeret. At ſæpe repetendo, quæ de Epiſcoporum abſentia a Gregibus ſuis Tridentini Patres ſtatuerant, ſimul oſtendens, quantum ſanctiſſimæ legi obeſſe exemplo ſuo poſſet, ſi diutius Romæ moraretur, non antea deſiit preces iterare, quam ſibi diſcedendi facultas concederetur. Et quamquam facultati appoſita conditio erat, ut ineunte autumno Romam rediret (*a*), alias deinceps rationes excogitavit, quibus citra promiſſi injuriam ſeſe itinere liberaret. Dedit abeunti Pontifex Apoſtolica dona quotquot ad Populi ſui utilitatem expeteret, ſimulque commendatitias literas ad ſupremos hujus Provinciæ Magiſtratus (*b*), ut pios Archiepiſcopi conatus opportunis auxiliis ſuſtinerent. Ipſe reformata iterum familia, dimiſſiſque, quos ſibi ad paſtorale miniſterium minus utiles fore putabat (*c*), cum lectiſſimo comitatu Mediolanum reverſus nonis Aprilis (*d*) quinto poſtquam ab Urbe diſceſſerat menſe, Civitatem univerſam adventu ſuo recreavit.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE

(*a*) Inſtitit abſentem etiam Romam evocare Pontifex per Ormaneti literas, quas in hanc ſententiam hic miſit, dum Romæ apud Pium eſſet: *Pontifex me de reditu tuo compellavit. Hoc quidem adjecit, licere Tibi primum Eccleſiæ tuæ rationes componere; hinc ſciſcitatus eſt, cujus in præſens vicaria opera uterere. Ingenue fateor: Mediolanenſis Eccleſiæ curam tibi a Deo concreditam non deſeri valde probo; verumtamen utiliſſimum eſt etiam Te Romæ eſſe, præcipue tanti Pontificis accedente voluntate, qui tuo certe dignus auxilio videtur, cum optime in Religionem, ac communem commodum ſit animatus. Ea etiam adventus tui neceſſaria videtur cauſa, ut Supremo pœnitentiæ Tribunali, & Liberianæ Baſilicæ utilitati conſulatur.* Perſtitit in hac voluntate diu adhuc Pontifex, cum extent literæ Cardinalis Novocomenſis aſſerentis Borromeum ad Autumnum uſque ineuntem Romæ hoc anno a Pontifice expectatum. Sed curavit Carolus per Ormanetum, ne illuc ire cogeretur cauſatus futuram Eccleſiæ ſuæ cladem, ſi abfuiſſet, cum vix coaleſcere res ſe fovente cœpiſſent: in quam ſententiam Annæ etiam Sorori ſcripſit XVII. Septembris MDLXVII., quæ Sanctum Fratrem adhuc Romæ opperiebatur, queriebaturque ſe tamdiu expectatum nunquam adveniſſe.

(*b*) Bullatæ Pontificis literæ quinque per Cardinalem Alciatum tranſmiſſæ ſub diſceſſum Carolo ſunt pro reſtituendis Humiliatorum Fratrum inſtitutis, quarum aliæ ad Sabaudiæ Ducem, & Venetos, aliæ demum ad hujus Provinciæ Præſides ſunt deſtinatæ.

(*c*) Dimiſſos hoc tempore ex famulis octoginta ſcripſit Carolus a Baſilica Petri; Specianus autem, & Fornerius eos omnes teſtantur ex familiæ albo expunctos, qui aut ad Eccleſiæ opes aſpirarent, aut inſtituta averſarentur.

(*d*) Iter hoc ſuum Carolus ipſe declarat ad Annam Sororem ſcribens V. Idus Aprilis: *Octiduum iter hoc meum tenuit. Die Veneris Urbem ingreſſus ſum non expectatus, ut inania multorum officia, & occurrentium ſtudia fallerem; quare una ma, quam comitem viæ habui, familia deduxit. Mecum in via perhonorifice ubique actum. Piſauri dies unum Virginis Gloriæ præſentia me tenuit, quemadmodum Mantuam me Camilla Soror ab itinere juſſit deflectere. Laureti Sacram Deiparæ Ædem vidi: mirum quanta illic me religio, & pietas inceſſit.* Hoc enim primum tempore ejus Ædis adeundæ copia Carolo fuit, cum alias Romanum ſemper per Etruriam iter ſuſcepiſſet.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Infelix Mediolanenſis Eccleſiæ ſtatus, & morum, quæ ſub Caroli adventum vigebat, corruptela deſcribitur.

1566. ANTEQUAM rerum maximarum, quas deinceps dicturus ſum, narrationem aggrediar, haud alienum fore exiſtimo, ſi pauca præmittam de Provinciæ primum amplitudine, mox de temporum calamitatibus, in quas ille Caroli Pontificatus inciderat. Quemadmodum enim ex oneris magnitudine ferentium vires, atque ex morborum difficultate Medicorum ſcientiam metimur: haud aliter ego, cum primum oſtendero, quam ampla ſint hujus Provinciæ confinia, quæ fœditas morum ejus ætatis fuerit, facile oſtendam qualis, quantuſque fuerit, qui tot perferre onera, totque mederi calamitatibus poſſet. Jam ſatis conſtat Mediolanum inter præcipuas, non Italiæ modo, verumetiam totius Europæ Urbes recenſeri; Mediolanenſem vero Eccleſiam paribus ſemper incrementis cum Urbis nobilitate floruiſſe. Ad centum millia paſſuum Germaniam verſus excurrens nonnulla trans Padum loca, multa Venetorum, alia Helvetiorum ditioni ſubjecta complectitur; nec deſunt experimenta ultima Paſtoralis Curæ aſperrimi montes, quibus alicubi extrema Inſubriæ clauduntur. Templorum bina millia ducenta, atque in his quinquaginta Collegia Canonicorum, Parœciæ octingentæ, quarum ſingulæ hinc Rectorem animarum accipiunt, eo ſpatio continentur; Clerici in

Digitized by Google

universum ducentûm supra tria millia capitum efficiunt (*a*). Præter viginti alia, quæ ob locorum ignobilitatem, aliasve causas Carolus sustulit, septuaginta adhuc supersunt Asceteria Virginum, sexus alterius Cœnobia centum; & sunt qui putent intra Ambrosianæ Diœcesis terminos sexcenta millia hominum numerari. Ambrosiana eadem Sedes Metropolitica jura in quindecim alios Episcopatus exercet, eaque potestate in multas Venetæ Reipublicæ partes, Liguriam, Subalpinos, ac denique ad oram Mediterranei maris extenditur.

Hæc tanti nominis Civitas, tantæ molis Ecclesia octoginta (*b*) annorum spatio Pastore suo caruerat, regebaturque Vicarii unius arbitrio (*c*), quem nulla plerumque publicæ salutis cura tangebat. Ad hæc pestilentia, & fames, & bellorum incommoda (*d*) efferaverant animos, deformatoque Reipublicæ statu, deformitatem aliam longe fœdiorem in hominum mores invexerant. Nec spes ulla salutis relicta apparebat, facto inde malorum initio, unde adesse remedia oportebat. Arma, & pellices, & suscepti per scelus liberi Sacerdotum domos implebant, idque Cœleste ministerium, quo conciliare sibi hominum obsequia debuerant, adeo ipsorum culpa in contemptum Populi venerat, ut Sacerdotali munere nullam esse tutiorem ad inferos viam vulgo dictitarent (*e*). Pastores pagorum incolis dati, aut ob nequitiam noxii, aut ob inscitiam inutiles hoc sibi solatium indignitate sua fecerant, quod procul a gregibus suis minore flagitio vagabantur. Adeo rudes, & indoctos alicubi fuisse constat, ut necessariam pœnitentium culpis eluendis formulam ignorarent, ac palam dicerent ad peccata sua Sacerdoti aperienda nulla se lege obligari, quod ceteros absolvendi facultatem accepissent.

Par ferme insania Cœnobitarum quoque multos invaserat, quorum profana desideria, & impios ad voluptatem conatus ægre cuculli, & circumducta lateribus cingula coërcebant. Ita populorum licentiæ demebatur pudor, quasi permissa res esset sacrorum hominum exemplo peccare. Hinc genus omne vitiorum, & proximæ hæreticorum erroribus opiniones, sublata videlicet Divinarum legum, immo Dei ipsius memoria, quem vindicem scelerum extare vix pauci cogitabant. Sacramentorum certe usus pene omnino obsoleverat, sanctissimique omnium habebantur, qui semel in singulos annos, inani fortasse pietatis specie, consuetis Ecclesiæ Mysteriis conscientiam expiarent. Ceterorum plerisque aut inusitata, aut ignota ejusmodi Mysteria erant; & fuere tam perditi, qui pœnitentiam criminum simulantes ad sacrum tribunal accederent, mox Sacerdotis credulitate-

(*a*) Hæc Diœcesis forma sub Caroli adventum erat; neque enim antiquum hic ejus statum Giussianus describit, cum Mediolanum Italiæ erat Metropolis, teste Athanasio in Epistola ad Solitarios; neque recentiorem, quem Carolus ipse & Federicus Borromei, aliique postmodum Successores amplificarunt, multisque additis ornamentis auctiorem effecere.

(*b*) Ultra veri confinia tanta Urbis nostræ calamitas hic ab Auctore protrahitur. Etenim post sancte administratam Provinciam hanc a Guidone Antonio Arcimboldo initium habuit dumtaxat sub finem seculi XV. anno nimirum MCDXCVII., cum admotus sacro huic regimini fuit Hyppolitus Atestinus Senior Ferrariæ Ducis frater, quem pluribus implicitum negotiis alio honorificæ Legationes evocarunt. Successit anno MDXX. Hyppolitus Junior ex fratre filius, qui undennis Ambrosianam Ecclesiam suscepit moderandam, nec unquam animum appulit, ut præsens hanc regeret; quare servato jure, ut vocant, *regressus*, anno MDL. Jo. Angelo Arcimboldo, qui, quoad vixit, hic sedit, commendatam resignavit. Hoc deinde post quinquennium extincto, iisdem conditionibus demandata Philippo Archinto fuit, cui non animus sed potestas regendi defuit. Hinc facile patet sexaginta circiter annos Pastorum præsentia, licet non semper cura, hanc destitutam fuisse Provinciam.

(*c*) Hoc erat Caroli tempore vulgo usurpatum adagium: *tot ante annis Vicarii unius, & aliquandiu otiosa opera administratam tantam Metropolim, cui regendæ, Borromeo sedente, vix quadringenti solertissimi administri pares esse videbantur*. Bernardinus Mora in Actis Apotheosis.

(*d*) In hæc tempora incidêre Caroli VIII., Ludovici XII., & Francisci I. Galliarum Regum celeberrimæ in Italiam irruptiones. Laboratum insuper fame, & pestilentia est, quorum postremum malum ad quinquaginta hominum millia una in Urbe absumpsit.

(*e*) Scripsit ad Ormanetum Borromeus peste obiisse in Lepontiorum Vallibus anno MDLXVI. quatuordecim Sacerdotes publica scortorum consuetudine infames: Presbyteros ibidem suis ipsorum filiis stipatos ad Aras usque procedere solitos, non sine quadam scelerum jactatione; atque hoc sibi jus profanos earum regionum Prætores sumpsisse, ut scorti domi tenendi facultatem Sacerdotibus pro arbitrio impertirentur.

Digitized by Google

litatem cachinnis, fibiliſque inſectarentur. Rudimentorum Catholicæ fidei vix credat aliquis tam ignara illa fuiſſe tempora, ut quamplurimi e plebe ſenes ad ea perdiſcenda adhuc magiſtro indigerent, quæ hodie ſeptennes pueri recitant.

Haud tamen inficior fuiſſe ex omni Ordine aliquos, qui Chriſtianæ religionis præcepta pie, fideliterque excolerent, atque intra ſemetipſos abditi tot Patriæ ſuæ calamitates ſincero caritatis affectu deflerent (*a*). Quem vero dolorem eorum fuiſſe credimus, cum dicatos Divino cultui dies inter comeſſationes, & nundinas, & profana ſpectacula præterire, cum templa choræis, ludiſque, immo & agricolarum miniſteriis patêre, cum venerabiles Divini Sacrificii ritus temulentorum hominum ludibriis perturbari viderent. Jam conſecrata Chriſti exemplo jejuniorum tempora vetitis epulis violare res erat adeo familiaris, ut eam non inter flagitia, ſed inter privilegia Urbis ignari legum plerique numerarent. Atque utinam voluptatum cupiditas intra menſas, & obſonia conſtitiſſet! Inquinaverat ea lues conjugiorum fidem, multique paſſim noſcitabantur, quorum ætas in pellicum ſinu incanuerat. Nondum eo tempore ex Pontificum ore manaverant horrenda anathemata, quæ hodie & laicorum ingreſſus a clauſtris Sacrarum Virginum arcent, & Virgines ipſas intra ædium fines coërcent (*b*), quos ſemel elegere. Ita per mutuam exeundi, ingrediendique licentiam vitiorum ſimul exempla commeabant, ſaltationes, & convivia, & tripudia Bacchanalium inſtar, ut fœdiora alia reticeam, quæ promiſcuos cum altero ſexu congreſſus plerumque comitantur. Tanta ſcilicet mala ex diuturna Præſulum noſtrorum longinquitate provenerant (*c*). Nec alio ſane conſilio tot Patriæ meæ dedecora commemorare volui, quam ut cladium noſtrarum exemplo apertius innoteſceret, quanto æternæ ſalutis periculo a Sedibus ſuis abſint, qui ſine tanta animarum pernicie abeſſe non poſſint.

CA-

(*a*) Celebres Sanctitatis fama eo tempore fuere Mediolani Gaſpar Belinzagus Sacerdos, ejuſque alumnus Franciſcus Crippa, quorum ille in Sancti Sepulcri Templo humatus eſt anno MDLXXV., ad quod diu cum Sociis aliquot vixerat, hic in Sodalitium Oblatorum poſtea a S. Carolo fuit adſcitus: Hieronymus item de Arabia ex eadem Schola in Metropolitanæ Cardinalium Collegium deinde adlectus, & tanta vitæ innocentia, ut Eum Albertus Linus *Angelum humana ſpecie indutum* appellare non dubitaverit. Hunc etiam ut præclarum ornamentum in primum Oblatorum manipulum Cardinalis accenſuit. Ludovicum etiam Monetam videtur Auctor innuere celebrem Sanctitatis fama, qui ante Caroli adventum erat a Confeſſionibus Monialium Sanctæ Marthæ, ut omittam complures alios Collegio S. Coronæ addictos, quos publica infirmorum cura ſuſcepta poſteritati commendavit.

(*b*) Hanc ſibi adeundi Parthenonis cujuſcumque facultatem confinxerat inſana Amaſiorum libertas. Plura ſiquidem reperio Virginum Collegia ab hominum commercio antea legibus remota, atque ſejuncta. Inter cetera legi in quodam ſupplice libello ad Cardinalem Alciatum dato, jam ab anno MDLII. ex Marini Pontificii Legati mandato Sancti Pauli Moniales ſub Anathematis pœna intra Monaſterii ſepta concluſas. Equidem aliqua jam ſanxerat Otto Archiepiſcopus hujus Urbis exeunte Seculo XIII., quæ nimiam Monialium extra ſepta vagantium licentiam coërcerent. Sed libertatem earum ferme omnem interceperat pulcherrima Conſtitutione Joannes Angelus Arcimboldus quo anno Pontificatum iniit, ſcilicet MDL., ut patet ex Ejus Edicto typis edito; & in Metropolitani Collegii Bibliotheca cuſtodito. Sed Carolus præcipue omnium curam hanc Virginum ſuſcepit vixdum in hanc Urbem adveniens, & plurima pro earum egreſſu omnino prohibendo, & diſciplina ſervanda edixit in primo Provinciali Concilio juxta Tridentini præſcriptum; nec unquam ab his deliciis ſuis dimovit oculos, cum in quinque ſubſequentibus Conciliis aliquid ſemper pro Monialium regimine ſanctius cuſtodiendo ſtatuerit.

(*c*) Nimius ſim, ſi perſequi miſera, & miſeranda velim, quæ in Ferragatæ, Roberti, & Ormaneti Epiſtolis paſſim ad prodendam Seculi illius infamiam occurrunt. Pudor vetat, & religio aliqua recenſere. Hæc dumtaxat afferam, quæ populi inſcitiam, & peſſimam rerum conditionem doceant: nimirum aliquos in regendis Parœciis triginta uſque annorum ſpatio verſatos, qui nondum Sacris initiati eſſent: Aſaphenſem Epiſcopum expulſum Templo, cum ad populum Sacro Chriſmate confirmandum accederet, nam plebs faciem ſimul, & poteſtatem Epiſcopi ignorabat. Scripſit anno MDLXII. Ferragata, fuiſſe a ſe repertum adeo perturbatum rerum ſtatum, *ut ſaxa ipſa commoveri poſſent*. Quod de Archiepiſcopi ædibus deinde Robertus narrat, id plane fœdum videtur, ſcilicet *lupellectilem nullam domi extare, divendita uſque Paſtoralis dignitatis inſignia, nullis munitas valvis feneſtras, ac januas ad militarium hybernorum ſpeciem, atque ex uno atrio vix centum curribus ingentem finis, & vulcrum vim magno ſumptu avectam.*

CAPUT II.

Ut corruptos populi mores informet Carolus, ſummum in Se Ipſo virtutis exemplum ceteris ſtatuit.

AT quamquam deſperata omnia, & inſanabilia Mediolani videbantur, non ita tamen concidit animo Carolus, quin ſpem emendandi cuncta, & reſtituendæ in priſtinum decus Eccleſiæ caperet. Reputabat identidem cauſam Se Dei agere, qui etſi graviſſima quandoque onera imponat, ſemper tamen conſentaneas oneri vires adjiciat. Proſperum vero conatibus ſuis exitum eo confidentius pollicebatur, quod cum multa per Ormanetum cœpta feliciter proceſſiſſent, certum id eſſe Divini auxilii pignus autumabat. Itaque propoſitum opus incunctanter aggreſſus primum omnium ſtatuit, nonniſi perbrevi temporis ſpatio, graviſſimaque de cauſa Paſtorali ſtatione decedere (*a*), idque tam firmiter, ut purpuram exuere paratus eſſet (*b*), ſi quando cuſtodiendis ovibus ſuis impedimento eſſe poſſet. Proximum huic erat nullum laboris genus effugere (*c*), perpetuum quieti, ac ſolatiis bellum indicere, tum vitam ipſam offerre periculis, quoties id populi ſibi commiſſi neceſſitas poſtularet. Orationis ſtudium non minus inter Pontificatus auxilia, quam inter animi ſui delicias habuit, & quidquid interius moliretur piorum inſuper hominum precibus commendabat (*d*). Quod ſi aliquod majoris momenti negotium incideret, publicas ſupplicationes ad præcipua Urbis templa indicere conſueverat, nec alio ſane ſubſidio creditus eſt ex iis, quas incurrit, aſſiduis, graviſſimiſque difficultatibus evaſiſſe. Nec niſi ad ſumma, & maxima eniti poterat, defixis videlicet in Chriſti exempla oculis, quo nullum aptius incitamentum ad procurandam animarum ſalutem muneris ſui memores Epiſcopi habeant. Et quoniam ex ſacris Literis noverat, Divinum Redemptorem prius facere, dein docere cœpiſſe, id Sibi quoque agendum pu-

(*a*) Vix dum adminiſtratione Provinciæ a ſe ſuſcepta ſuam hac de re ſententiam Bonhomio aperuit per literas datas XVII. Aprilis MDLXVI.: *Hoc certum habe præſentia jua Epiſcopum licet imbecillum plus poſſe, quam diligentiſſimum abſentem; quare Pontificis Summi ſententia facile ſubſcribo, eumque verbis meis roga, enixe curet, ut Præſules omnes etiam purpurea Romana inſignes ſuas ad Sedes ſinguli feſtinent; in eorum enim præſentia totam corrigendorum morum rationem ſitam eſſe arbitror.* Nonnantulanam vero Abbatiam reſignans ſcripſit: *Ubi Pontifex eam liberam nolit Sancti Benedicti Patribus concedere, nolle ſe eam ulli Cardinali attribui, ſed Præſuli damnaxat, qui illic degere vitam ſuam eligat.*

(*b*) Mirum hoc certe occurrit Ejus Epiſtolas evolventi, nullum ferme ea ætate Epiſcopum, aut Cardinalem fuiſſe, qui ad ſedem ſe recipiens ſuam monitum Carolum non fecerit de ſuſcepto reſidendi in Diœceſi conſilio, acſi gratiſſimam rem Borromeo facturos ſe omnes exiſtimarent, quem veluti abſentiæ ſuæ cenſorem reformidabant. Certe pulcherrimum in Se ipſo conſtituit reſidendi exemplum, atque a Provinciæ ſuæ Epiſcopis id ſemper exegit. Audi quid Hieronymo Vidæ reſponderit, cum diuturnæ futuræ abſentiæ ſuæ cauſam exponeret, & veniam peteret anno MDLXVI. XXIV. Julii. *Reverendiſſime Domine: Quod Amplitudo Tua petit, ut duos, treſve ad ſummum proximos menſes abeſſe a ſua Eccleſia ſibi per Me liceat, video quam habeat rationem valetudinis ſuæ, cum velit hos omnes dies Cremonæ commorari, iſque uti Medicis, quibus ſui corporis habitum, & naturam cognitam eſſe ſcribit. Itaque hoc tempus traducere in Patria ex Decreto Concilii Tridentini poterit; qua enim eſt pietate, ſore confido, ut diutius eatenus abeſſe cogitet a ſuo Grege, quoad valetudini ſuæ conſulat, atque eorum ſaluti, quos Deus ipſi tanquam Parenti, & Paſtori commendavit, magis inſerviat, quam ſuis commodis. Quam vero ſalutaris, & neceſſaria Civitatibus ſit Epiſcoporum præſentia, & cuſtodia nobis ipſa Tridentina Synodus præclare oſtendit, ad cujus præſcriptum, & formulam non dubito quin Amplitudo Tua conſilia, & officia ſua ſemper dirigat &c.*

(*c*) Vix menſem unum in hac Urbe commoratus anno MDLXV. jam impigre devorabat labores omnes; quare Novocomenſis Cardinalis die III. Novembris eodem anno ad Eum ſcripſit: *Hoc valde timeo ne vires tuas nimiis laboribus obruas; quare religioni Tibi ducis velim, quod corpuſculum tuum aſſidua contentione frangas. Equidem oppones veterem hanc meam eſſe cantilenam; verumtamen ſive eadem, ſive alia oberrem chorda, certe nihil a veritate alienum dico. Per ſuperos immortales aliquid ex laboribus detrahe, ut diuturnitatem labori addas.* Alias obſecranti Foreio domeſtico ſuo, ne Se tot curis conficeret, reſpondit: *Imo utinam me conficiam, quandoquidem meliorem Borromeo Deus Eccleſiæ huic Paſtorem dabit.*

(*d*) Porro nihil gravioris momenti in ejus Epiſtolis occurrit Romam præcipue ſcriptis, quin vehementes obſecrationes accedant, ut Ipſe, ſuaque omnia Deo precibus habeantur commendatiſſima. Octavianus autem Abbiatus de Foreiis conſignavit tabulis, quotieſcumque Viros doctos in conſilium adhiberet, dum cœtum ſolveret Carolus, hæc dicere conſueviſſe: *Ejus: Obſecremus Dominum enixe, & certum ab eo conſilium expectemus.*

Digitized by Google

putavit, ut quam morum disciplinam imprimere in aliis vellet, in semetipso prius exprimeret. Urgebant cogitationem hanc Apostoli verba diserte profitentis, quomodo corpus suum castigaret, atque in servitutem redigeret, ne, cum aliis prædicasset, reprobus ipse efficeretur. Oberrabant demum ante oculos Sanctissimorum Antistitum gesta, qui hanc Provinciam ante tenuerant, atque Ambrosii præsertim, quem sibi Patronum, & Pastoralis officii Magistrum delegerat. Id in causa fuit, cur ea prorsus die, qua magnus ille Mediolanensium Pater initiatus Episcopali Ordine fuerat, eodem ipse consecrari voluisset. Quin etiam imaginem ejus obvio loco collocari suis in ædibus jusserat, adjecta Cardinalis Roffensis imagine, qui nuper in Anglia pro Catholicæ fidei veritate necem obierat (*a*), ut quoties in eas tabulas oculos verteret, necessarios ad religionem tuendam spiritus ex mortuis etiam coloribus hauriret. Ea sane erga Ambrosium veneratione, immo virtutum ejus imitatione id plane est assecutus, ut a Clarissimis Cardinalibus Cæsare Baronio, Augustino Valerio, nec non a Gregorio XIII. Summo Pontifice, Ambrosius alter appellaretur.

Præterea lectissimorum hominum, qui Episcopali laude floruerant, consignata literis documenta, resque gestas cognoscere avebat insatiabili nimirum discendi, proficiendique cupiditate. Quo factum est, ut singulas ex singulorum moribus virtutes decerpens in se unum denique virtutum omnium exempla traduceret.

Erant in Provinciali Concilio paulo ante habito decreta nonnulla de vita, & moribus Episcoporum, quæ ipse tot aliis muneribus implicitus ægre servare posse videbatur. Ea utcumque honorifica, & ampla abdicare tamen omnia statuit, quo a ceteris expeditus in Pastoralem curam totus incumberet. Duodecim sacerdotia (Abbatias vocant) ad Summum Pontificem remisit, cujus jussu alia piis Locis, Collegiisque attributa, alia tradita hominibus, qui fidelem operam Cardinali ipsi præstiterant (*b*). Principatum Auritanum, armatasque triremes, opulentam scilicet partem fraternæ hæreditatis, venumdari quamprimum jussit, omnemque pecuniam, quam ex venditione conflaverat, in egenos erogari. Idem statutum de aulæis, quorum multa pretiosissimi operis Roma attulerat (*c*). Ea partim Venetiis, aut Me-

(*a*) Delectatum etiam admodum Giberti Veronensis imagine pro certo scimus, quam enixis precibus ab Augustino Valerio mittendam ad se curavit, & mittenti respondit *eam inter pretiosissimos domus ornamenta a se collocatum iri*.

(*b*) Variis hæc Sacerdotia temporibus resignavit, quibus, ad Petri Cathedram evecto Gregorio, demum se penitus abdicavit, ut videbimus. Etenim diu & sæpe institit Aronensem præcipue Abbatiam Societatis Jesu Patribus attribuere, vivente Pio, quod nunquam tamen impetravit. Pœnitentiarii item Majoris munus, & Basilicæ Liberianæ administrationem dimittere cum vellet, idem Pontifex obstitit testatus *a nullo Romæ sanctius posse eam provinciam regi quam a Carolo absente; si quid autem peccatum in hujusmodi administratione fuisset, obsidem Se apud Deum Judicem fore*. Ornamentus vero ad Eum scripsit hac super re: *pernecessarium videri Carolum in ea provincia persistere utpote legum ejus tribunalis moderandarum opportunitas solum, Eo regente, offerri posse videretur*.

(*c*) Nihil Roma asportatum reperio præter aulæa, quæ Sibi antea dono data a Mantuæ Duce primario Urbis nostræ Templo largitus fuit. Reliquam omnem supellectilem argenteam Delfino Torcellano Episcopo venalem exponendam commisit Aprili mense MDLXVI. Horarum indicem affabre factum, & Armillarem sphæram æneo Atlantis signo suffultam apud Patruum Borromeum repositam exegit, ut hastæ subjiceret. Quidquid ex illustri Pinacotheca erat splendidum in pios usus erogandum jussit ad Carniliam scribens XII. Maji, & XVI. Julii MDLXIX.: *Ex rebus omnibus, quæ isthic venales prostant, mens erat conflatam pecuniam in pios usus expendere; verum cum id ad majorem eorum utilitatem conducat, constitui res ipsas dono iis dare, quibus pecunia colligenda destinabatur. Hoc itaque ordine distribue: Signa omnia marmorea* (hæc quatuor circiter millia aureorum æstimabantur ut in scheda apud nos servata) *etiam non integra Domui Piæ, hac tamen conditione, ut ad statuorum subsidium ducenti reserventur nummi: numismata, & signa ænea Sanctæ Marthæ Virginibus dabis. Sacra Supellex Basilicæ Lateranæ, serica villosa Sancti Jacobi Incurabilium Templo concedatur, ducentis item decerptis nummis in aliam rem ex Tauriesi mente, & meca. Suffimentorum thecam, & horarum indicem machinam Bassius habebit, & ex sententia item mea pecuniam expendet. Pelles pretiosas Sanctæ Marthæ Virginibus largieris, sed media inde percipiendæ pecuniæ pars Sanctæ Praxedis Templo cedet: Purpurea autem umbella Stultorum Hospitali domui. Minutiora aliqua, & levioris momenti dono habeat Cardinalis de Gambara. Ex tot affabre sculptis signis unum Pii IV. Simulacrum* serva-

Digitized by Google

Mediolani venumdata, partim Metropolitico Templo dono data in alimenta Pauperum, & Sacrorum majeſtatem ceſſere. Romagnani Dinaſtiam Federico Ferrerio neceſſario ſuo tradidit, paternas opes, & avita patrimonia cum ea conditione Patruis reliquit, ut certam ſibi pecuniæ partem quotannis perſolverent. Ita, Archiepiſcopatu, & Toletana penſione (*a*) unice retentis, annuam octoginta millium aureorum ſummam (alii ad centum millia retulere), quam antea obtinebat, ad viginti millia redegit (*b*), ea quoque dimiſſurus, niſi alendæ familiæ, ac ſubditorum inopiæ ſublevandæ neceſſitas obſtitiſſet. Hunc vero inanis pompæ, divitiarumque contemptum facile teſtari poterat domeſtica ſupellex, in qua nihil videlicet præter Domini modeſtiam ſplenderet. Quarum rerum famam, cum in omnes partes longe lateque diffunderetur, tanto magis ad reformandos populorum mores profuiſſe credendum eſt, quanto ad permovendas hominum mentes exempla magis, quam decreta proficiunt.

CAPUT III.

Quibus ſanctionibus Familiæ ſuæ mores compoſuerit.

VErum hac tanta gravitate conſiliorum, tanta in caſtigandis cupiditatibus ſollicitudine nihil actum putabat, niſi familiam univerſam ad eadem ferme inſtituta componeret. Noverat ſiquidem eorum vitam, qui inertes, aut improbos domi ſuæ alant, ſuſpectam eſſe ſolere. Et quamquam Sanctiſſimæ rei, quemadmodum dixiſſe me arbitror, jam pridem initia jecerat, nunquam tamen incœptis abſtinuit, quin omnia denique lentis uteumque incrementis ad perfectum adduceret. Conciverat ſane multos ad ſuam illi operam devovendam ſive admiratio viri, ſive Eccleſiaſticæ diſciplinæ addiſcendæ cupiditas, ſive etiam ſpes aliqua utilitatis, quo ſuavi morbo aulicorum plerumque ingenia laborant. Ex ea multitudine Sacerdotali tantum Ordine initiatos, aut ſaltem Ordini idoneos eligebat, idque exemplo Summorum Pontificum, quorum familiæ ſolemne eſt neminem, niſi ſacra toga inſignem adſcribi. Sed cum in eo delectu non tam ſuis, quam Eccleſiæ neceſſitatibus auxilia deſtinaret, celeberrimos undique Juris, vel Theologiæ ſcientia Magiſtros exquirebat, volebatque mandatis ſuis obſequentes habere (*c*), quorum ipſe conſiliis citra dignitatis injuriam obſequi poſſet. Centeni intra Palatii fines ejus ſtipendiis alebantur partim ad Reipublicæ curas, partim ad inferiora ſervitia conſtituti, nec ante admiſſi, quam certa de probitate vitæ teſtimonia exhiberent. Lucri cupidos, ac per obſequii ſpecimen

---

ſervavit ejus Tumulo deinde imponendum. Cumque Præſul Cribellus ſibi poposciſſet dono dari Veneris, & Cupidinis profanum quidem ſed honeſtum ſignum, reſpondit: *Neque dono neque pretio id datum iri, cum ſummopere profana quælibet Eccleſiaſticum Virum dedeceant.*

(*a*) Alias penſiones aliquot per annos Sibi perſolvi adhuc eſt paſſus, quibus deinde, accepta certa pecuniæ ſumma, debitores liberavit, & æs collatum in egenorum neceſſitates ſublevandas expendit; eas vero omnes retinuit, quæ aliis ex ſuo erant perſolvendæ. Condonavit item ducentos nummos ſibi ab Hoſtunenſi Epiſcopo quotannis pendendos hac adjecta lege, ut vel in Templi ſui uſum, vel inopum beneficium cederent, ut ex epiſtolis.

(*b*) Fornerius Ejus familiaris teſtatus eſt, ſe præſente, & Borromea Ferreria Matre Cardinalis Vercellenſis, ac Virginia item a Ruvere, Carolum ab Avunculo tum vivente interrogatum, num redituum ſuorum multitudo centies mille nummorum ſummam expleret; Carolum autem id non negaſſe, Legationum tamen cenſibus comprehenſis. Poſtmodum vero per obitum Avunculi ademptis Legationibus, octoginta nummûm millia Illi reliqua quotannis fuiſſe aſſeveravit idem Fornerius. Lanfrancus autem Reyna rationum ſuarum deinde adminiſtrator ſcripſit: Suo tempore ex Mediolanenſi Archiepiſcopatu ſexies mille nummos percipi ſolitos fuiſſe, novem autem eorum millia ex Toletana penſione, ex altera autem Hyppoliti Ateſtini mille & quingentos, & quingentos alios ex Cardinali de Gambara a Borromeo perceptos, ex quibus tamen mille & quingentos ipſe tribus Cardinalibus libro ſuperiore relatis numerabat; ex cenſibus vero, quos ex patrimonio ſuo reſervaverat, ducentos nummos annuos Mediolanenſi in cauſis Fidei Quæſitori deſtinaverat.

(*c*) Caſſarum quemdam ſibi a Philippo Nerio deſignatum, ut in familiarium numerum referretur, juſſit ad ſe mitti, ad Specianum ſcribens his verbis: *Mens mihi non erat domeſticorum numerum augere, ſed tamen, quam deſcribis, Adoleſcentis probitas conſiliumque everſis meum. Placent tot animi dotes; ſed hæc illi ſit indicta condi-*

Digitized by Google

cimen utilitati magis suæ, quam Hero servientes, qualia sæpe avaritiæ mancipia in Principum domibus habitant, quo ille odio haberet satis ostendit aulici unius exemplo, qui ob elegantiam ingenii in epistolis conscribendis diu adhibitus, tamen cum Sacerdotium, quod inconsulto Archiepiscopo obtinuerat, dimittere noluisset, ipse illico ex Aula est dimissus. At ne quis avaritiæ vitio inopiæ nomen obtenderet, largiora stipendia singulis assignabat, solitus etiam fidelem cujusque operam cumulare muneribus (*a*), & cupiditatis periculum donorum liberalitate prævertere.

Multo difficilius falli poterat simulatione virtutis, aut ostentatione ingenii, quibus non pauci dominorum oculos, & judicia decipiunt; Nam quoties aliquis inter domesticos cooptari se peteret, haud secus, quam usitato apud Cœnobitas tyrocinio, ita exercebatur, ut quid ab ipso expectari posset experimento constaret. Nobiliora ministeria ambitiose appetere, sive cum sociis dignitatis æmulatione certare intolerabile inibi flagitium erat; Titulis utcumque, aut genere illustres amanuensium officio fungi, & necessarias itineri sarcinas humeris gestare jubebantur, nec aliud sibi decus exquirere, quam parati ad omnia animi alacritatem. Quin novum aliud artificii genus explorandæ patientiæ, modestiæque suorum invenerat. Nam præter eos, quos antequam in familiam reciperet, religionis, ac sanctimoniæ Magistris probandos tradiderat, nonnullos etiam jamdiu receptos procul ab omni negotio, velut inertes retinebat (*b*), ex occulto interea prospiciens, qua fortitudine animi hunc sui contemptum in conspectu alienæ laudis tolerarent. Hinc mirum non est, Visitatores Regionum, causarumque Auditores, aliosque Episcopalis Curiæ Vicarios ex tam nobili famulatu prodiisse, Præfectosque non raro Provinciis datos, quos ipse aliquando cubiculo suo præfecisset. Postquam enim aliquos inter domestica officia diu detinuerat, eos ne cogitantes quidem, nedum petentes ad sublimiora extollebat, pro ut illorum meritis convenire, aut e Republica esse judicaret.

De pulcherrimo autem ordine, quo tot addictos stipendiis suis homines regeret, etsi multa in Actis Ecclesiæ Mediolanensis consignata literis extant, pauca tamen compendio notare haud alienum ab hac operis parte existimo. Virum in primis Sacerdotali dignitate, ac singulari prudentia præditum universæ domui præposuit, quem plane ad vitanda superba nomina, quæ in laicorum Principum illustriore famulatu audiuntur, modestiore vocabulo Præpositum domus appellavit. Huic adjutor datus, qui ad quotidiana, & minora ministeria vicariam veluti operam exhiberet. Præfectum simul alium instituit administrandis vectigalibus, quæ ex prædiis,

---

conditio, ut demisso animo quidquid mihi libuerit prompte perficiat. Camillum autem Gandulphum juris peritissimum, quem Ormanetus opportunum Curiæ scripserat, hac de causa repudiavit: *Cum viribus imbecillum audiam, ineptum eum judico, qui eos suscipere labores possit, quibus meos exercere identidem consuesco.* Quare Ludovicus Audoënus Archidiaconus Cameracensis se ad Borromei famulatum comparans Roma pridie Calendas Majas scribit anno MDLXXX.: *Quid mihi apud Te agendum, quave conditione vivendum erit, nec scio, nec scire multum laboro. Deum vocantem sequar, & illius obsequar providentiæ. Ego, quidquid erit agendum, me fidum, & pro mea debilitate diligentem præstabo, & bonam mentem, bonamque semper afferam voluntatem.*

(*a*) Præverti tamen aliena cupiditate liberalitatem suam noluit; hinc parcior in Petrum Pusterlam fuit, cui Equestrem dignitatem postulanti Carolus respondit XXXI. Decembris MDLXVII.: *Sponderam te opera mea in Lusitanorum Equitum Catum facile cooptandum; sed cum scribas te idcirco id honoris postulare, ut pensione te aliqua ornes, religioni mihi duco fidem præstare, atque operam meam interponere, ut tam pravo consilio indulgeam. Quod vero a me pecuniarum subsidium postulas, id scias velim adhuc superesse mihi magnam æris alieni solvendam summam; quare utrique nostrum patienter ferendum est, si omnia, quæ velimus, exequi non possumus. Sumptus itaque ambo moderemur necesse est &c.*

(*b*) Hæc Taurusius Bernardinus in Tabulas retulit de se ipso loquens: *Cum me inter familiares suos adscivit anno MDLXXV., rogavit, num paratam ad omnia voluntatem afferrem? Audivi autem hac voce semper usum fuisse, cum ceteros quosque reciperet. Revera nos in Canonicæ, aut vici Fulcuyni Ædes ab omnium commercio remotos ablegabat, quod Viris præsertim Nobili loco natis permolestum erat, cum nihil a Clerici cujuscumque conditione differre videremur. Accidit autem mihi, ut aliquando semestri spatio in Canonicæ Asceterio ex Ejus mandato delitescerem, nulla unquam data vel Borromei, vel familiarium videndorum facultate.*

Digitized by Google

diis, juribuſque contrahuntur. Hujus munera erant latifundia locare, annuos cenſus exigere, atque in alios procuratores diligenter inſpicere, quos mandatis ſuis obnoxios haberet. Duodecim Sacerdotes, quorum pleroſque Doctorali laurea inſignes ad honorariam cubiculi cuſtodiam deſtinaverat, duoſque ex eis ſpectatæ inter ceteros probitatis ſemper lateri aſſiduos, & diu noctuque ad nutum paratos retinebat (*a*). Ex eodem numero binos alios elegerat, a quibus ſevere admoneri volebat, ſi quid fortaſſe præter ſui nominis dignitatem admitteret; Id quod in ſexto Provinciali Concilio ab omnibus Epiſcopis fieri præcepit, ut vitia, quæ ob ingenitum erga ſe ipſos amorem peccantium oculos perſæpe effugiunt, cenſore adhibito facilius recognoſcant. Eadem ſeveritate in reliquos domeſticorum animadverti per certum hominem juſſerat; utque nihil inordinate fieret, quotquot erant Domus miniſteria, totidem iis Præſides aſſignabat. Ita alius hoſpitibus pro cujuſque dignitate comiter, lauteque excipiendis, alius ad publica, alius ad ſecreta ſubſidia pauperibus ſuppeditanda delectus, alius denique ad ægrotantium curam, de qua adeo ſolicitus fuit, ut non modo neceſſarios curationi ſumptus de ſuo præſtaret, verumetiam ipſe lectulo aſſidens decumbentibus inſerviret.

Jam vero ex hac tanta in componendis domeſticis rebus prudentia facile eſt conjicere, quo ille ſtudio procuraret ea, quæ ad religionis cultum, ac Divini nominis gloriam pertinebant. Sacerdotibus indicta lex erat, ut ſingulis hebdomadis animi labes ſacra confeſſione detergerent, rem Divinam quotidie facerent, in atrium paulo poſt ſolis ortum propè ejus cubiculum convenirent, ibi, præparato piis aliquot meditationibus animo, atque una cum ipſo matutinas Deo laudes alterna Pſalmorum recitatione perſolverent. Feſtis præterea diebus linteati divinis Officiis in Templo Maximo intererant, & quoties ſupplicationes publicæ haberentur, eodem, quo ceteri, ordine incedebant. Erant etiam ex eodem numero deſignati, qui ad inferiora ſervitia conductos ſtatis temporibus convocarent, ac rite docerent ea, quæ nefas ſit a Chriſtianis hominibus ignorari.

Parum abſimili diſciplina familiarium reliqui regebantur, quos & quotidie Sacro intereſſe volebat, & deſignato conſcientiæ Moderatori peccata ſua ſingulis menſibus confiteri, & ſchedulam ab eo referre, quæ præſtitam ab unoquoque tam ſalubri mandato obedientiam teſtaretur. Ad hæc inter lucis initia congregari omnes in domeſtico Sacello, ibique tacita primum cogitatione proficuam aliquam æternæ ſaluti ſententiam expendere, mox horariis ad Deiparam precibus ex ejus patrocinio felicem diei exitum auſpicari. At ubi nocturnæ quietis tempus advenerat, in idem Sacellum, ſigno dato, ad excutiendas ſecreto examine quotidianæ vitæ noxas revocabantur, edoctique de iis, quæ craſtina luce meditarentur, modeſte compoſiti, ſilenteſque in ſua quiſque cubicula recedebant. Noctu exire (*b*), cujuſvis generis arma penes ſe habere, ludis, aut confabulationibus tempus terere nemini licuit; neque fallendis Archiepiſcopi ſanctionibus locus erat, cum ipſe non raro ſingulorum ſtudia, & cellas inexpectatus inviſeret. Muſici quoque concentus omnino vetiti, quin & eos, quos diebus feſtis in antedicto Sacello ad ſacras preces adhibere conſueverat, prorſus amovit, veritus ne artis ſuavitas ab officio ſuo quemquam averteret, aut ab cæleſtium rerum veneratione avocaret. Interim ſparſa erant conclavia ſanctioribus libris conſulto appoſitis,

(*a*) Delecti ad id munus Hieronymus Caſtanus, & Ludovicus Moneta Mediolanenſes fuere. Narrat autem ille ſe aliquando vehementer a Cardinali increpitum, quod Illum cum Medicea Conſobrini ſui uxore colloquentem deſtituiſſet ad aliud forte digreſſus e cubiculo, ſermonis arbitro uno relicto Ludovico Moneta.

(*b*) Cæſarem Gonzagam conſanguineum ſuis in Ædibus hoſpitem excepturus menſe Junio MDLXXIV. ſcribit abſens rei domeſticæ Præfecto: *Cavendum quam maxime, ne ejus cauſa ordo domeſticarum legum turbetur, & moneatur Cæſar, ad vigeſimam quartam diei horam aut prompte domi adſit; ſolere enim peſſimo januas obduci.*

Digitized by Google

tis, ut si quid temporis post consueta munia alicui supereſſet, nihil agendi tœdium utili aliqua lectione transigeret. Cœna refectis, si forte hyemis inclementia considere ad ignem in hemicyclo cogerentur, haud aliis sermonibus uti fas erat, quam quibus una cum corpore pietatis amor, & virtutum desideria incaleſcerent. Idque eo accuratius fieri oportebat, quod plerumque Herus ipse colloquiis aderat, jubebatque singulos in medium afferre pios animi motus, quos ex matutina oratione retuliſſent. His vero vitæ institutis exterior corporis habitus apprime congruebat. Rejecto siquidem inani vestium ornatu, pullati omnes graviter, honesteque incedebant (*a*), ut si quis Archiepiscopi Palatium eo tempore inviſeret, severioris disciplinæ cœnobium, magis quam Principis Viri Aulam introire se crederet.

Nec mirum alicui videri debet laicos præsertim homines, atque eo maxime tempore inveniri potuiſſe, qui tam oneroſæ servituti se obstringerent. Nam præterquam quod magnam oneri partem exemplo ipse suo detraxerat, & sua quoque honestis actionibus jucunditas inest, multa insuper alia legibus suis adjunxerat, quæ parendi neceſſitatem facile delinirent. Tantus certe ejus amor erga singulos fuit, ut quos in familiam semel adscisceret in filios adoptaſſe videretur. Hanc vero benevolentiam testabantur prompta in tempore non stipendia modo, sed præmia, exquisita ad cujusque usum supellex, gratuita medicorum, pharmacorumque solatia, rhædæ etiam, & equi in promptu, quoties alicui itinerandi neceſſitas incidiſſet. Quotidiani victus eam rationem habuit, ut neque liberalitati aliquid, neque modestiæ deeſſet. Præstituto tempore postquam omnes in triclinium convenerant, sua cuique fercula separatim apponebantur, lectione inter epulas semper (*b*) adhibita, aut audito ex Seminarienſibus Clericis Oratore, qui convivarum mentes apto aliquo sermone reficeret. Et subjiciam hoc loco aliquid, quod sane incredibile videri possit, totius videlicet anni spatio tres omnino menses fuiſſe, quibus in Cardinalis Aula carnium esus permitteretur. Nam præter constitutos ab Eccleſia dies alia ipse tempora designaverat, quibus jejunium servaretur, idque tanta severitate, ut, quarta cujusque hebdomadæ feria tantummodo excepta, lactis etiam usum amoveret. Ea lex complectebatur sextam quamlibet feriam, pervigilia festorum, quibus urbs nostra Antistites suos Sanctorum numero adscriptos venerari consuevit, ac totum illud temporis spatium, quod præparandis ad Christi Domini adventum hominum animis Eccleſia Mediolanensis instituit. Quin & Dominica die, quam Quinquageſimæ appellant, Quadrageſimæ jejunia inchoari præceperat, quasi in se ipso, ac familiaribus suis castigaturus insanam epulandi licentiam, quibus extremo illo bacchanalium tempore multorum libido proximam abstinendi neceſſitatem ulciscitur. Et initio quidem communi ipse cum ceteris mensa utebatur, a qua paucos deinde post annos abstinuit (*c*), alia nimirum inita vitæ ratione, qua feſſum tot laboribus corpus pane tantum, & aqua sustinebat. Tum demum apparuit quantum exempla Principum Virorum permovendis hominum mentibus valeant. Cum enim Carolum ad castigandas corporis cupiditates districtis sæpe flagellis in tergum sævire animadverterent, domesticorum plerique eamdem consuetudinem contraxere, sive imitatione virtutis, sive exprobrante conscientia quod pœnitentiæ studio segniores illo se ostenderent, cui vitæ

(*a*) Præscriptam hanc Domi legem vestium talarium ut tueretur, dicere ad familiares solitus fuit Borromeus: *Decere eos pari veſtium honeſtate Domi ac in foro verſari; Epiſcopi enim Palatium revereri conveniebat, ut publicum & in propatulo poſitum locum.*

(*b*) Adeo religiose hunc morem retinuit, ut testatus fuerit Comes Paulus Camillus de Marlianis: *Carolum aliquando accumbentem Sabaudiæ Ducis menſæ juſſiſſe inter epulas legi Salomonis capita, quo rectam regendi populos normam Principes edocentur.*

(*c*) *Cum primum hanc pane victitandi rationem iniiſſet, domeſtico nondum triclinio abſtinebat; monitus deinde Se hac ſingulari veſcendi ratione accumbentium oculos lædere, ne ab illa abſtinendi cibis conſuetudine recederet, a familiarium deinde conſpectu recеſſit.* Hæc Antonius Seneca.

Digitized by Google

vitæ innocentia longe inferiores eſſent.

Ceterum dici vix poteſt quæ virtutum ſemina, quæve ingenia virorum ex hac ſchola prodierint. Ex ea certe familia dimiſſi ſublimiores Chriſtianæ Reipublicæ gradus aliquando tenuere, certiſſimumque minime ſervilis ingenii teſtimonium videri potuit, quod Carolo ſervire meruiſſent. Viginti ex iis, quos ipſe adjutores habuerat, non tam infulæ honore, quam literarum, & prudentiæ fama claruiſſe conſtat, nec forte abs re erit aliquos nominare non paſtorali modo cura, verum etiam legationibus, aliiſque ampliſſimis muneribus egregie perfunctos. Hi fuere Silvius Cardinalis Antonianus a cubiculo primum Clementis VIII., mox Conſiſtorii a Secretis, Nicolaus Ormanetus Patavii Epiſcopus ad Catholicum Regem Nuncius, Joannes Baptiſta Caſtellus Ariminenſis Antiſtes apud Galliarum Regem pro Summo Pontifice Orator, Hieronymus Federicus Laudenſis Eccleſiæ Præſul ad Sabaudiæ Ducem Miſſus, ac Romæ Gubernator, Joannes Franciſcus Bonhomius, qui præter graviſſimas in Belgium, Helvetiam, ad Cæſarem legationes, Vercellenſem Diœceſim ſumma cum laude adminiſtravit, Cæſar Specianus, & Audoënus Ludovicus, quorum ille poſt procurata apud Hiſpanum Monarcham, & Rodulphum Imperatorem, hic apud Helvetios Apoſtolicæ Sedis negotia, in Urbibus ipſis, quas Pontificatu ſuo illuſtraverant, Specianus nempe Cremonæ, Audoënus Caſſani ad ultimum quievere. Claudunt agmen alii quinque Epiſcopi, quibus ad magna quæque ſubeunda non ingenium, ſed occaſio defuit. Siquidem Averſa Bernardinum Moram, Brunetum Nicolaum Maſcardum, Ferraria Joannem Fontanam, Novaria Carolum a Baſilica Petri, Anania denique Antonium Senecam accepit, clariſſimos vere Præſides, ac Divina providentia delectos, ut Borromei Magiſtri ſapientiam late in Populos propagarent.

CAPUT IV.

Quo ordine electos in Provincia ſuæ regimen Adminiſtros partitus ſit, quibuſque ſingulos ordines legibus devinxerit.

NEc ſane evadere Carolus ex tot, tantiſque difficultatibus poterat, niſi ejuſmodi homines ad miniſteria paratos habuiſſet. Late confinia Diœceſis, ac multo latius vitia patebant, multa curarum, multa periculorum genera occurrebant, reſtituendum denique erat quidquid octoginta annorum incuria perierat (*a*). Quæ cum ille ſecum aſſidua cogitatione revolveret, præſtantiſſimorum hominum auxilia undique conquirebat, verſiſque in eam curam officiis omnibus, Italicæ Sapientiæ florem decerpere viſus eſt, ut unam hanc Eccleſiam exornaret (*b*). Id ut facilius aſſequeretur, invitamenta alia precibus addebat, viaticum, domum, veſtes, luculenta demum ſtipendia, ſi forte iis ad literarum ſtudia, aut conſequenda Doctorum inſignia indigerent. Quamquam non defuere Mediolani, qui nullo utilitatis reſpectu operam ſuam offerrent, ac magnæ mercedis loco haberent, ſi inter tanti Cardinalis adjutores admitterentur. Ludovicus Moneta inter eos fuit Urbis noſtræ Patritius ſingulari morum integritate, quo neminem aut fideliorem Carolus, aut magis

(*a*) Hyppolitus Ferrarienſis Cardinalis malorum hujuſmodi Auctor potiſſimus id fatetur ingenue ad Carolum ſcribens XVIII. Junii MDLXVI.: *Certe neceſſarium videbatur te ſingulari pietate, ac diligentia Paſtorem emendare in iſta Diœceſi quidquid malorum deſidia Antiſtitum præteritorum fuit contractum. Hinc ſpero Tibi propitium ſemper Deum præſto fore. Nec puto a me ſanctius quidpiam in retroacta vita factum, quam quod tantam Eccleſiam in Tuo præſidio collocaverim.*

(*b*) Specianus refert nunquam Romam acceſſiſſe Carolum, quin inde inſignium Virorum copia veluti triumphalibus ſpoliis ornatus, auctuſque diſcederet. Tam diligenter autem ſingulas veluti odorabatur provincias ad hunc delectum habendum, ut Pius Pontifex anno MDLXX. per Ormanetum ſplendidam hanc illi curam demandaverit, *ut quoſcunque uſpiam terrarum inſigni probitate aut ſcientia Viros noſſet, in eluctum redigeret, ut gravibus Eccleſiæ temporibus eorum opera tuto Roma uteretur.* Hinc S. Philippus Nerius lepide Eum appellare conſueverat *Furem ad probos homines corradendos rapaciſſimum.*

Digitized by Google

magis ab omni remuneratione alienum invênit. Paternas opes, quas ſatis amplas habebat, modeſtia, & frugalitate ampliores effecerat, ut quo parcior erga ſe ipſum foret, eo liberalius alienæ egeſtati conſuleret. Captus admiratione virtutis cum ſeſe in Cardinalis arbitrium tradidiſſet, vix unquam ab ejus latere diſcedebat, perpetuus itinerum comes; atque ob ſinceritatem animi, comprobatamque multo rerum uſu prudentiam ad graviſſima quæque in conſilium adhibitus. Pluribus deinde editis pietatis, & ſapientiæ experimentis, ſeptuageſimo octavo ætatis anno, poſt Caroli obitum decimo quarto, vita deceſſit, ſepultuſque eſt in Deiparæ Æde, cui ob crebra beneficia, quæ inde in homines manant, *Gratiarum* inditum nomen.

Nunc juvat exponere, quam apte, ſapienterque Carolus auxiliarem hanc Sacerdotum manum ad Provinciæ regimen collocaret. Præcipua curarum fuit deligere hominem Juris, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritum, cui Vicariam poteſtatem in univerſos demandaret. Nec irrita unquam ejus vota fuere, inventis ſemper Clariſſimis Viris, quorum virtuti tam magnam onerum ſuorum partem tuto committeret (*a*). Duos inſuper Vicarios creavit, alterum Civilibus, alterum Criminalibus, ut ajunt, cauſis dijudicandis, addito Fiſci Procuratore, atque Auditore delecto, qui & ceteris opem ferret, & quæſtiones de iis, quæ ad privata Archiepiſcopi emolumenta pertinent, definiret. At quos judiciis exercendis admoveret, eos ab exteris Regionibus evocabat, ne amicorum officia, aut propinquorum preces, funeſta ſcilicet juſtitiæ pericula circa tribunal haberent. Quin etiam ſevero edicto cautum erat, ne quiſquam domeſticorum apud Curiæ Miniſtros interceſſoris officium aſſumeret. Muneribus vero, quorum magna ubique vis eſt, omnino aditum intercluſit (*b*), quippe cum omnes ære ſuo luculenter aleret, ac ſæpe affirmaret, nullum ſe unquam minimi utcumque pretii donum accepiſſe, quin erga donatorem moveri ſeſe occulta quadam voluntatis inclinatione ſentiret (*c*). Cancellarii provinciam, quæ ad laicum hominem pari cum ceteris rebus iniquitate devenerat, alteri ex primarii Templi Canonicis tradidit, revocato uſu ab uſque Sancti Galdini temporibus, quem, antequam Ambroſiana infula decoraretur, eamdem provinciam obiiſſe conſtat (*d*). Et cum omnia ibi negotiatorum tabernis, quam Eccleſiaſticæ Curiæ ſimiliora inveniſſet,

(*a*) Sine præconio dimittendi hoc loco non ſunt tres ex ejus Vicariis, quorum nomen æternitas omnis intuebitur. Primo Nicolaus Ormanetus Veronenſis occurrit, de quo ſcribens ad Cardinalem Alexandrinum Carolus, cum eum Romam mitteret, menſe Junio MDLXVI. *Habes*, inquit, *in rebus agendis omnino integrum, doctum, fortem, ingenuum, & in negotiis demandatis promovendis vix unquam ceſſantem*. Secundo Joannes Baptiſta Caſtellus Bononienſis, quem ſummis precibus a Paleotto impetratum cum Urbe ejiciendum aliqui Cives cenſerent propter ejus in Jure Eccleſiaſtico tuendo conſtantiam, Borromeus, ut hoc averteret malum, Romam ſcripſit: *Se tanto adminiſtro deſtitutum vix alibi rebus ſuis par auxilium ſperare poſſe*. Extat nobiliſſimum ejus integritatis, & ſapientiæ teſtimonium in Latinis literis ad Cardinalem Borbonium a Carolo datis, cum in Galliarum Regnum anno MDLXXXI. ex Pontificio mandato Internuncius proficiſceretur. Tertio Audoënus Ludovicus Cameracenſis Archidiaconus pro fide Catholica apud Anglos, & in Hæreticos tuenda, imo Reginæ Scotiæ Mariæ amicitia celeberrimus; ut omittam ex minoribus ejus Vicariis Belviſium Vercellenſem, Jacobellum Sabinum, Fontanam, Maſcardum, Paphium, Galerium, Panicum, quorum fama pluribus in locis diſſeminata eſt.

(*b*) Addit Poſſevinus adeo ſpectatam fuiſſe Cardinalis integritatem, ut nullum ex familiaribus ad cœnam aut prandium a Civibus invitatum domo egredi ſineret. Quam incorrupte autem exercerentur in quæſtionibus omnia docet idem Carolus Ormaneto commendans adminiſtros ſuos, quos mulctandos exilio ab adverſariis intellexerat: *Spero nihil in Curia mea futurum, quod Pontificis cenſuræ obnoxium videatur. Cum enim ſumptibus non parcam in egregiis conquirendis Viris, ne quid in munere obeundo diligentiæ omittant; ita factum eſt, ut optimos adminiſtros habeam ab omni præſertim avaritiæ labe alienos*. Et alibi narrat *omnibus eos emolumentis privatos, quos Sacri etiam Canones concedunt: attamen ſine ſuo Ipſius commodo, cum pecuniam omnem ex quæſtionibus collatam, in Collegia Virginum, Templorumque uſum partiatur*.

(*c*) Hac de cauſa oblatum ſibi aliquando olerum munuſculum ocyus repudiatum narrat Specianus, licet oboli unius pretio æſtimandum, Carolumque ad ſe converſum dixiſſe: *Nondum intelligis quantum ad animum deluviendum tenuia etiam munuſcula valeant*.

(*d*) Sanxit hæc anno MDLXXVII. cum ſecundo Curiæ ſuæ leges emendaret, atque id ſe ex vetere inſtituto feciſſe fatetur ad Specianum ſcribens die IX. Octobris.

Digitized by Google

set, singula scripturarum genera tenuissima pensione damnavit (*a*), centum annuis nummis præter quotidiana alimenta, tresque ad laboris levamen adjutores, Cancellario attributis, ne forte inopiæ titulum cupiditati suæ prætexeret. Pensiones autem, quæ inde colligebantur, & mulctatitiam pecuniam apud designatos custodes asservari mandavit, quoad ejus nutu in pios usus expenderentur. Circitorem postremo cum octo armatis lictoribus (*b*) in statione collocat, gnarus videlicet, multitudinem sine metu regi non posse.

Hac tam accurata distributione officiorum consuluerat ille quidem Ecclesiæ necessitatibus, nullam tamen laboris partem sibi ipsi detraxerat inusitato apud plerosque Principum more, qui commendata Ministris Reipublicæ cura, impune otiari se posse arbitrantur. Nam quo pluribus præfecturis Aulam instruxerat, eo sibi intentius inspiciendum in singulos cogitabat, an sancte, integreque commissa sibi potestate uterentur. Quod si quemquam eorum aut segnem in judiciis administrandis, aut incautum in ferendis sententiis, aut alterius culpæ manifestum deprehenderet, hunc primo leniter castigare, mox contumaciter monitis obsistentem non magistratu solum, sed etiam domo amovere solitus fuit. Nec sane ulla tam parva res erat, quæ solicitudinem ejus, aut memoriam effugeret. Etiam carcere detentis per se ipsum, aut fidos homines aderat intellecturus, an durius, quam par esset, a custodibus tractarentur, an corpori necessaria omnibus suppeterent, quodque præcipuum est, an Religionis cultum, æternæque salutis memoriam retinerent. Aram certe ante ferreos carcerum clathros excitaverat Mysteriis celebrandis, quorum usu identidem refici, & aspectu recreari quotidie possent. Interim ipse, composita in hunc modum familia, instructisque Tribunalibus, paulatim prodibat ad universæ Provinciæ salutem procurandam, ad quam videlicet cogitationes omnes, sumptus, labores, studia denique omnia referebat.

Ac primo quidem duos primariæ sapientiæ Viros, velut in specula collocavit, quorum alter in Urbem, alter in reliqua Diœcesis loca curam intenderet, mox Civitatem ipsam juxta Portarum numerum, quibus Mediolanum aditur, in sex partes divisit, curandasque tradidit totidem Sacerdotibus, quos idcirco Portarum Præfectos appellavit. Eadem partitione usus est in administranda Diœcesi, sexque alios Visitatores nominavit, quorum unusquisque destinatam sibi regionem tueretur (*c*). Hos vero omnes semel in hebdomada apud se ipsum congregari jubebat, ac proferre in medium cum vitia, & corruptelas, quas in sua quisque Provincia reperiret, tum consilia, & artes, quibus obviam iri peccantibus posset. Multo celebriores erant conventus, qui ter singulis annis habebantur, antequam Diœcesanam Synodum celebraret, ut quoties discessum ex Urbe ad lustrandam aliquam Ecclesiæ partem parabat, aut imminente demum ad Urbem accessu Vicariorum, quorum ad sexaginta per

(*a*) Testatus est Comes Paulus Camillus de Marlianis leviora quælibet gratis expediri Carolum in Curia voluisse, una dempta scribentis mercede; hinc affirmat se audivisse Poliani Parochum asserentem suum sibi Parœciæ concessum diploma septem monetæ nostræ assibus stetisse, licet trecentis nummis illius Sacerdotii annui reditus æstimarentur; & eodem pretio ad Canegrati Sacra regenda admotum Hieronymum Belvisium.

(*b*) Quatuor jam mercede conductos satellites ab Ormaneto scripsit Albonesius anno hujus Seculi LXIV. cum antea a Mediolanensi Antistite unus dumtaxat ad sumptus extenuandos designatus esset ad id muneris; quare deinde aucto eorum numero plurimorum dissidia, & querelæ exortæ sunt.

(*c*) Præter sex enumeratos, compluses alios in Pastoralis hujus solicitudinis partem Carolus adscivit ex familiaribus suis. Etenim quicumque nobiliori familiæ suæ ordini esset adscriptus, legabatur sæpius ad aliquam ex plebibus obeundam; hinc Hieronymus Castanus testatus est se primum Illius cubiculo fuisse Præfectum, deinde promiscue in omnibus adhibitum; nam aliquando Pincerna, Quæstor, Amanuensis, a Secretis, Præfectus hospitio, aut equili, Archithriclinus, Visitator electus plura etiam alia, prout opportunitas ferebat, obivit; paratos enim ad omnia & idoneos domesticos alere Borromeus solebat. Hinc Specianum rogans, ut Vicarium pro criminum quæstionibus habendis aliquem comparet, monet, ne hoc unice ministerium electo designet; opportunum enim ad quælibet agenda quemcumque ex famulis Se velle declarat.

Digitized by Google

per tota paſſim ditionis ſuæ loca collocatos habebat. Nam cum Eccleſia Mediolanenſis plures, eaſque nobiles Præfecturas pro ea, qua præſtat, Oppidorum, Pagorumque multitudine, ac dignitate contineat, Præfectis ipſis cum aliqua in Civilibus cauſis poteſtate Vicarii nomen ſimul, & Curam adjecerat, ut intentis in omnem partem oculis ad decretorum cuſtodiam excubarent. Eorum ſane annuus in Urbem conventus magnum Cardinali ſolatium afferebat; quippe cum ſuo in Palatio ſedens, deſcripta ante oculos haberet omnia, quæ ab ſuprema ejus auctoritate remedium expoſcerent. Nec enim cuiquam Vicariorum eum congreſſum adire licuit, antequam Cleri, Populique ſibi commiſſi neceſſitates in ſcripta redegiſſet.

Reſtabat non ultima Paſtoralis officii Cura Sacrarum Virginum regimen, quæ Reipublicæ pars quo pluribus periculis obnoxia eo firmioribus munimentis indigebat. His quoque datus, qui Archiepiſcopi vices ageret, ſelectique probatæ innocentiæ viri, quorum ductu aut ſuſceptam vitæ diſciplinam ſervarent, aut temporum licentia intermiſſam reſumerent. Cumque annuos proventus ſæpe exactorum culpa diſtrahi, nec raro negligenter adminiſtrari contingeret, optimum facto judicavit nominare aliquos ex Clericorum, ac Nobilium ordine, qui ſingula Aſceteria in patrocinium ſuum reciperent, eoque fraudis, incuriæque periculo liberarent. Ita facilior ad virtutem via Virginibus patebat, ſublata nimirum magna parte ſolicitudinis, quam inopiæ metus, & vectigalium adminiſtratio ſecum affert.

Verum ego vix dicendi finem inveniam, ſi Præfectos, Synodales teſtes, ſecretos Monitores, Cleri Cenſores, alioſque demum miniſtros enumerare voluero, quos in regiminis ſocietatem adſciverat. Quadringentos fuiſſe ferunt, quibus iſta minutim cognoſcere ſtudium fuit, ut facile ſit magnitudinem rerum, quas poſtea geſturus erat, ex apparatu ipſo cognoſcere (*a*). Quemadmodum vero ſpiritum hunc, quo movemur, ac vivimus, membra omnia corporis ex capite accipiunt: ita ingens hæc hominum multitudo tot, tamque diverſis officiis intenta uno Caroli ſpiritu ita agebatur, ut non tam ſuſtineri eorum auxiliis, quam ſuſtinere Ipſe omnes exemplo, auctoritate, conſiliis videretur.

CAPUT V.

Ut collapſam Eccleſiæ diſciplinam renovet, aliquot ad Cleri Inſtitutionem Seminaria inſtituit.

1566. UNa adhuc res animum ejus angebat, ex qua omnia plane Populi mala provenerant. Jam pridem, cum Romæ moraretur, admonitus ab Ormaneto fuerat de inopia Sacerdotum, quorum alii animarum Curæ admoveri ob inſcitiam non poſſent, alios contra ob vitæ turpitudinem ab ea cura dimoveri optimum foret. Et quamquam Ormaneto ipſi mandaverat, ut educandis in ſpem meliorem adoleſcentibus Seminarium quoquo modo excitaret (*b*), nunc re propius inſpecta, opus

(*a*) Mirum dictu eſt quot Ille adminiſtros in hanc meſſem evocaverit; dicere enim ſolebat, teſte Hieronymo Caſtano, *Eccleſiam Mediolanenſem amplo agro eſſe comparandam, in quo excolendo multorum opera uti neceſſarium videbatur*. Hinc quemcumque ſibi Amici adminiſtrum offerrent, nunquam repudiavit, & licet domeſticorum numerum augere ſumptuoſum eſſet, nunquam tamen grave fuit novum ſubire diſpendium rei familiaris, ut quamplures haberet, qui Se duce ad hujus Eccleſiæ commodum ſtipendia mererentur. Illud etiam non præteribo, quod, Pontificatu vix inito, in adminiſtrationis partem complures adſcivit ex Religioſis familiis propter Cleri inopiam. Verum vigente in dies Clericorum diſciplina, a publicis quibuſcumque muneribus Regulares evocavit, & excultos Eccleſiaſticis ſtudiis ſeculares, ut appellant, Sacerdotes ubique ferme ſubſtituit; imo iſtis unice ſacrarum Virginum curam deſtinavit, & in ea opinione fuit, ut a Parthenonum regimine Fratres eos etiam, qui iiſdem regulis continebantur, omnino removeret.

(*b*) Plures extant ad Ormanetum Caroli Epiſtolæ ex quibus patet huc potiora Ejus ſtudia recidiſſe. Aliquos Ipſe præſertim Helvetiis conterminos adoleſcentes in Seminarium recipi juſſit etiam, cum Romæ verſaretur. Albonenſius autem ſcribit, decimam, ut vocant, in Seminarium erigendum imperatam Clero Mediolanenſi, ſe primum omnium ex Caroli reditibus perſolviſſe; præterquamquod Ædes Lucii Cavenagi

Digitized by Google

opus de integro exordiri ſtatuit, atque in eam formam redigere, quæ Mediolanenſis Eccleſiæ dignitati ſimul, & amplitudini conveniret. Primum igitur in Urbe Seminarium, ad quod cetera alibi condita referuntur, regia prope magnificentia extruxit (*a*), contributa non modo in ædificium magna pecuniæ ſuæ parte, verum etiam parandæ ad alumnorum uſum ſupellectili (*b*), qui inter illa rerum initia nihil denique ex paterna domo afferre præter veſtimenta, & libros cogerentur. Quod ſi quempiam aptæ alioquin ad literas indolis adeo paupertas premeret, ut ne tam pauca quidem afferre poſſet, huic ipſe neceſſaria tegendo corpori, continuandiſque ſtudiis ſubmittebat (*c*), ne ob modicæ rei inopiam magnum fortaſſe virum Reſpublica amitteret. In hoc autem majori Seminario, cum promptioris tantum ingenii adoleſcentes per utriuſque Philoſophiæ ſtudia ad illuſtriores Eccleſiæ Magiſtratus alerentur, ad ea ſtudia tardiores in Seminario, quod Canonicæ vocant (*d*), dijudicandis conſcientiæ caſibus detinebat, quibus inſtructos ad agreſtes deinde parœcias adhiberet.

Verum, cum hæc auxilia futuri temporis eſſent, aliam rationem iniit, qua præſentibus malis utcumque mederetur. Eſt in vico Fulcuyni (*e*) dicata Deiparæ ædes, eique adnexa domus ſpectabilis olim Collegio Canonicorum, nunc diſtractis Collegii vectigalibus, non niſi memoriam antiquæ dignitatis retinebat. Uſus igitur loci opportunitate Carolus Sacerdotes aliquos, Rectoreſque animarum, quos aut vitiis deditos, aut muneri ineptos compererat, revocatos ad Urbem in ea domo concluſerat, miſſo illuc Moderatore, ac Magiſtro, qui adultos hoſce pueros leniter, patienterque erudiret quantum diu tranſacta ſine literis ætas, & obſita craſſa caligine ingenia paterentur (*f*). Tria interim

---

nagi ad Ticinenſem Portam conductæ, atque Inſtitutores dati Borromei impenſa fuere. Aperta hæc literarum ſedes eſt anno MDLXIV., adſtante Provinciæ Gubernatore, Senatu, ceteriſque primariis Urbis Ordinibus, quo tempore repente ſudum ex diuturno imbre fuluiſſe cælum idem teſtatur Albonefius, qui rem totam Carolo deſcripſit, & commendavit Comitis Cæſaris Borromei piam in hunc locum munificentiam, quæ deinde in poſteros veluti hæreditario jure tranſmiſſa eſt; quandoquidem ut citius parata Seminarienſibus pueris Ædes eſſet, Uxoris ſuæ domum ad Vicum Pulchrum conceſſurus fuit. Tres eo tempore Societatis Jeſu Patres naſcenti Seminario Inſtitutores attributi, atque inſignis ejus Ordinis tanta extitit de hoc Lycæo exiſtimatio, ut oblatam Seminariorum curam ubique repudiaverint, Romanumque dumtaxat, & Mediolanenſe regendum ſuſceperint, ut Pater Benedictus Palmius ad Carolum ſcripſit. Primus hujus loci Præſes electus eſt P. Carvajalius Hiſpanus, ut P. Sachinus ſcribit in ſua Hiſtoria.

(*a*) Incubuit hæc ædificandi cura Alexandro Vicecomiti Metropolitanæ Præpoſito, & Philippo Sormano Scalenſi Canonico, ut alibi innuimus. Hic autem ad Carolum ſcribens XXX. Maji MDLXV. bono animo eſſe Eum jubet, quandoquidem exeunte Septembri ejuſdem anni in Sancti Joannis Baptiſtæ Ædes Seminarienſis Juventus eſſet migratura. Cum vero gemini Humiliati Ordinis Fratres ibidem degerent, perfecit Carolus, ut alio transferrentur. Prædia hujus loci adhuc commendata erant ejus temporis Abbati, & Seminario o'.venerunt anno ſequente, cum ſcribat Ormanetus II. Februarii MDLXVI. propter Abbatis obitum miſſum a ſe Pontificium *unionis* Diploma.

(*b*) Tanta erat rei familiaris inopia in hujus loci exordiis, ut Ormanetus ad Carolum, qui tum Tridentum profectus erat, ſcribat XXI. Novembris MDLXV. in hanc ſententiam: *Ad annum pignoris dedi Aulæa munificentia tua Seminario attributa. Hoc medio tempore, ut redimantur, curabitur. Interim ſuppeditatis pecuniis ædificabitur ſtrenue, atque hoc anno cautum eſt, ne annona laboretur.*

(*c*) Extant Bimii Oblatorum Sodalitio Præpoſiti literæ Carolum rogantis, ut Clericis aliquibus ſoleas, tibialia, atque hujuſmodi ad uſum neceſſaria ſuppeditet. Nequid vero ad fovendas literas neceſſarium deſiderari poſſet, Bibliothecam inſuper ſatis inſtructam Lycæo huic ære ſuo comparatam adjecit Borromeus.

(*d*) Seminarium hoc, nonniſi abolito Humiliatorum Ordine, inſtituit, quo tempore Carolus ad Specianum literas dedit poſcens, ut ad erigendum hujuſmodi Collegium Sibi curaret adjudicandas has Ædes. Quibus impetratis, ex Ticinenſi Univerſitate Hieronymum Palanterium evocavit XXIV. Octobris MDLXXI., qui hiſce Adoleſcentibus prælegeret.

(*e*) Ex Fulcuyno proximæ Baſilicæ Conditore nomen ſumpſit hæc Ædes, ut facile patebit legenti ejus extructionis Tabulas extantes apud Cl. Muratorium Diſſert. LXI. Tomo V. Antiquitatum Medii Ævi.

(*f*) Ni fallor, huc tranſtulit Seminarium illud quod alibi antea in Urbe conſtituerat, de quo ad Ormanetum Carolus ſcripſerat XVIII. Aug. MDLXVIII. in hæc verba: *Tertium mihi eſt Seminarium ad Sanctum Joannem ad domos ruptas ſub Inſtitutore Guilelmo Gaddio, in quo viginti circiter aluntur provectioris ætatis Adoleſcentes, quibus poſt biennium, aut triennium fructus diſciplinæ erit uberrimus; quandoquidem jam Sacerdotes initiati ſunt, ſed a literis licet imparati, aliquam tamen concitant expectationem: quare Montanæ Regionis adminiſtrandis Sacris erunt opportuni. Hi autem omnes, ne Seminario Maximi onerem impenſas, mecs ferme aluntur ſtipendiis.*

terim minora Seminaria procul ab Urbe excitabat, Celanæ unum in Brippienſi Præfectura, alterum ad S. Mariæ, cui a nuce nomen eſt, tertium in Pago S. Firmi prope Eupilim (*a*), in quibus pueri juxta ætatis diſcrimen varias in Claſſes diſtributi ad perdiſcenda latini ſermonis elementa reciperentur ad majus ſubinde Mediolani Seminarium redituri, ubi primum idoneos ſeſe altioribus ſtudiis comprobarent. Habito deinde cenſu Sacerdotiorum, quotquot in Mediolanenſi Eccleſia numerantur, pro tradita ſibi a Tridentinis Patribus facultate, accommodatas ſingulorum opulentiæ penſiones impoſuit ſuſtentandæ alumnorum multitudini, quas haud pauciores trecentis in iis, quæ diximus, domiciliis collocarat. Et quamquam Sanctiſſimæ rei initia ære ſuo poſuerat, nullam ſibi immunitatem ab communi onere reſervavit, donec impetratis a Summo Pontifice latifundiis (*b*), ſeque, & ceteros eo tributo liberaret. Delectum puerorum, quos in Seminarium admitteret, Sibi uni ſepoſuit, erga montium

---

pribus. Extant enim literæ Borromei Roma datæ ad Metropolitanæ Archipresbyterum Fontanam anno MDLXXIX., quibus *ad Sanctam Mariam Fulcuyni* jubet *tradi Sacerdotes & Clericos ætate provectos, cum Domi ſuæ non videantur alendi, & dirimendi ſint a Seminarienſium Sancti Joannis commercio*.

(*a*) Vereor ne aliquis hic anacroniſmus irrepſerit, atque ea, quæ modico poſt Caroli obitum intervallo peracta ſunt, Gluſſianus Eidem tamquam viventi adſcripſerit. Inter plura epiſtolarum millia a me perlecta, nulla hujus poſtremi loci mentio occurrit, quæ Carolum Auctorem demonſtret, aut indicet. Ex relata nuper epiſtola ad Ormanetum caput tibi recito, quod rem plane aperiet: *Viſum eſt certiorem te facere, quemadmodum in Mediolanenſi Seminario centum admodum intra paucos dies numerabuntur, adminiſtris tamen, atque Inſtitutoribus comprehenſis. Alios viginti alo in Somaſchæ Seminario, cui Sacerdotes geminos præſides attribui. Hic educantur ruſtici ut plurimum pueri, aut in montanis partibus nati, eorumque patria horrori horridus quoque, & aſper victus reſpondet: neque ulla in ſtratis deliciæ, quandoquidem culmo, & ſtramentis indormiunt. Nimirum hic ponendum eſt difficilis vitæ tyrocinium, cui aſſueſcere illi debebunt in poſterum. Sic obduratos Rectores duræ Provinciæ excipient; neque enim par eſſet hæc vivendi ratio Mediolanenſibus Alumnis, quorum delicatior habitus corporis ab hac vivendi aſperitate abhorreret. Tertium mihi eſt Seminarium ad S. Joannem ad Domos ruptas &c.* Recole hic quæ ſupra nuper diximus. Itaque ſecundum Somaſchæ Seminarium adminiſtrationi ceſſit Clariſſimorum Patrum Congregationis ejuſdem loci, cum plures ad manus venerint Epiſtolæ Joannis Baptiſtæ Gonellæ ejuſdem Seminarii Rectoris, & ex eodem Sodalitio Cl. Reg., præter alias aſſervatas apud prædictos Patres in Mediolanenſi eorum Collegio ad S. Petrum in Monte-forti. In eorum jure permanſit Seminarium hoc uſque ad annum MDLXXIX. quo prope Celanam traductum eſt. Celanæ antea degebat Cæleſtini Ordinis Monachus S. Mariæ Eccleſiam ibidem ſitam adminiſtrans. Sed, hoc amoto, ſucceſſit ex Oblatorum Sodalitio deſtinatus Sacerdos Carabellus Rector. Tertium Sancti Joannis ad Domos ruptas Seminarium tranſtulit, ut nuper diximus, in Sanctæ Mariæ Fulcuyni Ædes anno MDLXXIX. Quare legens ea, quæ Carolus Franciſcus Urſinus in ſua de Seminarii Inſtitutionibus Epitome typis edita MDCLXXIII. exponit, nimirum Seminarium ad S. Firmi pagum nonniſi poſt ſuſceptam a Gaſpare Vicecomite Ambroſianæ Eccleſiæ adminiſtrationem fuiſſe excitatum anno MDXCI. illi facile aſſentior, cum nullibi videam in S. Caroli actis adverſæ ſententiæ fundamenta exiſtere. Hoc tamen eidem Urſino nunquâ concedam ſcribenti Sanctæ Mariæ ad Nucem Seminarium erectum nonniſi ſeptennio poſt obitum S. Caroli. Nam præter quam quod ejus erectionis meminit Poſſevinus, qui S. Cardinalis vitam concinnavit anno item ſeptimo poſt Illius interitum, & Borromeo hoc opus adſcripſit: extant etiam in actis Apotheoſis dicta teſtium LXV., LXXV., & CL. ſuper L. articulo interrogatorum, qui omnes uno ore teſtantur, Carolo Auctori certe eſſe hanc laudem tribuendam. Aliud item Seminarium Carolus Aronæ inſtituit in S. Gratiniani Ædibus, cui Præfectus erat anno MDLXX. Timotheus Facciardus; qui die hujus anni IV. ad Carolum ſcripſit, educari ibidem Clericos octodecim præcipue ex Verbano Lacu, Regionibuſque Helvetiis accitos. His Alumnis Seminarienſibus alios accenſuerat Sacerdotes, qui Sacris, diviniſque rebus vacarent. Cum enim Pontificem Summum conſuluiſſet, ut propter S. Benedicti Monachorum infrequentiam illic degentium liceret ſibi Societatis Jeſu Patres illuc inducere, cum triſti reſponſo dimiſſus ad hoc conſilium animum applicuit, ut ex pluribus Ejus epiſtolis patet. Votum tamen ſuum implevit, ſedente Gregorio, atque revocatis inde Seminarienſibus Alumnis, juſſit Societatis Jeſu Patres ad pueros ejus regionis accolas erudiendos incumbere. Mens etiam Borromeo fuerat aliud Locarni Seminarium aperire anno MDLXXI.; ſed conſilium ſuum opportuniore tempore implevit, erecto Aſconenſi Collegio, ſeu Seminario, ut Ipſemet appellat. Item cum S. Barnabæ Patribus Modoëtiam accitis Sacerdotium Corobioli, quod antea Humiliatorum erat, impetraſſet, inſtante etiam Modoëtienſi populo, in eam ſententiam venerat, ut novum ibi Seminarium conderet, eorum Patrum cura, atque literis fovendum; ſed neſcio quis caſus tam laudabile conſilium intercepit, quod ad exitum perduxit Cardinalis Montius anno MDCXXXVIII., qui Seminarium S. Mariæ ad Nucem Modoëtiam tranſtulit.

(*b*) Per obitum Comitis Jo. Franciſci Balbiani, qui commendatam ſibi poſſidebat Redeſeſii Præpoſituram, Pius IV. primos Mediolanenſi Seminario cenſus ex amplis hujus loci fundis attribuit anno MDLXV. III. nonas Maji. Pius V. deinde Ædem S. Trinitatis ad Portam Novocomenſem, Brembati Clericatum, Canonicæ demum Ædes ac hortos ſub Pontificatus finem adjecit.

Omnium

Digitized by Google

tium incolas plerumque facilior (*a*), quos non tam natalis cœli aſperitate, quam religionis negligentia laborare cognoverat. Cum enim ex Urbanis familiis raros admodum inveniret, qui nivoſa juga, & inhoſpitas valles ad animarum curam adire vellent, ipſe adoleſcentulos indidem ortos ſollicite exquirebat, qui Seminarienſi diſciplina exculti, atque ad ſuos remiſſi adminiſtratione Sacrorum libentius in Patria fungerentur. Nec ſane ſolertiam conſilii fefellit exitus. Vidit enim ætas illa Philoſophos, Theologoſque in Alpium latibulis natos, atque ad ferendam Eccleſiaſtici Regiminis partem aſſumptos, quorum humeris diverſa omnino onera generis ignobilitas, & paternæ rei inopia deſtinabat (*b*). Hinc factum eſt, ut nobiles quoque, diviteſque familiæ filios ſuos eadem diſciplina erudiendos Carolo traderent. Quamquam enim percrebuerat inanis rumor ingenitos juventuti ad vitæ præſidium ſpiritus ſeveritate legum intra ea ſepta præfocari, ſpectato tamen adoleſcentum proventu, quem ea ſeveritas pareret, tantus repente concurſus, non indigenarum modo, verum etiam finitimorum omnium fuit, ut petentium multitudini ægre tot ædificiorum amplitudo ſufficeret.

Nec mirum eſt tantum utilitatis, & gloriæ ex eo negotio extitiſſe, in quo Carolus tantum laborum, ſtudiorumque poſuiſſet. De quibus ego laboribus ſtudiiſque pauca ſummatim attingam, ne magnam partem laudum, quas inde aſſecutus eſt, omnino præteream. Duos igitur graviſſimos viros ex primarii Templi Canonicis, totidem ex reliquo Clero ad Tridentini Concilii præſcriptum deſtinavit, qui annuos reditus, & reliqua ad alumnorum victum pertinentia procurarent. Interior adminiſtratio Sacerdoti in primis pio, ac prudenti commiſſa, aliiſque adjutoribus, cum regulis, præceptiſque, quibus in Miniſterio quiſque ſuo uteretur. Hos omnes ex præclariſſima Societate Jeſu acciverat (*c*), audiebatque perſæpe de quotidianis Seminarii rebus differentes, quippe cum in iis magnam publicæ ſalutis partem verti cognoſceret. Patribus deinde cum eorum conſenſu dimiſſis (*d*), Sacerdotes Oblatos in eorum locum ſubſtituit, quorum

---

Omnium tamen liberalitatem ſuperavit Gregorius, qui loci hujus reditus auxit annua penſione DCCCLXXX. aureorum ex Braydenſi Præpoſitura percipienda. Subinde illud ditavit Ottaciorum Præpoſitura, Sporzani reditibus, Prioratu SS. Alexandri, & Tiburtii ad Verbanum Lacum, præter Beſanæ Sacerdotium SS. Protaſio & Gervaſio nuncupatum, Caravagii Fundos poſt obitum Cardinalis Juſtiniani, alioſque in Veneta ditione cenſus. Diploma etiam obtinuerat pro Clivatenſi Abbatia huic attribuenda Carolus, cujus cum libera nonniſi poſt multum tempus videretur futura poſſeſſio, ea ſe citius abdicavit.

(*a*) Anno MDLXVII., quo Mediolani ſe dudum tenuit Carolus propter excitatas de jure ſuo controverſias, cum legaſſet Trevicenſem Epiſcopum ad Capriaſcam Vallem luſtrandam, hæc ad eum ſcripſit XII. Septembris: *Velim quam diligenter ſcruteris in iſta Regione puerorum indolem, ſi qui ad Sacerdotalis vitæ rationem aſpirent, & propenſiores in Literarum ſtudia ſint; ex his enim optarem haberetur opportunus ad Seminarium augendum delectus.*

(*b*) Inter hos celebrandus eſt Marcus Aurelius Grattarola in Valle Saxira natus, inter Oblatos ab ipſo Carolo adſcitus, deinde a Federico Cardinali Borromeo ad Sodalitatis eorum univerſæ regimen ter evectus, dignuſque habitus, cui potiſſimum Caroli Apotheoſis curandæ onus incumberet. Ceterum quanti hujus Seminarii Clericorum diſciplin m facerent Provinciæ Epiſcopi, indicant eorum literæ, quibus Carolus rogatur, ut aliquot ex Mediolanenſibus Alumnis, Novariam, Vercellas, Alexandriam Statiellorum, Bergomum, Brixiam futuros veluti ſanctitatis & diſciplinæ magiſtros curet traducendos. Præcipue autem Veneti plurimi hanc inſtitutionem fecere, cum huc miſſus erudiendi gratia ſit Petrus Maurocenus Senatoris Veneti Ampliſſimi filius.

(*c*) Mille nummûm ſcribit Carolus ad Specianum hiſce Seminarii Inſtitutoribus in annos ſingulos ex Atonenſi Sacerdotio fuiſſe numeratum.

(*d*) Dimiſere hanc curam Societatis Jeſu Patres, ut eam a ſe depellerent notam, ſolicitari ſcilicet ſuis conſiliis adoleſcentum animos, ut Societati Jeſu nomen darent. Neque diffitear irrepſiſſe etiam hanc ſuſpicionem in Caroli integerrimam mentem, cum ad Ormanetum ſcripſerit XVII. Maji MDLXX.: *Hæc de cauſa ſtatuerame Seminarienſes Inſtitutores mutare; hinc aliquod volui voluntatis meæ indicium ad eos permanare, quo cautius tantæ rei conſuleretur. Poteram dare Præſides Sacerdotes aliquot Sanctæ Coronæ Contubernio addictos. Interea ut Seminarienſibus literis conſultum eſſet, opportunum videbatur Collegium aliquod Patribus aperire, in quo publice docerent, & Seminarii Clericos haberent auditores.* Verum Ormanetus tum aliter providit, impetratis nimirum a Pontifice Pio Brevibus literis XXIV. Julii MDLXX., quibus cautum eſt, ne aditus cuiquam ex Seminarienſibus ad eum Ordinem pateret, niſi poſt quadriennium rude donato. Attamen cum, Pio defuncto, Neapoli Robiano cuidam hæc via ad Societatem patefacta eſſet, & clanculum

Digitized by Google

rum Sodalitium Mediolani condiderat, pro ut in tempore memorabo. Ad hæc conſcientiæ moderatorem juventuti ad ſanctitatem erudiendæ præpoſuit, qualem eſſe oportebat, qui totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ pignus ſuis officiis cuſtodiret. Huic ſevere mandatum, ut teneros adoleſcentum animos piis quotidie meditationibus exerceret, ſæpe Sacramentis excoleret, doceretque quam rigide imperare affectibus ſuis debeant, qui præeſſe ceteris velint. Illud præcipue cordi erat, ut præcepta, & artes, quas Divini Verbi prædicatio poſtulat, omnes addiſcerent, juſſeratque ſingulos alumnorum cœnantibus ceteris in orbem concionari, quo neceſſariam in dicendo firmitatem, quam inſuetis importunus adimit pavor, paulatim aſſequerentur (*a*).

Sed nihil intentius curabat, quam ne aliquis pravæ, aut ſuſpectæ indolis in ſacram hanc familiam obreperet. Ita neminem admiſit, quem non antea interrogationibus variis per ſe ipſum excuteret diligenter exquirens, quæ hactenus ſtudia, qui mores ejus fuiſſent, quo demum animo, quove conſilio ad novum hoc capeſſendum vitæ genus accederet. Ita probati dimittebantur ad cellas, quas ad Canonicæ Seminarium in Cœnobitici aſceterii formam extruxerat. Ibi æternarum rerum momenta ſeria contemplatione perpendere, anteactæ vitæ culpas deflere, precibus aſſiduis a Deo expoſcere, ut arduum iter ingredientibus auxilio ſuo præiret. Eodem tyrocinio exercebat, ſive ab Autumnalibus feriis ad literarum ſtudia redeuntes (*b*), ſive quos ſacris Ordinibus initiandos judicaret. Etſi autem perfæpe dicebat fluxa, & inania eſſe ornamenta ſcientiarum, niſi a religione decus ac lucem accipiant: non tamen idcirco earum curam omiſit, creato ſcilicet ſtudiorum Præfecto, qui ſtrenue rem literariam urgeret, ac rationem eorum ab alumnis exigeret, quæ a Braidenſi Gymnaſio retuliſſent. Neque contentus vigilantia, & fide clariſſimorum hominum, quibus hanc provinciam demandaverat, recurrente Paſchatis tempore, atque ineunte Septembri Seminarium ipſe adibat, vocatiſque ad tribunal adoleſcentibus judicium de ſingulorum profectu, ingenio, ætate, conditione, moribus renovabat. Nec perfunctorie iſta, atque in ſpeciem agebantur: Quindecim dies huic judicio impendere ſolitus fuit, rejecta penitus de ceteris omnibus

culum Mediolani Alumni item quatuor ad nomen Societati dandum pellicerentur, novæ a Gregorio in hanc ipſam rem Breves literæ impetratæ ſunt IV. Septembris MDLXXVII. atque biennio poſt cum Patribus tranſegit, ut ſe invidioſa hac provincia honorifice abdicarent. Dati Oblati Seminario ſunt Præſides anno MDLXXIX., quidquid dicat Urſinus loco jam citato; Præſtat enim, illo reclamitante licet, fidem Carolo ipſi habere, qui die IX Aprilis hujus anni ad Specianum ſcribit: *Jam biennio abhinc egi cum ipſis Soc. Jeſu Patribus, qui hoc ſuumpere a me expetere videbantur, ut ad Sacerdotes mei juris Seminarii adminiſtrationem transferem. Hujus voluntatis meæ cauſſa plures fuere, & longum eſſet recenſere. Secundus itaque jam menſis agitur, ex quo eos præmonui perficiendi conſilii mei tempus adeſſe. Suppetunt enim adminiſtri in Clero plures, neque ipſes abeſt fore, ut ſobolesſcas uberior in poſterum multitudo, excitata præſertim Oblatorum ſodalitate, quibus hæc cura debet incumbere, ut docet Pontificium de transferenda in ipſos Ostiacenſium Præfectura preſſione Diploma. Ad diem itaque Sancti Ambroſii Depoſitioni ſacrum perducetur ad exitum hoc opus &c.* Hinc ſub ejuſdem anni finem compoſitis omnibus, primus renunciatus eſt qui rerum domeſticarum ſuſciperet curam Andreas Pionnius Mediolanenſis, Dominicus autem Ferrus Viterbienſis qui ſtudia Adoleſcentum moderaretur. Hic eodem anno MDLXXIX. ſcribit ad Carolum delectos quindecim ex ſolertioribus, qui Græce ſcribendo vacarent, & haberi cœpiſſe in domeſtica Academia conventus Theologorum ac Philoſophorum; neque enim hæc antea in uſu fuerant. Laudavit autem Carolus optimum conſilium Roma reſcribens, & juſſit alios item eligi ex alumnis, qui Hebræis literis operam darent. Hoc Ferro adjutore deinde uſus eſt ad edendas in lucem Ludovici Granatenſis Conciones, cum typographiam ære ſuo excitaſſet in Seminario eodem anno Borromeus.

(*a*) Ad fovenda item concionandi ſtudia horum Juvenum auctor fuit Carolus Auguſtino Valerio tum Veronenſi Epiſcopo concinnandæ Rethoricæ Eccleſiaſticæ, quam Sapientiſſimus Præſul hujus Seminarii Clericis inſcripſit. Extat Authographum ipſum MS. quod ex Borromei dono in Seminarienſi Bibliotheca diligenter cuſtoditur, ut etiam in Bibliotheca Ambroſiana Caroli literæ ad Valerium datæ, quibus gratias tanto Viro agit, quod Seminarii Clerici perorare Valerii voce docerentur.

(*b*) Autumnales feriæ Seminarii Alumnis conceſſæ fuere dumtaxat poſt peſtilentem annum MDLXXVI., quandoquidem nulla antea Clericis a literis vacatio concedebatur, niſi quo die ſingulis hebdomadis de more feriabantur; atque in hunc vacationis uſum impetratam Sanctæ Trinitatis Ædem poſt obitum Matthæi Annibaldi anno MDLXXIII. illis ad diſciplinæ cuſtodiam ſimul, & quietis delectationem tradiderat.

Digitized by Google

nibus cogitatione, atque aulicorum uno ſecum retento, cujus opera ad corporis curam uteretur. Quod ſi quis Theologiæ ſcientia præcelleret, hunc pro tradita ſibi a Summo Pontifice facultate in Archiepiſcopali Aula Doctoris Laurea inſignitum ad primaria munera deſtinabat, quodque Paſtore optimo, ac Principe dignum eſt, neminem unquam ex ea Palæſtra dimiſit, niſi aliquo Sacerdotio donatum, quo vitam honeſte ſuſtentaret. Par Caritas erga eos, qui loci inſtitutis paulo contumacius obſiſterent. Paterna monita, immo & pœnas ſæpe fruſtra expertus, nondum tamen ad extrema veniebat; ſed alia, atque alia remedia excogitabat, multo laudabilius exiſtimans reos ſanare, quam perdere. Eadem benignitate a Miniſtris agi volebat, ut pluries ætatis, quam animi vitio peccari ab Adoleſcentibus crederent. Nec ſane paucos, quorum deſperata ſalus videbatur, hac officiorum ſuavitate ad melicrem frugem reduxit; ex eventu oſtendens refractaria quædam ingenia clementia magis, quam vi expugnari. Sed neque par eſt omitti extemporaneas viſitationes, quibus cariſſimam ſibi juventutem identidem recreabat. Id maxime eveniebat, quoties aliquis primarii ordinis Præſul Mediolanum veniret. Nam cum ceteris Principibus ſolemne ſit magnis hoſpitibus oſtentare quidquid deliciarum habeant, Ipſe velut hunc morem imitaturus Epiſcopis, aliiſque ejuſdem notæ viris, quos hoſpitio exciperet, nihil libentius, quam Seminarium ſuum ad ſolatium oſtendere ſolitus fuit, ut nempe intelligerent, & delicias ſuas in iis ſtudiis eſſe, & Epiſcoporum omnium eſſe debere.

Equidem niſi tot alia geſta hujus beneficii magnitudinem claritate ſua obruerent, videri potuit Carolus immortalem apud Mediolanenſes gratiam una hac Seminariorum inſtitutione meruiſſe. Hinc Oratores templis, Præceptores juventuti, Pagis, Oppidiſque Paſtores, immo & Urbibus, Provinciiſque Antiſtites dati, qui religionis amorem temporum vitio ſeneſcentem, ac prope exanimem eloquentia, ſolicitudine, virtutum exemplis refoverent. Quin etiam ad Religioſos Ordines magna pars beneficii pertinuit. Imbuti ſiquidem Seminarienſibus ſtudiis Juvenes, cum voluptatum, divitiarumque deſideria paulatim exuiſſent, non pauci tradidere ſe clauſtris, ut reliquam in ſolitudine vitam agerent. Ordo certe unus Sanctitatis, Doctrinæque celebritate tam multos in partes ſuas attraxerat, ut Pontificiis edictis tranſfugia cohiberi neceſſe fuerit, ne deſtinata Paſtoralibus curis Juventus Conditoris conſilia fruſtraretur. Nemini enim licere in eum Ordinem recipi, niſi quadriennio poſtquam dimiſſus e Seminario fuerit, Apoſtolicæ Gregorii decimi tertii literæ declarant.

CAPUT VI.

Ad populi univerſi emendandos mores ſtudium omne, atque operam confert.

1566. ATque hæc tanta curarum genera, quæ initio Pontificatus Carolum detinuere, nihil denique erant, niſi apparatus rerum, quas in futurum meditabatur. Quemadmodum enim providi Imperatores antequam bella cum hoſtibus ineant, quidquid in Caſtris, atque acie neceſſarium fore exiſtimant, mature diſponunt: haud aliter Carolus antequam ordinandæ Reipublicæ manum apponeret (in quo plane atrox bellum ſibi impendere cognoverat) auxilia undique iis, quæ diximus, ſtudiis, impenſis, laboribus comparabat. Nunc ſatis, ut ſibi videbatur, inſtructus ingenti animo rerum ſummam aggreditur, ac Provincialis Concilii ſanctiones Pii V. auctoritate firmatas primam velut in aciem eduxit. Ejus Concilii, quo nullum prius poſt Tridentinum in lucem prodiit (*a*), impreſſa typis exemplaria, Luſitano, Lotha-

(*a*) Alia præcipue in Hiſpaniis Concilia edita in lucem ſunt, antequam typis ederetur Mediolanenſe, quod tamen anno ſuperiore celebratum fuerat. Id ſcribit Cardinalis Alciatus XIV. Septembris MDLXVI. in hæc ver-

Digitized by Google

tharingo, Varmienſi Cardinalibus, tum Bracarenſi (*a*), ac Salisburgenſi Archiepiſcopis miſit, tamquam ampliſſimos Præſules ad ineundum fœdus contra communem hoſtem eo munere ſollicitaret. Summa inter ceteras cura erat occurrere Hæreticorum inſidiis, quo nullum funeſtius malum Italiæ imminebat. Jam ex finitimis Alpibus hujus mali indicia apparebant, corruptiſque Sacerdotum, ac Populi moribus, facile erat quamplures in Sectariorum ſententias abire, quippe cum facile hominibus ſit iis aſſentiri, quorum vitia imitantur. Eo certe ventum erat, ut in hac principe Inſubrum Urbe concionatores audiri contigerit, qui dubia de veritate Catholicæ Fidei verba jacere non dubitarent. Huic igitur malo pluribus remediis obviam itum. Mandatum in primis Fidei Quæſitori, ut in eam cauſam vires omnes intenderet, & quo plures in miniſterio adjutores haberet, ducenti in annos nummi ex Archiepiſcopi ærario attributi, quam deinde penſionem Summi Pontifices perpetuam eſſe voluere. Idem Judicibus, Vicariiſque omnibus imperatum, miſſique Viſitatores, qui Bibliothecas excuterent, viderentque, an inter librarias merces vetitum aliquid, aut contagioſum lateret (*b*). Cautum præterea, ne Typographi quidquam prælo committerent inconſultis cenſoribus ad eam curam delectis, diræque, & anathemata iis indicta, qui ſuſpectæ religionis homines, aut palam Hæreticos ſilentio ſuo impune graſſari permitterent. Quæ ut apprime ſervarentur, Congregationem, quam Sancti Officii appellavit, Cardinalis inſtituit, adſcriptis in eam Theologis, ac Juris utriuſque Doctoribus, qui in ejuſmodi cauſis ſententias, & conſilia in commune conferrent. His in Urbe conſtitutis, Oppidorum, Villarumque Vicarios, ac Curatores admonuit, ut exterorum ex ſuſpectis regionibus lucri cauſa venientium verba, & mores ſedulo explorarent; minutos vero quoſdam Mercatores penſilem apothecam collo geſtantes ex improviſo corriperent, viſuri ſcilicet, an inter eas peregrini operis nugas, quibus emptores captant, dubiæ doctrinæ libellos, ac cantiunculas circumferrent, parvas nempe ſcintillas, ex quarum contemptu funeſta quandoque incendia oriuntur. Promulgata denique lex, ut qui docendi munus ſuſcipere vellent, Catholicæ Fidei capita rite profiterentur (*c*), neve libros adhiberent, qui eruditionis obtentu teneras puerorum mentes inficerent.

CA-

verba: *Forte cum in magnis verſemur aliquot in Hiſpania celebrata Synodi, & typis impreſſa, facile cognovi Tua ſapienter inventa in alterum ceſſiſſe commodum, eaſque Synodis fuerunt mitare coloribus. Recogitanti autem mihi, unde fontis tui adeundi data copia eſſet, in mentem venit illuc tranſmiſſam ab Inſubria Gubernatore Concilii tui compendiariam ſchedam, ex qua comparata eſt uberrima ceterarum Synodorum ſupellex.* Advertendum eſt enim dilatam Concilii I. Mediolanenſis editionem pluribus adverſantibus fuiſſe, & unius Albuquercii juſſu permiſſum ut typis mandaretur. Hoc etiam veriſſimum dicam, quod in Epiſtola ſua teſtatus eſt Novocomenſis Cardinalis, *Borromei nimirum exemplo excitatos omnes ad tam ſalubre inſtitutum ineundum.* Revera ipſe etiam Sipontum paulo poſt contendit, & magna cum laude Provinciale Concilium celebravit.

(*a*) Audi tamen quam demiſſe ſentiat de rebus ſuis Borromeus ad eum mittens Concilium ſuum XXVII. Auguſti MDLXVII.: *Statui alterum exemplum ad Amplit. Veſtram mittere, ut quæ a nobis excogitata, & ad deflorescentem Religionis cultum in noſtra Provincia reſtituendum decreta ſint, plane perſpiciat, ac ſiqua minus commode conſcripta videat, nos de iis libere admoneat.* Et infra: *Illud in primis peto, ut ſua Provincialis Synodi decreta ad me quamprimum mittat, ut præclarum exemplum habeam Eccleſiæ pie ſapienterque gubernandæ.* Diſſeminata itaque in Hiſpaniis eſt hujus Concilii noſtri fama, eorumque Antiſtitum deſiderium ita commovit, ut Ormanetus illic MDLXXV. Pontificius Nuncius rogaverit enixe, ut ad compeſcenda plurimorum vota, quamplurima ad ſe mitteret Synodi ſuæ exempla.

(*b*) Præſens Carolus hoc munus obiit, ut Ipſemet ad Ormanetum hoc anno ſcripſit, addens etiam, maximum in ſe conflatum invidiæ incendium ex eo, quod ex improviſo die quadam, Fidei Quæſitore comite aſſumpto, Librarias Tabernas omnes ſolicite excuſſiſſet, licet teſte Abbiato de Foreriis ære ſuo Catholicos pro hæreticis libris ſubſtituendos curaſſet.

(*c*) Cum ad Chriſtophorum de Monte amiciſſimum ſibi & cognitum Virum miſiſſet patrueles ſuos Renatum, & Federicum in privatam ejus diſciplinam tradendos, profeſſionem Fidei ab eo exegit, & emiſſæ ſchedam ad ſe mitti voluit, ut Ejus literæ probant die III. Januarii MDLXXIII.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Alia ſalubriter ad piam omnium Inſtitutionem ſtatuta: & de Societatis Jeſu Patribus in Urbem inductis.

1566. QUantacumque tamen prævertendis Hæreticorum inſidiis ſolicitudo Caroli fuerit, plus tamen Ille in reformandis Civium moribus moleſtiarum, ac difficultatis invênit. Reformationis initium a Sacerdotibus captum, quorum ut illuſtrior dignitas, ita nocentior improbitas erat. Eccleſiaſticos homines quotquot in Urbe erant jampridem ad ſe evocaverat, ſingulorum ſtatum coram exploraturus, eorumque nomina, ſcientiam, ætatem, domos ipſas, & ſi quid aliud agnoſci operæ pretium eſſet, in commentarios redegerat. Idem cenſus, eademque deſcriptio habebatur, quoties in circumpoſitas Urbi Regiones exiret; atque in tantum memoria, ſive intentæ vi mentis valuit, ut in tanta multitudine, quæ trium millium numerum exceſſiſſe traditur, quoties alicujus commemoratio fieret, virtutes ejus, ſive vitia prompte recitaret. Qua ſane ſedulitate cum latendi fiduciam, qua ſibi improba ingenia blandiuntur, omnino ſuſtulerat, tum etiam effecerat, ne aut ad honeſta tendentes ſine munere, aut flagitioſos, & rudes abſque remedio præteriret. Inanem veſtium pompam ſeveris edictis damnavit, haud ignarus quanti ad conciliandam Populi reverentiam interſit Sacratos Divino cultui homines ab omni externi cultus vanitate recedere.

At poſtquam alii coacti, uno retento, dimittere ſacerdotia, quæ pluribus in locis præter Tridentinas conſtitutiones obtinebant, alii juſſi Eccleſiis, quibus addicti eſſent, perpetuo aſſidere: tunc enim vero exaudiri fremitus, & querelæ indignantium aut opes imminui, aut eripi ſibi divagandi licentiam, quam idcirco carere omni crimine arbitrabantur, quia diu ſupplicio caruerat. Et cum nonnulli mandatis obluctarentur, pœnarum remedia adhiberi neceſſe fuit, adeo repugnante Archiepiſcopi animo, ut quoties alicui pœnas eas decerneret, vim potius afferre manſuetudini ſuæ, quam alienæ contumaciæ videretur.

Multo acrius bellum exarſit ubi ad Sanctimonialium clauſtra emendandi, corrigendique cura pervênit. Immunitates, & privilegia ſalutaribus Decretis objiciebantur, quaſi privilegium aliquod ſit ab inſtituto ſuo deſciſcere. Religioſi præſertim Ordines, penes quos aliquarum Virginum regimen erat, altius obſtrepebant, accitis in ſocietatem Virginum ipſarum parentibus, ne prolem ſuam cellarum anguſtias ægre tolerantem novis inſuper vinculis adſtringi paterentur. Uſque adeo quidem certamen incaluit, ut in ipſo Civitatis Concilio actum ſit de conſcribendis ad Summum Pontificem literis, aut legato Romam mittendo, qui publicas ea de re querelas exponeret. Nec tamen receſſit a propoſito Carolus; quin potius cunctando primos adverſariorum conatus eludere, nec cœpta urgere, nec omnino intermittere, gravibus denique verbis oſtendere nihil in eo negotio quæri præter ſalutem animarum, immo & dignitatem Civium, quorum maxime intereſſet prolem eam, quam Monaſteriis traderent, honeſte, ſanctèque educari. Mox ubi ſuſpiciones, iræque deceſſerant, repetitis viſitationibus, eam denique vivendi formam, ſublato in publicum egreſſu, in Aſceteria induxit, ut merito ſanctitatis, & pudicitiæ domicilia videri poſſent. Nonnulla etiam Religioſorum diſciplinæ Apoſtolica auctoritate ſubduxit, alia ob redituum tenuitatem ditioribus cœnobiis aggregavit, alia ex agreſtibus pagis in Urbem tranſtulit, ne deſponſas Deo animas a Monaſticæ vitæ ſtudiis aut domeſticæ rei inopia, aut loci ignobilitas avocaret (*a*).

Neque propterea ceſſatum ab iis, quæ ad

(*a*) Perdifficile dictu eſt quot Ille incommoda in moleſtæ hujus provinciæ adminiſtratione devoraverit, Totam primum Ormaneti, & Lini patientiam atque conſtantiam hæc una adminiſtratio abſorbuit. Deinde nihilo

ad reſtituendam Populi diſciplinam pertinerent. Compertum erat, ingentium malorum partem, quibus reſpublica laborabat, ex inſcitia derivari, quippe cum & in plebe diſcendi ſtudium, & docendi cura in Sacerdotibus defeciſſet (*a*). Quid verò boni agerent, qui virtutum præmia, vitiorumque pœnas neſcirent, aut quomodo ex animi morbis convaleſcerent, qui remedia penitus ignorarent? Id in cauſa fuit, cur huic inſcitiæ eliminandæ primos pontificalis officii conatus Cardinalis intenderet. Chriſtianæ Doctrinæ Scholas (*b*) ubique aperit, in quibus uterque ſexus, ac tenera præſertim ætas ſanctiora orthodoxæ Fidei Myſteria, tum capita omnia Divinæ Legis addiſcerent. Qua in re vix credibile eſt, quantum laboris, & ſtudii collocaverit. Nam præter ſanctiones, & monita, quibus tam ſalubris magiſterii cultum ſacris hominibus, atque animarum præcipue Paſtoribus commendabat, piorum hominum Sodalitium inſtituit, qui diviſis inter ſe officiis laudabilem uſum & in Urbe retineri curarent, & in omnes Provinciæ partes latius propagari. Nec vero quiſquam eorum, quos ad Divinum plane opus delegerat, adeo conſtanter munus ſuum exercuit, cui non ipſe patientia laboris, immo & periculorum contemptu anteiret. Fuit enim aliquando, cum agricolarum corona circumſeptus, aut in montium juga ferreis crepidis enixus, advocato ſub mapalium tectis Paſtorum cœtu, de iis, quæ ad conſequendam æternæ vitæ felicitatem credi, agique oporteret, vincente majeſtatem amore, diſſereret. Verum hæc atque alia his ſimilia enarrandi alibi locus erit.

Nunc Carolus recurrente tempore, quo Divini Spiritus adventum Eccleſia concelebrat, confirmandis luſtrali oleo Civibus animum adjecit, accommodata tempori oratione præfatus, ut cæleſte munus accepturi Apoſtolorum exemplo piis ſeſe orationibus præpararent, ſimulque prænonitis omnibus, ne quis non ante Sacerdotis abſolutione, atque Altaris myſteriis expiatus inungendam Archiepiſcopo frontem offerret. Gratum per eos dies eidem Archiepiſcopo ſpectaculum fuit tot millia mortalium ad ſalutare ſignum in Templo Maximo congregari, plane ut oſtenderent Sacramentorum memoriam nondum in Urbe penitus excidiſſe. Itaque inſiſtendum initiis ratus nova ſubſidia renaſcenti velut Reipublicæ adjungere parat. Degebat adhuc Mediolani Benedictus Palmius Societatis Jeſu Sacerdos, quem raræ integritatis, & eloquentiæ virum ipſe adhuc Romanis negotiis implicitus Ormaneto ad inſpiciendum Diœceſis ſtatum præmiſſo comi-

---

nihilo melius compoſitis rebus duriora ſuperfuere Borromeo. Alibi enim conviciis adpetitus eſt, alibi Virginum fuga percuſſus, alicubi etiam minis obſtrepentibus hæſit. Omnia tamen, dato temporis ſpatio, vicit invicta ejus virtus. Cavariæ, Affii, Varenæ, Boſti, Luinati, Caſteni exiſtentia Monialium non dicam Collegia, ſed Amantium contubernia evertit. Plura Religioſorum Ordinum jure comprehenſa, in ſuum Antiſtitis jus tranſtulit. Virginum alias in Urbana Aſceteria traductas, religioſius formandas curavit. Lunati ex novem Monaſteriis tria reliquit; & ſalubrius inſtitutas Humiliatæ familiæ Moniales reditibus auxit, & a communi Ordinis naufragio liberavit. Fagnani autem mirifice Ejus patientia eluxit; ibi enim Virgines omnes cujuſdam Collegii, audito Illius adventu, in vicinos pagos celeri fuga dilapſæ Galeatii Vicecomitis integerrimi Equitis opera, & Caroli officiis victæ, Ejus ſe diſciplinæ demum impune tradiderunt. Certe difficilem hanc Provinciam ominatus animo fuerat Avunculus Pontifex, qui cum Illi de reſtituenda Monialium diſciplina Diploma concederet, ad Novocomenſem Cardinalem converſus, *eus*, ait, *Ætna gravius ſibi Borromeus imponit*. Et ſane graviorem hunc Illi Ætnam effecere adverſa alia, & incommoda ab Urbanis Monialibus oblata. Ut has in meliorem ſtatum redigeret alia in Urbe Monaſteria delevit, ſcilicet Sancti Lucæ, Sancti Dominici, Sanctæ Mariæ Conſolationis de Viglevano, Sanctæ Mariæ ad Stellam apud Vercellenſem Portam, demum alia duo, quorum unum in Olitorum Vico, alterum erat in Ticinenſi Suburbio.

(*a*) In Modoetienſi Oppido amplo quidem & celebri ſcripſit Carolus geminum dumtaxat Sacerdotem excipiendis confeſſionibus idoneum eo tempore extitiſſe, ex quo miſerrimum Diœceſeos ſtatum licet conjectare.

(*b*) Centum hujuſmodi cœtus commemorat Auguſtinus Valerius a Carolo conſtitutos ſua ætate, in quibus pueri; viginti vero ſupra centum, in quibus ſeorſim puellæ fidei Chriſtianæ elementis imbuebantur. A Caroli autem Pontificatu ad hanc diem adeo propagatum eſt ſalutare Inſtitutum, ut bis mille & quadringentæ Scholæ in Ambroſiana Eccleſia numerentur. Tanti incrementi laus omnis in Sanctum Cardinalem redundat, a quo leges & auxilia utiliſſima inſigne hoc Opus ſumpſit. Sed de his libro VIII. fuſius.

Digitized by Google

mitem dederat (*a*). Huic igitur ad se accersito consilium suum aperit de condendo Mediolani Societatis Collegio, jubetque eum cum universi Sodalitii Præposito agere de iis, quæ ad rem quantocyus perficiendam expediri oporteret. Nec diu consultatio tenuit (*b*). Sancti Fidelis Templum Patribus attributum, translata inde animarum cura in proximam Prothomartyris ædem, cui Nosigia gens nomen fecit. Domesticam supellectilem, & cetera ad victum necessaria Cardinalis sumptu parata invenere, nec defuere ipsi, quin ejus beneficiis, votisque cumulatissime responderent. Vix enim ulla calamitoso illo tempore necessitas fuit, cui non ipsi partem aliquam laboris impenderent (*c*). Eodem ferme proventu S. Pauli Clericis (Barnabitas appellant) Carolus utebatur, quorum Ordinem jamdudum in Urbe institutum contra quam seculi consuetudo ferebat, moribus, & disciplina florentem invênit (*d*). Interea ut nullum auxilii genus ad juvandam rempublicam, ita nullam temporis opportunitatem elabi sibi e manibus patiebatur. Nam cum sive officii causa, sive vespertinæ orationis, quæ in domestico Sacello inter musicos concentus haberi solebat, multi ex nobilium familiis ad Eum quotidie ventitarent, Ipse humanissime exceptos piis per occasionem alloquiis detinebat, plane ut ex Ejus congressu dignam aliquam tali Magistro sententiam domum referrent.

Ante idem tempus Ormanetus edixerat, ne quisquam Civium Paschales dies præterire sineret, quin salutari culparum confessione præmissa ad cæleste convivium accederet. Quod ubi Sinvessæ Duci Provinciæ Gubernatori, ac Piscariæ Marchioni, qui per eos dies Mediolani morabatur, innotuit, servari omnino edictum a domesticis suis voluere, pœna violatoribus indicta, ut tanquam immemores Christiani nominis e familia illico pellerentur. Haud aliter Archiepiscopus transgressorum nomina ad se deferri mandabat, ut hinc urgente legum vi, illinc exemplo clarissimorum Principum, indecoram in re tam sancta Populi segnitiem, aut metu, aut honestate discuteret. Conversa inde cura ad tollendos ex Urbe pellicatus, revocanda in usum jejunia, religionem diebus festis restituendam, in quibus equidem necesse fuit excitari multorum querelas, quorum scilicet vulnera sanari nisi urendo, secandoque non poterant.

Sed maximorum hominum vetus calamitas est, ut facilius vitiis, quam obtrectatoribus careant. Nam sive ille astus inferorum fuerit Mediolanensis Populi salutem ægre ferentium, sive mortalium nonnulli inferorum fraudes quandoque deterius æmulantur, non defuere eo tempore,

(*a*) Neque Ormaneto comitem Patrem Palmium dedit Carolus, cum ille anno MDLXIII. missus fuerit, ut alibi vidimus; Ormanetus vero huc anno dumtaxat insequente venerit: neque Mediolani Ormaneti tempore Palmius degebat, quem hinc profectum, anno MDLXV. Carolus Urbem hanc ingressurus iterum Roma huc præmiserat, ut Ipsemet scripsit in epistola Libro superiore jam recitata.

(*b*) Jamdiu certam, & propriam assignare his Patribus domum peroptaverat Cardinalis, cumque irritos conatus omnes recidere vidisset, die X. Julii anno MDLXVI. ad Ormanetum scripserat pro hospitali Senum domo illis obtinenda, qua etiam non impetrata, vacuas Sancti Fidelis Ædes per ejus Ecclesiæ Rectoris obitum Societati Jesu attribuit auctoritate sua, quam amplam a Pontifice pro transferendis sui juris Sacerdotiis obtinuerat. Mentem hanc suam Ormaneto aperit XXVI. Martii MDLXVII., & II. Aprilis die iterum scribit rite jam omnia perfecta, & optatis Patribus eas ornatas domos summo Ipsius gaudio, licet aliqui armati huic eorum possessioni ineundæ obsisterent.

(*c*) Rev. Pater Leonetus ei domui Præpositus incredibile dictu est, quot in Urbe, & Diœcesi obeunda indivisus Caroli comes exantlaverit labores adeo, ut cum assiduis ille lustrationis curis frangeretur anno MDLXX. scripserit: *Se Cardinalis laboribus imparem socium esse*, rogaveritque, *ut aliam sibi Diœcesees partem, cui Carolus non esset interfuturus, designaret*. Omitto quantam eidem Borromeo operam Patres Peruschius, Adurnus, Palmius, Galiardus impenderint, quorum laboris testimonia scriptis etiam consignata extitere. Satis enim docet Carolus ad Specianum scribens quo illos loco haberet, cum affirmet, tanti se eam Societatem facere, ac diligere, ut uni ex iis se totum regendum ac moderandum permiserit.

(*d*) Multum sane hujus Congregationis Patribus detulit, quos inter versari libentissime consueverat. Licèt vero recens horum Ordo in Urbe esset (nam anno hujus Seculi XXVI. in hac Urbe duxerat initium) non tamen Carolo Auctore huc inductus est, ut aliqui sentire, quos refellit etiam Pater Branda in optimis suis adnotationibus ad Vitam B. Alexandri Saulii a P. Gabutio concinnatam.

Digitized by Google

re, qui Sanctiſſimi Antiſtitis famam malignis ſermonibus carpere, atque adeo popularium animos ab ejus amore avertere conarentur. Affirmare alii, nihil ea vitæ aſperitate, effuſiſque largitionibus quæri, præter inanem ſanctitatis imaginem, qua credulæ plebis ingenia deciperet: nihil illum prudentiæ, nihil dexteritatis habere, qua ſemetipſum, alioſque regeret; ſed cæco impetu, cæcorum plane hominum conſiliis in omnem partem circumferri. Hinc paterna monita inſectari ludibriis, decretis aperte obluctari, quamplures ab Ejus ſermonibus, ac ſocietate refugere. Neque ignavum tantummodo vulgus tam fœda criminatio pervaſerat. Fuit equidem magni nominis Præſul, qui literis ad Ipſum datis eamdem imprudentiæ notam Cardinali obtrudere non dubitaret. Quibus Ille perlectis, etſi demiſſe ſemper, humiliterque de ſemetipſo ſentiret, tamen vehementer offenſus, quod Pontificii nominis auctoritatem falſis hiſce opinionibus infirmari videret, exprobranti Præſuli in hanc ferme ſententiam reſpondit. „ Agere ſe humanitati ejus ſingulares gratias, quod „ multa in adminiſtratione provinciæ a „ ſe minus prudenter admiſſa amice reprehendere voluiſſet; enixe tamen petere, ut quoniam tam benevolo erga ſe „ animo eſſet, rationem aliquam oſtendere dignaretur, qua laboranti Reipublicæ laudabilius, utiliuſque conſuleret. „ Haud ſe inficiari quod paulo gravius aliquando in reos animadverteret, ſed neque videre quomodo poſſint vitia, quæ „ alte radices jecerint, levi manu extirpari. Habere ſe Deum conſiliorum ſuorum teſtem, quæ non alio reſpiciant, quam „ ut ſublata tot errorum caligine priſtina „ lux Ambroſianæ Eccleſiæ rediret (*a*), “ Hæc fuere Caroli reſponſa, quibus cum nihil ex adverſo redderetur, contemptis vulgi rumoribus, in ſuſcepta agendi ratione multo conſtantius, quam antea perſeveravit.

CAPUT VIII.

Urbem, atque Diœceſim luſtrare præſens Ipſe conſtituit, & qua ratione inviſere utramque conſueſceret.

1566. JAm vero ut rerum ſummam aggrediar, quarum hactenus vix præludia quædam attigiſſe me video, duo potiſſimum fuiſſe conſtat, quæ Caroli gloriam ſummopere extulere. Sed Provincialia, ac Diœceſana Concilia, quæ prima pars ejus gloriæ fuere, tum demum prodibunt, cum in eorum tempora narratio pervenerit. Nunc partem aliam exequi præſtat, labores videlicet, quos luſtrandæ Diœceſi, cognoſcendiſque Populorum neceſſitatibus impendit, maximos quidem, ac ſane incredibiles. Quis enim facile credat ab homine tot aliis curis implicito Provinciam centena paſſuum millia patentem ſemel, atque iterum tam accurate, ac diligenter viſitari potuiſſe, ut in tanta Oppidorum, Villarumque multitudine, ne Sacellum quidem unum inexploratum reliquerit? Horrida quæque, & abrupta deliciarum loco habebantur, ſi modo ſpes aliqua amplificandæ Catholicæ Fidei, procurandæque animarum ſalutis inde ſe oſtenderet. Id maxime ſpectatum eſt, quoties conterminas Helvetiorum Alpes adiret. Cum enim per calles equis impervios iter agi non raro oporteret, Ipſe bacillo innixus, ac ſarcinarum parte, ne familiares plus æquo gravaret, humeris impoſita, non antea ſcandendi labore abſtinebat, quam ſudore perfuſus deſtinatum viſitationi

(*a*) Mitius tamen, & pro lenitate ſua Gabrieli Paleorto hanc ſeveritatem objicienti in hæc verba reſpondit menſe Junio anni MDLXVI.: *Ago gratias quod me admonere ſtuduerit. Maxime autem vellem ex te, quam normam ad Diœceſim meam moderate regendam mihi præſcribas; quandoquidem animo ſtat nunquam lenitatis limites excedere. Neque is ego ſum, qui voluntati nimium meæ blandiar, idque vehementer cupio, ut monitis me tuis labentem ſuſtentes; quod ſi liberius præſtabis, certe mihi gratificeris ſplendidius; probe enim intelligo, tum maxime conſilio indigere homines, cum conſilia averſantur. Quare ſi hactenus peccatum hac in parte eſt, in poſterum rogo, ut cures, ne iterum peccem, cum ſciam, venia prorſus indignum ejus errorem fore, qui aſſentiri monentibus neglexit.*

Digitized by Google

ni locum attingeret. Quod si inter viarum anguſtias, rupes aliqua periculoſe dehiſcens, aut aſcenſu difficilior occurreret, auxilio erant aut laboris patientia, qua projectum humi corpus reptando traheret, aut munitæ ferreis uncis crepidæ (*a*), quibus ancipitem gradum ſuſtineret. Prandia, cœnæque regionis more caſtaneis, & lacte quandoque parabantur, nec raro tabulæ informes menſa ſimul, & lectulus erant. Si quid ad quietem mollius, aut ad cibum utilius forte reperiretur, familiaribus ſuis tradi jubebat, tamquam aliena magis incommoda, quam ſua ſentiret. Primus omnium fuiſſe creditur, qui illa prope inacceſſa capreis juga, damnatoſque perpetuo cæli rigore Sylvicolas Epiſcopali aſpectu recreaverit. Et recreare vere omnia videbatur, quippe cum ſacrarum ædium alias vetuſtate fatiſcentes reficeret, alias ſupellectile inſtrueret, ac pauperum præcipue multitudini effuſis large opibus ſubveniret. Æſtivo ſole acrius urente montana hæc itinera plerumque obibat, meridianis horis ad equitandum delectis, ut ea tempora, quæ reficiendis ex nimio calore corporibus ſomno, & umbris ut plurimum deſtinantur, ipſe cum aliqua Reipublicæ utilitate tranſigeret. Sex omnino equites in comitatu habebat, ne adventu ſuo oneroſus hoſpitibus fieret, quos etiam literis præmonebat, ne in menſæ apparatu tertiam dapem excederent. Si quem ex iis inopia laborare intelligeret, ære ſuo familiam alebat (*b*), quam niſi ſecum adduci dignitas ſimul, ac neceſſitas coëgiſſet, potuit Ipſe aliquando pane tantum, & acqua victitans pauperrimi cujuſque impendio ſuſtentari.

At cum alioquin comitate, honoriſque contemptu humillimo cuique ſimilis videretur, ubi tamen ad aras procederet, reſumebat illico gravitatem oris, plane ut in Ipſo paternus amor, & Pontificia majeſtas alternis inter ſe vicibus agerent. Nam ſive rem Divinam faceret, ſeu quælibet alia Sacrorum ſolemnia adminiſtraret, eo ſe componebat aſpectu, ut quiddam homine majus vultu ipſo, atque oculis præferret. Dignitatem augebant rituales cæremoniæ, & ſplendide comparata ad Epiſcopalia munia ſupellex, quam ſequi volebat etiam, cum ignobiles vicos, & impoſita montium faſtigiis templa luſtraret. Hac Ille agendi majeſtate, ſummaque erga res ſacras veneratione adeo ſibi popularium animos conciliaverat, ut Sacerdotes, quos deinde ad ea, quæ viderat, loca identidem deſtinabat, tamquam miſſos e Cælo Nuntios acciperent.

Viſitationibus vero (nam id quoque cognoſcere juvat) hoc ferme ordine fungebatur. Statim ubi pervenerat prævio ſupplicantium agmine ita, ut erat, aut gelu conſtrictus, aut ſudore diffluens, recta templum adibat, ibique adorato reverenter Numine concionem ad populum habebat paterno animo rogans, ut occaſione adventus ſui ad ſalutem uterentur. Poſtero die inter Divini Sacrificii ſolemnia conſcendens ſuggeſtum hortationes, & monita renovabat, idque primum viſitationis officium erat, quoties ante meridiem adveniret. Et cum ſingularia quædam, ut hominum, ita locorum vitia ſint, vim omnem orationis in eam maxime partem intendere conſueverat, qua maxime populum laborare, interrogatis animarum Rectoribus, cognoviſſet. Cœnobia quoque Virginum, piorumque hominum ſodalitia nunquam inviſere ſolitus fuit, quin diſciplinæ ſtudium capto aliquo ab eorum Inſtitutis ſermone excitaret. Mox ſacra omnia, ſive ſacris addicta, Sacerdotalia indumenta, altarium formas, templi vaſa, ac

(*a*) Extant præclara hæc Borromei laborum teſtimonia etiamnum apud Oblatos Sancti Sepulcri, & publicæ fidelium venerationi exponuntur.

(*b*) Trevicenſem Epiſcopum cum ad luſtrandam Capriaſcam Vallem legaſſet, anno MDLXVII. graviſſimis Ipſe in Urbe curis diſtentus hæc ſcribit XII. Septembris: *Ad Sacerdotes inopes ſumptibus levandos triginta tibi nummos aureos mitto. Prout ex re videbitur dividentur in eos, qui impares ferendis expenſis ex Canonum præſcripto tibi victum, & neceſſaria alia ſuppeditarunt.* Adeo Carolus nec de ſanctionibus quidquam, nec de alienis fortunis imminuebat. Abbiatus autem de Foreriis teſtis productus Apotheoſis cauſa ſcripſit: *Novem aris libras in dies ſingulos exigere Cardinalem conſuevisſe a Clero, dum Diœceſim obiret, licet aureorum aliquot ſummam quotidiana ejus temporis expenſa ſemper excederent.*

Digitized by Google

ac loculos omnes ſolerter inſpicere, tum in Clericorum vitia præſertim animadvertere, ſingulorum nominibus in ſcriptum redactis, ut quoties opus foret, abſens quoque remedia renovaret. Hæc cum palam agerentur, haud minoris momenti alia in occulto agitabat. Nam ſive profligatæ conſcientiæ aliqui quotidianis ſcelerum exemplis Populum inficerent, ſive capitali odio ab altero quopiam diffiderent, hos ad ſecreta colloquia benigne invitatos non antea dimittebat, quam aut rationibus victi, aut auctoritate perculſi, aut capti ſuavitate verborum prava conſilia, & inimicitias deponerent, ſeque in Ejus poteſtate futuros pollicerentur.

Sed nunquam adeo laſſitudinis expers, oblituſque corporis videbatur, quam cum Sanctiſſimum Chriſti Domini Corpus Populo adminiſtraret. In tanta enim officiorum multitudine hunc ſibi laborem præcipue reſervabat, ſive ob ingens ſolatium, quod ex Sanctitate Miniſterii caperet, ſive conſolaturus deſideria hominum undique confluentium, ut ex Ejus potiſſimum manu cæleſte illud æternæ ſalutis pignus acciperent. Conſtat nonnullos eorum, qui miniſtranti operam adjungebant, nimio calore, aut fœditate odoris, quem plurimi ex tuguriis, gregibuſque ſuis ſecum attulerant, templo exire coactos, ut ſpiritum ægræ reciprocantem reciperent; Ipſum vero adeo conſtanter perſeveraſſe, ut tædium magis ex ceſſatione operis, quam ex labore ſentiret. Divina dape refectos nullo quietis intervallo Confirmationis Sacramento muniebat, quod ſane officium cum propter ingentem agreſtium concurſum, tum ob priorum temporum negligentiam ad multos dies continuari oportebat. Accedit, quod cum multas Sacrarum ædium aut anguſtas extendi, aut informes renovari, aut fatiſcentes refici juſſiſſet, eas de integro inaugurari (*a*) neceſſe erat, quod Ille laborioſum æque, ac pium munus nunquam obibat, niſi ſevero jejunio præparatus, exactaque nocte (*b*) ante Sanctorum reliquias, quas ſubinde in altaribus recondebat. Ex quo facile liquet quanta in ipſo jejuniorum, vigiliarumque patientia fuerit, quippe cum traditum ſit octodecim dierum ſpatio totidem fere Eccleſias ab Eo fuiſſe conſecratas. Luſtrata demum Regione, ad componenda decreta opportunum aliquem in locum ſecedebat (*c*), habebatque Clericorum conventum, ſeparatim acturus de ipſorum moribus, quos ſcilicet circumeundo, explorandoque cognoverat. Quod ſi in ea viſitationis tempora, aut deſtinata initiandis ſacro Ordine candidatis, aut celebranda pontificali ritu dies incideret, ex remotis utcumque regionibus Mediolanum illico advolabat, donec officio defunctus intermiſſam expeditionem repeteret.

Quem vero fructum ex viſitationibus ita peractis referret, haud facile eſt dicere. Reſtituta Sacrorum majeſtas, injectus Sacerdotum licentiæ pudor, vindicata Eccleſiæ jura, translata monaſteria, ſublata diſſidia, aliaque id genus innumera, quibus & cariſſimam ſibi Eccleſiam illuſtravit, & palam oſtendere ſuis æqualibus potuit, quantam vim ad ſananda Reipublicæ mala Principum oculi habeant. Quin etiam adeo tenero erga ſubditorum neceſſitates animo fuit, ut longinquitas ipſa, qua nihil amori nocentius eſt, nihil propemodum ejus caritati detraheret. Nam quos paterni ſubſidii indigos in Pagis,

(*a*) Trecentas admodum conſecratas a Carolo Sacras Ædes, atque Aras tradidit Poſſevinus, aliique plures teſtati ſunt, *nullum in Diœceſi Templum extare, quod aut non refectum, aut non ornatum, aut non funditus ab Ipſo excitatum fuerit.*

(*b*) Neque minus moleſta vigiliis erat Carolo quies luſtrationis tempore; Ambroſius enim Mornicus prodidit in Valle Saxina pluvia madidum Borromeum comparatum Sibi unius lecti commodum repudiaſſe, atque illum Julio Brunetto familiari ſuo conceſſiſſe. Alias idem fatetur a fratre ſuo viſum ex januæ rima Carolum abſtinere lecto, & culcitam quamdam villoſam, qua Parochus equi ſui dorſum ſternere ſolebat, e paxillo detractam, humique expanſam pro grabato Illi fuiſſe.

(*c*) Viſitur adhuc in Mediolanenſi agro ſecus publicam, quæ Nervianum ducit, viam Sacris ornata Imaginibus Ædicula, ubi deſignatur locus, quo ab itinere Carolus decreta quædam conſcripturus deflexit.

Digitized by Google

gis, Oppidisque reliquerat, quippe cum eorum statum, & nomina scriptis custodiret, hos ad Urbem reversus, multo etiam pecuniæ sumptu juvare non destitit, commendabatque Visitatoribus, quos ad ea loca identidem destinabat, donec aut peccandi occasione liberatos, aut pœnis etiam affectos ad meliora consilia revocaret. Subit postremo admirari, quod cum tot simul, ac tanta per se ipsum ageret, tot adhuc agenda Ministris Ejus superessent. Nemini certe in familiam suam admisso otiari unquam licuit, quippe cum nemo oculos Ejus, & judicium effugeret. Intentus enim in singulorum officia sustulerat omnem negligentiæ locum, quam in Principum aulis nonnisi domini segnities alit. Atque adeo mirum videri non debet tanta Sanctissimi Cardinalis solicitudine, tot præstantissimorum hominum auxiliis in unum collatis Mediolanensem Ecclesiam ex luctuoso illo, ac miserabili vere statu ad eam, quam videmus, rerum omnium majestatem feliciter evasisse.

CAPUT IX.

In Primario Urbis Templo dignitatem restituendam curat.

1566. QUemadmodum vero Populi mores compositurus initium a familia sua duxerat: ita ut emendationem Ecclesiasticæ rei rite exequeretur a primario Urbis Templo incipiendum putavit (*a*). Id Templum, quod inter Italicæ magnificentiæ miracula enumerari fas est, multiplicatis Sacerdotum Ordinibus Majores instruxerant, ut Sacrorum cultus cum ædificii majestate certaret. Canonicorum Ordo præcipue eminet violaceis, purpureisque insignibus pro temporum diversitate (*b*) alternatim adhibitis Romanorum Cardinalium more, quorum etiam nomen antiquitus obtinebant. Hos proxime sequuntur Notarii, Maceconici (*c*), quibus eo tempore Lectores, Obedientiarii, Custodes addebantur, vetera scilicet Sacerdotalium munerum nomina simul & decora Ambrosiani Pontificatus. Verum cum nomina permanerent, decora prope omnino interierant. Nulla psalmodiæ cura (*d*), nulla in

(*a*) Atque huc respexisse sua studia Ipsemet declaravit Romam ad Bonhomium scribens IV. Julii MDLXVI. *Aggressus jam primarium Urbis meæ Templum lustrare, in quo singula enucleatius perpendantur. Hinc enim auspicium peto, ut exactam disciplinæ normam ceteris Templis proponam.* Decretum hoc suum evulgavit die XXII. Junii proposito edicto, in quo *Visitationem* hanc indixit ad VII. Cal. Quintil., quo die summo mane exorsus est lustrare Basilicam habito tamen prius sermone. De his plura in suis MSS. Franciscus Castellus in Bibl. Amb. asservatis. Neque silendum est Templum hoc lustrasse Carolum, licet male crure altero affectus esset, ut Ipse mense Junio ad Bonhomium scripsit.

(*b*) Ritum hunc Violacei paludamenti statutis ab Ecclesia temporibus induendi Carolus invexit. Quin immo cum utendum Canonicis Metropolitanæ hoc indumenti genus proposuisset, subiit animum religio, cum timeret ne anathematis vinculis se fortasse implicuisset, quandoquidem rescivit hanc inflictam a Pio IV. pœnam, si invectus hic usus in aliud Urbis Templum fuisset, prater Imperialem S. Ambrosii Basilicam, quæ hac prærogativa Caroli precibus ab Ejus Avunculo fuerat ornata. Extant hac de re Caroli literæ absolutionem petentis a Pio V. per Cardinalem Alciatum, licet inscius hujus pœnæ nullo se vinculo illigasset. Putatur autem inductus ab Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi usus candidæ vestis, & purpurei paludamenti, quo semper isti Canonici utebantur, atque hujusmodi ornamento insignis extat imago Ottici Scacabarozii anno MCCLXXX. depicta in Libro asservato in Bibliotheca Metropolitana, de quo etiam Cl. Muratorius in suis Antiquitatibus Medii Ævi Dissertatione LVII. Revera hujusmodi vestes in relatis literis fatetur Borromeus repertas in Sacrarii latibulis, & credidit hoc privilegium impetratum a Pseudo-Synodo Basileensi, quandoquidem Diploma fortasse Confirmationis ea in Urbe editum hac super re invenerat

(*c*) Sic corrupto vocabulo appellari putavit Carolus a Basilica-Petri *Magistros Scholarum* antiquitus juxta Landulphum accensos Ordinibus Ambrosianæ Ecclesiæ. Ceterum præcipue versata est Caroli solertia in reformanda hujus Templi Hierarchia. Jam enim anno MDLXV. dum Romæ degeret, minores Canonicos S. Theclæ in unum Metropolitani Collegii corpus redegerat, ut ex Ejus literis in Collectaneis Francisci Castelli: Mediolani vero præsens IV. Idus Novembris eodem anno confirmavit hæc omnia. Sexdecim Custodum Ordinem antiquavit XI. Aprilis MDLXXIX., & decennio ante ad V. Calen. Octobris Decumanos Notariis atque Lectoribus adjecerat. Plura etiam pro moderanda Cimeliarchæ auctoritate sanxerat.

(*d*) Non ita tamen lapsa erat Ecclesiæ nostræ disciplina, ut nulli in Odæo sacras preces recitarent. Canonici Ordinarii rarius conveniebant, utpote aliorum Sacerdotiorum curis impliciti. Frequentiores erant Almutienses ita dicti, licet multa provinciæ suæ onera subterfugerent, & vix ad horam tertiam ad Templum pergerent, atque ibi Sacro interessent. Vespertinis autem

In Sacrificiis gravitas, nulla Metropolitici nominis recordatio, quippe cum sæpe petitus aliquis e trivio Sacerdos ad aram maximam Canonicorum vicem expleret. Æra interim etiam absentibus procedebant, tamquam stipendia nominibus, non officiis deberentur. Negligentiæ insuper obtendebatur tenuitas vectigalium, sibique nonnulli persuaserant ab Divinorum celebratione minore culpa se abesse, quod minore pecuniæ lucro interessent. Hanc labem ut ab Ecclesia sua tolleret Carolus, jampridem Romæ, cum apud Avunculum moraretur, Miramundensi Sacerdotio, quod Mediolanensi Xenodochio Pontifex aggregaverat, mille ducentos aureos nummos Metropolitano Collegio annuatim persolvi curaverat (*a*), idque subsidium, quampluribus aliis eadem auctoritate impetratis, ad multo majorem summam redegerat. Quæ cum roganti traderet Pontifex, potestatem addiderat statuendi quidquid ad rei dignitatem magis conferre judicaret. Ipse in præsentia, imminuto Canonicorum numero, Obedientiariis, Decumanisque omnino sublatis, cum ex communi ære congruos cuique proventus (*b*) suppetere videret, primum edixit, ut qui pluribus Ecclesiis præter Tridentini Concilii sanctiones addicti essent, uno Sacerdotio contenti cete-

ra

---

autem officiis ad sex circiter menses Omnes vacabant. Quomodo autem Divinas preces ibidem restituerit, intelligere perfacile erit ex Ejus scriptis, quæ referre placet, præsertim cum religionem ac pietatem Canonicorum suorum magnifice exponant. Scribit itaque ad Bonhomium tum in Liberiana Basilica suum Vicarium in hæc verba die XVII. Aprilis MDLXVI. *Longe fructuosius mea in Metropolitano Templo collocata opera est, quam in Basilica Liberii tua. Meos majoris Ordinis Canonicos adduxi nullo ne vocis quidem acrioris stimulo, ut psallere in Odæo statuerent, imo jam aggrederentur. Verum hoc licet gravissimum ut minimi videatur momenti, ipsorum prona ad quelibet voluntas facit. Piget ferme, Avunculo erepto, ademptam mihi esse bene de iis merendi potestatem. Verum, infirma licet mea Antistitis tanto nudati præsidio facultas sit, hoc certum habe, plura fortasse me præstare præsentem posse, quam vivente Avunculo absentem. Amico numine status, quo ordine, & a quibus recitari consuetæ alibi Sacerdotum preces debeant; quare qui vix ad Tertiam, & solemne Sacrificium convenire Canonici consueverant quotidie; diebus autem festis ad Vesperas, exinde ad Matutinas horas, & reliquas rite Omnes convenient. Id maxime placet, quod universis hoc Institutum placuit. Et sane difficillimum opus mihi videor expedivisse, quod me provinciam hanc suscipientem vehementer urebat. Collegium hoc multa interim spe lacto una fretus Pontificis benevolentia, cujus auxilio corroborandum tam salubre institutum, & ornandam tam insignem Ecclesiam confido. Meo nomine admoveas Illi solicitas preces velim, cum ad Calendas Maias omnia, ut exposita sunt, rite exequi statuerim. Jam vero artes meas aperiam, quibus id facile pervici. Certe ab iis hoc tempore Antistitum omnium usus abhorret; sed ego ab omnium consuetudine recedere malui. Nimirum egi, ut disciplinæ, & sanctitatis apud Canonicos meos rigidus exactor viderer, ceterum in Ecclesia administranda Sociis illis uterer, atque Fratribus, ut certe fas est. Hos in regiminis partem voco, in consiliis adhibeo, pluribus etiam provinciis distineo, demum ut uno omnia verbo expediam, Adjutores habeo. Hoc unum desiderari iterum præmoneo, Pontificis scilicet munificentiam, qua opulentiores illis reditus destinare possim. Facultate hac impetrata, in eam spem venio fore, ut non solum diurnas, sed nocturnas etiam, si opus sit, illis exercitationes in Templo imponam. Neque quidquam nisi Ejus nutum expecto, cum suppeditare abunde census ex meis Sacerdotiis velim, quæ collocari in iis optime possunt; neque enim carni, & sanguini quidquam impendere mihi mens est, licet plurimorum vota avide inhiare videam &c.*

(*a*) Ex Miramundensibus censibus pensionem hanc reperio utique a Carolo impetratam, sed Ticinensi Collegio Borromeo, deinde ab hoc addictam Metropolitano Mediolanensi anno dumtaxat MDLXXII., quo etiam Calventiani fundos ab eodem Collegio distractos huic adjudicavit. Neque mirum hoc cuiquam videbitur reputanti tantam fuisse in amplificandis hujus Ordinis censibus Caroli beneficentiam, ut omnia Borromei Collegii prædia distrahere, ipsiusque etiam magnificas Ædes in Seminarii, & Metropolitanæ Hierarchiæ commodum divendere Benedictinis Monachis cogitaverit, nisi Gregorius obstitisset, ut scriptum inveni in Caroli literis ad Castellum datis XXIII. Decembris MDLXXIII.

(*b*) Conflati isti proventus sunt pluribus a Carolo impetratis donis. Bona scilicet Humiliatorum in Præpositura Sancti Calimerii, Ædibus tamen exceptis, quas Theatinis Patribus reservavit, attributa Canonicis Ordinariis sunt ineunte anno hujus Seculi LXX., adjecta tamen lege, ut ad Matutinas recitandas preces convenirent simul, & Vespertinas, ut scripsit ad Specianum: *Restituere usum Matutinarum precum, item & Vespertinarum in Templo Maximo, adjectis Sancti Calimerii reditibus volo. Singulis quoque Tertiis ut parvum recitetur Beatæ Virginis Officium curabo, quod olim quotidie recitari solitum quinquennio abhinc, me inscio, intermissum fuit, postquam Matutinum Officium fuit imperatum.* Anno autem MDLXIX. impetraverat alia Legnani bona pactus, ut centum quinquaginta per annum diebus, quibus antea non solebant, ad Vesperas exinde in Odæum venirent. Ceterum ea semper cura fuit, ut pro viribus Ordinis hujus census augeret; scripsit enim ad Specianum *ne quid in hanc rem intentatum omitteret apud Pontificem.* Quare Ipse etiam anno MDLXXV. Roma regrediens novam pro illo mille nummorum pensionem, aliosque fundos retulit, ut videbimus.

Digitized by Google

ra abdicarent (*a*). Tum Collegio adſcriptis in univerſum hæ leges datæ. In Odæum quotidie ſtatis horis convenirent, ibique deſcriptas in horarum myſteria preces alternis choris Deo perſolverent. Intermiſſa in Deiparæ laudem officia eodem pſalmodiæ ordine repeterent, prout rituales libri, aut ſingularia ſtatuta decernerent. Standi, ſedendique tempora apprime ſervarent, conſuetaque munera prompte, modeſte, ac graviter obirent. Qui ſecus facerent, habita negligentiæ, atque erratorum ratione, quotidianæ diſtributionis jactura mulctarentur. Liceret proinde Archiepiſcopo Cenſorem ex Collegio ipſo deligere, qui reorum nomina, ſi qua in parte peccari videret, diligenter in tabulas, fideliterque referret. Supremum deinde Canonicorum Ordinem trifariam diviſit, ut alii Sacerdotum, alii propioribus Sacerdotali officio Miniſteriis fungerentur. Theologum (*b*) inſuper inter eos in perpetua tempora conſtituit, qui & neceſſaria ad ſalutem documenta feſtis diebus Populo traderet, & convocatis in Archiepiſcopi Sacellum Clericis Divinæ facultatis arcana bis in Hebdomada explicaret. Quin etiam ne ſacrorum Canonum ſcientia obſoleſceret, totidem vicibus in eodem Sacello de Pontificum, Conciliorumque Decretis diſputari voluit, idque docendi onus alteri ex Canonicorum Sacerdotiis adjunxit. Eadem adjunctione ſupremum pœnitentiæ Miniſtrum (*c*) inſtituit, quatuor adjutoribus datis, quorum ope reſervata Archiepiſcopo de gravioribus culpis judicia exerceret, ac delatis undique de conſcientiæ neceſſitatibus quæſtiones communi conſilio definiret.

Inter hæc memor quantum Eccleſiaſtici ritus conferant ad conciliandam Populi reverentiam binis Cæremoniarum Magiſtris, quorum unus alteri ſubſerviret, certa ſtipendia aſſignavit (*d*), ut Divina celebrantibus nutu, ac monitis præirent. Cuſtodum Ordinem, inania videlicet ſine rebus nomina, penitus abrogavit, ſubſtituitque in eorum locum ſuo cum Præſide duodecim Oſtiarios, quibus imperatum, ut neceſſariam Aræ maximæ ſupellectilem expedirent, mulieres a viris ſecernerent, Templi portas tuerentur, ad omnia demum inferiora miniſteria Canonicis præſto eſſent. Verum ego onerare lectoris patientiam videar, ſi narrando exequi velim, quemadmodum diſtributa Sacrificiorum tempora, diviſa pro munerum diverſitate Sacella, conſultum Altarium nitori, remota a muſicis choris theatralis laſciviæ imitamenta, aliaque multa in parvis etiam rebus magnæ mentis indicia, quæ hodie quoque in Civium oculis perſeverant. Illud ſilentio præterire non debeo, captos eo rerum ſplendore Mediolanenſes crebrius in Templum convenire cœpiſſe, ac ſenſim experiri quantum Religionis oblectamenta manibus vulgi tripudiis præſtent. Suſtulerant ex multorum cordibus chorearum, ludorumque deſiderium compoſitæ tam decoro or-

(*a*) Plures officiis, aliquot etiam ſeveritate adduxit, ut uno Sacerdotio contenti eſſent; cumque pluribus Metropolitani Collegii perſuaſiſſet, ut dignitatem reſignarent ſuam, per Ormanetum deinde IV. Julii MDLXVI. rogavit Pontificem, ut liberam ſibi novorum Canonicorum electionem permitteret; quo tempore, interpoſitis Cardinalis Alciati officiis, Julius v. Pogianum, & Jo. Baptiſtam Amaltheum celeberrimos Viros rogavit, ut huic Collegio vellent adſcribi, quibus recuſantibus, nobiliſſimum hunc Ordinem optimis quibuſque Viris noſtræ Urbis ornavit.

(*b*) Id exoravit IX. Octobris MDLXXVII. per Specianum, a quo miſſum deinde pro Theologi hujus munere in perpetuum confirmando Pontificum Diploma fuit.

(*c*) Ad Ormanetum ſcribit anno MDLXVI. quarto Idus Januarii *deſignaſſe jam ſe duodecim Viros, qui accedentium Confeſſiones Pœnitentiarii veluti Minores exciperent, qui tamen unius Pœnitentiarii Majoris jure continerentur*, atque addit *ſingulis ære ſuo jam deſtinatum ſtipendium*. Aliter autem ſcripſit Gluſſianus, quod ſua ætate ad pauciores fortaſſe eorum numerus erat redactus, aut ſententiam mutaverat ſuam Borromeus.

(*d*) Certiorem de tanto Pontificis in Eccleſiam ſuam collato beneficio reddit Specianum Carolus XXVI. Martii MDLXXII.: *Imperavit a Pontifice Carnelia ex cenſibus* (Miramundenſibus nimirum reditibus Metropolitanæ addictis) *quibuſdam conflandam CCL. nummorum ſummam, quorum CL. numerabuntur Cæremoniarum Didaſcalo, C. autem Hypodidaſcalo. Cura igitur ut Sacerdos apprime in Ritibus verſatus moribus & habitu corporis gravis huc mittatur quamprimum*. Ne quid vero ad Odxi legum perfectionem, abſolutionemque deſideraretur, edendum deinde in lucem curavit libellum de Cantu Ambroſiano per Camillum Peregum eodem in Templo Maceconicum, cui Ipſemet Paſtoralem Epiſtolam præfixit.

Digitized by Google

ordine ad Altaria ſupplicationes, & muſicum melos ſacra carmina concinentibus intermixtum, & diſertorum hominum ſermones (*a*), quos feſtis diebus inter Miſſarum, Veſperarumque ſolemnia haberi præceperat. Præcipuum vero invitamentum erat Archiepiſcopus ipſe Dignitatis ſuæ velatus inſignibus, Pontificali eminens ſolio, Divinum illud ore, atque oculis ſpirans, quod interiore animi ſenſu meditabatur. Etenim renaſcentem pſalmodiæ uſum exemplo ſuo firmaturus breviorem ſibi ex Palatio (*b*) viam extruxerat, ut, ſigno dato promptius in Odæum deſcenderet, ibique matutinas ad Deum preces cum Templi Sodalibus conſociaret.

CAPUT X.

Ejuſdem pompam, munditiemque ſupellectilis, & ornamentorum lautitia amplificat.

1566. TEmplum ipſum autem adnitente Carolo in eam ſpeciem devenerat, quæ tædium Sacrorum ex incurioſis ad talia animis tolleret. Ædes eſt ſolido marmore in altum aſſurgens tanta amplitudine, ac majeſtate, quantam unius Urbis opes aſſequi, aut unius hominis ingenium capere potuiſſe ægre exteri credant. Fabricæ Curatores præter Archiepiſcopum, ac Præfectum Urbis ex Cleri, aliorumque nobilium primariis eliguntur. Sed hanc quoque publici regiminis partem ejus temporis negligentia vitiaverat. Exteriora Templi cuncta ſplendebant, intus ſqualore, & ſordibus obſita erant omnia, & cum tanta circa ædificium cura eſſet, ea ſolummodo, propter quæ Templa coluntur, inculta remanebant. Occurrebant introëuntium oculis inſanæ moles intro conditis Principum cadaveribus (*c*), ac pendentia undecunque vexilla gentilitias eorum teſſeras, & nomina referebant. Qua ædificium in Crucis formam extenditur, binæ patebant portæ, quas licentia hominum in occaſionem flagitii verterat, pleriſque videlicet, non adorandi Numinis, ſed abbreviandi itineris cauſa hinc inde commeantibus. Pauca admodum altaria, & indecore compoſita, nulla certa pſallentibus ſedes, trita, & rudis ſupellex, quæ tanto viliora videbantur, quanto magnificentior ædificii moles erat.

Cardinalis igitur, cui nihil magis cordi erat, quam ut divino cultui deſtinata perquam ſplendide curarentur, ſtatuit non modo amovere quidquid incongruum judicaret, verum etiam omnia ad eam formam renovare, quæ primariam tantæ Metropolis ſedem deceret. Aræ maximæ in primis, quam paulo altius elevari juſſerat, ut ſpectabilior Populo eſſet. Sacerdotum ſubſellia (*d*) affabre elaborata triplici ordine in theatri ſpeciem circumdedit, ut alii ſuper alios ſederent, prout officii, aut nominis dignitate ſuperiores eſſent. Huic proximum Odæum aliud paulo depreſſius adjunxit excipiendis honorifice Magiſtratibus,

(*a*) Relatum in Tabulas eſt nunquam deſtitutum Sacro hoc cibo populum, Feſtis præcipue diebus. Nam ſiquando Sacer Orator non adeſſet in tempore, Ipſe extemporaneus Orator ſuggeſtum ſolebat aſcendere; imo cum Pater Mathias Salodienſis ex Capuccinorum Familia ſibi perquam carus Quadrageſimali tempore Conciones haberet, alternis vicibus Borromeo etiam id muneris ceſſit. Alias cum Romæ degeret, Sacræ Scripturæ Lectiones habendas Vicario ſuo commendavit ſummopere, & primarios Equites compulit officiis ſuis, ut auditores in Templo convenirent.

(*b*) Compendiarium hunc cuniculum aperiendum curavit ſub Pontificatus gerendi initium; verum cum plures Ejus voluntati adverſarentur, opportunum peſtilentis anni tempus nactus, quo omnia fere ex Ipſius nutu Urbana negotia pendebant, munivit ad patefaciendum perfacilem ex Ædibus ad Templum aditum, ut docent literæ in hoc ad Comitem Petrum Antonium Lunatum ſcriptæ. Hinc in memoriam voti eo anno Sancto Sebaſtiano nuncupati, ejuſdem Sancti ſignum erectum eſt in teſtudinis cono, quæ ad lumen permeantibus ſuppeditandum impoſita fuit, ut teſtatus eſt Antonius Seneca.

(*c*) Hujuſmodi Arcam auratam in Maximo Mediolani Templo ſublimiter ſuſpenſam, atque detractam deinde a Cardinali Sedunenſi, in qua Gaſtonis Foyſſæi oſſa ſervabantur, ſcribit Paulus Jovius in ejuſdem Ducis Elogio.

(*d*) Septem millibus aureorum hæc ſubſellia ſtetiſſe teſtatur Paulus Morigia; iiſque affabre inſculpendas a Sancto Ambroſio res geſtas curavit, eorumque Sanctorum apponenda anaglypha ſigna, quorum eo in Templo Lipſana cuſtodiuntur, ut Galeſinius docet in Epiſtolis. Operis totius normam Ipſemet deſcripſit, utpote Architectonices peritiſſimus.

Digitized by Google

bus, quos Divinis intereſſe quandoque contingeret. Ad hujus capita Odæi bina Pulpita erecta ſplendentibus laminis texit, fulſitque prægrandibus fuſili ære ſtatuis, ſuperante metalli pretium opere. Honoraria ſepulcra aut humi depreſſa, aut redacta in parietes (*a*); nec mitius actum cum Jacobi Medicæi Ejus Avunculi cineribus, cujus militaria trophæa, atque æneum ſimulacrum humiliorem in locum tranſtulit, ut caſtigato conſanguinei Ducis faſtu, facilius eadem ſeveritate cum ceteris ageret. Sed nihil magis ad Templi gloriam contulit, quam portarum obſtructio, quibus, ut paulo antea memini, ad loci injuriam plurimi abutebantur. Earum ſiquidem loco bina magni operis altaria ſurrexere, in quorum uno Deiparæ Imaginem pretioſum Etruriæ Ducis donum (*b*), in altero Joannis Boni Mediolanenſis Archiepiſcopi reliquias collocavit. Cumque ob eam cauſam non ſine aliquo Canonicorum incommodo per majorem januam ingreſſus in Templum longiore circuitu petendus eſſet, effodit Ipſe inter canonicales ædes ſumptibus ſuis extructas ad Templum ipſum ſubterraneam viam, quæ accepto deſuper lumine brevem, tutumque a ventis, pluviiſque commeatum daret. Eadem cura ſubterraneum Sacellum ſub Ara maxima antiquitus extructum plaſtico opere ornavit, ac ſacris lipſanis refertum altare (*c*) in ejus medio excitavit, circumductis eleganter ſedilibus, queis matutino tempore pſalmodiæ addicti procul ab hyemis inclementia (*d*) uterentur. Non eſt autem, cur multa alia ab ipſo excogitata ſcribendo perſequar, quippe cum uno verbo expedire omnia poſſim. Nec enim a vero aberrare me exiſtimem, ſi pro certo affirmavero, quidquid hodie magnificum, pretioſum, elegans in eo Templo cernitur, id omne Ejus diligentiæ, ſtudiiſque deberi (*e*).

CAPUT XI.

Cetera item Urbis Templa novis cenſibus, ac inſtitutis ornare aggreditur: Triduanas Rogationes reſtituit; publicas oblationes decentius fieri ſtatuit, demum ad Diœceſim obeundam animum convertit.

1566. EGreſſus tandem e Templo maximo Carolus luſtrare ceteras Urbis partes cœpit, ac præſertim ædes Sacerdotum

(*a*) Vix dum celebrata prima Provinciali Synodo, maxima hæc cura Borromei fuit; hinc ad Eum Ornamentus ſcripſit XXI. Novembris MDLXV. omnia ferme everſa in Urbe inania hæc & penſilia Templorum ornamenta. Ob hoc nobiliſſimæ cujuſdam Familiæ offenſionem incurrit, quam deinde humanitate ſua victam obſequentiſſimam poſtmodum habuit; imo Avunculus ipſe magnam quidem in Carolo animi conſtantiam admiratus, ſed Principum Virorum odia ſubveritus primum hoc conſilium improbavit; certior deinde factus de ſingulari Piſcariæ Marchionis religione, qui detrahi Patris ſui urnam lubens juſſerat, & Ducis ipſius Sinveſſani obſequio, qui filiolæ item ſuæ recens elatum ſarcophagum deponendum ocyus mandaverat, adjecta religioſiſſima verborum teſtificatione, bis terque exclamavit: *O factum bene, præcipue cum volumas Magiſtratuum acceſſerint!* Hæc ad Carolum Cardinalis Alciatus XVII. Novembris MDLXV.

(*b*) Anno MDLXXX. hanc Aram inſigni hac Tabula ornavit, quam ineunte Julio acceperat, cum extent ipſius Magni Ducis Etruriæ literæ datæ eo tempore, in quibus primam hanc ex Florentino Archetypo effictam imaginem, illique perſimilem teſtatur; quare obſecerat, ne pares alias ſinat unquam efformari. Immortales autem pro hoc beneficio Carolus illi ſtatim egit gratias, ut etiam Alexandro Allorio Pictori.

(*c*) Sacello hoc ſacro vocabulo *Confeſſionem* dictum abunde Sanctorum Lipſanis, ſe vivente, inſtructum, augendum etiam poſthuma religione curavit. Huic enim Teſtamento legavit Lipſana Sacra omnia, quæ penes ſe eſſent, iis exceptis, quæ nominatim quibuſdam privato dono obtulerat. Inſuper, ut apte atque ornate reconderentur, argenteam thecam ab Hærede ſuo conficiendam mandavit, deſignato ducentorum nummorum pretio. Hæc ex ejus Teſtamento.

(*d*) Hoc modo veteris Ambroſiani Ritus aliquam retinuit imaginem; nam cum apud nos geminæ eſſent antiquitus Cathedrales Eccleſiæ, nimirum Sanctæ Mariæ Hyemalis altera, Æſtiva altera Sanctæ Theclæ, nunc etiam unicum Templum bifariam veluti diviſum eſt, & Confeſſio Matutinis horis Eccleſiæ Hyemalis uſum ſupplet; Odæum ſuperius vices gerit Æſtivæ.

(*e*) Fabricæ iſtius Curatores adeo conſiliis ſuis excitavit vivens Carolus, ut illo Pontifice tricies centena aureorum millia in hujus Templi ornamentum collata Tabulæ Apotheoſis teſtentur. Neque etiam exemplo ſuo defuit, cum quindecim aureorum millia in majorem ejuſdem luxum impenderit, ſi vaſa argentea, pretioſamque ab Eo donatam aulæorum, & veſtium ſupellectilem recenſeamus. Neque intercepta videtur Caroli morte tanta liberalitas, cum nunc etiam opulentiſſimum conſtent Templi hujus ornatum oblata Borromei ſepulcro donaria.

Digitized by Google

dotum Collegiis insignes (*a*). Quos ad curam Divinarum rerum, psallendique studium revocaret, alibi Collegia extingui, alibi augeri proventibus, alibi ex pluribus pauciora conflari necesse fuit. Eadem occasione Curatoribus animarum, quos stipendiorum tenuitas segniores reddere videbatur, paulum imminuto eorum numero (*b*), detractaque ex Miramundensis pensionis parte, consuluit. At cum ex ea Parœciarum diminutione nonnullæ sacrarum ædium vacuæ remanerent, nova ipse laicorum hominum sodalitia in eas induxit, quos & leges ab ipso datas servare, & versicolori veste uti jussit, qua ab aliis antiquioris instituti (*c*) sodalibus dignoscerentur, quos Disciplinatos appellamus. Inter hos societas una Mediolani erat in id potissimum instituta, ut capitali sententia damnatos piis officiis ad supplicium prosequeretur (*d*). Id Christianæ caritatis opus cum ipsi summopere gratum esset, auctor fuit primoribus Civium, ut in eam societatem recipi vellent, idque tanta felicitate est consecutus, ut Gubernator ipse Urbis inter Sodales numerari non recusaverit. Regiis insuper Magistratibus ejus consilio annuentibus, inducta consuetudo, ut quos Senatus morte dignos judicasset, hos in sacellum e carcere traductos Sodalitii Præses de lethali sententia præmoneret, atque ad supplicii atrocitatem fortiter, sancteque subeundam hortaretur. Tum destinatus probatus aliquis Sacerdos, qui Sacramentis munitos extremo illo tempore salutaribus verbis reficeret, idque tempus ad biduum prorogari placuit, ne quo die humanæ salutis Mysteria sumerent, carnificis manu obtruncarentur, aut e furca penderent.

Acrior cura urgebat Caroli animum emendandi publica vitia, quæ pietatis obtentu in Populum obrepserant. Triduanarum supplicationum usum Viennę in Galliis incœptum (*e*) a multis antea seculis Civitas nostra receperat, quibus diebus carnibus vesci antiqua religio vetat. Sed cum Paschali tempore jejunii necessitatem Ambrosiana Ecclesia nemini imponat, lex est proximiore hebdomada post celebratum Christi Domini ad Cælos Ascensum supplicationes eas celebrari. Hæc vero tam vetus, ac pia consuetudo ante Caroli adventum

(*a*) Plura in Canonicorum Ædibus servanda sanxit, cum eorum Collegia lustraret, quorum præcipua Ipse describit in Epistola ad Ormanetum missa mense Novembri: *Nimirum exturbatas inde contubernales feminas, Licet arctissimo sanguinis vinculo conjunctas, una duntaxat Matre, si provectæ ætatis fuisset, excepta*: (hanc enim etiam alicubi jussam abesse lego) *munitas foris atriorum portas, & vesperi incumbente occlusas, earumque clavium curam Præpositis demandatam*. Vetitum demum iisdem est Nobilium Virorum amicitias colere, atque hac de causa Bollatensi Plebi Præfectum pecunia mulctatum comperio quod Equites domi convivas laute habuisset, & magnifico cultu ædes ornasset.

(*b*) Ut Parochorum commodis, & Civium utilitati serviret ex frequentibus nimium Parœciarum titulis plures expunxit; nam S. Fidelis, & S. Benedicti ad Portam Novam: ad Vercellensem S. Vitalis, S. Valeriæ, SS. Petri, & Lini, & S. Vincentii in Monasterio novo: ad Novocomensem S. Nazarii ad Petram Sanctam, & S. Cypriani: ad Romanam S. Victoris, & S. Zenonis, itemque S. Michaëlis ad Murum ruptum: postremo ad Orientalem S. Michaëlis sub Domo, S. Zenonis, S. Martini in Compito, & Sancti Simpliciani Ædes vacuas omnino Sacrorum administratione esse voluit. Ædes vero Rectorum aut in alium usum transtulit, aut penitus delevit, ut docent Ejus Epistolæ, & MSS. Francisci Castelli.

(*c*) Undecim hujusmodi Sodalitates extitisse ante Caroli adventum docet MS. apud Oblatos S. Sepulcri, in quo ingressus sui pompa describitur. Auxit deinde earum numerum duabus aliis supra viginti adjectis sedens Ipse Pontifex, pluresque etiam Ambrosianis Ritibus addixit, vestium tamen dato discrimine pro Rituum diversitate.

(*d*) Extiterat quidem eo in Templo piorum hominum Sodalitium, & in hanc causam institutum, verumtamen ex plebejis hominibus conflatum. Ipse itaque Societatem virorum Nobilium illis adjecit, quam Misericordiæ jussit appellari. Narrat hæc Bonhomio per Epistolam datam XII. Junii MDLXVI. atque asserit die præcedente eam primo institutam. Roma item mitti ad se voluit Leges, quibus ibidem par Societas erat obstricta, ut ejus normæ Mediolanensem hanc accommodaret.

(*e*) Difficile sit hoc Glussiano concedere, cum ipsa doceat nostra de Sancto Lazaro historia Rogationes ab Hoc Archiepiscopo nostro primitús institutas ante annum scilicet CCCCXLIX., quo Ipse obiit, cum S. Mamertus Viennensis in Gallia Episcopus, qui earum Auctor asseritur, illic sederit nonnisi post annum CCCCL., & Litanias instituisse dicatur biennio post, ex Serarii, & Cardinalis Bonæ sententia. Vide hæc apud Godefridum Henschenium ad diem XI. Februarii, & Boscham in Mediolanensi Martyrologio: deinde supputa ex hac Chronologia, utri hæc laus debeatur. Sed in hoc consule Historiam Typographico Literariam Mediolanensem Cl. Saxii, qui luculenter de hac quæstione agit, & laudem hanc Lazaro Archiepiscopo adjudicat col. CCCLXXXII., & seqq.

Digitized by Google

tum in occasionem flagitii cesserat. Viri fœminæque, incomposito agmine male compositos Sacerdotes ad nota Altaria sequebantur, in speciem quidem propitiandi Numinis causa; revera ut cælestes iras epularum, aliarumque voluptatum libidine provocarent (*a*). Cardinalis, ut hoc probrum ex Urbe tolleret, auctoritate, & exemplo, quæ simul juncta insuperabilem suadendi vim habent, sibi utendum putavit. Solemni illo recurrente triduo paulo post mediam noctem descendebat in Templum matutinas preces cum Canonicis suis recitaturus, jubebatque Clerum ad prima auroræ initia eòdem convenire. Mox peracta distributione cinerum, quibus ex Ecclesiæ consuetudine mortalitatis nostræ admonemur, sacrum agmen rite ordinatum ad destinata Templa præmittebat: sequebatur Ipse Pontificio ornatus amictu innumeram Civium multitudinem trahens, quâ & sanctissimi Pastoris aspectus, & majestas agminis ad expiandam majori pietate præteriti temporis negligentiam commovebat. Accedebant vehementissimæ orationes, quas singulis diebus de pœnitentiæ necessitate ad Populum habuit, producta idcirco ultra meridiem supplicatione, cum tamen toto triduo defunctum tot laboribus corpus pane tantum, & aqua reficeret (*b*).

Supererat aliud malum, quod prudentia, & sollicitudine sua sanaret, impudentia videlicet sane execrabilis, qua sex Dominicis per æstatem diebus a totidem Urbis regionibus ad Templum maximum dona afferebantur (*c*). Agebatur ea res scenicis plane ludibriis, quin & aliqua fieri consueverant, quæ neque in scenis repræsentari fas est, neque his literis comprehendi. Indignatus itaque Archiepiscopus Mediolanenses suos nocentiores fieri etiam cum liberales erga Superos essent, consiliis, ratione, mandatisque pervicit, ut prælata S. Ambrosii imagine supplicantium more ad Aram accederent, ac tamdem intelligerent Deo grata non esse munera, quæ impiorum manibus offeruntur. Hæc, atque alia, quæ retuli, unius anni spatio a Carolo in

(*a*) Violandi nimirum jejunii causam afferebat ipsa loci opportunitas in iis Monasteriis, quæ Romanis Ritibus erant addicta contra antiquam consuetudinem, qua omnes etiam Religiosæ familiæ Ambrosianos Ritus profiteri jubebantur, ut docet Francisci Fizolpassii Archiepiscopi Constitutio edita a Cl. Muratorio Dissertatione LVII. in Antiquitatibus Italicis medii ævi. Quam sane communem ubique Ambrosiani Ritus consuetudinem invehere sæpe utcumque conatus est Carolus fortasse, ut hæc Ritui nostro inflicta vulnera sanaret.

(*b*) Quanti Ritum hunc faceret æstimes velim ex Ejus Epistola Mantuæ scripta ad Cardinalem de Gambara, cum illuc ex Pontificio mandato anno MDLXVIII. divertisset: *Feria II. III. & IV. Hebdomadæ post Dominicam Ascensionem ex Ambrosiana Ecclesiæ præscripto Rogationes Mediolani celebrantur, quas iure optimo alteram Quadragesimam voco, cum eo tempore jejuniis populus vacet, & publice cineribus aspergatur. Solemnes eo tempore supplicationes habentur tanto populi concursu, & religione, ut majorem nunquam per annum intuear. Verum ut ego populi pietate recreor; sic populus Pastoris præsentia inflammatur, qui tunc ex lege Sacri Verbi pabulo certis in locis omnes reficere consuevit. Quare, si ea Pontificis mens est, ut ocyus ad Urbem meam regrediar, id enixe roro, ut in eos dies reditum impetrem. Hoc autem in eam partem dictum accipe, si Pontifex meam hic moram non duxerit necessariam: etenim si aliter sentiat, ea mihi semper potissima cura est, ut Illius mandatis obtemperem.* Cum autem dilata regrediendi facultas esset, ad Castellum Vicarium scribens gratulatus est: *Quod suas ipsius vices implevisset, atque hoc uno abjentem se recreatum, quod ille supplicationibus interfuisset.*

(*c*) Consuetudo hæc, qua sex Urbis Regiones dona Templo Maximo offerre quotannis solent, inducta jam a Joannis Galeatii Ducis temporibus fuit, anno nimirum MCCCLXXXVI., cum certatim conspirantibus Civibus magnifica hæc Templi moles ex donariis oblatis excrevit. Ceterum ista cura tollendi profani hujusmodi strepitus Carolum urebat Romæ etiam degentem, ut ex literis ab Eo scriptis postridie Calendas Augusti MDLXV. manifestum est. Quare anno MDLXVIII. XXIX Augusti sanxit præt.. alia ad rei sanctitatem pertinentia, ne post prandium haberetur hæc supplicatio, sed mane; indicto etiam Psalmorum, Hymnorumque cantu, ut Jo. Baptista Casalius ea vivens ætate scripserit sacro se gaudio mirifice perfusum cum novam agminis pompam intueretur. Antequam tamen legem hanc conderet, minuere sensim spectaculi profani pompam officiis suis apud Urbis Proceres curavit, ne gravius statuere improviso decreto videretur. Dederat officiosas literas jam ab anno MDLXVI. ad aliquot primarios cives, inter quos Nicolaum, & Thomam ex Pusterla familia consanguineos suos amice otaverat, ut præcipue ad Ticinensem Portam, cui ipsi præerant, ab omni ludicra scena abstineretur. Erat enim ex oblationis occasione pertidicule inventum, ut lignеus immanis Equus omni penuariæ cellæ supellectili ornatus, farcimine suillo ad instar phaleratum onustus rotis subditis in ipsum Basilicæ meditullium magno cum populi plausu, ac tumultu traheretur. His & hujusmodi spectaculis cum piorum hominum oculos liberasset, mox decreto suo rituum sanctitatem, & precum certas leges ad hujus celebritatis honestamentum induxit.

Digitized by Google

in Urbe gesta, postquam a Romanis comitiis redierat (*a*).

Sequenti anno, qui fuit a partu Virginis millesimus quingentesimus sexagesimus septimus, agrestem Ecclesiam visitare aggressus (*b*) adeo deformia cuncta invênit, ut sæpe lacrymas cohibere non posset. Nec tamen animo concidit, aut spem restituendæ in meliorem statum Reipublicæ amisit. Remedium malorum a Cleri disciplina petere cum instituisset, Collegia Canonicorum iisdem, quibus in Urbe usus fuerat, auxiliis reformavit, conjunctione scilicet, numeri imminutione, severitate etiam pœnarum, prout paucitate, inopia, negligentia laborarent. Si quæ au-

(*a*) Quidquid insuper hoc anno in Ecclesiæ suæ commodum statuerat complectitur Cardinalis missis ad Bonhomium literis XVII. Aprilis MDLXVI. *Me in hac Urbe mirifice delectat facilem, & pronam ad amplectenda monita quælibet. Civium morum indolem, eorumque præsertim erga me benevolentiam, atque observantiam intueri. Sed maxime reficit ea, quam animis imbiberunt, opinio id solum curari, ut post Tridentinum & Provinciale Concilium, tam sancto sedente Pontifice, Me autem præsente atque urgente, nova vivendi ratio ab omnibus pro viribus exigatur. Hinc ad hæc inserenda firmius eorum mentibus curo, ut quam frequenter ad divina Mysteria accedant, quod optimum contra invalescentem improbitatem remedii genus est. Quare Societatis cujusdam fundamenta jeci, cui Sanctissimi Sacramenti nomen dedi. Parœcia quacumque hujusmodi Sodales habebit, in quorum cœtum primores Civium cooptabuntur: Leges insuper condidi, & Sacramentorum usum hac ratione induxi. De aliis item conflanda piorum hominum Sodalitate agitur, quibus Sacrorum splendor & Ecclesiasticorum censuum cura incumbet hac lege, ut ab iis moneantur Parochus aut Antistes, quorum deinde auxilium expectent. Hisce piis exercitationibus dissentos profanos homines minus otiosos in posterum habebo, néque remissos. Ad otium item arcendum subsit aliquem veluti Academicum conventum instituere. Alia interim in Ritus perperam invecta emendabo strenue, deinde ad lustrandam Diœcesim animum adjiciam. Dux Albuquercius acriter statuit contra privatas cauponas scelerum omnium arcem, & improbitatis vere sentinam; atque Alexatus tibi indicabit, quam severe sub adventum meum in flagitiosos quosdam idem animadverterit.* Pridie autem Calendas Sextiles eodem anno alia a se perfecta docet Ormanetum: *Albertus Linus tibi fide aperiet CARITATIS opus, quod in Parœcia Sanctæ Theclæ condidi; hujus Societatis causa ad primam mensis cujusque Dominicam diem recenti amplius ad Synaxim conveniem. Ego ineunte mense manu mea id auspicabor, cum utriusque sexus complures promptissime jam nomen dederint. In varia deinde munera obeunda designati sunt plures; quare alii ad sanciendam pacem, alii ad dirimenda jurgia, isti ad sublevandos agros, illi ad suscipiendam viduarum & pupillorum curam, aliqui etiam ad contribuium suorum inopiam sustentandam destinabuntur. Quare uberrimi fructus spem capio &c.*

(*b*) Aliqua hic placet adtexere, ne ulla in hac historia pateat ad hunc annum lacuna. Itaque ante annum septimum supra sexagesimum hujus seculi aliqua cavit pro Humiliatorum Fratrum moderanda audacia, & sanxit constituendum in Braydensibus Ædibus eorum Seminarium, in quo Ordini illi recenter adscripti sanctitatis tyrocinium ponerent, & alii etiam inter ipsos deinde cooptandi adolescentes educarentur, ut XIX. Maji scribit ad Cardinalem Alciatum. Ab iis etiam Virginum sui Ordinis Collegia regi in posterum vetuit; neque perpetuo, sed ad triennium dumtaxat frui rerum administratione Præpositos; quæ omnia deinde in Conventu Generali Cremonæ indicto confirmavit. Eodem mense ad octiduum male crure affectus decubuit, & nondum valens lustrare deinde Urbana aggressus est Templa. Junio mense Ormanetum ad breve tempus Veronam remisit, quem dum Mediolani opperiretur, jussus est datis a Pontifice literis curare, ut quamprimum Romam mitteretur, cui Ipse mandato alacriter obtemperavit. Hieronymum interim Paphium Ormaneto substituit, & fœderatos pro Fide Catholica tuenda Clavennenses, missis Sacris Oratoribus, corroboravit. Nonantulano deinde Sacerdotio, & Belgico Sancti Andreæ se abdicans in ovilis curam totus incubuit. Senum Hospitalem domum, inani licet officio, Societatis Jesu Patribus petiit attribui. Ineunte Septembri ad populi terrorem in ferali pegmate ad Templi Maximi valvas jussit proponi Civium oculis tres Lutheri Sectæ addictos homines, qui deinde triremi damnati sunt, solemnique Ritu Urbis nostræ Vexillum Patrono Sancto Ambrosio dicatum, ornatumque gemmis, & phrygio opere consecravit. Mox in Agrum Mediolanensem destinata expeditione cum Alberto Lino, & Modoëtiæ Archipresbytero Gorgonticiam, Pontem Aureoli, & Tritium lustravit, ut ipsemet scripsit exeunte Septembri, & Tabulæ Archivi Archiepiscopalis testantur. Octavo Octobris die Leucum accessit, postquam omnem trans Abduam raptim oram lustrasset, ad quam Somaschæ degens Hieronymi Æmiliani exuviis honorem detulit, qui Cælestibus adhiberi consuevit. Leuco discedens montium deinde fauces penetravit; mox Morteronum, Brumanum, aspera denique loca omnia in Valle Saxina obivit, ubi Linus scripsit, *omnia incredibili diligentia, amore, & animi demissione a Carolo perfecta*. Sub Novembris initium Mediolanum regrediens ad Vicum Martis digressus est, ubi repertum Comitem Siccum profanum adhuc Virum, sed probatæ virtutis permovit, ut Sacris inaugurari vellet; quare eodem die Prothonotarium creavit, Minoribus initiavit Ordinibus, & eidem Ecclesiæ Præpositum dedit, atque intra mensem Sacerdotem consecravit. Demum in Urbem hanc reversus est die ejusdem mensis XI., ut scripsit Sabellus Caroli familiaris, qui subjicit: *Miraculo cunctis fuisse initam illic a Carolo vivendi rationem, & montanis illis incolis utilissimam: se vero ejus expeditionis comitem, licet tot laboribus conficiendum, valentiorem redisse, quam illuc accesserat*. Ad hunc itaque annum certe referenda est prima Diœcesis lustratio, quam Glussianus in annum sequentem rejecit. Huc etiam referenda sunt ea omnia, quæ idem Auctor ad annum MDLXVIII. tamquam eo anno peracta in Valle Saxina describit; cum certa extent Ambrosii Mornici documenta in Tabulis, qui testis oculatus hujus expeditionis fuit anno MDLXVI., ut ipsemet juratus testatur.

Digitized by Google

autem Collegia obſcurioribus, aut ſilveſtribus in pagis invenerat, ea nobiliorem in locum transferri curavit, quo majori cum dignitate, ac proventu Populorum Divina Officia colerentur. Id plane actum cum Canturii, Carnuti, Leuci, Buſti Arſitii Canonicis, quorum primi ex Galliani, Sepriique ruinis, poſtremi ex Caſtelli, & Olgiati anguſtiis in ea, quæ nunc tenent, Oppida Ejus opera, & beneficio migravere (*a*). Abbiatum vero, quod & agri opulentia, ex qua Craſſi cognomentum accepit, & incolarum multitudine in ea regione præcelleret, novo Collegio exornavit. Verum de ejuſmodi rebus alibi narratio redibit.

Nunc ad tollenda flagitia, quæ in animarum regimine multa, & magna invaluerant, curam omnem, & conatum intendit. Multi ex ſacris Paſtoribus a gregibus ſuis abeſſe ob ſegnitiem, ſive luxuriam conſueverant, nonnulli ob ſemirutas domos, & tenuitatem ſtipendii, ne ſi vellent quidem, Paroeciis ſuis aſſidere poterant. Quorum Ille inopiæ cum aut incolarum contributionibus ſubveniſſet, aut reſtitutione bonorum, quæ multi, capta occaſione temporum, Eccleſiaſtico patrimonio per ſummum ſcelus eripuerant, in univerſum ſevere edixit, ne quis inpoſterum aut munus ſibi commiſſum deſereret, aut plura Sacerdotia, quibus debita officia impendere non poſſet, diutius retineret. Quæ cum accurate ſive pœnarum metu, ſive honeſtate ipſa ſuadente ſervarentur, ex lethali corpore paulatim caput attollere Mediolanenſis Eccleſia cœpit, reſtitutis præſertim Chriſtianæ Doctrinæ cultu, & concionandi facultate, quæ duo ſemper ad Reipublicæ ſalutem maxime contulere.

Neque præteribo tacitus, quod cum Beſutium celebre Oppidum haud procul ab ora Verbani Lacus perveniſſet, audiſſetque ab incolis S. Niconis (*b*) Corpus in ædicula quadam deliteſcere; quin & memoriam ejus decimoquarto Calendas Maji anniverſario ritu ibidem celebrari, ſubiit animum cupiditas explorandi, qua præſertim in ædiculæ parte ſacrum pignus conquieſceret. Itaque effoſſa humo Arcam lapideam, atque in ea Corpus omnino reſolutum in cineres reperit, quos pro ea, quam ſemper adhibuit erga Sanctorum Reliquias, veneratione diligentiſſime collegit, atque in eadem Ara repoſuit. Crevit deinde loco honos amplificato ædificio Populi largitionibus, & Sodalitii cura, quod ſub ejuſdem Sancti auſpiciis Cardinalis inſtituit.

CAPUT XII.

Eccleſiæ ſuæ jura pro virili tuetur; quare formidoloſa illi tempeſtas offertur.

1567. MEdiolanum reverſus multorum odia, & offenſiones incurrit (*c*), qui

(*a*) Variis hæc omnia temporibus perfecit Borromeus, licet opportunitas narrationis Auctorem compulerit, ut in unum diverſa locum congereret.

(*b*) Hæc biennio poſt peracta ſunt; nam hujus Sancti Ecemicolæ exuvias, erutas primum anno MDLXVIII., & in vetere Arca iterum reconditas a Borromeo teſtantur Tabulæ Archiepiſcopalis Archivi. Anno deinde MDLXXVIII. optabat Bernardinus Tauruſius tum Regioni illi luſtrandæ Præfectus in primarium Beſutii Templum eaſdem transferre; ſed vetuit id prudenti conſilio Carolus, qui prius nobiliſſimæ Beſutiæ Gentis, ex qua Beatus Nico ortus dicitur, voluntatem voluit explorari. Itaque, illa refragante, intentata eo tempore res eſt; ſed ſeculi ſubſequentis anno LXXXV. in novum extructum Sacellum tranſlatæ ſanctæ illæ exuviæ ſunt, & in Arca elegantiore compoſitæ, ut notat etiam Boſcha in Mediolanenſi Martyrologio ad diem XVIII. Aprilis. Hujus Sancti Acta deſcripſit Jo. Jacobus Beſutius in libello typis edito anno MDCIX., licet ipſe etiam male aſſerat repertum hoc Corpus a Sancto Carolo ad annum MDLXVI. Gluſſiani fortaſſe judicium ſecutus; ex quo etiam errorem ſuum hauſit Godefridus Henſchenius.

(*c*) Quietiora tamen anni initia viſa ſunt; Cardinalem enim Novocomenſem gratulatum illi per literas lego mense Martio, quod pacate tranſacta forent omnia ad Cleri, & morum diſciplinam ſpectantia. Quare cum vacuus Mediolanenſibus curis ſibi videretur Carolus, ad Romanas advertit animum; cumque, teſte Ormaneto, gratiſſimæ ad Pontificis aures adveniſſent ſuæ preces reformandum Pœnitentiæ Tribunal ſuadentis, deſignavit menſtruum triginta nummorum ſtipendium ex Tribunalis ejuſdem proventibus ſibi detractum Pœnitentiariis numerandum, addita tamen conditione, ne a Vaticana Baſilica abeſſent. Interim cum de reſtituenda Caraffæ familiæ dignitate illic ageretur, Carniliæ imperavit, ne quid hiſcere auderet. Ipſe autem ſcripta omnia ad eam cauſam ſpectantia, antequam rogaretur, exhibuit, cumque implicitas pecuniarum ſuarum rationes cum ea familia haberet, omni ſuo jure deceſſit, ut ad Bonhomium ſcripſit. Silvium ultimo Antonianum, poſtea in Cardinalium numerum relatum, officiis ſuis ſolicitavit, ut in Mediolanenſi Apoſtolorum Baſilica Sacrorum Præfecturam vellet accipere,

Digitized by Google

qui ſcortis impliciti, aliiſque ſceleribus aſſueti, nec ſine dolore ſanari, nec tolerari ſine publica pernicie poterant. Nonnullos eorum ſuavioribus remediis nequidquam aggreſſus duci in carcerem juſſerat, ſi forte vinculis aſtricti vitiorum amorem exuerent. Illi ſupplicio irritati plebis, ac potentiorum opem expoſcunt, abſurde vociferantes non eſſe in Epiſcopo tantum poteſtatis, ut in Laicorum ſtatum, & fortunas inquirat (*a*). Prioris ſcilicet ævi negligentia, & Præſulum longinquitas, turbationeſque bellorum Eccleſiaſticæ auctoritatis memoriam pene deleverant, & cum plurimis placeret peccandi libertas, puniendi facultas facile diſplicebat. Sed nulla res magis, quam Regii Juris nomen Magiſtratuum ſuſpiciones accendit. Nonnulli ex Miniſtris, penes quos Civilium rerum arbitrium erat, ſeditioſorum criminationibus faciles aures præbebant; cumque tanti Cardinalis auctoritati aperte obluctari vererentur, Archiepiſcopi Satellites per idoneos homines monuere, ne cuiquam Laicorum manus injicere auderent, aut vetita Principis decreto arma deferrent. Simul publico edicto declarant nullo ſe modo paſſuros, ut Regiæ ditioni a quoquam injuria fiat.

Perculere iſta Caroli animum, utpote cum videret ejuſmodi artibus viam ſibi ad exſcindenda Populi vitia præcludi. Itaque Divino auxilio humiliter implorato, ac re tota cum graviſſimis viris mature diſcuſſa, Summum Pontificem de iis, quæ acciderant, admonere ſtatuit, ut quid in cauſa fieri oporteret pro ſuprema, qua in terris pollebat, auctoritate decerneret. Interim cum Regiis Miniſtris quam leniſſime agere inſtituit, ſi forte poſſet controverſiam omnem abſque ulla perturbatione componere. Sed cum ab iis literas ad Regem ſcriptas intellexiſſet, idem ſibi faciendum putavit, ne in potentiſſimi, juſtiſſimique Principis animo ullam de fide, & integritate ſua dubitationem relinqueret. Reſponſa Regis ad Carolum fuere humaniſſima, quibus ſignificabat rem totam Summi Pontificis æquitati eſſe commiſſam, ſeque ab ejus judicio minime diſceſſurum. In eamdem ſententiam ad ſupremos Povinciæ Magiſtratus reſcripſit; addebatque Regni, ac Sacerdotii jura æque ſibi cordi eſſe: proinde velle, ut ſua utrique parti poteſtas inviolata remaneret. Placere interim ſibi, ut Joannes Paulus ab Eccleſia, quem ob ſingularem prudentiam Romana Purpura inſignitum poſtea vidimus, ex Senatorio Ordine Romam ea de cauſa mitteretur, ut apud Cardinales, quibus id negotii datum erat, Regis nomine ageret. Iſte ad Urbem profectus, cum lente judicium trahi ob rei gravitatem videret, annuente Pontifice Mediolanum rediit, a quo etiam binas epiſtolas, alteram ſcilicet ad Provinciæ Gubernatorem, alteram ad Senatum perferendas accepit, cujus exemplar fideliter ſubjicio.

„ Dilecti Filii. Juſtitiæ ſimul & caritatis officio libenter adducti ſumus; ut redeunte Mediolanum Collega veſtro Joanne Paulo Eccleſia, ejus, quam in publico negotio veſtro apud nos gerendo egregiam vobis præſtitit, fidei ac diligentiæ teſtimonium redderemus. Cujus negotii cum ea vis, & natura ſit, quam nemo non intelligit; adhuc ejus ratio facile explicari non potuit. Nec vero hæc cauſa diuturniorem, quam neceſſitas poſtulet, moram habebit. Nam auditis, & plane cognitis, quæ utrinque pro rei veritate rationes allatæ fuerint, mature judicium expediendum curabimus. Interea vos ſtudioſiſſime hortamur in Domino, ut in omnibus rebus Archiepiſcopo veſtro, & ceteris Provinciæ Epiſcopis ad tuendam, & ornandam Paſtoralis Officii curam, ac dignitatem, ſolicitudinem, & operam veſtram accommodetis; nulla enim re magis Secularis Poteſtas ſtabilitur, & augetur, quam amplificatione, & auctori-

(*a*) Prima belli hujus tuba Gallarati intonuit, unde acceptum fuerat, Cardinalis juſſu, & Subrii Prætoris auxilio conjectum in vincula Nobilem quemdam, qui ſeptem jam annos inter pellicis amplexus palam & ſordide contabuerat, uſuque omni Sacramentorum eo tempore abſtinuerat.

„ ritate Eccleſiaſticæ ditionis. Quidquid „ ad ſpirituale Patrimonium firmamenti, „ & virium accedit, eo temporalis ſtatus „ maxime communitur. Nam obſervantia & pietas Principum, ac Magiſtratuum in Eccleſiarum Antiſtites, populos ipſis adeo præbet obedientes, ut fatendum ſit, Regnorum ac Statuum incolumitate uno illo Eccleſiaſtici juris „ præſidio tamquam fundamento contineri. Quod utinam contrariis ad multorum exitium exemplis non pateret! Ea „ laude veſtri ſic excelluere Majores, ut „ illo facto & ipſi clari ſint, & multas „ Civitates, ac Provincias ad pii exempli „ imitationem inflammarint. Quo magis „ nos etiam eximia Patrii in vos officii „ caritate, quam quod alioqui opus eſſe „ putaremus, cohortandos duximus, ut „ quam ſumma cum animi noſtri lætitia „ retinetis, gloriam juvandi, ac fovendi „ Eccleſiaſticam Juriſdictionem, in ea ardentius inſiſtatis. Nam iſta etiam ſtudiorum veſtrorum declaratione Paſtores „ ad diligentiorem ſui muneris adminiſtrationem incitati uberiores ſuorum „ gregum fructus Domino perſolvere ſtudebunt.

Hæ Pontificiæ literæ, utpote ab iis, ad quos mittebantur, reverenter acceptæ ſpem fecerant, omnia denique felicem exitum habitura. Sed longe aliter, quam credebatur, evênit. Facto Senatus Conſulto, nonnullis Patrum diſſentientibus, cenſuere alii, quamdiu judicium Romæ penderet, iis, quæ cœperant, acriter inſiſtendum, ne interim Regiæ partes juris ſui poſſeſſione deciderent. Satellitii ductor ad exequenda Archiepiſcopi mandata mercede conductus repente comprehenditur, tum revinctis poſt terga manibus ter in ſublime ſuſpenſus, atque ad ima demiſſus in exilium pellitur, cum ea denunciatione, ut ſi repertus in Urbe foret, ad Triremes illico mitteretur. Atrox id Carolo viſum, qui non ſuam modo, verumetiam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem tam triſti ſententia violatam videret. Itaque vitæ potius, quam Pontificiæ poteſtatis diſpendium ſubire paratus, Præfecto rerum capitalium, Regii Fiſci Procuratori, ac Scribæ, affixis publice tabellis, communione ſacrorum interdictum declarat, tum Senatui eamdem pœnam indicit, niſi quam primum doceat, quo jure animadvertendi in Eccleſiæ Miniſtros arbitrium ſibi vindicaverit. Patres miſſo Procuratore reſpondent Satellitem illum nemini agnitum non tamquam Archiepiſcopi Miniſtrum, utpote violatorem legis, quæ de armorum genere lata erat, debitas pœnas dediſſe. Ad Summum quoque Pontificem literas mittunt novitatem facti eadem excuſatione purgantes, ſimul in Cardinalem perturbationum omnium initia congerentes. Nec Mediolani deerant, qui Sanctiſſimo Præſuli invidiam creare malignis ſermonibus conarentur. Multa, eaque indigna jactabantur in vulgus, ſub ſpecie Paſtoralis officii latere conſilia occupandi Principatus, atque ea fortaſſe Romanæ Aulæ artibus, opibuſque ſubniti. At ille tot inter obtrectationes tam forti, tranquilloque animo fuit, ut nunquam conſueta officia intermitteret, & cum multos Nobilium, qui ad Eum antea ventitabant, abalienari videret, nihil inde mœroris, quin potius humana omnia contemnendi occaſionem arriperet.

Regebat eo tempore Mediolanenſem Provinciam Dux Albuquercius, qui ob inſitam animo religionem, & quod Regis ſui voluntatem optime noſſet, ea, quæ a Senatu acta erant, ægre ferebat. Sane ut expertem ſe omnis culpæ probaret, Judicem quemdam, quod Clericum in vincula conjeciſſet, a conſpectu ſuo rejecerat, & Satellites aliquos, qui anathematis tabulas ex Palatii, Templorumque valvis detraxerant, duci in carcerem juſſerat. Pari pœna alterum ex primoribus Urbis affecerat, quod in carpendis Archiepiſcopi moribus linguæ intemperantia modum excederet. Hac igitur præ voluntatis teſtificatione permotus Pontifex, tranſmiſſis abſque reſponſo Senatus literis ad Albuquercium ſcribit, ut pro ea, quam præſeferat, religione, ac prudentia rationem ineat, qua Cardinali, immo toti Eccleſiæ pro illata injuria ſatisfiat.

Simul

Digitized by Google

Simul missso Mediolanum Cursore, Senatus Præsidem, duosque Senatores, qui velut auctores injuriæ notabantur, admonebat, ut cum aliis anathematis vinculo obstrictis Romæ se ad causam dicendam intra trigesimum diem sisterent. Quod tamen temporis spatium prorogari placuit, quod Seralvi Demarchum, quem Rex pro controversiæ definitione ad Summum Pontificem destinaverat, Mediolani propediem affuturum nunciabatur. Is ubi ex Romano itinere digressus ad Carolum venit, quas ex Hispaniis attulerat querimonias in hunc modum exposuit. Non videri ea, quæ cum Senatu acta sint, cum paterni officii mansuetudine consentire. Consultius acturum Cardinalem, si importuna delatione ad Pontificem omissa, rem integram ad Regem detulisset promptiora inde, ac mitiora remedia relaturus. Dolere Regem, hæc in Ministros suos ab eo potissimum attentari, qui ab se multis, amplissimisque beneficiis esset ornatus. Ceterum Majestati ejus alte propositum esse ne minimum quidem juribus suis decedere, quantacumque inde perturbatio reipublicæ immineat. Postremo Cardinalem orabat, ut pro iis, qui ad Romanum Tribunal vocati essent, deprecatorem se apud Pontificem præberet, ne tantum onus subire cogerentur. Ad ea Carolus fortiter simul, ac modeste respondit: non ante cum Regiis Ministris ad acriora remedia ventum esse, quam omnia humanitatis officia esset expertus (*a*). Sed cum se nihil suavitate proficere, immo universæ Ecclesiæ auctoritatem novis edictis violari videret, Eum plane ab se moneri debuisse, cui sciret universam Ecclesiam divinitus esse commissam. Pro maximis beneficiis, quæ a tanto Rege accepisset, paratum se esse res omnes suas, ac vitam ipsam rependere; sed quemadmodum certo sciret, quam benevole ipse Rex erga Ecclesiasticum Ordinem esset affectus: ita credi non posse, Majestati ejus, quæ ad defendendam ejusdem Ordinis dignitatem fierent, displicere. Ad ea vero, quæ ultimo loco Legatus rogaverat, ita respondit, ut neque postulata admitteret, neque omnino repudiaret. Ita Romam abeunti literas dedit, quibus & privatarum offensionum oblivionem a Pontifice petebat, & jurium Ecclesiæ suæ memoriam renovabat. Eas describo:

Sanctissime ac Beatissime Pater.

„ CUm antea ad Sanctitatem Tuam de
„ rebus ad hujus Ecclesiæ jurisdictio-
„ nem pertinentibus singillatim retuli, tum
„ hoc tempore Ormaneto mandavi, ut di-
„ ligenter exponat, quidquid hìc cum Mar-
„ chione Seralvi actum est, qui nunc Ro-
„ mam proficiscitur. Is cum a me con-
„ tenderit, ut de eodem negotio compo-
„ nendo, Senatoribusque Romam minime
„ compellendis ad Te perscriberem, quæ
„ in hoc genere sentiam, quæque antea
„ significavi, & Marchioni ipsi libere re-
„ spondi, hìc breviter attingam. Quod
„ ad Senatores attinet, nullam privatam
„ injuriam meam equidem vindicari volo.
„ De cetero, quid Sanctæ Sedis Apostoli-
„ cæ dignitati conveniat, quid Ecclesiæ
„ conducat universæ, rectissime Tua San-
„ ctitas existimabit; ejus enim Illa caput est,
„ ego autem exiguum membrum. De hu-
„ jus Ecclesiæ jure id confirmo, nihil aliud
„ spectare me, nisi ut illius auctoritate ser-
„ vata, qui posthac Archiepiscopatum ge-
„ ret, omnia libere exequi possit, quæ-
„ cumque ad ejus officium pertinebunt.
„ Ceterum testimonia me, ac argumenta,
„ quæ ad possessionem Ecclesiæ probandam
„ valent, ad Sanctitatem Tuam missse
„ satis habeo; quæ cum apud se Viros ha-
„ beat bonitate, doctrina, judicioque præ-
„ stantes, & ex eorum numero, qui Con-
„ cilio Tridentino hujus generis rebus con-
„ stituendis interfuerunt; cumque quod
„ caput est, a Spiritu Sancto regatur,
„ meas esse partes alias non video, quam
„ ex-

(*a*) In literis in Hispaniam missis extat ipsum Caroli testimonium XXIX. Septembris hoc anno scribentis: *Septem se dies rem distulisse antequam causam hanc ad Pontificem rejiceret, quo mitius in Auctores injuriæ Mediolani consuleretur.*

Digitized by Google

„ expectare, quid Illa decernat, & quid-
„ quid decreverit, prompta omnino vo-
„ luntate accipere, nihil dubitans, quin
„ illud rectum, ſanctumque ſit. Sanctitatis
„ Tuæ Pedes ſubmiſſe oſculor. Mediola-
„ ni IX. Calendas Februarii MDLXVIII.

CAPUT XIII.

Tres Helvetiorum Valles ditioni ſuæ ſubjectas, & ſumma morum corruptela deformatas inviſit.

1567. ITa liber ab omni cura Carolus, quippe cum omnis controverſiæ judicium in Pontificem rejeciſſet (*a*), ſtatuit adire Valles, per quas Ticinus amnis recentes a fontibus ſuis aquas præcipiti lapſu ex alpibus evolvit. Quatuor ex Metropolitani Templi Canonicis loca illa antiquitus tenuere, atque ſub Comitum nomine profana ſimul, & ſacra adminiſtrabant. Feſſus deinde bello alter ex Mediolani Ducibus pacem cum Helveticis ceſſione Vallium redemit, aſſignavitque Canonicis vectigalia quædam in Subrii Præfectura qualecumque ſolatium adempti Principatus. Nunc ſacrorum regimen Archiepiſcopo manet, ſervato tamen jure Canonicis conferendi Sacerdotia, quæ per eos tractus non pauca numerantur. Igitur Carolus ineunte Octobri (*b*) nihil deterritus, aut viæ longitudine, quæ centum millibus paſſuum conſtat, aut difficultate hyemis, quæ apud alpes communia tempora non expectat, itineri ſe commiſit allaturus remedia Populo, quem multis, graviſſimiſque calamitatibus laborare intellexerat. Prænuncias tamen adventus ſui ad Principes Gentis literas dedit officioſe rogantes, ut aliquem nomine ſuo mitterent, qui & ea, quæ acturus erat, ad tollendas ſuſpiciones inſpiceret, & Paternis officiis contumaciter obluctantes Imperii auctoritate cohiberet. Gratum id Helvetiis fuit, ſive quod in partem tam religioſæ expeditionis vocari ſpecioſum erat, ſive quod rogari a tanti nominis Viro non exiguam partem dignitatis ſuæ ducerent. Tres ex dominis Oppidis Legati advenere, quos Cardinalis toto illo viſitationis tempore teſtes laborum habuit, immo & lacrymarum, ſine quibus tot incolarum vitia, ſacrorumque injuriæ ſpectari non poterant. Mercatura, & ſordidi quæſtus minima Sacerdotum flagitia erant; Eccleſiæ ſtipendia in alimenta pellicum vertebantur, & Patris nomen, quod ex publicæ ſalutis cura mereri debuerant, plerique ex libidine voluptatum acceperant. Templa nihilo mundiora Sacerdo-

(*a*) Adeo moderate caſum hunc tulit, ut Cardinali Novocomenſi ſcribenti *videre ſe in Carolo primordia aliquot concitati olim in Chryſoſtomum belli, & parem fortaſſe exitum ſperare*, Borromeus tranquillo animo reſponderit: *certo fore, ut Deus auxiliatricem præbeat manum, atque hoſtis humani generis ſuis auſis excidat, docente Deo*: VOS COGITASTIS FACERE MALUM, ET DEUS CONVERTET ILLUD IN BONUM. Magis autem dilucide mentem de hoc ſuam aperuit Ormaneto die XXX. Aprilis: *Audio quinque ex Cardinalibus electos Pontificio nutu ad Eccleſiæ meæ jura expendenda: quare placato animo ſententiam pronunciandam expecto, atque adeo de cauſa mea cogitationem omnem abjeci, ut quidquid mandatum fuerit in utramque partem libentiſſime ſim amplexurus.*

(*b*) Trevicenſem Epiſcopum in Capriaſcam Vallem antea legaverat, qui eam nomine ſuo luſtraret, cum videret alias ex aliis ſeri hic moras cauſas propter perturbatas Eccleſiæ rationes. Quare nonniſi die XXX. Septembris ſe in viam dedit. Iter ſuum, antequam Helveticæ ditionis Valles ingrederetur, breviter ex Ejus ad Ormanetum literis datis VII. Octobris recito: *Hoc iter meum auſpicatus ſum Lunæum Puteolos luſtrans. Ut jamdiu ſtatueram, Parthenonum numerum minui. Biduum ea cura me tenuit; tria dumaxat ex novem Collegiis reliqua ibidem ſunt: quæ Humiliatorum Ordinis ſe legibus obſtrinxerant Virgines, eas in Mediolanenſe Aſceterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Circum amandavi: quæ Caſteni degebant Montales ad Sanctam Mariam ad Stellam Mediolani item nunc degunt. Inde digrediens Aronam verſus, in ultimo Sextum Calendas jure meo uſus luſtravi, quamvis paucis ante menſibus Epiſcopus Ticinenſis ſuo, ut putavit, jure Provinciam hanc obiiſſet. Adnexam Epiſtolæ habebis rationum mearum ſummam. Quare jure meo decedere nolui, ne quid poſſeſſionis Eccleſiæ meæ detraherem, præſertim cum viſitare id Locis Arcimboldus prædeceſſor meus non dubitaverit; præterquamquod Ipſe etiam videtur Malignacii ſecutus exemplum, qui hoc ipſum Hippolyti Ateſtini nomine præſtitit. Adde Ritum ibi Ambroſianum nunquam intermiſſum, & publicarum tabularum teſtimonium, quibus Pagus ille Angleriæ Plebs appellatur in Diœceſi Mediolanenſi.* Alibi vero ſuper hoc ipſo ſcribens dicit: *Sexti Abbatiam & Sacrorum Præfecturam diverſa admodum eſſe: illam quidem Ticinenſis Epiſcopi jure, hanc Mediolanenſis contineri.* Itaque Arona poſtmodum, & Angleria luſtrata, ad IV. Octobris diem Bellitionem verſus navigavit, ubi ex Helvetiis Proceribus tres obvios habuit Legatos Buntinerium, Rollium, & Zambrunum.

Digitized by Google

dotibus erant, pene ut introëuntibus plus horroris, quam religionis incuterent (*a*). Quales autem Populi mores fuerint, ex his ipsis sacrorum hominum exemplis facile quisque conjiciet. Quæ cum Archiepiscopus coram aspiceret, adeo commovebatur animo, ut vim doloris fletu levare identidem cogeretur. Illud solatium doloris erat, quod pleraque mala ex insciția magis, & simplicitate ingeniorum, quam ex animi vitio derivari animadverterat. Itaque miserrimam Provinciæ suæ partem reficere aggressus, castigata prius objurgationibus, pœnisve Sacerdotum licentia, ad erudiendas incolarum mentes, qui sparsim in silvis, & montibus habitant, iter, atque animum vertit. Invia simul, & pervia ut plurimum pedibus peragrabat, nudis ad quietem tabulis incubans, modico, ac rudi victu contentus, plane ut afflictum tot laboribus corpus spe magis alienæ salutis, quam cibis, & somno sustentare videretur (*b*). Ita cæleſtem Doctrinam per tuguria illa, rupesque circumferens alios in fide hæsitantes firmavit, alios ad meliorem vitæ rationem instruxit, simul Archiepiscopi jura temporum injuriis pene collapsa restituit. Cumque Helvetiorum Legati dixissent id ab se Ejus bonitati concedi: respondit Carolus, sapientius ipsos esse dicturos, si Deo, & Ecclesiæ id a se dari profiterentur. Multum ad demerendos Legatorum animos profuerat liberalitas, qua rigida quoque ingenia capiuntur. Nam cum nihil nisi Reipublicæ salutare agitari viderent, & Cardinalis sumptu cum familiis suis splendide alerentur, ea simul honestate, ac munificentia facile sunt adducti, ut nec unquam ab Ejus latere, neque a sententia discederent.

Visitatione peracta, indicitur Sacerdotibus dies, qua certam in sedem conveniant. Ibi de Ordinis sui Sanctitate commoniti gravissimis sermonibus excitantur, ut contribulibus suis morum castitate præluceant, populum sibi commissum diligentius tueantur, intermissa denique Majorum instituta æquo, libentique animo recipiant. Inter quæ potentissima fuit oratio, qua Legatorum unus de Helvetiorum suorum voluntate disseruit. Ajebat enim: statutum esse Principibus Gentis, ne Magistratus, qui in subditas Valles inposterum mitterentur, in sacros homines judicandi potestatem exercerent. Hactenus id egisse necessitate compulsos, nè Clericorum licentiam ex Præsulum negligentia quotidie invalescentem impune grassari ad perniciem Reipublicæ paterentur. Nunc quoniam is Præsul divinitus datus esset, qui in subditorum mores accuratius inquireret, se illi facultatem omnem in Ecclesiasticum Ordinem permissuros. Ab Helvetiis quoque Oratores ad Tridentinum Concilium missos, cujus decreta idcirco servari in suis Regionibus velint. Flecterent proinde ab obedientiam animos, seque ad exequenda Archiepiscopi mandata inposterum compararent. Hac oratione commoti, qui aderant, Catholicæ Fidei professione præmissa, Tridentini, ac Provincialis Concilii sanctiones solemni ritu acceptare, polliciti se omnia, quæ juberentur, fideliter servaturos (*c*). Tum gratiæ Legatis actæ, datæque literæ ad eorum

(*a*) Juvat in obductam cicatricem violentum unguem injicere, ut de oblato remedio major sit lætitiæ ſeges. Dolens itaque, nec sine lacrymis eidem Ormaneto hujus Provinciæ calamitates exponit Cardinalis V. Novembris hoc anno: *Præterquamquod Sanctiſſimum Chriſti Corpus in pulverulentis vaſibus occurrit, ſordidiſque thecis ſemeſtri & amplius ſpatio ibidem negleƈtum, in Templo quodam ad manus venit Ejuſdem fragmentum carie exeſum, & Calici attrito partim inhærens, partim limoſo, quo viſo totus cohorrui. Execranda item his locis jaƈtantur dicteria: vacare nimirum culpa diuturnam cum ſcortis conſuetudinem, quandoquidem natura verendum eſt, quod ex uſu vitium inoleverit: de Tridentino Concilio ſcommata quædam palam cum plauſu excipiuntur, quæ hæreſim ſapiunt. Omitto additam pluribus peccandi illecebram ex audita confeſſione peccantium, inceſtas pluribi repertas conſuetudines, naturæ jura adulteriis polluta &c.*

(*b*) Constat in sæpe laudatis tabulis Carolum, dum has Valles lustraret, prima jeciſſe abstinentiæ suæ rigidiſſimæ fundamenta. Hic enim primum lacte, aut parabili victu contentus, maximam semper sui admirationem excitavit, annos vix natus novem supra viginti, & jam summis vigiliis, atque jejuniis obduratus.

(*c*) Quid hac expeditione peractum sit, habes ex eadem ad Ormanetum Epistola: *Quantum conjicere potui, non admodum averſos a ſanƈtiore diſciplina eorum animos intellexi, ſive eos Zambruni Legati verba terroris plena*

Digitized by Google

rum Principes, quæ obſtrictum tam honorifica legatione animum teſtarentur. Nec vero intra officia verborum Caroli humanitas ſtetit. Nam, & eximios pietate, doctrinaque viros ad refovenda religionis ſtudia in eas Valles identidem mittere ſolitus fuit, & aſſentiente Pontifice ſtatuit, ut ſex ex Lepontiorum genere adoleſcentes, nullo parentum ſumptu, perpetuis temporibus in Seminario educarentur (*a*).

CAPUT XIV.

Humiliatorum, & Franciſcanorum Fratrum Ordines ad ſanctioris diſciplinæ normam revocare nititur.

1567. TAm feliciter expugnata agreſtium hominum, ac locorum difficultate, redux ab alpibus Carolus, cum inde ſibi fauſta omnia auſpicari poſſe videretur, difficiliora Alpium anfractibus ingenia in Urbe invênit. Humiliatorum Ordo Mediolani erat antiquitus inſtitutus conſilio, & opera Nobilium aliquorum, quos Conradus, ſive, ut alii dixere, Ænobarbus Imperator, domita armis Inſubria, captivos in Germaniam abduxerat (*b*). Hi paupertatis, exiliique incommoda ægre tolerantes, ut fere hominum mores facilius infortuniis, quam felicitate proficiunt, votum nuncupavere, ſi quando Divina ope ex iis anguſtiis evaderent, ſe aliam ſanctioris vitæ rationem inituros. Voti compotes facti paternas opes, quas ſatis amplas habebant, in unum contulere, Cœnobioque condito, atque ex Sancti Benedicti inſtituto communem vitam agentes, ex humilitate, in quam diuturna captivitate, & inopia adducti fuerant, nomen ſibi indidere. Et primo quidem celebre fuit Humiliatorum nomen diſciplinæ fama, & æſtimatione virtutis, quam multis per Italiam Civitatibus late diffuſis ſodalitiis intulerant. Auctis deinde opibus (*c*) paulatim minui virtutum ſtudia cœpere, conſueto Sacrorum Ordinum infortunio, quorum miſerrimæ clades non raro a divitiarum magnitudine incipiunt. Cœnobiorum Præpoſiti ex temporaria Præfectura perpetuum ſibi dominatum fecerant, quem arbitratu ſuo in alios ſibi ſimiles transferebant. Paucos, ac fere inutiles in Collegium admittere (*d*), ſobrieque alere, ſuperbe iis imperitare, tam large interim erga ſe ipſos agere, ut alicubi ſuffectura centenis Fratribus alimenta Præpoſiti unius luxuries hauriret. Hinc venatici canes, & ſicariorum catervæ, & aſſidua cum amicis convivia, quæque alia luxum, & delicias comitantur. Quibus de rebus admonitus Cardinalis, cum adhuc Romæ detineretur, atque ejus Ordinis tutelam a Pontifice Avunculo ſibi commiſſam haberet, Ormaneto Mediolanum præmiſſo negotium dederat, ut aberrantes a Monaſticis Legibus Humiliatos quoquo modo ad ſaniora conſilia reduceret. Verum altius radices jecerant vitia,

plena commoverent, ſive ſponte prona in rectum indoles excitaret. Certe placuit illa ingeniorum demiſſio, atque tres ex iis multorum criminum nota infames, ne Mediolani meis quæſtionibus ſubjicerentur, verentes, me Bellionem plavio cælo contendentem citato itinere proſecutum jam exire rogantes, ut ibidem in eos ſententiam pronunciarem, quod quidem illis non admodum gravate conceſſi.

(*a*) Neque aliud Paſtoralis ſolicitudinis hoc item anno exeunte oſtenſæ indicium hic eſt omittendum. Vix enim Mediolanum redux ad V. Novembris diem aliam in Variſienſe Oppidum expeditionem aggreſſus eſt, ubi fœnebrem quæſtum ibidem invaleſcentem conatus eſt comprimere, & quindennes geminos adoleſcentes in Canonicorum Collegium adſcitos comperiens cavit, ne in poſterum mali exempli res Romæ probaretur. Ibidem octiduum manſit, ut Ormaneto per literas indicavit.

(*b*) Cl. Nicolaus Sormanus ex Collegio noſtro Ambroſiano Doctor, in Libello ſuo, quem de rebus Humiliatorum typis edidit anno MDCCXXXIX., certis innixus Diplomatum fundamentis altius ipſorum primordia revocavit. Affixit nimirum hujus Ordinis initium incunti Seculo XI., ætati ſcilicet S. Henrici Imperatoris, a quo abductos Nobiles Cives Mediolanenſes in Germaniam, qui antea Harduino ſtuduerant, primos dicit fuiſſe ejus Ordinis Auctores. Hæc ſententia conſonat etiam iis, quæ S. Antoninus, Volaterranus, & Jovius de Humiliatis tradidere.

(*c*) Opulentiæ hujus cauſas allegat idem Vir Cl. in eadem hiſtoria, quæ comparata videtur ex publicarum rationum adminiſtratione ipſorum fidei ad ſecula aliquot commiſſa, atque concredita.

(*d*) Sua ætate ſcribit Carolus eo in Ordine numeratos eſſe vix aliquot ſupra centum Fratres in omnibus Italiæ partibus, Præpoſitis tamen, Tyronibus, & Transfugis in eamdem ſummam conjectis. Initis autem redituum ſuorum calculis, ſexaginta aureorum millibus tam exiguus Cœtus alebatur.

Digitized by Google

vitia, quam ut convelli Ormaneti viribus poſſent. Nunc ipſe coram inſpectis malorum omnium cauſis Cremonæ in Urbe univerſi Ordinis conventum indicit (*a*). Ibi depromptis literis, quas ad rem firmius ſtabiliendam a Pio V. impetraverat, Apoſtolica auctoritate primum jubet (quæ duo præcipua reformationis capita erant) Cœnobiorum bona in commune conferri, deinde Præpoſitos omnes, abſoluto triennio, per Fratrum ſuffragia renovari. Mox Præpoſitum Generalem creat, qui in ceterorum geſta animadvertat, ſtatutoque tempore, haud ſecus, quam ceteri, Magiſtratu decedat. Læto hæc animo Fratrum plerique acceperе, quippe cum Præpoſitorum potentiam coërceri viderent, quorum crudelitate, & avaritia premebantur. Contra Præpoſiti intra ſe fremere, & quemadmodum phrenæſi correpti ſæpe medentibus iraſcuntur, haud ſecus ipſi ſalutaria præcepta probris, contumeliiſque inſectari. Tum omni genere officiorum tentare Pontificis animum, ſi forte aliquid de ſtatutorum ſeveritate remitteret, conati etiam inflammare Principum animos, ne intra ditionis ſuæ terminos quidquam immutari permitterent. Quibus cum nihil proficere ſe viderent, concepere animis ingens, inauditum, horribile facinus, de quo alibi referam. Interim Carolum proſequi juvat ad Franciſcanos proficiſcentem, quos Humiliatis, ut numero, & celebritate præſtantes, ita moribus parum abſimiles eſſe cognoverat.

Jam dudum in duas veluti claſſes Franciſcani diſceſſerant, alii Conventuales dicti, alii Obſervantes vulgo nominantur, quorum inſuper eo tempore aut multiplex genus erat, aut fere nullum. Et Conventuales quidem quamquam non ſine magnis laboribus, minore tamen tumultu impoſitas ſibi leges accepere. Laborabant eorum nonnulli poſſidendi cupiditate, ac pertæſi cellarum anguſtias, privatiſque ædibus amœno loco ſplendide extructis, tanquam Optimates Ordinis in ſodales dominabantur. Ita mutua inter Fratres caritas omnino defecerat, quæ ſtare in Sacris Familiis ſublata æqualitate non poteſt. Quæ graviſſima ſane mala, etſi vetuſtate ipſa invaluerant, magna tamen ex parte ceſſere ſtudio etiam, & opera Alexandri Cribelli Cardinalis, quem Carolus Romæ commorantem in hujus curæ

(*a*) Jam Roma regrediens a Comitiis anni MDLXVI. plura impetraverat pro reſtituendis ejus Ordinis legibus Diplomata, quæ dum Cardinali Alciato traderet Pius, ſubridens dixiſſe ſcribitur: *Optimam dictu fore reformationem hanc, non item factu*; cui Alciatus repoſuit: *Rem ipſam a Borromeo quæri, non poteſtatem: & citius ſuæ ſolicitudinis certa extitura argumenta.* Neque expectationem fefellit Carolus. Etenim ſtatim omnes in hanc rem cogitationes contulit: Seminarium primo Adoleſcentum Humiliatorum in Brayden-ſibus Ædibus inſtituit: mox cum Sabaudiæ Duce, & Venetis egit, ut ipſorum officiis poteſtas etiam ſua armaretur. Revera Albertus Linus in Veronenſi Diœceſi, neque remiſſius in Bergomenſi Cornelius Epiſcopus rem promovere, ut horum literæ teſtantur. Ipſemet Summus Pontifex certior factus de primis a Carolo jactis diſciplinæ fundamentis Alciato Cardinali aperuit, velle ſe Romæ Humiliatis Contubernium comparare. Hoc tamen anno preſſius reformare hunc Ordinem aggreſſus eſt Conventu Cremonæ indicto, quem V. Junii die aperuit & XIV. ſolvit. Plura ibi ſancte conſtituta, & præter ea, quæ Auctor exponit, ſcribit Carolus fuiſſe ibidem cautum, ut duodecim ſaltem Fratres in ſingulis eorum Monaſteriis alerentur. Supremum ibidem Ordinis Præſidem pro poteſtate ſua deſignavit Aloyſium a Baſilica Petri Virum, ut Ipſemet dicit, totius Ordinis præſtantiſſimum; quem diuturna cum Sancti Barnabæ PP. conſuetudo ad ſanctitatem formaverat. Cremona Mediolanum reverſus Brayden-ſes Ædes armatorum manu obſeſſas invenit, atque eorum viribus occupatas, qui nova Inſtituta averſabantur. Citius tamen tantam licentiam, adjuvante etiam religioſiſſimo Albuquercio, compeſcuit. Gratiſſimum rei perfectæ nuncium excepit Romæ Pontifex, quem Ormanetus ſcripſit *inexpectato obrutum gaudio tetendiſſe ad Cælum pluries manus, & Omnipotenti Deo gratias primum habuiſſe, deinde Caroli ſtudia pleno ore laudaſſe.* Verumtamen cum difficulter admodum impoſitis Legibus ſe Humiliati ſubjicerent, nova inita a Carolo ratio eſt moderandæ eorum audaciæ; VI. ſcilicet Octobris die hoc anno Pontificium illis Diploma indixit, quo ſanciebatur, ut alterius cujuſpiam Religioſæ familiæ probatos Viros illis contubernales adjungeret, retenta quidem Nominis, & Inſtituti varietate, ſed facta dumtaxat quadam virtutis communione. Hinc præcipue optavit, ut Sancti Pauli Clerici Regulares illis darentur veluti ſanctitatis Magiſtri, quam in rem aliquot etiam jam elegerat: aliquot etiam ex Societate Jeſu jam animo deſtinaverat, quemadmodum Capuccinos etiam & Ordinis Prædicatorum in Etruria nonnullos; ne autem in illis eligendis erraret, Sanctum Philippum Nerium per literas conſuluerat. Ab hoc tamen propoſito dimotus fuit, pluribus interpoſitis impedimentis. Tandem biennio poſt, cum a Pontifice antiquatus ille Ordo fuiſſet, Carolo poteſtas de iis benemerendi non tamen voluntas fuit erepta.

Digitized by Google

ræ ſocietatem adſciverat. Is enimvero delectos ex eodem Franciſcanorum Ordine Viſitatores, quos prudentia, & auctoritate plurimum apud ſuos præſtare cognoverat, in omnes partes cum poteſtate dimiſerat, ut reſtituto inſtitutionum cultu, Franciſcanum nomen, quod ipſi cum ceteris commune haberent, ab omni ignominia vindicarent (*a*).

Inde converſa in Obſervantes ſolicitudo, quorum clauſtra præter tædium paupertatis factiones, & ſtudia partium pernicioſiſſimæ ſcilicet Cœnobiticæ diſciplinæ peſtes invaſerant. Clientelis, & favore amicorum ubi quis ad ſupremos gradus aſcenderat, nulla habita meritorum ratione, eos tantummodo, quos propitios in ſuffragiis habuerat, extollere conabatur, atque is demum in omnibus comitiis victor erat, qui gratia, non virtute præcelleret. Archiepiſcopus in hac rerum deformitate duo ſibi præcipue facienda putavit, primum ne propria vectigalia, fundoſque habere cuiquam permitteret; deinde, ut factionum duces ea, quam injuſte occupaverant, provincia dejectos in obſcuriora cœnobia relegaret. Quibus peractis, & ſpes virtuti, & Ordini quies reſtitui videbatur (*b*).

At ubi ad Amedeos (*c*), Clarenoſque ventum eſt, prope fuit, ut Carolus ipſe nedum Pontificis auctoritas violaretur. Nomina hæc quoque Franciſcanorum erant, qui ex Obſervantum Ordine abſciſſi, tanquam avulſi ex vite palmites alterius veluti Ordinis radices jecerant. Frater quidam nomine Amedeus Patria Ulyſſiponenſis, cum Sanctiſſimi Conditoris inſtituta peſſumdari a gregalibus ſuis videret, nonnullos eorum, quos proniores ad religionis ſtudia eſſe intellexerat, ſecum abduxit, ac ſingulare aliud ſodalitii genus effecerat. Qui nomen dederant, ex Auctoris nomine Amedei appellati, nec alia fere origo Clarenorum fuit. Et initio quidem Clareni, Amedeique ſanctiſſimorum hominum nomen habuere; mox, uti fit, relabente paulatim ſpiritu, haud ſecus quam reliqui, a quorum ſocietate diſceſſerant, a priſtinæ vitæ innocentia deſcivere. Itaque Carolus, quod ſeceſſiones iſtas nullo jam religionis proventu continuari videret, inanes nominum differentias tollere, ac ſparſa veluti membra in unum corpus referre conſtituit. Re eum Pontifice communicata, Mediolani in templum, quod Pacis appellant, convenire Fratres jubet, conſtitutiones, quas Roma acceperat, in Concilio recitaturus. At illi furore perciti, ubi Archiepiſcopum adeſſe nunciatum eſt, citato campani æris ſonitu ad arma conclamant,

(*a*) Primum in hac Urbe plura in Conventualium Cœnobio ſanxit, cujus *ſingulas partes Se exactiſſime diligemer* ſcribit Ormaneto XXIX. Septembris anno MDLXVIII. *atque cellam cuilibet ex Fratribus unicam deſtinaſſe, obſtructo ad plures, quibus utebantur, aditu: iisque dimiſſos Adoleſcentulos quotquot, quibus per ætatem, profeſſionem emittere non licebat*. Neque hæc ſolicitudo Provinciæ dumtaxat hujus finibus definita videtur. Extant Ejuſdem literæ biennio poſt datæ ad Venetos, ut curent Fratrum hujuſmodi leges reſtitui: privatarum præcipue ædium, hortorumque uſu omnibus interdici. Atque hoc idem inculcaverat Biliæ Pontificio Legato Vindobonæ ſedenti, cujus etiam ſtudia in hac diſciplina promovenda commendat.

(*b*) Paulo ante, quam ſe in viam daret Mantuam verſus, quo Eum Pontificiæ literæ vocaverant, provincia hac functus eſt Carolus. Siquidem rem jam perfectam ſcribit Ormaneto VII. Cal. Martii hoc anno: *Sabbato elapſo ſolutus eſt Fratrum Obſervantium cœtus, qui dum coactus eſt, nova diſciplina inſtituta illis indicta ſunt. Ivere in hanc ſententiam omnes, ſi aliquam juniorum muſſitationem demas, quibus aliquanto duriora illa videbantur, licet haud quaquam ab ipſis Sancti Franciſci legibus diſcrepent*. Hæc tum acta. Annis vero ſubſequentibus eam celeberrima inter Fratres Strictioris Obſervantiæ, & Minores exardeſcerent diſſidia, illi ſemper uſi ſunt favore Borromei, cujus opera præcipue in Italia reſtituta ſanctior ejus Ordinis diſciplina eſt. Cumque anno hujus ſeculi LXXXII. evocati ad Romana Comitia Minores Fratres ultimum intentare Reformatis excidium conarentur, atque in ea urbe minas creparent, vincula & carcerem iiſdem denuntiantes, ſcribit Specianus ad Carolum *videri peſſum iturum ejus Familiæ omnia, niſi maturato ſuo Romam adventu afflictas illius res ſublevare feſtinet* Quod quidem eodem anno præſtitit Cardinalis, & concitatam tempeſtatem auctoritate, & favore ſuo ſedavit.

(*c*) Amedeorum nomen Franciſcanæ illi familiæ inditum eſt, & ab ejus Conditore primum acceptum, Amedeo nimirum Ulyſſiponenſi Viro Religioſiſſimo, qui ſibi ob præcipuam vitæ ſanctitatem non mediocrem Fratrum numerum plurimis ante annis adjunxerat, cumque iis veteres aſperioris vitæ leges reſtituere conatus fuerat. Extant ipſius res geſtæ typis impreſſæ anno MDCXXX., ejuſque Corpus Fidelium veneratione propoſitum in Sanctæ Mariæ Pacis Templo cuſtoditur. Vide Boſcham ad diem X. Auguſti in Martyrologio Mediolanenſi.

Digitized by Google

mant, pejora etiam ausuri; nisi Carolus vitato prudenter occursu locum injuriæ sustuliſſet (*a*). Mox ad meliora consilia reversi, ac secum reputantes rem sibi esse cum eo, quem nulla pericula, nullæ difficultates ab salubriter incœptis deterrerent, indicta sibi decreta accepere contenti remissione pœnarum, quas utique graves ob præteritæ seditionis crimen daturi erant, nisi Carolus ipse Pontificem exoraſſet, ne quid gravius in reos statueret.

CAPUT XV.

Turbato Mantuæ Fidei statu, illuc destinatur ex Pontificio mandato Legatus.

1568. PEr eadem tempora triste quiddam in altera ex Italiæ Civitatibus acciderat, ex quo triſtiora insuper alia timerentur. Concionator quidam multa Orthodoxæ Fidei contraria palam dicere ausus erat, cumque Fidei Quæsitor in eum animadvertere voluiſſet, minis, & duorum Religioſorum hominum cæde (*b*) admonitus fuerat, ne quid ultra tentaret. Nitebatur impius Orator Principum patrocinio (*c*), sine quo nulla ferme hæresis in Eccleſia adolevit. Quod ubi Romæ est auditum, timor ingens Pontificem inceſſit, ne alias Italiæ Civitates latius serpens hæc flamma corriperet. Cum de remedio ageretur, nemo aptior Carolo visus, qui viam orienti incendio præcideret. Fortitudinis, & prudentiæ experimenta, quæ hactenus Ille, Pontifice præsertim Avunculo, dederat, certam veluti legem effecerant, ut si quid arduum, ac difficile in Eccleſiæ rebus occurreret, id Cardinali Borromeo committeretur (*d*). Igitur ad rem componendam summa cum potestate delectus, quamquam & satis negotii domi habebat, & difficultatibus, periculisque obsepta omnia videbat, haud ultra distulit, quin iter illi-

(*a*) De facti hujus aut veritate, aut integritate subdubito, cum Carolus, quo tempore indictæ novæ leges Fratribus Amedeis sunt, Mantuæ versaretur. Rem describpsit Castellus Ejusdem Mediolani Vicarius in sua Epistola ad Eum missa XXXI. Martii anno MDLXVIII., scribens *eodem die missum Supremum Ordinis Præsidem tum in hac Urbe degentem, ut novum Cœnobio Custodem induceret, cum omnia pacata apparerent. Attamen* (subjungit) *eum illuc profectum vidisse repente occlusas in faciem Fores, & triginta circiter armatorum hominum pro limine stantem cohortem, qui nihil illius auctoritatem & nomen reveriti, truculente vim minitati sunt, nisi ocyus inde faceſſeret. Quare* (concludit idem Castellus) *se de hac injuria repente commonitum ad Albuquercium Ducem convolasse, ut viribus vires opponeret &c.* Certe in tot Epistolis nullam ab ejus Ordinis Fratribus illatam præsenti Carolo Injuriam lego, nisi in Sancti Barnabæ Templo mense Sextili anno MDLXVII. cum sacris rebus in solio suo vacaret. Scribit enim ad Ormanetum die VII. ejusdem mensis *eo in Templo coram ingenti populi multitudine ante se Fratrem quemdam Ordinis Minorum constitisse, qui plura conqueſtus palam de adempto Fratribus Virginum Tertii Ordinis regimine, & Pontificium Diploma manibus tenens Borromei decreto intercessit, remque statim totam suppoſito Notario jussit tabulis consignari.* Sed addit idem Carolus *se audiviſse hæc omnia patientiſſime, & tum Pontificis nomen venerabundum responſionem in aliud tempus, locumque distuliſſe.* Sed ex Cardinalis Sanctæ Severinæ literis disco tantam audaciam a Romanæ Congregationis Patribus justa inflicta pœna fuiſſe coërcitam.

(*b*) Peracta miseranda hæc cædes est Mantuæ ipsa Natalitia Christi Domini nocte anno MDLXVII., cum facto perfidorum hominum impetu, gemini ex Dominicana familia Fratres de medio crudeliter sublati sunt, ut ad S. Carolum Cardinalis Pisanus scripsit. Antea etiam vis fuerat illata carceribus, in quos aliqui causa fidei fuerant conjecti.

(*c*) Inane tamen hoc sibi patrocinium eorum impietas confinxerat. Etenim ad Mantuæ Ducem Guillelmum scribens Pontifex Pius die IX. Martii hæc habet: *Ex literis dilecti filii noſtri Caroli Cardinalis Borromei diligentiſſime ſcriptis, cognovimus quam propenſe, quam facile deſiderio noſtro ſatisfacturum te esse promiſeris.* Exterquamquod etiam effectum est Ducis opera, ut familiares aliquot sui impia dogmata ejurarent, aliique etiam darentur in vincula; imo graviori ejus edicto promulgato impiorum licentia repressa est. Neque aliter sensit Carolus ad Pontificem scribens, testatusque *nullo alio crimine obſtrictum Ducem videri, nisi oſcitantiæ alicujus, aut diſſimulationis.*

(*d*) Placet hoc loco partem Pontificiæ epistolæ ad Carolum datæ proferre, quæ rei hujus totius ordinem explanet: *Cum autem non ſine animi noſtri moleſtia intelligamus Fratrem Camillum Campegium Inquiſitorem, eo potiſſimum inſtigante, qui ſemper zizania ſuperſeminat, dilecto filio Nobili Viro Gulielmo Mantuæ Duci parum gratum videri, ex quo proxime antactis mensibus quidam Sathanæ filii capta occaſione arbitrantes ſe forſan ei, quod nequaquam de tam Catholico Principe in animum inducere poſſumus, obſequium præſtare, in duos ejusdem Ordinis innocentes Fratres nefariam & crudeliſſimam cædem perpetraruni; idcirco pro noſtri Paſtoralis officii debito ſolicite cogitantes, quonam pacto opportune providere valeamus, ad circumſpectionem Tuam, quam præclaris gratiarum muneribus Altiſſimus inſignivit, & cujus eximiam integritatem, prudentiam, dexteritatem, & Catholicæ Religionis zelum cognitum perſpectumque habemus, animum noſtrum convertimus firma ſpe freti, Te deſiderio huic noſtro cumulate ſatisfacturum.*

Digitized by Google

illico, atque operam verteret (*a*), quo ſe, & Pontificis mandato, & religionis amore invitari ſentiret. Quamobrem ſupplicatione prius indicta, qua Divinam opem expoſceret, ad ſeditionis locum profectus vix dici poteſt quanta celeritate aliis doctrina victis, aliis benignitate captis, nonnullis ſupplicio affectis, turbulentorum hominum eruptura in publicam perniciem conſilia repreſſerit (*b*). Res certe a Romanis Patribus miraculi loco habita, multique ex loci incolis, ad quos miſſa legatio erat, palam ajebant: ſub Caroli ſpecie delapſum aliquod e cælo Numen (*c*), cujus ope ab imminenti periculo ſervarentur.

Diſceſſum inde paranti traduntur literæ (*d*), quibus Pontifex admonebat: certum ſibi eſſe non paucos Religioſi cujuſdam Ordinis aſſeclas novis opinionibus imbutos manifeſte a Catholicæ Fidei veritate deſciſcere. Proinde quanta vi poterat his malorum initiis occurreret, videretque, ne velata ſacris inſignibus impietas in credulorum animos facilius graſſaretur. Hoc Ille mandato accepto, cum ad perſequendos tanti criminis reos inſurgeret, cognoſcit pleroſque eorum, ne deprehendi facile poſſent, in diverſis Italiæ partibus occulta ſibi domicilia delegiſſe. Nec tamen ea difficultate deterritus, multa inquirendo, conferendoque pervicit, ut perditi homines e latibulis ſuis extracti, atque in vincula conjecti, ſin minus a noxiis opinionibus convaleſcerent, ceteris nocendi facultatem amitterent (*e*).

CAPUT XVI.

Mediolanum reverſus ex Diœceſi univerſa Synodum congregat, ubi obiter aliqua de ejus celebrandæ Ritibus.

1568. INter hæc cum aliqua temporis intervalla conſultationibus, judiciiſque vacua ſuppeterent, iis ad pias exercitationes uti decrevit, quibus ad Divinarum rerum amorem vehementius excitandum ſingulis annis operam dare conſueverat (*f*). Accito igitur Alexandro Saulio Barnabitici Ordinis Viro ſanctiſſimo, doctiſſimoque, qui poſtea Alerienſem in Corſis, ac Ticinenſem inſulam ſummis virtutibus illuſtravit, totius anteactæ vitæ peccata rite confeſſus, eo duce, ac magiſtro

(*a*) Datæ ſunt Pontificis literæ ad diem X. Februarii, jamque die XXV. ſe in viam dederat Borromeus; nam hac die Brixia ad Ormanetum ſcripſerat, ejuſque literarum authographum ipſum fidei & obedientiæ plenum in Bibliotheca Ambroſiana ſervatur. Epiſcopum Marturanenſem, Specianum, Galeſinium, & Modoëtiæ Archipresbyterum itineris hujus comites & laboris habuit.

(*b*) Tanta diligentia curam hanc ſuſcepit, ut uno habito cum Duce colloquio ipſum facile compulerit ad ſeveriorem agendi rationem. Extat in Bibliothecæ noſtræ MSS. tota ſeries & ordo hujus Orationis. Revera inflammato Duce, aliquot in cuſtodiam traditi ex nocentibus, & Romam traducti: plures publice impiam Sectam execrati ſunt: alii ad pœnam Mantuæ producti, & duo transfugarum ſimulacra per Carnificem rogo impoſita.

(*c*) Hæc præcipue Camilli Campegii vox fuit, cujus potiſſimum ſalus agebatur. Ceterum laudes a Pontifice in Carolum congeſtas Piſanus Cardinalis fatetur *ſe ſcripto comprehendi non poſſe*. Cardinalis autem de Gambara ſub ejus expeditionis initium Roma reſcribens VI. Martii ait: *Pontifici apprime per diligentiam tuam ſatisfactum eſt; ſive enim celeritatem proficiſcentis, ſive degentis moram conſideret, omnia plena videt pietatis, prudentiæ, fidei, ac religionis.*

(*d*) Septima Aprilis die ex Pontificis nutu per Piſani Cardinalis Epiſtolam nova hæc provincia demandata Carolo eſt reditum inde molienti. Ejus hæc ſeries: *Ut ad Te ſcriberem, Pontifex imperavit teſtatus hactenus fidem ſibi tuam compertam eſſe, ſed longe majorem ex mora tua fructum expectari. Subdidit certiſſimum ex reditu tuo periculum imminere: quare voto refragari cogitur tuo, ne muneri deſit ſuo. Videris enim multo magnificentius de re Catholica Mantuæ benemereri, quam Mediolani; præſertim cum hoc ſibi perſuaſum habeat Te licet abſentem Mediolanenſibus rebus per Vicarios adeo conſuluiſſe, ut opera tua deſiderari non poſſit.*

(*e*) Utili admodum in rem hanc uſus eſt auxilio Supremi Præſidis Ordinis Caſſinenſis, cujus ſtudium ſæpe in ſuis literis Carolus commendat. Adeo laudabiliter expedivit deinde tam implicitam ac difficilem provinciam, ut Piſanus Cardinalis ſignificaverit: *Pontificem unice in ejus cura conquieſcere, tantumque Borromæi fidei tribuere, quantum nec Borromæus ipſe auderet optare.* Tanta autem, teſte Cardinali de Gambara, Romæ eluxit concepta de Caroli virtute opinio, ut Pontifex aperte diceret: *Humanum nihil poſſe ardentiſſimum Borromei pro Religione ſtudium comprimere.* Hæc vero tam eximie acta a Carolo ſunt, cum nondum trigeſimum ætatis annum excederet.

(*f*) Conqueſtus pro modeſtia ſua in eo, ut ſibi videbatur, exilio fuerat Borromeus apud Cardinalem de Gambara menſe Aprili: *Se nimium in Sacris rebus frigere, licet ipſa Paſchalium dierum opportunitas, & Sancti Dominici Patrum contubernium, quo fruebatur, aliquem in ſe Religionis ardorem excitare debuiſſet.*

Digitized by Google

ſtro (*a*) totum ſe piis meditationibus tradidit; & quo altius in conſcientiæ interiora deſcenderet, tam demiſſe de ſe ipſo ſentiebat, ut, quamquam tot antea rebus præclare geſtis, tunc primum ſanctitatis tyrocinium inire ſe diceret. At longe aliter Pius V. tanti nominis Pontifex ſentiebat, qui, ut Cardinalis Jo. Baptiſta Cigalius in epiſtola ſua teſtatur, quoties Purpuratorum Collegium ad religionis cultum, & tuenda Apoſtolicæ Sedis jura excitare conaretur, non alia ſæpius, quam Caroli exempla proponere ſolitus erat, ac diſerte affirmabat beatam fore Chriſti Eccleſiam, ubi ſex tantummodo Cardinales Borromeo pares habuiſſet.

Quatuor interim exactis menſibus (*b*), poſtea quam Mediolano diſceſſerat, ac redeundi facultate ſummis precibus (*c*) impetrata, Diœceſanam Synodum, ſtatim (*d*) indixit, cum ut malis, quæ in præterita Viſitatione cognoverat, novis decretis occurreret, tum ut memoriam eorum (*e*), quæ in primo Provinciali Concilio ediderat, renovaret. Facturus autem operæ pretium video, ſi forte vigilantiſſimi Paſtoris inſtituta imitari volentibus exponam, quo ille ordine in celebrandis ejuſmodi Conciliis uteretur.

Præfectos igitur, quos ſive in Urbe, ſive in aliis Provinciæ partibus conſtituerat, ſtato tempore adeſſe Mediolani jubebat, ut de neceſſitatibus, quas in ſua quiſque regione cognoverat, ſingulatim referret. Hi omnes, quamquam ad multos dies in Urbe detineri neceſſe erat, Cardinalis ſumptu, atque in ejus ædibus alebantur (*f*), quo

(*a*) Caſu id factum, ſed magna ſui utilitate ſcribit Carolus die XXVI. Martii ad Conſtantium Taſſonum familiarem ſuum: *Aliquem ex Sancti Barnabæ Patribus me ad me mitterent, ſcripſeram, ut omnes conſcientiæ meæ labes detergerem: & Alexander Saulius ſorte electus mihi valde acceptus fuit. Colligo interim me ipſum, & ſubſecivas quotidie horas in excutiendas animi latebras confero. Tu me precibus tuis, aliorumque corrobora, ut in proventum uberrimum conſilium hoc meum vertat.* Cognitus intime ſibi paulo ante Alexander fuerat, atque in rebus ſuis expediendis adminiſtro erat uſus, cum Mantuæ verſaretur, quandoquidem Mediolani Vicarius Caſtellus aſſidua tenebatur febricula. Licet vero Inſtitutorem hoc tempore Alexandrum Carolus habuerit, alias ſæpe Inſtitutore Carolo uſus eſt Alexander. Plura extant in ejuſdem Epiſtolis indicia obſequii, quod Borromeo Magiſtro ille deferebat, præcipue in expediendis Alerienſis Diœceſeos difficillimis temporibus, quæ ſibi cum Sancto Cardinali veluti erant communia; atque pii hujus magiſterii argumentum certum eſt epiſtola illa inter alias, quam de permutatione Sedis in Pontificis arbitrium omnino rejicienda Carolus ad eum dedit. Hic autem Alexander eſt, quem ab Alerienſi Sede ad Ticinenſem translatum poſt Caroli interitum nuper in Beatorum album intulit Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV.

(*b*) Mediolano Mantuam convolavit die XXVI. Februarii; huc autem regreſſus eſt ſub Junii exitum, cum nullæ ante trigeſimum ejus menſis diem Mediolani datæ legantur Epiſtolæ. Dilucide autem iter ſuum aperit die VII. Julii ſcribens ad Cremonenſem Epiſcopum in hæc verba: *Me Cardinalis Commendoni auctoritas compulit, & aliqua etiam Humiliatorum neceſſitas, ut Mediolanum reverſurus Veronam & Brixiam digrederer, licet eadem Humiliatorum tempora me etiam Cremonam evocarent.* Erat autem eo tempore Commendonus legatione functurus apud Cæſarem, quapropter opus illi erat Borromei colloquio.

(*c*) Diſceſſum inde moliebatur, rebus, ut putabat, compoſitis, jam a die XXVIII. Martii, ut in Epiſtola miſſa ad Cardinalem de Gambara ſub finem ſubdit: *Si adhuc neceſſarius videor, laborem non recuſo; Tamen velim tibi Urbis meæ, & muneris neceſſitas in mentem veniat.* Sed Eccleſiæ ſuæ amor cum obedientia mire confligit in epiſtola ad eumdem data die XVI. Maji. Poſtquam enim fuſe cauſas expoſuit, propter quas enixe rogabat, ut ſuæ reſtitueretur Eccleſiæ, in hæc verba omnia ſuperius dicta concludit: *Hæc autem ea tenus expoſita ſunt, quatenus inutilis mea hæc mora videatur; ſi enim aliter Pontifex ſentiat, ſtylum verto, meumque eſſe ſcio Eidem non ſolum mandatis, ſed innuenti ſervire. Neque audias rogo, quæ Fidei Quæſitor de infirmitate corporis mei comminiſcitur; ſiquidem hæc ejus me nimium amantis imbecillitas eſt, non mea agentis: neque enim æquum eſt ullum in me morbum ſuſpicari, cum eadem mea valetudo ſit Mantuæ, & Mediolani verſantis.* Sane non poterat luculentius pro reditu item, & mora ſua diſſerere.

(*d*) Ineunte Auguſto coëgit ex Diœceſi univerſum Cleri conventum. Iſta enim urebat abſentem cura, quoniam inter multa, de quibus apud Ormanetum leniter conqueſtus fuerat, hoc maxime dolendum videbatur *quod elabente vere intercipercetur Synodi congregandæ opportunitas, quæ neque in Autumnale, neque in Hybernum tempus eſſet rejicienda.* Menſe Junio idcirco Caſtellum morbo vix recreatum excitaverat, ut rerum ſeriem in Synodo agendarum accurate digereret.

(*e*) Exegit a ſingulis profeſſionem Catholicæ fidei antea in Provinciali Concilio imperatam. Mille & quingenti in hoc Cœtu fuere, & tum primum hic convenere Lepontii Sacerdotes, quorum nullum ſuperior ætas in Conciliis unquam viderat. Eo item tempore Vallarium Fraxineti Sacris Præpoſitum, intercedente quamvis Gulielmo Mantuæ Duce, cenſibus privavit, & Præpoſiti nomine, quandoquidem initiari Sacris Ordinibus neglexiſſet jamdudum, & adhuc nollet.

(*f*) Ducentos amplius homines Borromei ære in dies Concilii ſingulos vixiſſe teſtatur Poſſevinus, quæ deinde liberalitas ſemper Illi in uſu fuit, quotieſcumque hujuſmodi Conventus haberentur.

Digitized by Google

quo promptius ad conferenda consilia convenirent. Multum in iis conventibus non modo ad Synodum rite utiliterque celebrandam, verumetiam ad erudiendos animarum Rectores auxilii erat. Nam cum gravissimæ semper de Ecclesiasticis rebus quæstiones proponerentur, auditis omnium sententiis, & cuncta præsertim definiente Carolo, quid optimum factu esset facile apparebat. Supplicationes deinde ad tutelarium Numinum aras habebantur, monebaturque Populus pastoralibus literis, ut ea, quæ pro salute reipublicæ agerentur, Sacramentorum usu, & assiduis ad Deum precibus adjuvaret. Nec minor interim cura erat in exquirendis, apparandisque ædibus, quæ tot advenarum necessitati, honestatique sufficerent. Quemquam enim eorum, quos ad Concilium vocaverat, ad cauponas divertere tam indigne ferebat, ut pauperes, atque ab Alpium confiniis venientes, domi suæ, & quidem ab omni sumptu immunes excipere ret. Quin etiam graves viri hospitiis ipsis præficiebantur, qui promiscuam multitudinem ob ingeniorum varietatem perturbationibus fere semper obnoxiam in officio continerent.

At ubi Concilii dies illuxerat, atque ab S. Ambrosii Æde in Templum maximum tot Sacerdotum millia redierant, tabellæ passim affixæ docebant, quo omnes ordine, & loco consisterent. Censores vero antea designati circumire, ac diligenter inspicere, ne quis extra ordinem, ne indecoro vestitu, ne incomposito corporis habitu tam sanctæ rei interesset. Tum Archiepiscopus Divina ad Aram maximam operatus Pontificali in Solio undequaque conspicuus considebat, composito in speciem amoris, ac majestatis aspectu. Quæ duo, etsi æque necessaria in Principe sint, ita tamen Carolus temperabat, ut plura amore, quam majestate perficeret. Nam cum aliquem ad colloquium admitteret, tanta erat in verbis humanitas, tanta benevolentiæ significatio, ut ea, quæ diceret, non ex aliqua potestatis ostentatione; sed ex paternæ caritatis ardore proficisci facile omnes agnoscerent. Eadem vis orationibus inerat bis in singulas dies e suggestu habitis, quibus neminem præter Sacris initiatos adesse volebat, ne cum Sacerdotum vitia corriperet, Sacerdotalis Ordo in contemptum apud Laicos adduceretur. Triduo denique absoluto, antequam conventus dimitteretur, edicto significabat, si quis de Ecclesiæ rebus cum Archiepiscopo singulatim colloqui vellet, liberam fore omnibus potestatem, memor ejus, de quo Philippum Macedonum Regem a vetula quadam admonitum ferunt, Principem scilicet, cui audire grave sit, nec regnare debere.

CAPUT XVII.

Pium in muliebris pudicitiæ præsidium excitatum contubernium legibus firmat, atque iterum ad Diœcesim lustrandam incumbit.

1568. HOc tam diuturni, & gravi labore perfunctus solatii loco habuit rem aliam perficere, quam ob celerem ex Urbe discessum paulo ante infectam reliquerat. Elisabetha Aragonia Hispanæ Nobilitatis Matrona fœminas aliquot ejus laudis, quæ præcipua in muliebri sexu est, misere oblitas conductitiam in domum ære suo coëgerat, alebatque, ut solitario recessu insanas libidines, & pristinæ vitæ licentiam exuerent. Elisabetha mortua id muliebre contubernium non stabiliendum modo, verumetiam amplificandum Cardinalis suscepit (a) sapienter reputans, ut Nosocomia sanandis corporibus, ita ad depel-

(a) Post quinquagesimum hujus Seculi annum, sedente Arcimboldo, tam eximium opus molita fuerat Elisabeth Aragonia, quæ mortua deinde est anno hujus item Seculi sexagesimo tertio. Vacuam hujus morte administrationem loci susceperant pietate insignes Viri; sed tum ea ratione institutum hoc Contubernium erat, ut ad tempus dumtaxat ibidem alerentur puellæ, quarum pudicitia aut nutabat, aut jam erat profligata; quare deinde aut alicujus Matronæ famulatui addicebantur, aut earum honori cavebatur honestis nuptiis, aut in Virginum Collegium aliquod receptæ Procorum insidiis eripiebantur. Leges illis aliquot

pellendam animarum luem receptacula quædam magnis urbibus convenire. Delubrum Sancto Benedicto antiquitus consecratum, translata inde animarum cura in proximam S. Petri Ædem, novæ huic familiæ assignat tum ex earum numero, quas ex tertio Sancti Francisci Ordine appellant, duodecim veluti magistras constituit, ut calentes adhuc impuris amoribus fœminas materna caritate excipiant, æternæque salutis desiderio paulatim accendant. Multo auro, multisque laboribus tam pium opus Sanctissimo Præsuli stetit. Nam & laxari ædificia necesse fuit, & alimenta identidem large submitti, & loci institutiones (*a*), quas succisivis horis antea conscripserat, ad multiformis Sodalitii statum accommodari. Triplex enim mulierum genus in ea tecta recipi voluit. Primum erat earum, quæ relicto meretricio quæstu ad castiora consilia redeunt: alterum puellarum, quarum paupertas ægre cum pudore conjungitur: tertium denique uxorum, quæ a maritis profugæ, vel ejectæ sæpe nuptiarum infelicitatem conjugalis fidei injuria ulciscuntur (*b*). Manet hodie Caroli beneficio id publicæ honestatis asylum, immo perpetuum ejus solicitudinis monumentum, qua pudicitiæ decus, non in se ipso tantum, verumetiam in Civibus suis excoluit.

Hoc miserrimo sexui perfugio constituto, gravissimam aliam in montana, & finitima Hæreticorum Regionibus loca expeditionem suscepit (*c*). Eò cum perveniisset simillima omnino iis, quæ in Helvetiis Vallibus inoleverant, vitiorum genera invênit, deserta sacra, informes aras, incultos Populi mores, Sacerdotes tam improbos, ut neque a flagitiis suis unquam absolvi curarent, neque ceteros absolvendi formulam nossent. Paribus morbis paria remedia adhibita, pœnæ, monita, largitiones, & si quæ alia Pastorale munus amplectitur. Et cum more suo confragosa quæ-

quot datæ ab Alberto Lino ad normam earum, quas Veronensis Antistes Gibertus hujusmodi puellis antea præscripserat. Hæc idem Albertus ad Carolum scripsit Romæ degentem XVIII. Julii MDLXV., quo item anno in Collegium hoc fovendum operam suam omnem Carolus pollicitus est, & *hujusmodi Institutum sibi in deliciis esse* dixit, *imo ornamentum, & pretiosissimam Insulæ suæ gemmam* per literas appellavit. Huc itaque advenienti Cardinali primum duodecim pias fœminas Tertio S. Francisci Ordini adscriptas, & convenire solitas in S. Ludovici Templo, quod interposita domo a S. Benedicti Æde sejungebatur, permovit, ut puellarum hujusmodi regimen susciperent. Anno deinde MDLXVII. translato ad Sancti Petri Cornaredi Rectorem Paroeciæ Sancti Benedicti jure, domoque empta Parochi, hujus ædes & Sancti Ludovici simul attributæ huic Collegio sunt, in quod piæ illæ fœminæ tamquam aliarum Magistræ & Custodes immigrarunt. Collato hoc primum subsidio, ex piorum hominum ære constitutum deinde est perpetuum hoc pudoris asylum, quod menstruo octo aureorum subsidio Borromeus, quoad vixit, confirmavit.

(*a*) Hoc anno MDLXVIII. certas fœminis illis leges dedit, quas concinnaverat Hieronymus de Arabia tum Caroli beneficio in Metropolitanæ Collegium cooptatus. Missas autem ab eo Mantuam, ibique a Se emendatas scribit Carolus die X. Maji, quo die etiam ad Collegii hujus Curatores illas transmisit. Sedulo deinde adhuc expensas indixit Monialibus die XXIV. Septembris, ut ex Ejus Pastorali Epistola apparet, cujus egomet authographum legi.

(*b*) Quartum etiam adjecit earum genus, quæ pudicitia spectabiles, & religione evigilarent in ceterarum custodiam, atque harum cubilia edixit ab illis sejungenda. Jamque ab initio sexaginta admodum in hoc Contubernio numerabantur.

(*c*) Urbana dumtaxat negotia reliquum hujus anni tempus absumpsere; vindicavit enim sibi Quintilem atque Sextilem menses Synodi concipiendæ & perficiendæ cura; Postmodum Septembri ad Verbanum Sancti Niconis corpus in lucem extraxit. Sequentes menses intercepere cogitationes susceptæ de Seminariis, Monasterio Majore, Ecclesiasticis Ordinibus componendis, præcipue vero de excitatis sui juris controversiis. Neque ullum extat indicium in MSS. uberrimis alterius hoc anno initæ expeditionis præter Mantuanam, & Besutiensem. Inverso nimirum ordine hic Auctor exponit primam Vallis Saxinæ lustrationem, quam nos certis commoniti documentis jam rejecimus in finem anni MDLXVI. De hac gratulatus Carolo fuerat Cornelius Bergomensis Episcopus, qui die III. Julii anno MDLXVII. professus est se imitari Borromei labores in Montibus obeundis, quos ab Eodem anno superiore toleratos acceperat. Quomodo autem hoc Cornelius scripsisset, cum ex Authore nostro nondum ullam Diœcesis partem Carolus lustrasset. Adde dici in Vita Beati Hieronymi Æmiliani edita a P. Santinello, Carolum anno MDLXVI. Somascam venisse, ibique suavissimo, quem excepit, odore commonitum latere inibi Sancti cujuspiam hominis exuvias, jussisse proferri in lucem Beati Hieronymi Ossa, quibus mox publice thus adoluisse narratur. Sed præ cunctis valeat testimonium depromptum ex Tabulis Archiepiscopalis Archivi a me diligenter lectis, in quibus anno hujus seculi LXVI. Gorgontiolæ, Tritii, Fontis Aureoli, & Vallis Saxinæ lustratio, & LXVIII. S. Niconis translatio Besutii peracta unice describitur. Vera itaque exponit hoc loco Giussianus, sed biennio ante describenda, ut facile patebit recolenti ea, quæ in Notis ad Caput XI. subjecimus.

Digitized by Google

quæque, & aſpera pedibus peragraret, evênit aliquid, cujus memoriam recolenti mihi ſtylus ipſe inhorreſcit. Ventum erat ad Introciam Vallem, quam in Lacum Larium excurrens nullius nominis flumen interſecat. Tunc imbribus alte intumuerat, ac turbidis inſuper aquis vorticum inſidias tegebat. Hæſitanti Carolo inter pavorem, & continuandi itineris deſiderium obtulit ſeſe Dominicus Vallinellus eorum montium incola, qui niſi auxilii ignobilitas ſpernerétur, eum ſe tergo trajecturum promiſit. Lacerti, & proceritas hominis fidem promiſſo aſſerebant: & ſucceſſura facile credimus, quæ vehementer optamus. At Vallinellus paulum a ripa in flumen progreſſus, cum ſe gurgite involvi, atque undarum vi ſubduci ſibi crura ſentiret, rejectum, ſive delapſum ex humeris Cardinalem medio in alveo deſtituit, metuque ſimul, ac pudore anxius fuga ſe inde proripuit. Erat oblonga in veſte Carolus, ut proinde difficilius moliri veſtigia, & ægre luctari cum impetu fluminis poſſet; ſed curæ Superis erat, ne tanti animi Præſul tam miſero exitu interiret. Cum incolumis evaſiſſet, ita ut erat labore fere exanimis, atque omni parte corporis fluens in proximum tugurium digreſſus Vallinellum ad ſe venire coactum humaniſſimis verbis ſolatur, ac nummo aureo donat. Multum ea res ad commovendos incolarum animos profuit, cum & tantæ benignitati obluctari barbari, & rudis ingenii eſſe ducerent, & animæ ſalutem negligere, quæ a tanti nominis Viro manifeſtis vitæ periculis quæreretur, nonniſi ſtulti, ac perditi hominis eſſe intelligerent.

Plus negotii fuit in corrigendis Sanctimonialium moribus, quas a monaſticæ vitæ inſtitutis adeo alienas invênit, ut de Monaſteriis ipſis penitus extinguendis cogitaret. Pervicit tamen auctoritate, aut potius admiratione virtutis, ut meliorem aliquem ſtatum reciperent. Maledictis enim, & contumeliis, quibus palam appetebatur, paternas exhortationes, & ſalutaria monita reponebat, ſive patientiæ ſtudio, ſive ut diſſimulato dolore vulneribus feriendi voluptatem iratis adimeret. Sed fruſtra erant omnia, niſi crebros virorum acceſſus, ideſt quotidianas peccandi occaſiones a Monaſteriorum veſtibulis amoveret. Qua in re poteſtatem in exteros paulo latius extendi neceſſe fuit, coërcendæ videlicet aliquorum libidini, quibus in vetita acrius niti ſolemne eſt.

Poſtulat autem locus, ut rem eorum temporum ſermonibus celebratam in medium proferam. Monaſterium Modoëtiæ fuit Sacris Virginibus erectum, quas deinde Carolus ipſe in proximum S. Martini Cœnobium tranſtulit. Earum ædes Cacodæmon inſederat, familiamque univerſam ſpecie ludentis acerrime divexabat. Nunc menſæ aſſidentes vanis terroribus inſectari, nunc diurno operi intentis ſuendi, nendique inſtrumenta ſubducere, nunc placide dormientes interturbare cachinnis, aliiſque ſcurrilibus jocis, per quos fere miſeri lemures, quæ ſecum ubique circumferunt, flammarum tormenta diſſimulant. Igitur advenienti Archiepiſcopo provolutæ in genua Virgines, moleſtias, quas aſſidue perferunt, cum lacrymis exponunt, ac ſuppliciter rogant, ne tam dirum hoſpitem in ædibus ſuis diutius diverſari patiatur. Ille nihil moratus, rituali prece adhibita, celliſque omnibus luſtrali aqua conſperſis, tartareum illum graſſatorem adeo deterruit, ut ea, quæ tamdiu in deliciis habuerat, loca ultro repetere non auderet.

CAPUT XVIII.

Alterum Provincialium Epiſcoporum conventum habet, & tota hujuſmodi habendorum conventuum ratio atque ordo exponitur.

1569. INter hæc tertius (a) a primo Provinciali Concilio annus effluxerat,

(a) Quartus jam annus inierat a primo celebrato Provinciali Concilio, quod anno MDLXV. Octobri menſe habitum ſupra diximus. Hoc autem ſecundum indicere anno MDLXVIII. deſtinaverat; ſed inter cetera impedimenta, cum Mantuana fuiſſet expeditione diſtentus, illud rejecit in annum ſequentem. Licet autem facilis videretur prætendi excuſatio poſſe, Vaticanum tamen de hoc prorogando prius expectavit oraculum.

Digitized by Google

rat, ut proinde ſecundum ex Tridentini præſcripto celebrari oporteret (*a*). Qua in re non modo aſſiduos, graviſſimoſque labores perferre, verumetiam ſummam animi firmitatem oſtendere aliquando neceſſe habuit. Sane quidam ex Provinciæ Epiſcopis Romana jam pridem Purpura inſignitus, cum certo die inchoatum iri Concilium intellexiſſet (*b*), negaverat ſe ad eum diem Mediolani eſſe poſſe, quod graviſſimis de cauſis Romam ire cogeretur. Ingratum id Carolo accidit, qui & falſo obtendi neceſſitatem itineris optime noſſet, & vehementer timeret, ne ejuſmodi excuſationum exempla in ceteros permanarent. Itaque cum monitis, precibuſque fruſtra rem agi videret, Cæſarem Specianum familiarem ſuum ad eum miſit, qui deprompto Summi Pontificis mandato, quod clam impetraverat, effugium omne tergiverſanti præcluderet. Paulo ſeverius actum cum alio quodam Epiſcopo, qui intereſſe Concilio recuſaverat, cauſatus graviſſimam legationem, quam in procurandis magni Principis utilitatibus exercebat. Huic enim auditis Patrum ſententiis, qui jam ante convenerant, niſi quam primum accederet, pœnas a Jure ſtatutas denunciari juſſit, acriter etiam queſtus, quod debitam animarum ſaluti ſolicitudinem Principum negotiis impenderet. Venientem tamen omnibus humanitatis officiis excepit, ut ſi quam forte ægritudinem parendi neceſſitas in ejus animo reliquiſſet, eam certiſſima amoris ſignificatione detergeret. Etenim in omni actione, ut nihil odioſius Epiſcoporum vitiis, ita nihil Epiſcopis ipſis carius, aut ſanctius habere ſe oſtendit. Concilii cauſa venientibus Vicarium ſuum cum nobilioris familiæ parte ad tria paſſuum millia obviam mittere conſueverat, quo comitatu in Templum maximum, inde in Palatium deducti tam apte, congruenterque parata omnia inveniebant, ut neminem domo ſua abeſſe pœniteret. Quamdiu Mediolani forent, in eadem menſa convivas ſemper adhibuit eo ciborum delectu, quem neque damnaret frugalitas, neque ſenſus faſtidiret. Diuturnis vero conſultationibus feſſos recreabat identidem viſitatione Templorum, conſecratione Virginum, eruditis Seminarienſium alumnorum diſſertationibus, atque aliis ejuſmodi, quæ Ipſe Sacrorum Præſulum oblectamenta appellabat. Qua vitæ conſuetudine, & comitate adeo Patrum animos conciliabat, ut eorum nonnulli, quamquam Concilio dimiſſo, complures adhuc dies apud ipſum remanerent, ac mœſto diſceſſu jucunditatem hoſpitii teſtarentur.

Ceterum, ne multa poſteritatis commendatione digna prætream, quoties ad hoſce conventus deveniret, hæc ferme ab Ipſo ſervabantur. Vitia primum, quæ in unaquaque Provinciæ parte invaleſcerent, per ipſos Urbium Antiſtites, alioſque idoneos homines explorari curabat, ne antequam morbos agnoſceret, de remediis diſputaret. Inde certior de Populorum neceſſita-

(*a*) Cœpit haberi hic Conventus die XXIV. Aprilis. Octo autem convenere in Cœtu Epiſcopi. Ejus tempore donata eſt ſolemni ritu Uxor Albuquercii Ducis conſecrata de more Roſa, quam illi habendam Pontifex Roma tranſmiſerat. Bonhomii deinde cura fuit, ut Romæ hoc Concilium probaretur. Et ſane Cardinalis Sfortia, illo diligenter perlecto, reſpondit, *nihil emendandum poſſe occurrere in eo, quod Borromei diligentia ſemel revocaſſet ad limam*. Attamen propter plura interim Mediolani excitata diffidia de Archiepiſcopi jure protracta diutius ejus editio eſt, nec, niſi aliquantulum compoſitis rebus, Decreta hæc in lucem venere.

(*b*) Verius totius rei ſeriem exponunt miſſæ ad Ormanetum literæ hoc tempore. Cardinalis Sancti Georgii ita dictus, licet alio tum titulo inſignis, cum jure hujus Provinciæ eſſet comprehenſus, Romam rei cujuſdam cauſa iturus, diſſimulata encyclica a Carolo miſſa Epiſtola, Mediolani degebat, ſed poſt quatriduum ſe ad Romanum iter accincturus. Intellexit hoc Carolus, eumque honorifice primum ad fines exceptum, privato deinde colloquio convenit amiciſſime ſuadens, ne aliquam hic diuturniorem moram trahere gravaretur, cum Concilii dies ferme immineret. Officiis diu certavit & precibus, quam qui maxime. Specianum etiam, alioſque ejus conſanguineos præmiſit, qui eum a propoſito dimoverent. Cum vero irrita caderent omnia, & Carignani degens Carolus audiſſet illum, inſalutato hoſpite, jam diſceſſum moliri, pro jure ſuo, & poteſtate a Tridentino conceſſa edixit, ne hinc pedem efferret. Mox Romam ſcribens Pontificias ſtatim literas impetravit, quibus Pius pœnas abeunti interminabatur. Verum antequam huc tranſmitteretur edictum, compoſita jam erant omnia; quare Carolo diſſimulante, imo impediente, redditæ Epiſcopo literæ Pontificis non fuere.

Digitized by Google

tatibus factus Divini, humanique Juris peritiſſimos advocabat, cum quibus de ſtatu reipublicæ conſilia, ſententiaſque conferret. Scribæ, Synodales teſtes, Congregationum Præfecti, & ſi quæ alia miniſteria res poſtulat, mature deſignabantur, ut omnia ſine tumultu in tempore præſto eſſent. Cum vero Epiſcopis Concilii diem indiceret, tres eorum ſingulatim per literas prænonebat, ut parati ad concionandum accederent, aſſignato etiam orationis argumento, ne forte importuna repetitione in alterius dicta alter incurreret. Imminente Concilii die, poſt indictas tota Urbe ſupplicationes, Ipſe jejunia, preces, vigilias inſtaurabat, ut ex modico illo quatuor horarum ſpatio, quas ſomno dare conſueverat, non modicam partem detraheret. Tres plerumque hebdomadas actio illa obtinebat, non ſtabiliendis modo legibus, verumetiam examinandis Epiſcoporum moribus, a quibus leges ipſæ vim fere omnem accipiunt. Publico enim conventu abſoluto, ſeparatim a ſingulis exquirebat, quam ſtrenue in munus ſuum incumberent, qua caritate erga ſubditos agerent, atque illud in primis, quam ſancte fideliterque divitias, quas ex Epiſcopatu ſuo quiſque perciperet, collocarent. Ac ne cui grave videretur in rerum ſuarum rationes inquiri, Ipſe omnium primus expenſarum ſuarum calculos in medium proferebat. Quæ judicii ſeveritas, cum primaria Eccleſiæ capita intra honeſtæ frugalitatis terminos contineret, magnum ſane reipublicæ adjumentum attulit, verſo ſcilicet in ſubſidia pauperum, nitoremque Templorum, quidquid forte in aliquibus luxuria diriperet.

Nec vero quiſquam fuit, aut ab Urbe tam longe abſens, aut tanta nominis auctoritate, qui Caroli oculos, aut cenſuram effugeret. Erat eo tempore (a) inter Provinciæ Præſules notiſſimus quidam amplitudine Diœceſis, affluentia divitiarum, rerum etiam fama, quas in Apoſtolicæ Sedis utilitatem feliciter geſſerat. Sed Principum aulis aſſuetus, apud quos multas legationes obierat, plus inde regii ſplendoris, quam Sacerdotalis diſciplinæ retulerat, tam inſcius, aut immemor paſtoralis officii, ut aliquando in turpem querelam erumperet, nihil videlicet ultro ſe habere, quo otioſæ vitæ tædium depelleret. Quod ubi Carolo per delatores, quos ubique habebat, nunciatum eſt: inhorruit primo atrocitate dicti; mox Antonium Senecam inſigni prudentia virum cum literis miſit, qui amice doceret, quam multa, & magna ei agenda remanerent, qui nihil ſibi ad agendum ſupereſſe diceret. Et quamquam ex ea legatione nihil ſani Seneca retuliſſet, haud tamen deſtitit Cardinalis novis literis repugnantem exagitare, iteratis objurgationibus repetens impudentiam verbi, qua Epiſcopo agendi materiem deeſſe poſſe affirmaverat. Poſtremo cum eum Romam ire intellexiſſet, ut legationis paulo antea ſibi commiſſæ rationem redderet, literarum omnium exemplar ad Summum Pontificem miſit ſuppliciter rogans, ut venienti paribus auctoritati ſuæ verbis oſtenderet, Epiſcopale munus gravioris momenti eſſe, quam ut locum otio relinqueret. Quibus tandem officiis ſanatus Epiſcopus plenam pœnitentiæ epiſtolam ad Senecam dedit, melioribus inpoſterum conſiliis uſurus, niſi propera mors ſalubriter cogitatis interveniſſet.

Ceterum ut revertar ad ea, de quibus agere inſtitueram, peracto conventu, Carolum Franciſcum Bonhomium Vercellenſi poſtea infula decoratum, Helveticæque & Germanicæ Legationi adhibitum Romam deſtinavit, qui decreta a Patribus condita Summi Pontificis auctoritati, judicioque ſubmitteret. Haud ego diſſimula-

(a) Multo hæc ſerius evenere, atque huc pro opportunitate deſcribendæ in Epiſcopos ſolicitudinis ab Auctore conjecta. Etenim Legatus hic Præſul ad Gregorium XIII. Pontificem fuit, qui nonniſi anno MDLXXII. ad Petri Sedem evectus eſt: Senecam autem, quo Internuncio uſus apud eum eſt, nonniſi ad peſtilentem annum MDLXXVI. mittere potuit, quo illum domeſticorum ſuorum numero adſcriptum comperio. Sed inſtar omnium ſit ipſum Epiſtolæ authographum a me lectum, quod indicat datas ad hunc Epiſcopum literas anno MDLXXXI.

Digitized by Google

laverim fuisse nonnullos, atque in iis gravissimum Virum, qui deinde Pontificatum Maximum tenuit, qui nimiam in ejusmodi conventibus celebrandis solicitudinem Carolo objicerent, tamquam Provinciæ suæ Præsules paulo molestius fatigaret. Quibus Ille sive querelis, sive criminationibus respondebat, Conciliorum remedia, ut publica vitia tollerentur a Tridentinis Patribus constituta: proinde quamdiu vitia durarent, remedia quoque continuari oportere. Ajebat præterea, statutum sibi esse, non sibi modo, verum etiam successoribus suis remedia parare, quibus ad Christiani Populi regimen uterentur. Quod vaticinii loco dictum perspicue comprobavit eventus, cum Federico Borromeo successori, ac Patrueli suo vix alterius Concilii materiem reliquerit, & nulla interim ex Orthodoxis Provincia sit, quæ non aliquod Ecclesiasticæ disciplinæ exemplum ex Mediolanensis Ecclesiæ Actis accipiat (*a*). Itaque mirari potius oportebat virum innumeris pene curis implicitum brevissimo Pontificatus sui tempore tot, ac talia statuere potuisse, ut sacris Pastoribus nihil fere statuendum pro Gregis sibi commissi incolumitate relinqueret.

CAPUT XIX.

Theatini Ordinis Patribus Roma accersitis locum ad Urbem opportunum designat: interim magnificum Sancti Fidelis Templum extruendum curat, atque adjunctas Ædes Societatis Jesu Patribus attribuit.

1569. PAulo postea Carolus insatiabili juvandæ reipublicæ cupiditate Theatinorum Ordinem in Urbem induxit. Eos jam pridem Romæ cum esset sæpius invisere consueverat, quin eadem occasione Guillelmum Sirletum inter eos commorantem, quem ipso adnitente in Cardinalium cœtum Pontifex cooptavit, singulari amicitia sibi conjunxerat. Cognitis ita Theatinorum virtutibus magnam a Mediolanensibus gratiam se initurum putavit, si tunc primum convalescenti a tot vitiis Civitati id quoque subsidium adjungeret. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo peranguſto Cœnobio (*b*) prope Calimerii Ædem anti-

(*a*) Tanta pretiosi hujus Voluminis apud universos fuit existimatio, ut cum anno MDLXXXII. Galesinius conflare justum Volumen ex Caroli Conciliis, atque in lucem edere primum adornaret, Gallorum vota occupaverint Typographorum cunctationem, & centum jam peterent impatientius a Galesinio (qui hæc scripsit) exemplaria. Neque remissius Hispani etiam instabant, a quibus præter alia offerendum Philippo Regi exemplar petebatur. Quare eodem anno Specianus cum videret diutius protrahi hanc editionem, cum bona Galesinii venia facultatem a Carolo postulavit, (inani tamen prece), ut Romæ Typographorum prælo ea subjicerentur, cum tantam moram Romanorum vota sustinere non possent. Quadriennio ante exteri quidam Præsules cum Mediolanum divertissent Librariam omnem Archiepiscopi officinam excussere diligenter, atque Edicta singula, Pastorales literas, Monita, omnia demum Carolo auctore typis mandata, numeraro, quod Typographis libuit, pretio corrasere. Exinde celebris semper hujus Voluminis fama fuit, quod Paulus V. Pont. Max. *Thesaurum doctrinæ, & veræ Ecclesiasticæ disciplinæ* appellavit, & mandaturum se professus est, ut libro hoc Antistites omnes ad provinciam suam recte administrandam se præmunirent. Et certe in recenti ad Sinarum Imperium legatione Pontificia, quam obivit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, testatus est Bernardinus Campus ejus comes, & postmodum Episcopus Bobiensis, a se repertum hujusmodi exemplar in Principe Sinarum Urbe, quod pervagatam ubique terrarum tanti Operis famam ostendit.

(*b*) Sedem hanc Sanctæ Mariæ nomine nuncupatam & tum vacuam propter Humiliatorum Fratrum alibi coactum majorem numerum iniere Theatini Patres anno MDLXX. Jam mense Decembri anni præcedentis Speciano votum hoc suum aperuerat Carolus de Urbe eorum Patrum Collegio ornanda, fassusque erat perfectam hanc rem magno sibi gaudio futuram. Noverat enim Sancta Ordinis illius Instituta, & diligebat, dum Romæ esset sedente Avunculo, & frequens ad Cardinalem Sirletum apud eos degentem itaret. Itaque exeunte anni hujus Januario ad Ordinis totius Præsidem hac super re scripserat. Tertia autem Martii die gratulatus est missum ad se ejus nomine Theatinum Patrem, qui, ædibus visis probatisque, pollicitus erat post Pascha ejus anni duodecim alios Collegas hic adfuturos. In eorum viaticum ducentos aureos per Specianum numeravit; atque ut eorum adventum celerius maturaret, mense Martio ad Specianum item scripserat, ut annuam illis Patribus pensionem, quam ære suo in menses singulos Romæ suppeditabat, ocyus interciperet, causatus se velle quidem eorum commodis, sed Mediolani & uberius etiam consulere. Itaque huc advenere præstituto tempore, eorumque agmen cum duceret Andreas Avellinus, obviam illi venienti extra Romanam Portam Carolus occurrit, teste Boscha

Digitized by Google

tiquitus erecto conſedere Patres, cumque ex Conditoris inſtituto nec poſſidere quidquam, nec petere liceret, Archiepiſcopi munificentia nitebantur, donec in Antonianam Ædem traducti (*a*), datiſque eximiis virtutum experimentis, exemplo ſuo docuere Divinæ Providentiæ opem, niſi pietas deſit, etiam nihil habentibus non deeſſe.

Renovabatur interim S. Fidelis Templum ea, qua nunc inter pulcherrima Italiæ templa eminet, majeſtate. Ædem eidem Martyri ſacram jam ante obtinebant Societatis Patres longe imparem hominum multitudini, quos ex omni parte Urbis concionandi ſtudio, ceterarumque virtutum fama conciverant. Hoc incommodo cognito, Cardinalis Peregrino Architecto negotium dederat, ut parem aliam Ordinis dignitati, ac Civium Religioni ædem delinearet. Nunc Ipſe, proſequente Regio Gubernatore, ceteriſque Magiſtratibus, ad deſtinatum locum progreſſus primum lapidem poſuit, inſculpta epigraphe, quæ rei geſtæ memoriam his verbis cuſtodiret:

CAROLUS BORROMÆUS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI IN HAC D. FIDELIS MARTYRIS ÆDE RESTITUENDA LAPIDEM HUNC A SE RITIBUS ECCLESIÆ BENEDICTUM PRIMO POSUIT III. NON. JULII MDLXIX.

Huic Eccleſiaſtici ritus cæremoniæ ingentem pecuniæ ſummam adjecit, cumque ea templi moles eſſet, quæ multorum liberalitati exercendæ ſufficeret, adeo exemplo ſuo Mediolanenſium animos excitavit, ut collatis large opibus brevi ædificium ad ſumma perducerent.

CAPUT XX.

Violata Eccleſiaſtica immunitate novus exiſtit turbo: Scalenſe Templum luſtrare aggreſſus vi atque armis repellitur.

1569. DUm hæc ſumma tranquillitate, ſummoque Civium gaudio geruntur, coquebantur alibi certaminum cauſæ, & inſidiæ, & criminationes, aliaque ejuſmodi, ſine quibus ad gloriæ immortalitatem pauci Sacrorum Antiſtitum pervenere. Præerat adhuc Provinciæ Hiſpanici Regis nomine Albuquercius vir eximie pius, & benevolo erga Carolum animo, quoties ingenio ſuo uteretur. Sed hanc viri pietatem nonnulli Magiſtratuum averſabantur; ſive ob alias cauſas Archiepiſcopo infenſi; ſive laudem ſibi, aut utilitatem aliquam ex turbatione Reipublicæ pollicentes. Hinc ambigua quæque deterius interpretantes Gubernatoris animum aſſiduis querelis laceſſere, imminuta Magiſtratuum jura oſtendere,

---

ſcha in Martyrologio Mediolanenſi ad diem III. Februarii. Eorum deinde opera uſus eſt ingenti cum Urbis utilitate, tum in audiendis Confeſſionibus fœminarum, quæ in Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ ædibus erant, cum etiam peſtilentiæ invaleſcentis tempore; ſed præcipue in Nobiliſſimis Matronis ſanctioris Vitæ norma erudiendis, cum Borromeæ familiæ conſanguineas proceres Avellini diſciplinæ efformandas Carolus tradiderit. De his vide plura apud Patrem D. Cajetanum Mariam Cl. Reg. ad Caput XI. Vitæ S. Andreæ Avellini.

(*a*) In commodiorem hunc locum ut Patres transferret, egit primum anno MDLXXI. cum Marſilio Landriano, cui Ædes Sancti Antonii commendatæ tum erant. Parva quidem ſpes petentem Carolum ſuſtentabat, ut Ipſemet ſcribit, præcipue cum Marſilium duriorem habuiſſet, quando pro Societatis Jeſu Patribus illuc inducendis rogaverat. Revera eo anno conatu dejectus eſt ſuo: quare mutato conſilio anno MDLXXV. convenit cum Landriano, ut eas ædes Patribus Congregationis Oratorii concederet, neque difficilem eo tempore eum Præſulem habuit. Verum inter Philippum Nerium, & Theatinos Patres tranſacta ita res eſt, ut poſſeſſione illa Oratorii Patres cederent, atque iſtis libera relinqueretur. Quod revera effectum eſt, ut ſuo loco videbimus. Hinc ad diem XII. Januarii MDLXXVI. Borromeus ſcribit, impetratam a Landriano pro Theatinis Sancti Antonii Ædem, licet graviores aliquot pactiones intercederent, quarum hæc fuit ſumma: *Ut Templum cum Ædium parte in Patrum uſum cederet, PRÆCEPTORIS autem nomen integrum Landriano remaneret: pars reliqua earum Ædium ad Præſules, ejuſque Hæredum commodum reſervaretur ad annos XXX., quibus elapſis Ædes univerſæ in Patrum jure eſſent. Demum Patribus ut liceret Sanctæ Mariæ Ædium, in quibus tum degebant, partem venalem exponere, pretiumque inde percipiendum impendere in alia pro opportunitate ædificia, Sancti Antonii Ædibus adjungenda.* Parum acceptæ hæ conditiones primum Carolo fuere, ſed ne ſpes tota intercideret, Diploma ſtatim Pontificium ære ſuo expediendum curavit XXIX. Maji MDLXXVI. His tamen egreſſa finibus Borromei in illos deinde liberalitas eſt, cum ſæpe annis ſubſecutis legam pro eorum commodis Genuæ, & Cremonæ procurandis ſtrenuam operam Eum adjunxiſſe.

Digitized by Google

dere, ſimulatis verbis benigne admonere, ne religionis ſpecie deceptus Regis indignationem incurreret. Callidis hiſce conſiliis pervicere tandem, ut publico edicto cujuſvis generis homines monerentur, ne quis Regia jura quoquo modo violaret. Si quis ſecus facere auſus eſſet, eum illico ſtatutas perduellibus pœnas daturum. Nihil juſtius videri poterat, ſi quis edicti æquitatem ex verbis metiretur (*a*). Sed brevi eventus oſtendit vim, ac terrorem omnem Edicti ad Eccleſiaſticæ poteſtatis injuriam pertinere. Qui enim laicorum Cauſidici, Scribæ, aliove nomine in Archiepiſcopi foro agere conſueverant, incerti, quo tenderent Gubernatoris minæ, inchoata judicia, & clientelas deſeruerant, ne ceteris patrocinando ſe metipſos in vitæ periculum conjicerent (*b*). Ea in re multa erant, quæ Caroli animum ſolicitarent. Primo, quod auctoritatem ſuam contemni; deinde quod multos anathematum vinculis irretiri videret; poſtremo quod diſſidiis Ipſe cauſam dediſſe a pluribus diceretur. Et evenerat forte aliquid, ex quo malevoli homines calumniandi occaſionem arriperent. Dies erat S. Bartholomæo ſacra, ad cujus Templum cum nundinas haberi, ac profana alia fieri fruſtra Archiepiſcopus vetuiſſet, juſſerat eo die Templi valvas occludi. Idcirco Gubernatorem, qui Sacris interfuturus ad Templum proceſſerat, ingreſſu prohibitum exulcerato animo inde rediiſſe, ac locum ultioni quærere vulgo dictitabant. Hæc vero tam vana erant, ut, cognita re, Albuquercius Archiepiſcopi curam in defendendo ſacrorum cultu ſummis inſuper laudibus commendaret. Manebat tamen diſcordia animorum, quam perfidi homines ſibi opportunam judicantes in atrox facinus erupere ſilentio utique tegendum, niſi in eo Caroli fortitudinem, Catholici Regis pietatem, ac Divinæ Providentiæ vim aperte perſpicere poſteri poſſent.

Templum Deiparæ Beatrix Scaligera Barnabovis Vicecomitis Mediolani Domini Uxor media fere in Urbe poſuit, addito Canonicorum Collegio, quorum delectum ſibi, ac ceteris Mediolani Ducibus reſervavit. Eorum Principum ultimus Franciſcus Sfortia poſt auctas Collegii opes a Clemente VII. poſtulaverat, ut nihil juris Mediolanenſi Archiepiſcopo in Scalenſes Canonicos eſſet, annueratque Pontifex, conditione tamen adjecta: SI VENERABILIS FRATRIS NOSTRI MODERNI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI EXPRESSUS AD ID ACCESSERIT ASSENSUS. Hujus tam neceſſarii aſſenſus cum nullum prorſus documentum, nulla memoria extaret, inane privilegium eſſe Carolus judicabat (*c*), proinde integram ſibi viſitandi, corrigendique poteſtatem remanere. Et quamquam in eamdem ſententiam peritiſſimi Legum interpretes, immo ſatis per ſe Apoſtolicæ literæ loquebantur, nihil tamen ſibi tentandum inconſulto Summo Pontifice exiſtimavit. Cujus reſponſo utique confirmatus bimeſtre adhuc ſpatium Scalenſibus conceſſit, ſi forte, cognita privilegii infirmitate, ſanioribus conſiliis acquieſcerent (*d*). At illi opinioni ſuæ acrius inſiſtentes Petrum Barbeſtam (*e*) tamquam Conſervatorem, ac Patronum jurium ſuorum deligunt,

(*a*) Audito hoc Edicto quidam ex Civibus Carolo infenſiſſimus triumphans gaudio ſcribitur dixiſſe: *tandem advenisse tempus, quo Albuquercius etiam invitus apertum Borromeo bellum indiceret*. Neque vana ſpes impii fuit.

(*b*) Tanta ex hoc Edicto circa Caroli forum ſolitudo eſt facta, ut exinde cum conſcribenda eſſet pronunciati in Scalenſes Canonicos anathematis ſententia, vix in Clero infimo amanuenſis repertus ſit, qui in hoc Illi operam navaret.

(*c*) Scripſerat hac ſuper re ad Hippolytum Cardinalem Ateſtinum, quem jactabant aliqui huic Diplomati aliquando ſubſcripſiſſe, quando abſens Eccleſiam hanc adminiſtrabat; ex cujus reſponſo patet id pro ingenio aliquorum eo tempore fuiſſe confictum.

(*d*) Ultra etiam dilata eſt præſcripta antea luſtrandi hujus Templi dies, idque ſe conceſſiſſe precibus Albuquercii ſcribit Carolus XVII. Auguſti, ſubjicitque: *Id datum tanti Viri votis, ne quia videretur intentatum omisisse, quo cuncta tranquillius gererentur.*

(*e*) Quis ille fuerit habes in Brevibus Pii V. literis: *Joannes Petrus Barbesta Presbyter in Eccleſia Sancti Michaëlis Baſilicæ-Petri, Papienſis Diœceſis, qui ſub prætextu, quod ipſe literarum Clementis VII. eſſet Delegatus Subexecutor, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas contra Nicolaum Galerium Caroli Cardinalis Borromei in Criminalibus Vicarium, & Silvium Galaſſium ejus Curiæ Procuratorem Fiſcalem inflixit &c.*

Digitized by Google

gunt, hominem ſcilicet, ut inſigni ad judicandum inſcitia, ita ſumma ad quidlibet audendum temeritate. Eo certe audaciæ, aut potius amentiæ proceſſerat, ut Archiepiſcopi Vicarium anathemate ferire non dubitaret, quod Clericum Scalenſi Collegio addictum in vincula conjeciſſet. Tunc enim vero Cardinalis nihil ultra differendum ratus deſtinata exequi pergit, ac primo Ludovicum Monetam præmittit, qui de adventu ſuo Canonicos edoceat. Illi, audito nuncio, matutinis precibus intermiſſis, ita ut erant linteati in præjacentem Templo aream deſcendunt, Monetam mitiora ſuadentem clamoribus, & minis extrudunt, armatos, quos ex tota vicinia conciverant, velut in aciem diſponunt. Præerat agmini Antonius Calaber (*a*) ſodalium unus, ac præcipuus totius ſceleris inſtigator. Jamque aderat Cardinalis inſidens mulæ (*b*), cui bini de more Sacerdotes maximarum Eccleſiæ dignitatum inſignia in equis præferebant. In eos primum armati ad fores poſiti impetum faciunt, injectiſque in frena manibus, ingredientes propellere conabantur. Tum Carolus ipſe ad pedes deſcendit, quem cum furore amentes Cruce diſtricta nihil territum, aut adverſantium minis, aut crebris telorum ictibus, quorum multa in Crucem ipſam (*c*) incidebant, tendere ad Templi limen viderent, obſeratis denique in faciem valvis retro iter vertere coëgerunt (*d*). Ad hæc ejus Vicarium Joannem Baptiſtam Caſtellum ſumma probitate, & prudentia virum, quod tabellas dirum in ipſos carmen continentes portis affixerat, contumeliis, ac verberibus fœde mulctatum veſtibulo ejiciunt, propoſitis invicem tabellis, quæ Archiepiſcopo ipſi tamquam Apoſtolicæ auctoritatis violatori ſacris muneribus interdictum declararent (*e*). Narravere, qui triſti ſpectaculo interfuerant, deprehenſum in eo tumultu Carolum nunquam a Crucifixi Redemptoris imagine dimoviſſe oculos, & quamquam tot injuriis, conviciiſque affectum, nullo edito verbo miſerenti potius, quam indignanti ſimilem diſceſſiſſe.

CAPUT XXI.

Re ad Pontificem rejecta, quo animi robore item, & moderatione tantam contumeliam tulerit.

1569. INhorruerat univerſa Civitas atrocitate delicti, ac tantum audaciæ ſacris hominibus fuiſſe, ut Præſulem ſuum, atque in Eo tot ampliſſimas Dignitates uno ſcelere violarent, boni ſimul, malique mirabantur. Ipſe ex Scalenſi Æde in Templum Maximum reverſus, ac propitiato precibus Numine, quid in tanto rerum diſcrimine optimum factu foret, ſecum Ipſe tacitus cogitabat. Et quamquam eo erat animo, ut illatas ſibi injurias facile Chriſti Domini exemplo tranſmitteret, Apoſtolici tamen muneris dignitatem omni ope ab impiorum conatibus vindicandam judicavit. Poſtridie Antonium Calabrum ſingulatim, dein Canonicos alios, quorum cognoſcere nomina potuerat, damnatos Bonifacii Octavi ſententia, quæ de Cardinalium violatoribus erat, quin & Scalenſem Ædem execratam (*f*) pronunciat, monito inſuper Gubernatore, ceteriſque Magiſtratibus, ut ſi

(*a*) Marcus Antonius Patanella hic eſt Regius, ut vocant, Œconomus, cujus dignitatis illi delatæ extat Diploma inter MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ.

(*b*) Ad Templum mane progreſſus in Marini Vico obvium habuit Comitem Gaſparem de Mayno, qui de futuro Ejus periculo certior factus, *Cave*, inquit, *ne Urbem hanc univerſam perdas diſcrimine tuo*. Cui infracto animo Borromeus reſpondit: *Si Dei honorem propugnem, nunquam Urbem hanc perdam*. Hæc Jo. Baptiſta Silvaticus in tabulis.

(*c*) Plures teſtati ſunt illiſorum ſæpius gladiorum impetu retuſas, & exaratas ipſas argenteas Crucis laminas exhibuiſſe diutius impreſſa cæci furoris veſtigia; quare ad eas reſtituendas loco, atque aptandas opus fuit argentarii manu.

(*d*) *Eodem tempore*, ſcribit ad Ormanetum Carolus, *quinquaginta aut amplius in ſe unum diſtrictos fulſiſſe gladios*.

(*e*) Sceleris hujus Auctor Papienſis Barbeſta fuit, qui publice Sacrorum communione Carolo interdixit. Tanta autem impiorum lætitia iniquiſſimam ſententiam eſt ſubſecuta, ut veſpertino æris campani pulſu ſcelus ſuum Urbi univerſæ denunciarent.

(*f*) Inane tum quidem conſilium fuit, cum inſequentibus etiam diebus juſtiſſimæ Borromei ſententiæ Calaber ſolemni Sacro inſultare ſemper perſeveraverit.

Digitized by Google

si quoquo modo causam flagitio dederint, eadem censura sese notatos intelligant. Rem deinde totam Summo Pontifici per literas exponit; & quoniam Albuquercii edicto multum Ecclesiæ juribus detrahi videbat, Cæsarem Specianum (*a*) ex Metropolitano Collegio Romam misit, qui causæ definitionem omni studio procuraret. Pontifex cognitis iis, quæ acciderant haud secus, quam par erat, mœrore affectus primo, quæ per Barbestam acta erant irrita declarat (*b*); mox Antonio Calabro, atque ejus criminis sociis indicit, ut Romam intra certum temporis spatium ad causam dicendam accedant (*c*). Et ceteri quidem cum neutiquam mandato paruissent, fidelium communione expuncti tanquam devota Orco capita Mediolani notabantur; Calaber vero cum ire statuisset, lethali morbo in itinere (*d*) correptus infeliciſſime interiit. Multo severius Divino Judicio actum cum altero eorum, qui in illo Scalensi tumultu sacrilegos ictus in Pontificiam Crucem incusserant. Cum enim Lambrati ignobili in suburbanis vico in popinam divertisset, repente nullo Sacramento expiatus occubuit.

Consultationes interim, & judicia de Mediolanensis Ecclesiæ controversiis Romæ habebantur summa Pontificis voluntate, quem aliquando dixisse ferunt Cardinalem Borromeum tanti apud se esse, ut muneri suo defuturum se crederet, nisi Ejus causam etiam cum vitæ periculo defenderet (*e*). De re autem ipsa considerate magis, quam festinanter agi volebat, sapienter reputans, ad restinguenda hæc irarum incendia magnam esse vim temporis, ac multa mala cunctatione facilius, quam contentione sanari. Quo consilio nondum cognito Carolus, tametsi serius, quam ipse cuperet, judicium differebatur, atque ea de causa crebras ad amicos literas daret, tanta fuit animi moderatione, ut neque ullum ederet offensi animi indicium, quin & de iis, quos rebus suis adversari cognoverat, clementer, ac pie loqueretur. Illud equidem Jonæ Prophetæ verbis a Deo expetebat, ut si procellarum, quæ in Republica oriebantur, ipse causa esset, illico in mare dejiceretur. Quod si non Urbis necessitas, & publicæ salutis desiderium privatæ vitæ cupiditatem, qua jam dudum tenebatur, dispulissent, obsecuturus utique erat consanguineorum, & familiarium consiliis, qui metu anxii, ne sibi tristius aliquid eveniret, aperte suadebant, ut Pontificatu depositio perpetuas curas, & periculosa dissidia aliis relinqueret. Verum ut in vigilia perseveraret, addebant animum piorum hominum vota, Divini auxilii spes, ac Philippi Regis religio, quem cum assiduis adver-

(*a*) Hunc potissimum Romam mittendum censuit, cum in suo ipsius comitatu esset, quando ad Scalense Templum accessit; quare certissimus vis intentatæ testis erat habendus.

(*b*) Neque hoc Pii testimonio contentus Carolus fuit, sed Pontificiam Clementis VII. memoriam reveritus, cujus nomine inflicta sibi anathemata audierat, rogavit Sancti Clementis Cardinalem, ut se vinculis sententiæ a Barbesta pronunciatæ absolveret: sive id religioni dare vellet, sive etiam publicum illud iniquo Judici testimonium objicere.

(*c*) Multa quidem & contra Borromeum dicteria ad Pontificis aures delata sunt per Internuncios, quibus teste Ormaneto Pius respondit: *Sibi liquido constare omnia, quæ a Carolo ferent, aut ab honoris divini desiderio proficisci, aut ad gregis sui custodiam, tuendamque Ecclesiæ auctoritatem unice pertinere.* Imo datis ad Eum literis amantissimus Pater consolationem adhibere conatus est, quam tamen sibi non admodum necessariam esse dixit XXI. die mensis Septembris rescribens: *Ego vero, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ verbis caritate insigni refertis excitatus illud a Deo Patre consolationum supplex peto, ut non modo non recusem, sed gaudeam, si quando Jesu Christi Domini munere & gratia dignus efficiar pro Ejus nomine contumeliam pati.*

(*d*) Non in itinere, sed in ipso agendæ rei conatu, ac limine Calabrum mors Romæ oppressit. Etenim Specianus scribit die XXVIII. Septembris: *Eum nuper Romam advenisse, sed tam gravi morbo in Granvelani Cardinalis domo laborare, ut actum de eo, conclamatumque videatur.* Addit *absolutum a Pontifice anathematis, quo tenebatur, vinculo, utpote morti proximum, hac tamen adjecta conditione, ut in vinculis causam deinde diceret, si convaluisset.* Die vero quarta Octobris alias literas idem dedit, quibus docuit *eum jam e vivis abisse, & in Sancti Ludovici Ecclesia sepultum. Pontificem tamen minatum hæredibus fuisse, nisi ejus loco se quæstioni subjicerent, ac pœnæ, jussurum effodi defuncti Calabri ossa, & insepulta projici.*

(*e*) Scripsit hæc ad Carolum Bonhomius X. Decembris hoc anno: *Pontificem rogavi, ne causam deseveret tuam; cui Ille sacro quodam ardore succensus, rescribe, ait, me Pontifice nunquam desertum iri ejus causam; atque si res postulaverat, & Dei honos, sanguinem pro eo a Me libentissime profundendum.*

Digitized by Google

versariorum querelis solicitari intelligeret, Pontificium Oratorem in Hispaniis agentem rogavit, ut causæ suæ patrocinium apud Regem susciperet (*a*).

Pervenerant sane in Aulam malevolorum hominum literæ nunciantes, suspectæ fidei Cardinalem esse, dominationis cupidum, ingenio præcipitem, quietis inimicum; nec tutam unquam fore Regiam Potestatem, quamdiu Ipse in Provincia permaneret. Hæc, atque alia Orator, cum a Rege colloquium suppliciter petiisset, ea, qua erat, gravitate, & eloquentia facile confutavit. Qui enim fieri posse, ajebat, Cardinalem Borromeum, qui Avunculi Pontificatum pietatis, ceterorumque virtutum fama illustraverit, nunc tam ingrato animo esse, ut Majestatem ejus violare audeat, a quo Patrem Gibertum, Federicum fratrem, seipsum denique multis, ac maximis beneficiis ornatum videret? Quis Eum dominandi cupidum crederet, qui tot amplissimas dignitates, & adnexas dignitatibus opes, præcipua scilicet captandæ dominationis auxilia abdicaverit? Quod vero Archiepiscopum præcipiti in rebus agendis ingenio esse dicerent, somnia hæc hominum videri, qui nesciant, aut se nescire simulent, nihil ab Eo gravius attentari, inconsulto Pontifice, aut inauditis sapientissimis viris, quorum operam magnis sumptibus ex omni Italiæ parte conduxerit. Multo leviora esse, quæ de illatis Regiæ potestati injuriis afferebantur; nihil enim pastoralibus officiis Mediolani esse quæsitum, præter Populi disciplinam, ac publicæ religionis incrementum, quibus denique Principum felicitas, & Regnorum fortuna consistat. Justius proinde queri Archiepiscopum, qui Gubernatoris edicto subducta sibi auxilia videbat, quominus improborum licentiam coërceret. Addebat deinde multa de Scalensium ausu; quam impie Cardinalem a Templi vestibulo rejecissent, quam inanibus titulis Præsulis sui auctoritatem eludere conarentur. Quæ cum Legatus ingenti spiritu peroraſſet, responsa Regis fuere mitissima, atque omnia inposterum tranquilliora fore pollicebantur.

CAPUT XXII.

Pontificis hac super re geminæ ad Mediolanensis Provinciæ Gubernatorem literæ referuntur.

NEc interim Mediolani Scalenses Canonici otiabantur. Irrequieti, atque ex conscientia sceleris sibi metuentes auxilia undique conquirunt, multa falsa Archiepiscopo affingunt, Albuquercium precibus, querimoniis, pene minis impellunt, ut auctoritatem suam sustinendis Collegii sui dignitatibus interponat. Quibus ille officiis incensus, quamquam ingenio miti erat, ac temperato, ita tamen ad Summum Pontificem scripsit, ut plusculum acerbitatis literis suis aspergeret. Postquam enim multa in Carolum jecerat, reliquum sibi esse ajebat, ut nisi vir pertinax, & opinionibus suis plus nimio addictus alieno imperio cohiberetur, ipse Mediolanensium tranquillitati unius exilio consuleret (*b*). Sed in eum Pontificem inciderat, qui neque calumniis decipi, nec facile terreri minitationibus posset. Responsa, quæ his literis data sunt, fideliter reddo:

Li-

(*a*) Neque hoc apud Regem patrocinio indigebat, cum Rex esset optime in Carolum animatus. Etenim Specianus, qui Cardinali Alexandrino in Hispaniam missio datus comes Legationis fuerat, testatur in Tabulis; *Rogatum a se aliquando Regem Philippum, ut ingenue aperiret, quænam sibi de Carolo esset sententia? Regem autem de more laconicè respondisse: tanti a se Borromeum fieri, quanti Virum summa sanctitate insignem. Neque* (idem concludit) *de ejus sententiæ veritate dubitare me sivit Conclave ipsum, ubi sermo institutus erat; cum ibidem ante utriusque oculos appensa muro Tabula extaret, quæ Caroli imaginem exhibebat.*

(*b*) Ut primum vox hæc subeundi exilii intonuit, infracto animo respondit Carolus: *sibi vim prius inferendam; neque alio iturum unquam, nisi dejectum a Templo: deinde si, illata vi, solum esset vertendum, unum sibi cavendum esse inanis gloriæ periculum.* Refert hoc in Tabulis Carolus a Basilica-Petri.

Digitized by Google

Litera Papæ Pii V. ad Gubernatorem Mediolani.

PIUS PAPA V.

„ DIlecte Fili Nobilis Vir, ſalutem &c. Graviter, nec minus, quam rei „ magnitudo poſtulat, affecti ſumus ex eo, „ quod de exitu controverſiæ inter dilectum Filium noſtrum Carolum Cardinalem Borromeum, & Canonicos Sanctæ Mariæ a Scala, antea quoque ad „ nos allatum ex literis Nobilitatis Tuæ „ prima die Septembris datis etiam cognovimus, quibus ea de re diligenter, „ atque accurate admodum ad Nos ſcripſit. Id autem multas ob cauſas: primum „ quidem, quia Cardinalatus dignitatem „ Nobis, atque huic Apoſtolicæ Sedi conjunctiſſimam ab hominibus Eccleſiaſticis, „ qui eam ab aliis oppugnatam defendere, „ ac revereri debuerant, contemptam dolemus: deinde quia improborum hominum audacia (apud quos hæ inter Eccleſiaſticos homines diſcordiæ, præcipue „ adjunctis utrinque excommunicationibus, valde ſecundis auribus accipiuntur) „ ex hujuſmodi rerum eventu magis confirmatur ſic, ut ad majora quotidie audenda eis animus addatur, præſertim ſi „ ſe Summorum Principum vel gratia, „ vel auctoritate tutos futuros eſſe ſperare poſſe ſibi videantur; ut interim illud „ taceamus nullum tam honorabili Eccleſiæ membro contemptus detrimentum „ inferri potuiſſe, quod non eodem tempore ad Nos, Sanctamque Sedem hanc redundaret. Oportebat quidem Canonicos, ſi quid pro Eccleſiæ ſuæ jure tuendo adverſus Cardinalem juris habebant, „ cum Eo, non vi, aut armis, ſed aut judicio, aut his, quæ Legibus conſtituta „ ſunt, remediis experiri; neque enim vel „ proteſtandi, vel aliæ juris viæ illis deeſſe poterant: quod eo magis facere debuerunt, quia (ut accepimus) Cardinalis viſitandæ illius Eccleſiæ poſſeſſionem obtinet. Sed quoniam illi (Chriſtiani nominis adverſario id ipſum ad „ perturbandam Ordinis Eccleſiaſtici concordiam ſuggerente) eò progreſſi ſunt, „ quo ſalva eorum modeſtia, ipſiuſque Cardinalis dignitate progredi non debebant; „ Nos pro commiſſo Nobis ab Omnipotenti „ Deo officio improbitatem hominum reprimere volentes prætermittere ſine culpa non poſſumus, quin eoſdem Canonicos perinde, ac meruiſſe videntur, juſta „ correctione afficiendos curemus; quam „ quidem ad rem Nobilitatis Tuæ auxilium, ſi opus fuerit, Nobis defuturum „ non eſſe exiſtimamus: tantum abeſt, ut „ Eam alienæ culpæ a debita pœna vindicandæ indulgere velle arbitremur. Quod „ autem ad ea pertinet, quæ inter Nobilitatem Tuam, eumdemque Cardinalem „ controverſa ſunt, brevi Nuntium noſtrum iſthuc miſſuri ſumus, qui noſtram „ mentem, animique noſtri ſenſum copioſius ei exponat; quæque iſtius Provinciæ regimini non minus, quam juri Eccleſiaſtico tuendo utilia ſunt, ad Nobilitatem Tuam noſtro nomine deferat. „ Quod vero ad eam literarum tuarum „ partem pertinet, in qua Cardinalem „ quaſi pertinacem, & in conſiliis ſuis „ præcipitem videri Nobilitas Tua vult, „ quamquam verbis tuis eam, quam par „ eſt fidem habeamus; tamen cum Illius „ actiones, atque conſilia ejus temporis „ recordamur, quo vivente felicis recordationis Pio IV. Prædeceſſore noſtro „ Avunculo ſuo, Reipublicæ Chriſtianæ, „ atque Eccleſiæ negotia tractabat, nihil „ tale de Illo nunc aut Ipſi exiſtimare poſſumus, aut tunc ab aliis exiſtimatum eſſe „ intelleximus. Si enim talis eſſet, fieri „ non potuiſſet, quin tam diuturni temporis ſpatio, quo rem Eccleſiaſticam gubernavit, aliquod ejus naturæ ſpecimen „ dediſſet. Illud quidem Nobis durum videtur, cum Deus iſti Civitati Paſtorem „ ea, qua eſt, morum integritate, ſanctitateque præditum dederit, qui nihil aliud, quam animarum fidei ſuæ commiſſarum ſalutem quærit, qui vitia „ tollere, & mores depravatos, quantum

„ in

„ in ſe eſt, corrigere conatur: Ea tamen „ ab his, qui Ipſum diligere, & magni „ facere debuerant, vitio illa dari, quæ „ tantum ab Illo abſunt, quantum Ipſe ab „ omni non modo vitio, ſed vitii ſuſpi- „ cione abeſt. Sed profecto illud verum „ eſt, quod ipſa Veritas Apoſtoli docuit „ voce: his omnibus, qui pie ac ſancte „ in Chriſto Domino noſtro vivere volunt, „ paratas eſſe perſecutiones, quarum ta- „ men fructus dulcis eſt, & finis glorioſus „ illis quidem, qui eas libenter pro Ejus „ nomine patiuntur. Datum Romæ apud „ Sanctum Petrum &c. die X. Septembris „ MDLXIX. Anno Quarto.

Aliæ Literæ Pii Papæ V. ad Gubernatorem Mediolani.

„ DIlecte Fili Nobilis Vir, ſalutem & „ ſalubriora in Domino conſilia &c. „ Ad ea, quæ duabus Epiſtolis tuis die „ XXVIII. Septembris datis ad Nos ſcri- „ pſiſti, ita reſpondebimus, ut Apoſtolicæ „ vocis, Noſtræque perſonæ ſimul memores, „ poſthabita omni contentione, neceſſaria „ tantum attingamus. Reliqua enim in „ eiſdem Epiſtolis ejuſmodi ſunt, ut non „ tam diligenter excutienda, quam pater- „ na quadam diſſimulatione prætermitten- „ da eſſe videantur. Nos enim, quem- „ admodum Nobilitatem Tuam vere, & „ ex animo diligimus, ſicque ad eam ſcri- „ pturi ſumus, hæc non minus pro animæ „ tuæ ſalute, quam pro veritate, juſtitiaque „ tuenda ſcripta eſſe volumus, atque ut „ alia Nobilitati Tuæ probare vehemen- „ ter cupimus, Deumque Omnipotentem „ oramus, ut cordi tuo aperiat, quanto „ hæc ad Te paternæ caritatis ardore ſcri- „ pſerimus. Et primum quidem ab ea parte „ literarum tuarum, in qua de ipſius Car- „ dinalis moribus, & inſtitutis tam mul- „ ta ſcripſit, reſponſionis Noſtræ initium „ ducentes, Tibi vere, conſtanterque „ affirmamus, Nos niſi Illius vitam, „ mores, conſilia, conſiliorumque vias „ penitus cognitas haberemus, ex his, „ quæ ſcribis, animo valde ſuſpenſo, at- „ que incerto futuros fuiſſe: ſed quoniam, „ quò Illius cogitationes, actioneſque om- „ nes ſpectent, & quibus ad eas miniſtris, „ adjutoribuſque utatur, exploratiſſimum „ Nobis eſt, in eam ſententiam venire „ cogimur, ut hæc omnia antiquo illo Chri- „ ſtiani nominis hoſte callide moliente ex- „ citata eſſe exiſtimemus, cujus proprium „ eſt concordiam oppugnare, conjuncta „ diſſociare, recta depravare; qui, cum, „ Te mutua cum Cardinali concordia con- „ junctо, quam multa præclara, egregia- „ que opera effici poſſent, jam inde ab ini- „ tio proſpexiſſet, inveteratæ malitiæ ſuæ „ non oblitus, omnia turbare, ac miſce- „ re cœpit; tanto enim ille fraudis, fal- „ laciarumque vias ſubtilius exquirit, „ quanto Dei ſervos Cæleſti Patriæ inhia- „ re ardentius cognoſcit. Sic Judæos i- „ pſos invidia inductos in Domini, Re- „ demptoriſque noſtri mortem armavit: ſic „ tot fortiſſimos Chriſti Athletas per ho- „ mines fallacibus inſidiis deceptos ad „ multiplicia tormenta, nefariaſque neces „ adduxit. Sed quemadmodum omnes im- „ pios illos conatus admirabilis quædam „ Divini Conſilii Sapientia in ipſius con- „ ſultoris caput vertit, ſuoque eum gla- „ dio jugulavit; ſic cavere Te oportet, „ qui inter homines vivis, ne per homi- „ nes a callidiſſimo hoſte tenteris; neve „ quod Regiæ Juriſdictionis tuendæ cauſa „ recte Te facere nunc exiſtimas, id oc- „ culto quodam divinæ providentiæ conſi- „ lio in ejus potius exitium redundet. „ De cauſa autem contra Canonicos Sca- „ lenſes iſthìc cognoſcenda, quod a Nobis „ tantopere contendis, dolemus non eſſe „ hujuſmodi, in qua neque precibus, ne- „ que poſtulatis tuis, ſalva Sedis Apoſto- „ licæ vetere conſuetudine, morem gere- „ re poſſimus, apud quam, ut cauſæ majo- „ res cognoſcerentur, ſemper obſervatum „ eſt; major autem cauſa eſſe non poteſt, „ quam illa, in qua Sanctæ Romanæ Eccle- „ ſiæ Cardinalis res agitur, quo ordine nul- „ lus Nobis, & Sedi Apoſtolicæ conjunctior „ eſſe ab omnibus intelligitur. Nam quod „ Dilectus Filius Cariſſimi in Chriſto Filii

„ Re-

Digitized by Google

„ Regis Catholici apud Nos Orator Nobis „ Literas Apoſtolicas ſub plumbo objecit, „ quibus a felicis recordationis Leone X. „ Prædeceſſore noſtro decretum eſſe vult, „ ne iſtius Mediolanenſis Provinciæ cauſæ „ extra iſtam ditionem cognoſcantur; id „ tametſi, ut ille dicit, omnino ita eſſet; „ tamen cum rerum a Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris pro temporum varietate conceſſarum moderatio ad Nos pertineat, nihil novum, aut iniquum faceremus, ſi eiſdem conceſſionibus, rerum præſentium conditione ita poſtulante, derogaremus. Sed nulla tamen derogatione in hac cauſa opus eſt: eiſdem enim Apoſtolicis Literis non ſolum Cardinalium cauſæ, qualis hæc eſt, ſed etiam beneficiales liquidiſſime excipiuntur. Quod vero eiſdem Literis Nobilitas Tua minatur, ſe Juriſdictionis Regiæ tuendæ cauſa Cardinalem ipſum non modo e Civitate, ſed etiam ex iſta Mediolanenſi ditione eſſe ejecturam; quamquam ad hoc ipſum quid juſte, & pro æquitate reſpondeamus Nobis deeſſe non poſſit, tamen, ceteris omiſſis, pro Noſtra paterna in Te benevolentia illud Te tantummodo monemus, ut etiam atque etiam videas quid agas, neve ſciens, ac prudens eò progrediaris, unde Tibi poſtea nullus, aut difficilis admodum redit us pateat. Cave, ne quod tuendæ Regiæ Juriſdictionis cauſa Tibi faciendum putas, cujus nomen tantopere amplecteris, id Tibi in contrarium cadat, quemadmodum aliis multis accidit. Illud etiam conſidera, ne Tibi idem accidat, quod non ita multis ante annis alteri contigiſſe vidimus, qui cum ejuſdem iſtius Mediolanenſis Provinciæ Gubernator eſſet, ob ſimile quoddam adverſus iſtius Civitatis Archiepiſcopum factum in cenſuras Eccleſiaſticas incidit, cui non multo poſt Oratori ad felicis recordationis Paulum IV. Prædeceſſorem noſtrum miſſo, cum in itinere eſſet, ejuſdem Pontificis verbis denunciatum eſt, ne Romam veniret; ſi veniſſet, eum capi, atque in carcerem conjici juſſurum; cumque is poſtea, ſuffragante quodam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, placato Pontifice, una cum abſolutione ad Urbem veniendi, legationeque ſua fungendi poteſtatem accepiſſet, antequam aut de impetrata venia certior fieri, aut Pontificis conſpectum intueri poſſet, mortem occubuit: divina nimirum hoc Providentia operante, ut tali exemplo ceteros ab hujuſmodi rebus audendis deterreret. Nam ipſi quidem Cardinali nil glorioſius accidere poteſt exilio ob Eccleſiæ ſuæ libertatem, juraque tuenda per vim irrogato. Cui ſi etiam pro eadem cauſa ſanguinem fundere contingeret, præclare ſecum Deum Omnipotentem egiſſe exiſtimaturus eſt. Tua vero intereſt, ne per indignationem aliquam rem eò deducas, ut quod Cardinali a Te paſſum eſſe ſalutare, & glorioſum apud Deum Omnipotentem, Rempublicamque Chriſtianam futurum eſt, id Te in Eum feciſſe Tibi apud Deum, atque homines pernicioſum, turpeque ſit; quippe quod in Annalibus iſtius Civitatis ad perpetuam Tui nominis ignominiam mandabitur. Hæc non minus pro amore in Te noſtro, quam pro commiſſo Nobis ab Omnipotenti Deo Paſtorali officio Tibi ſcribenda eſſe judicavimus. Speramus autem Nobilitatem Tuam & in hac ipſa re, & in ceteris, quæ ad Eccleſiæ libertatem, dignitatemque augendam, & conſervandam pertinent, id eſſe facturam, quod eximiæ Tuæ pietati, Religioniſque Catholicæ zelo conſentaneum fuerit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die VIII. Octob. MDLXIX. Anno Quarto.

Hæc itaque ad binas Albuquercii literas reſponſa fuere graviſſima illa quidem, & temperata in paterni amoris ſpeciem ſeveritate. Et quoniam per Regium Oratorem rogaverat Gubernator, ut Scalenſium cauſa ex decreto Leonis X. Mediolani cognoſceretur, ſubjecit Pontifex, neque Cardinalium cauſas eo Leonis decreto comprehendi, neque ſi includerentur, ulla lege impediri Pontifices, quominus decreta a

præ-

prædeceſſoribus condita pro rerum, ac temporum varietate immutarent.

CAPUT XXIII.

Lethali ictu petitus ad necem inaudito miraculo ſervatur incolumis; Ejus in re tam gravi animi virtus.

1569. CUm ea, de qua diximus, contentione animorum utrinque certaretur, prope fuit, ut Humiliati controverſias omnes uno ictu dirimerent. Hieronymus, Laurentius, & Clemens Vercellis, Caravagii, & Veronæ Cœnobiorum Præpoſiti, cum, Carolo incolumi, priſtinæ licentiæ ſpem omnem ſibi præcluſam animadverterent, cædem Ejus meditabantur (*a*). Itaque nacti opportunitatem temporis, quo propter multorum cum Ipſo diſſidia ſuſpicionem criminis in multos verti poſſe credebant, Hieronymum Donatum cognomento Farinam ſui Ordinis Sacerdotem precibus, promiſſiſque ſolicitant, ut exequendi nefarii conſilii curam in ſemet recipiat; nec ille recuſabat, ſi modo inter ipſos de parricidii mercede conveniret. Pudet me dicere tanti Cardinalis vitam quadraginta nummis (*b*) aliquando veniiſſe. Hoc pretio conſtituto, quoniam ad magnum ſcelus plerumque per multa ſcelera iter eſt, Fabium Simonetam communis pecuniæ cuſtodem de medio tollere ſtatuunt, ut ærario direpto, cujus oſtium fruſtra tentaverant, datam impio percuſſori fidem facilius exſolvant. Cum ea igitur cogitatione templum ingreſſi, quo ſtatis horis ſecedere Simoneta ſolitus erat, dum inter ſe diſputant, quis prior eorum orantis collo laqueum injiceret, ſubitaneo horrore perculſi re infecta diſceſſere. Tunc enimvero Farina moræ ulterioris impatiens quidquid auri, argentique in ſacris veſtibus erat occulte diripit, cumque conflatam ex eo pecuniam inter ſordida oblectamenta facile conſumpſiſſet, furto renovato, comparat ſibi duo manualia funeſtiſſimæ artis tormenta, quæ lethifero impetu incluſum ferrea fiſtula plumbum concepto igne diſplodunt. Hoc miſſili inſtructus ementita veſte

(*a*) In Apographo MS. ſententiæ latæ a Scarampo Epiſcopo, ſedentibus etiam pro Tribunali Reverendiſſimo Domino Franciſco Cittadino Epiſcopo Caſtrenſi, & M. R. D. Clemente Dugnano Abbate Monaſterii Sanctæ Mariæ Paſſionis, habemus *Hieronymum Legnanum, Clementem Miriſium, Laurentium Campainum alias Levatum omnes Sacerdotes, Hieronymum vero Donatum Diaconum pluries iniviſſe conſpirationem, & concluſionem feciſſe de interficiendo, & interfici faciendo Illuſtriſſimo Mediolani Archiepiſcopo reformationis executore, offerentibus ſe Hieronymo Donato, & Clemente Miriſio id ſceleris ſuis manibus perpetrare.*

(*b*) Ut ex eodem MS. exiſtente apud Oblatos, colligitur numerari impiis Sicariis pretium non potuiſſe, neque ullo modo etiam comparari. Nam primum illi expilare Collegii ærarium conati, & ſeras ejuſdem evertere, cum viderent inanem operam ludi, etiam tentato per caminum deſcenſu, neque clavim aliter poſſe obtineri, quam per Præfecti mortem, conſilium de eo occidendo agitarunt. Sed repentino terrore perculſi cum impiam cogitationem ad exitum perducere non poſſent, Clemens Caroli interficiendi conſilium abjecit, quo ceſſante, unus Donatus in eadem mortis intentandæ ſententia permanſit. Excitavere enim eum reliqui ad ſcelus opulenta deſtinata Præfectura, tamquam perfecti ſceleris mercede. Cum vero ingens eſſet ſingulis pecuniæ difficultas, & aliquod ille in præſens numerari pretium vellet, ſtatuerunt Sacram diripere ſupellectilem; ſed hoc conſilium Donati ipſius rapacitas prævertit, qui vaſa aliquot argentea, Crucifque ſignum, imo pixidem ipſam, in qua Sanctiſſimum Chriſti Corpus latebat, ex Ara detraxit flagitium ſuum tanto ſacrilegio auſpicatus. Inde poſt aliquot dies Mediolano profugiens, & Mantuam dilapſus trium ſupra centum nummorum ſummam ex præda pignori data conflavit. Mox Venetias contendit, unde Corcyram verſus navigavit. Sed inde amici conſilio Venetias retractus Mediolanum venit, ubi cum diſſipatis pecuniis refrigeratus ejus ardor videretur, Campaina & Legnanus novas illi faces ſubdidere. Diu itaque ſolicitatus Donatus, cum neque necis intentandæ ſuppeterent inſtrumenta, per vim mulo abſtracto atque divendito, geminos tubos ex perceptis inde pecuniis ad perficiendum ſcelus comparavit. Duos autem idcirco inſtructos tubos ſcripſit Scarampus, ut hoc ad Carolum occidendum, altero ad ſe tuendum uteretur, ſi res poſtulaſſet. Revera opportunum ad inſidias tempus nactus aliquot horas poſt ſepem latuit Borromei expectans adventum, cum ad Sancti Barnabæ Templum eſſet venturus. Sed cum non arrideret ſceleſto diurnum tempus, præſidium a tenebris mutuari voluit. Quare ad domeſticum Antiſtitis Sacellum noctu properans, ut cogitata perficeret VIII. Cal. Novembris, cum ibidem Cardinalem Cribellum una cum Carolo ante Aram genibus nixum offendiſſet, atque ad Hujus tergum Scarampum Epiſcopum Laudenſem proceræ virum ſtaturæ, timeretque, ne irritum per errorem conſilium caderet, rem in ſequentem hanc noctem diſtulit, cum ambo tum ex Urbe diſceſſiſſent.

Digitized by Google

ſte per Urbem vagabatur ſolicite circumſpiciens ſicubi patrandæ cædis occaſio ſe daret. Voluerat ad Sancti Barnabæ Ædem, cum inibi Cardinalis rem divinam faceret, cogitata perficere; ſed ſceleri paratum continuit timor, ne diurna lux, totque cingentes Sacrificantis latera Miniſtri ſpem latendi, fugiendive deciperent. Denique cum ſciſcitando, explorandoque intellexiſſet conſueſſe Carolum ineunte nocte in domeſticum ſacellum cum familiaribus convenire, aptiſſimum illud facinori tempus exiſtimavit. Die Mercurii, qui fuit ad VII. Kalendas Novembris, cum nemini agnitus ad ſacelli veſtibulum prorepſiſſet, laxata tormenti rota, lethalem ictum in orantis tergum excuſſit, ac nemine inſequente fugam arripuit (*a*). Canebant tunc forte muſici depromptum ex Rollando Taſſio carmen: *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui me miſit; non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* His plane vocibus haud abhorret a vero præluſiſſe cælum ingenti miraculo, quo Caroli nomen in tanto illo vitæ diſcrimine nobilitare decreverat. Quanquam enim lethali vulnere affectum ſe credebat, adeo tamen ab omni turbatione, ac formidine abfuit, ut neque e genu in pedes aſſurgeret, & preces continuari ſumma animi tranquillitate juberet. Et aulicos fortaſſe inceſſerat timor, ne fluente paulatim ſanguine ante aram ipſam concideret. Sed plumbeus globulus utcumque magno impetu excuſſus vix delibata exteriori veſte defluxerat; ex quadratis vero ſegmentis, quæ impius ſatelles globulo adjecerat, alterum perſtricta leviter cute haud ultra tetenderat, cetera in proximis tabulis, atque adverſo pariete, profundis ad miraculi teſtimonium veſtigiis inhæſere (*b*).

Incertus interim rumor de Archiepi-

(*a*) Adeo expers timoris fuit hæc Donati fuga, favente præcipue Borromeo, qui domeſticorum conatus præpedivit, ut omnia ſceleris indicia in domum Fratris tutus Sicarius retulerit, ibique mane poſtero ſervati mirabiliter Caroli nuncium per publicum rumorem acceperit. Latuit ibi plures dies, quibus occulte, nec ſuſpicioſe cum Legnano collocutus eſt, commentus domi, velle ſe in Monaſterium reverti. Scribit autem Scarampus, occaſione quæſtionis habitæ repertum adhuc poſt ſeptem menſes tubum, quem ad ſui defenſionem deſtinaverat Donatus, eodem adhuc plumbo inſtructum, & eadem in domo adeo caute cum vacuo alio ſub tegulis reconditum, ut niſi certum extitiſſet indicium, nullo modo futurum fuiſſet, ut ad manus veniret.

(*b*) Ut certiſſimam rei hujus narrationem depromerem, placuit facti Scriptorem Carolum ipſum inducere, qui in Epiſtola ad Ormanetum data, hæc habet: *Cum eo veſpere precibus de more vacarem in privato meo Sacello, repente valido ictu medias ſcapulas targeri ſenſi, eodemque temporis momento oculos ignis fulgur perſtrinxit, & aures tonitru occupavit. Poſtmodum ex domeſticis quidam ſurgens, arreptoque lychno, ad me propius accedens, intento lumine ſcrutatus me totum, ac pannum, quem genibus comprimebam, plumbeam glandem, globulumque minorem ibidem jacentem reperit. Tum ſubiit animum opinio vulneris mihi inlatæ; verum cum expers doloris ſenſus nullam mihi vulneris fidem faceret, & manus etiam comprimens nullius in humeris ſanguinis indicium teſtaretur, pependi adhuc aliquantulum animi, cum meminiſſem, quod ſæpe audiveram, nullum recens vulneri doloris ſenſum ineſſe. Quare omnibus rite perfectis, cum in conclave me recepiſſem, atque aliquod in diſrupta linea exteriori veſte extare ſignum vulneris adſtantes affirmarent, juſſere veſtes detrahi, deſumque ipſum ſcrutantes. Modico etiam præſente, quem accirs domeſtici voluerant, dixere rulere aliquantulum cutim, & leviter inturuiſſe. Tum alacriores facti perforatam alibi mihi veſtem oſtendere, alibi ſolum fuligine tinctam, ubi nimirum glans major incubuerat; quæ etiam mox mihi a domeſtico fuit oblata.* Hactenus Carolus. Alia ad uberius explanandum hoc habet Ambroſius Mornicus in Tabulis, cujus verba recitare placet: *Anno MDLXXIX. VII. Cal. Novembris Mediolanum venis Eccleſiæ meæ res curaturus* (præerat ille cuidam in Valle Saxina ignoti nominis vico). *Ocreatus ut eram, & ab equo deſcendens audis Veſpertinæ Orationis ſignum; quare ſtatim ad ſuperius Sacellum aſcendi cum ceteris oraturus, quandoquidem paratum mihi in Archiepiſcopi ædibus erat hoſpitium. Cum Sacello appropinquarem, occurrit mihi ad limen quidam, qui ſæpe alternis genibus nitens, nunc dexteram, nunc lævam manum attollens, & ſe ſe varie componens, obſeptum tamen pallio circumvoluto vultum celabat. A valvis palmum circiter aberat, nec valvæ a Cardinali quatuor pedes diſtabant. Viſus eſt mihi cum ceteris orationi publicæ intereſſe, ſed nullum pietatis ſtudium in eo tacitus accuſavi. Eo itaque ibi relicto, introgreſſus in Sacellum, & vix poſitis genibus audivi ingens veluti tonitru interius inſonare. Fragore repente exanimatus vidi tamen Cardinalem veluti pavimento affigi, ſed mox reſumptis viribus iterum rediſſe in genua; Deinde ſublatis ad cælum oculis ſurgentem vidi, & ad circumſtantes converſum audivi imperantem, ut cœptas preces abſolverent. Cum deinde in ſuſpicionem veniſſem ſicarium fortaſſe aliquem ad oſtium latuiſſe, cumque vidiſſem Julium Petrutium ſtatim ab eſito exilientem, ſurgens jam exire meditabar. Me tamen Carolus imperio ſuo continuit. Poſtmodum perfectis omnibus, cubile ſuum iniit Borromeus, quo clauſo, ocyus audivi ſalva eſſe omnia. Tum ego cum reliquis ad Sacellum regreſſi globulum unum plumbeum invenimus profundius in*

ea

piſcopi cæde Civitatem univerſam conciverat, confertique omnium ordinum homines Palatii fores obſederant non antea diſceſſuri, quam certum de Paſtoris amantiſſimi ſalute nuncium acciperent. Dux ipſe Albuquercius, tametſi nox ad multum proceſſerat, retineri non potuit, quin Prætoriano milite aſſumpto ad rem propius cognoſcendam convolaret (*a*). Mox ubi omnia miraculi indicia oculis perluſtraverat, introductus ad Carolum totus in eo erat, ut obſequium Illi ſuum, ut venerationem, ut benevolentiam comprobaret. Nunc inanem ſceleſti conſilii exitum gratulari, nunc execrari inſolentiam facti, nunc vires omnes ſuas ad ultionem injuriæ polliceri. Voluerat etiam militares excubias Palatio apponere, niſi Carolus obſtitiſſet ſapienter affirmans miſeram eſſe Epiſcopi conditionem, qui ad vitam tuendam armorum præſidiis indigeat (*b*). Paribus officiis poſtero die certavere Senatus, ceterique Urbis Magiſtratus, quin & cum iis rediit Gubernator, qui ut amici animi fidem ulterius confirmaret, comes etiam in menſa eſſe voluit. Nec Mediolani ſolum hæc officia fervebant. Ab omnibus fere Italiæ Principibus epiſtolæ afferebantur, quidquid in ipſis ſolatii, aut auxilii eſſe poterat benigne offerentes (*c*).

Non

ea tabula merſum, cui orans Cardinalis cubitis ſuis incubuerat. Infixis ſæpe cultris tandem inde illum exculpſimus &c. Glandem majorem poſtea Specianus teſtatus eſt ſibi a Carolo ipſo concreditam, vetitumque in poſterum ne cuipiam per manus traderet, ut omne jactationis periculum abeſſet. Servata deinde religioſe per annos viginti fuit, ut ipſemet in Tabulas retulit, nunc vero apud Oblatos Sancti Sepulchri colitur. Purpurea veſtis Gluſſiani temporibus erat penes Lanfrancum Reinam Mediolanenſi Sancti Ambroſii Baſilicæ Præpoſitum: exterior autem linea, cum Romam miſſa in manus Pauli Cardinalis Sfondrati veniſſet, ab eodem dono data Burdigalenſi Archiepiſcopo Franciſco tum Cardinali de Sourdis Galliam omnem tanto miraculo implevit.

(*a*) Forte poſt primam noctis horam ex familiaribus unum præmiſerat Carolus, qui Albuquercium Ducem hac de re certiorem faceret. Verum Cardinalis curam præverterat Illius diligentia, qui nuncio non expectato, jam ſe in viam dederat Eum conventurus. Ut autem ad Carolum venit Gubernator, optavit aperiri ſibi omnia, ſiqua eſſent, rei indicia; ſed unam hanc a Borromeo vocem retulit: *melius tantam ſolertiam in Paſtoralis officii tuendis juribus, quam in Paſtore ipſo ſervando collocatum iri.* Moram ibidem traxit Albuquercius uſque ad ſextam noctis horam, & diebus ſequentibus, ut Carolus ad Ormanetum ſcripſit, accumbere pluries Ejus menſæ non invitatus etiam, & remotis ſemper arbitris voluit. Nocte eadem rerum Capitalium Præfectus ad Cardinalem venit inſtans, ut domeſticos Illius aliquot quæſtioni ſubjicere ſibi liceret; ſed a Carolo vetitus abſtinuit, qui deinde juſſit haberi quæſtionem hanc a Vicario ſuo, ut aliquam juris formam ſervaret, non vero ut rei indicia perſequeretur. Hæc collecta ex Caroli Epiſtolis ferme ad literam. Quare legens apud Ughellum Tom. IV. Italiæ Sacræ de Epiſcopis Albenſibus agentem, quod Leonardus Marinus eam noctem hic apud Cardinalem degens inſumpſerit cum Sancto Præſule inter pia colloquia: fateor me aliquantulum hæſiſſe, cum nullum in tot MSS. rei hujus veſtigium tenerem; quare ſuæ narrationis fides ſit penes illum Scriptorem. Non deſunt tamen argumenta, quibus hanc Ughelli narrationem refellamus. Legimus enim in tabulis Octavium Boldonum filium Nicolai juratum dixiſſe, Patrem ſuum tum Mediolani degentem, & in Ticinenſi Gymnaſio Archiatrum, cum forte eo veſpere apud Jo. Mariam Cattaneum eſſet, audiſſe in proxima via clamores populi concurrentis, ſtatimque a prætereunte quodam de intentata Borromeo morte certiorem factum. Quare, addit, ſe ocyus ad Carolum convolaſſe, manuque ſua vibicem exploraſſe; cumque globulum ad cutem hæſiſſe conſpiceret, atque affluxum ibi concreti ſanguinis animadvertiſſet, juſſiſſe Eum lecto decumbere, atque ſtatim dorſo per Chirurgum cucurbitulas, igneumque apponi, quod revera factum eſſe affirmavit etiam Fornerius, qui, excluſis omnibus præter Allianum Chirurgum, & Julium Petrutium Domeſticum, affirmat manu ſua ſtatim compoſitum in lecto Borromeum, & poſtmodum perfectis omnibus Albuquercium adveniſſe. Adde reperiri quidem in iiidem Tabulis fuiſſe tum Mediolani Cardinalem Altempſium, qui cum in Monaſterio Sancti Victoris hoſpitaretur, monitus a Fornerio fuit, ne quidquam timoris ex rei fama conciperet, cum ſatis ſalva eſſent in Borromeo omnia; nihil autem de Albenſi Epiſcopo commemoratur, qui certe ſi apud Carolum fuiſſet, cum eodem familiarium cœtu ad Sacellum conveniſſet, ut mos erat: & revera die antecedente ibidem erant Cardinalis Cribellus, & Scarampus Epiſcopus Laudenſis, qui cum procerus corpore eſſet, & ad Caroli tergum genibus flexis hæreret, fuit in cauſa, ut Donatus, qui tantum facinus eo die conceperat animo, ad exitum illud perducere non poſſet.

(*b*) Vix ut Satellitium removeret Albuquercius ea nocte, Carolus impetravit. Quamquam ut curam tanti Præſulis ſibi maxime cordi teſtaretur, diebus ſequentibus ſub precum veſpertinarum tempus præſidiariam ſemper adeſſe armatorum manum ad Ejus ædes Dux juſſit, donec clauſis foribus tuta eſſent omnia; & vix poſt quatriduum Borromei precibus effectum eſt, ut ab officio illo ſibi permoleſto ceſſaret.

(*c*) Mirum quantum impium hoc facinus non Italiam modo, verum etiam univerſam Europam commoverit. Extant ducentæ amplius ſuper hoc literæ, quarum aliæ ex Germania, ex Hiſpania aliæ, Luſi-

Digitized by Google

Non tamen diſſimulaverim in re tam perſpicua fuiſſe nonnullos, qui nefarium illud Farinæ facinus ſcenam a Carolo callide inſtructam affirmarent, qua credulum vulgus ſanctitatis opinione deciperet (*a*). Tanta humani ingenii perverſitas eſt, ubi ſemel odio, aliiſque inſanis affectibus locum dedit. Ipſe in tanta trepidatione Civitatis, totque ſermonibus hominum adeo tranquillo animo fuit, ut neque ultro de illata ſibi injuria verba faceret, neque a familiaribus fieri ſineret. Teſtes Ejus tranquillitatis ſunt literæ, quas ad Summum Pontificem in hunc modum conſcripſit: „ In quo vitæ periculo fuerim, aç ſimul „ quam mirabiliter ex eo evaſerim, San„ ctitas Veſtra ex Ormaneti verbis intel„ liget. Id fortaſſe meruit aut loci reli„ gio, aut Pontificii nominis dignitas, niſi „ ſingulari potius clementia ſervatus ſum, „ ut mihi ad diluendas præteritæ vitæ cul„ pas tempus ſuppeteret. Sed quæcumque „ demum Divina judicia fuerint, quæ cu„ rioſius interpretari humanis mentibus ne„ fas eſt, caſus certe eſt ejuſmodi, ex quo „ Sanctitas Veſtra plus conſolationis, & „ gaudii, quam ſolicitudinis, & triſtitiæ „ capiat. Ego quidem Deo gratias agere „ non deſino, ad cujus gloriam multa ex „ hoc ipſo eventu oritura eſſe confido. “ Hoc officio perfunctus Carignanum (*b*) tertio ab Urbe lapide in Carthuſianos ſeceſſit. Ibi veluti Monachorum unus humili cella incluſus rationes ſecum excogitabat, quibus ſervatam in tam manifeſto periculo vitam Liberatori ſuo totam impenderet (*c*). Simul vigiliis, jejuniis, lacrymis opem ab eo poſtulabat, qua tot objecta ſibi Paſto-

---

Luſitania, Sicilia, & Roma præſertim miſſitatæ ad Carolum ſunt. Præcipue placet Sancti Franciſci Borgiæ gratulatio, quam brevitatis cauſa omitto, & Franciſci Mariæ Tauruſii poſtea S. R. E. Cardinalis ſententia, quæ utpote laconice concepta hìc locum habet; alludens enim ad victoriam ſub idem tempus a fœderatis Gallis relatam, cujus cauſa Condæus Dux fuerat extinctus, ſcribit: *Deus jam palmam ſuæ ſtruet Eccleſiæ; quandoquidem in Galliis hoſtes gladio ſuo everſit, Mediolani autem ſcuto ſuo Amicos circumdat.* Neque omittenda ſunt Civium Mediolanenſium ſtudia eo tempore erga Paſtorem ſuum declarata; cum ſiquidem indicta eſſet pro gratiis Deo agendis ſupplicatio, infiniti ad Templum Maximum ſacri concurſus ſunt, ſcribitque Carolus: *Videre ſe in dies majorem ſui ipſius amorem in Civibus excitari, & pium omnium contentionem pro ſua ſalute ſervare; ipſos domum adverſarios intelligere eorum conniventia nimium fuiſſe corroboratam improborum audaciam.* Roma autem ſcribens Bonhomius Carolum monuit: *Maximas Deo referendas gratias, cum religioſæ cujuſcumque familiæ fratres ac ſorores, re intellecta, commoti adeo ſint univerſi, ut mirandum plane inventibus videretur.*

(*a*) Hæc Mediolani ab aliquibus jactata: *ex conditio mirorum inanem tubum fuiſſe in Carolum explosum*; callidius autem Romæ Scalenſium Patronus, ut aptius fucum faceret, dictitavit: *eo tempore vere mortem Carolo intentatam, ſed in aſſerem interpoſitum incidere glandem, caſu fuiſſe ſervatum.* Quæ vana certe fuiſſe dicteria, quæſtionis habitæ exitus deinde comprobavit.

(*b*) Huc ſe aliquando recipiens Carolus colligere animum a Diœceſeos curis ſolebat. Præcipue autem hoc Carthuſianorum contubernio uſus videtur, cum eſſet paranda, aut in ordinem redigenda Synodorum, Conciliorumque ſupellex. Opportunior certe videbatur hæc ſedes, utpote tumultu omni vacua, & vix tertio ab Urbe lapide diſtans. Servant adhuc hujus Carthuſiæ Monachi Pontificalem infulam Sancti Cardinalis ſudore perfuſam, cujus veritatem Cardinalis Federicus Borromeus Caroli patruelis nobili teſtimonio commendavit. Alia item elegerat in ſuburbanis ejuſmodi loca, in quæ ſe ab hominum ſtrepitu reciperet: Ciſnuſculum nimirum, quò ſecedere animi cauſa S. Barnabæ Patres ſolebant, Badagium, Caſoreti Ædes apud Canonicos Lateranenſes: & captum Eum etiam lego Miraſolis ſolitudine, quò divertere aliquando ſe velle ad Cardinalem Altempſium ſcripſit. Ipſa vero Urbs Sancti Barnabæ, Canonicæ, Sancti Victoris ad Ulmum, & Sancti Sepulchri Ædes tamquam loca animo colligendo opportuniſſima obtulit, in quibus uni Deo vacare poſſet, ſimulque frui Clericorum Regularium S. Pauli, Patrum Cappuccinorum, Oblatorum demum conſuetudine, qua mirifice delectabatur.

(*c*) Quantum ſui memor eſſet, dilucide exponit reſpondens Baroni Sfondrato, qui ſub Octobris finem per literas Eum amice monuerat, *ut tot Dei cumulatus donis, ſuperbiæ clanculum irrepentis vitium præcaveret.* Siquidem digna Carolo verba reponens *Gratias*, inquit, *ago; quod me ſaluberrimis excitaveris conſiliis. Quamquam mea ipſa, quam Deo debeo, incolumitas me omni ſuperbiæ periculo liberat, cum ante oculos habeam tot Iſraëlitarum millia, qui, ducente Deo, fluctibus maris, & Pharaonis minis erepti, mire poſtmodum in ſolitudine paſti, tamen indigni fuere, qui in promiſſam terram inducerentur, ſi Joſue & Caleb demas. Inſuper ſæpius noſtros offendit oculos devolutus in improborum ſinum caduca, & fluxa felicitas, de quibus appoſite David loquitur in Pſalmo, cui initium:* Quam bonus Iſraël Deus. *Præterquamquod cur animo intumeſcam plane non video; nam idcirco me Deus ſortaſſe ſervavit, quod nimis impavidum ad mortem videret; niſi etiam fortaſſe dicam, Deum minuisse Carolo quod meritus eſſet; ſed interim voluiſſe Paſtorem ſervare, cui nefas eſt manus inferre. Illud etiam ſuccurrit, deberi incolumitatem meam piorum precibus, quæ hominum*

Paſtoralis curæ impedimenta disjiceret. Nec procul aberant ea, quæ tam enixe expetebat. Eſt enim hæc ſanctiſſimis viris conſtituta conditio, ut inter ærumnas, ac ſolatia alternatim incedant, ne vel rerum humanarum amore capti nimium ſibi confidant, vel perpetuis adverſitatibus conflictati deſperatione deficiant.

CAPUT XXIV.

Divinitus aliqua Illi conſolationis cauſa objicitur, Eccleſiæ ſuæ rebus in melius converſis.

VEnere paulo poſt ex Hiſpania literæ, quibus nihil erga Eccleſiam favorabilius, erga Carolum honorificentius expectari ab Rege Religioſiſſimo poterat. In iis mandatum erat, reſcinderet Gubernator edictum, de quo tot antea contentionibus actum erat: Scalenſes Canonicos admoneret, ne ultro obluctari Archiepiſcopo auderent: facinoroſos homines, qui eum a Templo repuliſſent, pœnarum ſeveritate coërceret (*a*), multoque ſeverius in eos inquireret, qui in Cardinalis necem quoquo modo conſpiraſſent. Haud facile dictu eſt, quo gaudio hæ literæ bonorum omnium animos affecerint. Viderant Præſulem ſuum a ſacrarum ædium veſtibulo inter minas, & convicia rejectum, tribunalia Ejus deſerta, domeſtici Sacelli aram pene illius cruore reſperſam, nunc reſtituta judiciorum jura, compreſſam rebellium audaciam, indicta ſacrorum violatoribus ſupplicia videbant. Neque minorem Carolo lætitiam attulerant, quæ Pontificius Legatus, & Vincentius Juſtinianus univerſi Dominicani Ordinis Præſes, qui poſtea Cardinalis fuit, ex ipſa Madriti aula per epiſtolas nunciabant. Regem videlicet benevolo erga Ipſum animo eſſe, deque iis, quæ ab Ipſo acta erant, graviter, ac recte ſentire.

Urgebant ex adverſo Albuquercium non modo Regis mandata, verumetiam conſilia Summi Pontificis, a quo benigne admonitus erat, ut ſaluti ſuæ melius conſuleret, quoniam ſtatuta in Eccleſiaſticæ immunitatis violatores anathemata incurriſſet. Hæc paterni amoris honore conjuncta ſignificatio tantam ejus animo religionem injecerat, ut cum pro munere ſuo luſtraret exercitum militares honores ſupremis ducibus haberi ſolitos recuſaret. Orabat deinde Cardinalem, ut ſibi Chriſti Vicarium relatis ad Eum pœnitentiæ ſuæ, ac ſinceræ fidei teſtimoniis propitiaret. Quibus tandem officiis adductus Pontifex Sacerdoti, cui peccata ſua confiteri Gubernator ſolitus eſſet, ejus ab anathematis vinculo abſolvendi poteſtatem fecit, conditione tamen appoſita, ut niſi ſequenti poſt Epiphaniæ celebritatem octiduo acta omnia in Eccleſiæ auctoritatem reſcidiſſet, in eaſdem pœnas recideret. Et revocaverat ipſe jampridem capitale illud edictum, ex quo omnia fere diſſidia proceſſerant. Sed cum ex terrore diuturno dubitanter adhuc, & timide in Archiepiſcopi foro ageretur, Senatus Præſidem monuit, ut, quotquot erant, ejus Curiæ Miniſtros accerſeret, eoſque, interpoſita Principis fide, omni formidine liberaret. Ita Reipublicæ tandem priſtina ſerenitas rediit, atque inter utramque poteſtatem concordia inita, contra quam ſeditioſorum hominum artes, & conſilia voluiſſent.

Eodem tempore gratum Civitati ſpectaculum præbuere, qui ob Circitorem Eccleſiaſticum equuleo prius, deinde exilio damnatum ad cauſam dicendam Romam fuerant evocati. Apoſtolicis quidem literis conceſſum erat, ut de re tota judicium Mediolani abſolveretur, idque Carolus ipſe,

minum precibus, qui me officiis ſuſtentant ſuis. Alia inſuper ſolicitum me habet cogitatio, ne ideo me Deus hoc ornaverit beneficio, quod manibus quodammodo tenerem, quia hactenus me tot donis, quæ animum affecere non ſenſum, nondum expugnavit. An itaque ſi me ipſum excutiam, quidpiam occurret, cujus cauſa criſtas eriçam?

(*a*) Triſte admodum in Scalenſes Canonicos Regis reſponſum fuit, ſcribente Pontificio in Hiſpaniis Internuncio, eam Philippi Regis mentem fuiſſe, ut Sacerdotiis, quæ in eo Templo obtinebant, penitus ſpoliarentur.

Digitized by Google

se, inimicorum rebus favere solitus impetrarat. Sed enim omnis irrita facultas erat; nisi Ecclesiæ, cujus jura palam violaverant, publico item pœnitentiæ testimonio satisfacerent. Cujus supplicii pudorem ne subire cogerentur, obstare Regis voluntatem apud Populum dictitabant. Sed relatis a Carolo ex Hispania responsis falsitatis manifesti submisere denique contumaces animos, seque in Pastoris humanissimi arbitrium tradidere. Pridie ejus diei, quo Christi Domini Natalitia celebrantur, stabat ad Templi maximi portas constratum tabulis sublime tribunal confluentium hominum multitudini undequaque conspicuum, inusitato apparatu in majestatem, terroremque compositio. Ibi Regius Fisci Procurator, & Scriba ad Archiepiscopi pedes in genua provoluti, post restituta Circitori arma, quibus exutus antea fuerat, ac testato remissam exilii pœnam, nihil se tale ausuros in posterum juravere. Hoc promisso accepto, audivere denique salutaria verba, quibus ad Sacrorum communionem recipiebantur, utque in perpetua tempora documento posteris forent, acta omnia ejus judicii in publicas tabulas sunt relata.

At longe tristius judicium accidit iis, qui ejusdem criminis conscii tardiores ad veniam petendam fuere. Præfectus capitalium rerum Senatorio Ordini nuper adscriptus (*a*), nondum tamen in Ecclesiæ gremium restitutus Cardinalem rogaverat, ut sibi Alexandriam trans Padum proficisci ad concelebrandas consanguinei sui nuptias liceret. Id præcise negatum, ne & ipse nocentior fieret, & ceteros officiorum societate contaminaret. Cumque repulsæ impatiens ire perrexisset, proxima nocte post conjugii solemnia lethali morbo correptus nuptiarum hilaritatem inexpectati funeris mœrore fœdavit. Simile quiddam alteri evenit, quem præ ceteris Carolo infensum, neque conscientiæ vis, neque piorum consilia, neque mandata Pontificis ad pœnitentiam erroris adduxerant. Cum enim repente in morbum incidisset, atque ob insolentiam doloris obsessus a Dæmone crederetur, nequidquam adhibitis Medicorum artibus, & Sacerdotum officiis, non antea suppliciorum, quam vitæ finem invenit (*b*). Notatum denique est, quotquot ejusdem delicti participes fuerant, funesto interitu omnes absumptos, quin & eorum exitii partem etiam ad posteros perveniisse.

CAPUT XXV.

Scalenses Canonicos palam, & submisso animo veniam petentes omni pœnarum vinculo splendide absolvit.

1570. INter hæc iræ cælestis exempla Scalensis Collegii Præpositus, quamquam communi flagitio leviter inquinatus, supplices literas dederat, ut si forte communes ceteris pœnas incurrisset, rite absolveretur. Id factum est ad Sancti Fidelis valvas (*c*), postquam præterita detestatus jurejurando affirmaverat se Archiepiscopo suo deinceps obsecuturum. Canonicorum reliqui impudentis Calabri asseclæ, & imitato-

(*a*) Regium quidem Diploma acceperat, quo in Conscriptorum Patrum Ordinem referebatur; sed cum anathematis vinculis illigatus esset, Foro semper & Senatu abstinuit, ut ipsemet Carolus Romam scripsit.

(*b*) Hic tamen suo periculo edoctus promptum se, atque expositum, Pontificiis mandatis ante mortem testatus fuit. Cardinalis enim Alciatus, qui eo tempore hic versabatur, Carolo alibi degenti scripsit in hæc verba: *Me convenit NN. qui fassus ingenue est se tam acerbe per hos dies agitatum conscientiæ stimulis fuisse, ut immanere sibi præsentissimum interitum jam bis certo putaverit. Dolet sibi diuturnum inflicti cruciatum, & Pontificium nutum expectans fatetur se paratum quilibet durior a licet amplecti; atque si diutius hærendum in his vinculis sit, dicit, optabilius esse Magistratu, quam vita defungi.*

(*c*) Præpositus Scalensi Collegio statim enixis precibus rogaverat, ut pœna inflicta solveretur; quod etiam statim impetravit quatriduo post repulsum a Templo Borromeum. Exponit id Carolus Ormaneto die IV. Septembris, qua nimirum absolvi eum per Castellum Vicarium jusserat: *Bernardinus Blancus Præpositus institit, ut eum pœna liberarem, causatus nullam sibi fuisse criminis societatem cum Collegis suis. Quoniam vero sinceram ejus voluntatem optime novi, ad Sancti Fidelis Templum anathemate solutum per eumdem Vicarium dimisi. Illuc evocari volui, quod adhuc iste laborantem diutius videbatur ad Metropolitani Templi limen compellere.* Extant autem in Bibliotheca Ambrosiana publicæ Tabulæ, quæ veniam illi per Castellum impertitam ad eam diem docent.

Digitized by Google

tatores omnia ſibi tuta fingentes ſummam in primis conſcientiæ ſecuritatem apud Populum oſtentabant. Damnati interdictis, atque extra Fidelium numerum publico edicto projecti ſtatis tamen temporibus tanquam puri, & innoxii divina Officia obibant, gravius quotidie peccantes, ne aliquando peccaſſe viderentur. At ubi Calabrum miſerabili interitu in itinere defeciſſe nunciatum eſt, poſtquam infenſo Pontifice, adverſante Rege, nullum erat effugium, quo ſe miſeri verterent; tum denique arma, quæ retinere ultro non poterant, abjecere. Tenebat hoc tempore Apoſtolicæ Sedis faſtigium Pius V., qui, ut memorabile exemplum in ejuſmodi hominum conatus ſtatueret, animadvertere in reos ex decreto Bonifacii VIII. Prædeceſſoris ſui decreverat. Id vero ſi fieret, reliquum erat, ut exuti Sacerdotiis, ac perpetua infamia notati, velut Chriſtianæ Reipublicæ ejectamenta ab omnibus haberentur. Nec erat veniæ locus, niſi Cardinalis privatæ injuriæ immemor, nihilque præter eorum ſalutem, atque Apoſtolici juris indemnitatem reſpiciens, iteratis precibus perviciſſet, ut ipſe non modo criminis judex, verumetiam pœnæ arbiter fieret. Hac poteſtate accepta, Scalenſes adeſſe ad Templi maximi veſtibulum jubet, utque major rei celebritas eſſet, Dominica dies ad judicium delecta. Viri paulo antea minaces, & tumidi, maximiſque Eccleſiæ dignitatibus bellum inferre auſi, nunc edito in loco, ut conſpici ab omnibus poſſent, nixi genibus, demiſſiſque in terram oculis ſuppliciter rogabant, ut ſibi quamquam immeritis anathematum vincula demerentur. Solemni ritu abſoluti ad aram maximam perducuntur (*a*), in cujus conſpectu paratos ſe fore ad Archiepiſcopi Mediolanenſis mandata promitterent, ſeque Ejus auctoritati obnoxios eſſe faterentur. Itum deinde ad Scalenſem Ædem, quæ ſacrilego auſu temerata adhuc, & inculta remanebat. Ibi Cardinalis expiato ritualibus cæremoniis cœmeterio, in quo prope petitus ad necem fuerat, Templum ingreſſus omnia palam exequitur, quæ certam ejus poſſeſſionem ſpectatoribus indicarent. Inter cetera piacula Canonicis indictum, ut natalitio Deiparæ Virginis Feſto ad confeſſionem pœnitentiæ, & obſequii coram Archiepiſcopo renovandam in Templo Maximo adeſſent, nec niſi decennio expleto immunes ab hoc onere cenſerentur.

Sed nondum Pontificis animo deceſſerat indignatio in eos, qui in illo Scalenſi tumultu armatorum globos in Archiepiſcopi caput ex vicinia conciverant. Quod niſi Carolus, expugnata Ejus ſeveritate, in eos quoque ſtatuendi arbitrium impetraſſet, prope erat, ut Canonicorum numero expuncti ex eo plane Collegio cum ignominia pellerentur, ex quo Præſulem ſuum minis, & terrore vulnerum repuliſſent (*b*). Nunc certa pecuniæ ſumma mulctati, quam, in Ambroſiani Templi faſtigium impenderent, e vinculis, in quæ paulo antea conjecti fuerant, abiere.

Supererat umbratilis ille Legulejus Barbeſta, qui ultimum luctuoſi hujus dramatis actum impleret, immo in quo Carolus ultima paternæ caritatis exempla perficeret. Ex eo fictitio tribunali, quod ſibi adverſus Archiepiſcopi tribunal erexerat

(*a*) Orationem ad ipſos habuit hoc tempore optimis ſententiis refertam. Aſſervatur pulcherrima hujus ſintaxis in Bibliotheca Ambroſiana cum plurimis aliis manu ſua exaratis. Præcipue in hac triumphat plena amoris peroratio, in qua converſus ad Scalenſes Canonicos eos affatur iis Joſeph verbis: *Ego ſum Frater veſter*.

(*b*) Quinque admodum erant ex eo Collegio Canonici, quos manu etiam, & conſiliis in Cardinalis periculum conſpiraſſe certo conſtabat. Hos Romam evocatos pœnas ibidem dare Pontifex juſſerat; ſed hoc primum precibus impetravit Carolus XXVIII. Martii MDLXX., ut hic de iis quæſtio haberetur. Itaque in cuſtodiam dati ſunt. Verum eum Pontificiæ literæ juberent *ſevere & acriter agi*: inſtitit ſecundo, ut novo diplomate *mitius agere* juberetur. Id enim præcipue optabat, ne cogeretur eos juxta Canones Sacerdotiis privare. Hoc etiam impetrato, exoravit ultimo, ut dignitatem illis omnem, atque integrum Sacerdotii munus reſtituere poſſet; quod aliquibus dumtaxat primo conceſſum, pertinere deinde etiam ad criminis Auctores ſummopere deſideravit. Unus Romam, reclamitante licet diu Borromeo, ite coactus fuit, qui tandem Ejuſdem opera e judicio evaſit pecunia imperata ſemiuſtulatus, quamvis diutius Pontifex in eo propoſito permaneret, ut gravius aliquid in illum decerneretur.

Digitized by Google

rat detrusus in carcerem (*a*), neminem adhuc invenerat, qui causam ejus defendendam susciperet. Verum, spe omni salutis amissa, eadem illa, quam fœde violaverat, auctoritate adjutus impendentem sibi bonorum omnium jacturam exilio vitavit, ex quo brevi revocatus incertum reliquit: plus ne ipse pœnarum gravitate flagitii, an Carolus laudis, & gloriæ veniæ benignitate meruisset.

CAPUT XXVI.

Intentatæ necis auctores, & administri, frustra reclamante Borromeo, ultimis suppliciis mactantur: quo tempore Ille Diœcesim lustraturus Urbe primum egreditur; mox inter Helveticos transalpinos magno cum Religionis incremento versatur.

1570. Hisce clementiæ, ac severitatis exemplis cum restituta Urbi serenitas videretur, turbavit repente Civium oculos horrendum aliud spectaculum, ex quo Posteri intelligant raro evenire, ut magna scelera diu lateant, ac divini judicii pœnas effugiant. Jampridem ab illa funestissima nocte, qua tam evidens vitæ periculum intra domesticos parietes Cardinalis adierat, nihil eorum omiserat Gubernator, per quæ deprehendi initia sceleris possent. Portæ Urbis triduo clausæ (*b*), hospitiorum omnium perveſtigata latibula, quamplures etiam capti, nec antea dimissi, quam levissima quæque culpæ inditia diluissent. Haud aliter Romæ multiplices eadem de causa cogitationes Pontificem distinebant. Acceptis a Carolo literis humanissima statim responsa reddiderat, quibus perculsum, ut Ipse rebatur, atrocitate periculi animum solaretur. Earum exemplar subjicimus.

PIUS PP. V.

„ Dilecte Fili salutem & Apostolicam
„ benedictionem. Minime nos angit
„ a pessimis hominibus, & Diaboli mem-
„ bris servos Dei exagitari; qui mos ab
„ justi Abelis per fratrem occisi tempori-
„ bus in hanc usque ætatem perduravit:
„ præcipue cum justorum felicitatem au-
„ geri, impiorum conatibus intelligamus,
„ & in hos perniciem recidere, quam Dei
„ Servis inferre moliuntur. Nos hoc po-
„ tius solicitos maxime habet, quod ii
„ etiam, de quorum moribus optima no-
„ bis semper fuerat opinio, nunc adeo
„ cæcutiant, ut lucis usura frui nolint, &
„ plane intueri, hæc violenta consilia re-
„ dundatura in suum ipsorum damnum,
„ atque illorum, quibus dum gratificari
„ putant, potius damno sunt; quare eò
„ tandem procedent amentiæ, ut emenda-
„ tionis potestas defutura sit, etiam si vo-
„ luntas non defuerit. Maximas Deo gra-
„ tias egimus, agimusque quod summe
„ observandum Virum nobis servaverit, &
„ Dæmonem e conatu dejecerit suo; sed
„ hoc significamus, ut Deo præfidas sem-
„ per,

(*a*) Die VI. Februarii anno MDLXX. ad Ornamentum Carolus scripsit, in agro Ticinensi Albuquercii Ducis opera, & auctoritate comprehensum Barbestam, & in Archiepiscopi deinde jura & vincula traditum. Cum vero Pontifex præcipue in ejus pœnas immineret, efficax Caroli Epistola mense Martio mitigavit Pii iram; quare captivus eodem Judice Borromeo usus fuit, & Patre.

(*b*) Octiduum clausis Portis mutam torpuisse silentio Civitatem scripsit Parazozerus ea vivens ætate, & singillatim cuncta, quæ agebantur in dies, diligenter adnotans. (Plura ex eo decerpsit Puricellus, quæ inter ejusdem Adversaria in Bibliotheca Ambrosiana asservantur.) Mandaverat hoc Albuquercius jam ex ea nocte, qua vis illata in Carolum fuit, atque tam accurate evigilatum subinde est, ut nulli Civium fas fuerit nisi ex Ducis facultate consignata scripto Urbe exire. Noctis ejusdem hora sexta per publicum præconem severissime edictum est, ut conjurationis indicia, si qua subolerent, a quocumque Civium aperirentur; propositumque delatori præmium bis mille nummorum, & duorum exulum libertas præter dimidiam partem bonorum partem, si certi quidpiam in hanc rem patefaceret; ut nimirum longe majore pretio Caroli securitas redimeretur, quam antea Ejus vitæ periculum emptum a Conjuratis fuerat. Propterea plures levibus indiciis eo tempore conjecti in vincula sunt; & quidam sequenti die, dum Ticinum trajicere optaret, Satellitum manus non evasit. Contra Carolus Novocomensem Sacerdotem, qui calumniam quamdam in Scalenses Canonicos commentus fuerat, mendacii convictum carcere primum, mox etiam approbante Pontifice triremi damnavit.

Digitized by Google

„ per; humanæ autem cuſtodiæ non diffi-
„ das. Dolemus ir-ime tot homines a
„ Deo, & a Nobis inferis devotos eſſe: hoc
„ licet ipſi parvi pendant, Divina tamen
„ Majeſtas, ut ſolet, ſe illis in die ultio-
„ nis offeret formidandam. Tuas interim,
„ aliorumque preces apud Deum interpo-
„ ne, ut lumen ſuum non videntibus
„ impertiat. Romæ pridie Nonas Novem-
„ bris MDLXIX. (*a*).

His tamen, atque aliis adhibitis per Ormanetum officiis Pontificis indignatio leniri non potuit, quominus ad vindicandam præclariſſimi, ac ſibi cariſſimi Cardinalis injuriam acrius inſurgeret. Antonius Scarampus Laudenſis Epiſcopus ſumma cum poteſtate deligitur (*b*), qui conjecturas omnes diligenter exquireret, atque occultiſſimæ conjurationis initia, quanto valebat ingenio, in apertum educeret. Is ubi Mediolanum venit, cum omnia tenebris involuta, & ſilentio ſepta animadverteret, quidquid pœnarum in terris ab Vicaria Divini Numinis poteſtate timeri poſſet in nefarii conſilii conſcios pronunciat, niſi ea, quæ noverant, ſtatim ad Tribunal afferrent. Verum quis credat eos religione ulla moveri potuiſſe, qui mortem Carolo afferre voluiſſent (*c*)? Hunc ſibi ludum Divina Juſtitia ſervaverat, ut per-

(*a*) Monuerat, jubente Pontifice, etiam Ormanetus, ut cautiorem ſibi cuſtodiam adhiberet, cui tamen Borromeus in hanc ſententiam reſpondit: *Corporis mei cuſtodiam, quam mihi tantopere commendas, nec neglego, nec intentius ſervo. Enim-vero nolim quoſdam mihi ipſe cancellos circumſcribere, ne libere, quod eſt mei muneris, exequar. Fortaſſe quiſpiam inani vigilantiæ nimium præſidens, ſuoque in me amori plus æquo tribuens hac Pontifici aperuit, & mihi importune præcavere comendit. Quod ad exteros attinet, quos a meo Sacello arcere jubes, durius aliquanto nec Religioni conſentaneum videtur, ut illi animarum fructu cauſa mea fraudentur. Velim autem animadvertas hyberno tempore peragi has preces ineunte nocte, ſed æſtivo omnem jam eſſe ſolutum orantium cœtum ſub veſperum. Quamquam jam abunde inſidiis proviſum videtur, Sacello nuper inter ipſa conclavia translato, quo in loco nullum videtur periculum imminere.* Poſtmodum tamen acceptis amantiſſimi Pontificis literis, in hæc verba Pio ipſi reſpondit:

Sanctiſſime, & Beatiſſime Pater.

„ PRocumbens Sanctitatis Tuæ pedes obſequentiſ-
„ ſime deoſculor, gratias etiam acturus propter
„ gratiſſimas ad me datas literas, in quibus tum
„ paterna benevolentia, cum ſingulare etiam elucet
„ Sanctitatis Tuæ officium, dolentis de morte mihi
„ ſuperioribus diebus intentata. Porro quanto me
„ gaudio utrumque affecerit ex eo S. T. conjiciat
„ velim, quod inter maximas, quibus Eccleſia mea
„ & ejus adminiſtri obnoxii ſunt, tempeſtates una
„ afflat tranquillitatis ſpes collocata in tanti Patris
„ præſidio, cujus cauſa certiſſime ſpero, non ea
„ dumtaxat, quæ objiciuntur, adverſa fortiter eſſe
„ ſuperanda; ſed Dei Opt. Max. ope dulciſſimos in-
„ ſuper fructus perceptum iri ad Sanctæ Eccleſiæ tu-
„ telam iis etiam ex difficultatibus, quibus nos
„ Dæmon implicare ſtudet, ut leviſſimum Chriſti
„ Redemptoris Crucis jugum ſervis ſuis impoſitum
„ veluti graviſſimum efficere conetur. Quod ne
„ unquam eveniat, utque iis, qui in tenebris ſe-
„ dent, Sancti Luminis uſura impertiatur, quemad-
„ modum Sanctitas T. juſſit, non ſolum vehemen-
„ ter Deum obſecro; ſed etiam plures ejus Servos
„ excitavi, ne preces hoc tempore intermittant.
„ Verum id mihi, atque aliis videtur magis enixis
„ ſtudiis a Deo poſtulandum, ut S. T. potiſſimum
„ ſervet incolumem, cum tanto Pontificæ ſoſpite,
„ Orthodoxa Religio Sacræ felicitatis beneficio frua-
„ tur; quod eximia Sanctitatis Tuæ pietas, & con-
„ ſtantia jubent ſperare. Votis utinam meis Deus
„ propitius annuat! interim denuo Sanctiſſimis pe-
„ dibus oſculum infigo. Mediolani VIII. Calendas
„ Decembris MDLXIX.

(*b*) Audiatur de hac quæſtione inſtituenda ſcribens Specianus pridie Idus Novembris MDLXIX., ut, quæ fuerit de illa Caroli mens, perſpicuum fiat: *Scio Pontificium conſilium de hoc Quæſitore Mediolanum legando tibi permoleſtum fore. Superos teſtor: nec mihi, nec Bonhomio unquam iſthac mens fuit, & nulla ne imprudentibus quidem elapſa eſt vox; imo rogati ſæpe obſtitimus, ne ullam patientiæ tuæ injuriam imponeremus.* Adeo moleſtior futura erat Carolo præſidii ſuſpicio, quam periculi.

(*c*) Mirum dictu eſt, hoſtes ſuos in tanta concitata tempeſtate nulli magis fidere voluiſſe quam Borromeo. Equidem rem totam Carolus narrat Ormaneto, atque exponit, paucos poſt dies a morte intentata conventum ſe a geminis Humiliatorum Præpoſitis, Bartholomeo ſcilicet Naſſino, & Clemente Miriſio, qui ſceleris reum ſtatim indicarunt, obligata tamen pro ſilentio Caroli fide. Aliquod etiam protulere in ſe ipſos indicium, quod tamen per ambages callide implicarunt. Obſtrictus itaque data fide Antiſtes hortatus eſt amice, ut ambo aperta confeſſione ſibi conſulerent. Quod cum recuſarent conſtanter, rogavit ſubinde, ut ſe ipſum Sacramento abſolverent. Hoc non admodum difficulter impetrato, ad Scarampum, & Fabium Menechinum tota delata res eſt. Quare ſubjecti quæſtioni cum fallacibus reſponſis in ſe ipſos pugnarent, jure in eos actum a quæſitoribus eſt, unde occulta omnia deinde prodidere. Id ubi reſcivit Carolus, illis metuens datis ocyus ad Ormanetum literis pro iis rogare anxie inſtitit in hæc verba: *Si forte accidat, ut quæſtione habita, in eos factis aliqua culpæ recidat, hoc impero, Pontificem meo ut numine enixe roges, ne quid in*

eos

Digitized by Google

perditi homines, & sacrilege callidi, nonnisi artibus suis caperentur, atque in laqueum, quem tetenderant, sola sceleris immanitate cogente, caput insererent. Duo Humiliatorum Præpositi, quorum unus ex conjuratorum numero fuerat, alter consilia tantum conjurationis agnoverat, cum ad Scarampum veniissent, nonnulla quidem ad rem pertinentia detulere, ceterum diversa ab iis, quæ ad Cardinalem paulo antea detulerant. Rite interrogati absurde, dubitanter, ambigue respondebant, prout ferme illorum sermo esse solet, qui adversa conscientiæ verba confingunt. Cum deinde sese non gravissimis modo argumentis, verumetiam vinculis constrictos viderent, tum demum, spe omni salutis amissa, seriem simul omnem conjurationis, & Socios prodidere. Capti omnes, & palam exaugurati Regiis Magistratibus traduntur, ut constitutas a legibus pœnas luant. Caravagiensis, ac Vercellensis Cœnobii Præpositis ob nobilitatem generis datum, ut securi percuterentur: alii laqueo damnati, quos inter Farina, ut impietate facinoris, ita pœnitentiæ exemplo ceteris antecessit. Ex Urbe nostra celeri fuga elapsus, hactenus militari habitu inter præsidiarios Clavasii in Taurinis latuerat. Nunc ad supplicium deditus (*a*), cum ex Ecclesiæ instituto sacra indumenta diripi sibi ex humeris videret, aperte professus est, indignum se utique semper fuisse, qui tam honestis insignibus ornatus incederet. Cumque jam circumducto gutturi fune prope e furca dejiceretur, effusam ad spectaculum multitudinem extremis vocibus rogavit, ut sibi a Deo sacrilegi consilii veniam precaretur, quo Sanctissimo Cardinali vitam eripere voluisset.

Haud temere dicturum me arbitror magnam partem suppliciorum, quibus miseri afficiebantur, in Caroli animum recidisse. Testatus jam pridem, nihil se velle in hac causa nomine suo agi, nihil Ipse non egerat, ut imminentem reorum capiti cladem averteret. Nunc dolore confectus, quod vim tempestatis nulla vi infringere potuisset; laborabat tamen, ut funestissimi naufragii reliquias colligeret. Erat in conjuratorum numero unus, qui cum levius, quam ceteri, peccasse videretur, triremibus addictus vitam agebat sociorum morte fortasse duriorem (*b*). Hunc ut tam mi-

eos acerbius statuat, præcipue cum pars innocentiæ sit crimen suum prodere, & facti eum pœnitere videatur, qui ultro aperiat. Hoc autem potissimum pro Nassino officia valeant, qui primum protulit conjurationis indicium, & Clementem impulit, ut sincere omnia exponeret. Mihi autem hoc etiam tribue, qui eos quodammodo in tot Laqueos induxi; neque enim alio Auctore in hanc mentem veniissent. Tantam Ejus verba pietatem sapiunt, ut se potius, quam hostes accuset. Et sane ipsorum criminis atrocitatem extenuare verbis conatus fuerat, cum nondum cognita conspiratione, scriberet eidem Ormaneto: *An tibi mirum videtur miserum hominem Dæmonis illaqueatum insidiis conficta aliqua injuriæ acceptæ causa fortasse commotum hoc in me ausum fuisse tempore opportuno, & loco maxime apposito, cum persacile videretur peracto scelere omnium oculos posse subterfugere, imo nullo impediente tutum perfugium nancisci? Adde non sibi duntaxat aliquam impunitatis spem fuisse, sed gratia etiam apud plurimos inermibus. Contra Scelestos meridiana in luce, Pastore ac Patri armati occurrerunt suo &c.* Belle deinde utrumque factum comparare persequitur illud imminuens, hoc explanans, cum primum ad se ipsum spectaret, alterum ad suum dignitatem pertineret.

(*a*) Hoc suæ in Carolum benevolentiæ esse putavit Philibertus Sabaudiæ Dux, ut vinculis constrictum Donatum Mediolanum mitteret, licet Illius pietati summam videretur injuriam facere. Extant Philiberti literæ ad diem XXVIII. Aprilis laudantis susceptam a Borromeo hostis servandi curam; sed simul deprecantis a se inobedientiæ crimen, quandoquidem tum primum Carolo obtemperare scelus videretur.

(*b*) Criminis hujus suspicio ad septem Humiliatos Fratres pertinuisse videtur ex Scarampi Epistola ad Cardinalem Cribellum data III. Cal. Augusti, in qua testatur Secularium Judicum potestati subjectos quatuor ab Historico relatos, ex quibus Vercellensis Præpositus carceris custodem, centum nummorum summa exhibita, studuerat corrumpere. Hi deinde in Area præjacente Basilicæ Sancti Stephani in Brolio extremum subiere supplicium, ad quod dum Donatus duceretur, amputata illi dextera manus est ad ipsum Archiepiscopalium Ædium limen. In quo quidem supplicio sceleris sui magnitudinem publice confessus est. Rogatus enim a carnifice, ut manum impiam mox abscindendam proferret, ad eum conversus *Perdi*, inquit, *scelerosam manum, qua uno ictu ferme Mediolanum universum perdidit.* Reliqui supplicio ultimo exempti sunt, cum aliquatenus consilii participes fuissent, Nassinus scilicet, Bianchianus, & Tonsius. Primus ille patefecerat aliquot conjurationis exordia, ex quibus deinde ad caput ipsum, & cubile sceleris perventum est. Mox examini subjectus suomet laboravit indicio; nam totius rei conscius compertus est, & aliorum auda-

miſeræ ſervituti eriperet, quidquid Romæ auctoritatis habebat, adhibuit futurum exiſtimans, ut magnitudine beneficii captus vitia ſimul, & compedes, quibus attinebatur, exueret. Et quamquam Pontifex diſerte affirmaverat inveteratam in vitiis mentem, perinde ac æthiopis pellem, nuſquam poſſe mutari; aſſiduis tamen precibus fatigatus ita ſententiam temperavit, ut reus e tranſtris revocatus ad præſtitutum temporis ſpatium cœnobio aliquo includeretur, in quo flagitii ſui labem abſtergeret. Ex eodem numero alter priuſquam carnifici traderetur, miſerat ad Cardinalem, ut neptem ſuam, quæ omni ſubſidio deſtituta relinquebatur, ejus miſericordiæ commendaret. Reſpondit utique Carolus, quamdiu ipſe valeret, nihil ad vitam honeſte ſuſtentandam puellæ defuturum, lætus, quod infeliciſſimi hominis caſum beneficio aliquo lenire potuiſſet.

Verum alia oblectamenta ad depellendum mœrorem Ipſe ſibi paraverat, alia videlicet itinera, alios pro Reipublicæ ſalute labores (*a*), quæ ſemper præcipua Ejus ſolatia fuere. Infixas memoriæ habebat Helveticas Valles, quas triennio ante vix ab lethifera tot vitiorum tabe convaleſcentes reliquerat. Itaque ſanatam tot laboribus extremam illam Provinciæ partem novis remediis confirmare ſtatuerat, ne ſicut recentia a gravibus morbis corpora, curatione interniſſa, in priſtinas infirmitates recideret. Modico comitatu longum, ac difficile iter emenſus, cum ad loca ſalebris, & montibus aſpera perveniſſet, nulla tamen difficultate deterritus eſt, quominus ignobiliores vicos, & abdita quæque inviſeret, ac coram experiretur, quantum præteritæ viſitationis ſolicitudine profeciſſet. Ita refectis incolarum animis, ac magna pecuniæ vi in pauperes effuſa, cum illico rediturus ad Urbem crederetur, difficilius aliud trans Alpium juga iter inſtituit, ſpecie quidem viſitandæ ſororis, quæ Comiti Altempſio nupta erat, revera, ut multa ad religionis incrementum deſtinata perficeret. Adiit in primis ſingulas Helvetiorum Urbes, quæ Catholicam Fidem adhuc retinebant, ut conciliatis potentiorum animis, cetera, propter quæ venerat, facilius exequeretur. Tum reformare populi mores aggreſſus, quantum in aliena terra poterat, multos dexteritate, plures etiam vitæ exemplo ad meliora conſilia perduxit. Cœnobitarum præcipue vitia diſplicebant, nec dubium erat ab eorum flagitiis magna ex parte Reipublicæ perniciem exoriri. Vino, & comeſſationibus dediti, & cum externis quoque hominibus convivia miſcentes, fœminarum miniſteriis etiam in cellarum receſſu utebantur. Nunc graviter, ac benigne

audaciam ſilentio ſuo confirmaſſe, imo peracto ſcelere, cum tubum inflammandum ſuaſiſſet Donato, ipſius etiam fugam opera ſua adjuvare contenderat. Quare a Judicibus lata in eum ſententia fuit, ut quinquennio tranſtris hæreret. Diſtulit rem Carolus Pontificium ſuper hoc mandatum expectans, ſimulque inſtitit Speciano, ut precibus ſuis Pium ad mitiorem ſententiam permoveret. Triſte tamen reſponſum fuit; ſed nondum deſpondens animum & moras ſubinde ſerens, tandem Pontificis juſſu cum ad triremem ablegaſſet menſe Novembri, demum Decembri literas obtinuit, quibus ſupplicio exemptus declarabatur. Geſtiit gaudio Præſul amantiſſimus, & ocyus revocatum juſſit officiorum ſuorum uti beneficio. Bianciano deinde leviter reo, ſemeſtri ſpatio Sacris interdictum eſt, quo tempore etiam in Cremonenſe Sancti Abundii Monaſterium abditum ex Judicis ſententia ſe tenuit. De Tonſio nihil a Judice pronunciatum, quod febri & cordis palpitatione laborans decumberet. Deinde cum in Caroli arbitrium rejectum eſſet, ut Monaſterium designaret, in quod conderetur, Carolus judicium omne conſtanter recuſavit, atque interim contubernalem Sancti Barnabæ Patribus dedit, donec ſuam Pontifex mentem aperiret.

(*a*) Alia hoc anno Caroli oblectamenta fuere. In Supremo Pœnitentiæ Tribunali Collegium quoddam Patrum Societatis Jeſu Romæ excitavit menſe Majo, quos ære ſuo alendos ſuſcepit, & aptis Ædium commodis ornavit. Hic ſumptus octingentorum nummorum ſummam annuam explebat, teſte Franciſco Borgia tum Societatis illius univerſæ Præſide, cujus extat epiſtola quadringentos inſuper nummos rogantis. Martio item menſe Alerienſem Epiſcopum inauguraverat ſumma cum animi voluptate, Varienſem & Brippienſem Sacrorum Præfecturam ſtuduerat reditibus augere, & Mantuam Societatis Jeſu Patres inducere. Juſſus etiam a Pontifice pro Ghiſlerii Ticinenſis Lycæi adminiſtratione laboravit: demum Abbiatum-Craſſum & conterminas regiones luſtrans, Monialium præcipue ſanctitati conſuluit, ſed maxime Canturii dignitati, quo per Cardinalem Alciatum illud Canonicorum Collegium, quod prius Galliani erat, transferre cœpit, licet translatio rite peracta ſolum anno inſequente legatur.

Digitized by Google

nigne a Carolo increpiti totos ſeſe in Ejus arbitrium tradidere ſive Magiſtratuum conſenſu deterriti ; ſive fama virtutum, quæ jam dudum Cardinalis adventum anteceſſerat, hæſitantes continuit, ne reluctari tanti viri præceptis auderent.

In Subſylvania cum eſſet, ea, qua erat erga Sanctorum reliquias pietate, Beati Nicolai cineres (*a*) coluit, atque ad ejus aram Sacrificio peracto, incolarum multos id enixe cupientes cæleſti dape refecit. Paucos deinde dies apud Sororem commoratus ad Einſidelenſe Templum retro iter flexit, quò Illum Deiparæ Imago miraculis inclyta invitabat. Honores quacumque iret inuſitatos, ac pene incredibiles Illi habitos ferunt, qui peregrinationis ejus comites fuere. Nunciato Ejus adventu, ſummi, infimique in occurſum properabant, ac feliciſſimi omnium credebantur, qui veſtem Ejus contingere, aut ſacrum aliquod munuſculum ex Ejus manu accipere potuiſſent. Conſtat ab Hæreticis ipſis Romanarum ſcilicet dignitatum infenſiſſimis hoſtibus legatos alicubi deſtinatos, qui Eum publico nomine ſalutarent, quin etiam lautiora miſſa, cupedias videlicet, & vini amphoras, quo munerum genere Helvetii nonniſi magnos Principes colunt, rati pretioſiſſimum apud omnes eſſe debere, quod ipſi cariſſimum habeant. Capti innocentia vitæ, majeſtate ſermonis, & magnitudine rerum, quas ab aliis audierant, hunc vere Sanctum, hunc vere dignum ajebant, cui fides ab omnibus haberetur. Adeo natura ipſa conſtituit, ut magnæ virtutes reverentiam etiam apud hoſtes inveniant (*b*).

CA-

(*a*) Hujus Sancti Eremicolæ meminit Ferrarius in ſuo Catalogo Sanctorum Italiæ, & licet nihil de ejus rebus geſtis exponat, tamen illius vitam typis impreſſam ſe apud Cardinalem Bellarminum legiſſe affirmat.

(*b*) De itinere ſuo in Helvetios narrationem habet Borromeus ad Cardinalem Altempſium ſcribens die X. Septembris hoc anno: *Plura mihi de confecto itinere dicenda ſuppetunt ; hæc tamen brevius exponam. Ingens me voluptate perfudit Einſidelenſe Templum trans Alpes biduui iter diſtans : Hoc certum habe, nihil mihi religionis ſenſum majorem indidiſſe unquam, ſi Lauretanam Ædem excipias. Oneravere me ibidem, atque alibi ingentibus Lypſanorum donis illi Incolæ, & ſumma jucunditati fuit intueri, quanto in pretio Sanctorum oſſa illic habeantur, cum pretioſa ubique theca occurrerint, longe majore, quam apud Italos, opulentia. Quinque illas Catholicorum Provincias egregie in Orthodoxam Fidem animatas comperi, quo quidem Religionis ardore maxime vellem ceteros Principes inflammare ; meliora ſiquidem nos ſperare juberent. Hanc pietatem cumulat optimus de Fide dogmatis ſenſus. Utinam de pœnis defunctorum, Feſtorum dierum celebritate, Templorum ornatu, Concionum uſu, Myſteriorum cultu idem Itali noſtri ſentirent ! Hoc tamen diſſimulare non poſſum tot virtutes ingentibus quoque vitiis aquari &c.* Paulo inferius vero de ſe loquens : *Plura qua pro Archiepiſcopi Mediolanenſis jure ſancita fuerant in eorum Ciſalpina dioſcſi, confirmavi, & in poſterum tempus, ne convellantur, perfeci. Ad Sororem Hortenſiam diverti, atque eidem mœrore confecta propter filii recens nati interitum, conſolationem adhibui ; neque enim detrimenti loco haberi poterat filii obitus, quem inter cœlorum incolas adnumerandum Deo reddiderat &c.* Habuit in hoc itinere comitem Joannem Franciſcum Bonhomium ſibi cumprimis dilectum, & Fornerium domeſticum ſuum, qui hæc etiam in tabulis juratis affirmavit. *Cum Lucernam pervenuſſet, diverſit in ædes Fratrum Sancti Franciſci, ubi etiam hoſpitio exceptus eſt. Videns autem apud eos diſciplinam excidiſſe, cum caupona in eo monaſterio aperta eſſet, & mulieres deſignata, quæ hoſpitibus inſervirent, poſtridie ſummo mane poſt Sacrum, Concilio Fratrum indicto, ſtatim curavit, ut ſanctiores illis leges conſtituerent. Cum illi ſe Cardinalis imperiis tamquam amantiſſimi Patris promptos, eaque expoſitos offerrent, ſtatim mulieres omnes inde juſſit faceſſere, & tabernam occludi. Inde ad Sancti Galli Monachos itum eſt, qui Eum perhonorifice exceperunt, ipſique pariter ſalubriores ab Eo leges accepere. Neque aliter actum in alio Monaſterio ſeeus Conſtantiæ lacum, in quo plura item ſalutaria ſanxit. Dum Altempſio rediret ad Einſidelenſe templum deflexit, ibique, dum oraret, manantibus ubertim lacrymis reſperſum vidi. Eo in itinere multa cum Helvetiis tranſegit, a quibus impetravit, ne eis Alpes figere domicilium hæretici poſſent, quo ego deinde in hanc ipſam rem legatus ſum donis etiam onuſtus ; nam ea legationes Carolo multis aureorum millibus ſtetere. Tranſmiſſis alpibus cum Magadinum cum XII. comitibus via devenimus, duobus tantum ſtratis lectulis, Ille tabula inuixus ſomnum cepit, piſceſque aliquot ad cœnam oblatos repudiavit, qui deinde cœnantibus infimis ſervis appoſiti, cum ceteros, jejunante Carolo, veſci puderet.* Et quandoquidem hujus itineris injecta mentio eſt, placet illud etiam addere, quod legi apud Jacobum Stoffium agentem de Sanctuario Deiparæ in Rupe prope Locarnum oppidum ad Verbanum lacum : nimirum in Helvetios properantem Carolum die quadam, IV. ſcil. Auguſti ad illud templum divertiſſe, cumque a Franciſcanis Fratribus ibi hoſpitio fuiſſet exceptus, tantam ſuæ ſanctitatis opinionem in iis excitaſſe, ut cubiculum, in quo Ipſe ſomnum ea nocte cepit, tamquam ſacrum exinde venerati ſint, & nullius inſervire commodis in poſterum permiſerint. Jam triennio ante ad eam Deiparæ ædem diverterat idem Borromeus, cum Lepontios luſtrare aggrederetur ; notatumque eo tempore Illius veluti vaticinantis dictum fuerat, cum regrediens a templo converſus ad circumſtantes dixerat : *Fluent ad hanc ædem omnes gentes* ; quod revera factum eſt, nam celebris ex eo tempore fama ejus Templi etiam apud remotas gentes fuit.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Intercedente licet Carolo, Pius Pontifex Humiliatos ex Religiosorum Ordinum numero expungit.

MEdiolanum reversus certis nunciis intelligit de extinguendo Humiliatorum Ordine consilia Romæ agitari. Cœperat equidem Pontifex de illius Ordinis hominibus ex eo tempore male sentire, quo coërciti legibus, atque ad vetera instituta redacti conflictis tamen argumentis, interpositis Principum amicitiis, iniquis etiam artibus imposita sibi præcepta exeutere conabantur. Nec sane apparebat illorum hominum ingenia posse sanari, quibus adeo remedia displicerent. Nihil itaque reliquum esse existimabat, nisi ut inimicam omnis disciplinæ societatem, veluti desperatæ fœcunditatis arborem, radicitus evelleret. Sed jam extrema meditantem precibus suis Carolus retinebat meliora semper expectans (*a*), & ipsi fortasse Humiliati, cum e longinquo micantia fulminis indicia viderent, spem de se factam pietatis simulatione fovebant. At ubi, tentata Archiepiscopi cæde, latens in animo virus prodidere, retineri ultro Pius non potuit, quin de Ordinis universi excidio decerneret. Quod ubi Mediolani est auditum, versa illico in Carolum (*b*) non Humiliatorum modo, verumetiam totius Urbis studia fuere: id quod in omni fere calamitate commune perfugium erat. Ejus consilio statutum, ut supremus Ordinis Antistes supplices literas Civitatis, & Archiepiscopi nomine scriptas Romam afferret, ibique obsequia omnia in futurum pollicitus præteritæ contumaciæ veniam precibus, lacrymis, auctoritate amicorum elicere conaretur. Verum his denique officiis nihil actum est, nisi ut Cardinalis benignitas, & Mediolanensium pietas clarius eluceret. Anno septuagesimo supra millesimum quingentesimum Pius V. Pontifex Maximus Humiliatos sacrorum Ordinum numero expunctos declarat, rationibus palam expositis, quæ sanctitatem consilii sui bonis omnibus comprobarent. Centum fere Cœnobia hoc edicto claudebantur, quorum Præpositi, flagitiosis sumptibus, & vitæ luxuria fratrum suorum numerum in eam paucitatem redegerant, ut ne bini quidem in singula monasteria describi possent. Ex Cœnobiorum opibus, quæ ampliſſimæ erant, pensiones deductæ, quibus dimissi alerentur (*c*), cetera Pontifici reservata ut in pios usus, & Christianæ Reipublicæ subsidia transirent.

Nec diu cunctatus est Carolus, quin Ecclesiæ suæ juvandæ inde occasionem arriperet. Misso statim Cæsare Speciano Pontificem rogabat, ut redituum partem, qui possessoribus vacui remanebant, ad Populi sui utilitatem sibi concederet: nec Pontifex recusavit, certus nimirum Ecclesiæ opes nullibi melius, quam in Caroli arbitrio collocari. Primarium Urbis Templum, Braydense Gymnasium, Nobilium, & Helvetiorum Collegia, Seminaria Clerico-

(*a*) Tum maxime in deposita ante sententia se Carolus confirmavit, ut Collegas Humiliatis Fratribus Sancti Barnabæ Patres induceret, quo sanctior istorum disciplina perdita apud illos omnia restitueret, ut ex literis ad Ormanetum datis apparet. Tantum nimirum horum virtuti & religioni, & amori erga Humiliatos suo deferebat.

(*b*) Erat tum in Uraniensi Oppido Carolus; nam inde Aloysio a Basilica-Petri Supremo Ordinis Præsidi commendatitias literas ad Pontificem dedit XI. Calendas Septembris MDLXX., in quibus Aloysii merita, sociorumque, suum item Protectoris munus luculenter exponit, negatque, se salvo, de antiquando eo Ordine agendum, cum provideri æque possit pro emendando.

(*c*) Dimissos hìc fortasse Auctor intelligit eos ex Humiliatis Fratres, qui in alia coacti Collegia fuere; neque enim lego illos dimissos, nisi ad annum MDLXXX. Calendis Augusti, quibus Diploma a Pontifice Gregorio impetravit, per quod liceret Ordinis sui vestes ab Humiliatis deponi, & Presbyterorum, quos Seculares vocant, exteriorem cultum habere. Plures quidem ex hac Urbe amotos, atque aliis extra Diœcesim Monasteriis attributos comperio: aliqui hìc retenti sunt suis censibus, quoad viverent, alendi. Revera in Ædibus Sancti Spiritus aliquot adhuc degebant anno MDLXXIX. etiam; cum Helveticos Alumnos illuc invehere meditaretur; quare gemini illorum ad Vicum-Boldonum translati sunt, ut ad Fontanam Carolus scripsit, dum Romæ versaretur. Aloysium vero Ordinis ejusdem Præpositum Generalem tanti fecit propter singularem morum probitatem, ut datis ad Camilliam literis scripserit, *placere sibi, ut Romæ insigni Sanctæ Agathæ Præfectura ornaretur*; qua deinde etiam illum condecoratum ex Camiliæ responso intelligo.

Digitized by Google

corum, S. Sophiæ Aſceterium, aut incrementa, aut initia ex iis opibus accepere (*a*), pene ut illa Humiliatorum calamitate nihil felicius Civitati accidiſſe videretur.

CAPUT XXVIII.

Laborantem annonæ caritate Mediolanenſem Populum ſublevat. Alia item ad populi corrigendos mores conſtituit.

1570. EOdem anno tanta annonæ caritas fuit, quantam ſe antea ſenes nunquam vidiſſe affirmabant. Agreſtium vicorum, & montium incolæ macie pene confecti in Urbem confluxerant, atque ad Templorum, domorumque veſtibula effuſi labentis vitæ ſubſidium aliquod mœſto ejulatu extorquere a Civibus conabantur. Sed in Urbem quoque penetraverat fames, nec pauci erant, qui ob extremam frugum inopiam crebra jejunia, & inanes menſas, quamvis præſente pecunia, deflerent. Itaque certum erat multos non ex infima modo plebe, verumetiam ex honeſtis familiis perituros, niſi Carolus artibus omnibus, quas invenire caritas ſolet, eorum neceſſitatibus ſubveniſſet. Cautum in primis, ne Collegia Virginum, & publica pauperum domicilia ultra vires humanorum corporum eſurirent. Tum ſtatis horis cocta grandibus ahenis cibaria efferebantur, ex quibus diſtributa circum Palatii porticus in ordinem multitudo tantum acciperet, quantum quotidianæ vitæ ſufficeret (*b*). Aliquot menſes ea calamitas tenuit, quo temporis ſpatio tria hominum millia in ſingulos dies Cardinalis ſumptu alebantur. Quotidianis hiſce ſumptibus cum redactus Ipſe ad inopiam, quin & multo ære alieno gravatus eſſet; exhortationibus, conſiliiſque pauperum cauſam agere inſtituit. Ditiſſimos itaque Civium rogabat, ut in tanta Patriæ calamitate dignos Chriſtiano nomine animos ſumerent; nec difficile erat gravitate verborum apud eos proficere, quos

antea

(*a*) Fructum hunc ab Ordinis illius excidio perceptum a Carolo in diverſa tempora rejicias velim. Neque enim is erat Borromeus, ut Specianus ſcripſit, qui vellet Humiliatorum ſpoliis onuſtus veluti triumphare, cum iis ſervandis maxime ſtuderet. Vacuas illorum Ædes aliquot antea inierat: ſic anno hujus Seculi LXIV. delatum ſibi jus fuerat Seminarii ad ſanctum Joannem Baptiſtam erigendi in eorum Monaſterio: Sexageſimonono ad menſem Septembrem Sancti Barnabæ Patribus Cremonenſem Sancti Jacobi Præpoſituram addixerat; anno autem inſequente Sanctæ Mariæ ad Sanctum Calimerium ædificia Theatinorum Societati, ſed prædia Metropolitano Collegio attribuerat. Hæc omnia ab Humiliatis Fratribus in alios translata ante eorum ultimam cladem fuere. Eo deinde everſo Ordine, Seminario Mediolanenſi Canonicæ Ædes & hortos: Collegio Nobilium extruendo Ædes Sancti Joannis Evangeliſtæ: Modoëtienſem Corobioli Præfecturam item Sancti Barnabæ Patribus: Sanctæ Catharinæ ad Pallantiam prope Verbanum lacum Leuci Præpoſito: Canobienſem Sancti Laurentii Præpoſito Varifienſi: Locarnenſem, & Luganenſem Societatis Jeſu Collegio Locarni erigendo impetravit. Hi tamen Patres ſibi ea delatas repudiarunt, cum illarum annui reditus viginti alendis Patribus juxta eorum leges non ſufficerent. Braydenſes Ædes obtinere conatus eſt a Cardinali Ab Eccleſia, cum tunc evocare illuc Sancti Philippi Nerii Socios moliretur; quare precibus ſuis per Specianum eos ſolicitavit die IX. Maji MDLXXI., ut huc commigrare non gravarentur: quod conſilium neſcio quis caſus intercepit. Aliud pro Camaldulenſibus Monachis optavit Humiliatorum Sacerdotium, ut ad Specianum IX. Octobris ſcripſit; ſed fruſtra. Demum aliquot cenſus poteſtati ſuæ a Pontifice permiſſi ſunt, quibus Fœminarum ejus Ordinis Monaſteria, quæ ab eo Humiliatorum naufragio fuere immunia, ſublevarentur. Reliqua ejus Ordinis bona Romanis Præſulibus, & Cardinalibus præcipue commendata fuiſſe conſtat; ſed, defuncto Pio Pontifice, eorum liberalitatem excitavit, permovitque præcipue Cardinalem Ab-Eccleſia, ut Braydenſes Ædes concederet Societatis Jeſu Patribus, futuras ſcientiarum emporium; cum plurimum a prona Gregorii XIII. in eos Patres voluntate ſperaret, quæ, ſedente Pio, deſperabat. Inſuper Seminario ſuo annuam octoginta ſupra octingentos nummorum penſionem, Præpoſituram Ottaciorum, & alia jam alibi expoſita retulit: item Sancti Simonis Templum Congregationis Oratorii Patribus, Theatinis vero Cremonenſe S. Abundii Sacerdotium obtinuit. Ultimo Mirafolis opulenta prædia pro Helvetiorum Collegio a Cardinali Altempſio exoravit.

(*b*) Quidquid in Urbe erat annonæ, Caroli liberalitas jam conſumpſerat vere ineunte; quare officiis ſuis apud Ticinenſem Prætorem menſe Majo egit, ut tranſvehi huc ſexaginta oryzæ modios ſineret; ducentos autem tritici a Parmenſi Duce per Se ipſum coëmendos impetravit, atque in hanc rem Ejuſdem extant Epiſtolæ. Ceterum Ambroſius Parazozerus ſcriptum reliquit, quo tempore fames hanc Urbem vexavit *nullum aliud miſeris perfugium patuiſſe, niſi apud Borromeum, & Albuquerquium*. Hoc anno item lego ædificatum ſtrenue Seminarienſe cœnaculum; atque Philoſophorum cubiculum a Borromeo, ut ſublevandæ inopiæ fabrorum ſimul, & otio depellendo conſuleret.

Digitized by Google

antea insuperabili exemplorum eloquentia commoverat. Magna undique nummorum subsidia occulte ad Ipsum afferebantur, ne proditis quidem donatorum nominibus, ne, ut sæpe fit, omnis beneficentiæ fructus inanis gloriæ cupiditate exaresceret. Albuquercius etiam Provinciæ Gubernator ærarii sui præfecto mandaverat, ut nulla habita multitudinis ratione, stipem semper aliquam cuilibet petenti impertiret. Quibus auxiliis cum satis Urbi consultum videretur, adeunda sibi agrestia quoque loca benignissimus Pastor existimavit, ut rusticorum hominum egestati succurreret, quos non modo præsentis inopiæ dolor, verumetiam futuræ metus angebat. Horrida hyems tantum nivis in agros effuderat, ut justam hominum staturam excederet. Itaque vehemens formido omnes incesserat, ne aut frigoris acerbitas frugum semina exureret, aut vere appetente superfusa suis limitibus flumina post villarum excidium, quidquid reliqui in agris erat alluvione detergerent. Credidere Mediolanenses Archiepiscopi sui precibus datum, ut nihil eorum, quæ timebantur, in tanto publicæ salutis discrimine eveniret (*a*). Nam & lento calore solutæ nives in fluminum alveos innoxiis incrementis per intervalla fluxere, & tanta agrorum fertilitas fuit, ut præteritæ messis inopiam abunde compensaret.

Per eadem tempora Summi Pontificis literæ sunt allatæ, quæ ad implorandam in summo periculo Divinæ Clementiæ opem universos Christiani nominis Populos excitabant. Perpetuus hostis Turca, indicto Venetis bello, ingentes equitum, peditumque copias pari navium multitudine in Insula Cypro coëgerat, nec dubium videbatur tantæ molis classem ad Italiæ totius excidium destinari. Opportuna occasio Cardinali visa, ut ab exitiosis bacchanalium voluptatibus, quæ forte per eos dies celebrabantur, injecto imminentium malorum metu civium animos avocaret. Choreæ vetitæ, indicta jejunia, repetitæ ad tutelarium Numinum Templa supplicationes, nec antea cessatum, quam, inito inter Christianos Principes fœdere, ac disjecta hostium classe pristina reipublicæ securitas rediisset (*b*).

CAPUT XXIX.

Obnoxiam Hæreticorum perfidiæ Religionem in Cisalpinis Helvetiæ finibus periculo liberat. Incommoda deinde usus valetudine, nihil tamen de Pastorali cura remittit.

1571. LIber hinc ab Turcici belli formidine Carolus, bellum ipse aliud Calvinianæ Hæresi absque armorum strepitu indixit. Pestilentibus doctrinis imbuti homines assumpto Magistri nomine in citeriora Helvetiæ loca irrepserant, ut per speciem erudiendæ Juventutis nova partium auxilia, novos in discipulis suis errorum Magistros pararent. Quin etiam in agrum Mediolanensem excurrere ausi, pravas serere opiniones, ac lethiferæ sectæ proferre con-

(*a*) Idem Parazoterus synchronus Auctor in MSS. suis testatum fecit *XXIV. Novembris die tantam tectis nivium copiam incidisse, ut plures præ mole enormi fatiscentes domus subito lapsu conciderint*; conqueritur postmodum *numinem Civibus porrexisse auxiliatricem manum, nisi Deus primo pietate sua, deinde Carolus publicis precibus imperatis avertisset impendens malum*; *nam brevi flante Noto tabidæ nix effluxit*.

(*b*) Innuit hic Auctor celeberrimam Victoriam, quam anno MDLXXI. Joannes Austriacus Supremus Christianæ Classis Dux inito ad Echinadas Insulas prælio ex Turcis reportavit, cujus commemoratio ex Pii V. mandato ad Octobris primum Dominicum diem quotannis recurrit. Licet vero impetratam hanc victoriam Scriptorum sensus Sanctissimi Pontificis precibus acceptam referat, non indignum putaverim Borromeum, qui in tantæ laudis communionem veniat. Etenim Ille datis ad urbanum, agrestemque populum literis adeo religionem omnium inflammavit, ut volentes spectaculis ac ludis bacchanalium tempore abstinuerint. Supplicationes & jejunia indixit, orationis sine intermissione usum invexit; tantusque consecutus est animorum motus, ut Dominicam in Capite Quadragesimæ, ita ex Ambrosiano Ritu appellatam, & tum nondum jejunii legibus comprehensam, strepitu & ludis vacuam omnino Cives celebraverint: ipse autem Antistes in Templo Maximo integram eam diem perstans Sanctissimo Christi Corpore tot hominum millia refecerit, ut summo mane inchoata Synaxis ad vesperum usque continenti agmine produceretur.

Digitized by Google

confinia conabantur. Accedebat aliud malum, recepta videlicet apud earumdem Vallium incolas consuetudo, ut liberos suos ad ulteriora Hæreticorum Oppida mitterent, quo facilius mercaturæ artes, & Germanici idiomatis elementa perdiscerent. Hinc evidens periculum erat, ne instabiles puerorum animi hospitum fallaciis caperentur, atque in Patriam reversi eâdem, quam ipsi contraxerant, lue contribules suos inficerent. Atque his plane cogitationibus Cardinalis animus agebatur, cum priore anno, quemadmodum dictum est, primaria Alpium Oppida circumiret. Mens erat benignitate officiorum Magistratuum gratiam aucupari, ac decreta inde referre, quibus insidiantem ex proximo hæresim ab Ecclesiæ suæ finibus propulsaret. Sed quamquam pronos in sententiam suam Catholicorum præsertim animos inveniret, dimissus tamen ab omnibus cum eo responso fuerat, nihil posse hac in causa sine totius Helvetiæ consensu definiri. Igitur, cum Gentis Principes ad constituenda Reipublicæ negotia Luceriam propediem conventuros intellexisset, Ambrosium Fornerium familiarem suum cum literis misit, qui omnia, de quibus per privata colloquia Ipse egerat, in publico illo consessu exponeret. Huic mandatum in primis, ut eos, quorum opera præcipue indigeret, muneribus deliniret, atque instructis opipare mensis excipiret. Hoc apparatu Fornerius in Concilium admissus Cardinalis nomine primo postulabat, ut literarum Magistri de Romana Ecclesia male sentientes ab Cisalpinis Helvetiorum terris perpetuo pellerentur: tum ut Catholicorum liberos nonnisi apud Catholicos educari liceret: postremo, ut quoties novarum opinionum sectator aliquis ad Populi regimen cum imperio mitteretur, omnibus tamen de Religione judiciis abstineret. Hæc summa postulatorum erat, quæ tametsi paulo duriora Hæreticis videbantur, omnium tamen consensu firmata, & accepta nunc inter Reipublicæ Leges manent. Fallaces Magistros Fornerius ipse trans alpes illico eduxit; & quoniam Sacri Inquisitoris nomen male apud Proceres Civitatum audiret, communi consilio statutum, ut qui scriba Locarnensi Magistratui datus esset, is Religionis indemnitati Judicis loco prospiceret. Miraculi certe loco habitum est, Gentem de libertate sua plus nimio solicitam unius Hominis auctoritate adduci potuisse, ut quidquam de juribus suis in Orthodoxæ fidei favorem remitteret (*a*).

Sed enim mirum non erat omnia Archiepiscopo feliciter evenire, qui pastorali solicitudine, & vitæ sanctitate miris quotidie incrementis proficeret. Quo enim tempore hæc apud Helvetios agebantur, lustrabat Ipse alia, atque alia Diœcesis loca; cumque laboribus assiduis, atque itineribus fractus asperius semper erga se ipsum ageret (*b*), sensit denique humani corporis vires longe impares animi motibus esse (*c*). Oris pallor, & macies, & alia naturæ laborantis indicia Medicos terrebant, eoque certior pernicies videbatur, quod, viribus aliquantulum remediorum usu receptis, retineri non poterat, quin ad pristina studia reverteretur. Nec vero cessabant propinqui, & familiares lenibus verbis castigare diuturnitatem laboris, qua se ipsum

(*a*) Hæc dum Fornerius ageret, Ipse interim minatus est Helvetio Oxoniæ Prætori anathema, nisi Cappuccinorum Fratrum Custodem, quem Lugani comprehendi jusserat, extemplo ab ergastulo dimitteret. Alia item pro Cleri libertate illic servanda, impetrare conatus est per literas ad eumdem & Helvetios Proceres datas.

(*b*) In hac expeditione Ipse unus firmissimos licet administros fregit. Hoc enim tempore comitem habebat Patrem Leonetum, ut alibi innuimus, qui Carolum rogavit, ut aliam sibi Diœceseos partem seorsim lustrandam attribueret, cum imparem se tot ferendis laboribus sentiret. Hoc cum Vicario Castello suboluisset, enixe rogavit, ut sibi tandem & omnibus parceret, cum se nimia contentione, ceteros vero interitu suo confecturus crederetur.

(*c*) Quæ morbi hujus exordia & remedia fuerint habes ex literis ad Episcopum Alerienſem datis Nonis Quintilibus MDLXXI.: *Divinæ Clementiæ placuit, ut ipso Pentecostes die febri sinoco putrida vexatus decumberem, quæ demum mitigata, & tertia demtaxat quaque die recurrens me novies invasit. Quare Urbe egressus, ut me reficerem, in Collibus sitam & salubriori fruentem cælo Diœcesis partem obrui. Nunc vero sex circiter dies quietis causa Varalli dego, ubi meditantis animum recreant dispositæ ibidem in Sacellis Redemptionis nostræ mysteria &c.*

Digitized by Google

ipsum pene conficeret. Daret aliquando amicorum consiliis locum, qui nihil denique optarent, nisi ut, recuperata valetudine, majore vi Provinciæ curam capesseret. Quod si rationem habere salutis suæ nollet, saltem Ecclesiæ suæ parceret, cui tot rerum pulcherrimarum excidium ex Ejus interitu immineret. Quibus Ille officiis etsi humanissime gratias ageret, magis tamen benevolentiam amicorum, quam consilia laudabat. Ajebat enim mortalem vitam tanti non esse, ut pastoralis officii intermissione servari mereretur; sed neque illos recte sentire, qui spem publicæ felicitatis, quæ a Deo bonorum omnium auctore petenda sit, in unius hominis auxilio collocarent (*a*).

Hisce rationibus confirmatus, cum periculosi morbi reliquias secum ferens agrestis Ecclesiæ visitationem repeteret, in itinere admonetur, Ducem Albuquercium, quem ob eximias animi dotes summopere diligebat, lethifera febri correptum vim ejus diutius sustinere non posse (*b*). Itaque visitatione intermissa, quam celerrime poterat, retro ad Urbem flexit, ut morienti extrema paternæ caritatis officia persolveret. Et quamquam propera mors adventum ejus præverterat, aliquam tamen pietatis suæ fructum percipere visus est, conversis nimirum erga Principis uxorem officiis, quibus mariti jacturam æquiore animo ferret.

Exeunte anno, jucundissima Illi occasio se obtulit invisendi Sanctorum reliquias, quas fama erat in Franciscana Æde asservari. Aram maximam dejici, atque aliò transferri oportebat ob novum structuræ ordinem, quem vetustis ædificiis Patres adjecerant. Eò profectus, cum ad Altaris interiora ventum esset, reperit ibi cum Sancti Barnabæ cineribus (*c*) Naboris, ac Felicis Martyrum corpora (*d*), ex quibus antiquitus Basilica nomen acceperat: tum Caji, ac Materni, qui Urbis nostræ Pontificatum difficillimis Catholicæ Fidei temporibus sum-

(*a*) Videtur hic Auctor innuere Episcopi Cremonensis literas, quibus idem conquestus erat *nuva facile posse omnia hujus Ecclesiæ instituta, quod septus in eandem morbum recidens Carolus opprimendus demum videbatur*. His interritus Cardinalis respondit mense Octobri: *Agere se gratias quod tantam valetudini suæ tuendæ curam impenderet; orare tamen, ut ad animæ potius suæ remedium tantam solicitudinem traduceret: se aliquando solvendum in cineres; hunc pari casu evertendæ esse instituta omnia, si uni sibi innixa essent; tamen cladem hanc timeri non posse, cum Deo innitantur: humanam scilicet operam infirmam esse, & Ægyptiis illis arundinibus similem de quibus Haias loquitur*.

(*b*) Missalex tum degebat Cardinalis eam Ecclesiam lustrans; die autem XXI. Augusti triste nuncium a Castano accepit exponente, Albuquercium nocte antecedente Civibus fuisse ereptum, licet primam morbi ejus famam pridie dumtaxat accepisset. Mediolanum itaque ocyus reversus Cardinalis afflictæ Albuquercii familiæ abstersurus lacrymas, paulo post interruptum lustrationis opus retexuit: magnoque Illi gaudio fuere Alvari Sandei literæ Brippii redditæ, quibus docebat: *Se interim vacuæ Provinciæ administrationi admotum, suamque operam omnem, ac præsidium offerre, ut geminatis viribus in manus suum strenue obeundum incumberet*.

(*c*) Annales nostri, quibus adstipulantur Ughellus, & Ripamontius, tradunt Sancti Barnabæ caput dono accepeum, & huc deportatum Seculo V. fuisse, dum Ambrosiana in Cathedra sederet Sanctus Benignus; atque id eodem anno evenisse, quo divinitus Ejus Corpus inventum in Insula Cypro fuit. Difficulter huic traditioni assentitur Papebrochius, qui tamen non negat verosimile videri illud impetratum Æræ Christianæ Seculo dumtaxat VII. Quidquid tamen sit de tempore, quo Urbs nostra ornata hoc pignore fuit, certum est huc missum esse: deinde in Naboriana Basilica usque ad Seculum XIII. reconditum latuisse in puteo quodam propter crebras Barbarorum in hanc Urbem injurias, impositâ tamen desuper ad monimentum Columna quadam, quam majores nostri ex votivis luminibus præfixis *Ceroferariam* dixere. Inducti deinde in eam Basilicam Sancti Francisci Fratres Sacra hæc Lipsana in absidem Sancto Barnabæ dicatam intulere. Hæc ablis ea est, quam hodie Sancto Francisco nuncupatam in ea Basilica intuemur. Inde recognitum Sacrum Caput hoc anno in Aram Maximam transtulit Borromeus postridie Idus Septembris; sed de his vide Cl. Nicolaum Sormanum, qui Cap. XIII. Apologismi sui de Origine Apostolica Ecclesiæ Mediolanensis plura exponit.

(*d*) Horum Sanctorum Corpora Mediolani primum sepulta fuisse hoc in loco, ubi tum Polyandrion Philippi extabat, constans tenet antiquorum omnium consensus. In Mediolanensis Urbis direptione tempore Federici Ænobarbi translata hæc Colonium a Reynaldo ejus Urbis Episcopo fuisse scripserunt plures etiam ex nostratibus. Verum Sancti Caroli auctoritas, qui a Joanne Francisco (postmodum Carolo) a Basilica-Petri tum præsente dicitur ea recognovisse, facit ut horum sententiæ nullatenus subscribere debeamus. Certe hæc eadem ratio videtur negotium facessere Papebrochio, qui licet sibi videatur tot Scriptorum testimoniis pene convictus, fatetur se nolle omnino controversiam hanc dirimere.

Digitized by Google

ſumma cum laude tenuere. Inſpexit etiam Felicis, & Fortunati, nec non Savinæ Matronæ (*a*) mortales exuvias, eaſque ornatioribus thecis incluſas in priſtina loca reſtituit.

CAPUT XXX.

Pio mortuo, contumaci licet affectus morbo, ad Comitia Romam properat, atque ab Electo Pontifice Gregorio multa in Eccleſiæ ſuæ commodum impetrat.

1572. VErum inter hæc animi gaudia corporis vires quotidie defecerant, & prope phtiſim adeſſe Medici autumabant. Febricula quædam inſederat venis adeo curationis impatiens, ut quoties remediis tentaretur, acrius inſurgeret. Ipſe nihilo commotior, quidquid incommodi accideret ad Divinæ voluntatis arbitrium referebat, hoc uno anxius, quod in procuranda corporis valetudine animarum curam deſerere cogeretur. Nec tamen omnino deſeruit, quin potius lectulo affixus capita quæſtionum meditabatur, quas in Diœceſana Synodo proximo Aprili dijudicandas proponeret. Sed præter incommoda valetudinis ſupervenere deinceps, quæ alias cogitationes, alia conſilia poſtularent. Pius V. immortali vere memoria dignus Pontifex vita deceſſerat, tanto præſertim Caroli dolore, ut multo acrius Ejus interitum, quam ægritudinis ſuæ cruciamenta ſentiret. Tunc forte cœperat paulo facilius accipere præcepta Medicorum, qui ſummam eſſe in eo purgandi corporis neceſſitatem uno ore affirmabant. Nunc morbi ſimul, & Medicorum oblitus, poſtquam mortuo Pontifici ſolemnibus officiis in Templo Maximo parentaverat, Romam ire ad comitia properabat (*b*), nec tamen recuſavit, quominus amuleta, & potiunculas, & centum alia inventa aut componendis, aut turbandis humoribus pharmaca ſecum afferret. Equidem Sanctiſſimos homines ſingulari quodam ſpiritu agi in eo maxime Caroli itinere apparuit. Cum enim Placentiam perveniſſet Divini Sacrificii uſum recepit, quo per aliquot dies ob virium inopiam abſtinuerat; & quamquam, mutatis per viarum intervalla jumentis, diu, noctuque iter ageret, non modo nihilo gravius laboravit, verumetiam in dies ex priſtina debilitate convaluit. Hujus autem inexpectatæ valetudinis Ipſe ſibi præludium quoddam ex fortuito eventu fecerat. Cum Bononiæ appropinquaret, accidit, ut jumentum, quo medicamenta Mediolano allata ferebantur, pharmacopolium omne, fallente veſtigio, in proximum flumen excuteret. Vitrea, & teſtacea vaſa, aut mutua colliſione diffracta, aut deorſum inverſa effudere liquorem; et ſiquid ſani ſuperat, aquarum curſus abripuit. Quod ubi Cardinali nunciatum eſt, feſtive ſubridens placet, inquit, omen; nam caſus ipſe admonet me hoc pharmacorum apparatu minime indigere (*c*). Haud abhorret a vero, quod multi credidere, peculiari ſcilicet Divinæ

(*a*) Sacras has exuvias ibidem aſſervari docent vetera Carmina proſtantia olim in foribus clauſtralibus hujus Eccleſiæ, & relata a Puricello & Papebrochio, quorum partem hic habes:

Hic Nabor, hic Felix, hic Fortunatus habetur,
Et cum Materno Cajus, dictuſque Philippus,
Nec non Savinæ Sanctæ venerabile Corpus.

(*b*) Una Eccleſiæ neceſſitas ſtimulum acutiſſimum admovit, ut Romam eo tempore pergere feſtinaret; nam licet plures miſſæ ad Eum literæ Principum fuerint obſecrantium, ut in futuris Comitiis auctoritate, & prudentia ſua *irrumpentes in Petri naviculam fluctus aut declinaret, aut frangeret*, ut Magnus Etruriæ Dux die VI. Maji ſcripſit; tamen omnes Illi redditas comperio, cum jam ſe in viam dediſſet. Extant etiam Philippi Hiſpaniarum, & Sebaſtiani Luſitaniæ Regum, aliorumque Epiſtolæ vel jam electo Pontifice datæ, vel quo tempore reddi Mediolani non poterant. Imo Magnus Etruriæ Dux lecticam ex ſuo nutu Bononiæ comparatum iri ſpondet; atque jam Ipſe fortaſſe Florentiam advenerat, cum Bononiæ ad Eum excipiendum lectica compararetur. Tamen antequam Romam proficiſceretur, defuncto Pontifici juſta perſolvit, & orationem ad populum habuit, quæ licet propter infirmam Ejus valetudinem, & vocem vix exaudiri a circumſtantibus poſſet, efficaciſſima tamen propter crebra ſuſpiria & gemitus concionantis fuit.

(*c*) Equidem parum admodum deferebat Medicorum arti Cardinalis; cum enim anno MDLXXX. poſt Ajamontii obitum Brixiam repetere feſtinaret, levique tentatus febricula, ominarentur Medici fore, ut ad præſtitutam diem ſe in viam dare non poſſet: Ipſe lectica inſtructa, reclamantibus omnibus, Cropel-

vinæ Providentiæ consilio ex tot viarum incommodis incolumem Carolum evasisse, ut Ejus auctoritate is denique Pontifex crearetur, qui salva nominis gloria succedere optimo posset.

Erat in Cardinalium numero Hugo Boncompagnus Bononiensis a Pio IV. in Collegium cooptatus, cujus etiam opera usus fuerat Carolus, cum, tenente rerum summam Avunculo, omnia Ipse Pontificatus onera sustineret. Hunc propter agnitas ex eo tempore virtutes in suprema Ecclesiæ Sede collocare viribus omnibus contendebat, in quo tantum prudentiæ, ac dexteritatis adhibuit, ut postridie ejus diei, quo comitia inierant, Patrum omnium suffragia in Ejus sententiam convenirent (*a*). Nec vero novus Pontifex expectationem de ipso conceptam fefellit. Præferunt hodie perpetuis monumentis inscriptum Gregorii XIII. nomen multa, & præclara Collegia, quæ magnis ab ipso sumptibus condita pares reipublicæ utilitates attulere. Initia regiminis non aliunde auspicari, quam a Caroli consiliis voluit, qui etsi optime nosset, quanto Pontifex esset ingenio, haud tamen destitit admonere de multis, quæ certissimo rerum omnium Magistro usu dicerat (*b*).

Quatuor amplius menses inter hæc studia fluxere, quo tamen tempore neque Ecclesiæ suæ, neque valetudinis curam intermisit. Diœcesanam Synodum per Vicarium Castellum celebrari mandavit, excusata parendi necessitate, quæ illum diutius, quam vellet, Romæ detineret. At cum pravos humores, quos identidem recrudescere sentiebat, depellere conaretur, incidit in dissidia medicorum, quorum opinionibus periculosius quandoque hominum vita, quam morbis ipsis laborat. Repugnantes quotidie sententiæ de Lucensibus præsertim balneis in medium afferebantur; nec erat disputandi finis, nisi Ipse litigia omnia novo remediorum genere diremisset. Medicamenti loco fuere primo vulgares cibi; mox

---

pellum secus Abduam iter indixit inquiens, *ipsa in via se facile sanandum*. Quod revera factum est: nam ibi degens noctem primam conquievit suavissime, licet plures antea noctes insomnis transegisset. Mane aliquantulum equitatione recreatus ficuum primitias aliquot mensæ illatas comedit: cumque adstans Caimus tum Metropolitani Collegii Canonicus, antea medendi artem summa cum laude professus non hæc ægris convenire edulia dixisset; respondit Carolus: *optime dictum; at sanus ego fœnibus vescor, non ager*. Neque dicto abfuit veritas; cum firma valetudine exinde usus, Brixiensem Provinciam optime valens obiverit. Hæc Antonius Seneca in Tabulis.

(*a*) Neque de hac Caroli laude dubitare nos sinunt Hispaniarum, & Lusitaniæ Regum literæ, itemque Philiberti Sabaudiæ Ducis, Cardinalis Henrici Lusitaniæ Infantis, & demum Requesenii, tum Insubriæ universæ Præfecti, quarum una atque eadem fuit sententia, nimirum *optimum Pastorem celeriter & opportune datum Romanæ Sedi, uni accepto Carolo esse referendum*. Hæc autem jure optimo, & expertus dicebat Requesenius. Narrat enim in tabulis Fornerius, quid eidem Commendatori Castellæ, cum Romæ Philippi Regis Legatus esset, anno MDLXVI. acciderit. *Iturus in Comitia propter Pontificis electionem ab Avunculo obitu Cardinalis prahonsabatur a singulis Regum Oratoribus, utpote summam rerum in iis Comitiis fore apud Eum credebatur. Requesenius itaque Carolo quorumdam Cardinalium nomenclaturam obtulerat, quos ad Pontificiam Sedem evehi sine offensione Regis non posse affirmabat; primum autem scheda inscriptum occurrebat nomen Cardinalis Ghislerii, qui cum fuisset Pauli IV. studiosus, alienus ab Hispanis fore credebatur. Comitiis perfectis ipse Cardinalis Ghislerius Pontifex est renuntiatus. Itaque Legatus acriter cum Carolo, ut Ghislerii eligendi Auctore, conquestus est; hoc tamen a Borromeo responsum tulit*: „ Philippo Regi scribe, nullum unquam Pontificem fuisse Illius, suarumque rerum magis studiosum. " *Nihil ad hæc tum Requesenius; sed postmodum electus Mediolanensis Provincia Gubernator, coram pluribus Episcopis, qui hac Synodi causa venerant, cum de Pio jam defuncto ageretur, ad Borromeum conversus* „ verissimam, inquit, „ sententiam Romæ a te pronunciatam memini, & divino certe afflatus Spiritu pollicitus es, quæ deinde „ exitus ipse comprobavit.

(*b*) Sancti Gregorii Pastoralem Librum, aliosque Sancti Bernardi de Consideratione ad Eugenium inscriptos, hortatus est, ut Pontifex assidue manibus tereret. Familiarem deinde suum Bernardum Carniliam Derthonensem, quo usus deinde fuit apud hunc Pontificem Internuncio, Eidem administrum dedit fidelissimum, cujus consiliis & opera uteretur. Hujus quidem probata adeo prudentia eluxit, ut nihil unquam a Gregorio sibi rogaverit, carissimum futurum Seculis omnibus Aulicæ continentiæ exemplar. Hic cum Carolum obsecrasset, *ut geminos fratris sui filios inter Seminarii Mediolanensis Alumnos cooptaret*, respondisseque Borromeus, *sibi id non licere, nisi impetrata Pontificis venia, quandoquidem non comprehendebantur hujus Diœcesis jure*, maluit hoc carere beneficio, quam ab instituto suo discedere. Hauserat Carnilia hanc disciplinam ex Cardinalis schola, in qua edoctus etiam Ormanetus fuerat, ut *nihil unquam a Pontifice rogaret, nisi quæ ad munus sibi impositum spectarent*.

Digitized by Google

mox jejunia, & vigiliæ, & alia ſeverioris diſciplinæ inſtituta, quorum deſiderium intermiſſio ipſa incitaverat. Ita confirmatis viribus, atque impetrata redeundi facultate Româ diſceſſit multa, & eximia Apoſtolicæ indulgentiæ dona ſecum ferens, quæ ad Mediolanenſis Populi utilitatem in perpetua tempora perſeverant (*a*). Pridie Kalendas Novembris ad Lauretanam Ædem pervenit, ibique noctem ad Deiparæ aram inter pia ſuſpiria, preceſque tranſegit, imitaturus nimirum exempla Sanctorum Patrum, ſimulque incolis, quorum ingens multitudo confluxerat, daturus exempla, quæ imitarentur (*b*).

LIBRI SECUNDI FINIS.

DE

(*a*) Inter cetera Pontificiæ munificentiæ dona, ſingulare Stationum, ut vocant, privilegium Urbi noſtræ obtinuit. Pius hujus nominis PP. IV. ſingulari beneficio ornaturus Mediolanenſe *Virginum* Monaſterium ad Ticinenſem Portam, in quo geminæ Sorores & Neptis una Caroli Soror degebant, hoc munus Pontificatus initio Earum Templo conceſſerat. Sed cum Civibus propter diſtantiam incommodus eſſet ad eam Ædem acceſſus, obtinuit hoc anno Borromeus, ut ex arbitrio ſuo aliæ plures ad Stationes Eccleſiæ deſignarentur. Quibus tamen deſignatis, aliud conſecutum incommodum fuit; nam non ſine multorum noxa, ac licentia ad eos promiſcue confluebat marium, fœminarumque multitudo. Ut huic malo iterum conſuleret, anno MDLXXVIII. poſtridie Nonas Martii certas deſtinavit horas, quibus fœminæ ſeorſim a maribus ad Stationes accederent. Cumque adhuc Procerum libertas difficulter injecta hæc temporis definiti vincula pateretur, anno demum MDLXXXIII. Nonis Januarii impetravit, ut aliæ fœminis, aliæ maribus Eccleſiæ adeundæ indicerentur.

(*b*) Mediolanum itaque advenit pridie Idus Novembris, ut Ipſe ſcripſit; urgebat ſiquidem imminens Dominici Adventus tempus ſumma ab Eo religione tranſigi ſolitum, quod Ambroſiana Eccleſia a Dominica die Sancti Martini feſtum ſubſequente auſpicatur.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI

LIBER TETIUS.

CAPUT I.

Se magnificis titulis abdicat Carolus, quo curas omnes in Eccleſiæ ſuæ tutelam conferat: Braydenſe Collegium inſtituit: Tertiam Provincialem Synodum convocat.

1572. QUÆ de Pontificatu Sancti Caroli Borromei hactenus dicta ſunt, admirabilia ſane æquis æſtimatoribus videbuntur, ſi ſtatum Urbis, ſi magnitudinem rerum ab Eo geſtarum, ſi iniquitatem temporum, hominumque reſpiciant. At certe multo mirabiliora videri debent, quoties animadvertant, magnam Caroli partem, cum tot, ac tanta Mediolani ageret, Mediolanenſibus defuiſſe (*a*). Ampliſſimas adhuc Præfecturas Romæ obtinebat, Luſitania, Belgium, & nobiliſſima religioſorum hominum Sodalitia adhuc ejus patrocinio nitebantur, graviſſima ſane munera, & quorum ſingulis ægre unius hominis cura ſufficeret. Hæc omnia jampridem abdicare cum vellet, diſſenſerat Pius

(*a*) Hoc tempore aſperrimæ vitæ jecit primordia, cui deinde cumulum adjecit peſtilenti anno, quo ſummum jam tenere apicem videbatur. Lanfrancus enim Reyna anno antecedente inter Ejus familiares adſcriptus in Apotheoſis Tabulas retulit: *Reverſum ab his Comitiis Cardinalem cœpiſſe domeſtico triclinio abſtinere, atque ad aliquod tempus remotum ab aliorum conſpectu cibos ſumere: deinde manitum ut ſe reliquorum accumbentium oculis impertire vellet, aſſenſum quidem fuiſſe, ſed detraxiſſe ſibi partem ex cibis, quos ceteris apponi jubebat. Ultimo, cum propter ſingularem hanc vivendi rationem videretur aliquorum offenſionem incurrere, voluiſſe exinde ſemper in Concleavi veſci, ubi ſub vitæ finem aqua dumtaxat, & panevictitabat, vino ſolum uſus per feſtos ac ſolemnes dies, aut cum hoſpitis alicujus voluntati eſſet indulgendum.*

Digitized by Google

Pius V., credideratque maxima quæque onera posse quantulacumque Ejus solicitudine sustineri. Nunc propitium desiderio suo Pontificem nactus specioſa illa, ut Ipse appellabat, pastoralis officii impedimenta deponere instituit, ac testes abdicationis tabulas Romam misit (*a*), quo liberius in Ecclesiæ suæ curam incumberet. Aronense etiam Sacerdotium, quod vix pueritiam egressus Patrui cessione obtinuerat, tametsi, quantum repetere hominum memoria poterat, in Borromeorum familia gentilitio fortassis jure permanserat, non sine amicorum, propinquorumque admiratione alienavit, ut magni sane consilii, quod in Reipublicæ utilitatem ceperat, exitum inveniret. Refertam præstantibus ingeniis Urbem post cetera vitia deformaverat negligentia scientiarum, qua nihil in magnis Civitatibus noverat esse funestius, Amisso enim liberalium artium cultu, id fieri videmus, ut neque plebei homines ex sordibus unquam suis assurgant, neque Nobiles Viri multum a plebejis hominibus differant. Huic publicæ calamitati obviam iturus negotium dederat Societatis Patribus, ut temporarias scholas in Sancti Fidelis ædibus aperirent, quoad Ipse novum Collegium erudiendæ juventuti opportuniore loco excitaret.

Cœnobium erat inter antiquas Humiliatorum opes patentibus late hortis, vetusto nomine Brayda, quam Ecclesiastici patrimonii partem Petrus Paulus ab Ecclesia Cardinalis eo tempore possidebat. Is agnito Caroli consilio non modo tecta, & hortos Ejus rogatu dimisit (*b*), verum etiam ex annuis vectigalibus tantam sibi partem detraxit, quanta cum Aronensi Sacerdotio conjuncta ad rem perficiendam suffice-

(*a*) Causam de qua resignaturus hæc munera Romam scripsit, ipsemet indicavit Carolus Carniliæ in hæc verba: *Antequam Roma redirem, Pontifici exposui, velle me tot muneribus pene obrutum sublevari. Instituit Ille, ut aperirem quotquot iisdem opportuni honoribus Præsules viderentur; me autem diu tacentem dimisit, nec sententiæ meæ subscribere voluit imperans, ut consilium hoc rejicerem ad illud tempus, quo Mediolani degens tranquillius deliberare possem. Nunc in eadem perste sententia, quam Pontifici per adnexas literas expono. Si roget iterum, quem ad Pœnitentiarii munus eligam Successorem, tu rem integram Ejus potestati ac prudentiæ permitte. Hoc unum moneas, fuisse hoc institutum meum, dum eam Provinciam regerem, ne ullum venale munus esset; deinde roga, ut cœptum opus reformandi ejus Tribunalis strenue urgeat.* Datæ sunt hæ literæ XIII. Calendas Decembris hujus anni, & extat etiam supplex libellus ex Sanctæ Praxedis Ædibus scriptus die XXVII. Octobris, cum Romæ esset, cui Pontifex subscribere noluerat. Immo Gregorius ipse, ut Carolum adduceret ad Successorem eligendum amice rogaverat, num futurum esset ut in Alciato Cardinali bene Pœnitentiarii provincia collocaretur? Borromeus verò, licet multum Alciato deferret, & magna sibi esset amicitiæ consuetudine obstrictus, respondit: In eo optime collocatum iri, in quo Pontifex ipse collocasset. His itaque se abdicavit primo Romanis muneribus; postmodum munera etiam sibi a Principibus imposita repudiavit; nam VII. Calendas Januarias ad Hispaniarum Regem pro Belgii tutela dimittenda, itemque ad Sebastianum & Henricum, Regem illum, hunc Cardinalem Infantem Lusitaniæ scripsit Regni ejus curam deponens. Egomet literarum Authographa ipsa legi, modestiæ & continentiæ plena. Mirum autem mihi accidit Carolum, qui nihil unquam eorum Legatos rogaverat, anno subsequente Pinthum Lusitaniæ Internuncium cum Romæ degentem obsecrasse, ut Lapillos geminos medicos (*Beazar* vocant) sibi pro egenorum subsidio mitteret. Postremo omnium patrocinio Helvetiorum sibi commendatissimo defunctus est; neque enim aliæ extant Epistolæ id testantes, nisi quas ad Cardinalem Alciatum XXIII. Septembris anno MDLXXIII. dedit. Ingens deinde consolatio Carolum incessit, tamquam Ætna deposita, recreatum; neque voluptatem perceptam dissimulare potuit apud Cardinalem Novocomensem, quem *hac de causa jure optimo sibi gratulari* dicit, *cum quietam admodum, ac beatissimam vitam degere levatus tanto onere sibi videatur.* Attamen in aperto erat perutilem illi fuisse Pœnitentiarii Provinciam, cum eo tempore census ex illo Tribunali percepti tredecim aureorum millibus æstimarentur, ut testatus est Octavianus Abbiatus de Foreriis Carolo perquam familiaris.

(*b*) Omni officiorum genere aggressus, vivente Pio Pontifice, Cardinalem Ab-Ecclesia Carolus fuerat, ut Ædes has Societatis Jesu Patribus impetraret. Sed Pontificis voluntas tam piis precibus obstiterat, quem nunquam, ut alibi adnotavimus, hac in re exorabilem habuit. Jam vero, Pio defuncto, eumdem iterum lapidem movit, & facile, quod postulabat, exoravit. Die XXI. Junii hujus anni (prima enim hæc Caroli cura fuit) Roma jam scripserat ad Joannem Thomam Cribellum perfecta, & impetrata esse omnia: illumque monuerat, prompte numeraret sex aureorum millia promissa sibi antea pro Patrum Collegio extruendo: mox item Odescalchum Senatorem hortatus est, ut octingentos nummos compararet juxta datam fidem pro instruenda iisdem Bibliotheca. Ipse autem præter supellectilem omnem, & Aronensis Sacerdotii census universos illis attributos, impetravit etiam decerpendam ex Præpositura Braydensi annuam mille aureorum pensionem, & Loyrani amplissimos fundos.

Digitized by Google

ficeret. Patent hodie civibus magnifica, & ampla conclavia antiquis Græcorum Lycæis utique comparanda ſive diſciplinarum Nobilitate, ſive Doctorum ingeniis (*a*), quorum ductu Juventus nullo, niſi laboris, ſumptu ab ipſis latini ſermonis exordiis ad ſcientiarum ſummam perveniat. Hinc Oratores, & Philoſophi, & divini Juris interpretes extitere, ornamenta ſimul, & auxilia cum Civitatis noſtræ, tum vicinarum Urbium, quæ excellentes doctrina viros ex Braydenſibus ſcholis accipiunt. Quarto nonas Octobris anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo bonorum poſſeſſionem iniere Patres, præſtita ſimul fide, quæ perpetuam operam publicis hiſce gymnaſiis obligarent (*b*). In Aronenſe deinde Cœnobium inducti eo virtutum ſplendore fulſere apud incolas, ut Carolus ob primitias lucis acceptas pares gratias natali Oppido retuliſſe videretur.

Ita ſolutus adminiſtratione tot aliorum munerum, atque ad ſolius Eccleſiæ ſuæ curam redactus, recognito uſu decretorum, quæ hactenus ediderat, atque ad ſanctiones, quas nuperrime Roma retulerat, aptius compoſito Sanctimonialium ſtatu, tertium Provinciale Concilium in ſequentem annum indixit. Multa in eo ſtatuta de tuenda præſertim Catholicæ fidei puritate, de feſtorum dierum, & eccleſiaſticæ diſciplinæ cultu, de uſu Sacramentorum, ac divini verbi prædicatione, aliaque permulta, quæ conſignata publicis literis extant, ne ſingula enumerare neceſſe habeam.

CAPUT II.

Græves iterum pro tuenda Eccleſiaſtica poteſtate tumultus in Eum excitantur.

1573. VErum perpetua veluti lege ſtatutum erat, ut quo ſanctius, ac religioſius ageret, eo gravioribus diſſidiis conflictaretur (*c*). Mortuo, ſicuti dictum eſt, Albuquercio, regebat interim Provinciam Arcis Præfectus, qui ludicram venationem Populo exhibiturus præjacentem Templo maximo aream delegerat. Verum adverſante Carolo, etſi ſpectaculi locum mutaret, repulſæ tamen dolorem alte infixum animo retinebat. Itaque ultionis cupidus in eam partem telum intenderat, in qua vulneris ſenſum acriorem fore cognoverat. Auctoritate enim, & lenitate officiorum ſuadere multis conabatur, ut quoties dicati divino cultui dies recurrerent, tunc plane publicis ludis, & chorearum hilaritate ab ſacrorum veneratione populum avocarent. Sed fefellere hominem primo Civitatis religio inania illa oblectamenta ex Archiepiſcopi diſciplina ſpernentis: mox lethifer morbus, qui deteriora fortaſſe meditantem humanis rebus eripuit (*d*).

Supervenit deinde ex Hiſpaniæ Dinaſtis novus Provinciæ Gubernator, a quo proſpera omnia haud temere expectabantur.

(*a*) Præcipue in hanc curam incubuit Carolus, ut optimi Inſtitutores ex hac matre ſcientiarum Societate Urbi noſtræ attribuerentur. Emmanuelem Sà, Lælium Biſciolam, & primaria Ejus lumina huc tranſmittenda precibus, officiis, & querelis quandoque curavit. Robertum Bellarminum ſumma cum laude prælegentem apud Belgas expetiit; pluresque extant Borromei poſtulatoriæ in hanc rem literæ; imo Benedicti Palmii etiam reſponſio ſcribentis ſumma tandem contentione ſua illum impetratum: licet deinde P. Fuligatus in Cardinalis Bellarmini vita narret *illum e Belgio reducem juſſum ex Patrum Præſidum voluntate abſtinere Mediolano, ut pias Caroli inſidias eluderet.*

(*b*) Hoc Societatis beneficio Urbem ſuam Carolus auxit; ſed Societatem deinde ipſam alibi ſuis beneficiis ornavit, quam Veronam, Brixiam, Mantuam, Lucernam, Dilingam, Vercellas, Genuam, Friburgum deinde opera ſua ſtuduit inducere. Cumque firmiſſimo hoc præſidio circumvallare veluti Provinciam ſuam conaretur, diu etiam inſtitit, licet irrito officio, ut Locarni relictas ab Humiliatis Fratribus Ædes incolerent.

(*c*) Quid Ille de novis excitatis diſſidiis ſentiret, Ormaneto in hæc verba aperit: *Sive hoc noxis meis, ſive populi criminibus, ſive arcanæ Dei voluntati tribuam, effectum nuper eſt, ut noſtræ Eccleſiæ tranquillitas turbaretur.*

(*d*) Aliqua deinde pax ſubſecuta eſt tot motus, Præſide Senatus Joanne Baptiſta Raynoldo Nobiliſſimo item Equite, & religioſiſſimo, quicum familiaris erat Carolo conſuetudo, ut teſtantur plurimæ ad eum a S. Carolo miſſæ epiſtolæ iis potiſſimum annis, quibus, vivente Avunculo, Romæ univerſam moderabatur Eccleſiam.

Digitized by Google

tur. Fuerat ille apud Pium IV. Regis ſui Legatus, quo tempore perſpecta Caroli integritate, eam cum Ipſo amicitiam inierat, quæ certiſſimam inter utrumque ſpem concordiæ faceret. Sed vetus hæc Principum calamitas eſt, ut in pejora quandoque credendi facilitate deflectant, & ſæpius alieno, quam ſuo conſilio peccent. Vix refectum ex itinere Gubernatorem infenſi Archiepiſcopo homines circumſiſtunt: eccleſiaſticam poteſtatem nullo jam limite contineri queruntur: Albuquercii memoriam, tamquam nimium Religioni detulerit, criminationibus onerant: nihil denique Civitati gratius facturum affirmant, quàm ſi Hominem pietatis obtentu omnia fere principatus jura in partes ſuas trahentem intra ditionis ſuæ fines coërceat. Hæc, atque alia, quæ ad creandam Cardinali invidiam congerebantur, facile ejus animo inſidebant, qui inter ipſa Magiſtratus initia, & fidem ſuam Regi commendare cuperet, & Populi gratiam aucupari. Itaque cum audiſſet Pontificias literas a nobili quodam laico impetratas, quibus ad litem cum adverſariis finiendam uteretur, Præfecto rerum capitalium ſevere mandavit, ne literas illas ad controverſiæ judicium ſuffragari permitteret. Ob eam cauſam anathemate illigatus, atque a Pontifice gravibus verbis admonitus, ſibi tamen, ac Præfecto erroris veniam impetraverat, cujus admodum breve gaudium fuit.

Biennio ante allatæ erant ex Hiſpania literæ de moderanda Archiepiſcopi poteſtate multa continentes. Quibus in Senatu perlectis, cum inexplicabiles controverſias ex earum uſu orituras appareret, cenſuerant Patres e Republica eſſe, ne in publicum ederentur. Ita adnitente præſertim Joanne Baptiſta Raynoldo, qui tum Senatui præerat, manſerat incorrupta Tribunalibus quies, nequicquam fremente improborum audacia, quæ ſuos plerumque inter utriuſque fori certamina triumphos agit. Nunc percitus ira, ſive, quod credere malim, deceptus aliquorum adhortationibus Gubernator ſuppreſſas tamdiu literas produci, ac cum teſtibus denunciari Archiepiſcopi Vicario jubet (*a*). Perculſus ejus rei nuncio Carolus, qui ad luſtranda Diœceſis loca paulo ante diſceſſerat, illico ad Urbem revertitur, ut in ipſo exortu prænunciam funeſtiſſimi incendii flammam extingueret. Cardinalem ab Eccleſia, qui tum forte Mediolani erat, primum omnium mittit, ut exacerbatum malignis ſermonibus animum lenire conetur, atque amice doceat, quantum ejus conſilia a Regis voluntate diſſentiant; immo quantæ perturbationes ex iiſdem conſiliis Reipublicæ immineant. Alios deinde, atque alios auctoritate, vel gratia apud Hiſpanum florentes ſubmittere, qui precibus intermiſtas leniter minas objicerent, ac benigne ſignificarent nullius hominis gratiam auctoritate nominis ſui cariorem Epiſcopo eſſe debere. Poſtremo, cum nihil pacati reſponderetur, nec ſpem ullam concordiæ ſupereſſe animadverteret, tabellas, quas monitorias appellant, publicis locis affigi jubet, quibus aperte teſtabatur, niſi propoſita nuper edicta intra certum temporis ſpatium reſcinderentur, ſe illatam Eccleſiæ injuriam anathemate vindicaturum (*b*).

Inhorruerant, decreto Ejus audito, propin-

(*a*) Aliquid Cardinali per jocum de hoc prædixerat Gubernator; ſed leniter dictum excipiens pro prudentia ſua diſſimulaverat Carolus; quare nihil metuens tum alibi extra Urbem conceſſerat. Præcipue autem tuta eſſe omnia præfidebat Cardinalis, quod paucis ante diebus legati ad Eum a Gubernatore fuerant D. Philippus Pirovanus, Comes Sfortia Moronus, & Eques Vicecomes, ut amice interpellarent, quid in eum moliturus eſſet, ſi ab incœpto non deſiſteret. Cum vero Cardinalis conſtanter reſpondiſſet, paratum ſe ad anathematum arma decurrere: orarunt illi, ne quid violentius ſtatueret. Cardinalis his precibus mitigatus, legatis rationum ſuarum ſummam expoſuit, quibus illi convicti rogarunt, ut ſcriptis eas conſignaret, atque affirmaverunt ſe earum pondere convictos omnia, quæ a Carolo geſta erant, ſuffragio ſuo comprobare.

(*b*) Minas tamen precibus emolliens moniti extrema verba pius Antiſtes ita concluſit: *Quod ſi a nobis fieri oportebit, quod, ne accidat, lacrymis, & gemitibus, & aſſidua oratione a Deo Patre miſericordiarum precamur: hoc Veſtra Excellentia, vo'que omnes, quorum culpa, factove iſtud eveniet, p'ene ſciatis, in die ira vos Chriſto Domino, & Judici, Eccleſiaque ſua vindici graviſſimo hujus culpæ rationem reddituros.* Mox Pontifici omnia de more aperuit, qui nudum ſem-

pinqui, & familiares; cumque Eum firmius quotidie in ſententia perſtare viderent, petere, & obteſtari non deſinebant, ne ſe ipſum, ac Borromeorum domum perditum iret, totque partas majorum virtute, ac laboribus opes uno ictu everteret. Civitatem univerſam idem horror invaſerat, miſſuſque cum primoribus Decurionum Tatius Mandellus Urbis Præfectus publico nomine rogabat, ut mitius agendo imminentes amantiſſimæ Patriæ calamitates averteret. Quid enim futurum, ſi ob exortas cum Principe contentiones Civitatem ipſam interdicto notari oporteret? Unius ſcilicet culpa, atque uno tempore ceſſatura tot religionis officia, quibus inſtaurandis tot labores, & ſtudia hactenus impendiſſet. Ipſe amorem ſuum erga conſanguineos, Civeſque teſtatus invicto tamen animo reſpondebat: propoſitum ſibi eſſe, non poſſeſſione modo ceterarum rerum, verumetiam ex hac potius mortali vita, quam ulla eccleſiaſtici juris parte decedere. Ægre ſe quidem, nec ſine magno dolore ad tam acerba remedia deſcendere: verum omni lege compelli, ut dignitatis ſuæ, immo æternæ ſalutis curam patriæ ipſi, ac ſanguini anteferret.

CAPUT III.

Summum Provinciæ Moderatorem, ejuſque fautores, pronunciata ſententia, Sacris interdicit: quique fuerit hujuſcemodi conſilii, narratur exitus.

1573. ORatoribus cum eo reſponſo dimiſſis, quoniam cunctando, differendoque nihil proficeret, quod antea Gubernatori, & conſiliorum ejus ſociis indixerat, exequi pergit. Nec ſecus Gubernator interrito adverſus tam diri fulminis ictum animo remanebat. Obduraverant hominem, quamquam de religione optime ſentientem, callidi aſſentatores, petitis ex blandiendi libidine argumentis ſuadere conantes, Archiepiſcopi cauſam nullo jure firmari: proinde fulmina, quæ ab Ipſo mitterentur, vana ad terrorem, inutilia ad vulnus eſſe. Quibus ille fallaciis captus, vulgatis per Urbem, ac Provinciam literis, quibus certaminum omnium culpam in Cardinalem rejiceret, circumſpectabat interim omnia, ex quibus vindictæ occaſionem arripere poſſet. Jam tum Mediolani vigebant multa piorum hominum Sodalitia, qui feſtis diebus aut in ſacello divinas laudes alternatim canere, aut ſacco induti, tectiſque cucullo capitibus, ad præcipua Urbis templa ſupplicatum ire conſueverant. Sellularii plerique, & inſtitores, aliique opifices erant officinis addicti, nec ulla de re, niſi de quæſtu, ac mercimoniis ſuis quotidie cogitantes. Quietum hoc, & imbelle civium genus tanquam formidoloſum, novandiſque rebus paratum interpretatus exagitare inauditis antea ſanctionibus cœpit. Severe imperatum, ne ultra per Urbem velato vultu incederent: neve ullos conventus haberent, niſi regius Miniſter adeſſet, qui ſingula eorum verba, & conſultationes expenderet. Hoc edicto perculſi, & cum ſuſpectam Principi fidem ſuam viderent, graviora metuentes ex Sodalitiis ſuis paſſim dilabebantur, & deſtinata excolendæ pietati tempora in popinis, triviiſque per otium tranſigebant (*a*). Eodem tempore Joanni Anguiſſolæ mandatum, ut aſſumptis peditum cohortibus, quibus Comenſem Urbem tuebatur, Aronenſem arcem quantocyus occuparet. Quo audito, Carolus non modo Præfectum monuit, ut Arcem extemplo traderet; verum etiam Franciſcum Patruum miſit, qui Guber-

---

ſemper Ejus pectus vidit: deinde Conſultationibus pluribus adhibitis ſæpiſſime teſtes aſſerunt humentes præ lacrymis Illius oculos ab Aſſeſſoribus viſos. Ceterum hæc Caroli pietas nihil tamen conſtantiæ detraxit, quam ipſe Gubernator eximiam in Illo fuiſſe teſtatus eſt: cum in Hiſpaniam ad Regem ſcripſerit, *alterum a ſe in Mediolanenſi Urbe repertum Ambroſium*. Hoc Jo. Fontana tabulis conſignavit, & faſſus eſt, ſe a Gubernatore ipſo excepiſſe.

(*a*) Intimo animi dolore perculſus ad Ormanetum hæc ſcribit, conqueriturque, *torpentem Civitatem, nec pomeridianis horis Inſtitutioni Chriſtianæ vacaſſe, nec matutinis coactos Sodalium, & Confratrum cœtus in Eccleſiis ad divina obeunda*. Certe ſuper hac re tantæ plenæ pietatis ſunt Caroli literæ, ut facile lacrymas etiam ab invitis excutiant.

Digitized by Google

bernatori diceret : nihil opus fuiſſe milite ad ea conſequenda, quæ omni tempore occupare verbo uno poterat. Quidquid ipſe potentiæ atque opum in terris obtineret, id omne ſe in Regis poteſtatem tradere : Borromeam Gentem poſſe multos Civium ſplendore, & fortunis ſuperiores habere; nemini obſequio, & fide erga Principes ſuos inferiorem fore : proinde ceteris in rebus arbitrio ſuo uteretur, modo Eccleſiæ ſuæ rite adminiſtrandæ arbitrium ſibi relinqueret (*a*).

Interim Mediolani plena omnia mœroris, ac formidinis erant. Multa terribilia ſive de induſtria, ſive interpretandi levitate ſpargebantur in vulgus: alii Cardinalis exilium, alii captivitatem imminere autumabant ; atque adeo terrorem propagaverat fama, ut Romæ quoque nunciaretur, Archiepiſcopi ædes injectis occulte facibus conflagraſſe. At ubi turmæ equitum miſſæ, quæ omnes palatii exitus obſiderent, tum denique renovatus de integro mœror, ac deplorata propemodum res apud omnes videri. Aſſidentes lateri familiares, & conſanguinei pene cum lacrymis Carolum orabant, ne pedem domo efferret : ne ultro Gubernatoris iras contemptu ipſo tot minarum accenderet. Ipſe divini auxilii ſpe confirmatus tanto ſæpius in publicum egredi, adire templa tutelarium Numinum, Ambroſii præſertim prædeceſſoris ſui ſepulcrum inviſere, atque enixe rogare, ut quam ipſe animi fortitudinem adverſus imperatorias minas oſtenderat, eamdem ſibi ad defendendam ſui muneris dignitatem impetraret (*b*). Et tanta quidem reverentia militum fuit, ut quoties e Palatio prodiret ex equis deſcenderent, ac poſito genu ſalutare Crucis ſignum ex Ejus manu depoſcerent.

In hac tanta rerum perturbatione, quamquam Gubernator in ſummæ tranquillitatis ſpeciem vultum, ac verba fingeret, conſcientiæ tamen ſtimulos diutius ferre non potuit. Virum ex Senatorio Ordine eloquentiſsimum Romam mittit, qui primo docere conetur, quàm iniquo judicio damnatus a Carolo fuerit: mox Pontificem oret, ut ſi forte contra, quàm multi ſentiant, jure damnatum exiſtimet, in Eccleſiæ ſinum, unde per errorem exciderit, paterna benignitate reſtituat. Profectus cum his mandatis Orator, poſtquam in agrum Romanum pervenerat, non ſine vitæ periculo equi calce proſternitur. Curato deinde vulnere Urbem ingreſſus, atque ad Pontificem introductus, cum vix dicendi initium feciſſet, intercluſis repente faucibus, verba ſibi deficere, ac ſpiritum uno impetu ſenſit. Mortuo ſimilem famuli in hoſpitium retulere : nec multo poſt, cum remediis adhibitis reſtitutus valetudini crederetur, improviſo morbo correptus occubuit (*c*). Alios tamen deprecatores invenit Gubernator, quorum officiis eo placabiliorem Pontificem habuit, quod Magiſtratu abiturus, quamprimum credebatur.

(*a*) Vehementius Summum Pontificem, quàm Carolum, de cujus re agebatur, commovit hic caſus. Etenim Gregorii juſſu cum Novocomenſis Cardinalis ſcriberet, *Pontificiam in hoc curam verſari, ut quamocyus Arx Borromeo redderetur*: reſpondit, *ſolicitudinem hanc omnem melius ad tuenda Eccleſia jura eſſe traducendam*. Ad Caſtellum autem tum Romæ hiſce de cauſis agentem interritus ſcripſit: *Si hic diſſidiorum paratur exitus, ut Arcenſis Arcis damnaxas jacturam ſubeam: propoſitam conditionem non recuſo, dummodo pretio hoc Eccleſia mea ſecuritas redimatur*.

(*b*) Octaviani Abbiati, & Fornerii gemina teſtimonia occurrunt in Tabulis aſſerentium, *eo tempore turmam Equitum levioris armaturæ, & peditum coh rtem Palatium Archipræſulis circumſediſſe, qui ultro citroque commeantes quoſcumque rogabant, ſcrutabanturque, num aliquæ clanculum deferrentur, aut aſportarentur literæ*, quas tamen miro artificio Romam miſſas comperio. Inſtabant amici, ut ſaltem foribus clauſis Domi ſecuritas compararetur; eas tamen pervias voluit patere omnibus Sanctus Antiſtes; cumque ad Sancti Ambroſii Baſilicam per eos dies itaret, nunquam ipſas Gubernatoris Ædes prætergredi recuſavit. Illigatus fuit anathemate Gubernator die XXIX. Auguſti.

(*c*) Ad Pontificem introductum hunc Legatum & repente morbo correptum, & ad diem XV. Septembris adhuc febri decumbere, Specianus ſcripſit ad Cardinalem: die autem XXVI. eum morbo recreatum dicit; *ſed mutata adeo eſſe voluntate, ut ſperet, eum potius pro Borromeo declamaturum*. Nimirum diu ægro aſſederat Philippus Nerius, cujus monitis meliora ſumere conſilia videbatur. Repente tamen interiiſſe die III. Octobris idem per literas monuit, cum nulla impendentis mortis dediſſet indicia.

Digitized by Google

tur. Ita clanculum primo ab inſcio talium rerum Sacerdote, dein petita a Carolo venia rite anathemate liberatus (*a*) in Belgium abiit, ibique bello haud ſatis proſpere geſto, intra biennium vita deceſſit. Conſtat cum morbo ſimul, ac militaribus curis implicitus exigua in ſpe animam traheret, literas ad Carolum dediſſe, quibus & præterita purgaret, & veniam iterum peteret, & ſalutem ſuam Ejus precibus commendaret.

Simile quiddam Magno Cancellario evenit, qui Gubernatoris veſtigia ſecutus in eaſdem pœnas inciderat. Poſtquam enim, diſſimulato damnationis ſenſu, diu fefellerat hominum oculos, ita turbari mœſtis cogitationibus cœpit, ut nullum quieti locum, aut tempus inveniret. Nequicquam fatigatis Medicorum ingeniis, remedium fuit ad Caroli opem confugere: quo ſinceræ pœnitentiæ ſignis propitiato, ſtatim ex eo lethali mœrore convaluit. Et quamvis ad breve temporis ſpatium ſuperſtes fuerit; ipſo tamen mortis genere vitæ pretium ſuperaſſe videri potuit. Cum enim extremos anhelitus ageret Carolum lectulo aſſidentem perpetuo habuit, ac ſalutaribus verbis in ſpem vitæ felicioris erectus in Ejus complexu expiravit (*b*).

CAPUT IV.

Nobilium Adoleſcentum Collegium excitatum præſcriptis legibus confirmat: multa autem populo ad reſtituenda vetera Inſtituta religioſe commendat.

1573. CUm acerbiſſime de Fori utriuſque jure diſceptationes Mediolani ac Romæ ferverent: Cardinalis haud ſecus, quam in ſumma rerum omnium tranquillitate (*c*) de illuſtranda immortalibus beneficiis Urbe cogitabat. Intenderat animum in Nobilium mores, quos in illa calamitate temporum ſuſpicari fas eſt plebejorum hominum vitiis parum fuiſſe diſſimiles. Ad iniquitatem temporum aliud fortaſſe malum acceſſerat: mollis videlicet, ac luxurioſa educatio, qua ſæpe Illuſtres Familiæ laborant. Vix enim dici poteſt, quot enata in Reipublicæ ſalutem, & avitæ virtutis æmulationem ingenia nimia parentum indulgentia miſerabiliter pereant. Dum adoleſcentes liberos a conſpectu, & amplexibus ſuis divelli non ſinunt: dum liberalium artium ſtudiis labefactari teneræ ætatis vires exiſtimant: dum favere ſingulis eorum cupiditatibus ſtudent, id denique agunt, ut, prorſus amiſſa antiquæ nobilitatis ſpecie, nihil niſi fumoſas Majorum imagines pudoris verius, quam gloriæ argumenta domi retineant.

Crudeliſſimum hoc benevolentiæ genus ex primariis Familiis depellere Carolus ni-

(*a*) Solutum hoc vinculo accipimus Gubernatorem hac conditione adjecta, ut Caroli conſenſus accederet. Quare cum, inſcio Cardinali, a Religioſæ cujuſdam Familiæ Patre liberatus ſibi videretur, & Sacrificio publice vellet intereſſe, nullus repertus eſt in quatuor, quæ adierat, Templis, qui illo præſente Sacris operari dignaretur. Tamen petita deinde ab Archiepiſcopo venia, Hic encyclicas per Diœceſim literas dedit ad diem XXVI. Octobris, & a me viſas, quibus eum abſolutum rite monebat: licet aliqui male ſcripſerint, eum Anathemate illigatum hinc diſceſſiſſe.

(*b*) Ne quid diſſimulem, ſexennium ferme adhuc hic vitam protraxit. Die XVI. Aprilis anni MDLXXIX. ejus mortem proximam deſcribit Speciano Carolus in hæc verba: *Quam falſo iſthic jactetur, me Regiis Adminiſtris in Urbe invioſum eſſe, hinc perſpicias velim. Hodie Magnus Cancellarius, qui exigua in ſpe trahit animam, Chriſti Corpore per me refici voluit; deinde ex meo conſilio ſupremas tabulas obſignavit: poſtmodum aliqua pro rei ſuæ familiaris adminiſtratione mihi uni confidenter aperuit.*

(*c*) Animi tranquillitatem hoc potiſſimum tempore præſetulit ad Caſtellum Romæ agentem ſcribens: *Piget tibi iſthic ad res componendas omnes aditus eſſe interclauſos. Verum quo magis humanis nudamur præſidiis, ſolertius in divinis conquieſcamus oportet. Etenim ea cauſa agitur, quæ ad nos non minus, quam ad Deum pertineat.* Ad Speclanum vero ſcribens ſic ſe conſolatur IX. Septembris die: *Certum eſt nullum mihi aliunde auxilium ſuppetere, niſi a Deo aſſiduis precibus mitigando. Quare enixe commendo, ut Romæ cures precum ſtudia nunc maxime ad poſtulata impetranda fervere.*

Digitized by Google

nitebatur, Collegio condito, in quo Nobilium proles dignis splendore generis sui moribus imbueretur. Domus, quæ Humiliatorum fuerat, saluberrimo Urbis loco delecta, ædificiis aucta, supellectile instructa (*a*), eo denique cultu, ac nitore expolita, ut ne Principum quidem filios pœnitere domicilii posset. Instituta, quibus juventus regeretur, Ipse conscripsit, commendavitque Societatis Patribus (*b*), donec Sacerdotes Oblatos in promptu haberet, quorum deinceps curæ Seminaria omnia, & Collegia ab se condita destinavit. Nec vero magnanimitatem consilii fefellit eventus. Misère illico liberos suos, non Civium modo, verumetiam exterarum nationum Clarissimi, quos & ipsa instituti dignitas, & magnitudo Urbis, & Conditoris fama invitabat. Ipse ut rei primordia, quæ ad futurorum omen maxime conferunt, illustriora faceret, sæpe ad Collegium accedens Sodalium studia promissis, exhortationibus, præmiis excitabat, cinctusque procerum corona literarias eorum dissertationes audiebat, quo testium multitudo voluptatem laudibus adderet, quibus nihil ingenuis animis solet esse jucundius. Silvium etiam Antonianum, quem postea Romana Purpura insignitum vidimus, paulo ante Amanuensem suum rogavit, ut pro ingenio suo de filiorum, ac præsertim Nobilium educatione librum conscriberet, qui Augustini Valerii Veronensis Episcopi judicio probatus Auctoris eruditionem simul, ac pietatem ostendit (*c*).

Conversa deinde in universos cura, sanctissimos primævæ Ecclesiæ mores prope deperditos restituere in animum induxit. Antiquis Catholicæ Fidei sectatoribus solemne erat appropinquante Christi Salvatoris natalitio die quotidianis jejuniis castigare corpus, frequentiores in Templo adesse, alia denique pietatis opera impensius exercere, queis sese ad celebranda ejus diei mysteria præpararent (*d*). Inutilis autem solicitudo fuerit commemorare plena Apostolicæ eruditionis, & Pastoralis diligentiæ argumenta, quæ in publicum edidit, ut dignissimam illam Christiano Populo consuetudinem revocaret. Qua in re, cum magna ex parte compos voti evasisset, videretque Mediolanensibus invitamenta magis ad recte agendum, quam desideria deesse, alias sequenti anno literas edidit, quibus in Bacchanalium licentiam invectus (*e*) diserte, & sapienter ostendit, quàm

(*a*) Destinata ad hoc excitandum Nobilium Adolescentum Collegium fuerat Ædes Sancti Joannis Evangelistæ, quam eodem tempore impetravit, quo Canonicæ Præposituram; hac tamen conditione, ut si deletum in posterum Collegium illud fuisset, illæ ædes in jura Seminarii Mediolanensis transirent. Mutato nomine illud Templum deinde Sanctæ Mariæ appellavit. Jam sub Maji exitum anno MDLXXIII. Patri Adurno scripserat cooptatos Adolescentes aliquot, & jacta Collegii primordia; cum vero imparatæ a familiari re & ornatu ædes essent, neque appositæ ad eam, quam animo designabat, multitudinem: ære suo ornari & ædificari magnificentius jussit. Interim Magnum Etruriæ Ducem obsecravit, ut domum sibi suam in hanc rem attribueret, quam tum incolebat Nobilis Centurio de Putheo, utpote quæ aptissima videbatur, cum in Urbis meditullio esset collocata. Collegio enim ædificando manum adjecit anno MDLXXV. mense Aprili.

(*b*) Vix hoc crebris apud Societatis Præsides officiis Carolus impetravit; extant enim Patris Adurni literæ testantis, imperatum sibi, ut Patrem Andream Tertium Collegii administrationi Præfectum revocaret. Quare licet sæpius instaret, vix ad certum tempus retinere Patres ea in provincia potuit. Seculo tamen elapso regente hanc Ecclesiam Federico Cardinali Vicecomite puduit fortasse Societatis Patres tam officiosas Caroli preces aliquando repudiasse; idcirco mutata voluntate ultro ipsi preces admoverunt suas prædicto Cardinali, ut Collegii hujus cura sibi demandaretur, ut fuse docet Cl. Bartholomeus Rubeus in libro suo, quem de origine & progressu Congregationis Oblatorum inscriptum edidit in lucem Mediolani anno MDCCXXXIX.

(*c*) Volumen hoc Borromeo transmisit Sylvius nonnisi anno MDLXXXI. die XXX. Decembris, adjectis literis, quibus testabatur se *pro eo opere polienndo Caroli limam implorare*.

(*d*) Tempus hoc, quod Domini Adventum Sacri Scriptores appellant, veteres Ambrosianæ Ecclesiæ Codices *secundam Quadragesimam* vocant, & longius extenditur quàm Romano ritu; sex nimirum hebdomadas complectitur, quibus, juxta Caroli a Basilica-Petri, & aliorum interpretationem, sex Mundi ætates Orbis redemptionem præcedentes significantur.

(*e*) Tam effrenata pro Bacchanalibus celebrandis Mediolanensium erat licentia, ut Ormanetus scripserit, se ibidem degente, quotidie post Natalitiam Domini Solemnitatem Cives splendide epulari consuevisse usque ad quintam Quadragesimæ Dominicam, qua tandem *sepulcro condi Bacchanalia* dictitabant.

Digitized by Google

quàm ſtulte improbi homines proxima jejuniorum, & pœnitentiæ tempora laxiore omnium voluptatum uſu præverterent (*a*). Itaque cariſſimum ſibi Populum ad ſupplicationes, & templa convenire jubebat, atque exercendo experiri, quantum religionis oblectamenta inanibus impiorum deliciis præſtent. Vituperata gravibus verbis epulandi luxuries, revelata chorearum pericula, propoſita ſacras ædes adeuntibus Apoſtolicæ indulgentiæ dona, quibus Ille Civitatem noſtram liberalitate Pontificum prope ad ſimilitudinem Romanæ Urbis inſtruxerat.

CAPUT V.

E Polonia ad Galliarum Regnum adminiſtrandum feſtinantem Henricum Modoëtiæ inviſit: Urbem atque Diœceſim conſtitutis in Synodo Sanctionibus munit, & gemino Canonicorum Collegio exornat.

1574. IDem annus inſignis fuit Henrici III. adventu, qui relicto Poloniæ Regno ad capeſſenda fraterni imperii inſignia per Mediolanenſem agrum iter in Gallias agebat. Cum eo congredi Cardinalis optabat, non tam officii cauſa, quàm ut potentiſſimum Principem ad profligandas Hæreticorum vires, qui tum univerſam prope Galliam everterant, inflammaret. Sed cum eum rheda inſidentem venire accepiſſet, mittere in occurſum, quàm Ipſe ire maluit (*b*), ne vel minimum quiddam dignitati ſuæ indecorum admittere cogeretur. Quamquam enim humillime de ſe ipſo ſentiebat, Epiſcopale tamen, & Cardinalitium munus ſummo in honore ſimul Ipſe habuit, & haberi ab omnibus voluit: Tridentini Concilii monita, & prædeceſſoris Ambroſii exempla ſecutus, cui modeſtiæ ſtudium, quo ſummopere tenebatur, nihil obſtiterat, quominus Paſtoralis Infulæ decus in Cæſarum quoque conſpectu conſtantiſſime ſuſtineret. Quin etiam cum de Henrici adventu aliquid antea ſuboluiſſet, Romam illico ſcripſerat, inde auditurus, quo præſertim ritu tanti nominis Regem citra injuriam Cardinalitiæ dignitatis exciperet.

Sed cum reſponſum neceſſitate ſerius fore appareret, advocato prudentiorum conventu, ſtatutum erat, ut, niſi Rex primo ſtatim occurſu honoris cauſa id facere juberet, Cardinalis non expectato diutius nutu caput operiret. Deligit interim ex comitatu ſuo nobiliſſimum, qui Gallo Cremonenſium fines ingredienti felicem adventum ſuo nomine gratuletur, paratumque ad mandata obſequium exhibeat (*c*). Modoëtiam deinde progreſſus, Regem, qui paulo ante pervenerat, per Franciſcum Porrum admonuit, ſalutandi ejus cauſa ſe in eum

---

bant. Hoc tamen anno invaluerat alia pernicioſior libertas, ut Feria VI. perſonati Cives incederent, quam conſuetudinem idem Ormanetus ſuo tempore nondum invectam fatetur.

(*a*) Ut ſuo ceteris præiret exemplo, audi quàm ſanctè Februarium menſem traduxerit ex iis, quæ Ipſemet familiariter indicat Bonhomio IV. ejus menſis die ſcribens: *Indictus eſt Vicariorum meorum, qui in Plebibus ſunt, conventus ad ineuntem hebdomadam, cujus tempus omne diurnum, & partim etiam nocturnum in Diœceſis res cognoſcendas, quantum potero, accurate conferam. Inſequente octiduo in ſolitudinem me recipiam, ut totum me in contemplandi ſtudium abdam, ut Tu etiam facis, & labes conſcientiæ omnes eluam; nempe ſtatutum eſt poſtremos Bacchanalium dies liberos curæ omni Mediolani tranſigere, & ſacris ac ſalutaribus exercitationibus populum diſtinere.*

(*b*) Duo præcipue videntur ad hoc impuliſſe Carolum conſilia; unum quidem, ut ſuæ, alterum, ut Regis dignitati conſuleret. Utrumque Carniliæ aperuit per literas; & addidit: *viſum fuiſſe opportunius, ut Henricum dumtaxat inviſeret, non vero ſolemniter obviam procederet.* Inſuper videri Borromeus potuit vices Legati de latere ſuppleviſſe: ad quod munus Cardinalis Sancti Syxti fuerat electus; ſed cum Ferrariæ Regem excepiſſet, morbo ſtatim correptus Bononiam diverterat. Hinc Romæ placuit hoc Caroli officium, qui hac ratione, ſuo, & Collegæ munere veluti defungi viſus eſt. Ne quod itaque deſideraretur in ſe ipſo obſequium, Franciſcum Porrum Mediolanum præmiſerat, dum in oppido Beſutio luſtrando Ipſe verſaretur, ut primum audito Regis ad fines Inſubriæ adventu, per certum Nuncium ſe Mediolanum acciret. Fateor tamen hoc inviſendi Henrici ſtudium ab invidis in Hiſpania acceptum in deteriorem partem, & de hoc Carolum commonitum lego; quare ad Pontificium Legatum illic degentem ſcribens Cardinalis teſtatus eſt: *unius Religionis cauſa officium hoc ſe Regi perſolviſſe.*

(*c*) Ad Caſale-Majus in Cremonenſi Agro Regi occurrit Legatus Caroli, unde Henricus humaniſſimas ad Borromeum literas die V. Auguſti dedit.

Digitized by Google

eum locum veniſſe; & quoties Majeſtati ejus placeret, protinus acceſſurum. Interroganti Regi, quid Archiepiſcopo deſtinatum eſſet tunc temporis agere; reſpondit Legatus: ſtare ad regios nutus intentum, & niſi aliud juberetur, paratum eſſe rem divinam facere. Age igitur, inquit Rex, nos quoque intereſſe ſacrificanti volumus. Accepto nuncio Carolus illico ad Regem pergit, atque omni honorificentiæ genere exceptus poſt breve alloquium inſtitit eum ad Templum uſque comitari. Pari gradu incedentes alter præmiſſo Aulicorum agmine, alter prælata Cruce: ille Magnitudine Imperii, hic Pontificatu, & Sanctitatis fama conſpicuus attonitam ſpectaculi Majeſtate multitudinem fecerant haud ſatis certam, in utram præcipue partem animum, oculoſque converteret. Primores Eccleſiaſtici Ordinis in longum agmen diducti inter amica colloquia venientes ad Templi veſtibulum excepere, ſciſcitante comiter Rege nomina ſingulorum, atque invicem indicante nomina Principum, quos ſane nobiliſſimos in comitatu habebat. Sacrificio peracto, munera per idoneos homines miſſa: aureum Regi Crucifixi Domini ſimulacrum, Aulæ Principibus alia, quæ donatoris ſimul pietatem, ac munificentiam teſtarentur (*a*). Summa vero ſplendidiſſimi congreſſus utilitas in poſtremo colloquio fuit (*b*). In eo adminiſtrandi

(*a*) Unum a Carolo donatum Regem certum videtur; aureumque Crucifixi Redemptoris ſignum *detulere Ejus* domeſtici Porrus & Moneta. Vacabat *eo tempore* ſymphoniæ Henricus, mutoſque ſtatim ſilentio Aulicos Legati, atque in ſe unos converſos defixere. Eos mille aureis donari Rex juſſerat, quos conſtantiſſime Legati Domini ſimiles repudiarunt. Cetera donaria primis Principibus, qui in Regis comitatu erant, offerri alibi juſſit Cardinalis: Mazentæ nimirum per Paulum a Ruvere, qui XV. Auguſti hæc ſubinde ad Borromeum ſcripſit: *Nevernenſi Duci Deiparæ tabulam, Magno item Priori verbis tuis Chriſti Redemptoris imaginem obtuli, quam hic ſtatim collo adnexuit: Sabaudiæ Ducem Vercellis convenі, cui item peregratum fuit quod offerebatur munus. Mihi deinde Idem narravit, ſe Modoëtiæ ad duas horas reditum diſtuliſſe, ut tuum præſtolaretur adventum; ſed poſtmodum tuo aſpectu orbatum inde triſtem diſceſſiſſe.*

(*b*) Mane, & a prandio Regem in hoſpitio convenit, atque ut omnia Caroli verbis evolvam, epiſtolæ partem, quam eodem die, ſcilicet XI. Auguſti ad Carniliam ſcripſit, fideliter reddo: *Regem Modoëtiæ adivi, quò ille heſterno veſpere advenerat. Hoc mane eum inviſi, & ad Templum deduxi, ubi Sacrum, ipſo audiente, non tamen ſolemni ritu celebravi. Iterum pranſus ad eum acceſſi, cumque illo colloquutus familiariter ſum, donec rhedam inſiluit. Quod opportunum religioni duxi, libere cum illo diſſerui, plura de turbato Galliæ ſtatu exponens. Quantum conjicere potui, pietas animi illi audienti non defuit. Ceterum Princeps religionis & humanitatis non obſcura dedit indicia; atque ut uno omnia verbo complectar, nihil, quod optare poſſim, prætermiſit.* Verum ad uberius hujus rei complementum placet etiam Octaviani Abbiati de Foreriis teſtimonium integrum recitare, quod ex tabulis ipſis Apotheoſis in Archivo Sancti Sepulcri aſſervatis excerpſimus. En ejus verba: „ Cum ad Cardinalem allatum eſſet, Henricum Regem Modoëtiæ ad diem X. Auguſti fore, Ille Variſio Seronum die IX. feſtinavit, ubi ſequentem noctem inſomnis traduxit, ut de ritibus eo in occurſu utendis conſultaret. Die poſtero audivit rheda vectum Henricum Modoëtiam feſtinare; quare aliquid Ipſe de itineris feſtinatione remiſit, nolens Regi in via occurrere, & metuens, ne in via deprehenſus eadem, qua Rex vehebatur, rheda exciperetur; quod ſi contigiſſet, locus domeſtico ſuo, qui Crucem ferebat, non fuiſſet futurus propter Procerum Regem deducentium multitudinem. Itaque Modoëtiam pervenit, cum Rex in parato inibi hoſpitio jam eſſet; quare ad Henricum præmiſit Porrum familiarem ſuum ſciſcitaturum a Rege, num liceret Cardinali Sacrum facere, donec opportunum Ejus inviſendi tempus expectaret. Hac legatione audita Henricus ad Porrum converſus cum quadam admiratione *Ipſe*, inquit, *ergo Cardinalis Sacrum faciet?* Cui Porrus *utique*, reſpondit; *tale enim eſt quotidianum Illius inſtitutum.* Tum Rex *refer*, ait, *me velle Ejus Sacro intereſſe.* Itaque Regia voluntate intellecta, Cardinalis ad Henrici hoſpitium perrexit. Quod ubi ingreſſus eſt, ſimphoniaci omnes, qui fidibus coram Rege ſonabant, repente taciti genibus flexis Ejus benedictionem accepere. Stabat non procul Rex operto capite, cumque Cardinalem in occurſum detracto pileo venientem intueretur, ſuum & ipſe caput nudavit, jubenſque a Cardinali caput tegi, ſuum etiam eodem tempore operuit. Sic tecto uterque capite ſermonem ſerere cœperunt, deinde ad Sancti Jo-annis Baſilicam pergere. Ad Baſilicæ limen Cardinalis luſtrali aqua Regem primum aſperſit, mox ſe, deinde Clerum, ultimo Regis comites; exinde petita a Rege venia, ſe Clero adjunxit, cum quo mox ad aram proceſſit. Peracto Sacro, ab ara regrediens capitis inclinatione Henricum venera-tus ſacras lente veſtes ſibi detraxit, quo nec Regem exeuntem deſerere videretur, nec officia ſua in Deum omittere. Rege itaque e Templo digreſſo, Carolus poſt preces ad Archipresbyteri ædes divertit; unde paulo poſt Porrum, & Monetam cum muneribus ad Regem miſit. Forte cum illi advenirent, Parochianini fidicinis arte delectabatur Henricus, ſed mox ſilentio indicto, perhonorifice Legatos cum donis excepit. A prandio iterum Regem adiit Cardinalis; ſed licet in viam ſe daturus mox eſſet Henricus, tamen illi ob-

di Regni rationes a Carolo expoſitæ: enumeratæ clades, quæ ex Hæreſum progreſſu Imperiis imminent: ſanctiſſimique alii ſermones habiti, quibus commotum adeo Regem ferunt, ut in Galliam reverſus diſerte affirmaret, ſi Italicæ Eccleſiæ Antiſtites Cardinali Borromeo ſimiles forent, ſe omnes Regni ſui Epiſcopos ex Italia petiturum (*a*).

Abeunte Rege, antequam Carolus Modoëtia diſcederet, nova res Oppidanorum admirationem, ac lætitiam inſtauravit. Honeſti generis mulier nobili viro paulo ante in matrimonium collocata, inteſtinis doloribus ita vexabatur, ut vulgo omnes crederent, emiſſum aliquem ab Inferis Dæmonem notas malignis ſpiritibus fæviendi artes in ejus corpore exercere. Argumento erant, nulla prævia irarum cauſa, refugientes a matris conſpectu oculi, infenſum erga ſacros homines odium, & quoties ad aras ſiſteretur vehemens convulſio pectoris, & fœda membrorum agitatio. Divina beneficentia factum eſt, ut audito Caroli adventu, tacita quadam divinatione ſalutem ſuam cum Ipſo adveniſſe crederet. Itaque cum forte appropinquantem ædibus ſuis videret, ſubitaneo impetu in publicam viam egreſſa, atque ad pedes Ejus prolapſa ſolatium doloribus ſuis fletu magis, quam vocibus flagitabat. Tum Cardinalis tantum moratus, dum anhelitus ægre trahentem ad cæleſtis auxilii ſpem excitaret, edito ſuper eam Crucis ſigno, adeo ſanatam dimiſit, ut pene familiares aliam ab ea ſe recepiſſe putarent, quam nuperrime domo egreſſam aſpexerant.

Redeuntem Modoëtia Archiepiſcopum quartæ Diœceſanæ Synodi cura excepit, quam excitis ante Regionum Præfectis, atque explorato per eos Provinciæ ſtatu, ſub ejuſdem anni exitum celebravit. Eadem occaſione actum de reformandis ritibus, ſive qui ad Liturgiam, & horarias preces, ſive qui ad reliqua officia Ambroſianæ Eccleſiæ pertinent (*b*). Duo inſuper graviſſima edicta Synodalibus decretis adjecit, quorum altero nonnullorum petebatur improbitas, quos ab inanibus deliciis, aut ſordido quæſtu nequicquam feſtorum dierum religio revocat, tamquam reliqua totius anni tempora profanis cupiditatibus ægre ſufficiant. Cumque exhortationibus, monitiſque prompta in contumaces pœna ſuccederet, id, quod in votis erat, facile a ceteris impetravit. Alterum de adhibenda in Templis reverentia edictum erat, de qua tam multa, tam erudite, ſapienterque diſſeruit, ut duo ſupra viginti rerum capita complecteretur. Cautum in primis ne laicorum aliquis intra altaris ſepta conſiſteret, quod ne Theodoſio quidem tantæ potentiæ ac virtutis Imperatori Ambroſius permiſiſſet. Flexit deinde ad mulierem impudentiam, quas aliquando ad frequentanda Templa ambitio ma-

„ obviam proceſſit, & ingenti amoris ſignificatione „ cum eo aliqua collocutus, paulo poſt Eodem præ„ ſente rhedam inſiluit, & ab eo Oppido exceſſit.

(*a*) Paulo ante Caroli obitum, anno ſcilicet MDLXXXIV., ſcripſit Epiſcopus Ebredunenſis ex Gallia, ſe, cum Henricum Regem Lugduni conveniſſet, rogatum ab eo fuiſſe, ut ſibi Caroli imaginem, quæ penes illum erat, concedere vellet in Regio intimo conclavi reponendam; ajebat ſiquidem Rex, ſe *affatim Borromeum revereri, ex quo Ejus Sacro interfuerat.* Aliæ tamen erant Henrico hujuſmodi obſequii cauſæ; literæ nimirum amoris plenæ, & vehementiſſimis ad religionem tuendam ſtimulis refertæ, quarum aliquas ſuo loco recitabimus. Non tamen videtur diſſimulandum graves nonnunquam Caroli literas Henrico fuiſſe, cum aliquando conqueſtus ſit Cardinalis, fine reſponſo ſe ab eo Principe dimiſſum. Cum enim excitatu a Romano Pontifice fuiſſet Borromeus, ut vellet Galliarum Regem, & Sabaudiæ Ducem pro Fidei Catholicæ cauſa inflammare, reſpondit: *Se perraro cum Henrico id facere, cum nullum retuliſſet ſcripta ad eum Venetiis epiſtola reſponſum; contra vero libenter ſe id officii præſtare & præſtaturum cum Sabaudiæ Duce, cum ab Hujus religione multa ſibi polliceretur.*

(*b*) De hoc Vicariorum ſuorum coacto cœtu loquens Proſper Columna teſtis productus pro S. Caroli Apotheoſi hæc habet: „ Duos ſupra viginti „ dies congregati ſunt anno MDLXXIV. Plebium „ Vicarii, atque per id tempus infinitæ propoſitæ „ ſunt, & diligenter excuſſæ omnes de Ritibus „ quæſtiones. Exinde cœtu ſoluto, præſcripta eſt „ Sacramentorum miniſtrandorum norma juxta pro„ nunciatas in Concilio ſententias, & in lucem „ prodiit typis impreſſus Ritualis Liber. Quare li„ berata eſt vetuſtis tenebris Ambroſiana Eccleſiæ „ & ex una Congregatione diſcedentes Sacerdotes „ ſummam eruditionem ad Sacra attulere, ac tan„ tam, quantam vix ex aſſidua quatuor annorum „ diſciplina vix retuliſſent.

Digitized by Google

magis, quam religio compellit (*a*). Juſſæ omnes, quoties ad ſacras ædes accederent, faciem velo operire, nec eo quidem tranſlucido, quo ſæpe oculorum cupiditatem acrius irritant; ſed quo vere ſpeciem oris a virorum aſpectu protegerent. Adeo certe apud amantiſſimum exterioris pompæ ſexum auctoritate, & eloquentia valuit, ut nulla invelato vultu, neque ante aras ſtare, nec Ipſi publicam viam prætereunti occurrere auderet (*b*).

Cum id muliebris modeſtiæ exemplum læta ſpectaret Civitas, obortum ex inſperato Canonicorum Collegium diuturnioris lætitiæ argumentum fuit. Carebat eo decore Comenſis in Urbe regio, ita dicta, quod protinus Como venientes accipiat: eoque major deformitas videbatur, quo magis ceteræ Urbis partes multis, clariſſimiſque ejuſmodi Collegiis abundarent. Eam deformitatem ut ex oculis Civium tolleret Carolus, ſex primo ſacerdotia decentis circiter ante annis a Branchino Beſutio Bergomenſi Epiſcopo Monati inſtituta, mox alios ex agreſtibus vicis Abiateguazono, & Brebia Canonicos ad Sancti Thomæ Ædem intra Comenſis Portæ confinia traduxit, qui parem ſacrarum rerum, & Urbis majeſtati numerum efficerent. Ita & Civitatis amplitudini, & Divinarum laudum venerationi conſultum, quarum in ſolitariis, & ignobilibus locis aut obſcurior cultus eſt, aut negligentia facilior. Ac ne ornare Metropolim agreſtis Eccleſiæ ſpoliis videretur, novum Beſutii Canonicorum cœtum inſtituit, qui locus ad oram Verbani Lacus ædificiorum, incolarumque Nobilitate Municipii inſtar excellit. Opulentum vero Sacerdotium, quod ibidem invenerat, Mediolanenſi Seminario aſſignavit (*c*), eoque munere, Clerum univerſum, cujus penſionibus Seminarium ſuſtentabatur, tributi parte exoneravit (*d*).

CA-

(*a*) Extat in Bibliotheca Ambroſiana erudita in hanc rem Galeſinii Epiſtola, quæ antiquiſſimum Eccleſiæ ritum, & valde religioni conſentaneum probat, unde Decreti cauſam habuit Borromeus.

(*b*) Verum hoc fatemur, ſi de inſequentibus annis ſermo ſit; nam hac de cauſa commendavit Carolus Annam Ayamontii Gubernatoris Conjugem, & Mediolani degentem Sabaudiæ Ducis filiam quadriennio poſt, quarum utraque operto capite, & ſtatis horis in Eccleſia ad Stationes conveniebat. Ceterum vix pronunciatum hoc Edictum grave admodum aliquot Matronis fuit, quæ præmonentes ad limen Eccleſiæ Oſtiarios, difficile, nec ſine contemptu audiebant. Imo in hoc triumphavit Caroli conſtantia, qui dum quæſtionem de illis haberet, Annam Borromeam Nobilis Jacobi Antonii Arconati Uxorem primam omnium voluit acriter a Panico Vicario reprehendi, ut ex oblata mihi ſcheda apparuit.

(*c*) Sacerdotium hoc SS. Alexandri & Tiburtii *Præoratum* vocabant accolæ, unde Cardanæ prædia Seminario obvenere. Anno autem ſuperiore Ottaciorum Præpoſituram eidem Seminario adjunxerat, quam, permutatione inita cum Folinæ Sacerdotio in Foro-Julienſi agro, a Ptolemeo Novocomenſi Cardinali acceperat. Neque prætereundum eſt, quod cum de hac commutatione tranſigeret; & Ottaciorum reditus viderentur longe Folinæ cenſibus ſuperari: nihilominus ſplendide hanc Abbatiam reſignavit, conditione tamen adjecta, ut æquato utriuſque Sacerdotii reditu, quidquid ex Folinenſi ſupereſſet, Ptolemeus vel in egenorum ſubſidium, vel in Templorum ornatum erogaret. Quam cum ille conditionem accepiſſet, reſcribens Borromeus ſic lepide jocatur: *Gratulor tibi hoc modo neceſſitatem injectam ſublevandorum pauperum; quod tamen etiam ſponte facies. Cum mea ſententia ſit ut quidquid ex Sacrorum adminiſtratione redundat, in miſerorum beneficium cedat: hac te cura liberavi, ut oppoſitam ſententiam tuereris.*

(*d*) Tacitus dimiſit Gluſſianus ad hunc annum ſuſceptum a Carolo de pauperibus in unum locum cogendis, ibique ſuſtentandis conſilium. In hanc Ille mentem venerat, ut eos ab otio revocaret, & infinitis morum depravandorum periculis eximeret; locus autem oſtendebatur opportunus, Limocomium ſcilicet Sancti Gregorii, in quo commode omnes poterant congregari. Jam anno MDLXXI. poſtridie Calendas Junii datum fuerat a Pio Pontifice in hanc ipſam rem Diploma, cujus apographon oblatum mihi fuit inter MSS. Joannis Baptiſtæ Cornei aſſervata in Archiepiſcopali Archivo; ſed cum inſequente anno tamen laboratum eſſet, irrita vota recideraut. Hoc tamen anno ingentem ex piorum oblationibus jam conflaverat æris ſummam ad eos alendos, cum libentiſſime Cives omnes in hoc opus conſpirarent; quare menſe Majo ad Cardinalem Alciatum ſcripſit, *nihil amplius deſiderari ad conſilii hujus exitum, præter Pontificiæ Indulgentiæ dona*. Sed neſcio quibus intervenientibus impedimentis protracta res ad peſtilentiæ finem fuit. Hoc item anno lego ab Hiſpaniis Philippi Regis nomine miſſum Demarchum *de las Naos*, ut Romam proficiſceretur, de Mediolanenſis Eccleſiæ juribus acturus. Hic Mediolani cum verſaretur menſe Sextili, amice cum Carolo colloquens ait *præſagire animum funeſtam ſibi eam legationem fore*; quod reapſe accidit, nam legationem debilitatam reliquit Romæ morte præventus. Adde etiam menſe Majo admotas Pontifici a Carolo preces pro Monaſteriis iis delendis, in quibus tres dumtaxat aut quatuor religioſi homines de-

CAPUT VI.

Præclara Caroli geſta, cum Romæ Jubilæi cauſa verſaretur, exponuntur.

1575. INter hæc ſecularis annus advenerat, quo cæleſtia Pontificiæ clementiæ dona, ut parcius alibi, ita Romæ largius diſpenſantur. Cardinalis, cum nonniſi ſub anni finem ad Urbem peregrinari ſtatuiſſet, multa in id tempus utilia documenta ad Pontificem præmiſerat (*a*), ac præcipue monuerat, ut in tanto exterorum concurſu hoſpitia pauperibus pararet, tum infames mulierculas, quæ corpore quæſtum facerent, quo longinquius poterat ex advenarum conſpectu amoveret. Hac ſanctitate conſiliorum ita deſiderium ſui excitavit, ut multo celerius, quam ſecum ipſe decreverat, viæ ſe tradere cogeretur. Magnam oneris partem deceſſuram ſibi credidit Pontifex, quoties adjutorem Eum inter multiplices ejus anni curas haberet. Ineunte autumno commodiſſimum Carolo proficiſcendi tempus erat, niſi valetudinem ſuam poſt omnes Eccleſiæ ſuæ utilitates poſuiſſet (*b*). Sed dum dies, nocteſque ordinandis Provinciæ rebus impendit, dum Vicarios ſuos præceptis, & hortationibus inſtruit, dum remedia præſentibus, futuriſque neceſſitatibus parat (*c*), in eas denique anguſtias eſt redactus, ut deſtinatum iter perficere ſine magnis laboribus, periculiſque non poſſet. Sexto Idus Decembris Mediolano diſceſſit, inſtante jam hyeme, & ſuper frigoris acerbitatem, turbato etiam imbribus cælo. Vix ſane credibilia poſteris videbuntur, quæ peregrinationis ejus comites tradidere. Sacro peracto antelucanis horis, nam ad id quoque veniam impetraverat, tranſverſo perſæpe curſu ibat; quippe cum loca omnia ſanctiſſimorum hominum nobilitata veſtigiis inviſere in animo haberet. Camaldulenſem Eremum (*d*), Alverniæ montem, Vallis Umbroſæ, & Montis Oliveti ſacros receſſus adiit cultor ſimul, & imitator clariſſimorum hominum, qui celebritatem inviis rupibus, incultiſque ſilvis ſanctitate ſua pepererant. Cumque ſolemnibus cæremoniis, quibus Jubilæi annus inchoatur, intereſſe cum ceteris Cardinalibus vellet: inſumpta piis viſitationibus tempora itinerandi

degerent. Sacro SS. Trinitati die inauguravit Romulum Novarienſem Epiſcopum ex Nobiliſſima Archintorum familia, quem *antiquis moribus Virum, aureum, & ſinceriſſimum* vocat. Auguſto menſe Roma expellendas curavit proſtantes ad meretricium quæſtum fœminas. Demum cum Modoetiæ, quo die Regem Henricum inviſit, conſilium agitaſſet cum ejus Oppidi incolis de S. Andreæ Virginibus in S. Martini Monaſterium transferendis, ante Cal. Septembris id conſilii perfecit, Gubernatoris tamen auxilio adſcito, ejuſque ſatellitibus diſpoſitis ad eludendam vim a Modoëtienſibus intentatam. Quare ad Specianum ſcribens poſt Idus Septembris hæc habet: *S. Andreæ Moniales ad S. Martini Parthenonem traductæ feliciter & tranquille ſunt. Metus enim incolarum animos invaſerat, cum preces audirent armatas. Summo Pontifici hoc verbis meis ſignifica; iſtud enim ceteris erit exemplo. Etenim præcipua rerum exequendarum ratio in conſtanti exequentis voluntate conſiſtit. Prudenter primum decerne, mox fortiter exequere, nec unquam ipſo in opere manum remitte.*

(*a*) Ptolemæus Cardinalis Novocomenſis, & Carnilia ex Pontificis mandato Aprili menſe jam ad Eum ſcripſerant: *Perneceſſarium videri, ut ante Natalitium Chriſti Redemptoris diem Romæ adeſſe feſtinaret, quo ſalutaria plura ſtatuerentur; neque enim ullius dicto Pontifex aures daturus videbatur facilius, quam Borromæi.*

(*b*) Equidem differre in annum inſequentem hoc iter ſtatuerat ſuſcipiendum exeunte Septembri, & Romæ menſem unum degere, cum id temporis maxime ſibi Paſtoralibus curis vacuum videretur. Sed audito Pontificis imperio, quem ſemper maxime reveritus eſt, ſententiam mutavit, & hoc anno ſe in viam dedit. Attamen ſcripto exaratam voluit ſibi facultatem dari diſcedendi a Diœceſi, ne quid contra Concilii Tridentini ſanctiones faceret, ut ad Cardinalem Novocomenſem die XXIX. Septembris ſcripſit.

(*c*) Dies quindecim ac noctes ferme continentes contulit ad immenſam ſcriptorum farraginem evolvendam, edocendumque Jo. Baptiſtam Fontanam ex Vicariis ſuis, antequam ſe viæ accingeret, ut teſtatus idemmet, Borromeo defuncto, fuit. Hic etiam addidit iis noctibus ſæpius cœna Carolum abſtinuiſſe, cum uſque ad XII. horam non raro evigilaret. Nam, cum cœnæ tempus adeſſe dicerent domeſtici, *ceterus*, reſpondebat, *quam par eſt.* Elapſa media nocte, cum iterum moneretur de cœna, reponebat *Nimis ſero.*

(*d*) Cum huc ex itinere Carolus divertiſſet, excepit a quodam ejus Cœnobii Monacho Fornerius, præviſum jamdiu hunc Borromei adventum a Mediolanenſi quodam ejus Ordinis & eximiæ ſanctitatis Viro inibi degente, qui in ſomnis de hoc fuerat divinitus admonitus.

Digitized by Google

randi ſolicitudine redimere conabatur. Ad multa paſſuum millia poſt ſolis occaſum continuus erat equitandi labor, nullo antea deſtinato hoſpitio, niſi quod caſus offerret. Leguminibus, & herbis, & agreſtibus pomis Ipſe famem tolerabat: ſi quid cibi melioris inventum erat, familiæ relinquebatur (*a*).

Ob id feſtinandi ſtudium evenit, ut cum abrupta Etruriæ juga tranſcurreret, tegentibus omnia tenebris, recta via decederet, nec niſi poſt multos, ac periculoſos errores ad proxima quædam tuguria galli cantu admonitus perveniret. Sed præter informia tecta vix arcendis imbribus idonea, nihil ibi repertum, quo afflicta metu, & labore corpora refoveret. Itaque prope erat, ut omnes laſſitudine, ac fame deficerent, niſi, ut credere fas eſt, divinitus miſſi viatores onuſta cibariis jumenta præ ſe agentes, accepto pretio, egentibus ſubvenitſent. Hoc cæleſtis providentiæ dono recreati, cum ſtrati humi, aut rudi culmo incubantes ceteri ſomnum caperent, Ipſe reliquam noctem horariis precibus, & rerum æternarum meditatione conſumpſit (*b*).

Decimotertio, poſtquam Mediolano diſceſſerat, die Romam pervenit, atque inſignibus benevolentiæ teſtimoniis a Pontifice exceptus (*c*) cellulam ſibi inter Carthuſianos delegit, in qua omni rejecta de rebus humanis cogitatione, curas omnes ſuas æternæ ſaluti impendebat. Poſtquam pia deſideria contemplatione, lacrymis, jejuniis expleverat (*d*), prodibat inde nudis perſæpe pedibus ad templa, ſive quæ publico edicto deſtinata advenis erant, ſive quæ Ipſe ſibi ob ſingularem erga ſacra pignora reverentiam deſtinabat. Familiares bini ſequebantur, aut defixis meditatione animis modeſte compoſiti, aut prophetica carmina alternis cum Ipſo vocibus recitantes. Ferunt, cum Annam Sororem, Fabri-

(*a*) Breviter totum itineris faciendi ordinem expoſuit Lanfrancus Reyna, qui tum in Caroli comitatu erat, atque hæc in Tabulas retulit: *Quadrageſimæ ritibus cibos ſemper ſuos hoc tempore accommodavit Borromeus, neque alia unquam illi appoſita dapes præter panem, nuces, aut ficedulas uvas. Semper ad multam noctem ingrediebamur hoſpitium nunquam præfixum. Vix equis deſilientes, cano illius, frigore torpentes, perſæpe madidi, ſemper feſſi, recta ad Illius cubiculum contendebamus: ibi nixi genibus, quod reliquum erat Sacerdotalium precum ex Romano Ritu expediebamus*; (hoc ritu tum preces recitabat extra Diœceſis fines, ſed poſtmodum facultatem impetravit, ut ex Ambroſiano ritu omnia perageret etiam extra Diœceſim) *hiſce adjiciebantur Litaniæ, deinde ſilentes diu ac taciti contemplationi vacabamus. Hac abſoluta, nos ſemper Sermone ſacro reficiebat, inter quæ omnia gemina ſemper lacrymarum flumina effluxerant; curatio deinde corpore cubitum diſcedebatur. Ad horam decimam in Ejus cubiculo iterum habebatur conventus, ubi prima pars Sacerdotalium precum recitabatur, atque alia ſubdebantur ad colligendam mentem, & Divina perfectius obeunda. Hinc quiſque digredi, ut Sacris ad Aras operaretur; quare nunquam perfecta omnia, niſi ad horam duodecimam: qua data, conſcendebamus equos, atque in alteram usque noctem, citato curſu, & nullo deſignato ad quietem loco contendebatur.*

(*b*) His verbis Fornerius hoc factum deſcribit: *Cum aliquando nullo duce, nocte intempeſta per dubios Appenninorum Montium anfractus incerti omnes erraremus, forte querulam auditu canis vocem ſecuti ad miſerrimum mapale defleximus. Ibi cum eſculentum nihil ſupperetet, accidit, ut ſupervenientes Agaſones quidam cum leguminibus nonnullis in futuras proxumi Pagi nundinas comparatis, aliquod famis remedium ſubminiſtraret. Cum vero ſtratum ibi nullum extaret, reliquis noctem totam in ſtabulo deliteſcentibus, unus Carolus ibidem, ubi refecti fueramus, diudum precibus intentus, deinde etiam ſacræ Lectioni ad ſordidam lucernam inſomnis vacavit.* Reliquum deinde viæ plura religionis officia inſumpſere. Nihil, quod pietatem ſuam deceret, in via prætermiſſum. Nulla ſacra Ædes occurrit, quam non fuerit ingreſſus. Inter equitandum ſermones habebat ad paucos, qui ſequebantur, comites; (plures enim per viarum compendia Romam præmiſerat, dum Rifredi eſſet) hortabatur autem eos, ut religionem acrius inflammarent, monebatque, ne Romam admiraturi, ejuſque magnificentiam illuc contenderent, ſed ſe ad divina percipienda munera compararent ſanctiores redituri. Hæc ex Octaviani Abbiati de Foreriis teſtimonio deprompſimus.

(*c*) A Pontifice primum ad colloquium admiſſus multa cum eo egit de componendis Romæ rebus; inter quas præcipue caveri optavit Peregrinorum Romam advenientium multitudini, ne quid labis eorum moribus aſpergeretur, aut commodi hoſpitibus deeſſet.

(*d*) Omnes item animi maculas per Confeſſionem depoſuit, dieſque aliquot in pias meditationes remotus ab omnibus abſumpſit. Cumque deinde in publicum ſe dediſſet conſpectum, veterem morem ſuum renovavit, ut *Scalas Sanctas* ſæpius nixus genibus aſcenderet. Maximum reliquo tempore Illi etiam ſolatium erat antiquam Romanorum Templorum Iconographiam attentius perſcrutari. Ambones, & Baptiſteria, & quidquid vetuſtum Eccleſiæ ritum ſaperet, ſolerter explorabat, comite aſſumpto Octaviano de Foreriis, ex cujus teſtificatione hæc delibavimus. Tum enim moliebatur animo concinnare aureum illud opus, quod *Inſtructionem Fabricæ Eccleſiaſticæ* inſcripſit, atque in lucem edidit.

Digitized by Google

britium Columnam Conjugem ejus, alioſque Optimates, quin etiam Octavium Farneſium Parmæ, ac Placentiæ Ducem obvios habuiſſet, diſſimulato aſpectu, aut vix nudato capite tacitum abiiſſe, adeo nihil offenſo Duce, ut illam potius intempeſtivæ urbanitatis negligentiam imitatione digniſſimam prædicaret. Tantam equidem venerationem ſui Romanis injecerat, ut quoties in vias prodiret, concurſus undique ad ipſum fieret (*a*), nec Matronæ defuerint, quæ, vincente verecundiam religione, palam in genua procumberent pedes Ejus oſculaturæ, niſi extrema hæc pietatis officia majore Ipſe modeſtiæ conatu repuliſſet.

At ne quis putet deliramenta iſta muliebris ingenii fuiſſe, Cæſar Baronius (*b*), præclarum illud Cardinalitii Ordinis, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lumen Cardinalem noſtrum tanti feciſſe traditur, ut crepidas, quibus ille in Templorum viſitatione utebatur, clam ab aliquo ſurreptas, ac ſibi traditas tamquam aliquod ſalutis pignus diligentiſſime cuſtodiret. Quem religioſi animi ſenſum Dæmon ipſe comprobare coactus eſt, qui poſtquam Romanam puellam more ſuo diu, crudeliterque obſederat, crepidis illis propius admotis, dolorem, quem ex earum aſpectu capiebat, horribili ululatu confeſſus, protinus ex ejus corpore diſceſſit.

Verum Carolus in Sanctæ Praxedis Ædes, quas in titulum obtinebat, ex Carthuſianis reverſus publicum veluti Hoſpitium peregrinis præſertim Mediolanenſibus aperuerat, quorum ingentem multitudinem ut exemplo, & hortationibus ſuis Romam adduxerat (*c*), ita effuſis largitionibus aluit. Crebra ſubinde colloquia cum Summo Pontifice inibat, quem cum ad conſilia ſua pronum animadverteret, monere non deſtitit, ut quanta poſſet ſolicitudine familiam primo, mox Clerum, ac Populum univerſum ſalutari diſciplina componeret, quo videlicet advenæ ex omni natione confluentes optimam de Romano Pontificatu opinionem ad ſuos referrent. His alia ſubdidit ad totius Eccleſiæ regimen ſummopere utilia; atque illud in primis, ut certum Cardinalium numerum in perpetua tempora Romæ ſtatueret, qui Epiſcoporum cauſas dijudicarent, controverſias definirent, ſingulis denique eorum neceſſitatibus opportunis remediis conſulerent. Apoſtolici Viſitatores, quos Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſa raro deſtinari mos erat, ut in omnes Provincias mitterentur ad cognoſcenda Sacrorum Antiſtitum ſtudia ſuadebat, ad ſupremam Eccleſiæ Sedem relaturi, ſi quid emendatione, aut auxilio dignum invenirent. Quod cum multis rationibus ſaluberrimum fore contenderet, primus Ipſe viſitandi Epiſcopos, quos Provincia noſtra complectitur, mandatum accepit. At ne cuiquam cenſorem domi habere grave videretur, laborioſæ viſitationis onus libentiſſime ſe laturum reſpondit, ſi eamdem Ipſe cenſuram ſubire juberetur. Et annuit illico Pontifex, dato Hieronymo Ra-

(*a*) Plures reperio ad Eum accedentes propius affectaſſe tangere Sacras veſtes, & Romanorum Procerum aliquos Ipſi obvios intercepto ſtatim itinere ſtetiſſe tantæ ſanctitatis admiratione defixos; imo aliquando ſublatas palam piorum hominum voces, clariore vocis ſono Eum *Sanctum* inclamantium.

(*b*) Plurimi ſemper Carolum fecit eximium hoc Eccleſiæ decus; nam ſæpius per Franciſcum Mariam Tauruſium ſe Ejus precibus commendabat; ſummoque inſuper ardebat deſiderio, ut ex iis eſſet, qui ad hanc Urbem deſtinabantur, Oratorii Patribus. Neque, Borromeo extincto, imminuta eſt aliqua obſequii pars; extant enim plena venerationis teſtimonia pro Apotheoſi Ejus curanda apud Marcum Aurelium Grattarolam in ſuo Italico quod typis edidit Volumine de Apotheoſi S. Caroli, & etiam in MSS. Baronii ipſius literis ad Bartholomeum Zucchium; quinimo Auctor ille præcipuus extitit Joanni Petro Gluſſiano, ut Sancti Cardinalis Vitam, & res geſtas luculenter deſcriberet.

(*c*) Comes Ludovicus Gallaratus Mediolanenſis Patricius eo anno ad Pontificis præſentiam Romæ admiſſus ſcripſit, rogatum ſe a Gregorio, *cur eo tempore Mediolanenſes ceteris Nationibus frequentiores in eam Urbem advenissent?* ſe autem reponente *commonitos Cives ſuos Borromei Paſtoris exemplo esse*: Pontificem ſublatis ad cælum manibus admiranti ſimillimum dixiſſe: *Ecquis ad tantam Sanctitatem aspiret!*

Digitized by Google

Ragazonio Famæ Auguſtæ Epiſcopo (*a*), probatæ prudentiæ viro, qui Mediolanum proficiſcens ab Archiepiſcopo hactenus geſta in judicium revocaret. His, atque aliis magni animi teſtimoniis adeo conciliaverat ſibi Pontificis gratiam, ut omnia, quæ poſceret ad Eccleſiæ ſuæ ornamentum, ſive utilitatem impetraret (*b*). Conceſſum in primis, ut Jubilæum, quale tunc Romæ tanto peregrinorum concurſu agebatur, Mediolanenſes in Patria ſua ſequenti anno celebrarent. Plura alia Paſtorali Ejus ſolicitudini attributa (*c*): id modeſtiæ datum, ut gentilitio ſigillo relicto, acta, quæ ederet, Ambroſii Patroni, & SS. Martyrum Protaſii, ac Gervaſii imaginibus obſignaret (*d*), ſeque velut oblitum Borromei nominis Cardinalem S. Praxedis (*e*) inpoſterum appellaret.

CA-

(*a*) Celebre in hujus Ævi Hiſtoria nomen Hieronymi fuit. Etenim ille in Romanam evocatus Aulam, in qua etiam Pio IV. a Cubiculo erat, Epiſcopus Nazianzenus renunciatus eſt, & in Tridentino Concilio adhibitus eleganti Oratione Cœtum illum ſolvit. Poſtmodum ad Famæ-Auguſtæ Sedem evectus, cum videret a Turcis Cyprum Inſulam diripi, in ipſa Urbis ſuæ obſidione per mediam hoſtium Claſſem ad Venetos convolavit, ſerum tamen poſtulaturus auxilium. Urbe igitur capta, & Romam profectus Chimaſenſis in Creta Epiſcopus electus in Ravennatis, Urbinatis, & noſtræ Eccleſiæ luſtrandæ munere fuit inſignis; atque adeo in hoc probatus Carolo, ut in Romuli Archinti Novarienſis Epiſcopi demortui locum Eum ſufficiendum a Pontifice curaverit. Sed cum huic electioni nunquam accederet Hiſpanorum conſenſus, ne illum e Provincia ſua dimitteret Borromeus, Bergomenſi Eccleſiæ Paſtorem impetravit, in qua, ut etiam alibi, & præſertim in Gallica Legatione, optimi Antiſtitis laudem ſemper tulit. Vide plura apud Ughellum ubi de Bergomenſibus Epiſcopis.

(*b*) Audi quid de impetratis a Pontifice beneficiis ad Eum Caſtellus Ariminenſis Epiſcopus ſcripſerit die XIX. Februarii hujus anni: *Te Eccleſiæ tandem reſtitutum tuæ ſummopere gratulor; eoque vehementius de reditu hoc gaudeo, utpote intellexi Te donis auctum a Pontifice diſceſſiſſe. Audio enim additum mille aureorum cenſum Seminario tuo, & parem pecuniæ ſummam Metropolitano Collegio adjectam. Maxime autem geſtio lætitia, quod Romam & Florentiam, quas Urbes virtutis tuæ fama impleveras, nunc audio pietatis tuæ certa teſtimonia palam ſuſpexiſſe. Quamquam non inexpectatum mihi hoc nuncium fuit; imo expectationem certe meam impleviſti: quare gratias Deo ego immortales.* Quæ autem bona Eccleſiæ ſuæ addixerit hoc tempore indicant Breves Pontificis literæ datæ hoc anno ad diem XXVII. Januarii, in quibus continetur *Facultas ſeparandi poſſeſſionem de Beſuæ, & alia bona uſque ad ſummam mille ſcutorum a Collegio Borromeo Papienſi, & illa applicandi maſſæ Officialium Eccleſiæ Majoris Mediolani, cum facultate conſtituendi Pœnitentiarios in Metropolitana.*

(*c*) Cum Eum præcipue tangeret Ambroſiani Ritus reſtituendi cura, alias obtinuit Breves literas ad diem XXV. Januarii *pro introducendo, & reſtituendo Ritu Ambroſiano in ſuæ Diœceſis Eccleſiis, & Monaſteriis Archiepiſcopali juriſdictioni ſubjectis pro arbitratu ſuo auctoritate etiam Apoſtolica.* Harum literarum Apographon legi in adverſariis MSS. Jo. Baptiſtæ Cornei exiſtentibus in Archivo Archiepiſcopali, quod nunc recito.

GREGORIUS PAPA XIII.

„ Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſiæ Mediolanenſis, cui „ ex diſpenſatione Apoſtolica præes, peculiaris, „ ac propria in Divinis Officiis, ac Ritibus ratio, cum non modo ducentis ab hinc annis „ introducta; ſed uſque adeo antiqua ſit, ut jam „ inde ab ipſo Beato Ambroſio Confeſſore, & „ Doctore inſtituta, atque præſcripta perpetuo ſit „ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ firmata conſenſu: „ Nos propterea, quoniam tu pro eo, quod debes, „ in eam curam incumbis, ut in iſta tua Eccleſia „ non conſerventur ſolum, ſed reſtituantur veteres „ Ritus, & antiqua illa Ambroſiani Officii inſtitutio, „ eaque ipſa jamdiu probata in Diœceſis tuæ Ec„ cleſiis una eademque certa ſervetur: cumque hoc „ par ſit, & Canonum jure ſancitum, & in Ho„ rariis precum Officiis, & in Eccleſiaſticis Riti„ bus cum Metropolitana, Cathedralive Eccleſia re„ liquæ inferiores omnino conſentiant: iſtud omne „ ſtudium tuum pietati & æquitati conſentaneum, „ ſicut vehementer in Domino commendamus, ita „ libenter etiam adjuvamus. Quamobrem ubi in „ Diœceſis tuæ Eccleſias, Monaſteriave Archiepiſ„ copali Juriſdictioni tuæ ſubjecta, eam Ambroſia„ ni Ritus, & Officii rationem introducendam, „ aut reſtituendam eſſe cenſueris: id plane arbitra„ tu tuo fieri licere volumus; utque id Apoſtoli„ ca etiam auctoritate præſtes, his literis omnem „ tibi facultatem damus, impartimur, & concedi„ mus. Non obſtantibus alio uſu, conſuetudine, „ ceteriſque contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ „ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Fiſcatoris die „ XXV. Januarii MDLXXV. Pontificatus noſtri anno „ tertio.

Cæſar Glorierius.

(*d*) Privilegium hoc *ſibi & Succeſſoribus* obtinuit die XXIX. Januarii, utendum tamen *dumtaxat in functionibus Archiepiſcopalibus.*

(*e*) Religioſe hunc exinde morem retinuit adeo, ut epocham literarum ſuarum ex Ejus ſubſcripto nomine facile cognoſcas. Maxima hac ſuper re Romanos Cardinales cepit admiratio: & mirifice hoc Ritu delectatus Cardinalis Novocomenſis pollicitus per literas fuit ſe in poſterum, expuncto Familiæ nomine, Sanctæ Agathæ titulo uſurum ad nomen ſuum indicandum, cum optime hunc antiquum Eccleſiæ Ritum noſſet. Verum ſi hoc ſerio ſpopondit, fidem non videtur præſtitiſſe; imparem enim Borromeo con-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Mediolanum reverſus Apoſtolicum Viſitatorem excipit: Ipſe interim ad Cremonenſem prius, mox Bergomenſem Eccleſiam luſtrandam proficiſcitur.

1575. EXpugnata denique precibus voluntate Pontificis diſceſſum Ejus moleſte ferentis, reditum in Patriam Carolus adornabat, Vaſtallam ad novam Ædem conſecrandam eodem itinere petiturus, quemadmodum Cæſari Gonzagæ, & uxori ejus Camillæ ſorori ſuæ pollicitus erat. Verum Bononiam cum perveniſſet, antequam equo deſcenderet, admonitus eſt certam de proximo Cæſaris ipſius obitu Medicorum eſſe ſententiam. Itaque continuato dies noctesque curſu, ut ſuprema morienti pietatis officia præſtaret, prope tamen inutilis feſtinatio futura videbatur, niſi tam longe ab humanis judiciis divina diſſiderent. Obtenebraverat ſanguinis æſtus miſeri Principis mentem, nec niſi per abſurdas voces, & inſana deliria interrogantibus reſpondebat. In tam ancipiti rerum articulo Cardinalis ad uſitata ſibi remedia confugit, precibus ſcilicet, ac lacrymis a Deo poſtulans, ut ſin minus infirmum Dynaſtam ſervare incolumem vellet, rationem tamen ante quam vitam in ipſo extingui non ſineret. Hoc cæleſti remedio rediit illico ægrotanti mens: expiatuſque Sacramentis omnibus, quibus ad extremum certamen munimur, adeo ſancte deceſſit, ut Carolus ipſe affirmaret, haud ſecus illum in Aula obiiſſe, quam ſi vitam omnem in Aſceterio aliquo tranſegiſſet (*a*).

Perfunctus deinde exequiis, & conſecratione Ædis (*b*), quæ prior occaſio adventus Ejus fuerat, tum vidua ſorore optimis conſiliis inſtructa, Mediolanum revertitur magna gratulatione Civium, quibus aſpectum Ejus crebri ex Urbe diſceſſus jucundiorem faciebant. Nondum ſane refectis ex itinere viribus, volvebat animo viſitationem Provinciæ, pro ut cum Pontifice Romæ convenerat. Sed cum viſitationem inchoari ab Eccleſia ſua cuperet, Salaminæ Epiſcopum, de quo antea dictum eſt, paulo ſerius expectari oportuit. Quo tandem honorifice excepto; commonitoque (*c*) de iis, quæ ad rem feliciter exe-

conſtantiam habebat. Fidelius hoc uſi exemplo ſunt Cardinales Caſtanea, Fachinettus, & Contarellus, quorum ille exinde Cardinalis Sancti Marcelli, alter Sanctorum IV. Coronatorum, poſtremus S. Stephani appellari voluit, Borromei nimirum exemplo prælucente, ut Specianus ſcripſit. Cauſas vero, propter quas hoc conſilium ſuſceperit, ex Joannis Baptiſtæ Fontanæ Ferrarienſis Epiſcopi teſtimonio præſtat intelligere. Hæc ille ſcripſit juratus: *Reverſum Mediolanum Cardinalem anno MDLXXV. cum alloquerer, atque admirationem quamdam vultu præferrem intelligens Eum non alio uti nomine, quam Cardinalitii Tituli, hæc mihi Borromeus repoſuit: Hoc jamdiu volvebam animo, ſed nunquam deliberavi, niſi conſulto Summo Pontifice, qui idipſum probavit. Mentem nimirum hanc mihi injecerant Innocentii III. opera; quæ eum evolverem, legeremque opuſculum inſcriptum* de Contemptu Mundi, *plures oculis obverſati ſunt Canones ad aliquot Cardinales miſſi, quorum nomen ſupplebat ipſe dignitatis, & Templi, cui addicti erant, titulus. Quamobrem vidi hunc ritum antiquæ Diſciplinæ eſſe: nimirum Epiſcopus familiæ ſuæ, & cognationi omnino debet valedicere.*

(*a*) Omnia ut in oculis defigantur, efficiet Lanfranchi Reynæ teſtimonium. Hæc ille habet in tabulis: „ Roma dum regrederemur anno MDLXXV., „ antequam Bononiæ mœnibus ſuccederemus, mo„ nitus per certum nuncium Cardinalis fuerat, con„ clamatum jam eſſe de Cæſaris Gonzagæ Vaſtallæ „ Domini valetudine. Citatiſſimo itinere illuc ſta„ tim deflexit, & cubiculum ægrotantis recta in„ greſſus, Principem decumbentem, & ſenſus ex„ pertem hiſce vocibus, ſeu præſagio interpella„ vit: *diſpone domui tuæ; cras enim morieris*. Cui „ Princeps veluti ex veterno excitatus, *age itaque*, „ ait, *animæ prospiciamus, ſi de corporis valetu„ dine eſt deſperandum*. Carolus Patrem Societatis „ Jeſu Novellara evocatum adjutorem illi in expian„ dis per Confeſſionem noxis ocyus dedit. Sacris „ myſteriis ſumptis, Cæſar ſupremas tabulas ſigna„ vit; mox ſui impos factus, rationis uſum, dein„ de vitam, nunquam tamen Cardinalis ſemper lecto „ aſſidentis officia amiſit.

(*b*) Tanta fuit ex tam acerbo Viduæ Sororis caſu animi conſtantia in Carolo, ut ſtatim poſt Cæſaris obitum ad conſecrandam rite Eccleſiam accederet, nondum humato Principis defuncti cadavere. Quare miraculo fuit Vaſtallenſibus Eum tamdiu ſacræ rei vacaſſe, quin ullum commoti animi indicium præ ſe ferret. Mediolanum deinde venit VI. Cal. Martii ad ſex milliaria ab urbe perhonorifice a Collegio Metropolitano exceptus.

(*c*) Vere & ex animo opportunam hanc Viſitatoriæ Apoſtolici curam ſentiebat pro ſua animi demiſſione; etenim Legatus Carolus ad Cremonenſem Diœceſim obeundam, Carniliæ hoc tempore literas dedit in hanc ſententiam: *Cum Ragazonius quidquid incuria mea in Mediolanenſi Diœceſi peccatum eſt, emendare ac ſupplere ſolertia ſua debeat: ego interim cenſura aliorum maximæ ſubjiciendus cenſor in aliorum vitia jubeor inquirere &c.*

Digitized by Google

exequendam ſcitu neceſſaria videbantur: Ipſe arcto quantum poterat comitatu (*a*) Cremonam iter inſtituit. Memor vetuſtæ nobilitatis Civitas, quamquam Nicolaus Sfondratus ejus Antiſtes gravibus de cauſis eo tempore aberat, probe tamen ſentire ſe oſtendit, qualem Virum acciperet. Hujus autem laudis minima pars feſtivæ acclamationes, & ſplendidi apparatus fuere. Illuſtriorem Cardinali triumphum pietas incolarum inſtruxit, quos adeo deſideriis ſuis obſequentes habuit, ut quo primum die viſitationem indixit, octo millia hominum manu ſua cæleſti pane reficeret. Eadem fere ſanctitatis veſtigia aut invenit, aut reliquit in vicis, oppidiſque, quorum ingentem numerum Cremonenſis ager amplectitur. Sane Sfondratus ad Epiſcopatum rediens adeo renovata omnia meliorem in formam invenit, ut Carolum verius Tutorem, & Patrem Eccleſiæ ſuæ, quam Viſitatorem fuiſſe fateretur. Multa enim, & gravia vitia, quibus tollendis nequicquam ipſe inſudaverat, ſublata prorſus invenit: Sanctimonialium præſertim, quarum animis monaſticæ diſciplinæ memoria paulatim exciderat (*b*). Illud quoque admiratione dignum videri potuit, quod cum ſingula ampliſſimæ Diœceſis loca diligentiſſime exploraret, tertio tamen menſe viſitationem abſolveret. Sed non ita mirabantur, qui omnem vitæ Ejus rationem compertam habebant. Somni parcitas, & ciborum parſimonia dierum menſuras extenderant; & cum nullam ad commoda ſua partem ſeponeret, tempus ad publicas curas abunde ſupererat. Explevit poſtremo expeditionis ejus gloriam Bartholomæus Sclavius, qui cum diutino, & gravi morbo decumberet, ad Caroli acceſſum, ſedato febris æſtu, tantum inſuper virium extemplo recepit, ut lectulo protinus exiliret.

Quo tempore Carolus ex Cremonenſibus rediit, aderat natalitius Deiparæ dies, cui primariam Mediolani Ædem Majores dedicavere. Ejus diei Solemniis rite celebratis, moræ, & quietis impatiens in Bergomates, affinem Inſubribus gentem conceſſit (*c*). Magiſtratus Urbis, prout inter mandata ab Venetiarum Senatu habebat, itemque Federicus Cornelius (*d*) Sacrorum Præſes ob parem generis nobilitati virtutem Patavina Infula, mox Romana Purpura inſignitus, & cum eo Clerus, Populuſque univerſus nihil eorum omiſere, quibus condecorari adventus magnorum Principum ſolet (*e*). Jucundiſſimum præ ceteris ſpectaculum præbuere plena cultoribus

(*a*) Ad eumdem Carniliam ſcribens die XVI Junii explicat, quam moderate eam Diœceſim obierit. Ejus verba fideliter reddo: *Quæ ad victum neceſſaria ſunt ſex equitibus ac pedutibus tribus, hæc dari mihi patiar, certis tamen ad parſimoniam ſervandam præſcriptis legibus. Reliquis, qui in comitatu erunt, ex ære meo ſuppeditabo omnia in Urbe atque Oppidis, ubi etiam equorum omnium pabulum meis curabitur expenſis.*

(*b*) Fuſe eidem Carniliæ expoſuit die XXVIII. Julii quidquid ſancte ac ſalubriter ea in Diœceſi, atque Urbe conſtituerat. Præcipue verſata eſt Caroli cura in publicis ſpectaculis a Civium oculis removendis, & invehenda in Collegia Virginum ſanctiori diſciplina; quare Cremonenſi cuidam Monaſterio Præſidem ex Sancti Pauli Mediolanenſi Parthenone Virginem attribuit. Divinarum precum ordinem in primaria ejus Urbis Baſilica tenendum præſcripſit: plura Canonicorum cum Antiſtite diſſidia compoſuit: & Xenodochio majori Præfectis certas leges dedit. Breviter, ut de Chriſto Jeſu dictum eſt, *pertranſibat benefaciendo*. Laudat vero in expeditione hac ſua Borromeus Patris Hieronymi Ferri ex Theatinorum Mediolanenſium familia operam, qua fideliter admodum, atque utiliter uſum ſe fuiſſe eo tempore fatetur.

(*c*) Huc antequam proficiſceretur, adeſſe conſtitutum Synodi de more congregandæ tempus intelligens juxta Tridentini Sanctiones, per Specianum Procuratorem ſuum hujus differendæ facultatem a Pontifice voluit impetrari.

(*d*) Indicta ſibi Bergomenſi Viſitatione per Carolum perficienda, hic Præſul fuerat a Fratre Cardinali Venetias evocatus, ut graviſſimis de rebus cum illo tranſigeret. Ibi dum eſſet, febri correptus eſt; quare morbum cauſatus ſcripſerat die XVIII. Auguſti non ſine doloris ſignificatione, ſe Borromeo venienti non occurſurum. Vicit tamen corporis imbecillitatem ingens, quo in Carolum ferebatur, amor; & vix febri recreatus, & citato itinere ad Urbem ſuam convolans, venturum Metropolitanum Antiſtitem prævertit, ut benevolentiæ ſuæ, & religioni ſerviret.

(*e*) Triumphalis vere Caroli ingreſſus in hanc Urbem fuit, prodigiis etiam in Ejus gloriam conſpirantibus. Siquidem Nobilis Marcellus Viſcardus Bergomenſis Civis juratus M. Aurelio Grattarolæ expoſuit, a ſe tum præſente viſum Caroli ingredientis capiti cæleſtem imminere ſplendorem, qui Illius incedentis paſſibus motu item ſuo obſecundabat. Id novum certe adſtantibus viſum præſertim, cum ſex circiter latus palmos ſplendor ille coronæ, ſeu circu-

Digitized by Google

ribus templa, assiduæ per compita supplicationes, conferta ad aras omnis generis hominum multitudo, quorum sæpe plura millia ab ortu ad occasum solis Eucharistica dape paviſſe alicubi dicitur, superante corporis lassitudinem suavitate gaudii, quod ex publica pietate perceperat (*a*).

Interſepta montibus, viisque asperrimis Regio, & Cremonensibus campis longe dissimilis retardatura pastoralis diligentiæ conatus videbatur, nisi plana omnia virtuti forent. Quod mirum est, major cum inconsulta religione aliquorum, quam cum locorum difficultate contentio fuit. Suburbanam ædem SS. Firmi, & Rustici Corporibus inclytam Sacræ Virgines tuebantur, quas cum traducere ad interiora Urbis tutius, ac decentius ibi manſuras Cardinalis voluisset, Martyrum quoque Reliquias inde transferre decreverat. Quod ubi suburbii incolis nunciatum est, haud secus exarsere animis, quam si imminere sibi fortunarum excidium, & paternæ domus direptionem viderent. Armati Ædem circumsident vim, cædemque minitantes, si quis sacris Cineribus manum injicere auderet. Finis irarum fuit, postquam irasci Carolum, ac sibi parari pœnas sacrorum violatoribus constitutas audiere. Positis armis in lacrymas effusi, & anathematum vinculis, si quæ forte incurrerant, palam absoluti aggregavere se agmini, quo Sanctorum Corpora in urbem ferenda erant, pompam augentes triumphi, cujus paulo ante oppugnatores fuerant. Hæc eo anno in Bergomensibus gesta, tanto cum eorum gaudio, ut Oratorem publico nomine destinarent, qui pro ingentibus beneficiis gratias ageret, & perpetuam rerum, quas viderant, memoriam polliceretur. Ut vero abeuntem ex mœnibus suis videre (*b*), tantus repente mœror Civitatem invasit, plane ut veritatem gaudii, quo venientem acceperant, comprobaret. Extra portas effusi dolorem, quem ex ejus discessu sentirent, fletu, & ejulatibus significantes, non antea in urbem rediere, quam ipse omnino ex oculis dilaberetur (*c*).

CA-

---

li formam exacte describeret. Hoc etiam testatus est D. Lanfredus Maffæus in Æde Bergomensi S. Laurentii Rector, & in Librum suum de Sancti Caroli Apotheosi intulit jam relatus Grattarola.

(*a*) Inter cetera Pastoralis constantiæ testimonia in hac Visitatione singulare illud exhibuit, quod detrahi e Bartholomei Colleonii sepulcro spolia triumphalia jussit. Rem totam exponit dilucide scribens ad Castellum tum Arimineusem Episcopum: *Cum Bergomi essem, detrahi jussi pendula Vexilla prostantia ad sarcophagum Bartholomei illius Ducis, tot pro Venetorum Republica stipendia merriti. Misi ad hoc Monetam meum; neque enim alius opportunus æque videbatur: atque ex tempore discerpi profana insignia volui, imo comminui, ne ulla suppeteret in posterum restituendi potestas. Improvisum hoc, atque subito perfectum consilium eam offensionem animorum repressit, quam mitigare certe non potuissem, si rem longa consultatione protraxissem.* Neque etiam dissimulabo, quod de Bergomensium religione Apotheosis tabulis inseruit Bernardinus Taurusius, testimonium. Hic scribit se Bergomi degentem, utpote erat in Sancti Cardinalis comitatu, missum a Borromeo ad quædam curanda in Sancti Martini Valle duodecim circiter milliaria ab ea Urbe disitam: Bergomo autem summo mane profectum, dum Sacrum Carolus faceret, & eadem die reversum ad horam XXII. obvium fuisse Sancto Pastori tum ab ara venienti, ut se vestibus sacris spoliaret. Nimirum totum illud, quod abfuerat, tempus absorbuerat continens labor susceptus pro illis Civibus cælesti Pane reficiendis, quorum undecim millia ad Sacram Mensam accesserant.

(*b*) Sub Novembris exitum, perfectis omnibus, Bergomo discessit Borromeus. Ante discessum tamen certum indicium dedit, quantum, absens licet, in sinu ferret Mediolanenses suos, ad quos ab ea Urbe Literas Pastorales dedit: in iisque celeriter se rediturum pollicitus est, & cives excitavit ut se ad Immaculatæ Deiparæ sacrum diem, & ad publicam Synaxim religiosa animi contentione compararent.

(*c*) Injurius sim amori, quo Philippum Nerium prosecutus semper Carolus fuit, si dissimulare ad hunc annum velim Congregationis Oratorii Patres in hanc Urbem fuisse inductos. Notæ sunt Borromei in eosdem munificentiæ significationes, cum Peregrinorum Sodalitati ab iis administratæ menstruum vigintiquinque aureorum subsidium suppeditaret. Syngrapham, qua fidem in hoc Carolus obligavit suam, crystallo munitam hodie etiam religiose servant Romæ ejus Congregationis Patres. Ducentos nummos primus omnium Borromeus erogavit ad Sanctæ Mariæ in Vallicella statuendas substructiones. Neque vacat referre, nullas distributas Romæ ab Eo pecunias, nullos adscitos in familiam administros, aut servos, neque Oblatorum firmata instituta, nisi ex Philippi consilio. Itaque cum Oratorii Sodalitas sibi mirifice probaretur, jam ab anno MDLXXII. cum ad Romana Comitia pro eligendo Pontifice perrexisset, studuit, ut ejus Congregationis Patres aliquot Mediolanensi Urbi concederentur. Erat apud Nobilissimam Mediolani Littarum familiam Alphonsi Cardinalis Littæ tempore ipsa Philippi Epistola scripta ineunte Majo MDLXXII. ad Carolum, qua, oblatis Braydensibus Ædibus, testabatur: *non debere se nido ma-*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Jubilæum Mediolani ex Pontificis indulgentia conceſſum celebrat, & pias eo tempore in Urbem inducit exercitationes.

1576. SEquenti anno, poſtquam Jubilæi ſolemnia Romæ deſierant, Mediolani parabantur. Quibus rite celebrandis quantum laboris, & ſtudii vigilantiſſimus Paſtor impenderit, vix ego paribus verbis exequi poſſim (*a*). Principio editis in publicum literis, quibus ſingularem erga Mediolanenſes Divini Numinis beneficentiam demonſtrabat, ſingulos enixe obſecrabat,

majores pennas extendere, cum vix jeciſſet Societatis ſua primordia; tamen perfecturum, ut aliquot ex ſuis huc venirent. Imo jam biennio ante Specianus ſignificaverat per literas *Philippum ſummo hujus Urbis incolendæ flagrare deſiderio, atque unum expectare Pontificis mandatum, cum relicto ſibi eſſet ſine hac facultate Roma pedem efferre*. Franciſcus item Maria Taurufius initio anni MDLXXV. ad Carolum ſcripſit *ſperare ſe fore, ut Mediolani ſuos Philippus cineres deponat*. Itaque hac ſpe diu ſe ſuſtentans Carolus opportuniſſimum Sancti Antonii locum ad eorum Collegium deſtinavit, cum Braydenſes Ædes jam in uſum Societatis Jeſu ceſſiſſent. Unus obſtitit Nerius, qui Theatinorum Patrum officiis victus reſcripſit *ſedem hanc, utpote perpetuam fore Theatinis aptiorem, quam ſuis, quibus ad tempus duntaxat eſſe voterat*; quare Carolum fide ſibi data ſplendide abſolvit. Id fortaſſe Divino afflatus Spiritu dixit Nerius; nam hoc beneficio Patrum Oratorii frui diutius Mediolanenſes non potuere. Etenim XXVII. Maji MDLXXV. legati ſunt Mediolanum Roma Alexander de Fidelibus, & Pompejus Paterus ex ea Congregatione, dati comites Fabritio Mediobarbo huc redeunti; iiſque demandatum eſt, ut rem cum Borromeo tranſigerent. Forte accidit, ut cum alter ex iis publico, ut vocant, dimiſſorialis Epiſtolæ teſtimonio careret, ſacris muneribus illi interdiceretur, quoad eam offerret, nolente Carolo quidquam ex Decretis imminuere. Re itaque tranſacta ad XXVI. Octobris diem ejuſdem item anni deſignati ſunt quatuor Oratorii Patres, qui domicilium in Sancti Simonis Ædibus Mediolani figerent. Adjecti nimirum duobus ſupradictis ſunt Nicolaus Gilius, & Petrus Perachionus, quem poſtremum Specianus *ſanctitatis fama venerandum* teſtatur, *licet ſodalium minimus ætate eſſet*. Gratiſſimum nuncium a Speciano accepit Cardinalis, cum Urbem Bergomenſem luſtraret. Aſpirabant ad hanc provinciam ſummis votis Franciſcus Maria Taurufius & Cæſar Baronius; ſed hujus morbus & ædificandæ Eccleſiæ ſuſcepta ab illo cura a concepta ſpe utrumque dejecit; licet depoſceret enixe Taurufius *optimum hunc atque uberrimum*, ut ipſe ſcribit, *excolendum agrum, cum non æque laboribus ſuis Etruria & Roma adhuc ſteriles reſpondere videretur*. Itaque efflorescebat expectata in hoc campo ſeges, cum repente ad Quintilem menſem anni inſequentis redditæ Patribus ſunt literæ Philippi nomine, quibus ocyus hinc faceſſere omnes jubebantur. Harum ſcribendarum cura impoſita Taurufio eſt, qui multa opportune cauſatus, Nerium conatus eſt ab hoc conſilio depellere; ſed fruſtra. Vix redditis literis, ut ſcribit Marcianus in ſuis Hiſtoricis de Congregatione Oratorii Collectaneis, moverunt hinc caſtra, qui hic degebant, Patres: & prodigii loco habitum eſt, quod vix collectis vaſibus certa peſtilentiæ indicia Mediolani extitere. Et ſane adeo difficile Romam revertentibus, & impeditum iter fuit, ut gemini ex iis, qui Papiam deflexerant, vix elabi per cuſtodes ubique diſpoſitos potuerint, & ſumma hyeme hærere triduum ad Cremonæ portas coacti fuerint. Certe non is ego ſum, qui huic Sancti Philippi imperio vaticinii laudem detrahere velim; præſertim cum plura ab eo emanaſſe præſagia etiam in joci ſpeciem certo ſciam. Verum aliæ etiam occurrunt in Caroli Epiſtolis cauſæ, de quibus Romam revocatos eos Patres comperio. Primo enim incommoda erat iis Sancti Simonis Ædes, quod neque diſſimulavit ad Carolum ſcribens Taurufius, & Borromeus ipſe teſtatus eſt ad Specianum Bergomi reſcribens; quamobrem Fulcuyni Baſilicam illis obtulerat, & ipſam Sancti Sepulcri Ædem ad conciones habendas, pollicitus ſe in ſubterraneo ejuſdem Templo vigintiquator excitaturum Sacella plurimis ſimulacris ornanda, quibus Chriſti patientis myſteria exprimerentur. Neque etiam recuſavit Sancti Joannis ad domos ruptas contubernium commodius illis deſtinare. Secundo nunquam paſſus fuerat Carolus eos Romanis uti Ritibus, & quo tempore etiam peſtilentia invaleſcente illorum reditum ſperabat, ad Specianum conſtanter ſcribit VIII. Octobris MDLXXVI. *vix ad trimeſtre, aut quadrimeſtre ſpatium aliorum ab Ambroſianis Rituum facultatem illis conceſſuros*. Hoc maxime diſplicebat Oratorii Patribus, teſtante eodem Speciano unice acceptam fuiſſe Philippo Sancti Simonis Ædem, quod Romanis Ritibus eſſet addicta. Poſtremo (quod maximi momenti videtur fuiſſe) Nerii voluntas a Carolo diſcrepabat quam maxime in deſignandis Patrum miniſteriis. Commendaverat enixe Specianus III. Septembris MDLXXV., ne eos examinum Cleri, aut luſtrandæ Diœceſeos curis implicaret, aliiſque hujuſmodi, quæ populi amorem imminuerent. Verum hoc idem non probabat Cardinalis, qui cum ipſis tamquam adminiſtris ſuis partiri curarum ſuarum molem ſummopere expetebat. Quare cum Romani Oratorii Patres jus adhuc ſuum in Mediolanenſe Oratorium retinere vellent, Speciano animum ſuum tandem detexit XVII. Septembris MDLXXVII. in hæc verba: *Video diverſa admodum eſſe mea, ac Patrum iſtorum conſilia: iſti enim a ſe pendere hanc Societatem volunt; ego in mea voluntate poſita eſſe omnia cupio, atque hujuſmodi hominum ad meos nutus paratorum Sodalitium excitari volo, ab Oratoriis Patribus tamen efformandum*. Hinc facile eruitur Oblatos Sacerdotes a Carolo deinde inſtitutos ad Oratorii Patrum normam hac tamen lege, ut uno Archiepiſcopi arbitrio regerentur. Revera datis Urbi Oblatis remiſſiora fuere Ejus ſtudia in illis revocandis, licet a Philippo plures in Oblatos cooptandos Sacerdotes impetrare identidem ſtuduerit, & revera impetraverit. Paulo fuſius iſta fortaſſe, ſed neceſſaria, utpote lucem Hiſtoriæ allatura in re a Gluſſiano omiſſa.

(*a*) Univerſa ſemper Eccleſia ſuſpexit nunquam de-

Digitized by Google

bat, ne se tanto munere indignos ostenderent (*a*), neve elabi sibi e manibus sinerent dona, quibus acquirendi clarissimarum Urbium incolæ peregre ire cogerentur. Uterentur proinde opportunitate temporis, ac præteritæ vitæ noxas, quibus æterna fortasse supplicia meruissent, lacrymis expiarent. Mulieres præsertim etiam, atque etiam admonebat, ut vestium pompam, & speciosa alia irritamenta libidinum aliquando rejicerent, nec formam suam laudari tanto cum suo, aliorumque periculo vellent. Modestiam cum in omnibus locis, tum in templis potissimum servari præcepit, quorum areas ductilibus velis antea distinctas, nunc tabulatis firmius intersepsit (*b*), ut mutuos aspectus, insidiasque oculorum inter utrumque sexum tolleret. Tum stationales, ut vocant, Ecclesiæ designatæ (*c*), data animarum Rectoribus documenta, quibus Populum instruerent, promulgatæ orandi formulæ, magno denique sumptu constituta peregrinis domicilia, delectique primarii Civium, ac Matronæ nobiles, ut viris, fœminisque separatim in hospitio degentibus auctoritate sua prospicerent (*d*).

Nec satis habuit tantam hominum multitudinem studiis suis accersere, nisi Cælites ipsos ad ejus temporis celebritatem invitaret. Cum enim Sanctorum Reliquias, quas quisque asservaret, ab sacrarum Ædium Rectoribus palam exponi jussisset, alias insuper Ipse in lucem eduxit, quarum aut occulta sepulcra erant, aut cultus vetustate obsoleverat. In Sancti Vitalis Æde, quam alii Faustinianam appellant, Sancti Monæ mortales exuviæ custodiebantur, qui sextus urbis nostræ Archiepiscopus clarissimos Prædecessores suos, ut sanctitate æquaverat, ita Pontificatus diuturnitate superaverat. Pretiosum id pignus inde transferri necesse erat, quippe cum ædem ipsam nuperrime Cistercienſibus traditam solo æquari tamquam

---

defatigatam in populo ad sancta quælibet excitando Borromei hoc tempore contentionem. Proposuit hanc Orbis universi Pastoribus imitandam Benedictus XIV., dum Pontificiæ Indulgentiæ dona amplissime, & amantissime effunderet, *in Epistola Encyclica* evulgata nuper *pro extensione Jubilæi in Urbe Alma celebrati anno MDCCL.* Audi quibus Sanctissimus Pontifex stimulis Antistitum ardorem inflammet: „ Non ita se gessit SANCTUS CAROLUS BORRO„ MEUS, EPISCOPORUM EXEMPLAR, ET SPLEN„ DIDISSIMUM LUMEN, qui quum antea populum „ suum ad sacram peregrinationem ad Urbem suscipiendam Sermonibus, Institutionibus, & Con„ cionibus præparasset, ac vehementer hortatus es„ set: cum etiam Romam Ipse venisset, atque hic „ præclara illa pietatis & religionis exempla edidisset, „ quibus dumtaxat inspectis multi peccatores ad „ pœnitentiam statim conversi sunt: ad suam post„ modum Ecclesiam reversus, obtentaque a Grego„ rio Papa XIII. post Annum Sanctum elapsum, „ extensione Jubilæi pro sua Mediolanensi Diœcesi, „ minime contentus fuit his, quæ pro disponendis „ subditis suis ad Romanum iter suscipiendum, & „ ad Jubilæi fructum, per implementum operum „ injunctorum in Urbe, consequendum præstiterat; „ Sed quum dictam extensionem publicaturus esset, „ eodem, quo antea, religionis zelo incensus, pu„ blicas denuo preces indixit, Conciones ad popu„ lum habuit, evulgavitque Institutiones plenas „ doctrinæ, ac pietatis, quæ in Actis Ecclesiæ „ Mediolanensis habentur; denique nihil eorum „ omisit, quæcumque utilia aut necessaria putavit, „ ut Populum suum ad pœnitentiam adduceret, „ eumque ad percipiendum Jubilæi fructum dispo„ neret.

(*a*) Ne populi insciția Religionem minueret, concinnari eo tempore libellum jussit per Jo. Franciscum a Basilica-Petri tum Metropolitanæ Canonicum Ordinarium, in quo luculenter de Sanctorum Lypsanis Mediolani asservatis ageretur: item Patrem Perusçum Societatis Jesu permovit, ut altero Opusculo populum edoceret, qualis ex Jubilæo fructus esset percipiendus.

(*b*) Licet ex nova hac lege aliquas in Hispania concitari turbas posse suspicatus sit Carolus, tamen Ormaneto Pontificio illic Legato VI. Idus Julii scripsit *Acceptissimum religioso vere populo hoc institutum fuisse; hinc in eam se venisse mentem, ut in quatuor Basilicas nunc invectum, firmiter deinde in animibus in posterum retineretur.* Alibi etiam scribit *extitisse suo tempore hujusmodi septi antiqua in Templis vestigia, cum eorum lavitudo adhuc intermedio muro divisa appareret.* Hanc, sed alia de causa, scimus hujus Ecclesiæ consuetudinem fuisse, & a Græcis profectam, ut docet Goar in suo Templi juxta Græcorum Ritum schemate, & Leo Allatius in libello de Narthece.

(*c*) Quatuor hic item destinatæ Basilicæ ad Romani Jubilæi similitudinem fuere: Metropolitanum nimirum Templum, Sancti Ambrosii, Sancti Laurentii, & Sancti Simpliciani.

(*d*) Comparata hospitibus quibuscumque hoc in contubernio, quod in Clarevallino Vico patebat, ex Mediolanensium oblationibus cibaria comperio in literis Borromei ad Ormanetum scriptis, in quibus summam Civium suorum pietatem pleno ore commendat. Ne quid autem commodi, & incitamenti ad pietatem deesset, ad Urbis Portas certos Viros, eosque graves destinaverat, qui ordine advenientes exteros comiter exciperent, & officiose primo ad Templum Maximum, deinde ad hospitium deducerent. Ex eorum numero Lanfrancus Reyna fuit, qui hæc tabulis consignavit.

Digitized by Google

quam aut ætate fatiſcentem, aut novis Patrum ædificiis incommodam oporteret. Octavo Idus Februarii, præter Sacerdotum omnium Ordines, adfuere cum Gubernatore reliqui Magiſtratus, Cælo ipſo approbante pompam, quippe diſcuſſis improviſa ſerenitate nubibus, quæ multos antea dies caligine ſua, pluviiſque turbaverant. Sacro oneri ſuppoſuere humeros Carolus ipſe, & Apoſtolicus Viſitator, viva ſcilicet ſimulacra ejus pietatis, cujus memoriam celebrabant. Ut vero in Templum maximum ventum eſt, Cardinalis de clariſſimi Prædeceſſoris rebus pro ſalute Patriæ geſtis eleganter, atque erudite diſſeruit, quo grati animi ſenſum in auditoribus excitaret. Quieſcunt hodie in ſubterraneo ejuſdem Templi Sacello ſuperſtites tot ſeculis Cineres, quos, ut populi religionem expleret, uſque ad ſolis occaſum in Ara maxima expoſitos reliquerat.

Tertio, poſtquam hæc evenerant, die duos celeberrimos Martyres Fidelem, & Carpophorum pari ferme triumpho in Urbem induxit. Eorum reliquias a Societatis Patribus Aronæ inventas, ac Fidelis præſertim Mediolanum deferri conſentaneum duxerat, ut dicatam in urbe Eorum nomini Ædem ſuis quoque Cineribus illuſtraret. Ægre id conſilii Aronenſes ferebant, nec aliter quievere, quam promiſſo accepto aliquam ejus theſauri partem apud ipſos remanſuram. Compoſita nobili in feretro decenter oſſa ab S. Simpliciani Baſilica ad S. Fidelis delata ſunt, gratulante ſibi Civitate, quod Populum Martyrum augeri videret, quem in Urbe ſe habere Ambroſius gloriabatur.

Verum omnem pompam longe ſuperavit proximo Dominico die habita ſupplicatio, quæ Jubilæi ſolemniis initium fecit. Inſignem oculis ſpeciem præbuere Templorum Antiſtites incluſa cryſtallinis, argenteiſve thecis lypſana geſtantes, ſub tot diverſis inſignibus in longum agmen producti omnium Ordinum Sacerdotes alternis pſallentes choris, ac diurnæ lucis lætitiam facibus geminantes. Fidicinum, muſicorumque cohortes per locorum intervalla diſpoſitæ prætereuntis agminis ſacrum melos æmulabantur, tubæque ad viarum capita feſtivo concentu reſonantes confluentem undique multitudinem ad ſpectaculum concitabant. Admirationi præſertim exteris erant ornata exquiſitiſſimis apparatibus Templa, Aræ argento, auroque fulgentes, & pulcherrimum, quòcumque reſpicerent, magnificentiæ cum religione certamen.

Poſtero die viſitationes ad ſtationales Eccleſias fieri cœptæ, quibus præire Archiepiſcopus voluit, ut quemadmodum obeundæ eſſent, exemplo ſuo indicaret. Jejunum perſæpe diei finis invenit, ſeu ſupplex ad Altaria procumberet (*a*), ſeu ex Pagis, Oppidiſque gregatim venientes accommodatis ad temporis ſanctitatem ſermonibus exciperet, ſeu denique peregrinorum Hoſpitia reviſeret; quorum non raro pedes linteo ſuccinctus abluebat, ne quod Ipſe in purpura faceret, quiſquam Nobilium erubeſceret. Adeo certe apud omnes exemplo ſuo profecerat, ut illuſtres quoque fœminæ Chriſtiani magis, quam gentilitii nominis memores eadem caritate ſexus ſui miſerrimis inſervirent; quin etiam ſacco indutæ, ac Crucifixi Domini icunculas manu geſtantes ſeſe ſupplicantium agminibus aggregarent. Par fere æmulatio in ſublevandis egenorum neceſſitatibus fuit. Conſtat eodem die (idque non raro) ſex millia pauperum accubuiſſe menſis, quas Ipſe ære ſuo, aliiſque piorum Civium ſubſidiis inſtruxerat (*b*).

Dum hæc in urbe geruntur rumor repente

(*a*) Hoc tempore lego Borromeum pulcherrimo uſum artificio, ut pœnitentiæ ſuæ indicia Civium oculis ſubduceret. Siquidem ſuperiorem calceorum partem integram præferens, ſoleas iiſdem detraxerat, ut ſibi totum nuditatis incommodum reſervaret, atque unam laudem adimeret.

(*b*) Deſcribit hæc omnia Cardinalis Ormaneto ad diem XVII. Julii: *Ad hæc Indulgentiæ dona percipienda confluxere omnes Civitatis Ordines, in ſuas diſtributi claſſes, Notarii, Medici, Cauſidici &c.: Artifices item omnes præeunte ſingularum Artium vexillo. Turba cetera in Tribus diſtincta pro Paræciarum ordine, atque ſtatuto tempore convenire ſolebat. Neque abſunt primaria Urbis Nobilitas, quam pœnitentiæ ſtudium plebi æqua-*

pente percrebuit, lethales morbos magna cum hominum ſtrage Venetiis, ac Mantuæ graſſari. Perculit ea res Caroli animum, propoſito præſertim a Magiſtratibus edicto, ne quis ultra intra mœnia reciperetur, niſi omnem morbi ſuſpicionem legitimis teſtimoniis antea purgaret (*a*). Quod ne publicæ religionis incommodo fieret, poteſtatem agreſtibus populis Archiepiſcopus fecit, ut, ſi modo præſcripta ſolverent, cæleſte Jubilæi munus in Patria quiſque ſua conſequeretur (*b*).

CAPUT IX.

Quartum Provinciæ Concilium indicit: Viſitatore demum Apoſtolico dimiſſo, & ſolemni ſupplicatione per Urbem decreta, Sanctorum Lypſana decentiorem in locum reſtituit.

1576. EOdem anno parabat Carolus quartum Provinciale Concilium, quam tanti momenti rem inter aſſiduas, graviſſimaſque Jubilæi curas vix credibile erat perfici poſſe, niſi rationem inveniſſet, qua ſibi anni ſpatia duplicaret. Nocturnis enim temporibus, quibus cuncti fere mortales ad quietem utimur, ipſe perinde ac diurnis ad agendum utebatur, duas vix horas ſomno tribuens, idque nudis ſemper in tabulis, ut verius ulciſci corporis laſſitudinem, quam ſolari videretur. Joannes Angelus Cerrus ætate illa Mediolani erat Medicinæ ſcientia, & morum honeſtate celeberrimus, tum ſingulari erga pauperes caritate, quos & bonorum ſuorum hæredes reliquit, & arte ſua juvare abſque ulla mercede conſueverat. Ob id Carolo acceptus, atque ad curandam ejus valetudinem pluries adhibitus optime noverat non poſſe vitam ejus in tanta jejuniorum, vigiliarumque patientia poſt tot laborum incommoda diutius ſuſtineri. Itaque officii ſui eſſe duxit convocatos ad Concilium Patres rogare, ut Cardinalem quanta poſſent auctoritate, & eloquentia ab tam ſevera vitæ ratione dimoverent. Nec illi abnuêre, quin unanimi conſenſu Carolum circumſiſtunt enixe orantes, ut ſin minus ignoſcere vitæ ſuæ vellet, rem publicam ſaltem mitius haberet, cujus felicitas magna ex parte in ejus vita ageretur. Ille accepta humaniſſimis verbis benignitate conſilii, in ſententia tamen ſua perſeverans graviſſimis rationibus oſtendebat nihil eſſe in ea victus aſperitate, quam ipſi reprehenderent, quod ab Epiſcopi officio diſſentiret (*c*). Ut tamen eorum precibus aliquid daret, mollius ſe inpoſterum cubatu-

---

æquabat: etenim complures ex illa facco cooperti, atque uno nudato capite, commotæ jam Civitati inſigne Religionis argumentum dedêre. Verum tecum ipſe hoc animo reputa: Cum tot exiterint pietatis indicia, ubi apertus vultus ſingulorum erat publico offerendus; quanta fuiſſent futura, ſi tecto capite incedere per leges licuiſſet. Alibi etiam ſcribens de ingenti populorum concurſu dicit *convulſos e ſedibus ſuis populos triginta & amplius paſſuum millia hinc diſſitos, atque in Oppido Beſuntio vacuas ferme incolis relictas domos; Medoctienſes vero ad jex hominum millia huc fuiſſe venturos, ſi licuiſſet*: totidem enim nomen hoſpitii moderatoribus dederant.

(*a*) Revera adeo certa ſub Jubilæi finem exorta ſunt peſtilentiæ indicia, ut dictatum in contermiis Regionibus tunc fuerit, morbum hunc fuiſſe in cauſa, ut Borromeus Pontificiæ Indulgentiæ finem faceret. Ceterum hoc adeo falſum comperio, ut cum populum præmonuiſſet Sanctus Antiſtes, Jubilæo finem imponendum ſub ſolis occaſum ad ultimam diem exeuntis Julii: permotus deinde populi precibus quinquies producere, dato ſemper unius horæ ſpatio, coactus fuerit; atque ideo vix ad quintam noctis horam Civium concurſus ad Baſilicas tandem conquieverit. Ceterum dubium non eſt, jam ad diem XIX. Martii quædam peſtilentiæ ſemina extitiſſe Paruzari in Aronenſi agro, quæ tamen Civium diligentia proviſum eſt, ne ultra ſerperent.

(*b*) Ex MSS. Supplementis ad Franciſci Caſtelli Collectanea in Bibliotheca Ambroſiana conſtat, exeunte Junio hujus anni ornatam hanc urbem novo indulgentiæ beneficio iis conceſſo, qui ſeptem deſignatas a Carolo Baſilicas viſitarent. Hinc indicta ad eas ſupplicatio eſt Cleri univerſi ad diem II Julii, qui mos ad noſtram uſque ætatem traductus conſtanter ſemper retentus fuit. Hoc Pontificis beneficium Urbem noſtram inſignivit hoc tempore; licet Caroli mens fuiſſet, ut ad anni hujus initium impetraretur, quemadmodum ad Specianum ſcripſit.

(*c*) Parvi pendere nimirum hæc Medicorum molliora ſuadentium conſilia ſemper Carolus conſuevit. Etenim jam anno MDLXXII. Mediolanum reverſus cum durioris vitæ quotidianam rationem inire vellet, Zachariam Caymum celeberrimum Urbis Medicum conſuluit, an citra noxam amplecti ſemper aſperrima, quibus identidem indulgebat, vivendi inſtituta poſſet. Cum vero ille ſalva conſcientia negaret

Digitized by Google

turum pollicitus est, tectisque rudi stramento tabulis, quibus incubare consueverat, promissi fidem vel elusit, vel implevit (*a*).

Concilio dimisso Apostolicus quoque Visitator expeditionem suam expleverat (*b*). Is die quodam festo, cum ante discessum in Templo maximo Populum salutaret, diserte testatus est, nihil se in Ecclesia Mediolanensi inveniisse, quod satis laudare pro rei merito posset. Hanc Carolus laudem haud aliter confutasse dicitur, quam depromptis ex Evangelio Apostolorum verbis: *Tota nocte laboravimus, & nihil cepimus, nunc autem in verbo tuo laxabo rete.*

Brixiensem deinde Ecclesiam lustrare decreverat, nisi itineri accinctum increbrescens quotidie pestilentia detinuisset. Quam cum prope adesse in portis animadverteret, alia sibi patrocinia in Cælis parabat, productis ad Populi venerationem SS. Victoris, ac Satyri Cineribus, quorum ille pro Christi gloria securi percussus Urbem nostram sanguine suo, hic vestigia Ambrosii fratris ingressus eximiis virtutum exemplis ornaverat. Ex vetere Portiana (*c*) ad novam Basilicam, quam magnifico, & eleganti opere Olivetani Patres extruxerant (*d*), splendido apparatu, & longo per

---

garet id factum iri; nam breviores vitæ terminos videbatur sibi præscribere: Ipse alios Medicos in consilium adhibuit, quibus efficacissimis argumentis cum persuasisset, pares sibi vires tantæ abstinentiæ esse: rationum pondere illi victi petitam veniam concessere, ut scripsit juratus testis Lanfrancus Reyna. Hinc etiam Nicolaum Sfondratum Cremonensem Episcopum Patavium profectum ad Medicorum opem in re dubia implorandam, regredientem deinde per literas sic monuit: *Gratulor te valentiorem rediisse Patavio; sed magis gaudeo, te Medicorum tandem manus evasisse, quos horror est quam maxime refugias; id enim plurimum certe ad valetudinem tuendam conferet. Neque unquam, nisi instante majore periculo, ad eos confugias velim.*

(*a*) Non videtur tamen diutius suam in hoc obligasse fidem Borromeus, cum sciam postmodum Illum per Cardinalis Cesii, imo & Pontificias literas a duriore hac cubandi ratione revocatum. Certe constat, pestilentiæ tempore ad mores suos & ingenium rediisse; extant enim in hoc propositum tuendum Ejus literæ suo loco recitandæ, atque ad Ariminensem Episcopum datæ, quibus dicit, permoveri se ad acrius instauranda ducioris vitæ studia, cum videat acrius divinam iracundiam inflammari. Neque quispiam initam hanc tam rigidam vivendi rationem improbare ausus est, ut docet epistola Gabrielis Paleotti Bononiensis Antistitis ad Vercellensem Episcopum Jo. Franciscum Bonhomium, qui territus tanta asperitate eumdem consuluerat, quid sibi agendum videretur. Hæc itaque rescribit Paleottus Bonhomio anno MDLXXVII. „ Postremam hanc, aliasque tuas legi „ epistolas, ex quibus mira prorsus de Borromeo no„ stro intellexi, tanto equidem cum gaudio, quanto „ frui fas est talia alia legentem. Verum fateor: „ Cum intelligerem Eum supra stramenta semper „ noctu recumbere, & quotidie carnibus abstinere: „ incertus consilii hæsi aliquantulum, Episcopi con„ ditionem attente perpendens, cujus corpus neces„ sario assiduis contentionibus obnoxium videtur; „ quare etiam congruum sibi auxilium quietis solet „ postulare. Verumtamen quis adversus solem lo„ quatur? Cum certo sciam omnia Ejus facta ab „ integerrima mente proficisci, Illumque supra hu„ manam prudentiam sapere, mirari præstat in hac „ re, quàm vocem liberam emittere. Nos solum „ nostri pudeat, qui velimus humana amussi divina „ metiri. Quare opto etiam atque etiam, ut cum „ primum Illius adeundi copia tibi data fuerit, per„ amanter Ejus manibus nomine meo osculum infi„ gas, & orantem mei maxime memorem esse ju„ beas. Hæc Paleottus in hujusmodi causa sapientissimus Judex.

(*b*) Cursim totam hanc Diœcesim, adhibitis tamen Ministris Mediolanensibus aliquot, Ragazzonius obivit. Tantam festinationem ægre ferebat Cardinalis in re tam gravi præsertim, cum singula Religiosorum Ordinum Monasteria lustrari vellet, quam ob rem Pontificias literas impetraverat, reclamitantibus nequidquam Cardinalibus: jusseratque comperta in iis vitia Pontifici ipsi exponi. Majorem etiam desiderare videbatur in eo diligentiam dum Ecclesiarum necessitates exploraret. Verum Gallarati scribens Hieronymus postridie Idus Julii diligentiam suam omni nota egregie liberat in hæc verba: *Quod scribis inanem videri laborem meum, cum nihil de celebrandis Missis, Paræciarum cultu, & executione Testamentorum jactam, vera dicis; sed veriora ego reponam, scilicet nihil præteritæ Tuæ diligentiæ posse adjungi. Legum condendarum mihi nullus relictus est locus, & omnem laudem referre videor, si curem, ut statutæ jam leges observentur, & unice tollam interposita impedimenta.*

(*c*) Contra hanc pronunciatam veluti a Borromeo sententiam non videtur audiendus Puricellus, qui ingenioso commento scripsit Sanctorum Satyri, & Victoris corpora alibi conquiescere; quæ assertio nimis videtur tanti Antistitis prudentiæ adversari, imo refragari etiam antiquis ejus Monasterii Tabulis. Hac de re videri potest R. P. D. Raphaelis Monetæ ex Olivetana Congregatione Monachi liber, cui titulus: *Sancti Satyri tumulus illustratus.*

(*d*) Hoc tempore revera excitata nova ferme Basilica fuit, cum Olivetani Patres eodem in loco, sed ad contrariam exili partem, & multo altiori solo, longe elegantiorem aliam substituerint, *quæ tamen non omnino veteris Templi desiderium tollat*, ut scripsit Carolus a Basilica-Petri in suo Libello, quo Vitam XI. primorum Mediolani Antistitum comprehen-

per vias circuitu ſacra Oſſa delata ſunt: magna utique Civitatis auxilia, niſi Superûm favorem perſæpe irritum mortalium nequitia faceret (*a*).

LIBRI TERTII FINIS.

DE

hendit. Itaque nobili & ſplendida Translationis hujus pompa finem Jubilæo fecit, quemadmodum gemina pariter Sacrarum exuviarum Translatione ejuſdem initia ornaverat. Nam poſtrid. Non. Febr. hoc anno noctu cum acceſſiſſet ad Ædem S. Vitalis poſtmodum diruendam, ibique S. Monæ Mediolanenſis Antiſtitis oſſa ex ſarcophago lapideo, in quo defoſſa in terram jacebant, religioſe extraxiſſet, & decentius in nova arca collocaſſet, poſt peractas nocturnas vigilias die poſtero una cum Famaugustano Epiſcopo elata humeris in Baſilicam Maximam tranſtulit. V. autem Idus ejuſdem menſis SS. Fidelis, & Carpophori corpora Arona Mediolanum aſportata, in Templo alteri ex iis Martyribus dicato collocavit, ut jam capite ſuperiore Auctor expoſuit.

(*a*) Omittenda non ſunt alia Borromei vigilantiæ teſtimonia hoc item anno ante peſtilentiæ initium edita. Plures enim extant Ejus Epiſtolæ docentes, quantum in Helvetiorum curam intentus eſſet, quorum aliquot gratis inter Seminarienſes Alumnos juſſit cooptari, certis ob id a Pontifice impetratis reditibus. Ad XVII. Cal. Julii Comitia Fratrum Sancti Ambroſii ad Nemus habuit, in quibus plura utiliter confirmavit; ſed alibi de his redibit opportunior ſermo. Xenodochium Majus hujus Urbis luſtravit, ejuſque Archivum ſolerter excuſſit; licet ejus adminiſtrationi Præfecti inde dilapſi S. Antiſtitis curam eludere conarentur. Apud Provinciæ Gubernatorem egit, ut Norimberga revocarentur Mediolanenſes negotiatores, utpote ab Urbe ad morum luem contrahendam appoſita, & a Catholica Religione nimium abhorrente.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Peſtilentia Mediolanenſem Urbem invadit: quæque fuerit Caroli in acerbiſſima calamitate ſolertia.

1576. HISTORIÆ partem aggredior omni pene refertam miſeriarum genere, quibus commemorandis ægre vires ſufficerent, niſi tot paternæ Caritatis miracula aſſiduis funeribus interpoſita labentem mœrore animum recrearent. Quod ſi rerum clariſſimarum, quas hactenus retuli, omnis memoria periiſſet: ea tamen, de quibus in præſentia dicturus ſum, ſatis Carolo futura ad immortalem nominis gloriam exiſtimo; neque dubito, quin Sanctiſſimorum Antiſtitum merita, qui Eccleſiæ Mediolanenſi plures annos præfuere, Ipſe unius anni Pontificatu æquaverit.

Exeunte Jubilæi tempore magni Principis (*a*) adventus, quæ ad reformandos hominum mores tanto labore acta erant, omnia pene ſubvertit. Amica exterorum Civitas, & divitiarum ſuarum plus nimio oſtentatrix adeo ſeſe in omne deliciarum genus effuderat, ut advenienti triumphum verius, quam hoſpitium inſtruere videretur. Certare inter ſe Nobiles famulorum, & veſtium pompa, reſerari theatra, parari convivia: & ſi quæ alia ambitio, & luxus ad

(*a*) Erat hic Joannes Auſtriacus ad expeditionem Belgicam a Philippo Rege deſtinatus; atque, ut obſervavit Centorius de Hortenſiis, eadem die qua ſolemni pompa in Urbem Ille inductus eſt, prima peſtilentiæ ſemina in Olitorum Vico exorta ſunt.

Digitized by Google

ad Urbium, Populorumque perniciem invenere, haſtiludia inſuper, & equeſtres decurſus cupidiſſimum ejuſmodi rerum vulgus a Templis, & cultu ſacrorum averterant: tanto acrius dolente Carolo, quanto propius inſtare miſerrimæ Patriæ calamitatem videret. Sane cum ab Modoëtienſis Baſilicæ Præſide per literas accepiſſet, acutam febrim non ſine multorum interitu per ea confinia vagari, converſus ad Gluſſianum hujus vitæ ſcriptorem diſerte affirmavit: falli haud dubio Medicos, qui ortam ex aëris vitio luem mitiore vocabulo febrim appellarent. Oblitos cæleſtium beneficiorum Mediolanenſes Divino decreto nunc ad ſupplicium peti, cui proinde ſeduli Magiſtratus fruſtra portarum cuſtodiam, & militum excubias objicerent. Hæc cum dixiſſet, magno ſuſpirio emiſſo, obmutuit.

Paucis poſt diebus Laudem Pompejam ad celebrandum Epiſcopi funus profectus (*a*) inter ipſa exequiarum ſolemnia nuncium accepit, peſtilentiam Mediolani eſſe (*b*), Gubernatorem cum hoſpite Principe Genuam abiiſſe, Nobilium alios fugere, alios, qui remanſerint, triſtitia, & metu attonitos, quò ſe verterent, ignorare. Itaque in Urbem reverſus, quam vera eſſent, quæ audierat, primò ſtatim ingreſſu cognovit. Omnis ætatis, ac generis homines extra domorum veſtibula effuſi prætereuntis opem repetitis ejulatibus implorabant, ſero petentes veniam pœnarum, quas anteactis diebus nimio voluptatis amore meruiſſent. Ipſe in Templo maximo brevi prece perfunctus, ita ut erat viatoria veſte indutus, nobilis fœminæ ædes, ex quibus prima ingruentis mali indicia manaverant, continenter inviſit. Ibi virgines aliquot reperit ex Sanctæ Urſulæ Sodalitio (*c*) nuper accitas, ut ægrotantibus, quorum jam aliquos lethifera tabes ſuſtulerat, inſervirent. Has in deſerto quodam Cœnobio ſeparatim cuſtodiri mandavit, ne contactu ipſo luem vulgarent, quam forte ex mortuorum afflatu contraxiſſent. Poſtquam inde in ædes ſuas reverterat, adfuere illico Præfectus, ac Decuriones Urbis, nec non ex Regiis Miniſtris aliqui, quibus præſens neceſſitas veterum contentionum memoriam excuſſerat. Aperte fatebantur ereptam ſibi Divino judicio mentem, ne quod optimum factu eſſet in tam ancipiti Provinciæ ſtatu dignoſcerent. Propterea orabant; ut pro ea, qua ſemper Mediolanenſes complexus fuerat, caritate, Reipublicæ curam capeſſeret, ſibique cum aliarum rerum, tum præſertim inopia conſilii laborantibus ſubveniret. Reſpondit ad ea Carolus: jam pridem propoſitum ſibi eſſe nihil eorum omittere, quæ ad Populi ſalutem utilia eſſe animadverteret. Summopere optare, ut eoſdem ipſi quoque animos ſumerent: neque ſe moveri aliquorum exemplo ſinerent, qui Civitatem, in qua nati, educatique eſſent, in tanta auxilii neceſſitate turpi fuga deſeruiſſent. Ceterum vix ſuſtinet animus referre omnia ſuppliciorum genera, quæ ſibi ad placandam Divini Numinis iram indixit. Traductæ lacrymis, ac precibus noctes (*d*), continuata ad extremum uſque languorem jejunia, lacera-

ta

(*a*) Medio in itinere Scarampi Laudenſis Epiſcopi obitus Illi nunciatus eſt. Laudem Pompejam tamen feſtinare non deſtitit, ut eidem funebria perſolveret.

(*b*) Geminis in locis peſtilentis morbi indicia Mediolani apparuerant, nimirum ad Scalenſem Deiparæ Ædem in Nobilium de Arabia domo pridie Idus Auguſti, & aliquanto antea in Olitorio Vico ad Novocomenſem Portam, ſcilicet III. Idus ejuſdem menſis. Inſuper nunciatum erat, Melegnani in Oppido, quod Mediolanum & Laudem interjacet, peſtilentiam eſſe exortam; quare ſumma feſtinatione revertens ab eo loco deflexit, & Urbem ingreſſus eſt per Orientalem Portam.

(*c*) Cœtus hic erat Virginum Sanctæ Urſulæ Patrocinio ſubjectus, quem ad ſanctitatem, & præcipuam caſtitatis cuſtodem verecundiam datis Legibus excitaverat, pluresque earum in Sodalitates diſtributæ in Vicis & Oppidis domi tamen apud ſuos degebant. Par Sodalitium Sanctæ Annæ nuncupatum pro Viduis quoque conſtituit, in omnem ætatem, & conditionem hominum intentus Cardinalis. Hunc vero Conſodalium Viduarum ſub S. Annæ Patrocinio cœtum cogare ſolebat Cardinalis in S. Sepulcri Templo, ut docet Cl. Saxius in notis ſuis ad S. Caroli Homilias in lucem editas; & ſane adhuc ad aram hujus Ædis maximam pendet fortaſſe non alia de cauſa S. Annæ tutelaris effigies.

(*d*) Oblitus hoc tempore Provincialium Epiſcoporum preces & conſilia fuit. Etenim cum ſuperio-

Digitized by Google

ta flagellis, & aculeis membra, tamquam a ſe uno publicæ nequitiæ pœnas exigeret. Supplicationes interim per triduum fieri decrevit, earumque occaſione ſermones ad Populum habuit, quibus, non plebejorum modo, verumetiam Optimatum vitia acerrime objurgavit. Exorſus enim ab miſeriarum acerbitate, quas Gregi ſuo impendentes cerneret, præmia hæc eſſe Bacchanalium ajebat, quibus nondum exacta Jubilæi tempora inquinaſſent. Spem omnem ſalutis in humanæ prudentiæ viribus fuiſſe repoſitam, quo nihil acrius bonorum omnium datorem Deum ad iracundiam provocaret. Multitudinem in pia ſodalitia a ſe antea deſcriptam, ut feſtos dies Divinis Laudibus, & Chriſtianæ Fidei myſteriis impenderet, nunc territam Magiſtratuum minis per luſtra, & popinas vagari non ſine gravi aliquorum culpa, qui per ſpeciem tuendæ Regiæ poteſtatis laxiorem viam populari licentiæ facerent.

CAPUT II.

Obſignato Teſtamento ſe ad extrema quæque ſubeunda pericula pro populi laborantis tutela ſtrenue comparat.

1576. VErum cum latius quotidie ſerperet malum, advocato doctiſſimorum cœtu, ſciſcitabatur ex eis, an peſte affectis operam per ſe ipſum præſtare, quamvis cum vitæ periculo deberet. Concors omnium ſententia fuit, Epiſcopum, qui id ageret, maximis laudibus dignum: qui agere recuſaret, nullius culpæ reum eſſe. Idem Romæ cenſuerant ſapientiſſimi Viri, quos ea de re per literas conſuluerat. Ille ex adverſo multa Sanctorum dicta, immo & exempla commemorabat (*a*), qui Paſtorali officio addicti pro grege ſibi commiſſo mortem obire non dubitaverant. Cumque reſponderetur, ſumma illa fuiſſe experimenta virtutum: quin igitur, inquit Carolus, experimenta iſta ad me quoque pertinere exiſtimem, cum Epiſcopi ſit ſemper ad ſumma contendere?

Confirmato in eam ſententiam animo, tamquam in vitæ exitu conſtitutus teſtamenti tabulas ſignat: legata pro cujuſque merito familiaribus ſcribit: pauperes bonorum hæredes inſtituit, conſanguineis omnia relinquens, quæ auferre non poterat (*b*). Tum ab omni cura domeſticæ rei liber ſtudium omne ſuum ad Reipublicæ neceſſitates convertit. Ædificium quadrata forma, vigente Sfortiarum Dominatu, paulo extra pomerium urbis excitavere majores, qua orientis Solis radios, & flantem leniter auram ex Briantæis collibus accipit. Excurren-

---

tioribus menſibus juſſus cubare mollius, culcitam ſtramento refertam tabulis ſiviſſet imponi, atque adjeciſſet rudes ex Cannabe ſyndones, mollitiem hanc quamvis duriſſimam ocyus ablegavit. Ablegandæ autem cauſam exponit Ambroſius Fornerius teſtis inquiens: *Carolum quadam die a Limocomio domum revertum juſſiſſe ſtatim lectulum ſuum, quantulumcumque eſſet, illuc transferri: eo translato, alterum nudis tabulis ſtatim fuiſſe impoſitum: quo item Ejus juſſu illuc tranſmiſſo, vetuiſſe quidquam in poſterum aſſeribus imponi.*

(*a*) Sanctorum Patrum monita Caſtello Ariminenſi Epiſcopo explanat, quibus hanc ægrorum curam ſuſcipere compulſus fuit. Illi itaque diſſuadenti, ne plenam periculi provinciam obiret, ſic reſpondet: „ Nihil ego ſuſcipere aggreſſus ſum, quod „ a tua pietate pari in tempore non expectarem. Uti„ nam tibi feliciores annos det Deus, non tamen „ aliam mentem. Equidem aliqui reclamitant Theo„ logi, & crepant ſententias nimium ſibi, ſuiſque „ commodis conſentaneas; ſed ab omni humanitate „ alienas. Etenim lege, quæſo, probatiſſimam Ripæ „ ſententiam in ſuo de peſtilentia Tractatu, Na„ varrum lege, & Biel ſermonem peſtilentiæ tem„ pore habitum, ne dicam S. Dionyſii Epiſtolam „ relatam ab Euſebio. Conſulas item velim Gre„ gorios Nyſſenum & Nazianzenum, atque hunc „ præcipue de cura pauperum, ubi de lepræ mor„ bo agit, qui morbus magis a mortis periculo „ abeſt, ſed plus habet horroris & contagionis. „ Veniat in mentem Baſilius ſuiſmet manibus le„ proſis inſerviens, & medens; & quandoquidem „ Pontificem Gregorium commemoras, recole quid „ ejus Prædeceſſor Pontifex præſtiterit. Videbis „ peſtilenti anno Eum ſupplicabundum repente „ cum LXX. Sacerdotibus lue extinctum. Quæ om„ nia ubi diligenter evolveris, & meis temporibus „ accommodaveris, excitabis credo torpentem ad„ motis ſtimulis, ne ab eorum Pontificum diligen„ tia tam longo intervallo abeſſe me patiaris &c.

(*b*) Obſignavit has Tabulas die IX. Septembris, quæ deinde Latino & Italico ſermone editæ typis fuere. Mirum hoc multis in Teſtamento viſum, quod præſago veluti animo diem extremum Ipſe ſibimet deſignaverit. Etenim in illo cavit, ut ſibi recurrente die, quo obiiſſet, funebria quot annis dein-

rentes in quaterna latera cellas totius anni diebus numero pares intus concamerata porticus tegit: foris perennes aquæ alluunt perpetuo lapsu ad loci munimentum, sive munditiem fluentes. Media campi regione, quem structura universa includit, aram Sancto Gregorio sacram posuere cellis omnibus undequaque conspicuam, ex qua scilicet quisque remedia petere necessitatibus suis, aut solatia posset. In ea miseriarum receptacula non singuli modo pauperes, verum etiam eorum familiæ deferebantur, quoties domum aliquam lethifera tabes, aut vehemens mali suspicio contingeret. Sed inter illa invalescentium quotidie morborum initia adeo male composita erant omnia, ut qui in eam sedem migrarent, expungi potius e vivorum numero, quam segregari a Civium commercio viderentur. Nullus ibi ad quietem lectulus, nullus ad necessaria auxilia minister, nulli ad victum cibi, nulla parata ad valetudinem pharmaca, ut quibus pestilentia parceret, eos desperatio, fames, horror ipse tot miseriarum absumeret. Hinc expirare in conspectu liberorum parentes, in complexu parentum liberi: & cum ad cetera mala inopia quoque vespillonum accederet, injecta vivis necessitas est sepelliendi eos, quos sibi ex oculis eripi tam moleste ferebant. Ea cum Carolo nunciata essent, convolat illico ad Gregoriana septa; & quoniam portarum ingressu prohiberetur, exteriora ædium circumibat, solatium aliquod, sin minus alia re, certe sermonibus suis, & aspectu ipso miseris allaturus. Funestissima species erat inhærentium cratibus, quibus fenestræ muniuntur, cum lurida morbo, & jejuniis ora prætereunti ostenderent narrantes mala, quibus undique premebantur, oranteque, ne se in tanta subsidiorum omnium egestate desereret. Hæc audienti manabant ubertim ex oculis lacrymæ testes doloris, & certa pignora auxilii, quod protinus adfuturum pollicebatur.

CAPUT III.

Effusis sumptibus, officiis, ac monitis ægris subvenit, & subsidiariam in eorum opem Sacerdotum manum congregat.

AB illo tam tristi spectaculo reversus (*a*) in eo primum curam omnem defixit, ut quanto citius, ac liberalius poterat promissi fidem exsolveret. Argentea vasa monetariis tradita (*b*), quæ in nummos excu-

deinde haberentur: dummodo in eam diem obitus non caderet, quo Justa Archiepiscopis de more persolvuntur, scilicet tertiam Novembris. Quare cum eo ipso die extinctus deinde sit, visus est, dum provideret exequiarum tempori, mortis item tempus prævidisse. Hæc in Tabulis narrat Comes Paulus Camillus de Marlianis.

(*a*) Narravere domestici, qui Eum e Limocomio reducem deduxerant, Cardinalem in penetrali suo conversum statim ad familiares, & muro leviter humeris innixum dixisse: „ Tetigitne animum vestrum misera eorum conditio, quos non minus „ corporis, quam animæ imminens periculum premit? Me unum intuebantur miserrimi filii, tamquam Auctorem, unicum & causam malorum. „ Equidem meam taciti accusabant moram, qui „ tamdiu auxiliariam illis præbere manum destiti, „ nec ceteros exemplo meo commovi. Quare nisi „ aliud divinitus auxilium accedat, quod mearum „ partium est certe exsequar.

(*b*) Parvum tamen inde comparatum miseris subsidium fuit. Etenim præter aqualim cum pelvi, & quatuor pateras additis etiam cochlearibus, & fuscinulis, quæ ad mensam Nobiliorum Hospitum ferebat, nihil sibi argenteum domi tunc erat. Extant nunc in Pinacotheca Bibliothecæ Ambrosianæ pelves, & vasa ex ligno coloribus superinductis illito, quæ a Sancto Cardinali substituta hoc tempore venditis argenteis fuere. Pretiosius aliquid fortasse offerre illi poterant aræ domesticæ ornamenta, & argentea Dignitati consentanea insignia. Certum est, quidquid sibi aureum erat, aut argenteum ad monetarios missum, ut inde nummos excuderent. Geminum sibi erat Cardinalitiæ dignitatis symbolum, argenteis laminis tectum, quod Clavam vocant. Alteram ex his in miserorum subsidium dedit, & fortasse utramque. Certe biennio post unam argenteam habebat, alteram ligneam. Sic me docet Caroli Epistola ad Mantuanum Cardinalem data Cal. Martii anno MDLXXVIII. „ Nulla mihi est argentea „ Clava præter eam, qua uti in Urbe soleo. Attamen ut tuo desiderio indulgeam, hanc ipsam tibi „ transmitto; interea mihi usui erit alia lignea, „ quam præfero in Diœcesi obeunda". Addiderat autem marte suo Amanuensis: *idcirco quam missa ocyus remittas velim*. Hæc tamen ultima verba Cardinalis relegens expunxit ab epistola, & in litura penitus merit. Quare non absonum puto dicere, utramque tum ad monetarios dimissam, & deinde alteram argenteam, pestilentia cessante, substitutam.

suderent, tum lintea, cibaria, vestes, & quidquid usui esse poterat eo, unde venerat, missa, pene ut inopiam, quam ex aliena depellere conabatur, domi suæ sentiret. Sacerdos, qui adjumenta morientibus Christiano ritu suppeditaret (*a*), famulique ad ceteras ægrotantium necessitates ex Helvetiis acciti, qui nativi aëris rigore obdurati contra vim pestilentiæ creduntur. Verum hac tanta effusione opum vix malorum initiis consultum erat. Innumeræ per Urbem familiæ opem petebant, augentibus paupertatem morbis, quos invicem ipsa paupertas augebat (*b*). Itaque legatos in omnem partem destinari necesse fuit, qui pecuniam a ditioribus corrogarent. His multo funestior erat formido Sacerdotum, quorum alii ex Urbe profugerant; alii magis vitæ, quam officii sui memores domi clausi latitabant. Ita plerique extremum spiritum agentes in tam studiosa Sacrorum Civitate mori sese sub domesticis tectis, tamquam in specubus, silvisque deprehensos querebantur. Ea calamitas confugere Carolum ad Cœnobitas coëgit (*c*), reputantem scilicet, faciliores fore ad hujus mortalis vitæ contemptum, qui paternæ domus commoda immortalis vitæ desiderio jam ante deseruissent. Adeo certe apud nonnullos sive rei honestas, sive petentis auctoritas valuit, ut, nisi Præsulum suorum voluntas obsisteret, paratos se fore ad omne discrimen pollicerentur (*d*). Tum ne viros tæderet virorum necessitatibus præsto esse, mulieres quoque inventæ, quæ fidem darent, se omni ope sui sexus infirmis etiam cum vitæ periculo adfuturas.

Hoc Archiepiscopi qualecumque solatium turbavit seditio orta ex iis, in quibus certior spes auxilii videbatur. Suboluerat familiaribus statutum Carolo esse, aliquibus eorum assumptis, circumire Urbem, & quòcumque publica salus vocaret, eò salutem suam in discrimen dare. Itaque veriti, ne in ejus periculi societatem assumerentur, alii discesserant, alii remanserant: aperte tamen Heri imperia detrectaturi, quoties illorum opera in tam ancipiti negotio uti vellet. At Cardinalis, quem nulla difficultas ab honeste propositis deterreret, conspiratione cognita, singulos primo, deinde universos ad colloquium vocat, ac lenibus verbis increpitos docet, quam misere se ipsos decipiant, qui incolumitatem suam in solitudine, atque otio collocatam existiment. Penetralia domorum haud secus, quam publicas vias, lethalibus morbis patere: nec raro ultimum diem propius instare iis, qui longiora vitæ spatia ab commodorum studio, delicatisque consiliis expectant. Arriperent proinde occasionem tantæ apud Deum acquirendæ gloriæ: nec se adeo Sacerdotalis officii oblitos ostenderent, ut aliquando morituri feram mallent, quam honestam mortem oppe-

tam. Quomodo enim Borromei pietas denegare eam miserorum necessitati potuisset, quam tam facile amico petenti concessit?

(*a*) Sub illud enim morbi ingravescentis initium unicus sufficere Sacerdos clausorum hominum necessitatibus credebatur, cum in Limocomium compulsi essent ex Olitorum Vico illi dumtaxat, ad quos aliqua morbi suspicio pertinebat. Postmodum invalescente lue, Sacerdotes aliquot ex Helvetiis accivit contagionis pestilentis periculo, ut fertur, immunes. Sane ex iis celebratus fuit periculorum contemptu quidam appellatus Leonardus de Leonardis. Hic qua primum nocte in Mediolani Limocomium venit, eodem in lecto cum ægro, qui jam pestem contraxerat, decubuit. Quamdiu autem Mediolani viguit pestilentia, omnia interriti animi, & pietatis documenta incolumis semper exhibuit. Postmodum Brixiam pari calamitate affectam missus a Cardinali fuit: exinde Locarnum, quò pariter lues pervaserat: demum nescio quo casu in hujus Oppidi agro ad oram fluminis Magiæ extinctus repertus est.

(*b*) Ad secundam Octobris diem, intercepta jam Civium negotiatione, atque artibus omnino conquiescentibus, reperio consultationem coram Cardinali habitam de cura inopum suscipienda, qui septuaginta millium summam conflare ferebantur.

(*c*) Ad diem primam Octobris evocatos ad se eorum complures acri Oratione ita permovit, ut nondum cœtu soluto, triginta statim nomen dare huic auxiliario manipulo voluerint.

(*d*) Mirifice eluxit Patrum Capuccinorum in difficillimis hisce temporibus erga morientes pietas. Venit enim ad manus Epistola celeberrimi Fratris Jacobi ex Mediolanensi Sancti Victoris ad Ulmum Cœnobio scribentis: „ Contubernales Fratres suos „ miro desiderio flagrare, ut in Ejus auxilium venire „ possint. Cum vero nullus ad hanc laudem pateret aditus, nisi vacua per alicujus interitum Provincia, „ (*addit*) expectare omnes impatienter, num quis „ repente casus aliquem adimeret, ut quantocyus „ se periculo plures offerant in mortui unius locum „ sufficiendi. " Adeo suum ipsorum discrimen non displicebat, quibus unice cordi erat publica incolumitas.

Digitized by Google

oppetere. His ferme dictis ita trepidos aliquorum mutavit animos, ut pericula, quorum ſpeciem paulo ante exhorruerant, ultro depoſcerent.

Ceterum, ne ſævienti malo tot cariſſima capita temere objiceret, ex quo tabida corpora contingere cœperat: domeſticis omnibus ſevere indixit, ne quis propius ad Ipſum accederet; quin etiam, ut rerum omnium, quibus Ipſe uteretur, contactu abſtinerent. Alloquia civium, quorum ob communes neceſſitates aſſiduus ad Illum concurſus erat, nonniſi interpoſitis cancellis audivit, & quoties in viam prodiret, virgam ſibi præferri jubebat, monentem ſcilicet obvios, ut luem, qua ſe infectum haberi volebat, celeri receſſione vitarent. Et cum in Templo maximo Divinis Laudibus, Officiiſque intereſſe quotidie vellet (*a*), Canonicos, alioſque Sacrorum miniſtros a Pontificali ſolio procul arcebat, tam ſolicitus cuſtos alienæ vitæ, quam egregius contemptor ſuæ, quoties id ſalus Reipublicæ poſtularet. Certiſſimum autem Divinæ Providentiæ documentum fuit, quotquot in miniſterii ſocietatem adſciverat, non publica modo tabe, ſed omni prorſus valetudinis vitio intactos evaſiſſe (*b*). Illud tranquillo animo ferre non poterat, quod cum tuendis corporibus tantum ſtudii adhiberetur, nulla ferme animarum cura eſſet. Ob id orare Summum Pontificem inſtitit, ut Populum Mediolanenſem, quanta in tot miſeriis conſentaneam duceret, benignitate reſpiceret. Cœnobitis, qui peſte laborantibus piam impendere operam vellent, ſi forte eorum Præpoſiti adverſarentur, obedientiæ vinculum in eo negotio relaxaret (*c*): legata in alios uſus a teſtatoribus condita in pauperum alimenta converti pateretur: Apoſtolicæ Indulgentiæ theſauros pie morientibus, atque ad eorum curam adhibitis impertiret: ſe denique, & Succeſſorem ſuum ejuſdem indulgentiæ participem faceret, quoties citius Ipſe ex hac vita, quam peſtis ex Urbe decederet (*d*). Mortuorum etiam ſpiritibus largiora ſolatia petebantur, & cum aliis Provinciæ Civitatibus eadem, quæ Mediolani acciderat, calamitas immineret, etiam, atque

(*a*) Quotidie pſallendi in Odæo conſuetudo hoc primum tempore a Carolo ſuſcepta eſt, quo aſſiduis precibus vacare contendebat; Non enim reperio antea huc venire ſolitum, niſi feſtis diebus, cum Eum domi reliquam hebdomadam multiplices Diœceſeos curæ tenerent.

(*b*) Dictum hoc intellige de Borromei domeſticis, qui ſibi ſemper adhæſere comites, quorum nullus unquam vel leviſſimo morbi incommodo, in graviſſimis licet miniſtrandi laboribus, affectus eſt; videbimus enim alibi, qui ex familia ſua, itemque ex Sacerdotibus ad ægrorum curam deſtinatis interierint. Unum ex familiaribus ſuis peſtilentia extinctum lego, qui dictitabat moriens, non aliunde peſtilentem morbum ad ſe emanare potuiſſe, quàm ex Caroli conſuetudine. Verum hic ad infirmorum miniſteria non fuerat evocatus.

(*c*) Cum delatam ſibi hanc poteſtatem adimi per interitum poſſe formidaret, ſcripſit Carniliæ, ut eadem ad Succeſſorem, aut Vicarium ſuum facultas perveniret. Tamen advertas velim per Carniliæ obitum in aliud tempus oblatum Borromeo hoc Diploma; nam Carolus ad Cardinalem Novocomenſem reſcribens miſſum ſibi dicit dumtaxat ad III. Idus Septembris MDLXXVII.

(*d*) Præſentiora etiam videbantur auxilia, quæ a Pontifice Gregorio inſuper poſtulavit. Curatum in primis eſt, ut liceret Piarum Ædium patrimonia ad certam ſummam diſtrahi; atque Pontificias ſuper hoc literas X. Cal. Octobris impetravit. Accitos deinde Canonicos Lateranenſes, SS. Benedicti, & Brunonis Monachos, itemque Olivetanæ Congregationis ad Idus Octobris ſolicitavit conſiliis ſuis, ut cenſuum ſuorum partem in publicum commodum conferrent. Æmulata deinde Antiſtitis curam Urbis Præfectorum, & Regis pietas fuit: quorum illi quidquid ſibi ex vino in Urbem tranſvehendo vectigalis pendebatur, in egenorum ſubſidium profudere, acceptis ſexaginta nummorum millibus pro jure hujus vectigalis divendito: alter quadragies mille nummum juſſit in eorumdem levamen numerari, ut ſcripſit ad Ormanetum Carolus commendans primo Regiam liberalitatem, mox uberius auxilium modeſtiſſime depoſcens. Neque defuit Ayamontius Gubernator, & tuendæ publicæ valetudini dati ex Urbe Præſides, qui gravi edicto ſanxere, ut ex tranſpadanis Regionibus, Alexandrino, Derthonenſi, atque Novarienſi agro devehenda huc ingens tritici copia colligeretur; cumque Inſubres accolæ gravarentur quotidianum in Urbem commeatum ducere, pœnarum metu injecto, illos ad id officii compulere, ut ſcripſit Centorius de Hortenſiis in Collectaneis ſuis. Uni defuere nobis Papienſes, qui confugientes ad ſe ex Inſubrum agro aliquot minis, pœniſque a finibus ſuis averterunt: neque quidquam impertiri Urbi noſtræ ſubſidii dignati ſunt, refragati etiam Ayamontii decretis. Sed cum anni inſequentis ineunte Junio eorum Urbem eadem peſtilentiæ invaſiſſet calamitas, Civeſque ad nos ſui tranſfugerent: edicto cautum fuerat, ut par pari redderetur; ſed mitius deinde in eos inſita Civium noſtrorum pietas decrevit.

Digitized by Google

atque etiam optabat, moneri earum Episcopos, ne stationem desererent; sed ea, qua par esset Caritate, suis gregibus assiderent. Hæc postulata quamprimum repræsentari Pontifici per Bernardum Carniliam Romæ agentem curavit, jussum simul a Pontifice ipso, aliisque sapientissimis Viris exquirere, an Pastores animarum ad obeunda quæque pro grege pericula ipsa muneris sui ratio compelleret. Sed cum multum temporis ea quæstio requireret, Carnilia interim mortuo, definiri non potuit. Cetera omnia illico impetrata: quibus literas ad Populum Pontifex addidit (nam id quoque in precibus continebatur) amoris, & sapientiæ plenas. Hortabatur primo carissimos sibi Mediolanenses, ut inflicta a Deo supplicia æquo animo ferrent: deinde, ut integri infirmis, divites pauperibus necessaria auxilia præstarent, quo nihil magis Christiano nomini conveniret (*a*).

Gratissimæ Carolo hæ literæ fuerunt, quas typis impressas alteri libello inseruit, quo varias antiquorum sententias præsentium temporum necessitati accommodaverat. Dionysii Alexandrini epistolam ex Eusebio Cæsarienſi desumptam, S. Cypriani sermonem, Gregorii Nazianzeni, aliorumque Patrum præclare dicta in unum collegerat, quibus Sanctissimi Viri, grassante pestilentia, popularium suorum sustinuerant animos, ne ab mutua ope desisterent. His vernacula lingua in publicum editis, totius Cleri, ac Parochorum præsertim conventum habuit, quorum formidinem, utpote eorum nomini turpius repugnantem, gravioribus verbis increpuit. Quis enim eos, ajebat, Pastoris nomine dignos appellaret, qui oves suas pabuli inopia deficere, ac luporum dentibus dilaniari quieto animo sinerent? Atqui ejusdem criminis reos esse, qui creditum custodiæ suæ populum Sacrorum inopia laborare, atque inter Dæmonum insidias absque ulla ope interire paterentur. Alios proinde spiritus caperent, seque ducem ad ea, quæ suadebat, acciperent. Quod si aliquos eorum lethifer morbus corriperet, pro certo haberent, venturum se illico, eademque ipsis auxilia allaturum, quæ ipsi ceteris præstitissent. Commovit audientium mentes simul vis orationis, simul promissi magnitudo: nec ultra dubitavere, quin sese ad omnia exequenda, quæ muneris sui ratio deposceret, paratissimos exhiberent (*b*).

Et forte per eos dies mirabile quiddam

(*a*) Suffectus in Procuratoris Carniliæ locum Specianus scripsit X. Cal. Novembris hoc anno: „ re„ sponsum Romæ a Theologis fuisse, Parochis non „ licere ex Paroeciæ suæ finibus pedem efferre, non „ tamen compelli ad ministrandum infirmis posse." Quæ sententia cum parum sibi arrideret, Cardinalis Martinum ab Azpilcueta ad sententiam suam pronunciandam excitavit, qui validis rationibus nixus in Borromei sententiam ivit.

(*b*) Pauci ex Animarum Rectoribus refragati deinde Caroli votis sunt. Etenim ut omnes haberet obsequentissimos, & similes sui, hac arte usum Specianus testatur in Tabulis, ut si quem animo deficientem comperisset ex Parochis, ad eum veniens comitem se illi Sacramenta ministranti adjungeret, ut præsentia sua vel renuentem compelleret, vel metuentem excitaret. Sed Ejus exempla Cives moverunt præsentes; scripta tamen etiam solicitarunt absentes. Modoëtiæ enim cum invaluisset lues, & datum jam a se Ecclesiæ illi Administrum sustulisset e medio, Archipresbyterum ejus loci vetitum ab Oppidanis, ne ad ægros accederet, acri commonuit Epistola, ut vellet saluti morientium prospicere, in hanc sententiam: „ Tantum me loci hujus „ calamitas commovet, quantum in filiorum suorum „ acerbissimo casu commoveri patrem decet. Verum illud vehementius doleo, quod cum adeo „ corporum valetudo Oppidanos istos solicitos ha„ beat, nulla tamen æternæ salutis cura eos tan„ gat, cum tot pestilenti oppressos morbo & tuo au„ xilio destitui inhumane patiantur, eo potissimum „ tempore, quo minus eos privari tanto subsidio „ certe convenit. Quid si atrox interitus missum „ huc a nobis Administrum interceperit? Sancti „ Pauli Reg. Cl. novos tibi adjutores dedi; neque „ eum ardorem tuum refrigerari nunc decet, quem „ isthuc in calamitatis exordiis attulisti. An te in „ hac custodia collocatum: an tuos vigilantiæ tuæ „ commissos: an me, qui hoc jamdiu præcepi: an „ tempus demum ignoras? Equidem urgens animæ „ unius in extremo vitæ articulo positæ necessitas „ videtur præferenda eorum votis, qui adhuc valent; „ cum istis aliorum opera non sit defutura: mo„ rientibus autem impium sit Pastorem deesse. Il„ lud potes; hoc debes. Recognosce, quæso, Dæmo„ nis fraudem uberiorem offerentis messem, sed „ aliàs demetendam; manipulos interim nunc colli„ gendos intercipientis. Mitto scriptis exaratam Na„ varri sententiam, quæ nihil novi tibi indicit, sed „ in vetere confirmat voluntate. Docet ille breviter „ quod tibi impositum sit munus: te Dei administrum, „ atque vicarium commemorat: exponit morientium „ ne-

dam acciderat, quod ſegnibus, timidiſque ex alienæ virtutis comparatione pudorem injiceret. Veſpillones teterrimum genus, plebejum hominem nondum exanimem, cum extinctum putarent, ad Sancti Gregorii (*a*) prata noctu devexerant, in quibus mos erat mortuorum corpora ſepulturæ mandari. Luce orta, miſer ex lethali ſopore expergefactus, cum Sacerdotem videret altaris Myſteria in Sacra Pixide circumferentem, ex cadaverum acervo in genu aſſurgit flebiliter rogans, ut ipſe quoque Divini Sacramenti particeps fieret. Non odoris fœditas, non fluens ex purulentis artubus ſanies, non mortis ex tam propinquo minitantis aſpectus Sacerdotem abſterruit, quominus rogantis deſiderio ſatisfaceret. Ille voti compos factus in eo, quo antea jacebat, loco recubuit, ac ſpe melioris vitæ recreatus, quam leniſſime expiravit. Celeberrima res tota Urbe fuit, eamque Cardinalis publicis literis vulgari curavit, ne tam eximiæ fortitudinis, ac pietatis exempla poſteris celarentur.

Nec tamen ita ægrotantibus opem ferri volebat, ut ab iis, quos eorum curæ præfecerat, nulla vitæ ratio haberetur. Itaque multa ſecum, multa cum prudentiſſimis conferendo, nonnulla præcepta, & regulas condidit, quibus adhibitis, quantum in tam ancipiti negotio fieri poterat, ſuo quiſque munere citra periculum fungeretur. Ea præcepta ſi quis videre voluerit in quinto Provinciali Concilio deſcripta ſuperſunt: recepta apud Ipſum conſuetudine redigendi in publicas tabulas quidquid in ventura tempora profuturum exiſtimaret (*b*). Id certe futura ætas mirari non deſinet, potuiſſe unum hominem, nullo niſi paucorum familiarium auxilio, tot conſiliis excogitandis, exequendiſque ſufficere, quibus enarrandis ægre hiſtoria ſufficiat. Provinciæ Gubernator, quem ad ſubſidia ferenda promptiorem ceteris eſſe oportebat, ut ne adiri quidem poſſet, Viglevanenſi arce ſe incluſerat: primoreſque Civium, cum fugæ turpitudo tolerabilior exemplo Principis fieret, in villas, & caſtella ſeceſſerant, non antea reverſuri, quam ſatiata plebejorum funeribus peſtis tutum ad Patriæ delicias reditum aperiret (*c*). Ita præcipuis eorum, quorum ope Reſpublica nititur, ſubdu-

---

„ neceſſitatem; earum nimirum ovium, pro quarum „ incolumitate verbo, & exemplo ipſemet Chriſtus „ docuit ſpiritum ſtrenue profundendum. Adde „ ineundam obedientia tua apud Deum gratiam, „ cum præceptum, quod tibi impoſui, nunc impo„ nam iterum: qua cogitatione ſuſtentatum te non „ diffido in tua ſententia permanſurum. Porro ipſa „ animi alacritas, qua te in pericula fortiter conjicies, „ non mediocriter valetudinem confirmabit tuam. „ Ajunt enim, tranquillo atque alacri utentem ani„ mo facile omne peſtilentiæ periculum depellere. „ Quod ſi etiam ſecus accidat, nonne unus demum „ Deo reddendus eſt ſpiritus, quem qui eo tempo„ re, ac modo profundat, quo Deus ipſe præ„ ſcripſit, næ ille omne ſe tuliſſe punctum arbitre„ tur? Quantæ autem ſuperbiæ, atque audaciæ eſ„ ſet, Deo, ac muneri ſuo deeſſe; ac ſi morientibus „ nobis, alios Deus meliores ſubſtituere adminiſtros „ non poſſit. Verum non hæc eo dico, quo ve„ lim interim curam omnem de tuenda valetudine „ ceſſare. Quod Medici præcipiunt, nec muneri obeſt „ tuo, libenter amplectere. Quare dignam te curam „ omnium ſuſcipe; & niſi ad omnes ſolicitudo tua „ perveniat, eam ſaltem iis, quibus potes, quæſo, „ impartire. Virga, aut aliud quodlibet tibi præfe„ ratur indicium, quo ſani commoneantur, ut ab„ ſint: ægri ut accedant. Nullum tamen proxi„ mius admitte, ut ſanis item, atque ægris provi„ deas; tui enim unius abjicienda eſt cura. Illos „ autem excipe aut ad ædium fores, aut in hor„ tis certo diſtans intervallo; hos præcave, quan„ tum ſalutis tuæ, & muneris cura patitur. Hæc „ Mediolani in uſu poſita ſunt; patet enim libe„ re Veſpillonibus, & Chirurgis via omnis, uno „ prælato ſigno, licet nihil illis ſuſpicioſius dici „ poſſit, utpote ſemper inter funera, atque ægros „ verſantibus &c.

(*a*) Hæc erat tum electa area ad cadavera humanda, non tamen unica. Potiſſima autem videbatur, quod prope hanc Limocomium nobiliſſimum, & ampliſſimum omnium quadrato opere ſurgeret, quod Inſubres *Lazaretum* appellant.

(*b*) Archipræſul Urbinas IV. Calendas Auguſti MDLXXX. gratias agens Carolo pro miſſis ad ſe Conciliis ſuis, ubi de hoc verba facit, affirmat: „ novam hanc tam ubertim tractatam de peſtilen„ tia materiem, admirandam fore poſteritati omni; „ & multo luculentiora continere remedia, quam „ quæ medicorum ars inventis ſuis excogitare in „ poſterum poſſit, utpote a Carolo ipſo feliciter „ adhibita.

(*c*) Statim huic incommodo occurrit vigilantia Urbis Præſidum, Borromei conſiliis excitata; quare edictum eſt pridie Calendas Septembris, ut mille aureorum pœna mulctaretur, quicumque pedem Urbe efferre auderet. Cum tamen urgeret rationum cum ruſticis ineundarum cura, triduo poſt conceſſum eſt, ut ad decem dies abeſſe poſſent ii dumtaxat Cives, quos rationes domeſticæ rus evocaſſent.

Digitized by Google

ducentibus humeros, tota pene curarum moles in Cardinalem incubuit. Ipſe paucos Nobilium, quos nondum mœnibus exceſſiſſe cognoverat, ad colloquium vocatos, nunc pudorem, nunc miſericordiam excitando eò denique adduxit, ut crederent falſo nomine Patricios appellari, quorum vita Reipublicæ inutilis eſſet (*a*). Poſtquam fatis paratos animadvertit, certam Urbis partem ſingulis aſſignat, quam aſſidue circumeant: mox in conventibus, quos ſtatis temporibus fieri volebat, conſilia collaturi, quibus obviam iri creſcentibus quotidie calamitatibus poſſit. Sacerdos etiam, qui conventibus intereſſet, ex primariis datus; ut ſi quid inter ſtatuta ad Eccleſiaſticum Tribunal pertineret, certiorem Archiepiſcopum faceret (*b*).

Verum ubi tantum laboris, ac temporis conſultandi, inquirendique cura conſumpſerat, pecuniæ ad exequenda conſilia deerant: nec vero conſtabat, a quibus peterentur. Regii Magiſtratus ſuſtentandæ plebis curam ad Civitatem ipſam ſpectare ſentiebant: Decuriones Urbis aliter ex adverſo ſentire: & quo firmius utraque pars cauſam ſuam defenderet, quotidie deterior cauſa pauperum fieri. Hæc ſummopere Carolum angebant, quod neque exhauſto per anteriores ſumptus ærario, quidquam Ipſe conferre in publicum poterat; & inter duorum Tribunalium certamina cladem ultimam Populo inſtare appareret (*c*).

Inter hæc, cum forte Gubernatorem Mediolani eſſe intelligeret (*d*), literas ad eum dedit, quarum ſumma hæc erat. Quod ſibi uni conſuleret, & procul a communibus curis, periculiſque recederet, id ei minime convenire, cui Rex tutelam Urbis fideliſſimæ commiſiſſet. Videret Vir Nobiliſſimus, ne perpetuam nomini ſuo ignominiæ notam inureret, ſeque in Divinæ Juſtitiæ conſpectu, quæ gravius Principibus imminet, tot miſeriarum, quibus infeliciſſima Civitas premebatur, magna ex parte reum faceret. Quod ſi ad permanendum minus animi eſſet, ſaltem edicto coërceret eorum fugam, quorum opera in tantis neceſſitatibus Reſpublica uti poſſet. His literis in Senatu acceptis, tantus repente pavor Gubernatorem inceſſit, ut omni alia diſceptatione omiſſa, illico agere de ingraveſcentium malorum remediis inciperet (*e*). Sublata etiam quæſtio de ſumptibus eſt; nec ultra obſtitere delecti ad regimen Civitatis, quominus curam ſuppeditandæ in publicos uſus pecuniæ in ſemetipſos reciperent.

CA-

(*a*) Revera pietas Equitum noſtrorum, & Urbis Præſidum inflammata eſt Caroli precibus, & Civibus ſaluti fuit. Lego enim pluribi commendata Hieronymi Montii Patricii Clariſſimi præcipua ſtudia (hic tum Præſes erat Magiſtratus illius, qui in publicam tuendam valetudinem incumbit) adeo, ut non dubitaverit Centorius affirmare, dignam fuiſſe ejus ſolicitudinem, quæ ſtatua in Foro poſita immortalitati conſecraretur.

(*b*) Hac ratione juri ſuo ſimul ſervivit, & Patriæ Borromeus; neque enim aliud ſpectabat, quam ut ſua ſimul ſtudia cum Patriciorum curis in publicam incolumitatem conſpirarent. Si quid vero in hanc tuendam a Magiſtratu ſtatueretur, monitus Ipſe de decreto idem ſtatim præcipiebat ſuis, quod profanis hominibus Patricii imperaſſent.

(*c*) Hæc Urbis cum Regio Magiſtratu diſſenſio fuit in cauſa, ut Carolus omnia uno velut impetu profunderet. Cum enim hanc moram pati non poſſet urgens infirmorum calamitas, a die XVIII. Auguſti, uſque ad XXII. Septembris, mille & quadringentos homines in Limocomio clauſos una Borromei ope ſuſtentatos conſtat ex laudato Centorio; nam ex hoc die impoſitum ægros alendi onus Urbi fuit.

(*d*) Mediolanum venerat Ayamontius ineunte Octobri, cum teſtetur Carolus in literis ſuis, Eum religioſiſſime ſupplicationi publicæ interfuiſſe, cum SS. Clavus Chriſti morientis ſanguine conſecratus per Urbem ſolemniter circumferretur: atque in tabulis lego umbellæ ipſi, qua Carolus ſupplicabundus Illum circumferens tegebatur, ſuſtentandæ piam manum adjunxiſſe.

(*e*) Actum in hac conſultatione fuit, ut in elenchum referrentur opulentiorum Civium nomina, quibus publicæ calamitati opportunum imperaretur pecuniæ ſubſidium. Cum vero quidam ex Aſſeſſoribus inferendum elencho Borromei Cardinalis nomen diceret, reſponſum a pluribus fuit: *Mulctam hanc voluntate jamdiu ſua Carolum ſuſcepiſſe; atque a liberalitate ſua exactas alienæ parſimoniæ pœnas.* Adjectum inſuper eſt: *cavirent Patres Conſcripti, ne fundos familiæ diſtrahendi facultatem Eidem concederent; paratum enim Illum videri, univerſum etiam patrimonium profundere, licet ſuæ hæredis fidei commiſſum.* Hæc Comes Georgius Trivultius Senator & locupletiſſimus Teſtis Tabulis conſignavit.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Plebem omni ope deſtitutam ſuſtentat, atque enixis precibus ad Dei auxilium confugit.

1576. PAucis poſt diebus, quam hæc in Senatu acta erant, triſte aliud ſpectaculum jam ſatis perculſis civium animis intervenit. Cum enim aliis in agros fugientibus, aliis morte ereptis, aliis intra domorum ſepta metu concluſis, muta pene, ac deſerta omnia in Urbe eſſent: ingens repente turba vias impleverat; neque quid poſceret tanta hominum multitudo, quòve ſe verteret, apparebat. Plebei plerique erant quotidianis ſtipendiis vivere aſſueti, quibus, ceſſante mercaturæ quæſtu, clauſiſque officinis, nihil ad victum reliqui erat. His ſeſe aggregaverant famuli dimiſſi a divitibus, quos invaleſcens in dies morborum vis, & annonæ caritas minore ſervorum pompa contentos eſſe docuerat. Itaque nunc in foro conferti, nunc per compita errabundi, mœrore, ac jejuniis ſemianimes, cum nec, ubi conſiſterent, locus pateret, neque ad depellendam famem alimenta ſuppeterent, compoſito in ordinem agmine Archiepiſcopum adeunt pro firmo habentes, ſpem ſalutis ſuæ haud alibi eſſe certiorem. Miſerabilior ſane ſpecies agminis erat, quam ut abſque pietatis ſenſu a Paſtore amantiſſimo conſpici poſſet. Humaniſſimis verbis exceptos bono eſſe animo jubet (*a*), & quantum in Ipſo auxilii ſit propediem expectare. Id vero, quod pecunia non poterat, conſilio perficere aggreſſus, delectos ex omni multitudine validiores inter præſidia militum ad ſuſpecta loca excubias agentium recipi curat: alios miniſteriis obeundis, quibus quiſque aptior erat, in Xenodochia diſtribuit; nec ante ab incœpto deſtitit, quam iis, qui ſupererant, certum aliquod hoſpitium inveniret.

Octavo ab Urbe lapide via Romana ædes eſt, quam Franciſcus I. Galliarum Rex, fuſo Helvetiorum exercitu, monumentum victoriæ poſuit, ex quo Victoriæ nomen ædes accepit. Poteſtate igitur a poſſeſſoribus facta (*b*) trecentos amplius pauperes, quos circumjecta ad Sancti Stephani Templum porticu hactenus clauſos tenuerat, in eam ædem traduxit. Et quamquam pii homines non defuerint, qui emendæ ſupellectili, parandiſque cibariis auxilia conferrent, multum tamen æris alieni Ipſe ad continuanda ſubſidia contraxit (*c*). Binos

(*a*) Ut primum advenientis multitudinis ad Carolum perlatus eſt rumor, ſtatim acciri ad Se juſſit ex Conventualium Familia Patrem Hieronymum a Sancto Auguſtino, virum promptum conſilio, atque opera, qui tumultuantem turbam a Borromeo primum compoſitam, dux ipſe agminis ad Sancti Stephani Porticus juſſit faceſſere, ubi deinde delectus ejus opera eſt habitus. Poſtmodum idem Pater in corrogando pro ægris ære oſtiatim emendicans, luem contraxit, & in Cardinalis Ædibus, diligenti licet Medicorum ope accedente, glorioſe animam exhalavit die XXVIII. Decembris, Borromeo forſitan invidente. Hæc Tauruſius in Tabulis & Parazozerus in Schedis ſuis. Neque mirum videatur, ædes Borromei patuiſſe peſte infectis; neminem enim ex domeſticis ad publica tuguria amandavit, licet familiarium cum ægris commercium interdiceretur; ut Galeſinio accidit, qui propter Fabritii cujuſdam ex infimo ſervorum ordine morbum vocatus in peſtilentiæ ſuſpicionem, juſſus eſt ad octiduum ſe cubiculo continere. Ceterum plures ex ægrorum adminiſtris domi ſuæ alebat; alios vero in ſuis Collegiis ali ære ſuo curabat, & tanta ciborum lautitia, ut Frater Jacobus ex Cappuccinorum Ordine ſcripſerit: *Miſſi fratribus a Carolo hac occaſione cibaria magna ex parte repudiata, ut interceptis gulæ deliciis, diviſa æque in omnes fames eſſet.*

(*b*) Ædis hujus poſſeſſor Ipſemet Carolus erat, qui calamitate ceſſante, eam dono obtulit Noſocomio hujus Urbis Maximo, ut docent Jo. Arcimboldii Literæ.

(*c*) Uſque ad XX. Januarii diem anni ſubſequentis pauperum hoc in clauſtro alendorum cura relicta Borromeo fuit, quam ad XXXVIII. dies Civitati deinde impoſitam, iterum Cardinalis ſuſcepit ineunte Martio uſque ad peſtilentiæ exitum. Tot tamen ſumptibus impar Ipſe videbatur, niſi Eidem virtutis ſuæ fama ſubſidium attuliſſet. Preces tanti Antiſtitis repudiare religioni ducebant Cives univerſi; quare in hoc onus ſuſtinendum conſpiravere piorum hominum divitiæ. Teſtatur enim Fornerius, ſæpius miſſum ſe ad pecunioſos Patricios a Sancto Cardinali, & præcipue ad Demarchum Littam Seniorem, Comitem Eraſmum de Abdua, & Cuſanos Fratres, atque alios, a quibus ſemper ingenti cum pecuniæ ſumma fuit dimiſſus, ut ſæpe ſinguli ducentos aureos uno impetu in miſerorum ſubſidium profunderent, quos Borromei arbitrio diſtribuendos committebant. Audi etiam, quam præſidenter Comiti Ludovico Gallarato religioſiſſimo Equiti gratias agens ipſe Carolus pro gallinaceis pullis aliquot ſibi dono miſſis, ejuſ-

Digitized by Google

Binos deinde ex severioribus S. Franciſci aſſeclis deligit, qui otioſam multitudinem Sacrorum cultu, & Chriſtianæ vitæ documentis exerceant. Quin etiam veritus, ne, quod ſæpe in ſervilibus ingeniis accidit, ceſſante fame petulantia ſuccederet, de Senatus conſenſu Judicem deſtinavit, qui adverſus imperia contumaces ſuppliciorum terrore cohiberet. Ita brevi evenit, ut mortis faucibus erepti meliorem inſuper vitæ rationem inirent, miſerabilius fortaſſe perituri, ſi minus miſeri fuiſſent. Defuncti muneribus aliis, quæ deſcripta in horas habebant, prælato Crucis vexillo ſacra carmina concinentes, & modeſte compoſiti finitima rura circumibant; idque ſimul pietatis incitamentum, & ſolatium ægritudinis erat. Qua pietate, & modeſtia ita commoverant agreſtium animos, ut ſubſidia undique mitterentur eſculentorum præſertim, quibus regio frugum, ac pecoris ferax pene ad luxuriem abundat. Nec vero Carolum graviſſimæ curæ, ac pene innumerabiles retinebant, quominus agreſte illud domicilium aliquoties inviſeret. Ubi cum omnia ſatis inſtructa pro temporum conditione inveniret, alia ſolicitudo inceſſit, ne, appetente jam hyeme, quos morbis, & paupertati eripuerat, frigori exanimandos relinqueret.

Seminudi alii plures in Urbe erant eidem periculo obnoxii, & difficile ad fidem erat, poſſe in tanta pecuniæ difficultate parem egentium multitudini veſtium numerum reperiri. Sed nulla fortaſſe in tantis Reipublicæ neceſſitatibus fuit, cui facilius Ipſe conſuleret. Tapetes, & aulæa, ſive lectis familiarium circumducta, ſive parietibus, feneſtriſque pendentia, ſartoribus accitis, ſcindi omnia, vertique in tunicas jubet: ratus videlicet nihil magnificentius eſſe hac nuditate Palatii, quam pietas faceret (*a*). Eas Ipſe, prout aptiores ſingulorum corporibus erant, manu ſua diſtribuit, quo & liberalitati honos, & muneri gratia major accederet. Pellicea quoque ingen-

---

ejuſdem liberalitatem inflammet, menſe Januario MDLXXVII.: „ Triduo abhinc oblati mihi fuerunt „ tuis verbis pulli gallinacei duodecim; & munus „ tuum adjectæ etiam benevoli, & liberalis animi ſi„ gnificationes maxime commendarunt. Ago, ut par „ eſt, gratias; ſed quandoquidem difficillima Urbis „ tempora magnum mihi miſerorum numerum ob„ jiciunt, quorum calamitatem meæ, ut decet, ne„ ceſſitati antepono: credidi, me ad id muneris a te „ fuiſſe electum, ut alienæ fami tuo dono ſubveni„ rem. Statui inſuper ſtimulum currenti admovere, „ atque obſecrare, ut quod mihi uni munificentiæ „ tuæ offers pignus, ſplendide offeras univerſis; „ præſertim cum tam amplus pateat munificentiæ „ campus propter tot miſeros in Victoriæ Ædes „ congregatos. Porro tanta eorum neceſſitas eſt, ut „ non conſuetum dumtaxat commeatus, atque pecu„ niæ ſubſidium poſtulare videatur; ſed quidquid „ pretioſum, aut argenteum domi latet, a tua li„ beralitate poſſit extorquere. Jamdiu ad id auxilii „ a te depoſcendum meus me tacitum incitabat „ animus; nunc ad rogandum etiam latam viam „ munivit mihi liberalitas tua, cui multum defero. „ Igitur enixe id rogo: neque me reſponſo vacuum „ dimitte. Moneas velim certius, quidquid in præ„ ſens, aut etiam in poſterum auxilii miſeris illis „ deſtinas; atque pro certo habe eodem amoris & „ grati animi vinculo me item, atque illos tibi eſſe „ obſtringendos.

(*a*) Abunde inſtructam re veſtiaria apothecam ſuam hoc tempore evertit omnem; licet ex plurimorum teſtimonio XXV. nummorum millibus ea æſtimaretur. Quingentas veſtes diſtributas viritim ad ſuburbana tuguria ſcribit Parazozerus, præter quadringentas, quas Gluſſianus dicit dono datas miſeris Victoriæ Ædes incolentibus. Addit Parilla Plantanida jurata teſtis, pelliceam veſtem, qua Carolus induebatur, ab Ipſomet dono datam mulieri cuidam, quam frigore torpentem invenit, dum Urbem obiret. Cum vero alia nulla ſibi in promptu eſſet, Ejus familiaris Ludovicus Moneta pecunia ſua redemptam iterum Borromeo utendam dedit. Quid plura! In tam opulenta domo nihil reliquum fuit præter attritam telam, quæ cum antea tapeti ſuppoſita fuiſſet, deinde in tapetis locum ſuccedens Ejus menſam per ſubſequentes annos ornavit. Pene etiam mente exciderat opportunum ad hanc rem illuſtrandam Dominici Caſtellani Maddii ex Urbis LX. Decurionibus teſtimonium. Ejuſdem verba latine reddo: „ Ducenti Vigiles me duce merebant ſtipendia, cum „ Præfectus Portæ Romanæ tuguriis eſſem. Hue „ frequens veniebat Cardinalis, & me ſciſcitaba„ tur, num infirmorum commodis quidpiam deeſſet, „ in quo me maxime religioſum eſſe hortabatur. „ Mox ad tuguria approperans in ſingulorum limi„ ne ſtabat; percontabatur de unius cujuſque ſtatu: „ pecuniam etiam ſuppeditabat. Quadam die me„ cum in urbem regrediens intravit atrium Noſo„ comii Peregrinorum Sancti Petri, & conſpicatus „ pendulum e feneſtra ſacculum, pecunias ſtatim „ immiſit. Rogavit a me, quodnam ibi hominum „ genus verſaretur? Reſpondi eos eſſe, qui morbo „ liberati, cum nullæ illis reliquæ veſtes eſſent, ve„ teribus combuſtis propter peſtilentiæ iterum contra„ hendæ periculum, nudi ferme illic latebant. Ille ad „ hæc extracto libello quædam conſcripſit: mox „ abiit.

Digitized by Google

gentis pretii veſtimenta, quæ unica ferme ſupellex domi remanſerat, ſeptuagenariis ſenibus in vetere hoſpitio ſeparatim degentibus deſtinavit: ingens ſolatium ætatis, cui nihil hiberno rigore infenſius eſſe cognoſceret. Id ſane novum Civitati noſtræ accidit, ut paupertatem, quam ex illuvie, & ſqualore veſtium plerumque dignoſcimus, nunc earum pompa, & nitor oſtenderet. Videre erat miſerrimos hominum violaceis indumentis, purpureiſque fulgentes, ſibique inopiam ſuam propemodum gratulantes, qua in tantis Patriæ calamitatibus tam ſplendide ornari meruiſſent.

Ceterum nunquam alias manifeſtius apparuit nulla re potius, quam exemplo mentes hominum permoveri. Cum enim Archiepiſcopum ſuum inaudita erga pauperes munificentia eo redactum viderent, ut prope ſeminudus in nuda domo habitaret: tum divites erubeſcere avaritiam ſuam: lintea, pecuniam, cibos liberalius elargiri: denique, id quod erat, nefas ducere, ſi rei familiaris curam tot Civium vitæ anteferrent (*a*). Nec vero muliebrem ſexum laudibus ſuis fraudari fas eſt, quas ſane maximas in publica illa egeſtate promeruit. Gemmati annuli identidem, & monilia, & aurei torques ad Archiepiſcopum mittebantur, quæ vanæ ambitionis inſignia nobilior alia juvandæ Civitatis ambitio rejecerat.

Tot collatis in unum auxiliis, cum acrius in dies peſtilentia recrudeſceret (*b*), ſatis apparebat gravius laborare rempublicam, quam ut ſanari humanis conſiliis poſſet. Itaque Cardinalis, qui tela hæc eſſe Cæleſtium irarum Mediolanenſi Populo paulo ante prædixerat, ſpe ab humanis auxiliis in Superos verſa, ſupplicationes in triduum indixit. Decurionibus Urbis haud ſatis placebat multitudinem congregari, ne latior ex mutuo contactu ſtrages hominum fieret. Ille enimvero objurgare vanam formidinem: commemorare exempla clariſſimorum Patrum, Gregorii præſertim Sanctiſſimi Pontificis, cui poſt cetera remedia ad Populi Romani valetudinem necquicquam adhibita ſupplicationem obeunti Cæleſtis Ales reconditum in vagina gladium, typum videlicet Divinæ Juſtitiæ parcentis oſtenderat. Vix ego temperaturos a lacrymis credam, qui ſpeciem ſupplicationum, quas ad placandam Divini Numinis iram eo tempore inſtituit, ſibi ante oculos ponant. Quinto Nonas Octobris, poſtquam in Templo Maximo ſingulorum capita cineribus Ipſe conſperſerat, tum denique Sacerdotes quotquot ex Cœnobiis, Collegiiſque aliis convenerant, ſub ſuorum Ordinum ſignis proceſſere. Ibant excalceati omnes demiſſo capite, ac gemebundis vocibus Cælitum nomina invocantes; nec ſatis conſtabat, mœror, an pietas in omnium vultu emineret. Metropolitanæ Ædis Canonici, quemadmodum proximiores majeſtate nominis, ita Archiepiſcopo ſimiliores pœnitentiæ inſignibus erant. Cucullo tecti Crucifixi Salvatoris icunculas manu geſtabant, ac projecto longius ſyrmate humum verrentes inteſtinæ triſtitiæ magnitudinem externi cultus negligentia teſtabantur. Quàcumque interim agmen incederet, attonitum vulgus in genua procumbere: perſtrepere omnia mulierum, virorumque ejulatibus: exaudiri undique voces ſcelerum veniam petentium, quibus exitium Patriæ meruiſſent (*c*). Sed omnium ocu-

„ abiit. Die poſtero ex eo ſuburbio præteriens re-
„ ſcivi, miſſas ad eos plurimas a Cardinali veſtes
„ partim violaceas, partim purpureas, quas ex
„ conclavium aulæis conficiendas juſſerat.

(*a*) Puduit eo tempore Senatores Urbis noſtræ in Senatu aſſidere ornatius, quam domi ſuæ Borromeum. Quare hoc tempore detracta Senatoriæ Curiæ aulæa in miſerorum beneficium diſtributa eſſe teſtantur ipſæ Apotheoſis Tabulæ; hinc mirum non eſt, quod ad Paleottum Bononienſem Epiſcopum, ut etiam ad Novarienſem ſcribens Carolus, effuſa laudatione Mediolanenſium ſuorum pietatem, & munificentiam proſequatur.

(*b*) Diſſeminatum malum pervaſiſſe adeo omnes Urbis partes ſcribit Carolus, ut Octobri menſe centum fere Cives diebus ſingulis efferrentur ad ſepulcrum extincti. Mitigata vero aliquantulum ad ſubſequentem menſem morbi vi, quinquaginta dumtaxat infirmorum interitu ſcribit hanc Urbem funeſtatam.

(*c*) In tanto Urbis mœrore, qui maxime omnium mœſtiſſimus erat Borromeus, percipere aliquod ex po-

oculos in ſe præcipue converterat Cardinalis ſqualida majeſtate ita compoſitus, ut luctum univerſæ Civitatis in ſe uno exprimere videretur. Obvoluta fronte, validum funem collo circumdatum gerens immobilem in Chriſti vulnera obtutum defixerat, cujus imaginem prægravi e cruce pendentem ſibi ferendam aſſumpſerat (*a*). Ita meditabundus, cum nudis pedibus iret, dexterum pollicem in ferream cratem adeo vehementer incuſſit, ut divulſum unguem vix modica ſui parte ceteris partibus cohærentem retineret. Cujus vulneris ſenſum, quamquam in ea corporis parte acerrimus eſt, adeo diſſimulanter tulit, ut nemo fuerit agniturus, niſi doloris acerbitatem manantes paſſim ſanguinis rivuli prodidiſſent (*b*). Compertum poſtea eſt, toto illo ſupplicationis tempore nihil Eum a Deo ardentius petiiſſe, quàm ut quidquid irarum Mediolanenſis Populus meruiſſet, in ſe unum effunderet.

At ubi in Ambroſianam Ædem ventum eſt, aſcendens ſuggeſtum (*c*) luctum, quem antea aſpectu ipſo commoverat, accommodata ad Reipublicæ ſtatum oratione inſtauravit. Exorſus enim a Prophetæ verbis interrogabat, quomodo Civitas quondam Populo plena, nunc in ſqualore, & ſordibus ſola pene ſederet? Solitudinem ſcilicet, quam circa Templa, & aras feciſſent, nunc in Civium familias, domoſque migrare: & quo rarior antea Legum uſus fuerit, eo nunc rariores incolas in Urbe eſſe. Flexo deinde ad malorum remedia ſermone, diſerte oſtendebat nullum afflictis perfugium, niſi in Divinæ Miſericordiæ ſinu patere. Eo proinde verterent animos: expiarent lacrymis præteritæ vitæ labes: pro certo denique haberent ceſſatura ſupplicia, dum vitia ceſſarent. Quæ cum flenti ſimilis Ipſe pronunciaret, vix cohiberi multitudo poterat, quin mœſtis clamoribus dicentis verba interciperet.

Feria VI. hujus hebdomadæ ad S. Laurentii ſupplicatum eſt eadem fere agminis pompa, quæ IV. præceſſerat (*d*). Memor deinde maternæ benevolentiæ, qua omne Chri-

---

populi pœnitentia gaudium potuit, cum Romam hæc ſcripſerit: *Spero tot indictis publicis precibus uberrimam mihi a Deo comparatum iri ſacram vindemiam, cum omnes intime videam commoveri*. Iterum vero ſcribens poſtridie Idus Octobris, in hanc item ſententiam erumpit: *Video denno haberi pios Confratrum conventus, & plures hominum Sodalitates piis exercitationibus vacare; quod cum mihi ſummo gaudio eſt: tum facile intelligo, ſacro hoc Dei vindicis flagello, majus comparari animarum lucrum, quam timeri corporum diſpendium*.

(*a*) Extabat hoc antea Redemptoris Crucifixi ſimulacrum in meridionali Metropolitanæ Sacrario; poſtmodum Borromei manibus conſecratum, in Templum ipſum translatum eſt; & publicæ venerationi propoſitum adhuc ibidem religioſe colitur, ut docet præfixa Aræ epigraphe.

(*b*) Conſtantiſſime diſſimulavit acerbiſſimum doloris ſenſum, licet ad multas horas ſupplicatio proveheretur; & ſæpius in diſruptum unguem influens veſtis, hians vulnus acerbiſſime verberaret. Vix domum reverſus paſſus eſt quidem malagma apponi, pendentem tamen unguem ſtirpitus erui, non niſi poſt triduum juſſit; imo cum ad quintam, & ſextam Octobris diem aliæ eſſent ſupplicationes indictæ: cum ſupplicatum iret, detracto medicamento, nudum iterum pedem viæ injuriis objicere voluit.

(*c*) Hoc Baſilicæ Ambroſianæ inter cetera præcipuum decus eſt, ut declamantem Borromeum ambone ſuo primùm exciperet. Conſueverat ante hoc tempus ad Aram maximam in Cathedra ſedens ſermones ad populum habere Cardinalis; utque facilius ferre circumſtantis populi ora, atque oculos poſſet, ſolitus fuerat pudorem in privato Sacello deponere domeſticos ſæpe ad Concionem advocans, ut Ipſe ad Caſtelhum ſcripſit Idibus Junii MDLXXIV. Poſtmodum videns ex Oratione in ſuggeſto habita uberiorem colligi ab audientibus fructum, vix unquam ab illo exinde abſtinuit. Imo ad Valerium ſcribens biennio poſt pridie Idus Quintiles, eumdem ad id inſtitutum hortatur, ſuæque item modeſtiæ ſpecimen luculentiſſimum exhibet in hæc verba: „ Spero te „ item conſtanti animo ſuperaturum quidquid hoc „ tempore impedimenti vana pudoris, & metus opinio „ Epiſcopis opponit, quominus publice Orationes ad „ populum habeant. Ego etiam multo ab hinc tem„ pore parvi pendens imbecillitatem, & inſipientiam „ meam pro hoc munere obeundo, ſtatui muneri „ meo non deeſſe, ſperans in hac, qua pro Deo „ fungor, legatione divinum certe auxilium mihi „ non defuturum. Hinc dummodo gregi, Deo, „ meoque muneri ſerviam, paratus ſum ſtrenue „ ferre quidquid dedecoris in me concionantem fit „ ex inſcitia mea redundaturum.

(*d*) Alteram hac die Orationem ad populum habuit, quam primo deductam ex Nabuchodonoſor arbore, ad quam omnes cæli volucres convolaverant, & beſtiæ agri confugerant, flexit deinde ad anteactam Inſubriæ felicitatem arbori illi comparatam. Verſo deinde in contrariam partem ſermone, præſentem calamitatem veteris magnificentiæ commemoratione oneravit; pari nimirum ſuperbiæ exitu, propter quam funditus exciſam illam arborem æque, atque hanc Urbem explanavit. Tanta orationis efficacitas

Digitized by Google

Chriſtianum nomen Deipara Virgo complectitur, tertiam ſupplicationem ad Ejus Ædem, quæ haud procul a Sancti Celſi Æde magna Civium veneratione colitur, deſtinavit. Quidquid aut Superos ad miſericordiam, aut homines ad pietatem movere poterat, eo die produci in publicum juſſit. Præibant cum ſodalibus ſuis Templorum Antiſtites pretioſiſſima lypſana ferentes: Ipſe agmen ſequens conſecratum Chriſti morientis Sanguine Clavum ſuſtinebat (*a*), quo dono Helena mater Conſtantinum Cæſarem adverſus bellorum pericula inſtruxerat. Ex ejus Clavi aſpectu orationem ad Populum duxit, ſimul commemorans ejus amorem, qui pro ſalute hominum cruci affigi voluiſſet: ſimul objurgans ingratos hominum animos, qui flagitiis ſuis irritum ſibi tanti amoris beneficium facerent. Hanc certe ſuperni amoris memoriam ut omnium mentibus altius infigeret, biduo poſt Clavum eundem excelſa Cruce incluſum per omnes Urbis Regiones circumtulit tanto cruciatu corporis ſui, plane ut conſtaret, voluiſſe Illum non tam Divini Redemptoris amorem commemorare, quam patientiam imitari. Continuato enim ab ortu ferme ad occaſum ſolis itinere, ac jejunio, quodque notabilius eſt, nondum curato pollicis vulnere, nudis ſemper pedibus ire perſeveravit. Miraculi autem loco item notari fas eſt, quod cum in ea ſupplicatione, quam Gregorius Pontifex Romæ habuit, octoginta homines lethifera contagione periiſſe traditum ſit: nunc in tanto concurſu promiſcuis agminibus aras, & Templa petentium, ne unius quidem hominis vitam deſiderari contigerit.

Secutis poſtea diebus (*b*) ſupplicandi magnificentia potius, quam conſuetudo deſiit. Aſſignata Cœnobitis Templa, quæ quotidie gregatim inviſerent, alia præſcripta Canonicorum Collegiis, quibus etiam indictum, ne pſalmodiæ ſtudium periculi obtentu intermitterent. Hinc verſa cura ad tollendos errores, quos ſuperſtitio in credulam plebem invexerat. Perplexa quædam verba papyro, vel ære impreſſa vulgabantur: tum vana opinio invaluerat, qui hac teſſera munirentur contra morborum vim, inſuperabiles fore. Nova hæc ſcelerum illecebra erat, eo capiendis animis aptior, quo ardentius homini vitæ deſiderium innaſcitur. Itaque alterius peſtis more

---

ciſſimæ vis fuit, quam etiam poſitum in conſpectu malum corroborabat, ut paſſim toto templo comploratio ingens & luctus civium fieret.

(*a*) Mirum dictu eſt; quot tenebræ in Mediolanenſi Hiſtoria ſint de tempore, quo noſtra Eccleſia honeſtata tam inſigni dono fuit. Plura nimium a veritate abhorrentia circumferuntur de Sancto Ambroſio, e cujus manibus certe ad nos pervenire illud non potuit. Sancti Freni commemoratio habetur apud Balutium in Nova Collectione Conciliorum fol. 1544. edit. Pariſienſis anni MDCCVII., ubi dicitur juraſſe Beatiſſimus Papa Vigilius in Concilio Conſtantinopolitano *per virtutem Sanctorum Clavorum, & per Sancta quatuor Evangelia, & per virtutem Sancti Freni*. Item Gregorius Turonenſis Lib. I. Cap. VI. de gloria Martyrum narrat, quomodo per virtutem Sancti Freni nocturnas Dæmonum inſidias Juſtinus Imperator ſuperaverit. Hæc autem omnia certe poſt Sancti Ambroſii ætatem, utpote peracta ſexto ſeculo, patet contigiſſe; eoque tempore manifeſtum eſt extare in urbe noſtra non potuiſſe Chriſti Redemptoris ſanguine conſecratum Frenum. Sed quidquid ſit de modo & tempore, quo auctum ſit Mediolanum tam pretioſo pignore: certum eſt, illud repoſitum olim fuiſſe in Baſilica Æſtiva Sanctæ Theclæ, ubi aſſervatum fuiſſe teſtatur Stephanus Dulcinius, & inde translatum in Templum Urbis Maximum.

(*b*) Septima Octobris die Sacra indicta Civibus Synaxis fuit, ad quam infinita populi multitudo confluxit. Proſtabat omnium oculis expoſitus in Templi Maximi Ara inſertus Cruci auratæ Sacer Clavus; cumque quadraginta horarum ſpatio publicæ pietati Carolus indulſiſſet, indicta deinde Supplicatio eſt per ſex Urbis Regiones, nequa hujus pars tanto præſidio deſtituta eſſet. Deſignatæ item publicæ preces, ſtatis in ſingulas partes diverſis temporibus, ne quod diei, noctiſve ſpatium orandi ſtudio vacaret. Hanc piam exercitationem *Orationis ſine intermiſſione* nomine appellavit, quam tum in uſu poſitam aliàs etiam ſæpe inſtauravit, quoties publica aliqua calamitas timeretur. Adeo compoſiti hiſce inſtitutis ampliſſimæ Civitatis mores fuere, ut redire jam aureæ Eccleſiæ naſcentis ſecula viderentur. Hinc ad Ariminenſem Epiſcopum ſcribens hæc habet: „ In tam „ acerbo luis quotidie graſſantis ſpectaculo vere mi„ ſerando, ne dicam horrendo, nihil me conſola„ tur magis, quam celebrata quædam religionis, „ ut ita dicam, Saturnalia; cum ferveat ubique „ precandi ſtudium diurnum, nocturnumque tanto „ populi conſenſu ac pietate, ut tumet ipſe, ſi adeſ„ ſes, triumphaturus eſſes gaudio, atque certam „ conciperes non dicam publicæ valetudinis ſpem, „ quam in Epiſtola tua deſperas; ſed ſaltem anima„ rum ſalutis non dubium pignus haberes, intuens „ plebeculæ hujus ad Templa concurſationes, cujus „ ſincera pietas abſtergere, atque delere ſordes no„ ſtras Potentiorum poteſt &c.

Digitized by Google

re vagatura exitialis opinio videbatur, nisi confestim Carolus sacrilegas artes, & insana commenta edictis, & terrore pœnarum ad inferos, unde venerant, repulisset (*a*).

CAPUT V.

Præfectum ac Decuriones Urbis hortatur, ut publico nomine votum Sancto Sebastiano nuncupent: alia interim subsidia peramanter excogitat.

1576. IN ea rerum adversitate quanta animi constantia Cardinalis fuerit, vel ex eo dignosci potest, quod cum inter tot religionis officia lues effusius serperet, atque adeo cælestis ira implacabilis videretur, nunquam tamen aut a precandi studio desisteret, aut de venia dubitaret. Quin etiam cum trepidam Civitatem in eadem spe veniæ confirmare conaretur, vox Ejus audita est aperte pollicentis, ante Natalitias Christi Domini ferias pestem ex Urbe abituram (*b*). Cumque nova semper piacula Divinæ Justitiæ leniendæ excogitaret, spem Civibus factam tum denique certissimam fore existimavit, si novam ædem vetere diruta nobiliorem Sebastiano Martyri devoverent. Meminerat alias Urbes contagione morborum ejus patrocinio liberatas; ac Romano quondam Populo non antea salubritatem aëris restitutam, quàm aram ejus nomini dedicaret. Nec abnuit Civitas, quin votum illico ex Archiepiscopi sententia nuncuparet: gratulantibus cunctis eum sibi liberatorem in cælis dari, quem ab materna origine Civem in terris habuissent. Idibus Octobris solemni ritu peracta res est, qua die Populum ad Martyris aram congregari sequenti decennio placuit, ut facile renascentem vitiorum amorem repetita pœnarum recordatio reprimeret. Eadem religione sancitum, ut in eodem Templo pro salute Populi Mediolanensis quotidie res Divina fieret; simul ut recurrente Martyris festo Magistratus Urbis ad recolendam beneficii memoriam cum donis adesset (*c*).

Nec tamen Carolus, ita conversis ad Superum opem animis, humana idcirco auxilia damnabat, tamquam cælestia dona inertis fiduciæ præmia esse censeret. Cum enim nulla tam ampla hospitia supereſſent, quæ multitudinem ægrotantium caperent, auctor Ipse Magistratibus fuit, ut receptacula quædam in Castrorum formam extra mœnia conderentur, fossa, & aggere circumductis, appositisque custodiis militum, ne quis inde egredi ad ceterorum perniciem posset. E regione Portarum Urbis totidem castra stetere. Tuguria intra septum asseribus, tigniſque compacta circumquaque excurrebant, miserabilia vere latibula hominum, nisi necessitas vilissimis quoque auxiliis pretium faceret (*d*). Nec leve documentum ad cognoscendas humanarum rerum vicissitudines fuit, sub rudibus tabulis tot clarissimæ Urbis incolas extingui, quorum aliquibus nulla fortasse tecta, nisi picturis, & auro fulgentia, paulo ante placuerant. Sacella utcumque extructa Sacris faciundis in mapalium conspectu eminebant; ac ne sua cuique paupertas tædio esset,

(*a*) Extant aliquot Caroli Epistolæ minarum plenæ ad Helvetios præsertim, qui pessimis hisce remediis abutebantur, præter publicum Edictum, quod evulgavit. In iis etiam Sacrorum usu interdixit, quotquot pro lue depellenda ad artis damnatæ præsidium confugerent; eos autem statim obsequentes habuit, quemadmodum eorum literæ pœnitentiæ testes declarant.

(*b*) Certe vox illa vaticinantis fuit. Cum enim propagandum in dies latius appareret malum, ex eo tempore imminui visum est: imo anno insequente conquiescere morbi vis cœpit, licet pullulare sæpius conaretur.

( ) Intermissa nondum ad hanc usque diem religiosa consuetudo est; & quamvis memorandam hujus Sancti Solemnitatem ex dierum Festorum albo Urbanus VIII. decreto suo una cum aliis pluribus expunxerit: viget adhuc religio Magistratuum, ac Civium oblationes huic Templo die S. Martyri sacro deferentium, in quibus nunquam obliterata beneficii memoria est, neque obliterabitur.

(*d*) Sex præcipuis hujus Urbis portis totidem respondebant eo tempore Limocomia, ut scripsit Hortensius de Centoriis. Horum tam late diffusa amplitudo fuit, ut juxta mensuræ Mediolanensis calculos initos a Comite Galeatio Gualdo CCLXXV. jugerum spatium occuparent. Subitario opere in iis extructa sunt MMMCLVIII. tuguria ex paleis, & DLVI. ex solidis tabulis; in iisque alebantur fere sex millia ægrorum Civium.

eſſet, contenta ligneis altaribus ſupremi Numinis majeſtas monebat.

Nihilo lætior intra mœnia rerum facies erat. Silentium, & horror cuncta obtinebant: lata nimirum lege, ne quis in publicum injuſſu Magiſtratuum prodiret (*a*). Eadem lege Sacerdotes teneri voluerat Archiepiſcopus, niſi quos ab edicto immunes Sacrorum adminiſtratio faceret. Præfecti ſingulis regionibus nobiles viri cibaria circumferebant, quæ quiſque ſive demiſſo e feneſtris fune, ſive ad oſtia domorum acciperet. Id quibus impenſis ſteterit facilius eſt conjectura aſſequi, quam certo aliquo judicio definire. Inter ſuorum temporum monumenta Carolus ipſe ita ſcriptum reliquit, ſeptuaginta aliquoties hominum millia (*b*), quibus commercio ſublato, neque paternæ rei quidquam, neque lucrandi facultas, neque ſpes ultima miſerorum, petendæ ſcilicet ſtipis arbitrium remanſerat, publico ſumptu vixiſſe. Antiquos certe Civitatis cenſus venumdari neceſſe fuit; quin & finitimas Urbes precibus ſolicitari, ne afflictis Mediolanenſium opibus ſuppetias ferre gravarentur. Et cum tantam Urbem ad preces deſcendere perſpicuum ultimæ neceſſitatis argumentum eſſet, nulla fere ex affinibus Inſubriæ Civitatibus fuit, quæ tam juſtas preces abſque ulla prorſus ope tranſmitteret. Caſalenſibus (*c*) præcipue ea contigit laus, ut, quemadmodum ubertate agri omnibus pares, ita liberalitate donorum ſuperiores haberentur. Neque ego has externarum gentium laudes ita accipi velim tamquam in Urbe noſtra Cives deeſſent, qui perpetuam apud poſteros memoriam munificentia ſua meruerint. Habuit utique ætas illa natos ad Reipublicæ utilitatem homines, quos inter Pomponius, & Auguſtinus (*d*) ex nobiliſſima Cuſanorum familia germani fratres, collatis large ſubſidiis, docuere generis claritatem nullo luculentius teſtimonio, quam juvandæ Patriæ ſtudio comprobari.

Illud equidem ægre Poſteri credent tantam Caroli beneficentiam eo tempore fuiſſe, ut domeſticis oneribus ſuſtinendis aliena deinde beneficentia Ipſe indigeret. Quod niſi Divinæ Providentiæ ſpem certam animo præcepiſſet, parum pius erga ſe ipſum, ac familiares ſuos immodica erga alios pietate videri potuit. Traditum eſt aliquan-

(*a*) Abſtinere publico cœperunt Cives Mediolanenſes ex Edicto ad diem XXIX. Octobris; nam licet lata Lex eſſet die XV., cautum deinde bis eſt, ut differretur præſtitutum tempus; idque Borromei precibus datum, qui antequam domi omnes continere ſe juberentur, in animarum ſalutem excubans providit, ut ſinguli Sacris Myſteriis ſe rite munirent, ut ſcribit ſæpe relatus Centorius. Conſtitutum ex Lege fuit XL. dierum ſpatium, quod deinde ſæpius protractum propter nova edicta eſt, adeo ut libere pedem efferre vix licuerit Viris poſtridie Nonas Februarii; fœminis vero & pueris vix imminente Dominico Paſchate, deſignatis tamen certo, ad quem ſeorſim pergerent, loco, & tempore, quo pedem ex tectis efferrent. Diutius nimirum iſti obſtricti ſunt lege, utpote imprudentior ætas moderatorum prudentiam poſtulabat: quare tardius ſoluti ſunt, & citius incluſi; nam pueris, fœminiſque interdictum jam fuerat VI. Calendas Octobris, ne domo egrederentur.

(*b*) Multo minorem numerum deſcribit Centorius, iniens dumtaxat eorum ſummam, quos ali publicis expenſis ſciebat. Exceſſit vero Gluſſianus Centorii numerum, utpote ſimul comprehendit, quos in pluribus Hoſpitalibus domibus, & locis ære Civium, & ſuo Carolus ſuſtentabat. Ex quibus omnibus ſimul conflatis facile ſeptuaginta millia Civium eo tempore eguiſſe alieno auxilio apparebit.

(*c*) Incolæ nimirum Caſalis Majoris, celebertimi in Cremonenſi Agro Oppidi, memoranda liberalitate tum eſculenta diverſi generis plura, cum poculenta dono Mediolanenſibus miſere, atque uni multarum Urbium munificentiam longo intervallo ſuperarunt.

(*d*) Cremonæ tum erant nobiliſſimi item, ac pientiſſimi fratres, qui corpore abſentes afflictæ tamen Mediolanenſi Urbi ingenti auri ſumma fuere præſentiſſimi. Et ſane uberrimum pietatis ſuæ uterque præmium tulit; mortuus enim ille quinquennio poſt reliquit ſanctitatis ſuæ imaginem Uxorem, quæ Mundo valedicens ſtrenue in Capuccinarum Virginum Aſceterium conjicere ſe maluit, quam in æqualium ſuarum luce verſari. Auguſtinus vero Caroli officiis inter Apoſtolici, ut vocant, Cubiculi Clericos cooptatus, poſtmodum, Eo defuncto, Purpura Romana inſignis fuit, ſuiſque in Eccleſiam meritis celeberrimus. Uterque conjunctiſſimas habuere cum Carolo rerum ſuarum rationes adeo, ut advertariorum Borromei opera in carcerem ambo detrudi, innocentiſſimi licet, non recuſaverint. Neque præteribo hoc loco Equitis Simonetæ valde munificam liberalitatem in hanc Urbem extitiſſe, ad quem datæ ſunt eucharisticæ Caroli literæ III. Idus Septembris MDLXXVII.: quo item anno gratias egit Gonzagæ Novellaræ Comiti pro ducentis aureis ſibi in egenorum ſubſidium miſſis.

Digitized by Google

quando eveniſſe, ut cum jejunio, ac laboribus fractus ineunte jam nocte cum ſolito comitatu domum rediiſſet, nihil omnino cibi, ſed ne pecuniæ quidem minimum inveniret. Cumque in tam ancipiti ſtatu attoniti, mœrenteſque alii alios circumſpectarent, nobilem virum, qui ſe a primario cive miſſum diceret, cum mille aureis (*a*) ex inſperato adveniſſe, eoque munere recreatos, ac re ipſa monitos eſſe, ne Carolo duce, adverſis utcumque rebus animum deſponderent. Id quoque conſtat, tantum mutuæ pecuniæ ad levandam plebis inopiam ab Ipſo eſſe conſumptum, ut datam creditoribus fidem ægre poſt plures annos abſolveret.

Neque id mirum videri debet, cum novæ quotidie calamitates orirentur, quibus obviam iri ſine pecunia non poſſet. Poſt quæſita alimenta, paratam ſupellectilem, conſtituta egenis hoſpitia, diſtributa adverſus vim frigoris veſtimenta, ſuccurrendum adhuc infantibus erat, quorum ipſe quamplures, aut in domorum veſtibulo expoſitos, aut in emortuæ matris complexu inania ubera ſiccis labiis prementes invenerat. Hos ſeparato in loco (*b*), conductis mercede nutricibus commendabat, ac ſæpius inviſere non ſine quadam animi jucunditate conſueverat, tamquam in iis totidem relata de morte trophæa (*c*) reſpiceret. Quod ſi impar multitudini nutricum numerus eſſet, novum aliud ingenium neceſſitas ſimul, & amor invenerant, ut caprarum mammis appliciti infantes, qualiacumque vitæ alimenta exſugere paulatim aſſueſcerent (*d*).

CAPUT VI.

Limocomia optimis Miniſtris in animarum, corporumque præſidium inſtruit.

1576. VErum inter innumeras paſtoralis officii curas hæc ſumma curarum erat, ne in tam proximo mortis periculo conſtitutis quidquam auxilii ad conſequenda æternæ vitæ præmia deficeret. Cujus

(*a*) Huic dono adjectæ donantis preces fuerant, *ut manu ſua Cardinalis hanc ſummam pauperibus diſtribueret*. Quare ſiquid ex ea in uſum ſuum convertit, non videtur tam piæ voluntati defuiſſe Borromeus: imo rectum caritatis ordinem ſervaſſe, cum Ipſe eo tempore omnium eſſet egentiſſimus.

(*b*) Aperuerat quoddam veluti Orphanotrophium in Hoſpitali ad Sanctum Celſum Ædc. Narrat enim Ambroſius Fornerius Borromeum noctu Urbem obeuntem, ut ſolebat, ad tertiam uſque vigiliam, ut ſiquæ occurrebant cadavera ocyus efferenda curaret: caſu offendiſſe expoſitum in januæ cujuſdam limine vivum adhuc Infantem, quem ſua ſtatim manu collectum & familiaribus traditum, ſuis in Ædibus ea nocte tenuit, & mane poſtero ad S. Celſi Domum amandavit.

(*c*) Nobiliſſimum hujuſmodi trophæum erexit ad aream Caſtri Portæ Jovis. Siquidem ibi, cum per ſemiruta caſæ cujuſdam rudera molitus aditum ad intimum latibulum deveniſſet, ubi parentes inter defunctos medius latebat ſemivivus infantulus, non dedignatus eſt amantiſſimus Paſtor purpura ſua, & rocheto, ut vocant, involutum, ex illo, ut vere dicam, ſepulcro efferre; neque unquam tam carum ſibi onus depoſuit, niſi cum evocatæ nutrici traderet. Hæc ſcripſit juratus, & oculatus Teſtis Don Ludovicus Martignonus, qui Carolum inde egredientem vidit, rogavitque quid manibus ferret. Sed glorioſius adhuc pietatis ſuæ trophæum fixit in ſuburbanis tuguriis. Ibi cum oſtiatim ad tabernaculorum limina exploraret, quæ ægris eſſent neceſſaria: incidit in mulierem quamdam, quæ ſola in tugurio relicta puerum enixura laborabat. Hæſit audita mulieris neceſſitate S. Cardinalis, & ſibi pariter, atque illi metuens, cum pluvio forte cælo palliatus incederet, extra tabernaculum ſe tenens pallium ſibi detraxit; quo intus projecto, juſſit filium, ubi editus eſſet, a puerpera involvi, ſibique extra tentorium interim expectanti deinde porrigi. Hoc tempore Borromeus pluviæ expoſitus parienti fœminæ precibus obſtetricatus eſt ſuis: namque ſub dio dum ardentius pro matre orat, ocyus illa puerum in lucem edidit, pallioque, ut erat, obvolutum extra oſtium juxta conditum expoſuit. Sarcinam hanc extulit manu ſua Carolus, & ſalutaribus undis ſtatim perfuſum infantem adhuc ad aliquantulum viæ geſtavit, donec obvium forte quemdam ex adminiſtris ſuis offendens, pignus hoc illi commendavit nutricibus Limocomii deferendum. Hæc Cæſar Guidus juratus Teſtis affirmavit.

(*d*) Accedit huc locupletiſſima teſtis Lucretia Uxor Philippi Navæ, quæ in Tabulas retulit ſe audiviſſe a Matre ſua: quemadmodum cum in tuguriis ad Portam Romanam verſaretur Mater lue infecta, edita tum ipſa in lucem ab illa fuit, non ſine peſtilentis morbi ſuſpicione, ut livida corporis ſpecies prodere videbatur. Addit deinde, ſe mox ad fontem translatam a puero ibidem degente, cujus manu ſuſcepta, Baptiſmali unda luſtrata a Carolo eſt; cumque nulla ex nutricibus propter peſtilentiæ contrahendæ periculum impertiri ſibi vitalem alimoniam vellet, mitiores erga ſe feras habuiſſe: & nactam opportunum caprini lactis auxilium ad maturam deinde ætatem perveniſſe.

Digitized by Google

Cujus auxilii cum ingentem inopiam ſive formido Sacerdotum, ſive paucitas (*a*) faceret, accerſitis e Monaſteriis quotquot idoneos muneri eſſe cognoverat, poſtquam omnium animos mœrore, & ſuſpiriis primo ſtatim aſpectu commoverat. „ Miſe„ ram, (inquit) ac luctuoſam Civitatis no„ ſtræ conditionem ſi vobis explicare co„ ner, ineptè faciam, Fratres; nemo eſt „ enim, cui non ante oculos perpetuò „ tantæ miſeriæ verſentur: imo nemi„ nem tam durum arbitror, cujus non „ miſericordiâ jam diſrumpatur animus, „ cum videat cariſſimorum Capitum præ„ ſentiâ omniumque ſubſidio homines de„ ſtitui: ex proprio, dulcique domicilio, „ rebus ſuis relictis, ægros, & ſemianimes „ extrahi: funeſtis, ſordidiſque carris in „ ea tecta duci, quæ ſtabulis, quàm civi„ libus ædibus, multo ſimiliora ſunt, un„ de redeundi vel nulla, vel exigua ſpes „ manet: in mortis quaſi faucibus aſſiduè „ teneri. Hæc, ut humana fert imbecil„ litas, prorſus miſera ſunt; ſed quoniam „ tamen ſunt hujus tantummodo vitæ, & „ temporis, videri poſſunt tolerabiliora: „ maxime ſiquis futurorum ſpe ſe ſe eri„ gat. At iis quoque ſubſidiis, atque opi„ bus deſeri, quæ ad alterius vitæ felici„ tatem, bonaque æterna maxime conduc„ cunt, ut cum præſentia quis amittat, „ in diſcrimen quoque veniat futurorum, „ quæ perpetuo manent: id vero & iis, „ qui patiuntur, miſerrimum eſt, & nobis, „ quibus earum rerum cura, poteſtaſque „ divinitus data eſt, grave ſane, & peri„ culoſum: ſcientibus nobis, ac videnti„ bus, ut peſtilentia corpus, ita pii Fra„ trum noſtrorum animi rerum divinarum „ deſiderio contabeſcunt: ſemivivis voci„ bus ſæpiſſime, vel obtutu ipſo Sacra po„ ſtulant, miſericordiamque implorant: „ nos autem duri cunctamur, aut deſpi„ cimus. Parochos in officio, ut ſcitis, „ continemus; ſed non ſufficiunt multitu„ dini, quemadmodum notum eſt, ne ſi „ quidem eorum quiſque plurium vires ha„ beret; omnino qui ad caſas educuntur, „ multo ſunt remotiores, quàm ut iis ſuus „ poſſit Parochus ſubvenire. Quin etiam „ Parochi ſæpe ab ſuis refutantur, cum æ„ grotis miniſtraverint, donec tempus com„ probaverit ſanitatem: ita ut ipſis etiam „ viciniæ incolis aliorum opera neceſſaria „ ſit. Externos Sacerdotes quæſivi, neque „ fruſtra: ſed plurimis adhuc opus eſt. „ Ad caſas educta multitudo certe deſtitu„ ta jacet; alios, qui operam dare velint, „ non reperio: cogere non poſſum, nec „ debeo quemquam. Confugio ad vos, „ quorum conditio, & ſtatus ita rerum „ omnium humanarum contemptum præ„ ſefert, ut unam divini cultus, humanæ„ que ſalutis curam intueatur. Si vitæ pe„ riculum pro aliena ſalute adire, Domi„ numque in hoc genere imitari cujuſ„ quam eſt, veſtrum eſſe videtur in pri„ mis. Non ita egent ægri ſubſidiis no„ ſtris, fateor, ut ſine iis ſpes ſalutis nul„ la maneat; verum ſæpe neceſſaria ſunt: „ ceterum quantum ſemper proſint, non „ ſolum malis, ſed etiam bonis. clarius „ eſt,

(*a*) Formidini Sacerdotum ſuorum jam providerat Carolus exemplo & imperio, ut vidimus; nam in eos etiam pœnis egit, ne morientium curam dimitterent. Lego enim aliquot ex Flebium Vicariis dignitate privatos, cum ire in ægrorum ſubſidium recuſarent: quod nominatim de Alliatenſi Præpoſito ſcribit Franciſcus Bernardinus Cribellus. Inſuper literis encyclicis ad Flebium Vicarios, & Parochos datis XXIV. Octobris hoc anno, illos quidem monuerat, ſcelus eſſe hac ſe provincia abdicare; hos autem juſſerat, ne fraudi locus pateret, Vicariis ſchedam offerre, in quam redacta eſſent eorum nomina, quibus ipſi Sacram Euchariſtiam porrexiſſent. Paucitas itaque potius dolenda Carolo videbatur, cum aliquot fidiſſimos ſibi Miniſtros peſtilentiæ crudelitas ademiſſet; & revera de hac conquerens ad Caſtellum hæc ſcribit: „ Angit me maxime atque ſo„ licitum habet Sacerdotum interceptus numerus, „ quorum egregia opera hactenus uſus ſum. Mino„ ra ſunt neceſſitate præſidia; ereptus eſt enim „ morte Sancti Stephani Baſilicæ Præpoſitus, Mo„ doetiæ Archipresbyter, Argentus, & aliquot alii „ Parochi, quorum vita maxime uſui erat &c. “. Hinc ad Specianum poſtridie Nonas Octobris ſcribens dolet, Mediolano abiiſſe Oratorii Patres paulo ante huc miſſos, ſtudiumque ſuum aperit pro iis revocandis, ipſo propoſito peſtilentiæ periculo, tamquam revertendi juſta cauſa, propter quod tamen illi redire recuſabant; quare deinde Sanctum Philippum Nerium, ut Virum immiſericordem libere accuſavit, quod illos regredi vetuiſſet.

Digitized by Google

„ est, quàm ut disputetur; vel de sensu
„ nostro nosmetipsi conjecturam faciamus,
„ quantam afferre soleant tum ægroto cor-
„ pori, tum maxime animo de salute sua
„ solicito levationem. Sed quibus tam
„ profusa liberalitate misericordia tributa
„ est, quomodo ipsi suam tam anguste cir-
„ cumscribunt, & necessariis, externisque
„ rebus metiuntur? Qui omnium etiam
„ inimicorum, impiorumque salutis causâ,
„ Dei Filius summo dedecore, cruciatu-
„ que acerbissimo, fixus in Cruce mortuus
„ est; idem nos, qui tantum ab eo bene-
„ ficium consecuti sumus, invitat, ut quie-
„ tæ, glorioseque mortis periculum pro
„ piis fratribus adeamus; cui tantum de-
„ bemus, quantum millies moriendo sine
„ dubio assequi non possemus. Is ne vilem
„ quidem vitam hanc, sed ejus tantum-
„ modo periculum poscit. In his periculis
„ ita versari plurimos videmus, ut mor-
„ tem tamen effugiant; imo etiam mul-
„ tos metu solutos eadem subire. Sed
„ si nos non effugiemus; hoc mori non
„ erit, sed eam potius, quæ vere vita
„ est, citius consequi. Omnino quid ha-
„ bet in humanis rebus summa nostra
„ tenuitas, in quo pro summis, & im-
„ mortalibus Dei beneficiis vere gratum
„ animum præstare possit, si occasionem
„ amittamus hujusmodi? Quid autem vi-
„ tæ parcimus, post paucos tamen annos,
„ aut dies, aut vero horas, ut humana
„ conditio est, necessario amittendæ? Quin
„ hoc ipso Civitatis casu, quam pericli-
„ tationem Fratrum caritas a nobis non
„ impetraverit, eam facilè jam jam ex-
„ torquebit contagionis necessitas. Facile,
„ quemadmodum alii fere innumerabiles,
„ licet omni sibi diligentia caveant, mo-
„ riemur. Quàm pulcrius est, hac qui-
„ dem in re necessitatem nos antevertere,
„ gratissimamque Domino pro peccatis,
„ proque eo, quod ejus immensæ beni-
„ gnitati, majestatique debemus, hostiam
„ præbere? Videmus heu! quotidie plurimos hæc eadem adire pericula mercede vilissima conductos, qua sæpe ne fruuntur quidem: nos tantis de causis, tam amplis propositis præmiis moramur? Si respicitis obedientiæ legem, cujus virtute vestras actiones ad salutem roborari recte vultis; illud, sicuti vos non latère jam arbitror, in manu nostra posuit Summus Pontifex, communis omnium Pater atque Antistes: cujus etiam literas recitari audistis, quibus ad præclarum nos, sanctumque juvandorum Fratrum munus vehementer cohortatur (a). Non est, quod Antistitis ibi quis aut respiciat voluntatem, aut interdictum vereatur; ubi Antistitum omnium Princeps, & velle se declaravit, & suas addidit cohortationes. Deo vos hoc tribuere muneris volo, Fratres, quod, quemadmodum spero, suscipietis: sed maximo nos quoque beneficio affeceritis, quod nulla umquam delere poterit oblivio. Si huic summæ solicitudini, dolorique meo vestra virtus hoc attulerit levamenti, ut hìc aliquot videam ad opus sanctissimum paratos, ultro vitam suam in hoc beatum discrimen Deo, mihique offerre; non dubito, quin aperto semel ab nonnullis vel parvo aditu, plurimi alii, qui nunc graviori quadam insolitæ rei opinione deterrentur, quasi lata via introëuntes, exemplum hilare sequantur. Ita qui prior id fecerit, is se aliis auctorem, ducemque præbuerit; magnoque pondere auxerit meritum suum. Neque vere novum ad vos nunc offero caritatis ardorem: ita Patres nostri, Dei spiritu incitati, in re simili fecerunt: ita faciendum docuerunt, quemadmodum ex veterum scriptis jussu nostro collectis, editisque, satis apparet; imo opus ejusmodi ita extulerunt, quod ad ani-

„ mos

(a) In hoc nimirum, quod coëgerat, concilio legi jusserat Breves Gregorii literas, quibus vehementer rogabantur Mediolanenses Sacerdotes, ne perhonorificam hanc curam repudiarent. Cum vero aliquibus defunctis, duriores aliquot Præsides Monasteriorum nactus esset pro aliis sufficiendis, anno sequente obtinuit Pontificium Diploma, quo solvebantur Præsidum obedientia, quicumque ex Religiosis familiis a Carolo postulati Præsulum suorum veniam non impetrassent, ut jam retulimus.

Digitized by Google

„ mos noſtros ſtimulandos maxime valeat; „ ut martyrii genus eſſe confirmarent. „ Optabile ſane tempus, quo abſque Tyranni crudelitate, ſine equuleis, ſine „ ignibus, ſine beſtiis, omnino ſine ulla „ cruciatuum aſperitate, quæ humanæ imbecillitati maxime ſolet eſſe formidabilis, „ martyrii palmam conſequi poſſumus (*a*): „ imo, & ſine ea acerbitate poſſumus, „ quæ ſolet ſemper cum hujuſmodi morbo eſſe conjuncta; ut videlicet ægroti deſtituantur ab omnibus, nulliuſque ope ſubleventur. Quod ægro cuicumque dabitur, id multo minus negabitur ægrorum Patri; nobiſque imitatio proderit „ illius exempli, quod per nos proditum „ fuerit. Sperare quiſque poteſt, incolumem ſe fore; id multo majori ratione, „ quàm alii fere innumerabiles, quos videmus, nulla cautione, nulla etiam temperantia, in medio peſtilentiæ æſtu aſſidue verſari. Sed ſi morbum quis contraxerit, quando alii deficient, ego ipſe, „ qui egenorum causâ inter vos quotidie „ verſabor, adero: mihi curæ erit utraque ſalus veſtra; ego libenter ſubveniam; „ ego me, ſi opus fuerit, Sacrorum Miniſtrum jam nunc vobis offero, qui quidem divina ope fretus, neque laboribus, „ neque periculis ullis parcere decrevi, ut „ Paſtorali officio meo ſatisfaciam, & quibuſcumque rebus potero, gregis mihi „ commiſſi ſaluti ſerviam (*b*).

Satis apparebat vera eſſe, quæ diceret, & magnam vim ad ſuadendum intermixtæ verbis lacrymæ afferebant. Itaque nihil hæſitantes ad danda nomina omnes aſſurgunt, loca, quæ quiſque adeat, deſignari poſtulant, ut verius Caroli ſpiritu agi, quàm conſiliis moveri videantur. Duodetriginta, quorum alacritas ad ſubeunda pericula eminebat, illico in miniſterium miſſi, quos ſubſecuti alii plane effecere, ut nihil in religionis cura ad juſti regiminis formam deeſſet. Jam benigne aſſidere morientibus, brevem inter cadavera ſomnum capere, vita functis funebria perſolvere etiam ii didicerant, qui paulo ante hæc ipſa ſibi fingere abſque horrore non poterant. Statis horis in Cardinalis triclinium, ab ſepulcris, tuguriiſque reverſi eo ciborum delectu alebantur, qui plane ſufficere tot ſuſtinendis laboribus poſſet. Tum maxime fides facta Caroli dictis, ſtrenuis ſcilicet viris haud minus tutam inter pericula, quàm meticuloſis, ac ſegnibus inter voluptates, & commoda vitam eſſe. Cum enim adverſus innumeras artes, quas vitæ deſiderium eo tempore excogitaverat (*c*), peſtilentia crudelius inſurgeret, compertum eſt erga Sacerdotes ægrotantium cubilia nullo ſui reſpectu pererrantes adeo mitius egiſſe, ut paucorum interitu contenta reliquos omnes intactos dimitteret. Duo ex Societate Jeſu, totidem ex Barnabitis deſiderati, Capuccinorum, ut vocant, quemadmodum plures in obeundis miniſteriis fuerant, ita paulo gravior clades fuit (*d*).

Jam vero etiam laicos ſuadendo, orandoque

(*a*) Tam glorioſum hoc putabat Carolus miniſterium, ut illud comparare martyrio etiam aliàs ſoleret. Hinc cujuſdam Collegii Præſidem excitans, ut ſibi uberiorem adminiſtrorum numerum ſuppeditaret, ſcribit: *Meum vitæ profundendæ nullum unquam Eccleſia Martyrem dediſſe.*

(*b*) Die prima Octobris Orationem hanc efficaciſſimam habuit, quam Caroli a Baſilica Petri diligentiæ ſervatam debemus, ex quo etiam deſumpta nunc fuit, prout extat Tomo I. Homiliarum S. Caroli impreſſarum in Bibliothecæ noſtræ Typographia. Et ſane felicem ſortita eſt exitum, cum ex evocatis iis Religioſarum familiarum Moderatoribus nullus adminiſtros in hunc uſum ſuppeditare recuſaverit, ut in MSS. Schedis reperio. Quis enim Caroli adminiſter eſſe nollet, & cum eo periculi comes! Certe idem Borromeus ad Caſtellum ſcribens poſtridie Calendas Decembris MDLXXVII. ait: „ Inter „ cetera, quibus Deus hoc tempore Urbem hanc „ ornavit, beneficia adnumerandam eſſe ſolicitudi„ nem & alacritatem eorum Regularium, qui mul„ to ſe Ipſum onere in Infirmorum cura ſublevarunt.

(*c*) Roma præcipue & Florentia, imo etiam ex omnibus Europæ partibus tranſmiſſa ad Carolum ſunt plura Medicorum inventa ad peſtilentiam vel depellendam, vel præpediendam. Nullum tamen Ille ſcribit uſui fuiſſe contra graſſantem pertinacius luem. Lapillos etiam medicos, quos *Bezoar* vocant, a Cardinali Luſitaniæ Infante obtinuit; ſed major præconcepta de iis opinio ipſo remedio fuit. Non recuſavit tamen Brixienſi, ac Veronenſi Epiſcopis, & conterminis Civitatibus indicata ſibi remedia aperire, ſiquis eſſet eorum uſus futurus.

(*d*) Hæc aliquanto diligentius enucleat Cardinalis

doque incitaverat Carolus, ut qua pietate Sacerdotes animarum curam capeſſerent, ipſi curandis civium ſuorum corporibus uterentur (*a*). Itaque aſſiduus ad Noſocomia mulierum, virorumque concurſus erat, nihil aliud petentium, niſi ut participes laboris, ac periculi fierent. Ibi cibaria coquere, ſordes everrere, alimenta decumbentibus miniſtrare; idque tanto benigniore cura, quanto diligentius agere virtutis amor, quam ſtipendii cupiditas ſolet. Sacco induti incedebant, quem ex Caroli manu omnes acceperant, eoque inſigni obvios admonebant, ne quis ad ipſos tamquam lue contactos propius accederet.

His curis aliquid intervenit, quod crudelitas ſimul, & pietas poſteritatis memoria dignum faceret. Cuidam ex Archiepiſcopi familiaribus, cum ex Palatii feneſtris in adverſam domum forte proſpiceret, triſte oculis, animoque ſpectaculum repente ſe obtulit. Duo pueri eodem patre geniti, eodem in lectulo exanimes jacebant, quorum cadaveribus interpoſita decennis ſoror, nequicquam flebili voce opem implorans, animam agebat. Sedebat interim turpi metu immobilis mater, nominis ſui, & erga morientem filiam omnis officii immemor. Monitus ea de re Carolus, & lugubrem ſcenam Ipſe quoque oculis contemplatus, mittit illico delectam ex Sanctæ Urſulæ Sodalitio Virginem, quæ deſtitutam maternis auxiliis puellam ex ejus lectuli fœditate eriperet, & quibus maxime poterat, officiis refoveret. Id ſerum fuiſſe auxilium poſtera dies declaravit, creſcente in horas puellæ morbo, niſi ipſa ſibi divino quodam inſtinctu conſuluiſſet. Gemebunda, ac prope ſemianimis, Carolum e feneſtra advocari jubet: in cujus conſpectu poſita (*b*), ac ſalutari Crucis ſigno munita ſpiritum ita recepit, ut intra paucos dies felici-

---

nalis ad Specianum ſcribens Idibus Novembris MDLXXVI.: „ Ex Sancti Calimerii Patribus (Theatinis ſcilicet) nullum peſtilentiæ furor eripuit. „ Ex Sancti Pauli Decollati Clericis duo: totidem ex Societate Jeſu, dum ægris in tuguriis aſſiderent, peſtilenti afflatu infecti interiere. Unus ex hac Societate ſuperſtes mihi præſto eſt, & Eccleſiaſticis Viris, quorum ego præcipuus adminiſter ſum. Nonnullos ex hoc caſu tantus pavor inceſſit, ut venire in ægrorum ſubſidium conſtanter recuſarent. Tamen eos, licet a periculo remotos, peſtilentia domi latentes invaſit: atque hoc divinitus factum puto, ut extaret documentum in eos, qui promptiorem deferre infirmis ſervitutem reformidant. Capuccinis major oneris moles incumbit, quorum curæ tria ex Limocomiis concredita ſunt; & licet aliquos ex iis mors oppreſſerit, nullum unquam deeſſe mihi credidi; cum parata ſemper viventium aliorum opera, mortuorum deſiderium eripuerit. Egregiam item mihi operam adjungunt tres ex Olivetanis Monachis in difficillimis hiſce miniſteriis ſane interriti. Aliquot etiam ſub ſignis numero Lateranenſes Canonicos, alioſque plures ex Sancti Franciſci Obſervantibus, ex quibus tres intercepit morbi crudelitas. Neque deſunt ex Sancti Auguſtini Ordine, & ex Carmelitana familia aliquot in Agro Mediolanenſi, Urbanorum Sacerdotum ſolertiam imitantes. Hoc vere dicam: Ex Sacerdotibus meis æque, ac Religioſorum Ordinum multo minorem numerum interiiſſe; quam ex iis, quos domi veluti in tuto delitescentes ipſa opinio ſecuritatis oppreſſit. Quare plures, cum viderent non ſatis firmum ſalutis præſidium in privatis laribus comparari, mortis fugiendæ ſpes in hoc miniſterium ſuſcipiendum, ſeu apertum mortis „ periculum conjecit". Adeo autem ipſe rerum exitus hæc Caroli dicta comprobavit, ut anno inſequente, cum ferme omnis conquieviſſet in Urbe peſtilentiæ ſuſpicio, in uno dumtaxat Patrum quorumdam Collegio revixerit lues, qui recuſaverant operam ſuam infirmis adjungere. Hinc ad quartam Septembris diem hac ſuper re ad eumdem Specianum ſcripſit: „ Tamdem aliquando lues infecit Collegium „ illud hactenus funerum expers; geminique in eo „ Patres e viventibus exturbati ſunt. Huc demum „ reciderunt eorum curæ pro dirimendo omni exterorum commercio, & repudiandis iis omnibus, „ qui ad Pœnitentiæ Tribunal etiam accederent. „ Dictitant neſcire ſe, quibus peſtilentia hæc profecta principiis ſit; niſi fortaſſe, ut ego autumo, „ ex *prudentia carnis* initium duxit, quæ, teſte Apoſtolo, *mors eſt*.

(*a*) Hortationibus ſuis omnem fere periculi formidinem depulerat a Civibus Borromeus. Hinc Margaritam Trivultiam Borromeam amitam ſuam reprehendens, quod ruri agens optaverat, ſibi ut liceret geminos domi Patres Capuccinos tenere, noxas ſuas confitendi cauſa, reſpondit die XV. Decembris hoc anno: *Tot felicitudines nimium humanam prudentiam olere, cum in iis mortis periculis tota valetudinis cura rejicienda in Deum videretur*. Ceterum initio ut metum omnem a Civibus abſtergeret, dum Urbem obiret, (quod bis per hebdomadam conſueverat) ex edito loco orationem ad circumſtantem pro feneſtris populum habebat, qua fiduciam in omnibus excitaret.

(*b*) Cum Matrem animus deficeret, ejus loco generoſa Virgo puellam culcitæ ereptam pro Cardinalis oculis ad feneſtras ſtitit: qui tum forte cibum capiens advolavit ocyus, & ſalutari ſigno munitam, veluti e mortis faucibus languentem eripuit; nam re-,

Digitized by Google

liciſſime convaleſceret. Verum hæc inter tot alia multo mirabiliora memorari vix operæ pretium erat.

CAPUT VII.

Domi clauſis omnibus, pias & quotidianas exercitationes indicit, & Urbem obiens ſingulos præſens conſolatur.

1576. COmpoſito, ut antea diximus, eorum ſtatu, qui muris, aut aggere circumſepti extra Urbem detinebantur: haud minor Cardinali ſolicitudinis, curarumque materies in urbe remanebat. Tantam enim hominum multitudinem quotidiano labore vivere aſſuetam, nunc omni officio vacuam intra domeſticos parietes contineri: ut ſalubre corporibus, ita moribus periculoſum haud temere judicabat. Itaque novas aſſidue artes tranſigendi utiliter temporis excogitabat, ne inter ipſa præſentium malorum remedia deterior alia ex otio peſtis exſurgeret. Rem divinam quotidie in triviis, ac patentioribus locis fieri juſſerat (*a*), ut ex ſuis quiſque ædibus defixo in Aram obtutu, Auguſta illa ſalutis humanæ Myſteria recoleret. Diu, noctuque ſtatutis per intervalla temporibus, delecti ex piorum multitudine homines in compitis aderant: invitabantque ad feneſtras vicinarum ædium incolas, cum quibus idoneas tempori preces alterna voce concinerent (*b*). Sacramentorum uſus eo tempore fortaſſe frequentior in viis, quam paulo antea in Templis erat. Alios inſita animo pietas, alios eximius religionis magiſter metus urgebat, ne imparatos ad immortalis vitæ gaudia conſequenda mors adeo proxime imminens inveniret. Sacerdotes tripedem ſellam ſecum ferentes, conſidenteſque in domorum veſtibulis peccata ſua confitentibus aures præbebant: tum Dominicis diebus alii cum cetero apparatu præſto erant, qui in ipſo oſtiorum limine procumbentes Divina dape reficerent. Mirabile dictu eſt, trecenta hominum millia, qui tunc Mediolanenſium numerus erat, unius Hominis cura tanta rerum, animorumque concordia regi potuiſſe, quantam difficile aliquis in privatis quoque familiis inveniat. Neque ego inficior multos egregios fuiſſe viros, quorum ope Reſpublica in ejus temporis calamitate uteretur. Verum, ut ſingulas corporis partes, quamquam diverſa officia ad vitam utilia conferunt, uno tamen ſpiritu agi fatemur: ita nec temere dixerim, tot illa pietatis officia, quæ per diverſos homines agebantur, ad Carolum unum poſſe referri. Nam præter illam vim exemplorum, quibus Ipſe tam multos ad Reipublicæ curam adduxerat, illam ingenii præſtantiam, qua miniſteria omnia tam apte ad rerum neceſſitatem conſtituerat,

---

revera brevi convaluit. Præclarius tamen, atque felicius actum cum Virgine; quàm cum Infantula eo tempore fuit. Etenim permanante morbi contagione, cum illam lues corripuiſſet, delata ad tuguria nunquam paſſa eſt, urgente licet mortis periculo, integro corpori manum a Chirurgo admoveri. Quare remediis deſtituta, ſed gemino martyrii, & virginitatis nomine illuſtris ad Superos evolavit, ut habet Antonius Seneca in Tabulis.

(*a*) Ad primam Novembris diem ſtatutæ ad compitorum, vicorumque capita ſublimes Aræ, ad quas Sacerdotes Sacris operarentur, & viciniæ conterminæ populum ad feneſtras ſpectatorem haberent. Neque ante interceptum ſacrum hoc commodum Civibus fuit, quàm ſolutis omnibus edicto Gubernatoris liber ex ædibus egreſſus pateret.

(*b*) Eo tempore ſcribit Carolus a Baſilica Petri, amplam hanc Urbem quamdam veluti publici Aſceterii imaginem exhibuiſſe. Carolus autem ipſe, teſte Antonio Seneca, gratulatus ſibi tam præclarum publicæ Religionis inventum, triumphans gaudio dictitare conſueverat: *Magna Civitas, Magnum Templum*. Quo autem ritu publicæ iſtæ perſolverentur preces, præſtat audire ex Bernardino Tauruſio, qui hæc ſcriptis mandavit: „ Ad normam precum Sacerdotibus præſcriptarum, ſepties conveniebat ad „ feneſtras evocatus populus diurnis, vel nocturnis „ horis. Poſt geminæ horæ interjectum ſpatium, „ ære campano majoris Templi ſignum coëundi in„ ſonabat. Tunc quotquot in ædibus clauſi, ſi noctu, „ appoſito lumine, ad feneſtras properabant: ibidem „ Præcentori ad viarum caput pſallenti concinebant „ omnes: & ex diſtributi libelli methodo recitaban„ tur preces. Plena erat doloris item & ardoris „ Oratio nocturno præſertim tempore; nam ſicun„ de lumen non proferretur, tenebræ illæ certum „ ſerpentis in vicinia morbi indicium habebantur; „ neque enim eo tempore credebatur, ſano alicui „ fas eſſe ſomno vacare". Per reliquum diei tempus, ne clauſis Civibus vacuæ aliquot horæ ſupereſſent, oſtiatim ſingulis legendum libellum diſtribui juſſerat, in quo ratio meditandi, & rerum meditandarum ampla ſupellex erat comprehenſa.

Digitized by Google

rat, Ipſius inſuper ſolicitudine factum eſt, ne quis ab miniſteriis ipſis negligentia, vel timore deflecteret. Omnium enim ſive quæ in urbe, ſive extra urbem fierent, ſpectator Ipſe, & adjutor aderat: magnum utique ad res gerendas incitamentum; cum nemo aut peccare ſub tanto judice auderet, aut laborem tanto ſub duce refugere. Non aëris intemperies, non ſomnus, non laſſitudo, non fames impedimento erant, quominus omnes vicos oſtiatim inviſeret: agniturus, an ea, quæ ante mandaverat, ex ſententia procederent. Multa ſciſcitando, plura etiam audiendo, ultra noctis dimidium ſæpe viſitationes produxit, & ſi quid dignum peculiari providentia invenerat, ſcripto notabat, ne promiſſionem auxilii factam oblivio deciperet (*a*). Graviſſimi teſtes affirmavere viſum ſibi aliquando Cardinalem geſtatoriis ſcalis domorum excelſa ſcandentem, quoties egenis conſulere commodiore via non poſſet. Qua comitate, & patientia non plebis modo, verumetiam aliquorum minime plebeji generis neceſſitates facile dignoſcebat, quos ne miſerias ſuas aliis aperirent ea, quæ maxime nobilium paupertatem conſequitur, verecundia retinebat. Hinc præter pecuniam, quam manu ſua occulte erogabat, duos e familiaribus in equis mittere quotidie ſolebat diverſi generis eſculenta (*b*) portantes iis præſertim, quorum, aut adverſa valetudo, aut ex mollioris vitæ conſuetudine imbecillior ſtomachus ægre communibus cibis aſſueſceret. Miracula vero, quæ ad Ejus preces divinitus evenerunt, hoc loco referri ſupervacaneum fuerit, ſive quod ſeparatim deſcripta alibi extant; ſive quod rerum admirabilium cupidis ipſa Caroli geſta abunde ſufficiant.

CAPUT VIII.

Lue infectos, ac moribundos Euchariſtico Pane reficit, & Sacris Myſteriis confirmat.

1576. AD cetera mala, quæ ſolicitam eo tempore Civitatem habebant, is quoque timor acceſſerat, ne, quod extremum malorum fore apparebat, Carolum ipſum immatura mors in ipſo pulcherrimarum rerum curſu corriperet (*c*). Minimum

(*a*) Idem Tauruſius locuples teſtis, & hærens ſemper comes ad Borromei latus addit, hanc Illi temporis tranſigendi rationem fuiſſe, nimirum „ ut „ ſemper ineuntis cujuſque hebdomadæ quatuor pri„ mos dies viſendis Limocomiis, & ſcrutandis tu„ guriis ſingulis inſumeret: geminos alios urbanis „ obeundis ædibus, Civiumque neceſſitatibus au„ diendis daret: Dominica vero die, ſi quibus „ nondum conſulere per tempus licuiſſet, oppor„ tune provideret; revocabat enim ea die ad exa„ men, quidquid per hebdomadam cautum eſſet". Subjungit deinde „ Mei muneris erat ſcriptorium „ vaſculum, & calamum deferre, ut audita ſingula „ referrem in ſchedas. Carolus vero dimiſſis e fene„ ſtris per funem vaſculis aceto plenis, æs aut au„ rum pro neceſſitate infundebat: idcirco adnexam „ ſemper collo, atque in pectus pendentem geſta„ bat nummis refertam peram". Aliquando cum peſtilenti morbo laborantem Ordinis Sancti Franciſci Fratrem in tugurio offendiſſet, totiſque artubus contremiſcentem, commotus intime Sanctus Antiſtes, detracto humeris pelliceo paludamento ſuo illum manu ſua protexit, atque involvit: alias Clericum pari in diſcrimine conſtitutum intimo thorace ſuo donavit. Quid plura? Comes Paulus Camillus de Marlianis juratus teſtatur: „ Præſentem ſe audi„ viſſe quemdam ex Inſubriæ Proceribus Carolo „ infenſiſſimum, qui diceret: *Nunc vere invidiam vi„ cit ipſam Borromeas. Neque enim in dubium cadunt, „ quæ publice omnium oculis uſurpantur, egregia Ejus San„ ctitatis facinora. Fateri tandem neceſſe eſt, nihil ab „ Ejus Sanctitate abeſſe, cum fortunas omnes, veſtes „ ſuas, vitam denique ipſam ſirenue in ægrorum ſubſi„ dium profundat.*

(*b*) Tres comperio Nobiles Viros ad id muneris a Carolo electos, Abbiatum nimirum de Foreriis, & Griffidium Robertum Anglum, qui ex Collegii Metropolitani Canonicis Ordinariis erant, & Ludovicum Monetam Mediolanenſem Patricium, ac domeſticum ſuum. Neque renuebant Clariſſimi Viri butyrum & ſalem in ciſta, aut pera circumferre, & vicatim diſtribuere. Quare hic mirari ſubit curam ſolertiſſimi Præſulis, qui Nobilium item pudorem & inopiam ſublevare conatus, Nobilium Virorum etiam miniſterio eſt uſus; cum minus verecundiæ habeat Nobilium egeſtas in ſui ſimilium oculis collocata. Fatendum eſt tamen, quod Poſſevinus narrat: Borromeum, cum multis ex familiarium nobilioribus ſuadere non potuiſſet, ut ſe comites darent in hiſce miniſteriis, eos omnes ex domeſticorum numero expunxiſſe; ſed prius donis ingentibus oneratos ab Eo eſſe; cum illorum nonnullis uſque ad ducentos aureos numerari mandaverit.

(*c*) Non Mediolanenſes dumtaxat, ſed Romanos etiam Cardinales inceſſerat hæc cura, ex quibus Alciatus poſtridie Non. Mart. anno MDLXXVII. ſcripſit: „ Non minores Romæ fundi ad Deum pre„ ces pro Urbis Mediolanenſis ſalute impetranda, „ quam pro Caroli ipſius incolumitate, in cujus „ vita ipſa etiam Urbis ſalus ſita eſſe videbatur.

Digitized by Google

mum autem timoris argumentum erant aſſidui labores, & continuata dies, nocteſque jejunia, & cruciamenta alia corporis, quæ a ſe ipſo tamquam ingruentium malorum reo expetebat (*a*). Illa magis terrebant, frequens ad ſuſpecta cubilia acceſſus, & crebra cum moribundis colloquia, & ex unius vel infimi hominis halitu pendens Pontificis vita, ex quo Reipublicæ ſalus tota ferme penderet (*b*). Quod ſi humanis judiciis res ageretur, dubium facturus poſteris erat, pluſne amoris tanta aliorum cura, an indignationis tanta ſui negligentia meruiſſet. Noverat, plures in populo eſſe nondum ſacro Chriſmate inunctos, quo fidelium animos ad ſuſtinenda præceptorum onera poſt Baptiſmum confirmari Catholica religio docet. Et quamquam probe ſciret, ejus Sacramenti vim inter neceſſaria ad ſalutem remedia minime numerari; omnia tamen ex amore potius, quam neceſſitate metienti durum videbatur tot hominum millia cæleſti hoc auxilio immunita relinqui. Itaque ſingulas domos obire ſtatuit, præmonitis civibus, ut divinum munus accepturi ad ſuum quiſque limen deſcenderent. Et quamdiu quidem ea ſolicitudo intra Urbem ſtetit, minus formidinis erat: intentis in illud Magiſtratibus, ne graſſantibus morbis affecti intra mœnia remanerent. Propius periculum fuit, cum idem officium in ſubjectis Urbi locis continuaret. Narrant itinerum Ejus comites, Sexti (vicus eſt prope Modoëtiam) nonnullos pene ſemianimes, atque inſidentem præcordiis tabem toto corpore afflantes, cum ejus Sacramenti deſiderium præferrent, ſine mora voti compotes factos

(*a*) Auſterum plane iniverat hoc tempore vivendi genus, neque ulli unquam imitandum. Deliciæ Illi erant pro lectulo tabulæ, quotidiana cum ægrotis conſuetudo, modicus, iſque facilis victus, crebræ in ſingulas partes expeditiones, lacrymæ, meditatio, ſomnus vix ad duas horas protractus, impertita demum infirmis, & bene valentibus Civibus promiſcue ſolicitudo. Adeo ad ſublimem Sanctitatis gradum hoc tempore aſpiravit, & tam magnis profectibus aſcendit, ut familiares ſuos injecta divinitus Ejus veneratio caperet; atque ex iis unum Seneca ſcribit, tantam de Ejus virtute opinionem imbibiſſe animo, ut quoties cum Carolo convento opus eſſet, prius per Confeſſionem conſcientiæ labes deponeret ſubveritus, ne animi ſui intima penetralia Borromeus mentis obtutu pervaderet. Eodem anno vetuit, nunciari ſibi quidquam ex profanis rebus, cum unice ad ſacra animum adjeciſſet; hinc ad Hieronymum Grimaldum Genuenſem Civem ſibi amiciſſimum, qui res alibi geſtas perſcribere ſibi identidem conſueverat, VIII. Aprilis die „ ſtatui (reſpondit) te „ hoc labore ſublevare, ut mihi, quod novi quoti„ die accidit in exteris Regionibus, in poſterum „ ſignifices. Nimium ab hoc abhorret dignitas, & „ voluntas mea, quæ nimium ab hac ſive cura, „ ſive curioſitate videntur aliena". Sed ad introſpiciendam penitus ſuſceptam hoc anno Ejus vitæ rationem, juvat expendere quam ſancte ſingulas noctis horas divideret. Ad mediam noctem cum domum a tugurii, aut Urbe reverteretur, nihil a conſuetis ſacris exercitationibus remittebat; cumque ſubſecivæ ex ſomno arctiſſimo horæ aliquot in antelucano ſilentio ſuppeterent, tum ſe in lectionem librorum abdebat. Idcirco Ludovici Granatenſis Conciones typis editas reddi ſibi poſtulans a Patre Galiardo, & voti ſui cauſas exponens Idibus Novemb. MDLXXVI. hæc habet: „ Quod rogas, ne „ libris legendis in tot curis vacem, fateor publi„ cam hanc calamitatem magno mihi impedimento „ eſſe, quominus aliis rebus diſtinear. Sed quam„ vis peſtilentia juſtitium forenſibus cauſis indire„ rit, ſinit tamen, ut tempus nocturnum in libro„ rum lectionem conferam; eoque vehementius id „ poſtulat, quo major mihi Paſtoralis munetis cu„ ra imponitur, ad quod comparare me niſi le„ gendo poſſum. Hinc factum eſt, ut a te P. „ Ludovici Granatenſis Conciones exigerem; nimi„ rum cum Orationum habendarum neceſſitas me „ nuper Suggeſtum aſcendere juſſerit, vim quami„ dam imbecillitati meæ inferre ſtatui, ut me di„ centem populus exaudiat; & Divina Vox, quæ „ nos ad pœnitentiam vocat, ad omnium aures fa„ cilius permanet. Neque hunc concionandi ab „ edito loco morem unquam remittere mens eſt, „ quoties exinde ſe offeret occaſio. Etenim memi„ neris, puto, Sanctum Gregorium Pontificem, cum „ Roma obſeſſa armis hoſtium eſſet, nec peſtilen„ tiæ periculo, ut arbitror, vacua, elucubraſſe „ Commentaria ſua in Ezechielem, licet profundæ, „ & abditæ ſcriptionis Prophetam. Quare ne a tan„ ti Pontificis exemplo recedam, meum quoque „ Paſtoris eſt quodvis opportunum tempus in ſacris „ ſtudiis collocare, quibus fructum aliquem popu„ lus meus conſequatur. Hinc ut quamprimum „ eum librum remittas opto &c.

(*b*) Plurimorum preces admotæ ſunt Carolo, ut hoc periculoſo nimium manere abſtineret, quas omnes ſive repudiavit, ſive eluſit. Ecce tibi quid Derthonenſi Epiſcopo idipſum ſuadere conanti reſponderit menſe Novembri: „ Mones, ut pericula „ caveam, quæ muneris mei exercitatio invehit: in „ quo quidem, quantum me diligas, noſco; ſed ta„ cite objicere poſſem fore, ut id tu ipſe præſtare „ facile velles in pari cauſa, ſi minimum etiam „ animarum te cura tangeret. Quis enim mecum „ non ſentiat, juſtam quamcumque eſſe oves adju„ vandi rationem, & noſtrum Epiſcoporum eſſe „ ceteris in periculo præire. Nec unquam putave„ rim, a me hoc pacto *Deum tentari*, ſed illi po„ tius, ut decet, obſequium deferri &c.

Digitized by Google

ſtos (*a*); & quemdam in arce Tritii, vix ſalutari ſigno accepto, ad pedes Ejus exanimem concidiſſe. Simile quoddam fortitudinis ſimul, & amoris experimentum Mediolani dederat; cum in illa hominum colluvie, quæ incluſa ſuburbanis tentoriis tenebatur, natos alicubi infantes atro colore materni uteri peſtilentiam præferentes ulnis ſuis exciperet (*b*), ac præterfluenti rivo ex Chriſtianæ fidei inſtituto expiaret. Perſuaſerat ſibi in iis periculis, quæ ad paſtorale munus pertinent, nihil Epiſcopis eſſe metuendum, quippe cum debeant aut paratam ſibi ex Divina Providentia opem, aut immortalem ex morte gloriam polliceri.

Obfirmato in eam ſententiam animo cum Parocho Sancti Raphaëlis ultimum diem inſtare cognoviſſet, perrexit illico, ut eum cæleſti Viatico præmuniret. Ad ægrotantis cubiculum ex Altari venientem circumſtetere Præfectus, & Decuriones Urbis, ac nixi genibus obſecrabant, ne vitam ſuam tam aperto diſcrimini objiceret. Quin potius ad ea, quæ per ſe ipſum agere conſtituerat, uteretur opera Sacerdotum, quorum plures ad obſequium paratos circa ſe haberet. Reputaret quæſo, qualis conditio futura eſſet miſeræ Civitatis, ſi, quod etiam dicere abſque horrore non poſſent, errabunda per tot familias peſtis ad Ipſum quoque pertingeret. Defuturum videlicet Sacerdotibus ducem, civibus patrem, uno denique ictu peritura omnia, quibus ſtatuendis tot hactenus curas, labores, vigilias impendiſſet. Poneret ſibi ante oculos deſerta Sacrorum ſtudia, amentes deſperatione pauperes, tantam hominum multitudinem, quam aſpectu, & ſermonibus ſuis recreare ſolitus ſit, abſque ullo ſolatio relictam; eaque omnia crederet jam ſatis afflictæ urbi ex Ejus interitu imminere. Nec vero impendentibus Reipublicæ malis ita ſeſe terreri, ut non jacturam ipſam Paſtoris cariſſimi, etiamſi cetera abſint, malorum maximum putent. Proinde, ſin minus neceſſitati, daret hoc publicæ benevolentiæ ſolatium, ac Patriam ſui amantiſſimam tanto timore liberaret. Hæc intermixta ſuſpiriis dicta commoto magis, quam

(*a*) Prætergredientem aliquando Borromeum, dum Vicum Sextum Sancti Joannis obiret, rogaverant plures ægri ad Limocomii cancellos venientes, ne Chriſmatis ſacri expertes ſe vellet dimittere. Obſtabant interim minantes Cuſtodes, ne illi pedem ex cancellis efferrent. Tum hærens aliquantulum Carolus Monetam ſibi proximum rogavit, quid conſilii in ea re capiendum videretur. Anceps Moneta ſubdidit: ſuum non eſſe Borromeo conſilium dare; tamen ſi Illi voluntas hæc foret, ut eos Sacro Chriſmate confirmaret, ſuam etiam ipſius operam adjunctum iri. Tum converſus ad venientes Carolus: *Videte*, ait, *Divino veluti ducente Spiritu, nos miſeri illi deposcunt; quare pudeat Deo vocanti obſistere.* Hinc prohiberi eos a Cuſtodibus vetuit, & quoſcumque venientes Sacro Chriſmate munivit. Roganti deinde, num quis adhuc ſupereſſet inungendus? reſponſum eſt, allis in tuguria abditis vires ad veniendum deficere; ſed paratiſſimam eſſe veniendi voluntatem. *An itaque*, ſubjecit Carolus, *eos infeſtos Orci viribus obiicimus?* Et ſic ultra procedens, quotquot illic deliteſcebant, interritus Sacro Myſterio corroboravit. Sed nunquam fatigatam in hoc Sacramento miniſtrando Borromei diligentiam juvat intelligere ex Ambroſio Fornerio, qui teſtatus eſt: ſe cum decem ſaltem mortalium millibus, manu appoſita ex rituum præſcripto, Compatris munus ſuſcepiſſe peſtilenti anno, quos omnes Carolus manu ſua inunxit. Quis verò numerum referat aliorum, quos S. Paſtor item hoc myſterio confirmavit, aut abſente, aut operam ſuam non adjungente Fornerio?

(*b*) Ut plurimum tamen ſcimus, ſuſceptos ſemper Infantes in Baptiſmo ab infirmis fuiſſe: licet enim nunquam mori Borromeus timuit; tamen nunquam etiam vivere recuſavit. Imo in Epiſtola quadam ad Paleottum Epiſcopum Bononienſem affirmat, immutatum pro ea temporum calamitate aliquantulum Baptiſmi adminiſtrandi Ambroſianum Ritum; & merſione Infantis omiſſa, aqua infuſa ablui recenter natos tum primum conſueviſſe, ut aliquo modo peſtis contrahendæ periculum præcaveretur. Quod vero ad Euchariſtiam infirmis offerendam ſpectat, audi quid ad Caſtellum Ariminenſem Epiſcopum XVIII. Julii MDLXXVII. ſcripſerit, de inani quadam, quæ in iis regionibus invaluerat, fama: „ Scribis iſthic dictitatum, a me fuiſſe adhibitum cochlear, quo „ ægris ſacra Altaris myſteria porrigerem. Hoc certum habe, id officii manibus ſemper meis præſtitum fuiſſe, quibus etiam ſacro Oleo morientes „ inunxi. Cur enim ab humana ope ſubſidium „ mutuaret, cum mihi Deum adfore certo ſperarem? Fatendum tamen eſt, quædam mihi indicata „ remedia nunquam fuiſſe neglecta &c. “ Die autem V. Auguſti ad eumdem ſcribens hæc alia habet: „ Aliquorum metu inductus erat hic mos peſtilentiæ initio, ut argenteo cochleari infirmorum labiis Chriſti Corpus offerrent; ſed in quodam „ congregato Theologorum cœtu ſanctum eſt, ne „ id deinceps auderent: imo prohibitus eſt patenæ „ etiam porrigendæ uſus, qui tamen primum retentus cum Sacerdotibus fuerat; mox deinde intermiſſus.

Digitized by Google

quam mutato animo a Carolo audiebantur. Itaque, ut erat, ſacram Pixidem tenens paucis ad ea reſpondit: Gratias ſe agere Civium ſuorum benevolentiæ, quæ plane illos ultra, quam rei dignitas poſtulet, de periculo ſuo ſolicitos faciat. Ceterum minime convenire, ut quæ impavide fieri a ceteris Paſtoribus juſſerat, ipſe omnium Paſtor præ metu refugeret. Quoniam ſe ducem ſacrorum hominum appellaverint: ſinerent ergo iis exemplo præire, quibus auctoritate præeſſet. Si civium Patrem crederent: cur non æquum putarent, ſingularem aliquam gratiam iis a Patre rependi, qui ob paterna exequenda mandata mortem obire non dubitaverint. Quod ſi ita decretum eſſet, ut ipſe quoque tot mortuorum numerum augeret: non eſſe, cur quidquam doloris ex interitu ſuo caperent; neque enim defuturos Præſules, qui Mediolanenſem Populum diligentius, ac ſanctius gubernarent. Eo reſponſo, cum triſtiores, quam venerant, dimiſiſſet: ad ea, quæ cœperat, exequenda progreſſus, non antea morientis lectulo abſceſſit, quam inter ſolemnes Eccleſiæ ritus, & pia colloquia expiraret (*a*).

Eadem caritatis officia experti ſunt alii, quos inter paſtoralis officii curas lethifer morbus deprehenderat. Rector Sancti Petri in Caminatella (id Paroeciæ nomen eſt) inter eos fuit. Is quamquam ægre ſpiritum traheret, audito tamen Caroli adventu in Templum deſcenderat, ut accedenti partem aliquam laboris, & periculi demeret. Ibi repertum Carolus poſtquam deprompto ex Altari Sacramento refecerat, redire in lectulum jubebat, ut inſtituta ad mortem ſanctius obeundam præſidia reciperet. Ille enimvero, diſſimulata morbi gravitate, etiam atque etiam rogare, ne hanc ſibi curam aſſumeret: nondum enim adeſſe tempus, quo extremis ejuſmodi præſidiis indigeret. Sed enim amorem fallere difficile eſt. Poſtero die rediens Cardinalis, cum eum in Templo iterum inveniſſet, ac mortem propius inſtare animadverteret: lectulo protinus reſtitutum ſacro Oleo inunxit; neque intolerabilis odor, aut ſpectantium conſilia obſtitere, quominus luctantem animam ad extremos uſque anhelitus omni pietatis officio proſequeretur (*b*). Ceterum quanto animoſius erga ſeipſum; tanto conſideratius erga alios agere conſueverat. Nam quoties peſtilens aliquod contigiſſet, omnia curando corpori neceſſaria per ſe ipſum obibat, nec niſi poſt ſeptimum diem quemquam propius accedere patiebatur, ratus eo temporis ſpatio quamlibet morbi ſuſpicionem poſſe purgari.

CA-

(*a*) Incredibile dictu eſt, quantum hæc Paſtoris conſtantia Mediolanenſium Sacerdotum pietatem accenderit. Statim ab hujus obitu adfuit in cubiculo Parochus Sancti Pauli in Compito, qui detractum e lectulo cadaver rite abluit, & veſtibus decenter ornatum in pheretro compoſuit; & tamen vivens multis poſt annis rem hanc Gluſſiano hujus hiſtoriæ ſcriptori ipſe enarravit. Hinc anno XXX. ſubſequentis Seculi, cum iterum corripuiſſet hanc Urbem peſtilens morbus: perſeverabat eadem in Mediolanenſibus Sacerdotibus conſtantia; quare infeliciore quidem exitu, ſed pari animi magnitudine ex una, eaque minima Oblatorum Sodalitate octo ſupra viginti piis hujuſmodi officiis intentos lues implacabilis oppreſſit.

(*b*) Suo ipſorum lectulo inhærentem admirati ſunt Carolum gemini alii in Urbe Parochi, Sancti nimirum Babylæ, & Sancti Victoris ad Theatrum; neque alii hoc Antiſtitis officio carituri fuiſſent, niſi Borromei preces ceteros ad meliora fata reſervaſſent. Etenim ne ullus hoc periculum refugeret, hanc dederat Carolus adminiſtris ſuis omnibus fidem, ſe in extremo vitæ articulo iis adfuturum; ſed illi ad infirmorum miniſterium exemplo ſuo magis accenſi ſunt, quod ab Eo ſemper abeſſe mortis periculum intuerentur. Neque dumtaxat ſacra Parochis ſuis remedia comparare ſtuduit; ſed humana etiam ad corporis valetudinem diligenter conquiſivit. Hinc Nob. Gregorium Orrigonum Medicæ artis peritiſſimum adducere conatus eſt, ut Franciſco Caſtoldo S. Victoris ad Theatrum Rectori præſto eſſe vellet. Nam cum audiſſet nullo modo perſuaderi ei Medico potuiſſe, ut ad ægrum vellet accedere; Cardinalis per domeſticum ſuum illi metum hunc exprobravit, dicens: *Mirari ſe, quod adeo mortis periculum refugeret, & nullam Chriſtianæ pietatis rationem haberet.* Cui Medicus: *Miror*, inquit, *Carolum nullam Urbis ſuæ univerſa rationem habere, qui adeo mortis inſtans periculum propter nimiam pietatem ſuam contemnit.* Hæc Medicus ipſe flens teſtabatur in Tabulis anno MDCII.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Ex Urbe egreſſus, agreſtem populum peſtilentia laborantem inviſit, ac conſolatur.

1576. HÆc in Urbe agenti obverſabantur ante oculos agreſtium locorum calamitates, quorum ingentem numerum lethales morbos pervagari fama erat. Miſerat Ille jampridem ſpectatæ pietatis & prudentiæ viros, qui miſeris hominibus omni fortaſſe auxilio deſtitutis quoquo modo conſulerent (*a*): dederatque ad Regionum Præfectos documenta, & leges, quibus apte ad neceſſitatem temporis uterentur (*b*). Nunc adducta in aliquem tolerabilem ſtatum Civitate (*c*), ire Ipſe conſtituit, quæque in ſingulis Provinciis agerentur coram intueri. Nec facile dictu eſt, quam multis ea profectio ſaluti fuerit. Quacumque occurreret, tamquam delapſum e Cælo Numen accipiebatur, pene ut omnium malorum ſenſum aſpectu ſuo depellere videretur. Ille *omnibus omnia factus*, nunc in templo Sacris operam dare, nunc ægros inviſere, aſſidere morientibus, benigne ſingulos alloqui, omnes hortari, ut inflicta a Deo ſupplicia patienter ferendo non leviora tantum; verumetiam ſalutaria facerent (*d*). Prima omnium cura erat publica vitia exagitare concionibus: deteſtari illatas per chorearum licentiam, & profana ſpectacula diebus feſtis injurias: mulierum præſertim impudentiam objurgare, quæ ſpecioſo ornatu, peregriniſque veſtium lenociniis ad alienæ innocentiæ perniciem tanto funeſtius, quanto blandius graſſarentur. Et ſane aliquid per eos dies inciderat, quo audito, exitialis hæc miſeri ſexus ambitio contremiſcat. Inzagum cum perveniſſet, vicum Scriptoribus antiquis Anticiacum appellatum, & funeſta tum contagio-

(*a*) Centum circiter Agri Mediolanenſis pagos idem Urbis exitium involverat. Quare jure uſus ſuo plures in diverſas partes legaverat adminiſtros, qui perditis prope, & acciſis rebus ſubvenirent. Strenue inter ceteros obivit hoc munus Franciſcus Bernardinus Cribellus, qui in Brianteos Colles, & ad Verbanum Lacum legatus hoc tempore Caroli nomine fuit. Aliqua quidem orta ex hoc eſt cum Magiſtratibus contentio, quam Ille deinde facile rationibus ſuis, & ſuada diremit. Aliquot etiam in Eum jactata impotentius dicteria accipio a plebejis hominibus, quibus fortaſſe Borromei vigilantia non admodum utilis erat; cum Eum imprudentiæ nomine accuſarent, carperentque tamquam invaleſcentis crudelius peſtilentiæ auctorem. Ipſe tamen ad Specianum ſcribens VI. Calen. Septembris docet, qua de cauſa, & qua moderatione jure hoc ſuo uteretur.„ Jus in Eccleſiaſticos æque ac profa„ nos homines ſibi quidam ſumere voluerunt, illoſ„ que pro arbitrio ab aliorum ſegregare commercio. „ Hanc ego poteſtatem in meos nunquam ſum con„ ceſſurus; cum ad me unum pertineat, & hacte„ nus in me uno fuerit. Nam peſtilentiæ initio ſic „ convenit me inter & Senatum: ac ſemper ſen„ tentiam de hoc meam Magiſtratibus, & publicis „ Medicis communicavi. Quare volo, ut juris mei „ ſit pronunciare, quo tempore carere publico, aut „ frui Clericis liceat. Neque me eorum leges ad„ ſtringunt, quas frequentius auctores ipſi diſſol„ vunt. Quamquam adeo pedetentim, & caute eas „ aliquando imminuo, ut diligentia mea ipſorum „ curam non rarò ſuperet. Etenim cum ad geminos „ Seminarienſes Alumnos peſtilens morbus perma„ naſſet: citius illi permiſere, ut datus iis Chirur„ gus aliorum conſuetudine uteretur; quàm ego „ Clericis id reliquis Seminarienſibus permiſerim: „ licet magis ad Chirurgum, utpote qui ægris aſ„ ſederat, morbi ſuſpicio ſpectaret; quàm ad Alum„ nos, quos juſſeram ab omni Infirmorum com„ mercio removeri.

(*b*) Videtur in Epiſtolis ad Vicarios Foraneos datis tonare, fulgurare Carolus, & affectu ſuo eorum animos expugnare. Hinc minas crepat, inde ſtimulos addit, gratias agit, laudat, obſecrat. Una trans Abduam Diœceſis pars, cum regi ab uno Vicario non poſſet, qui cis flumen degebat: novum habuit ab Eo Vicarium, Præſidem ſcilicet Seminarii Somaſchenſis, cujus diligentiæ multum deferebat. Deſtinabat itidem Chirurgos, & Medicos, ſicubi opus eſſet; & ſolicitudinis ſuæ præclarum teſtimonium extat Epiſtola ad Medicum agri Mediolanenſis ſcripta, in qua ejus pietatem mirifice commendat, & gratias agit pro ægrorum cura gratis & viriliter ſuſcepta.

(*c*) Videntur hæc in annum ſequentem rejicienda. Habeo enim Cribelli legati ſui Epiſtolas, menſe Decembri ad Eum in Urbe degentem datas. Neque Ejus Paſtorali ſolicitudini conſentaneum videtur credere intermiſſam Civium curam, cum hic adhuc peſtilens malum ſæviret. Mitiori igitur cælo in Urbe fruens, & ſub anni finem intermittente velut morbo, ceſſare Ipſe neſcivit; ſeque ad hanc expeditionem accinxit, quam adeo ſedulo obivit, ut ſub initium anni MDLXXVII. quotidie ferme Modoëtiam iret tum morbo infectam, ut teſtatur Eques Hortenſius a Caſtro Sancti Petri.

(*d*) Scripſit Ipſemet hanc ſibi fuiſſe eo tempore conſuetudinem, ut Sacerdotes, qui pavide ad infirmos accederent, ſuo prius exemplo inflammaret; deinde manu apprehenſos ad tuguria duceret, ibique eorum conſtantiæ auctor, atque ſpectator veluti in adminiſtri ſpeciem ſacra miniſteria obeuntibus præſto eſſet.

Digitized by Google

gione peſſime laborantem, atque e ſuggeſtu ſublimis temporum luxuriem tamquam malorum omnium originem incuſaret: alteram forte in cetero fœminarum grege conſpexit tanta veſtium pompa inter æquales eminentem, quantam in nuptiis aſpici, nedum in publico luctu, parum decuiſſet. Tum indignatione accenſus, converſo ad eam ſermone: „ Quæ te, inquit, „ amentia cepit, infelix, ut in hac tanta „ Patriæ tuæ deformitate formoſior videri „ hominum oculis cuperes? Quin potius ad „ æternæ ſalutis ſtudia converteris, cum ti„ bi nequeas hanc mortalem vitam uſque in „ craſtinum polliceri? " Sive vaticinium illud fuerit, ſive eventus pro vaticinio accipi fecerit, id certe conſtat, miſerrimam mulierem, cum ineunte nocte integra valetudine cubitum iſſet, poſtero die exanimem in lecto eſſe repertam. Hæc loci incolæ cum horrore narrabant: ſimul referentes, quam gravia apud ipſos incommoda admirabili patientia ſuſtinuiſſet. Tot nimirum officiis pro Populi ſalute perfunctum, totum illud agri ſpatium, in quo mortuorum corpora tumulabantur, ſolemnibus cæremoniis conſecrare voluiſſe; quamquam & ſolis æſtus nudum caput exureret, & teterrimus ex raptim ſepultis cadaveribus odor adſtantium pleroſque in fugam averteret.

Verum hæc, atque alia corporis incommoda tolerantem acrius urgebat anceps quædam animi ſolicitudo: quippe cum neque agreſtium miſeriæ quietum in urbe eſſe ſinerent; & in agris commorantem Urbis neceſſitas revocaret. Itaque celeritate, & vigiliis id agere conabatur, ut ſibi copia temporis ad utriuſque partis deſiderium ſupereſſet. Equo inſidens in foro, aut via prandebat (*a*), circumfuſa perſæpe Nobilium corona, quos morborum timor in villis abditos retinebat. Nunc poſito metu, quamquam ex peſtilentibus locis venienti, comites ultro, & miniſtri aderant, certa quadam opinione inſidente animis, nihil adverſi cum Carolo agentibus poſſe contingere. Id maxime ſpectatum eſt, cum Peregum Briantæi collis pagum inviſeret. Ibi equitem ex illuſtri Putheorum familia primo ſtatim ingreſſu obvium habuit enixe obſecrantem, ne domi ſuæ diverſari ea nocte gravaretur. Recuſare primo Carolus, acceptaque urbanitate officii, dicere: multa ſe loca lethiferâ contagione infecta adiiſſe; proinde periculum fore, ne hoſpiti ſuo funeſtam aliquam gratiam rependeret. Ille recuſantem etiam atque etiam obteſtari, ne preces amantiſſimi Civis inani terrore eluderet: quippe pro certo ſe habere non defutura domui Superûm patrocinia, quam Ipſe præſentia ſua illuſtraret. Facile ad fidem eſt, exorabilem his precibus Carolum ſeſe præbuiſſe: cum ne aſpernari humaniſſimi viri benevolentiam videretur; tum ut eos, quos in comitatu habebat aſſiduis itineribus, ac vigiliis fractos, ejus hoſpitii benignitate recrearet (*b*). Nam cum Ipſe nonniſi nudis

ad

(*a*) Certatim cibaria advenienti offerebant, ſeu villici, ſeu Nobiles Viri, ſicubi eſſent; dumque pane de more veſceretur, comitibus ut bene & ſplendidius eſſet, ſtudebat. Illis interim corpora curantibus, ab incolis ſciſcitabatur, quæ loci pericula, & ſtatus, aut quæ viciniæ conditio foret, ut inde abeuntem Illum peſtilentior ſtatim regio exciperet. Hæc Seneca in Tabulis.

(*b*) Aliquanto acrius hoc in loco pugnatum officiis fuiſſe ab Equite humaniſſimo idem Seneca teſtatur. Nam cum Olginatum Perego divertere meditaretur Borromeus: domo egrediens Eques Putheus advenientium equorum ſonitu admonitus de Antiſtitis adventu, ſtatim in Ejus occurſum ruens, & equi loris amicas manus injiciens, vetuit ultra procedere. Cui Cardinalis, *abſtine*, ait, *innocuas manus; neque enim peſtilentiæ a nobis abeſt ſuſpicio*. Sed ille, *luem*, inquit, *timeo, ſi Carolus abſit*. Mox amori potius indulgens ſuo, quàm Pontificis majeſtatem reveritus, medium Borromeum amplexus equi dorſo violenter detraxit: manumque oſculatus, ac præſidenter attrectans, hoſpitem, reluctantem licet, in ædes ſuas perlubenter compulit, alioſque, qui in comitatu erant, laute ad cœnam adhibuit. Subdit deinde idem teſtis, opportunum id fuiſſe viſum auxilium; cum decimus jam dies ageretur, ex quo nullus aut depoſuerat veſtes, aut lectulo quietis cauſa incubuerat. Par Variſienſis Præpoſiti cum Carolo officium fuit, cum Hic Arciſatum contenderet. Cumque hanc Plebem ſedulo circumiret, digreſſus Borromeus Vigluvium, quem Vicum peſtilentia undique occupaverat, adeo diligenter ſibi, ſuiſque morbi periculum cavere ſtuduit, ut ſervum, qui forte pendenti ex foribus quibuſdam annulo equi lora illigaverat, ſtatim abſtinere ad plures dies a ceterorum commercio juſſerit, & ipſa equi detracta ephippia mox concremari.

Digitized by Google

ad quietem tabulis uti, nec niſi rudi, ac facile parabili cibo vix famem depellere ſolitus eſſet, nullum hoſpitii genus erat, quod non deſideriis Ejus abunde ſufficeret.

His longe diſſimilia Gallarati invenit, cum ad Præpoſiti ædes ſub veſperam divertiſſet. Oppidi Prætor, tamquam publicæ valetudini metuens, aditus omnes armato milite ſepſerat, ne quis illuc ingredi, aut inde egredi poſſet. Luce orta, quo tempore Divinis operari conſueverat Cardinalis, cum incolarum præcipui ad Eum undique convenirent, primo acriter queſtus ſe prope in carcere habitum, atque Eccleſiæ jura tam aperte peſſumdari, Prætorem ipſum, qui cum ceteris aderat, tamquam anathemate illigatum, non Sacris modo intereſſe vetuit, verum etiam Templi ingreſſu prohibuit. Erroris deinde pœnitentia, & adſtantium precibus mitigatus abſolutum dimiſit: contentus exemplo illo ceteros monuiſſe, ne quis Eccleſiaſticam poteſtatem ullo prætextu violaret.

Dum hæc in Villis, Oppidiſque perageret, mors Ejus falſo nunciata mœrore, & luctu omnem circa Regionem impleverat (*a*). Tam late quidem percrebuerat rumor, ut Veronenſis, aliique finitimarum Civitatum Epiſcopi, tamquam mortuo, funebria perſolverent. Nota vitæ aſperitas, laboreſque aſſidui, & quotidiana pericula effecerant, ne tam triſte nuntium pro vano haberetur. Mediolani interim tanta animorum conſternatio erat prope, ut finem Urbis ipſius adeſſe crederes. Plebejorum præſertim hominum ejulatus undique exaudiebantur, quorum ut gravior neceſſitas, ita pronior in deſperationem triſtitia erat. Exhauſtis Reipublicæ opibus, ſæviente in dies acrius lue, profugis in rura pleriſque nobilium, nunc amiſſo Paſtore amantiſſimo, qui mœrentes aſpectu ipſo ſolari, egenos juvare ſubſidiis, qui unus maxime cæleſtes iras lenire precibus ſuis poſſet, quam aliam ſpem miſeræ Civitati ſupereſſe? Hæc inter ſe invicem querebantur, cum Caroli adventus omnia repente ex deſperatione, & luctu in gratulationem, & gaudium vertit. Audita trepidatione, quam falſus rumor attulerat, citato gradu redierat, ut Populum funeſta opinione quantocyus liberaret. Et primo quidem reditum Ejus nunciantibus vix fides habebatur: mox ubi circumire urbem, & palam prodire in omnium oculos cœpit, conferti ad feneſtras, & oſtia domorum ſatiari aſpectu non poterant, tamquam non ex itinere reducem, ſed redivivum e tumulo intuerentur.

Eo ſedato tumultu, labores & ſtudia, de quibus antea diximus, extemplo recepit. Inter quæ paternam vere ſolicitudinem commemorari oportebat, quam cuſtodiendis Sanctimonialium Aſceteriis impendit. Quanto enim remotiores ab hominum oculis erant, tanto Illi digniores patrocinio, & cura ſua videbantur, quippe cum earum neceſſitates eo minus auxilii habituras judicaret, quo a paucioribus noſcerentur. Et alicubi quidem tot munita cuſtodiis clauſtra

(*a*) Diſſeminatæ hujus famæ cauſa fuerat repentinum Illius in Agrum Mediolanenſem iter. Cum enim Parocho aſſediſſet Mediolani animam agenti ex peſtilenti morbo Cardinalis, & mox alio extra Urbem contendiſſet: repente nullibi Borromeum in Civitate videri rumor percrebuit. Quare Ejus morbo facta fides eſt, & conterminas regiones nullo certo auctore mortis ſuæ fama pervaſit. Extat in Bibliotheca Ambroſiana Auguſtini Valerii ſuper hoc opuſculum MS., quod *Somnium de Carolo Borromeo* inſcribitur. Ejus initium tibi recito: „ Legebantur „ nonnullorum literæ Cremæ & Bergomi ſcriptæ, „ quibus afferebatur, Carolum Cardinalem Sanctæ „ Praxedis peſtilentiæ morbo vigintiquatuor hora„ rum ſpatio ex hac vita migraſſe. Triſti nuntio „ incredibili mœrore multi conficiebantur, mira „ doloris ſigna dabant, lacrymas emittebant. Hæ „ audiebantur voces: Obiit igitur VIR INNOCEN„ TISSIMUS, EGREGIUS ANIMARUM PASTOR, „ DECUS SACRI COLLEGII, ECCLESIASTICÆ „ DISCIPLINÆ DILIGENTISSIMUS OBSERVATOR, „ VIR DEI, HOMO ORATIONIS, ITALORUM „ EPISCOPORUM STIMULUS, ECCLESIÆ DEI „ ORNAMENTUM, NOBILIS CIVITATIS MEDIO„ LANI SALUS! Quod difficillimis his temporibus „ Eo privati ſint Mediolanenſes, & Chriſtiano Or„ bi tantus, ac tam fidelis Dei Miniſter ſit ereptus „ non minimum putandum eſt flagellum &c.". Velim autem, attentius expendas luculentum hoc tam gravis Viri teſtimonium de Caroli ſanctitate eo tempore prolatum, quo ad ſanctiorem adhuc vitæ rationem aſpirans Borromeus nondum virtuti ſuæ faſtigium impoſuerat.

Digitized by Google

ſtra penetraverat fames, nec unde alimenta peterentur in tanta rerum perturbatione apparebat. Conquirendo tamen, & multa etiam a Cardinalibus, qui Romæ erant, per literas corrogando pervicit, ne ullibi ad victum, ſive ad valetudinem neceſſaria deeſſent. Conſtat ſane, in ea familiarum ſtrage, quæ magnam partem Urbis, Provinciæque vaſtaverat, nullibi pauciora funera, quam in Sacrarum Virginum Cœnobiis fuiſſe (*a*).

CAPUT X.

Acriori voce in Populi vitia invehitur: Sacras Leges ſciſcit: novis Pontificiæ Indulgentiæ donis Cives Deo conciliat.

1576. HÆc tanta curarum moles, tam fœda rerum facies, quam nemo cogitatione concipere, nedum complecti literis poſſit, non tamen Caroli animum ita occupaverat, ut omnem prorſus lætitiæ ſenſum adimeret. Quamquam enim tot Patriæ miſeriis pro ſummo, quo erga ipſam ferebatur, amore ingemiſcebat, aliquando tamen dixiſſe traditur, ſalutare illud eſſe Reipublicæ tempus, nec raro ſibi ingentes delicias ex ipſis, quas adeo deſideret, calamitatibus exoriri (*b*). Quamplures enim nobilium præſertim, quos adverſus conſcientiæ ſtimulos voluptatum cupiditas, & peccandi conſuetudo obduraverat: nunc hærens in ipſo domus veſtibulo peſtis, & propius imminens Divini Judicii terror ad ſanctiora conſilia ſenſim inflexerat, recepto apud pleroſque mortalium more, quos adverſa facilius, quam proſpera ad virtutem erudiunt. Itaque opportunitate temporis utendum exiſtimans, perculſis acrius inſtabat: ab ipſa ſcilicet malignitate morborum remedia mutuatus (*c*), qui-

(*a*) Prodigio ſimilis res habita eo tempore ab univerſis fuit (nec Ipſe Romam ſcribens diſſimulavit), Sacra Virginum Aſceteria communi morbo immunia ferme fuiſſe. Certe omnes putarunt datum id divinitus ſive Caroli, ſive earum precibus, ut geminæ dumtaxat in Urbe tam ampla Fœminæ Clauſtris addictæ ex eo morbo interirent; nam plena difficultatis futura res videbatur, ſi abſtrahendæ ex Collegiis Virgines alio fuiſſent amandandæ, cum nullibi tutam ipſis ſedem fore appareret. Illud etiam Caroli precibus adſcripſere nonnulli, quod ſerpens in Seminario lues geminos dumtaxat Clericos abſtulerit. Collocatæ ibi erant optimæ Diœceſeos ſpes; quare hujus loci incolumitatem potiſſimum ſpectare Ille ſemper videbatur. Hinc invaleſcente Urbis morbo, noluit eo in loco literarum ſtudia intermitti, & ab Inſtitutoribus repetitis precibus tandem impetravit, ut Alumnis prælegerent. Ut vero huc etiam peſtilens morbus invaſit, obmutuere quidem literæ; ſed ſtatim adfuit vigilantiſſimus Pater, & libere infirmorum cubilia ingreſſus eſt, quæ ingredi Clerici vetiti fuerant, ut ſcripſit Joannes Petrus Stuppanus tum eo in loco Theologicæ facultati addictus. Deinde ceterorum ſaluti conſulturus, eorum partem in Canonicæ ædes amandavit, reliquos ad Sanctæ Mariæ ad Stellam, ut Ipſe ſcribit poſtridie Calendas Auguſti MDLXXVII. ad Specianum. His in locis dum quadraginta dierum ſpatio clauſi Clerici remanerent, purgatum omni morbi ſuſpicione Seminarium eſt; nec niſi ad Idus Septembris Alumni ſedi ſuæ redditi, & paulo poſt novo Inſtituto ad ſuas ædes ſunt dimiſſi.

(*b*) Moleſtiam percipi a ſe aliquam eo dumtaxat tempore teſtatus eſt, quo refrigeratus aliquantulum popularis pietatis ardor ſibi videbatur. Hinc prima Caroli querela audita eſt a Speciano, cui Idibus Februarii MDLXXVII. in hanc ſententiam ſcripſit: „ Diuturnitate morbi effectum eſt, ut Religionis ſtu„ dia ſenſim in hoc populo ad hos dies elangue„ ſcant. Hanc ego remiſſionem animorum, veluti „ magis exitioſam peſtem, certe timeo.

(*c*) Sacra enim opportuniora remedia ſemper putavit Carolus ad depellendum morbum hunc pertinaciſſimum. Atque illis Ipſe etiam eſt uſus, ut a ſe periculum omne averteret. Rationem hanc medendi privatis ſimul, & publicis malis Brixienſi Epiſcopo exponit VIII. Idus Quintiles ſcribens: „ Fateor „ plura mihi a pluribus oblata, & indicata remedia, „ quibus aut præcaveri, aut ſanari hic morbus poſ„ ſe putabatur. Irrita tamen ceciderunt vota; & „ quæ ſalubriora ab Etruria offerebantur, exitus „ ferme fallaciora fuiſſe comprobavit. Hinc facile „ perſpexi, Deum unice morbi, & medicinæ eſſe „ Auctorem, ut Sacræ etiam Scripturæ teſtantur. „ Ille enim noxarum noſtrarum vindex videri vult, „ & nocentes terrore injecto commovere. Quare „ nos ipſi afferamus morbo medicinam oportet la„ crymis noſtris, & ſanioribus conſiliis. Cum pu„ blica morum corruptela vigeat, opus eſt precan„ di ſtudium inflammetur, & publica Religionis „ teſtimonia exhibeantur. Non eo hæc dico, quo „ humana negligantur auxilia; dummodo divina non „ excludantur. Ego (quandoquidem me de reme„ diis rogas), gliſcente primum malo, ſtatui totum „ me divinæ providentiæ permittere; quin tamen „ faciliora quædam, & quæ in promptu eſſent, „ medicamenta repudiarem. Recuſavi a Medicis „ præſcriptam Catarſim; ſed pro re nata cum ad „ infirmos eſſet accedendum, aut ſuſpicioſa loca „ obeunda, ſubjicere naribus ſpongiam aceto imbu„ tam, & in pixidula inclulam conſuevi. Initio delica„ tius aliquid comparatum: nimirum terere dentibus „ ſolebam vel cariophyllum Indicum, vel herbæ, quam „ Angelicam vocant, radicem in os inſerere &c.

Digitized by Google

quibus torva hæc, & inacceſſa mitioribus conſiliis ingenia ſanaret. Has Ille delicias, hæc ſolatia in tantis calamitatibus habuit.

Sed cum his artibus religionis cura Mediolani proficeret, agreſtis regio pravitate morum, & licentia vitæ alicubi laborabat, tamquam ejecta ex Urbe vitia in pagos, & rura transfugerent. Nam ſive loci ignobilitas pudorem ſceleribus demeret, ſive individua comes peſtilentiæ paupertas gravioribus quoque flagitiis neceſſitatis nomen obtenderet, nonnulli Sacrorum Præſides nunciabant, nunquam ſe alias tantam in popularibus ſuis adverſus edicta licentiam inveniſſe. Acceſſerat magnum ad turpia quæque incitamentum ſpes impunitatis; quippe cum territi Magiſtratus, deſertis tribunalibus, quanto remotius poterant, a morborum periculis latitarent. Hinc ſublato pœnarum metu, latrocinia, & cædes, & alia dictu pudenda tuto exercebantur: quaſi nihil timendum chriſtianis hominibus præter ſecures, & carcerem foret. Hæc priſtina in agros itinera repetere Carolum coëgerunt, ut quanta poterat auctoritate, & prudentia improborum hominum audaciam reprimeret. Et erant in promptu exempla, quæ ſatis oſtenderent, quam miſere ſe ipſos decipiant, qui humanæ vitæ proſperitatem exiſtimant, procul ab honeſtate poſſe inveniri.

Quidam ex Mediolanenſi Nobilitate, genere tamen, quam moribus clariores ad prima morborum indicia in caſtellum ſeceſſerant intra Provinciæ fines notum amœnitate loci, & puriſſimi aëris ſalubritate. Hanc deliciarum ſedem, ſeu verius lupanar, Amoris Academiam nuncupari placuerat, ut nomine ipſo conſtaret, quæ inibi artes, quæque ſtudia colerentur. Inſtructa opipare convivia, & feſtivæ ſaltationes præludia voluptatum erant, quas apertius deſcribi verecundia non ſinit. Excubiæ interim ad portas agebantur, ne quis continuata dies, nocteſque ſolatia importuna morbi ſuſpicione turbaret. Sed facile cuſtodias omnes tranſiliit peſtis, ſeu potius cælo demiſſa in turpe contubernium incubuit. Hinc deſperatio, & luctus, & fœda corporum ſtrages, cui nullam in privatis familiis parem funeſta illa ætas viderit. Hunc execrabilis Academia exitum habuit, ex qua id unum poſteri diſcerent, quam denique palmam profani amoris alumni ex ſcholis plerumque ſuis referant.

Jam vero reverſus in Urbem Carolus, poſtquam multa Sacerdotalis vitæ præcepta ſuperioribus annis ediderat, nunc aliquid eorum, quæ ad exteriorem cultum pertinent, emendare conſtituit (*a*). Abſurda quædam ambitio invaluerat, ut quomodo fœminæ, & parum diſſimiles fœminis viri comam alere conſueverunt, ita addicti ſacris miniſteriis homines barbam nutrirent. Dignitatem oris in eo maxime ſitam arbitrabantur, ſi prolixiorem e genis, denſioremque lanuginem eleganti lapſu in pectus demitterent. Corruptelam hanc primo impetu tollere difficile videbatur (*b*); cum inſanæ opinioni faveret conſuetudo, prom-

(*a*) Quam in ceteris effingere conabatur probitatis imaginem, in ſe ipſo prius expreſſit. Redolere ſua omnia eximiam Sanctitatem videbantur; hoc enim tempore igne ſemper abſtinuit, & carnibus. Tum ſemel veſcendi in dies uſum ſemper deinde retentum auſpicatus eſt; ut etiam ſæpius concionandi ad populum conſuetudinem ſervavit: præſentia ſua Canonicorum ſuorum funebria honeſtare cœpit, & totis viribus diſciplinam in Clero, & populo promovere. Tentavit etiam portas, quæ ad Templorum latera perviæ erant, & corruptelam morum fovebant, muro obſtruere: & fœminas a viris ſeorſim degere ubique in Eccleſiis juſſit. Ex quibus infinita deinde contentionum ſeges oborta eſt.

(*b*) Hunc promiſſæ barbæ alendæ morem faſtidire ſe teſtatus fuerat jam ab illius Seculi anno LXVI., quo Bonhomio conquerenti, imberbem ſe ferme factum, igne ſacro per faciem gliſcente, ſic reſponderat: „ Equidem ereptæ tibi per morbum barbæ non ſolum non miſeret; ſed ſorti inviderem „ tuæ, ſi perpetuo tibi liceret illam deponere; „ adeo enim mihi detonſi oris habitus arridet, ut „ barbæ luxuriem ſæpe depaſcens, eam nonniſi brevem pati poſſim “. Itaque decennio poſt ſub Decembris exitum Monitum de barba Cleri radenda in lucem edidit in Parte VII. Actorum Eccleſiæ noſtræ comprehenſum, & eodem tempore per Diœceſim evulgari a Viſitatoribus voluit: jamque poſt Nonas Januarii invaleſcere barbæ radendæ uſum in univerſa Diœceſi Speciano ſignificavit. Caute tamen hæc in te a Carolo actum eſt, ut habeo ex epiſtola ad Bonhomium data in hæc verba: „ Probavi admodum, quod raſo vultu incedas: doleo tamen, quod „ te Vercellenſis Clerus non imitetur. Verumtamen

promptum illud contumacibus ingeniis adverſus decreta, utcumque ſanctiſſima, patrocinium. Ratus igitur, rem leni initio tentandam, raſis primus Ipſe genis in publicum prodiit, ſi forte imitandi deſiderium ad cetera deinde exequenda proficeret. Mox Literæ Paſtorales editæ, quæ petitis ex omni antiquitate documentis oſtenderent, quantum illa oris ſpecies ab Sacerdotalis nominis majeſtate, Sanctiſſimiſque Latinæ Eccleſiæ ritibus diſcreparet. Hæ literæ Cardinalis exemplo conjunctæ apud pleroſque valuere. Nonnullos vero, quibus uſus ratione potior erat, cum velut profani digito notarentur, verecundia ipſa in obſequium adduxit. Ita ſine tumultu ſublata illa ſub elegantiæ nomine invecta deformitas: mox etiam Synodi decreto damnata, ne ullo umquam tempore in Ambroſiana Eccleſia reviviſceret (*a*).

Sub idem tempus Gregorius XIII. cum multas Italiæ Civitates eadem, qua Mediolanenſes, calamitate vaſtari videret, pleniſſima Apoſtolicæ Indulgentiæ dona omnibus propoſuerat, qui ad placandam Divini Numinis iram certa quædam pietatis opera exhiberent. Id Summi Pontificis beneficium antequam promulgaret, voluerat Carolus Civitatem edicto liberari, quo ſcilicet cautum erat, ne quis ante ſtatutum a Principe tempus pedem efferre extra domeſticum limen auderet. Sed cum Regios Magiſtratus, & Gubernatorem ipſum aliter ſentire accepiſſet, & morborum finem adeſſe, quemadmodum antea prædixerat, intelligeret, haud ægre tulit modicum tempo-

„ men neque tuum conſilium laudo, qui ſevere „ in refractarios agere velis, & Romani Pontificis „ ſuper hoc Decretum ſolicitare". Addit deinde: „ Se mitioribus uti conſiliis, & patienter diſſimu„ lare, licet ritus hic ab aliquibus repudiatus fuiſ„ ſet". Nondum enim convocata Synodo legem de illo ſanxerat.

(*a*) Operæ pretium eſt fideliter hic exponere quid in hanc rem Speciano ſcripſerit Borromeus, ut conſilii hujus cauſas liquido teneamus. Hæc itaque fuſe habet ad eum ſcribens III. Idus Junias: „ Quod „ ſubjicis de lege lata, ut raſo vultu Clerus ince„ dat: non miror Cardinalem Sirletum a me diſſen„ tire. Cum enim ab hoc more abhorruiſſe ſemper „ videatur Græcorum Eccleſia, cujus ille Ritus „ exoſculari videtur ac colere, certe Græcus ferme „ Vir a Græcis diſcrepare non debet. Sed cum de „ Latinis agatur, inane conſilium eſt ciere tot tur„ bas, & rationes comminiſci; cum ſemper apud „ Latinos univerſim invaluerit hic uſus, ſi poſtrema „ hæc tempora, & quidem corrupta excipias: licet „ iſta etiam tempora aliquot nobis offerant gravio„ res moribus, atque ætate Sacerdotes, qui genas „ expungere conſueverunt. Neque Roma his vacat „ exemplis, ubi raſo vultu intueris Setticellum Pan„ thei Archipresbyterum; neque ſine cauſa nuper „ nobis ereptus Carnilia hoc oris habitu utebatur. „ Mediolani religioſius etiam, quam Romæ vetus mos „ conſervatus videtur. Sanctæ Coronæ addicti Sacer„ dotes promiſſam in pectus barbam alunt, quam „ alebat olim etiam Moneta, qui tamen, Ormane„ to monente, ſtatim eam depoſuit. Seniores item „ Presbyteri poſt aliquot annos barbam retinere „ maluerunt. Attamen Baſilicæ Fulcuyni Præpoſitus, „ gemini ex Fagnanorum familia Præſules, Ambro„ ſianæ primum Baſilicæ, deinde Scalenſi Præpoſi„ tus Bonaventura Caſtilionæus Vir, quem antiqui„ tatis ſectatorem eximium optime noſti, ut ſenio„ res complures Parochos omittam, barbam omnes „ demere conſuevere. Neque hoc ſuperioris ætatis „ conſuetudini diſſonum videtur: cum vetus mar„ mor in Ambroſiana Baſilica extans, & ex vera „ Ejus forma exſculptum, raſum nobis Ambroſium „ exhibeat, qualem etiam antiquiſſima Ejus imago „ nuper in Caſtro Portæ Jovis reperta oſtendit. „ Imo quartus circiter dies agitur, ex quo in Tem„ plo Sancti Protaſii ad Monachos venerandæ certe „ antiquitatis, cum de reficiendis hujus fundamen„ tis ageretur, foſſor caſu ſubterraneam alterius „ Templi ſubſtructionem, fortaſſe Barbarorum ruinis „ oppletam reperit, in quo adhuc Ara maxima ex„ tabat tonſum item Ambroſium Sanctis Protaſio & „ Gervaſio interjectum offerens. Sed his omiſſis, „ decretum meum ad Eccleſiaſticorum hominum „ habitum ſpectat, qui certe in Epiſcopi poteſtate „ verſatur; atque una mea Antiſtitis hoc Ritu „ utentis conſuetudo proponi ceteris ad imitandum „ jure poteſt. Quamquam perfacile inductus hic „ uſus in meam Eccleſiam fuit; atque ſi unum Decimi „ Sacris Præpoſitum excipias, qui ſibi fortaſſe de„ decori duxit hoc menti ornamentum detrahere; „ ceteri omnes in meam ſententiam conceſſere. „ Utinam latentia vitia tam felici exitu evellam; „ ut Cleri barbam expunxi: magnis enim profecti„ bus in via Domini contenderemus. Coacta Syno„ do, vix decem aut viginti ad ſummum viſi ſunt „ barbati Sacerdotes; & licet nulla imponendæ le„ gis neceſſitas urgere videretur, cum omnium „ conſentiens fere voluntas legis loco eſſe poſſet: „ tamen decretum condere malui, non ut meorum „ temporum vitio conſulerem, ſed futurorum liber„ tati præcaverem. Hoc enim mihi in more poſitum „ eſt, ut primum videndo aſſueſcere rebus homi„ nes curem: deinde probatam oculis conſuetudi„ nem addita lege corroborem. Huic deinde de„ creto, ut in rebus levioris momenti aſſolet, „ facile acquievere omnes, præter Fratrem tuum, qui „ multa imprudentius effutiens pertinaciam ſuam „ etiam publicis dicteriis onerat &c.

Digitized by Google

poris ſpatium expectari, quò latendi neceſſitas cum peſtilentia ipſa deficeret. Initio ſequentis anni (*a*) Jubilæi ſolemnia celebrari cœpere repetitis in triduum ſupplicationibus, quas, etſi horrido gelu rigeret ſolum, nudis Ipſe pedibus ſemper obibat. Cetera vero, ſive religionis, ſive publicæ pœnitentiæ teſtimonia, quæ ſupplicationum pompam auxere, nihil attinet recenſeri, quippe jam ſatis deſcripta, cum ingruentis in Urbem peſtilentiæ initia traderentur.

CAPUT XI.

Primum Quadrageſimæ diem a Bacchanalium licentia liberat: ſolemne Urbis luſtrum condit.

1577. PRopitiato igitur ſupplicationibus Numine, cum ex diuturno ſqualore, ac luctu exanimis pene Civitas reviviſceret, opportunum Carolo tempus viſum eſt abolendæ conſuetudinis, qua Eccleſiam ſuam dehoneſtari non immerito judicabat. Solemne jejuniorum tempus Divini Redemptoris exemplo conſecratum, quamquam ſive privilegio, ſive vetuſtiſſimo uſu ſerius, quam alibi, apud Mediolanenſes inciperet, ad arctiora inſuper ſpatia impatiens legum intemperantia redegerat. Dominica ſiquidem dies, quæ ſalutaris abſtinentiæ prima eſſe debuerat, paulatim ultima eſſe bacchanalium cœperat, nec ulla fortaſſe aut largioribus epulis, aut majore inanium ſpectaculorum pompa celebrari. Idem error, quod ſcribere piget, in ſacros quoque ritus irrepſerat, obliteratis videlicet cæremoniis, quibus mos eſt de illius diei ſanctitate Populum admoneri. Angebat Carolum indignitas rei, cui nihil antiquius erat, quam deperditos injuria temporum primævæ Eccleſiæ mores revocare. Sed fœdum utcumque vulnus ſuſpenſa manu tractari oportebat, ne irritata remediis ipſis libido in furorem erumperet. Itaque non antea decretis agere inſtituit, quam ſapientiſſimos viros de re tota conſuleret, monitiſque, & exemplis Civium animos exploraret. Memorabat Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, aliorumque SS. Patrum dicta, nec non Othonis Archiepiſcopi noſtri conſtitutionem, quæ omnia inductam temere conſuetudinem manifeſtæ pravitatis arguerent. Proinde hortabatur Mediolanenſes ſuos, ne ſe a vero, & recto ſeduci opinione ulla, ſive uſu paterentur; neve antiquiſſimis Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis unius diei luxuriam anteferrent (*b*). Hæc ty-

(*a*) Nonniſi Februario menſe impertitum eſt Civibus hoc Pontificiæ munificentiæ beneficium. Etenim Centorius de Hortenſiis ſcribit: poſtridie Nonas ejus menſis primam habitam ad Sancti Ambroſii Baſilicam ſupplicationem; geminas vero ſubſequentes ad Sancti Nazarii, & Sancti Simpliciani indictas ad XXII. & XXI. Calendas Martias.

(*b*) Juvat hic per Synopſin cauſas evolvere, quibus ad legem hanc condendam impulſus Borromeus fuit, quo Ejus in graviſſimis rebus prudentia eluceat, & rationes reddantur rei, quæ deinde tot turbas excitavit. Ex recenſentur in Galeſinii Epiſtola, dum anno MDLXXIV. materiem Concilii habendi congereret, & Carolo cauſam dedère Decreti. „ Primo itaque Ambroſiana Eccleſia hoc die „ initium facit Quadrageſimalis abſtinentiæ ex ve„ teri inſtituto, & uſu; nam juxta Eam prima Qua„ drageſimæ Dominica dicitur *Dominica in Capite* „ *Quadrageſimæ*, ut teſtantur Micrologus, Rabanus, „ & alii. Secundo cum Sanctus Gregorius alios „ Jejunii dies Quadrageſimæ adjecit, teſtatus eſt „ quatuor dumtaxat a ſe adjungi; quare Domini„ ca quatuor hos dies ſubſequens jam erat in Qua„ drageſima comprehenſa, ut docet Textus Can. „ XV. Diſt. V. de Conſecratione. Tertio Teleſphorus Papa, ut legitur in Cap. *Quadrageſima* Diſt. „ V., de Ritu antiquo Quadrageſimæ loquens ait: „ hanc ſex hebdomadis, ſive XLII. diebus contineri. Hoc autem nullo modo verum eſſet, ſi prima „ Dominica demeretur, ut calculos ineunti patet, „ niſi Paſchalem diem in hoc tempus conjiciamus. „ Quarto Sanctus Ambroſius Sermonem habens Do„ minica in Capite Quadrageſimæ ait, *cujus Qua„ drageſimæ initium hodie curamus*. Quinto quemad„ modum, ut Septuageſimam, Sexageſimam, & „ Quinquageſimam rite intelligamus, opus eſt ipſam „ etiam diem, in quam Septuageſima, Sexageſima, „ & Quinquageſima cadit, ſupputare, ut juſta numeri ratio ineatur; cur non eádem ratione Qua„ drageſimæ dies numerentur? Sexto Beroldus, & „ Rituales antiqui Libri noſtræ Eccleſiæ, cum il„ lam Dominicam *in Capite Quadrageſimæ* appel„ lent, eam inter Quadrageſimæ dies recenſent: „ neque enim Romanus Ritus, qui aliquando Fe„ riam IV. Cinerum appellat Feriam IV. in Capi„ te Jejunii, idcirco hanc diem veluti jejunio va„ cuam declarat. Septimo Liturgia noſtra, & Euan„ gelium eo die ad pœnitentiam videntur alludere; „ & ſimilem ſenſum habent recitandæ eo tempore „ Sacerdotum preces, quas ejuſdem Dominicæ *of„ ficium*

Digitized by Google

typis impreſſa, atque omnium oculis propoſita non ego crediderim tantum roboris habitura fuiſſe, ſi in aliud tempus incidiſſent. Metus, & pudor ad aſſequendam votorum ſummam magna auxilia fuere. Durabat adhuc morborum terror, validiſſimum contumacis nequitiæ remedium: & Paſtori ſuo poſt tot accepta beneficia in re tam ſancta obluctari turpiſſimum videbatur. Hæc duo maxime pervicere, ut plerique in Archiepiſcopi ſententiam inclinarent, nequicquam reclamantibus aliis, Populi privilegia, & firmatas tot annorum ſpatio immunitates unius hominis arbitrio violari (*a*). Sed ſuſurri, & querelæ paulo poſt finem habuere, audito præſertim nobilis Viri caſu, quem ſicut occulto naturæ vitio evenire potuiſſe utique fateor; ita neque diffiteor ad Divinæ Providentiæ nutum poſſe referri. Is audito decreto, quod de jejuniis latum erat, poſtquam Dominica dies ineuntis Quadrageſimæ adfuit, juſſerat prandium opulentiſſime vetitis cibis apparari, tamquam ex ipſo legis contemptu, quam infenſiſſime oderat, ſuavitatem aliquam epulis additurus. Sed longe aliter res evenit, quam ipſe expectaret. Cum enim menſæ accubuiſſet, intercludi repente fauces, atque ita ſibi alienari ſtomachum ſenſit, ut quidquid ori admoveret, illico rejicere cogeretur. Ita irrito deſiderio jejunus e menſa ſurrexit, nec ante convaluit, quam pœnitèntia ductus ſimul dapes, & conſilia mutaret.

Cardinalis interim, cum ad curandum quiete corpus rediens ex tanta tempeſtate ſerenitas invitaret, nova conſilia, novaſque artes animo agitabat, quibus afflictam, ac plane convaleſcentem ex diuturno languore rempublicam de integro renovaret. Quo conatus Ejus, & ſtudia reſpicerent, referam iiſdem verbis, quibus ipſe voluntatem ſuam populo ſignificavit. Memorabat in primis divina illa ad Prophetam oracula: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes* (*b*). Eaque ſibi dicta interpretatus *omni ſe ope curaturum* pollicebatur, ut *convulſis vitiorum radicibus, Chriſtianarum virtutum ſemina in Eccleſia ſua nutriret, dejectiſque idolis, quæ ſibi fingere mortalium affectus ſolet, ſinceræ religionis munimenta perpetuum duratura excitaret. Quemadmodum vero egregius ille hebraicæ legis vindex, depulſo Jeroſolymis Antiocho Rege, primo Templum purgari juſſerat, ac polluta profanis ritibus altaria renovari: mox alios delegerat, qui ad Sacrorum cuſtodiam adverſus hoſtium inſidias excubarent; ita daturum ſe operam cum, ne hominum oculis indecori aliquid in Templis occurreret, tum ut homines ipſos, viva nimirum Divinitatis Templa, puriores, quam fieri poſſet, ab omni labe ſervaret.* Hæc erant initia Literarum, quibus ea, quæ in futurum meditabatur, expoſuit; perinde ac ſi

„ *ficum* vocamus. Octavo Beroldus antecedens Sab-
„ batum *de Carneval*i appellat; ex quo licet intel-
„ ligere illum veluti terminum cibis in Quadrage-
„ ſima vetitis eſſe conſtitutum. Ultimo MSS. om-
„ nia poſt Dominicam dictam *in Capite Quadrage-*
„ *ſimæ*, ſequentem *de Samaritana* nuncupant,
„ non autem primam, quam certe præextitiſſe ſup-
„ ponunt. Itaque videtur corruptela temporum,
„ hunc Quadrageſimæ diem intercepiſſe, qui Am-
„ broſianæ Eccleſiæ neceſſario videtur reſtituendus,
„ præſertim dicente Patrono Ambroſio: eum, qui
„ in Quadrageſima conſtitutum numerum una die
„ manducando præterit, non ut unius diei viola-
„ torem accuſari, ſed ut totius Quadrageſimæ tranſ-
„ greſſorem argui." Hactenus Galeſinius.

(*a*) Equidem non diſſimulem, peſſimum morem hac Dominica die abutendi pluribus ante Carolum Seculis inoleviſſe; præcipue ſi valeat ratio, quam affert Puricellus Capite XCVIII. Diſſertationis Nazarianæ, carnis uſum inferens ex Halleluia eo die cantari ſolito in publicis precibus. Nam cum plauſu carmen illud cani antiquitus conſueviſſe non inficiamur, ut ex multis documentis facile poſſet probari. Ceterum jam allatarum rationum pondus videtur ſuadere, non levius, ſed diutius a Mediolanenſibus hac in parte peccatum. Quamquam non ad ſolos Mediolanenſes ſpectat hæc noxa, cum doceant literæ Pontificii Legati apud Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem anno MDLXXXII. ad Borromeum datæ: tandem ejus Ducis religione, & opera abolitam Auguſtæ Taurinorum carnis ea Dominica die edendæ peſſimam conſuetudinem fuiſſe, in qua Taurinenſes gravius peccaſſe, utpote Romanis Ritibus addictos, certe fatendum eſt.

(*b*) Has Paſtorales Literas ad populum Mediolanenſem dedit poſtridie Calendas Februarii MDLXXVII. Tum enim ſibi videbatur veluti inire hujus Sedis adminiſtrationem, & animo ſperans aliam veluti futuram Urbem poſt tantæ calamitatis exitium, multo vigilantiorem ſe fore Antiſtitem pollicebatur, licet vigilantiæ ſuæ nihil amplius poſſet adjungi.

Digitized by Google

ſi immemor maximarum rerum, quas antea geſſerat, tunc primum Pontificatus officia, & paſtorales curas iniret.

Nec vero multum temporis inter promiſſa, & res ipſas interfuit. Templi maximi viſitatio, quæ prima omnium fuit, triumphi ſpeciem civibus præbuit. Omnium ordinum homines Baſilicæ limina, & vias inſederant, ut publicæ ſalubritatis auſpicia ex aſpectu Paſtoris amantiſſimi caperent. Ut vero prodeuntem compoſito inter majeſtatem, ac lætitiam vultu, infula tectum, ſplendentem utriuſque dignitatis inſignibus vidêre: tum implere omnia feſtivis acclamationibus, ac vix eundem præ gaudio credere, quem paulo ante obſoleto cultu tuguria pererrantem, lacrymiſque, & ſudore perfuſum aſpexerant. Certare mox alii laudibus, ac rerum ab Ipſo geſtarum memoriam recolentes domitorem mortis, liberatorem Urbis, Patriæ Parentem diverſis, nec tamen vanis nominibus appellare. Pontificali deinde Palatio, proximiſque Canonicorum ædibus luſtrali aqua, & ſolemni prece expiatis, pergebat eodem ritu purgare ſingulas Civium domos (*a*), dederatque in publicum monita, ut ex ſuo quiſque tecto impudica picturæ ludibria, infames turpi doctrina, ſive laſcivis fabulis libros, & ſi quæ alia cæleſtis gratiæ impedimenta eſſe poterant, amoveret. Verum ſalubriter deſtinatis obſtitere calumniæ, & obtrectationes, quæ fere ſemper in hac mortali vita innocentiæ præmia fuere. Suſpicioſi homines, & omnia Archiepiſcopi facta in deteriorem partem vertere aſſueti Gubernatoris aures confictis in fidei ſpeciem criminationibus fatigabant, ne inuſitatam Urbis viſitationem ulterius procedere pateretur. Quid enim aliud eſſe illa erga Carolum publicæ benevolentiæ teſtimonia, illa in Carolo ipſo conciliandæ multitudinis ſtudia, quam initia regni, & opportunitates ampliſſimas proferendæ ultra modum Eccleſiaſticæ poteſtatis? Nec difficile fuit jam pridem tacitas foventem iras Principem commoveri. Ita, quæ a ſtudio religionis incœperat, intermiſſa res eſt (*b*) concordiæ deſiderio, quæ tamen, uti aſſolet, turbatis ſemel animis diuturna eſſe non potuit.

CA-

(*a*) Cauſas conſilii hujus, progreſſiones, & infelicem exitum habemus ex literis ad Specianum hoc anno datis III. Calendas Junias: „ Non Romæ dumtaxat, ſed hic etiam ſuſpicio apud quoſdam invaluit: me hac ratione arrogare jus quoddam poſſeſſionis, dum omnes privatas ædes ſolemni ritu luſtrarem. Hunc ab iis errorem initio depellere ſtudui, docens hoc potius ad Sacrorum adminiſtrationem pertinere, atque, ut Canones docent, eſſe *Ordinis*, non *Juriſdictionis*. „ Equidem ego hoc ſolum agitabam animo, ut luſtrandi cæremoniam prius a meis, & Canonicorum ædibus auſpicarer; exinde ſingulas Urbis „ Parœcias obirem. Sed Paſtorales primum curæ, „ deinde invaleſcens in agro morbus, quo contendere feſtinabam, meum conſilium intercepere. „ Præcipue autem, ſic inſtante Ayamontio, ceteras „ obire domos ſuperſedi ad biduum; quo elapſo, „ cum nihil ille reponeret, putavi reſediſſe concitatos in me fluctus; ſed aliquam adhuc tempeſtatem timens Parochis imperavi, ut cœptam a me „ luſtrationem ipſi poſt celebratum Paſcha perſequerentur. Neque ad hanc diem a ſacro hoc Ritu „ ſive in Urbe, ſive in agro ceſſatum eſt. Quod ad „ reliquos ſpectat, non ſolum ullum extat populatis offenſionis indicium; ſed tanto in hunc Ritum feruntur ſtudio univerſi, ut cum per literas „ monuerim, impertiendum hoc benedictionis beneficium juxta poſtulantium ordinem: quadam „ veluti concertatione omnes ad depoſcendum ſibi „ id honoris aſpirent, & fortaſſe limites moderationis excedant; cum inuſitatâ pompâ exterior „ ædium facies ornetur a pluribus, & Symphoniaci „ etiam homines advocentur. Quare novo edicto „ mihi opus fuit, ut ſacrum hunc luxum moderarer &c.

(*b*) Quomodo, & qua de cauſa hæc intermiſſa res ſit, nuper jam docuit Carolus in mox relata Epiſtola. Ceterum ne quid imprudentiæ vitio ſibi verti poſſet, jam menſe Februario Ayamontium per Epiſtolam ſuam præmonuerat in hæc verba: „ Sacer „ hic Ritus domos luſtrandi ab ipſis uſque naſcentis Eccleſiæ initiis protectus, ac ſemper retentus, „ licet aliquantulum injuria temporum in hac Italiæ „ præſertim parte Sacerdotum fortaſſe vitio intermiſſus, non omnino videtur his temporibus negligendus, aut nihili æſtimandus; cum ex iis maxime Ritibus ſit, quos pertinacius hujus ætatis „ Hæretici, atque Catholici dogmatis hoſtes oppugnant. Qua de cauſa, ut ſacram hanc Cæremoniam in populi oculis efficacius defigam, neque „ ulla in ea deſiderari majeſtas poſſit: ſætius duxi „ præſentia mea, & Pontificali pompa illam auſpicari, licet Parochorum peculiare munus videatur &c.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Supplicabundus Urbem obit: consecratum Christi Sanguine Clavum Ipse circumfert; & quotannis tantæ calamitatis memoriam hujusmodi supplicatione renovari jubet.

1577. INitia certaminum, & glisccntes in occulto dissidiorum causas exorta de integro lues inexpectato terrore repressit. Vilissima avaritiæ mancipia, famuli, aliique mercede conducti, ut lintea, & infectas maligna tabe lodices abluerent, multum ex ea supellectile furtim subduxerant, quæ nondum depositio viru a raptoribus ipsis in domesticos usus adhibita, sive aliis divendita pristinas clades renovabat. Neque cessabant Magistratus dira supplicia, & capitales pœnas iis indicere, quos tanti criminis conscios invenirent. Sed turpis lucri cupiditas adeo multorum animos obcæcaverat; ut neque Judicum minas, neque latentem in iis ipsis, quæ furabantur, suam, & familiæ perniciem timerent. Tunc enimvero Carolus extremis remediis utendum ratus, horrendum anathematis carmen in eos pronunciat, qui Patriæ salutem infra sordidæ supellectilis pretium ponerent, cum ea insuper conditione, ne quis eorum ulla alia, quam Archiepiscopi auctoritate posset absolvi. Is additus terror impios fures maxime perculit; quippe cum inter utrumque Tribunal deprehensi inde capitis discrimen, hinc æternæ vitæ periculum instare viderent.

Sed novo interim edicto sublata in publicum egrediendi facultas erat: ægre ferente jam Populo versas in carcerem domos, & solitudinem in medio multitudinis factam. Dies aderat, quo prænunciandis Redemptionis humanæ mysteriis cælestis ad Deiparam missa legatio anniversaria celebritate recolitur. Non pœnarum metus, non edicti reverentia apud homines valuit, ut Sacratissimæ diei solemnia privatis penetralibus inclusi transigerent. Quod in tot Civium millibus mirum videri potuit, nulla conspiratione inter se inita, occulto quodam instinctu ex domestico limine erumpunt, tamquam securitatis fidem suus cuique spiritus faceret. Tetendere primum, quo ampliſſima Indulgentiæ dona invitabant in perpetuum concessa Mediolanensibus, qui Templum maximum, aut majoris Xenodochii sacellum alternis annis eo die visitarent (*a*). Capti deinde dulcedine libertatis alia præcipuæ Sanctitatis Templa pervagantur, neque consanguineorum, aut amicorum ædibus abstinent; tanta vis religionis, & impunitatis fiducia erat. Sane Gubernator, cum ex tot hominum congressu nihil triste accidisset, Divinum hunc esse favorem interpretatus, neque edicti injuriam ulciſci ausus est, neque ultro Archiepiscopi precibus obsistendum putavit, quominus imminente Paschatis die edictum ipsum penitus abrogaret (*b*).

Li-

(*a*) Celebritas hæc eo tempore ritu alio ab hodierno instituebatur. Etenim, in Scalensi Templo coacto primum Clero, & populo, indicebatur supplicatio vel ad Basilicam Maximam, vel ad Xenodochii Majoris Sacellum. Verum cum præ illius Templi angustiis servari Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & Magistratuum ordo non posset juxta leges antea latas: postmodum anno MDLXXXII. hunc morem Borromeus antiquavit sanciens, ut quæcumque supplicantium Civium celebritas a Templo Maximo initium duceret.

(*b*) Datum tamen aliquid fuit etiam suspicionibus erupturi fortasse morbi, ut scribit Centorius de Hortensiis in sape relatis Collectaneis. Nam cum quinto Calendas Aprilis egredi ex tectis Civibus ex edicto liberum esset; ted populi intermixti commercium vergere in Urbis detrimentum posset: prudentiæ suæ esse duxerunt Magistratus, ut nova lege lata postridie Calendas Aprilis caveretur hæc plebis promiscue confluentis frequentia. Ut itaque libertati, & periculo Civium consuleretur, edictum est, ut puberes ad certas Ecclesias extra veteres Urbis muros, tamen solum pro Paschalibus Sacris obeundis, itarent. Designata illis in Portæ Orientalis regione Sancti Dionysii Ædes: in Romana Sanctæ Mariæ Pacis: pro Ticinensi Sancti Eustorgii: pro Vercellensi Sanctæ Mariæ Gratiarum: pro Comensi Sancti Marci: pro incolis ad Portam Novam Templum Sanctæ Mariæ Angelorum ad eamdem Portam. Addita insuper lex est, ut nonnisi Matutinis Horis illuc ire fas esset, & Sacris peractis domum rediretur. Nova deinde concessa egrediendi facultas est ad Calendas Majas, qua adhuc investes pueri excipiebantur. Ultimo ad Idus item Majas istis etiam permissum est domo egredi ambulationis, & animi causa; hac tamen conditione adjecta, ut ad XV. horam se domum reciperent.

Digitized by Google

Liberata jam ferme Urbe, ac renascente sacrarum rerum majestate, initium habuit supplicatio, qua nihil hodie magnificentius in Ambrosiana Ecclesia celebrari consuevit. Alterum ex Clavis, qui humani generis Redemptorem Cruci affixerunt, cum pestilentiæ terror proxime instaret, quemadmodum antea diximus, Cardinalis Populo ostenderat, ex quo facilius homines intelligerent, quanti stetisset animæ salus, quæ sæpe nullius momenti lucro, seu voluptate prodigitur. Sed ante hoc tempus æstimabilior auro, gemmisque thesaurus ita latuerat, pene ut divitias suas plerique Mediolanensium ignorarent (*a*). Nimirum pretiosissima quæque diuturna possessione obsolescunt: ac bona sua exteris invidentes, non raro ea, quæ in manibus sunt, sine cura, & honore transmittimus. Id probrum Carolus Civitati demere aggressus, novi operis machinam elaborari jusserat, quæ splendidæ nubis speciem, & circa eam Cælestes genios eleganter ludentes præseferret. Inclusum in ea Divinæ mortis monumentum technis, funibusque apte compositis ex summa Templi testudine, in qua jamdudum asservabatur, ad ima demissum in Ara maxima exposuit. Inde inita per Urbem supplicatio (*b*) est, non ea, quæ, ut sæpe fit, lascivo luxu, & muliebris pompæ certamine oculorum licentiam pasceret, sed quæ in ipsa triumphi celebritate suum religioni, & modestiæ locum relinqueret. Tenebat animos recens memoria præteritæ calamitatis, & super omnia magnum pietatis incitamentum erat Archiepiscopus ipse lacrymabundis oculis in eum, quem ferebat, Clavum intentus, tamquam ex eo fluentes adhuc Divini sanguinis rivos aspiceret. Proximi Archiepiscopo ibant Gubernator, Senatus, & cetera cohors primariæ nobilitatis: sequebatur innumera populi multitudo, quantam, exhausta tot funeribus Civitate, adhuc superesse vix cives ipsi crederent. Biduum in Ara sacrum pignus relinqui placuit, quod temporis spatium Cardinalis ante Aram ipsam orando, concionandoque continuo jejunus absumpsit (*c*). Mox ut perpetua liberatæ Urbis memoria esset, inter Ambrosianæ Ecclesiæ ritus referri voluit, ut quinto nonas Maji, quo die inventæ Domi-

(*a*) Ex hoc tempore usurpatum quotannis Civium oculis Sacratissimum hoc Redemptionis nostræ pignus fuit; sed vigesimus quintus tum annus numerabatur, ex quo Civium venerationi propositum non fuerat, teste Antonio Seneca.

(*b*) Ad hanc magnificentissimam supplicationem octoginta millia superstitum Civium convenisse scribuntur, & ad illam opportunum visum est Sancti Sepulcri Templum antiquitate ipsa & origine venerandum. Conditor hujus fuit anno ab Orbe redempto trigesimoprimo supra millesimum Benedictus, qui & Rocio nuncupabatur, redux ab Jerosolymitana expeditione, in qua sub Gothofredo Bullionio stipendia una cum septem millibus Insubrum meruerat. Dedicatum illud est in honorem Sanctissimæ Trinitatis, & in eorum locorum memoriam, quæ Christus Dominus vita, & morte sua consecravit, ut scripsit Tristanus Calchus Libro VI. Historiæ Mediolanensis. In ejusdem Subterranea Æde Carolus meditabatur vigintiquatuor Sacella extruere, in quibus opere plastico Dominicæ Passionis Mysteria referrentur, ut ad Specianum scripsit. Quare in hac supplicatione collatum multum æris fuit, ex quo, mutato deinde consilio, gemina dumtaxat in Æde superiore Mysteria effingi jussit, quorum uno Christi in horto Oratio, altero postrema Paschalis Cœna exprimebatur. Oblatorum Sacerdotum, quibus demandata deinde a Borromeo Templi cura fuit, religio alia duo adjunxit, quibus Christus ad Pontificem ductus, & trunco suspensus exhibebatur, ut ex tabulis apotheosis constat. Sed initio hujus Seculi primum atque postremum ex quatuor hisce Sacellis dicata Carolo ipsi Oblatorum Patri, & Philippo Nerio Patrono fuere.

(*c*) Quam laboriosa & gravis hæc Carolo fuerit in Templo mora, difficile assequemur, nisi recolamus Eum quadraginta horarum spatio (totidem enim expositus in Ara fuit Sacer Clavus) quadragies Sermonem ad populum habuisse sacra eruditione refertum, &, quod caput est, ad permovendos animos apprime accommodatum. Scripsere nonnulli, ad populi religionem excitandam valuisse non minus præsentiam Borromei ea occasione semper jejuni, quam ipsam orationem. Quo autem tempore ad Odei testudinem sensim elevabatur pensilis machina, Ille semper oculis in Sacrum illud amoris pignus intentis, genibusque in suggesto flexis, non prius concionando destitit, quam ex oculis illud evanuit. Orationem autem suam apte verbis illis Jacob, *Non dimittam Te nisi benedixeris mihi*, concluſit; atque adeo auditorum animis infixit, ut Comes Georgius Trivultius affirmarit in Tabulis anno MDCII., nunquam suo ex animo excidisse ea verba, tanto ardore a Borromeo prolata, ut ex eo tempore in eam usque diem semper cubitum iturus repetiverit. Certe preces illæ Caroli ad Superos fusæ Dei Omnipotentis aversam a Mediolanensibus voluntatem creditæ sunt expugnasse. Hoc demum tempore geminas Sacri Clavi imagines ejusdem contactu prius consecravit; mox dono misit Hispaniarum Regi alteram, alteram Annæ Ayamontiæ; quare Rex eucharistica epistola luculentas deinde Borromeo gratias egit.

Digitized by Google

minicæ Crucis commemoratio recurrit, eadem ſupplicatio Mediolani eadem pompa celebraretur (*a*).

CAPUT XIII.

Novo Indulgentiæ Pontificiæ impetrato dono funeſtatum populum expiat: Urbem voti ream primo Templi lapide poſito religione exſolvit: Funebria peſtilenti anno Defunctis indicit: & raptim ad Helvetiorum turbas comprimendas convolat.

1577. CUm publicæ ſaluti nunquam ſatis proviſum Carolus exiſtimaret, Jubilæum aliud ad delendas, ſi quæ in animis, corporibuſque remanerent, morborum reliquias, impetravit. Id Pontificium munus antequam per ſolemnia pietatis officia Populo impertiret (*b*), triſte nuncium accepit peſtilentiam in Cænomanos, & principem Gentis Urbem fœde ſævire. Eo, ut par erat, nuncio commotus, gravius inſuper angebatur, quod ſimul allatum erat, Epiſcopum, nonnullis familiarium amiſſis, timore perculſum fuga ſibi conſuluiſſe (*c*). Quod ſi callidis Epiſcopi ipſius conſiliis prohibitus non eſſet (*d*), protinus ire, ac ferre ſuppetias laboranti Provinciæ deſtinaverat

(*a*) Non prætereundum eſt hoc loco primis ab hac calamitate annis celebrem hanc ſupplicationem, VI. Nonas Majas peragi conſueviſſe. Hanc enim diem deſtinatam Carolus ſcribit ad Alciatum Cardinalem poſtridie Calendas Aprilis Anni MDLXXIX.: „ Cum Inventionis Sanctæ Crucis memoria recoli„ tur, ſolemnis etiam in mea Eccleſia celebritas „ agitur, cui cauſam & initium peſtilentiæ morbus „ dedit. Etenim poſtridie Calendas Majas in Vigi„ liis Inventionis ante Veſperas ad Sancti Sepulcri „ Ædem, ſupplicabundo deducente Clero, Sacratus „ Clavus inſigni pompa defertur: deinde in Templo „ Maximo collocatur, ubi totam ſubſequentem diem „ advenientium religioni colendus proponitur. Hac „ die exeunte, quadraginta horarum ſtatio celebra„ tur; quibus elapſis, & nova indicta ſupplicatione, „ illud ſalutis noſtræ pignus Templi teſtudini ſplen„ dide redditur". Neque omittam, datis per Diœceſim Paſtoralibus literis Carolum quotannis, quoad vixit, agreſtis populi pietatem excitaſſe, ut frequentior ad tantam celebritatem confluereret.

(*b*) Quintili menſe hæc peracta reperio, quo tempore liber cunctis ad Templa aditus patebat. Semper ſui Borromeus ſimilis fuit; neque enim celebritas huic ſupplicationi, neque concionanti efficacia atque ardor defuit. Tanto majore Civium religione itum ad Templa eſt, quo propius metum res fuerat.

(*c*) Non videtur huic Epiſcopo juſta detrahenda laus, qui trimeſtri ſpatio Urbi afflictæ præſens fuit, antequam ſuo Cives præſidio nudaret. Cum enim Majo menſe Brixiam invaſiſſet peſtilentia, nonniſi ad XI. Calendas Septembris de ejus fuga conqueritur Borromeus in hæc verba: „ Jamdiu nullum ad „ me ex Cænomanis de rerum ſuarum ſtatu nun„ cium affertur. Quod quidem ſilentium me an„ xium tenet; quamquam vehementius commovit „ rumor aliunde afflans Urbem iſtam animarum æque „ ac corporum remediis eſſe deſtitutam: quod de„ trimentum ex fuga tua præcipue ortum intelligo, „ quæ dolorem meum maxime oneravit. Siquidem „ hæc præſertim cogitatio animum fodit meum, in„ tuentis ejus populi calamitates Paſtoris abſentia „ certe cumulari. Licet vero pietas tua faciat, ut „ credam, abfuturum Te dumtaxat ad breve tempo„ ris intervallum; atque hoc conſilio ſciam provi„ ſum tuæ ipſius incolumitati, quandoquidem in „ Ædes tuas morbus invaſerat, tibique videbaris „ fruſtra adeſſe, cum ultro citroque commeare non „ poſſes: nihilo tamen ſecius non video, cur me„ lius ſubveniri Urbi etiam non poſſet, te domi „ tuæ deliteſcente, unde ex propinquo alios ſin „ manu, conſilio ſaltem facile poſſes ſublevare. „ Quare mœrorem meum abſtergas obſecro: fac ci„ tius accipiam reditus tui nuncium. Redi ad „ vetus inſtitutum, & mores tuos; nec tute tibi „ ipſi laudem intercipe, quam hactenus pietate tua „ in ægrotos collegeras; neque enim remittendus „ eſt animus, quem acerbioris calamitatis neceſſi„ tas acrius debet inflammare &c.

(*d*) Quo terrore Borromei conatus repreſſus fuerit accipe ex Ejuſdem reſponſo, qui Creſcentiaci degens hæc reſcribit VII. Idus Quintiles: „ Tuas „ accepi literas, quibus lectis, cogitationem omnem „ Brixiæ inviſendæ depoſui. Cur enim iſthuc feſti„ nem opem allaturus, ſi præſentia mea, quæ pro„ futura huic populo putabatur, obeſſe demum de„ beat, & turbas inter Brixienſes excitare, ut ſcri„ bis? Tamen in ea adhuc ſum opinione, iter hoc „ meum, quod ſuſcepturus eram, ad Paſtorale, quo „ fungor, munus pertinere. Archiepiſcopi enim præ„ ſentiam poſtulare hæc Urbs videtur, quæ facile „ maximum eſt Provinciæ meæ ornamentum; tum „ etiam id exigebat amor tui meus, tibi tot nomi„ nibus obſtrictus, ſed præſertim Paſtoralis officii „ vinculo, quo uterque noſtrum mutuo conjungi„ mur. Itaque iſtæ me rationes compulere, ut ni„ hili facerem *carnis prudentiam*, & humana nimium „ quorumdam conſilia, quæ hiſce miſeris temporibus „ pietatem obruunt, aut certe reprimunt. Atque „ utinam his artibus Dæmon non uteretur ad cari„ tatis ardorem imminuendum! quod tu etiam do„ lens ſcribis, qui intueris, inutiles ad valetudinem „ tuendam curas exardeſcere: frigere interim ſtudia „ religionis. Inanis hujuſmodi ſumpta a *Mundi ſa„ pientibus* cogitatio mihi etiam menſes aliquot mo„ leſtiæ fuit, cum impedita legibus domi Civium „ meorum pietas torqueret; licet poſtremo univerſi „ probè intellexerint, ſolicitudinem hanc recidere „ dumtaxat in animorum ſimul & corporum detri„ mentum. Quare meliora deinde inita conſilia ſunt;

„ &

rat (*a*). Haud tamen abſtinuit, quin deſertorem gregis per literas ſevere corriperet, ac reſumere illico Paſtorales curas juberet. Addebat mandatis conſilia, & documenta, quæ tali tempore maxime utilia eſſe diuturnis experimentis didicerat, miſſo etiam inſigni viro ex Ordine Capuccinorum, qui in regenda ægrotantium multitudine admirabilis ſane fortitudinis, & patientiæ Mediolani ſpecimen dederat.

Inſtabat interim dies, quo votiva dona Sancto Sebaſtiano offerri oportebat, prout Urbis Decuriones publicam fidem obligaverant. Hæc oblatio ut acceptior Deo fieret, opportuna occaſio Cardinali viſa eſt promulgandæ Indulgentiæ, quam Vicaria Chriſti poteſtas ad Ejus preces conceſſerat. Triduano jejunio expleto, & repetita, ut mos eſt, viſitatione Templorum (*b*), peractis denique omnibus, quæ præſcripta Pontificis literis erant, itum ad Martyris Ædem, pecuniæque munificentia Magiſtratuum, & liberalitate Civium large collatæ, queis dignior alia tanto Cive, ac Patrono Ædes quam primum aſſurgeret. Idibus Octobris ejuſdem anni acta res eſt, die trigeſimo ſeptimo poſtquam Carolus ipſe primum lapidem Templi, quod hodie inter Urbis pulcherrima viſitur, in fundamenta demiſerat.

Subiit deinde memoria Animarum, quæ anteacto peſtilentiæ tempore ex hac mortali vita in ſpem beatæ immortalitatis exceſſerant. Summa Patris vere amantiſſimi cura erat, ut ereptæ flammis, ac citius perſoluto quidquid Divinæ juſtitiæ deberent, ad Cæleſtis Patriæ delicias evolarent. Sacerdotes in Templum Maximum edicto vocati mortuali prece, & oblatione Hoſtiarum parentavere Civibus morte ſublatis, datæque literæ ad agreſtis Eccleſiæ Præfectos, ut, aſſumpta in ſocietatem officii multitudine, popularibus quiſque ſuis inferias darent.

Sed neque diu immorari quietis hiſce religionis officiis integrum Carolo fuit. Apud Helveticas Valles, quæ Mediolanenſi Archiepiſcopo parent, turbari reſpublica cœperat; & niſi confeſtim orientibus malis occurreret, triſtiora timebantur. Itaque diu, noctuque iter agens viginti quatuor horarum ſpatio centum fere milliaria emenſus, Biaſcam ad ipſas Vallium fauces pervenit. Tanta in iis Alpium confiniis acerbitas hyemis erat, ut cum montis vertice Belitionem deſcenderet, & lubrica nive fallente veſtigium, nec Ipſe, nec vero jumenta ipſa conſiſterent, demiſſo in terram corpore reptare cogeretur, attritiſque glacie manibus, viam cruore ſignaret (*c*). Celeritatis ejus, & patientiæ præmia fuere ſe-

„ & reſtituta Supplicationum, Concionum, Sacrorum-
„ que frequentia, permiſſa etiam populi coitione, nul-
„ lum unquam morbi periculum fuit. Cavendum di-
„ ligenter eſt (quod Deus unice abſtineat malum),
„ ne averſa a Superis, atque humanis in rebus col-
„ locata fiducia, nos ipſi tanto, quo conflagramus
„ incendio, faces addamus &c. " Hæc objicit Borromeus veriſſima damna; nam ejus anni appetente ætate, cum morbi quidam privatis in Ædibus invaleſcerent, qui tamen nullam peſtilentiæ ſpeciem præferebant, reſponſum a medicis fuerat: morbos eos videri ex nimia domi ſedentium otioſe Civium quiete profectos, ut narrat Centorius de Hortenſiis.

(*a*) Statim ac in deterius converſam Brixiæ conditionem accepit Carolus, Epiſcopo ſcripſit die XVIII. Maji. „ Nova itemque graviora mihi afferuntur de
„ Urbis iſtius ſtatu. Invaleſcens iſthic morbus quam-
„ dam mihi veluti impatientiam inurit, & ſtimulum
„ addit, ut feſtinato itinere ad Brixienſes meos di-
„ vertam, cujus quidem conſilii mei plurimæ ſunt
„ cauſæ. Quandoquidem vero ſatis tuta Mediolani
„ videntur omnia: videbor nullam poſſe ad peſti-
„ lentem locum peſtilentiæ ſuſpicionem afferre, ſi me-
„ diam ſaltem unius diei partem iſthic vobiſcum agam.
„ Certius itaque ex te in dies expectabo reſponſum &c.

(*b*) Corrogata in tribus ſupplicationibus ingens fuit pecuniæ ſumma. Propoſuerat enim Cardinalis in literis tria poſt peſtilentiam perficienda, quibus pecunia opus eſſet. Primo Sancti Sepulcri Sacella funditus excitanda, quibus Chriſti Paſſionis memoria altius animis infigeretur: Secundo reficiendam Sancti Laurentii Ædem, quæ vetuſtate fatiſcens collapſa fuerat IV. Idus Junii MDLXXIII.: Ultimo extruendam Hoſpitalem pro mendicis domum, in qua colligendæ erant diſperſæ inopum reliquiæ. Et quoniam ſermo de Sancti Laurentii Baſilica incidit, commemorandum eſt opportune Caroli eo tempore vaticinium. Cum enim Ille Orationem de eo Templo reſtituendo ad populum haberet, auditores ſuos excitavit hac ſententia: *Fore aliquando tempus, ut locus ille prodigiis celeberrimus haberetur*. Neque eventu vaticinium caruit; cum a Borromei obitu citius diſſeminata fuerit fama miraculorum, quæ ad Deiparæ Imaginem non procul inde pictam patrabantur. Qua de re cum infiniti ad eam populi concurſus fierent, brevi excitatum Templum ad eam, quæ hodie viſitur, magnificentiam fuit perductum.

(*c*) Vix ad ſe datis ſummo mane literis, quibus de

Digitized by Google

ſeditionum finis, & fluctuanti reipublicæ paucis diebus reſtituta tranquillitas. Lethales morbi, qui in eos quoque montes evaſerant, in cauſa fuere, cur aliquanto ſerius inde diſcederet (*a*). Reus ſibi indecoræ in Epiſcopo negligentiæ videbatur, ſi opportunam adeo exercendæ caritatis occaſionem elabi e manibus ſineret. Laborum omnium, periculorumque contemptor adiit pendentes e rupibus pagos, quotquot egenos auxilii eſſe cognoverat: mortem, quam toties in Urbe vitaverat, inter ſpecus, & nemora ſubiturus; niſi divina beneficentia ſtatutum eſſet, ut Ambroſiana res in eam, qua hodie fruimur, majeſtatem, & gloriam perveniret.

CAPUT XIV.

Sedata in Urbe & agro peſtilentia, Liberatori Deo diligenter gratias agit.

1578. POſt eos, de quibus hactenus dictum eſt, pro publica ſalute labores, poſt tot inita vitæ diſcrimina, tot effuſas opes, tot ſuſceptas in agreſtia loca expeditiones, reddita tandem aëris ſalubritate (*b*), illa jam Carolo reſtabat cura, ut ſupremo bonorum omnium Auctori gratiæ agerentur. Id maxime fieri volebat ſanctitate morum, & innocentiæ cultu, qua nulla Deo acceptior gratia reddi poteſt. Neque ego complecti omnia velim, quæ præparandis ad melioris vitæ inſtituta hominum animis excogitavit, ſermones in Templis habitos, expoſitas Sanctorum reliquias, productas ab ortu ſolis in noctem ſupplicationes, toties ſcilicet noſtris literis repetita teſtimonia Pontificiæ ſolicitudinis (*c*). Sed cum iſta publicæ religionis ſpectacula modica plerumque utilitate præterearent, ſimulque videri, ac prodeſſe deſinant: agere ſcriptis inſtituit, quæ tradita in manus, atque ob oculos poſita lenta meditatione in hominum mentes altius deſcenderent. Extat in Actis Mediolanenſis Eccle-

---

de repentina Lepontii Cleri ſeditione monebatur, illuc ſtatim iter indixit. Continenti itinere nullum ad hoſpitium deflexit. Quare ante ſequentis diei lucem cum Biaſcam perveniſſet in Vallium illarum umbilico ſitam, & ocyus ære campano adventus ſui ſignum dari juſſiſſet, pene citius repreſſa ſeditio eſt, quam Carolus ſe in alpigenarum illorum conſpectum daret. Narrat Ambroſius Fornerius expeditionis illius comes, Borromeum, cum noctu ad Montem Cinerum in Helvetiis Ciſalpinis perveniſſet, videretque gelu lubricum callem (ſi tamen aliquis oculorum uſus in iis tenebris erat), mutuatum eſſe ex ipſa glacie præſidium celeritatis. Nam ad viæ caput ſedens, præceps repentino deſcenſu ad montis ima defluxit, manus interim in aſpera ſaxa crebro impingens, eaſque multis vulneribus exarans, quibus deinde medicamentum appoſuit idem Fornerius candelæ ſevum illinens. Eluxit deinde etiam in ſeditioſos Sacerdotes Borromei benevolentia; poſtquam, rebus compoſitis, octoginta ex illis convivio ſplendido dignatus eſt.

(*a*) Hoc tempore, cum Faidi in Helvetiorum Oppido verſaretur (ut narrat idem Fornerius), certior factus, Proceres aliquot Vallis illius coacto concilio plura contra Cleri libertatem ſanxiſſe: ſtatuerat omnes in eo cœtu congregatos ab Eccleſiæ communione ſejungere. Fruſtra iiſdem Sacerdotibus, pro quibus ſtabat, deprecantibus, Pontificalem Cathedram inferri ad Eccleſiæ veſtibulum juſſerat dirum carmen pronunciaturus. Sed re audita, & Borromei conſtantia perculſi Proceres illi ocyus ad Eccleſiæ fores venere, quos procidentes in genua, & præſidium Eccleſiæ pollicentes anathematis metu, quod pronunciaturus erat, peramanter liberavit.

(*b*) Redditum cum finitimis commercium Mediolanenſi Civitati fuit die XX. ineuntis anni MDLXXVIII.; & licet plures huic Edicto adverſarentur, conceſſum tamen id Caroli precibus fuit, qui libertatem hanc populi veluti obſidem fore publicæ valetudinis ſpondebat, quam divinitus impetrare ſuis precibus poterat. Immenſa hoc die fuit popularis lætitiæ ſignificatio; lego enim micuiſſe tædis accenſis & funalibus Civium omnium ædes appetente nocte, datumque ex Sacris Turribus ſignum redditæ velut ſalutis, atque ex Arce increpuiſſe tormenta bellica ad noſtræ Urbis gaudium conterminis Regionibus denunciandum.

(*c*) Excitatum prius per libellum & Paſtorales literas populum, nobiliſſima propoſita ſupplicationum pompa, vehementius ad gratias Deo agendas ultimò inflammavit. Ter ſupplicabundus Urbem obivit, & poſtremo Tutelarium Urbis Beatorum opem imploraturus circumferri, deducente cujuſcumque ordinis Clero, & populo, Sanctorum Lypſana voluit. Ipſe Pontificali ornatu inſignis arculam, in qua pretioſiſſima ſacra pignora erant incluſa, efferre ingenti labore voluit, & ſtatis precibus ad certa loca conſiſtens omnia Urbis primaria compita luſtravit. Totam diem hæc ſupplicatio tenuit, in qua tanti ad Eum populi concurſus facti, qui Ipſum contingere religioſo quodam ſtudio certabat, ut Hieronymus Caſtanus Ejus lateri ſemper hærens ſcripſerit, parum abfuiſſe, quin ambo concurſantium multitudine obtererentur. Nihilo tamen ſecius Templum Maximum ingreſſus mox totum, quantumcumque eſt, obivit præferens manibus Sanctiſſimum Chriſti Corpus; quod cum in Ara Maxima deinde repoſuiſſet, quadraginta horarum ſtationem indixit, quas, ſermone in ſingulas interpoſito, conſtanter vel in Suggeſto, vel ante Aram procumbens ſemper jejunus traduxit. Opportune etiam typis ediderat precum libellum in Templo a populo legendum, & in rem præſentem accommodatum. Exclamare ſane hic libet: *O virum ineffabilem nec labore victum, nec morte vincendum!*

Digitized by Google

eleſiæ liber, qui Memorialis inſcribitur, plenum Divinæ eruditionis opus, in quo alibi agendarum Deo gratiarum rationes, & argumenta deſcribit, alibi atroces caſus, & fœda exempla miſeriarum nuperrime viſa commemorat, ut ex præteritæ calamitatis recordatione præſentis beneficii magnitudo clarius eluceſcat. Eoſdem grati animi ſenſus omnibus Provinciæ Epiſcopis per epiſtolas communicare conatus eſt, quibus acceptis Nicolaus Sfondratus Cremonenſium Antiſtes Mediolanum venit [a], atque in Templo Maximo concionatus ejus plane ſapientiæ ſpecimen dedit, qua paulo poſt univerſæ Eccleſiæ Pontificatum obtinuit. Ceterum ab eorum temporum prudentiſſimis pro certo habitum eſt, longe fœdiorem futuram fuiſſe Mediolanenſium cladem, niſi morti per tabificos halitus, & rerum omnium inopiam ſævienti totidem petitis ex providentia, & liberalitate remediis Carolus obſtitiſſet [b]. Cum enim labente Sfortiarum dominatu, præter agreſtium ſtragem quinquaginta millia hominum peſtilentia in urbe conſumpſiſſet, nunc æſtimato in univerſum Civitatis, & Provinciæ damno compertum eſt, & mortuorum multitudinem dimidio minorem [c] eo numero fuiſſe [d].

LIBRI QUARTI FINIS.

DE

(a) Venit Mediolanum hic amantiſſimus Caroli Antiſtes, vixdum accepto liberatæ Civitatis nuncio: atque ejus hoſpitii cauſa effectum eſt, ut ad ignem aliquantulum Borromeus accederet. Narrat hoc in ſcripto teſtimonio ſuo huc miſſo anno MDCLI. Joannes Fontana tum Ferrarienſis Epiſcopus, qui dicit novum familiaribus id accidiſſe, ut hoc commodo frueretur Carolus, cum jam biennio ante camino abſtinuiſſet, & ſtrenuam adeo ſibi indixiſſet frigoris patientiam, ut Diœceſim luſtrans tabidas, & hiantes pluribus in locis manus obviorum oculis offerret.

(b) Vaticinium hoc Cardinalis Alciati fuit Roma ſcribentis, hanc Romanorum eſſe unicam ſpem, eamque certam, fore, ut Caroli precibus ab hac Urbe tantum mali depelleretur. Imo Carolus ipſe Orationem ad populum habens affirmavit, Divino plane miraculo ſervatam ab internecione hanc Patriam, licet hujus prodigii cauſam non expreſſerit, quæ uni Ipſi certe erat tribuenda. Ceterum demiſſe adeo Borromeus de ſe ipſo ſenſit, ut cum ſua cauſa ſanatam hanc Urbem fama ubique teſtaretur, unus Ipſe tanti beneficii originem ſe eſſe ignoraverit, qui certiſſime fuit. Etenim placet apponere, quæ Idem reſcripſerit pridie Idus Decembris MDLXXVII. Annæ Ajamontii Uxori tantum beneficium Borromeo acceptum referenti: „ Nihil minus veri ſimile videtur, „ quam quod ipſa ſcribis: meis nimirum precibus „ a Deo Opt. Max. impetratum, ut melius tandem „ de afflicta hac Urbe ſperare liceret. Quamquam „ non inficias eo, me, Paſtorali munere urgente, „ conatum eſſe aliquando, ne omnino inutilis Ci„ vibus opera mea videretur. Hæc ſemper me ſu„ ſtentavit fiducia, & adhuc ſuſtentat fore, ut pre„ cibus primum tuis, deinde piorum hominum votis „ complurium hic & alibi per Tutelares Urbis Su„ peros Deo oblatis Divina Clementia indulgeret, „ & cervicibus noſtris imminens flagellum exorata „ tandem mitiſſime deponeret &c.

(c) Amanter adeo nobiſcum in tanta calamitate egerunt Superi, ut natorum numerus hoc tempore non modo mortuorum ſummam æquaverit, verum etiam exceſſerit; Ambroſius enim Fornerius ad id muneris a S. Cardinali deſignatus, ut exactam nomenclaturam morientium æque, ac naſcentium deſcriberet, juratus teſtatur, funeſtatam Civitatem vicies mille civium interitu, ſed tantum damnum vigintiquinque millium infantium nativitate abunde reparatum.

(d) Poſtulat hic locus, ut omiſſa triſti hac narratione, ad alia complura advertamus animum, quibus Carolus hoc anno vacavit; neque enim conſilia ſua, & capaciſſimam mentem una ægrorum cura abſorbuit. Cum itaque videret ſibi ademptam propter peſtilentiam poteſtatem, ut libere adminiſtris ſuis uteretur, Jo. Fontanam ære ſuo Romæ aluit, ut interim, adhibito in conſilium Cardinali Sirleto, Bibliothecæ Vaticanæ MSS. evolvens Hiſtoricam Mediolanenſium Archiepiſcoporum Seriem concinnaret. Cum vero menſe Auguſto huc ille redire moliretur; ſed nollet propter morbi ſuſpicionem Urbem ingredi: per literas ad Specianum datas eum monuit, ut cito huc feſtinaret, atque ad ſuburbana loca, quæ magis arriſiſſent, conſiſteret, ubi eum negotioſum habere poſſet; namque ex Urbe plura demandaturus erat, quibus operam adjungeret, cum nunquam alere otioſum ſtipendio ſuo paſſurus eſſet. Carolus interim ſtrenue Orationes ad populum habendas lucubrare inſtitit; cumque nullus Sacer Orator Quadrageſimæ tempore propter communis calamitatis periculum ſuppeteret, ſcripſit Speciano „ deſi„ deratam quidem Oratoris jam deſignati vocem fuiſ„ ſe, non tamen defuiſſe Orationem populo, cum „ Ipſe utcumque Concionantis vices ſupplevíſſet. “ Aprili menſe Sancti Stephani Baſilicam novo Canonicorum Collegio auxit, quos ex Aureoli Ponte in Urbem tranſtulit. De hoc agemus, Libro ſeq. Giuſſiani methodum, non rei veritatem ſecuti. Plura interim meditabatur pro Hoſpitali Convaleſcentium domo extruenda, excitando Capuccinarum Virginum Aſceterio, & Parthenone inopum Orphanarum, de Abbiato-Craſſo novis titulis Sacerdotalibus ornando, & ag-

Digitized by Google

augendis Seminarii ſui Cenſibus: demum illud præcipue cavit, ut Eccleſiaſticæ pompæ ſimul, ac decori per Muſicos Clericali cultu indutos conſuleretur. In hæc omnia plures hoc anno Apoſtolicas Literas impetravit. In Religionem deinde amplificandam excubans, ut Romæ Anglicæ Juventutis Collegium excitaretur, officiis ſuis repetitis contendit, ut Speciano per literas commendavit, & præcipue IX. Calendas Auguſti. Tertia autem Octobris Dominica die Metropolitanum Templum conſecravit, ut docet marmorea Tabula ad ejuſdem Templi Caput præfixa; in quo quidem errore lapſum Petrum Paulum Boſcham cognoſcimus, qui Conſecrationem hanc anno illius Seculi LXXII. affixit. Demum aliquam etiam hujus anni partem in Curiæ ſuæ reſtituendam diſciplinam inſumpſit; qua occaſione Metropolitanæ Canonicos Primarios elegit complures, ut Tribunali Archiepiſcopali ex vetere Inſtituto præeſſent. Secunda autem hæc Curiæ reformatio fuit (tertiam enim exactius etiam ante obitum perfecit, ut videbimus) de qua ad Campaniæ Epiſcopum ſcribens, hæc habet XX. Auguſti MDLXXVII. „ Decimus jam dies „ agitur, ex quo Curiæ meæ inſtituta & mores exacte „ introſpicio; atque hæc cura bimeſtre adhuc for„ taſſe ſpatium abſorbebit. Meditor enim ad vivum, „ ut dicitur, reſecare, & lapſas veterum conſue„ tudines reſtituere, aut obliteratas in uſum revo„ care, imo etiam in aliquibus novam diſciplinam „ inducere ". Porro tanta hoc anno perfecit, ut procul a peſtilentiæ calamitate poſitus, majora moliri ac exſequi poſſe, non videretur.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Alias iterum pro Eccleſiaſtici juris defenſione contentiones habet.

QUÆ de Caroli Borromei erga Patriam caritate ſuperioribus libris expoſui, ſi recte æſtimemus: incredibilia ea fortaſſe videbuntur, quæ de aliquorum hominum erga Ipſum iniquitate ſubjiciam. Quis enim credat Eum publicæ quietis perturbatorem, ſuperbum, dominationis cupidum potuiſſe appellari, qui omnia tam recte compoſita in Eccleſia ſua reliquerit, qui pro populi ſalute ſe ad infima quoque miniſteria demiſerit, qui partas ſuis, & majorum virtutibus opes, præcipua ſcilicet amplificandæ potentiæ inſtrumenta, in publicæ egeſtatis ſolatium effuderit (*a*)? Enimvero integerrimos viros ea ſemper calamitas ſequitur, ut facilius vitiis, quam accuſatoribus careant. Præterea, cum nemo ad triumphos, niſi per bella perveniat, neceſſe eſt, eos acerbius conflictari, quibus illuſtriora gloriæ præmia deſtinantur. Tenaciſſimos innocentiæ ſuæ homines vidit primæva Chriſtiani nominis ætas, qui pertæſi tumultus, fraudeſque urbium condidere ſe nemorum, aut montium latebris, ut vacuos omni perturbatione dies inter pietatis delicias, & cæleſtia medi-

(*a*) Objectum Carolo ab aliquibus Romæ fuit, Regiam ab Eo poteſtatem affectari; quo ad Pontificis aures perlato, primum exarduiſſe Gregorius ſcribitur a Speciano, mox leniter ſubridens dixiſſe: „ Hæc tamen diſſimulanda cenſemus dum res cum „ Hiſpanis tranſigitur, ne cum ipſis deſipere videa„ mur; levioris enim momenti ſunt, quam ut „ dilui debeant.

Digitized by Google

ditamenta traducerent. Sed ibi quoque Dæmonum insidiis circumventi, sæpe fustibus cæsi, spectris, & terræmotibus agitati docuere, nullum infra cælos quietis locum pietati reperiri.

Gubernatori paulo antea in Belgium dimisso successerat alter ex Hispaniæ Optimatibus pari splendore nominis, nec dispari in carpendis Archiepiscopi moribus adversitate. Querebatur in primis majestatem principatus anathemate, & execrationibus violari, quemadmodum in Antecessore suo fieri viderat, quasi pars aliqua majestatis in Principe sit impune peccare. Dolebat insuper se Caroli nomine in medio Senatu tam libere increpitum, quod grassante lue tamquam officii sui immemor urbem deseruisset [a]. Nec deerant iniqui assentatores, qui gliscentem occulte flammam congestis ultro facibus concitarent. Duo præsertim ex regiis ministris ob vitæ turpitudinem acriter a Carolo objurgati [b] ulciscendi doloris occasionem ex Principis ira captabant. Itaque aures ejus falsis criminibus onerantes perpulere tandem, ut ex Provinciæ Moderatore accusator ejus fieret, cujus beneficio liberam a tot malis Provinciam acceperat. Insubriam pene totam commoveri necesse fuit conflandis accusationibus, quæ veritatis speciem aliquam præseferrent.

Nec sane levis momenti negotium erat aliquid invenire, in quo peccasse Carolum appareret. Decretorum omnium, quæ hactenus ediderat, revocati ad trutinam apices, promissum delatoribus patrocinium, acciti Mediolanum regionum omnium Prætores, ut si quid forte in Sacrorum regimine criminum notaverant, testatò denunciarent. Cumque omnia sancte, diligenterque administrari unanimiter responderent, consultius visum est audiri nonnulla sexus utriusque Collegia, ex quibus multa ad creandam Cardinali invidiam afferebantur. Ægre ferebant Ejus edictis revocari sese ad antiquæ disciplinæ angustias, sublatam divagandi, possidendique facultatem, quam ad monasticæ vitæ solatium diuturna consuetudo firmaverat, atque alia permulta Pontificiæ verius fortitudinis testimonia, quam intolerabilis, ut delatores improbi ajebant, severitatis. Verum tam alte insederat animis accusandi libido, ut virtutes ipsæ pro vitiis haberentur. Post multa conficta culparum vocabula mittitur Romam [c] Legulejus quidam dicendi, fingen-

(a) Aliæ insuper erant Ayamontio controversiæ causæ: nimirum lata Interdicti sententia in ejus Aulæ Musicos, si profanis induti vestibus canere in Templis ausi essent; quod aliquando accidit in Æde Monialium Sanctæ Margaritæ. Deinde vetus etiam instauraverat dissidium Gubernator pro loco sibi intra Presbyterii cancellos designando. Præcipue autem omnium solicitum illum habebat populi amor, quo Carolum frui intellexerat. De hoc Borromeus ipse Speciano scripsit in hæc verba: „ Cum a colloquio „ Ayamontii digrederer, post varia ultro, citro- „ que moderate tamen jactata de hisce controversiis, „ postmodum ille in hæc verba erupit: Atqui du- „ rius mihi videtur, te in omnium amore esse, „ atque, ut ipsis verbis utar, propemodum coli: me „ autem Potentissimi Regis administrum non adeo „ in hac Urbe gratum pluribus videri.

(b) Alter ex iis matronalis pudicitiæ terror in Urbe erat, & Religionis. Nominis & dignitatis ejus auctoritas plusquam Regia erat; atque anathematis a Carolo inflicti vincula diu contemnens, solutus demum Ecclesiæ metu, Regis Justissimi imperium formidare ultimo didicit; Nam in Hispaniam evocatus, cum huc advenisset Gubernator Dux Arragonius, causam dicere illic jussus est, eaque in calamitate unus Borromeus patrocinio illum suo sustentavit, postquam tamen ad meliorem frugem rediisse intellexerat. Redibit de hoc sermo alibi; fuit enim in legatione Romam missa, & in Xenodochii lustratione acerrimus Caroli adversarius.

(c) Non æque tutum videbatur Regias aures in Hispania his calumniis obtruere. Equidem Regem optime animatum in Sanctum Pastorem probe noverat Ayamontius, qui paulo ante Philippi Regis literas acceperat, quibus Eum certiorem de filii morte faciens pro pietate sua monebat, ut conjunctis cum Carolo viribus, atque consiliis in populi vitia evellenda incumberet, propter quæ afflicta divinitus Regia Progenies videbatur. Hanc Regis voluntatem Ayamontius ipse Borromeo per administrum suum aperuerat, pollicitus etiam se piis Illius contentionibus obsecundaturum; imo Rex ipse in eamdem sententiam Cardinali scripserat in eucharisticis suis literis pro Sacri Clavi imagine accepta. Ceterum cum sub idem tempus Demarchus Alexinius (erat is Sancti Francisci Borgiæ filius, teste Speciano) legatus Romam esset pro Ecclesiasticæ potestatis in Neapolitana & Mediolanesi Ditione juribus expendendis, non omissa est oblata actionis urgendæ opportunitas. Quare hoc tempore Jacobus Ricardus Laudensis illuc missus est, ut jamdiu consepultas controversias in forensem lucem revocaret.

Digitized by Google

gendique artibus excellenter inſtructus, qui cuncta Summo Pontifici exponat, ac Civitatis nomine ſuadeat, ut Mediolani Archiepiſcopum arbitratu ſuo omnia ſubvertentem intra juris fines ſuprema auctoritate contineat (*a*). Criminationum capita erant, miſſos ab Eo ſine præſcripta a Regiis Magiſtratibus cautione Viſitatores, qui peſtilentiæ tempore diverſa Diœceſis loca magno cum incolarum periculo pererrarent: vetita diebus feſtis ludicra ſpectacula, & choreas: carnium eſum, contra quam Populi conſuetudo ferret, prima Quadrageſimæ die damnatum: producta in Templis tabulata, quæ mutuos inter utrumque ſexum aſpectus dirimerent: ſancitum denique ut SS. Martyrum Protaſii, ac Gervaſii commemoratio ſervilium operum intermiſſione coleretur (*b*). Multa quidem, & maxima ad oſtendendam Caroli Sanctitatem dixiſſe me arbitror; ſed nunquam mehercule tam innocens videri poterat, niſi reus appellaretur. Quantas enim virtutes Ejus fuiſſe credimus, in quo nihil damnandum notavit invidia, niſi quod merito laudare religio poſſit? Admiratum certe Summum Pontificem ferunt, tam cæca fuiſſe Mediolanenſium odia, ut ejus honorem in diſcrimen vocare non erubeſcerent, qui pro eorum ſalute toties vitæ diſcrimen adiiſſet. Deſcriptas deinde ſingulatim querelas, prout ſibi oblatæ ab accuſatoribus erant, ad Carolum ipſum remiſit, ex quibus nempe cognoſceret, quam ipſe gratiam pro tot collatis beneficiis a ſuis Civibus retuliſſet (*c*). Sed Summum Pontificem in eo quoque deceperant, quod compoſitæ maligna paucorum arte criminationes publico nomine allatæ dicebantur. Quod cum ita factum Decuriones Urbis firmiſſime teſtarentur, rem ſilentio occultandam cenſuere, ne tam injurioſæ calumniæ fœditas tumultum aliquem in populo excitaret.

Non erat is Caroli animus, quem aut privatæ injuriæ dolor frangeret, aut adverſariorum inſidiæ ab inſtituta vitæ ratione dimoverent. Noverat utique aſperum eſſe ad virtutem iter, Baſilioſque, & Chryſoſtomos (*d*) ſibi ante oculos proponebat, quorum ante triſtis vita, quam illuſtris me-

ret. Hic deinde triennium circiter Romæ verſatus, totus in hanc curam incubuit; ſed etiam re infecta diſceſſit. Tamen legatione ſua functus Carolum amiciſſimum habuit, cum legerim datas ad eum plenas amoris literas anno MDLXXXI.

(*a*) Non modus dumtaxat imponendus Borromei poteſtati quærebatur; ſed etiam ut in aliam Sedem aut Urbem Ipſe transferretur. Scripſit hoc Romæ degens Cæſar Mediobarbus, cui X. Calendas Octobris MDLXXVIII. Carolus ita reſpondit: „ Quod „ iſthic dicis agitari de me a Mediolani Sede di„ vellendo, novum omnino non videtur; ſed jam„ diu ad meas perlatum eſt aures, imo dictum eſt „ nuper mihi, mandatum Alcaniſio eſſe, ut id a „ Pontifice poſtularet. Neque hoc primùm rogatur „ Gregorius; nec primus. Jam enim Pium etiam „ Pontificem olim idcirco fatigavere officiis: Verum „ Ille ideo noluit me hac Provincia decedere, quòd „ rogabatur, ut me removeret; attamen Ipſe ſæpe an„ tea me ſponte rogaverat, ut Romæ eſſe mallem.

(*b*) Lubet hoc loco mutata in deterius Urbis noſtræ tempora obiter expendere. Fauſtiſſimum omnibus hunc diem Sanctis Concivibus noſtris Sacrum niveo lapillo ſignavit Antiquitas, cum eo recurreret memoria Pacis inter Romanos, & Langobardos firmatæ, qua de cauſa Miſſæ initium ab ejuſdem pacis commemoratione S. Pontifex Gregorius ducendum præſcripſit. Poſteriore ævo, ideſt ſeculo exeunte undecimo, lego maximam fuiſſe accolarum frequentiam ad eam diem Mediolani, & publica fide munitos, & immunitatibus donatos ad eamdem celebrandam huc exteros acceſſiſſe. Ultimo Puricellus in Diſſertationis Nazarianæ Cap. CXXVI. tres Ducum noſtrorum literas recitat, datas ad Urbis Præfectum & Decuriones, quibus imperabant „ ut per „ publica proclamata diem hunc celebrari, & feſtum „ haberi faciant, ac ad oblationem, quæ eo die fit „ ad eorum Templum & Altare, proficiſcantur cum „ Pataticis omnibus, & in quo majore apparatu, & „ cum quo majore ornatu, & ſolemnitate fieri „ poſſit, & quemadmodum Sancti Ambroſii Feſto „ fit“. Centum autem vix ante annis poſtremæ ex iis literis datæ ad hunc populum fuerant.

(*c*) Ad ſingula accuſationis capita modeſtiſſimam concinnavit reſponſionem patientiſſimus Borromeus, atque ad Cardinalem Novocomenſem tranſmiſit. Cum autem addita fuiſſet in Supplice Libello Carolo nota, quod *Sacrum Sancto Patronæ Patrono dicm vacuum ſervilibus operibus eſſe juſſerat, pro iis tamen, qui Paræciæ illius finibus continerentur*; objectas ſibi rationes ſic invicte diluit: „ In Diœceſana Synodo „ ſex ante annis congregata ſtatutum eſt, ut Sacer „ Paræciæ Patrono dies pro feſto haberetur. Cau„ ſa ſanctionis fuit publica mihi oblata teſtificatio „ de recepta paſſim in hac Diœceſi conſuetudine. „ Hinc nulla unquam reclamitantium vox fuit au„ dita: neque conſtans in hoc inſtituto meorum Reli„ gio unquam a me ne aſperam quidem vocem expreſ„ ſit; adeo huic Decreto aſſenſa eſt Civium multitudo.

(*d*) Hunc ſibi propoſuerat ad imitandum Antiſti-

Digitized by Google

memoria fuit (*a*). Id unum ſine lacrymis ferre non poterat, inter utriuſque fori certamina triumphare licentiam vitiorum, multoſque adhuc in virtutis limine hærentes paulatim in priſtinos errores relabi. Cum enim latas ab Archiepiſcopo leges potentioribus parum probari intelligerent, intermiſſa pœnarum metu flagitia, aut ſpe patrocinii, aut adulatione repetebant (*b*). Hæc acerbiſſima Paſtoralis animi ſupplicia erant, quibus Ipſe alia corporis cruciamenta conjunxit, qualia ſemper remedia ad omnes Eccleſiæ ſuæ neceſſitates adhibuit. Et cum Joannes Baptiſta Caſtellus Ariminenſis Epiſcopus, qui Vicarius Ejus fuerat, amice ſuaderet, ut, jam remiſſa peſtilentiæ vi, aliquid Ipſe quoque de tam rigida vitæ diſciplina remitteret: quam parvi intereſt, reſpondit, ceſſare corporum morbos, ubi nondum ceſſaverint ſcelera, quæ peſtilentia puniri meruerunt (*c*)?

CA-

tem Carolus, ejuſque ſummopere delectabatur operibus, quorum aliqua e Græco in Latinum ſermonem translata identidem accipere a Cardinali Sirleto conſueverat: utque ex puriore fonte aurei illius Doctoris eloquentiam hauriret, impetraverat Galeſinio MSS. Ejuſdem Homilias a Magno Etruriæ Duce, qui optimæ notæ Codices in hanc rem libentiſſime ſuppeditavit, ut ejuſdem teſtantur Epiſtolæ. Cardinalis autem Novocomenſis aliquando de Chryſoſtomo ad Borromeum ſcribens, illum Caroli Magiſtrum appellavit magnifice & vere.

(*a*) Hac cogitatione ſæpe animum Ille recreabat; nam ad eorum Sanctorum imitationem non adverſarios auctores diſſidiorum, ſed Dei voluntatem in controverſiis ipſis ſibi proponebat. Hoc etiam edocere Cardinalem de Gambara videtur, qui aliquando conqueſtus de excitatis in ſe ipſum multorum odiis, hoc reſponſum a Carolo retulit: „ Quod ſcribis aliquorum te offenſiones incurrere, ne muneri deſis tuo: id ego apprime tibi opportunum cognoſco, ut impatientiam refrenes tuam. Nam ſi id tandem ſtatuas, ut humana quæque nihili ducas, & antiquas quaſdam & paſſim receptas conſuetudines omittas, pro certo habe fore, ut ocyus quæ mentem turbant phantaſmata, evaneſcant, & contento curſu ad publicam utilitatem, & Dei gloriam unice aſpires.

(*b*) Quæ Caroli eſſet in his diſſidiis ſententia, habemus ex Ipſius epiſtola ad Specianum hoc anno data XII. Calendas Junias: „ Præclare mecum actum iri intelligam, ſi omnes adverſariorum meorum conatus eò tandem vergant, ut mihi, & Borromeæ genti Aronenſis Arcis, & rerum hujuſmodi poſſeſſio intercipiatur: hac enim ratione nullum a me defenſionis verbum elicient; imo magna mihi certe lætitiæ ſeges ex hoc eorum conſilio oborietur. Sane Deo auſpice ſpero fore, ut nihil Sacræ Eccleſiæ hujus adminiſtrationi damni afferatur: ſed præterita diſſidia in uberrimum divinæ gloriæ incrementum eſſe redundatura, licet huic ſpei meæ humana conſilia omnia adverſari videantur. Quod ad me attinet, ne ulla unquam jurgii cauſa adverſariis offeratur, curo, & curabo diligenter præſertim, nequa ad Regis aures juſta de me accuſatio permanet: atque hoc certum mihi eſt, Philippum Regem aliter, quam affertur, de his rebus fuiſſe pronunciaturum, ſi prudentia ſua, qua tantum viget, & religione controverſias noſtras expenderet, atque ipſe Judex in hac cauſa ſederet. Ceterum ſi difficiliora nacti ſumus tempora, & via veritati obſtruitur, ut dicis, conquieſcam facile; verum nunquam veteri ſpe mea excidam, eas, quæ in præſens agitantur, controverſias, parem omnino exitum habituras, ac alias, ex quibus ſemper aliqua in Eccleſiam meam utilitas profecta eſt. Præcipue autem ſumma cum animi voluptate recogito, nullam unquam in hac Militante Eccleſia Paſtoralem adminiſtrationem hujuſmodi jurgiis vacuam fuiſſe, nec fore, dummodo deeſſe muneri ſuo Paſtor nolit, hoc præſertim tempore, & loco. Totam ego Conſtitutionum mearum ſeriem diligenter excutio: nullibi nova Sanctio occurrit, quæ vetuſtis Decretis non conſentiat: imo adhuc longo intervallo video, me ab eo Diſciplinæ reſtituendæ conatu abeſſe, quem ſtrenue exerendum Paſtoribus Tridentina Synodus indixit. Profecto Deus Omnipotens nobis flagellis & minis obſtrepens, cum primùm peſtilentia pœnas exegerit (licet graviſſimam cladem repente & vere divinitus averterit), & nunc etiam novam timoris cauſam oſtendat propter imminentem rei frumentariæ inopiam, nonne noſtram Paſtoris excitare inertiam videtur, ut Decretis, atque Inſtitutis populum revocemus a vitiis, quò Illum facilius placabilem habeamus? Hæc plurimorum in Urbe ſententia eſt, qui lacrymis potius palam, quam verbis tantam calamitatem deprecantur. Verumtamen in dies invaleſcit improbitas; cumque aliqui Ditionis hujus Cives publico luxui modum imponere conarentur, refragata votis omnium unius voluntas fuit. Neque ab hac moderatione aliena Civium meorum religio erat; ſed publice minis intentata vis eſt, & religioſis legis auctoribus denunciatæ ſunt ſuſcipiendæ cum Rege inimicitiæ, niſi ab incœpto deſtitiſſent. Omitto ſingulis feſtis diebus celebrata hac in Urbe hiſtriludia, acſi tranquilla, veluti Auguſti tempore, & pacata eſſent omnia, licet de Belgicis turbis peſſima quæque nuncientur; neque te ipſum fugiat, qua temporum conditione Europa omnis laboret. Ego interim ab Inſtitutis non ceſſabo, & quod meum eſt, certe exſequar. Siquidem me hæc ſuſtentat cogitatio, quod, quemadmodum in Chriſtum ventem Phariſæi dum peſſima conſilia initent, turbæ interim Eum ſequebantur; ſic Deo favente populum habeo obſequentiſſimum, & piis exercitationibus palam addictum: quare hæc diſſidia ſemper aliqua in dies utilitas conſequitur.

(*c*) Linenda cedro hæc plane reſponſio eſt, quam ad verbum juvat exponere. Sic itaque Caſtello reſpon-

Digitized by Google

CAPUT II.

Canonicorum Collegium ex Aureoli Ponte Mediolanum ad Protomartyris Templum transfert. Latentibus Sanctorum Corporibus honestiorem locum designat, & ad Stationales Basilicas primùm supplicabundus accedit. Quintum ex Diœcesano Clero Cœtum in Urbe cogit.

1578. NEc destitit interim Cardinalis novis operibus ornare urbem, quasi injuriam, quam nuper acceperat, beneficiorum magnificentia vindicaturus. Dicata Sancto Stephano Ædes Mediolani est, post atrox incendium multum adhuc splendoris retinens, quo antiquitus eminebat [a]. Sed majestatem ædificii minime æquabat Sacrorum cultus, cum sex omnino Canonici ad Divina Officia coëuntes vix Collegii nomen sustinerent. Paucitatem hanc exprobrare urbi videbatur ignobilis vicus, quem Pontem Aureoli [b] antiquitus appellatum, nunc contracto vocabulo Pontirolum incolæ vocant. Ibi viceni Sacerdotes quotidianæ psalmodiæ operam dabant, nec deerant vectigalia, quibus pro sui muneris dignitate alerentur. Hi omnes, adnitente Cardinali, conditionem facile accepere [c], ut in Protomartyris Templum, de quo antea diximus, sub-

spondet Idibus Februarii hoc anno: „ Austerum ni„ mium atque asperum a me initum vivendi genus „ accusas! Sed aut error hic tuus videtur: aut ipsa „ Regionum distantia fortasse fuit in causa, ut fa„ ma, quemadmodum assolet, rem tenuissimam am„ plificaret. Verum ut inanem timorem, qui te „ fortasse incessit, omnino abstergas, hoc scias ve„ lim, me hoc temporis eadem plane frui valetu„ dine, qua multis abhinc annis usus sum. Sed „ addis, cessante pestilentia, posse pœnitentiæ studia „ cessare. Quid ita? si adeo ad Religionis studia „ frigeo, ut nullo modo frenis mihi opus sit, sed „ stimulis. Quamquam hoc addere placet, non om„ nino pestilentiam compressam videri, licet nul„ lum ejusdem supersit vestigium; restat enim ad„ huc eliminanda illius causa. Quid si horror mo„ rientium ab oculis absit? cum adhuc insita in „ animis lateant pestilentiæ semina, vitia videlicet, „ ex quibus nondum emersimus. Nulla adhuc mo„ rum emendatio in Urbe est: hanc ego pestem „ timeo. Quare nunc opus est lacrymis, precibus, „ atque jejuniis, cum publica hæc, qua fruimur, „ valetudo esse fortasse possit divinæ ultionis loco; „ cum Deus vindicem fortasse manum a corporibus „ abstineat, ut in animas deinde acrius animad„ vertat, quemadmodum plura in Scripturis exem„ pla testantur.

(a) Inter antiquissimas Urbis Basilicas hæc certe videtur reponenda: cum ex Catalogis Archiepiscoporum Mediolanensium habeamus Martinianum hic sepultum ante medium Seculum quintum. Anno quarto post Castellionense incendium ista etiam miserrime conflagravit, quo tempore plures aliæ Sacræ Ædes in hac Urbe consumptæ sunt; earumque casum infelicissimum non sine lacrymis describit Arnulphus in sua Historia Mediolanensi Lib. IV. Cap. VIII. Evenit autem tanta calamitas Anno MLXXV. III. Cal. Aprilis Feria II. Hebdomadæ Majoris.

(b) Locum hunc Aureoli mors, & tumulus celebrem fecit. Hic Tyrannus ille furore Militum oppressus est imperante Claudio, a quo ingentibus etiam beneficiis fuerat affectus. Hujus Imperatoris in eum liberalitas laudatur in Epigrammate Græco, quod latine extulit Alciatus. De hoc loco, & Aureoli morte consule Julium Capitolinum, & Trebellium Pollionem, & exactius etiam Tristanum Calchum, & Gaudentium Merulam.

(c) Non adeo expers curæ hoc Borromei consilium fuit. Etenim Sanctus Pastor inopportunam admodum huic Collegio eam Sedem cognoverat, cum primum illam regionem anno MDLXVI. obiret. Sed multorum auctoritate obstante, in opportunius tempus dilatum ejus transferendi consilium est, & peractum non isto, ut Giustianus putavit, anno, sed superiore. Conata erat Sanctum Antistitem ab hac sententia dejicere Constantia Columna Sfortia tum Caravagii Domina, cui multis affinitatis & amicitiæ vinculis obstrictus erat Borromeus. Verumtamen nihili fecit illius officia omnia Carolus, & strenue cœptum opus urgens, perfectum etiam tandem esse eidem denunciat per Epistolam, quam in hæc verba scripsit: „ Legi literas tuas ad me VIII. hujus „ mensis die datas, atque intellexi, quantum tuæ „ adversaretur sententiæ initum a me jamdiu consi„ lium, ut Canonicorum Collegium ex Aureoli „ Ponte in Mediolanensem Sancti Stephani Basilicam „ transferrem. Nihilo tamen secius a proposito non „ desiti; imo rem omnem jam ad exitum per„ duxi; cum in hujusmodi rebus, meum omnino „ esse sentiam, quacumque ratione posthabita, Dei „ unice gloriam spectare. Porro ad Divinum honorem „ pertinere rem hanc semper cognovi; hinc effectum „ est, ut multis abhinc annis in consultationem etiam „ venerit; & Ragazzonius, cum Pontificii Visita„ toris munus obiret, in eamdem sententiam sponte „ iverit, ut gravissimas alias causas omittam, quas „ tibi Internuncius Pater Hieronymus verbis meis „ etiam significabit. Insita tibi, & Conjugi tuo Reli„ gio me in eam spem erigunt fore, ut neuter ab hoc „ consilio in posterum dissentiat; quinimo uterque „ mea istius regionis Episcopi sententiæ facile sub„ scribat. Privato amori vestro antehabendum est „ publicum commodum. Satis est, ut loco isti juxta „ necessitatem, sin minus secundum vota provisum sit. „ Non interim dissimulabo apud vos justam querе„ lam meam; quod unde petebantur a me certissi„ ma

Digitized by Google

ſubſellia ſua, opeſque transferrent, relictis loci anguſtiis, ac liberi ab inſidiis ſceleratorum hominum, quos ad ea Venetæ ditionis confinia transfugii facilitas invitabat [a]. Anno a Partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo Apoſtolica auctoritate peracta res eſt, quo item anno multæ Sanctorum Reliquiæ, quorum aut cultus, aut memoria obſoleverat, Caroli ſtudio in lucem, & venerationem populi prodiere. Pelagiæ Virginis, Cantianorum Martyrum, nec non Juliani Epiſcopi cineres erant, Dionyſii Eccleſiæ noſtræ clariſſimi Præſulis mortales exuviæ Aurelii Redicianenſis oſſibus junctæ, qui Dionyſium ipſum Arrianorum factione exilio damnatum domi exceperat, ejuſque cadaver Mediolanum ex Armenia reportaverat. Hæc omnia cæleſtis patrocinii pignora ex variis Metropolitanæ Baſilicæ loculis, in quibus diu latuerant, diligenter collegit, atque in ara Confeſſionis, ut vocant, honeſtiſſime collocavit. Maximi vero ex Thebæa legione militis, Theclæ Virginis, Monæ item, & Galdini [b], quorum in Ambroſiano Pontificatu inſignis gloria fuit, ſubducta tot ſeculorum invidiæ capita argenteis thecis includi, ac ſeparatim aſſervari placuit, quo publice oſtendi, ac circumferri facile poſſent, quoties eorum opem implorari ſingularis aliqua neceſſitas poſtularet.

Longe major ſolicitudo fuit in caſtiganda eorum impudentia, qui frequentiores ad templa concurſus in occaſionem procacitatis, & laſciviæ vertunt. Id maxime fieri audierat in viſitandis ſtationalibus, ut vocant, Eccleſiis, quibus ampliſſima indulgentiæ dona impetraverat, qualia Romæ ejuſmodi viſitationes obeuntibus Summi Pontifices conceſſere. Cujus beneficii cum ut perennis extaret memoria, tum ut fructus uberior eſſet, primo edixit, ut ſexto nonas Julii Canonicorum Collegia ad deſignata Templa ſeparatim incederent, deinde ne, quod raro fieri ſine verecundiæ periculo ſolet, permixti mulieribus viri ſupplicatum irent [c].

Has

„ ma ad animarum ſalutem, & Eccleſiæ commo-
„ dum ſubſidia, inde videam obices opponi, atque
„ auctoritatem meam oppugnari, aut ſaltem eludi.
„ Nihil jam reliquum eſt, quam ut Dei tibi patro-
„ cinium precer. Mediolani pridie Idus Majas
„ MDLXXVII.

(a) Recenter, & feliciter rem abſolutam Speciano deſcribit XIV. Calen. Majas MDLXXVII.: „ Quod
„ felix fauſtumque ſit, Canonicorum Collegium ex
„ veteri Pontis Aureoli ſede dimovi, & in Sancti
„ Stephani Baſilica collocavi. Opportune vacua erat,
„ mortuo Præpoſito, hæc Mediolanenſis ſedes; qua-
„ re qui ad Pontem Aureoli Præſes Sacrorum erat,
„ illum eodem nomine hic inſignivi. Neque Præpo-
„ ſitus, neque Canonici ſententiæ obſtiterunt meæ;
„ imo ad rei cumulum Urbis univerſæ gaudium
„ acceſſit. Multæ ad id conſilium cauſæ me im-
„ pulere; ſed ea præcipue, ut Collegium illud iis
„ flagitiis & periculis liberarem, quibus Clerus ob-
„ noxius ibidem videbatur, utpote in Oppido plane
„ deſerto, & in Mediolanenſis Ditionis finibus ſito,
„ quo exules & ſcelerati homines, tamquam ad aſy-
„ lum, confugere ſolebant. Transferendum illud
„ ſanxerat etiam Ragazzonius; præterquamquod plu-
„ res etiam Inſubriæ Gubernatores ferme per vim
„ admovere huic operi manum ſtatuerant, ut in-
„ uſta loco illi infamiæ nota penitus deleretur.

(b) Opportune hoc anno exædificata fuerat Subterranea Confeſſio, in qua Sacra hæc Lypſana Carolus decentius repoſuit: anno autem inſequente ex MSS. ſchedis colligo ſtratum lapidibus ſectis Odæi ſuperioris pavimentum. Sacras has exuvias partim huc Borromeus tranſtulerat, partim hìc repeterat. Sancti Monæ Corpus collocari hìc juſſerat avectum prius ex Sancti Vitalis Eccleſia antiquiſſima, quæ, Ipſo permittente, in uſus profanos paulo ante, ſcil. menſe Februario anni MDLXXVI. ceſſerat. Sanctæ Theclæ Caput, & Sanctæ Pelagiæ Cineres antiqua erant earum Baſilicæ ornamenta, in Metropolitanum S. Mariæ Templum deinde translata, cum illa præ vetuſtate fatiſceret ad annum MCDLXXXI. ex ſupputatione Donati Boſſii in Chronicis, atque etiam ex teſtimonio Stephani Dulcinii. Sancti Galdini Corpus in eadem Sanctæ Theclæ Baſilica ab ejus obitu reconditum, & huc eadem occaſione traductum fuerat. De Sancti Dionyſii Corpore Mediolanum translato, nos dubitare non ſinit Sancti Baſilii Epiſtola CXCVII. juxta novam Editionem data ad Sanctum Ambroſium, in qua Sanctus ille Antiſtes fidem ſuam pro rei hujus veritate interponit, extremis hiſce literarum verbis: „ Pii qui tradiderunt, dili-
„ gentes qui ſuſceperunt. Nuſquam mendacium,
„ nuſquam dolus: teſtamur nos: extra calumniam
„ ſit apud vos veritas “. Aliqua dumtaxat ſuboritur dubitatio de integritate Corporum Sanctorum Cantianorum, cum celebris ſit inter Aquileenſes, Mediolanenſes, Gallos, & Germanos de eorum poſſeſſione controverſia, quam fuſe agitatam vide apud Henſchenium ad diem XXXI. Maji. Fortaſſe huic dirimendæ aliqua ex parte calculum ſuum opportune addit Sancti noſtri Borromei Antiſtitis auctoritas.

(c) Præter antiquiores nonnullas, duplex Mediolani eſt Stationum Sacrarum genus: utrumque cum ampliſſimis Pontificiæ indulgentiæ donis conjunctum. Unum ad

Digitized by Google

Has Paſtoralis diligentiæ curas excepit quinta Diœceſana Synodus, quam, antecapto ad diſponenda omnia tempore, infra triduum abſolvit. Vehementiſſimæ orationes Ejus in eo Confeſſu fuere ad increpandam eorum iniquitatem, qui commiſſam ſibi animarum curam negligenter exercent. Multa etiam differendo de futura eorum gloria, qui ſeſe ad procurandam Chriſtiani Populi ſalutem offerrent, jecit fundamenta Sodalitii, quod paulo poſt ad Eccleſiæ Mediolanenſis utilitatem inſtituit. Eadem occaſione experiri voluit, an intermiſſa tot ſeculorum ſpatiis conſuetudo, qua Archiepiſcopi cum Canonicis ſuis ad unius familiæ formam communi victu utebantur, reſtitui poſſet, quo propius nimirum ad primæva exempla Apoſtolicæ caritatis accederet. Sane Carolus a Baſilica Petri Novarienſis Epiſcopus ex Eugenii III. literis aperte teſtatur, laudabilem illam vitæ ſocietatem uſque ad Uberti Pirovani tempora viguiſſe, qui Ambroſiana Sacra duodecimo ſalutis humanæ ſeculo adminiſtrabat [a]. Sed cum plerique Canonicorum aut domeſticas curas, aut imparem ei diſcipli-

ad Septem Baſilicas orantibus conceſſum eſt privilegium, quod ad totius anni curriculum extenditur; alterum in certis dumtaxat Templis percipiendum, ſed Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Feſtorum Pentecoſtes dierum ſpatio eſt comprehenſum. Illud impetraverat Carolus anno MDLXXVI. ante Jubilæi finem in hac Urbe celebrati. Hoc jam a Pio IV. conceſſum uni Virginum Monaſterio, diſtribuendum deinde in plures Sacras Ædes Carolus obtinuit anno MDLXXII. Tamen cum hoc tempore imponendi viderentur fines Civium licentiæ ad Stationales ſecundi generis Ædes ſupplicantium, & Ayamontius idem contendiſſet apud Borromeum, ut ſummo ſtudio eam comprimendam curaret: hoc anno ſanxit Sanctus Cardinalis poſtridie Nonas Martias, ut mulieres ſeorſim a Viris ad eas accederent, certis, atque alternis utrique ſexui horis præſtitutis. Alia deinde ratione effrenem hanc commeantium ad Templa libertatem inſuper compeſcuit: nimirum decrevit a nullo, quam a ſe ipſo, poſſe eum abſolvi, qui ea occaſione ad crimen aliquod abuteretur. Cui Decreto ne ulla aſpergi poſſit imprudentiæ nota, juvat ex Ipſo intelligere graves cauſas, quibus ad id ſanciendum fuit adductus. Itaque III. Idus Aprilis hoc anno ad Specianum hæc ſcribit: „ Quod ad recens Edictum pertinet, jam triennio abhinc cum „ viderem licentiam Civium invaleſcere ad Statio„ nes promiſcue confluentium; imo audirem Sacras „ ipſas Ædes plurimis flagitiis pollui, adhibitis in „ conſilium Quæſitore cauſarum Fidei, & Patre Adur„ no tum in Provincia Inſubrica Soc. Jeſu Præſide, „ ſtatueram ad meum Tribunal compellere, quot„ quot ſe hujuſmodi noxarum vinculis illigaſſent. „ Hoc vero tempore maxime alieno, cum viderem „ audaciam in dies corroborari, executus ſum quod „ ſtatueram, conſentientibus Quæſitore eodem, & „ Patre Peruſco in Adurni locum ſuffecto; præcipue „ autem urgente eo, qui Euangelica prædicatione „ recenter hac Quadrageſima fuit perfunctus, & pa„ lam e Suggeſto noxa teneri eos denunciavit, qui „ deſides, ac ſilentes tantum ſcelus ſine ſeveriore „ pœna dimitterent. Ego pridie, quam proponerem Edictum, rem totam Magno Cancellario „ aperui, ut ſuboleret mihi, quo animo Regii Ma„ giſtratus hac ſuper re eſſent, cum præviderem in „ Eccleſiaſticæ Auctoritatis ſubſidium etiam Judicum „ Secularium poteſtatem eſſe excitandam. Itaque „ ille me in eam ſpem erexit fore, ut Ayamontius „ opera ſua vocem etiam meam armaret. Vere „ Gubernator nihil de hoc a me nuper audivit; „ Verumtamen cum alias ſæpe de hoc eum allo„ querer, ſemper faventem mihi & conſentientem „ habui; & niſi præſcripto horarum diſcrimine im„ probitati obſtrueretur aditus, aſſeveravit poſſe dein„ de induci dierum pro ſexuum diverſitate diſcri„ men. Ferebat certe etiam moleſtius licentiam „ hanc Requeſenius, qui aliquando, ut huic me„ deretur malo, mihi inſtitit, ut anathematis ſen„ tentiam in reos hujuſmodi criminis pronunciarem. „ Qua de re non video criminoſum hoc tempore vi„ deri Decretum meum poſſe, quo contra morem „ vetui ab aliis eos abſolvi. Fateor tamen me pauci„ poſt diebus facile aſſenſum aliquibus, qui mollio„ ra ſuadebant, atque hortabantur, ut abſolvendi „ facultatem pluribus impartirer. Hinc nullum ex „ Confeſſariis hujus poteſtatis expertem volui, qui „ eam aut a me, aut a Pœnitentiario majore poſtula„ ret. Verumtamen non diſſimulabo impoſitum hac „ ratione aliquod tantæ audaciæ frenum &c. " Hæc ſancita pro Stationalium ſecundi generis Eccleſiarum cultu. Pro ſeptem vero Stationalibus primi generis Baſilicis indicta eſt annua ſupplicatio per aliud Sancti Cardinalis Decretum, quod non primitus promulgatum hoc anno fuit, ut putavit Gluſſianus, ſed biennio ante; nam ad VI. Nonas Julii Supplicationem Clero Urbano ad eas indixerat, ut colligo ex MSS. Collectaneis ſub nomine Franciſci Caſtelli in Bibl. Ambr. Cum autem ea ſupplicatio intermiſſa propter exortam deinde peſtilentiam fuiſſet, hæc interruptio fortaſſe Gluſſiani errori occaſionem dedit, qui primam ejuſdem inſtitutionem in hunc annum conjecit.

(a) Cum Monaſterii nomen inditum aliquando ſit Collegiis etiam Canonicorum, ut docet Clariſſimus Muratorius ex Capitularibus Caroli Calvi, & ex antiquis Tabulis, putarunt nonnulli Canonicam vivendi ſimul diſciplinam fuiſſe in Mediolanenſem Clerum invectam ab ipſa uſque Ambroſii ætate, qua Sanctus Auguſtinus ſcribit, viſum hic a ſe *Monaſterium plenum bonis Fratribus ſub Ambroſio Nutritore*. Certe apud Vercellenſem Clerum quarto Seculo receptus erat hic uſus, ut probari poteſt ex Sermone Sancti Euſebii, quem Sancto Maximo adſcripſit, & evul-

plinæ valetudinem excuſarent, abſtinuit conatu, dicerem irrito, niſi ipſum tam honeſtæ rei deſiderium ad oſtendendam conſiliorum Ejus ſanctitatem ſummopere profuiſſet [a].

CAPUT III.

Sanctæ Crucis ſignis in compitis erectis Societates piorum hominum ad cultum attribuit. Collegium Sanctæ Sophiæ excitat, & ſuperſtitum ex peſtilentia inopum reliquias in certum locum contrahit.

1578. TÆderet me utique ad peſtilentiæ memoriam redire, niſi Caroli beneficentia jucunditatem aliquam calamitatibus ipſis aſpergeret. Vix enim triſte aliquid Mediolanenſi Populo evênit, ex quo Ille præclaræ alicujus rei argumenta non caperet. Ad capita viarum, qua latius patent, mobiles aras ſtetiſſe diximus, ut vetito ob contagionis periculum ad Templa concurſu, aſſidentes feneſtris cives Sacrorum aſpectu fruerentur. Nunc ſublatis altaribus lapideas columnas ibidem erigi [b] curavit Crucifixi Salvatoris effigiem ſuſtinentes, renovanteſque ſpectantium oculis beneficii memoriam, quo, & Civitas noſtra ex tot miſeriarum caligine in priſtinum ſplen-

---

evulgavit idem Cl. Muratorius Tomo IV. Anecdotorum Latinorum, qui etiam fatetur ſe aſſentiri non poſſe Thomaſſino contrarium ſentienti. Ceterum quidquid ſit de hujus ſententiæ veritate, quam hìc non vacat expendere, duplex alia eſt Scriptorum de rebus Mediolanenſibus claſſis, quorum una S. Arialdi temporibus ſolum aſſerit Mediolani viguiſſe hanc conſuetudinem, ut eodem ſub tecto Baſilicarum aliquot Sacerdotes verſarentur. Contra alii ſentire videntur, profectum in hanc Eccleſiam eum uſum ſeculis multo ſuperioribus. Anno enim DCCCXCIV. docemur Presbyteros & Officiales fuiſſe in Baſilica Sancti Ambroſii, ex Diplomate Berengarii, quod exponit Muratorius Diſſert. LXII. de Antiquitatibus Medii Ævi: item ex Schedis MSS. Ambroſianæ Bibliothecæ hic idem recitat Epitaphium Sacerdotis cujuſdam extans in Baſilica S. Simpliciani, in quo ille Canonici nomine nuncupatur anno CM. Inſuper ex alio Diplomate Berengarii dato anno CMXX. docemur Canonicos extitiſſe in Eccleſia Sancti Joannis in Modicia, ut monuit Cl. Sormanus in ſuis Allegatis pro Cauſa Præeminentiæ. Nos rem hanc commodius diſcutiendam in medio relinquimus; non tamen diſſimulamus Clerum Metropolitanæ noſtræ ſerius in hunc ritum iviſſe, ut patet ex Brevibus Eugenii III. Literis datis anno MCIL., & in ejuſdem Baſilicæ Bibliotheca aſſervatis. Sed quemadmodum diverſis temporibus hæc vivendi diſciplina invecta eſt; ita diverſa ætate cœpit pro Locorum diſcrimine conſeneſcere: cum alibi remiſſum hoc Inſtitutum videatur ad Seculum XII.; alibi obliteratum dumtaxat Seculo inſequente. Carolus itaque reſtituere hunc Ritum certe moliebatur, atque huc referri Ejus curæ videbantur jam a Pontificatus ſui initio, cum certis legibus devinxit quotquot in Canonicalibus Ædibus verſarentur, atque curavit immani ſumptu, ut Ædes pro ſingulis Canonicorum Collegiis excitarentur. Ut ad hanc deinde vivendi ſimul conſuetudinem Canonicos ſuos alliceret, adhibere cum ſuis frequenter convivas ſex ex Ordinariis ſuis conſueverat præter alios minoris ordinis, & Cantores duos, ut teſtatus eſt Joannes Paulus de Clericis Cæremoniarum Magiſter, qui ſæpe ſe ſcripſit convivio Borromei exceptum. Cum vero nihil proficere monitis, & exemplis poſſet prudentiſſimus Paſtor, Oblatorum deinde Sodalitium excitavit, hac illis lege impoſita, ut *ubicumque in Canonicalibus Eccleſiis tres ſal tem Oblati beneficium, cui reſidendi munus eſſet adnexum, haberent; illi ex Congregationis Inſtituto ad ſimul vivendum ſe conferrent*, ut habetur in Conſtitutionibus Lib. II. Cap. III. Speravit nimirum hoc artificio fore, ut aliquando invecti plures in Collegia Eccleſiarum Oblati, & legibus viventes ſuis ceteros exemplo ſuo ad idem Inſtitutum pertraherent. Quare ex Canonicis plures elegit, qui Oblatorum Congregationi nomen darent, cum eam primum inſtituit. In ædibus autem ipſis Archiepiſcopalibus plures eſſe voluit Oblatos ex Metropolitanæ Baſilicæ Clero, inter quos quatuor eminebant Canonici Ordinarii; Scil. Focalodius, Abbiatus de Foreriis, Caymus, & a Sancto Petro, præter Senecam, alioſque minoris ordinis ſeu Viſitatores, ſeu Domeſticos: ex iis verò parvum veluti cœtum conflaverat Cardinalis, cui nomen fecerat Congregationis Oblatorum in Archiepiſcopatu. Huic autem præerat Aloyſius Focalodius, qui tamen cum ceteris ſuberat Præpoſito Congregationis univerſæ, quem primum omnium fuiſſe Hieronymum de Arabia Canonicum Ordinarium Templi Maximi aperte teſtantur diaria quædam MSS. cuſtodita diligenter, & conquiſita cura, & impenſis M. R. D. Bernardini Caſſini ſupremi in Metropolitana Baſilica Cæremoniarum Magiſtri; cui nonnulla debemus rerum a S. Carolo geſtarum vindicata ab interitu monumenta.

(a) Non omnino inutile hoc conſilium fuit. Scribit nimirum Borromeus ſtatim, habita hac Synodo, plures ex Clero fuiſſe, qui nomen darent, ut in Oblatorum album cooptarentur. Quare permulti reperti ſunt, qui ut in Ejus ſententiam irent, rigidius etiam, quam Ille optaverat, Inſtitutum profiterentur.

(b) Superiore etiam ætate extitiſſe veſtigium aliquod hujuſmodi Mediolanenſium religionis, teſtantur antiquæ Tabulæ aſſervatæ in Baſilica S. Georgii in Palatio, in quibus Templum S. Victoris ad Romanam Portam nuncupatur *ad Croxeram*. Idipſum docet lapis præfixus baſi Columnæ hodie erectæ ad Orientalem Portam, in quo legitur inibi elatum S. Crucis ſignum a Roberto Mediolani Archiepiſcopo uſque ab

Digitized by Google

ſplendorem redierat, & humanum genus univerſum ex teterrima ſervitute in ſpem beatæ hæreditatis evaſit. Addidit deinde inſtructas legibus ſuis hominum Societates, qui poſt ſolis occaſum ex tota vicinia convenirent, diurniſque laboribus abſoluti ab ſalutari illo humanæ ſalutis ſigno nocturnæ quietis auſpicia peterent [a].

Similia ferme fortunæ incrementa ex infortuniis ſuis retulere nonnullæ Virgines, quarum pudicitiam Parentum cuſtodiâ peſtilentiæ tempore orbatam domeſticæ inſuper rei inopia proximiorem periculo fecerat. Eas in deſerto quodam Humiliatorum Cœnobio remotas ab omnibus inſidiis manere juſſerat, quoad mitiora tempora Civitati ſuccederent [b]. Sed cum ceſſantibus morbis adhuc duraret egeſtas, addidit vectigalia loco, conſtitutaque regiminis forma novum in urbe puellari verecundiæ aſylum aperuit. Ibi inter religionis officia, & muliebris induſtriæ artes exercebantur, donec ad idoneam ætatem perductæ aut in matrimonium collocarentur, aut virginitatem ſuam Deo ſolemnibus votis obſtringerent.

Reliquum erat, ut inertem illam, & inutilem turbam, cui temporariam viâ Romanâ ſedem invenerat, in perpetuo aliquo domicilio collocaret. Erant plerique ex illo hominum genere, qui ſemel amiſſo rogandi pudore, eo denique impudentiæ perveniunt, ut nihil erubeſcant. Quotidiana enim ſtipe victitantes otio paulatim, & ſordibus aſſueſcunt, queruli ad portas, moleſti in Templis, laceriſque centonibus, & ficto in doloris ſpeciem ejulatu publicæ miſericordiæ ſæpe illudentes. Præterea cum neque certa patrimonia, nec certas domos habeant, facile legum vincula effugiunt, & quo minus noti ſunt, eo confidentius peccant. Hæc Cardinalem movebant [c], ne

ab anno MCCCLXI. Data igitur peſtilentiæ occaſione Sanctus Cardinalis vetus renovavit exemplum, ſive luculentius novum conſtituit, ut calamitatis depulſæ perennis memoria Civium animis hæreret. Hoc tempore XIV. in Urbe Columnas ſeu Obeliſcos erexit, quibus triumphale ſignum impoſuit. Alias etiam Modoëtiæ excitavit loco nobili & celebri. Ejuſdem Seculi anno LXXX. ſeptem alias adjecit, ut piæ plebis religioni incrementum faceret. Poſtremam omnium ad Fabrorum Pontem erigendam curavit anno MDLXXXIII. pene ſub vitæ finem. Neque tam pium Inſtitutum expers apud aliquos querelarum fuit, clamitantibus adverſariis Romæ apud Pontificem, affectari a Carolo Regiam auctoritatem, & in illis plebis conventiculis populi amorem captari; quæ tamen criminatio Pontificis aures offendit.

(a) Leges has typis etiam editas ſæpius Provinciæ hujus Gubernatores propoſitis Edictis corroborarunt. Tanta autem in primo illo Inſtituti æſtu Civium religio extitit, ut palam ſub veſperum convenire Patricii & Nobiles Viri, redundante circum in hemicyclum multitudine, & preces indictas recitare non erubeſcerent. Exinde ſemper excrevit piarum S. Crucis Sodalitatum numerus, cum in Urbe, & Suburbiis conflati ſint LVI. hujuſmodi cœtus, atque in Diœceſi uſque ad CXXXIII. numerentur, ut patet ex Congregationis Archivo extante in Ædibus Sancti Sepulcri penes Oblatos, quibus eorum regendorum cura incumbit.

(b) Puellarum hujuſmodi curam ſibi a Borromeo demandatam ſuſceperat Pater Auguſtinus a Sancto Auguſtino, quem jam alibi luc contracta obiiſſe ſcripſimus. Reliquo peſtilentis anni tempore provincia hac functus eſt Carolus, qui hoc anno, rebus compoſitis, in hanc præcipue partem totus excubare viſus eſt. Contractis itaque a Civium pietate auxiliis, Sanctæ Mariæ Ædes, quæ in jure Theatinorum Patrum erant, coëmit, eaſque Virginibus illis attribuit. Præſides loco dedit, & leges; eamque Sedem ſuis etiam beneficiis ornavit. De hoc ſcripſit ad Specianum pridie Nonas Quintiles MDLXXVII. in hæc verba: „ Patres Sancti Calimerii, divenditis Ædibus „ ſuis Sanctæ Sophiæ Præfectis, loci hujus jure omni „ deceſſerunt. Hæc nova omnino conſtituta eſt Puel„ larum ſedes piorum hominum opibus excitata, at„ que innixa; idcirco præſidio omni tuo eam ſu„ ſtentes velim “. Etiamnum viget in hac Urbe præclariſſimum Inſtitutum, cui mutatio nulla ineſt, præterquam loci. Hoc enim puellaris pudicitiæ perfugium patet in Ædibus Sanctæ Mariæ ad Stellam, in quibus Carolus vagos Urbe pauperes coëgerat. Ædes has Sanctæ Sophiæ deinde attribuit Monialibus Viſitationis ex Inſtituto Sancti Franciſci Saleſii Benedictus Cardinalis Odeſcalcus Archiepiſcopus noſter anno MDCCXIII., quo earum Virginum Sanctitate Urbs noſtra primùm exornata eſt. Demum hoc ipſo, quo ſcribimus, anno labentes vetuſtate eaſdem Ædes magnificis ſumptibus extruendas, amplificandaſque ſuſcepit Joſeph Cardinalis Puteobonellus Prædeceſſorum ſuorum pietatem ſplendide cumulans.

(c) Hæ cauſæ præcipue Carolum impulerant octo ante annis, ut in unum locum mendicos congregaret, iiſque auxilia ad bene vivendum provideret; quod jam alibi meminimus impetratum a Pontifice Pio V., licet intercedentibus pluribus incommodis, infecta ad hoc uſque tempus res fuerit. Audi quid Sanctus ille Pontifex ſcripſerit in Brevibus literis, quibus Borromei poſtulatis aſſentiebatur: „ Cum Di„ lectus filius noſter Carolus Tituli S. Praxedis Preſ„ byter Cardinalis Borromeus nuncupatus tractave„ rit de redigendis omnibus pauperibus mendicanti„ bus

ne promiſcuam multitudinem, quam ex Victoriæ Palatio dimitti oportebat, aut ſine alimentis remanere, aut ſine lege vagari per urbem ſineret. Vetus Monaſterium, cui Stellæ nomen eſt, aptiſſima ſedes viſa, in quam, traductis alio Sanctimonialibus, miſerrimum vulgus reciperetur. Perpetuum id domicilium egenis utriuſque ſexus etiam exteris ſeorſim tamen viventibus patêre juſſit, deprompta de ſuo pecuniæ ſumma, hortatuſque Civitatis Adminiſtratores, ut Templa, viaſque Urbis moleſta illa, & indecora otioſorum hominum colluvie exonerarent. Ita multorum, & levari miſerias, & vitia ſanari poſſe credidit, laudabili utique conſilio, ſi magnifice, ac ſalubriter cœptis eodem animo poſteritas inſtitiſſet.

CAPUT IV.

Sacerdotum Oblatorum Sodalitatem ſub Sancti Ambroſii auſpiciis, Mediolanenſis Antiſtitis ad nutus paratam ſemper, datis legibus, inſtituit.

1578. CIrcumſpicienti Carolo Eccleſiæ ſuæ neceſſitates, nec unquam ab ejus cura animum remittenti manifeſtius quotidie apparebat, non poſſe tanti regiminis molem ſine ingentibus auxiliis ſuſtineri. Imminebant Provinciæ confiniis infames Hæreticorum ſectæ, alibi Paſtores populis, alibi Paſtoribus conſentaneæ virtutes deerant (*a*), Collegia nuperrime ab ipſo inſtituta Rectoribus, & Magiſtris indigebant, & cum late pateret meſſis, pauci admodum cultores erant. Hac paucitate comperta, Sacerdotum Sodalitium condere in animo habebat, qui Eccleſiaſticæ rei curam una ſecum capeſſerent, atque in perpetua tempora Archiepiſcopo ſuo haud ſecus, quam capiti membra inſervirent (*b*). Et alios quidem oratione, quam in poſtrema Synodo habuerat, alios dignitate ipſa conſilii permovit, ut laborioſi utcumque miniſterii conditionem acciperent. Ad XVI. Calendas Septembris in S. Sepulcri Ædem vocati votum nuncupavere, omnia ſeſe, quæ ab Ipſo, & Succeſſoribus Ejus ad Eccleſiæ Mediolanenſis utilitatem fieri juberentur, prompte executuros. Fuerat illa Sepulcri Ædes tutiſſimum religionis perfugium, quo tempore univerſa pene Civitas in

„ bus Civitatis Mediol. in unum locum clauſum, „ ubi de illorum victu, & aliis neceſſariis illis pro„ videretur, idque opus præcipue pro beneficio ſpi„ rituali, & ſalute animarum dictorum pauperum „ aggreſſus fuerit; quia, dum illi ita vagantur, „ ſciri non poteſt, an juxta Chriſtianæ pietatis in„ ſtitutum vivant, nec illis in eorum ſpiritualibus „ neceſſitatibus, prout par eſſet, ſubveniri poteſt: „ tum etiam ad tollenda plura abſurda, & incon„ venientia, quæ in dies ex illorum licentia va„ gandi oriuntur, velut hæc inter cetera: videlicet „ turbare divinis officiis in Eccleſiis intereſſentes, „ item furta, ludos, & turpia facta, quæ nonnun„ quam ſub prætextu mendicandi committuntur, „ & quod pejus eſt, periculum, ne advenæ parum „ Orthodoxi, capta hac mendicandi occaſione, „ zizania per domos cum animarum infectione diſ„ ſeminent &c.“. Has Sanctus Pontifex cauſas innuit, quas in ſupplice libello S. Cardinalis enumeraverat. Licet vero tum agitaret conſilium Carolus de mendicis in Limocomio Sancti Gregorii claudendis: hoc tempore, cum non adeo opportuna & facilis ea ſedes videretur, locum iis alium deſignavit.

(*a*) Hoc eodem anno ab Urbanis Parochis aliquot delatæ contra S. Antiſtitem querelæ Romam fuerunt, quibus Joannis Cardinalis Moroni aures obruêre. Criminabantur ii infinita eſſe onera, quæ ſibi Carolus imponeret, quibuſque ferendis par eorum ſive conſtantia, ſive vires non eſſent. Mitiſſime accepit Borromeus tranſmiſſas a Morono querelas, & per Specianum interpretem ſic conſtantiſſime reſpondit: „ Quid Cardinali Morono repo„ nam ignoro de Parochis iis, qui Urbem hanc „ relinquere meditantur meo, ut ajunt, jugo op„ preſſi; quandoquidem nullum mihi ex illis Mo„ ronus indicavit. Hoc certe dicam, me ferme bea„ tum fore, ſi ejuſmodi Parochi obtigiſſent, qui „ minimam muneris ſui partem implerent: tantum „ abeſt, ut ego intolerabilia ab illis, & multa „ exigam. Certe ſi mihi noti eſſent, qui hinc mo„ liuntur diſcedere; & cum illorum moribus com„ ponerem exterorum probitatem, qui quotidie ultro „ ad hanc excolendam vineam adveniunt, mihi gra„ ve non videretur exterorum ſanctitatem meorum „ oſcitantia mutare.

(*b*) Ad Caroli mentem hac in re penitus introſpiciendam juvat referre, quod de hac Sodalitate animo agitavit, & per epiſtolam deinde aperuit Speciano XIV. Calendas Aprilis MDLXXVIII. „ Me„ ditor tandem aggredi, Deo auſpice, opus, quod „ jamdiu mente volvebam: nimirum Sodalitatem „ condere, cui Sacerdotes, aliique Sacris Ordinibus „ jam initiati Adoleſcentes nomen dabunt, & quam „ Oblatorum Sancti Ambroſii appellare viſum eſt. „ Statuta illis ſedes erit ad Sancti Sepulcri Tem„ plum, in qua degent omnes, communi indicta „ vivendi ratione, iiſque adſtricti legibus, quas „ ego, & futuri pro tempore Archiepiſcopi dabi„ mus

Digitized by Google

„ mus pro arbitrio. Neque Sacerdotio ullo insigni-
„ ri eos fas erit, cujus causa abesse ab hac Sede
„ possint. Id erit præcipuum eorum Institutum, ut
„ probati, quamdiu videbitur, obstringantur deinde
„ jurejurando, quo Ambrosianæ Ecclesiæ victuros uni-
„ ce se testabuntur. Vacabunt scilicet habendis Con-
„ cionibus, Confessionibus audiendis, pascendis An-
„ gelorum Pane fidelibus, Sacris administrandis iis
„ in locis, in quibus necesse fuerit unum ex ipsis
„ aliquem ad tempus substitui, regendis Semina-
„ riis, atque Collegiis, aliisque piorum hominum
„ Societatibus, demum iis omnibus, quæ ad Dei
„ gloriam pertinere videbuntur. Hac ex Schola
„ proficiscentur Viri apprime Cleri necessitates edocti,
„ Magistri juventutis, & duces, Sacrarum Virginum
„ Institutores pares his, aliisque rebus, quas lon-
„ gum esset recensere. Idcirco adjacentes huic Tem-
„ plo Ædes numerata ter mille nummorum summa
„ coëmuntur; jamque conflavi aliquem Sacerdo-
„ tum, aliorumque hominum numerum, quibus
„ omnibus stat id vitæ genus ingredi; licet aliqui
„ toto vitæ suæ tempore, alii me vivente dumta-
„ xat, aliqui demum alio præfinito termino hoc
„ Institutum profiteri se velle declaraverint. Videtur
„ unum obesse huic consilio impedimentum. Ete-
„ nim, cum nulli Oblati ornari debeant Sacerdotio,
„ cujus causa alibi residеant; idcirco multis aut
„ patrimonio, aut annuis pensionibus destitutis
„ aditus ad Sacros Ordines patere non poterit.
„ Huic ut medear incommodo, maxime vellem,
„ meis verbis a te Pontificem Maximum rogari,
„ ut mensæ seu massæ titulo mihi liceat huic
„ Collegio attribuere reditus Præposituræ Ottacio-
„ rum, quos egomet olim Seminario dedi, licet
„ nondum potestatem mihi ademerim eos census
„ aliò transferendi. Hoc modo liceret plures ex iis
„ promovere ad Ordines, dummodo aliunde victus
„ illis non suppetat. Id tamen intellige, si nul-
„ la alia ratione illis aliquando consultum fuerit:
„ nam si reditus alii, & pares sumptibus annuis
„ census illis, curante Archiepiscopo, obvenerint;
„ tum Collegium eorum alendorum cura carebit.
„ Itaque sic ea etiam expedietur difficultas, quam
„ tu alias objecisti, rogans, quomodo Oblatorum
„ quempiam aliò deinde destinare possem. Hoc
„ enim pacto Oblatus voti reus adhuc tenebitur
„ Sodalitati adstrictus, & non loco. Hæc itaque ex-
„ pone Summo Pontifici, atque adde, nullum mi-
„ hi subiisse præsentius remedium Ecclesiæ meæ;
„ quare in eam spem venio fore, ut facilius San-
„ ctissimus Pater sententiæ huic meæ assentiatur,
„ quo certius hujus Sodalitii Institutum videtur reci-
„ dere in easdem causas, de quibus Seminaria so-
„ lent excitari. Nam vere dicam Societatem hanc
„ fore maturiorum veluti Sacerdotum Seminarium,
„ a quibus non mediocriter ipsa Seminariorum disci-
„ plina aletur, atque corroborabitur: & revera hæc
„ causa me ad hos congregandos maxime impulit.
„ Ut suavior muniatur aditus id vitæ genus ingre-
„ dientibus, pervelim Pontifex Sodales sacris donis
„ augeat, atque cumulet: Nomen scilicet dantes, &
„ se meo arbitrio jure jurando committentes pœna
„ omni noxis debita solvat; & quotiescumque præ-
„ scriptum aliquod opus obedienter suscipiant, eos
„ hujusmodi pœnæ parte liberet, quemadmodum
„ olim pro Christianæ Doctrinæ administris impetra-
„ tum est. Urge, & perfice, rogo, hæc omnia quam
„ diligentissime, & citissimè poteris, antequam Syno-
„ dum ex Diœcesi cogam, scilicet ante triduum post
„ Idus Aprilis; nam ea occasione spero, multos ex
„ Sacerdotibus ad Synodum confluentes facilius da-
„ turos Societati nomen, si Pontificiis muneribus
„ ornatam viderint, ac sustentatam. In horum
„ partem donorum venient, quemadmodum in la-
„ boris etiam communionem vocabuntur, non so-
„ lum, qui Sancti Sepulcri Collegio adscribentur;
„ verum etiam alii Ecclesiæ meæ addicti, & alibi
„ Sacerdotiis fruentes, qui in Urbe & agrestibus
„ Vicis degent, eodem tamen obedientiæ voto Me-
„ diolani Antistiti obstricti. Isti eidem Societati hæ-
„ rebunt, sed mitioribus illigati legibus, quin ta-
„ men quidquam ad eos, vel super administratione
„ rerum, vel publicis reditibus pertineat. Si eodem
„ in loco plures extiterint ex hac Societate, qui Sa-
„ cerdotii sui causa aliò evocati sint ex Sancti Sepul-
„ cri Sede, ita inter eos conveniet, ut Canonice
„ vivendi usum renovent, & institutum profiteantur. In Sancti Sepulcri Ædibus deget Patrum
„ manipulus, quorum erit ceteros regere ac mode-
„ rari, quin ipsi alio transmigrent, nisi perraro.
„ Ceteros Operariorum nomine appello, quorum
„ geminus fortasse erit ordo: nimirum eorum qui
„ alibi residere Sacerdotiis ornati nolint; aliorum-
„ que, qui Sacerdotio aliquo, volente tamen Ar-
„ chiepiscopo, insigniri poterunt. Postremo accen-
„ sendi huic Collegio erunt etiam Convictores; idest
„ Sacerdotes ii, aut Adolescentes Sacerdotio proxi-
„ mi, qui huc mittentur, ut Sanctitatis, & Eccle-
„ siasticæ disciplinæ hìc tyrocinium ponant, quos
„ deinde edoctos aliorum Locorum Sacris præfi-
„ ciam. Censeo nimirum hujusmodi Juvenes prove-
„ ctæ satis ætatis melius in literis etiam ibi educan-
„ dos, quam in Seminario ipso, ut in Christianæ per-
„ fectionis apicem eum enitantur, quem tenere de-
„ bent quotquot sublimi Sacerdotii dignitate ornan-
„ tur. Itaque cum hæc Societas tam varia persona-
„ rum, ac munerum genera complecti debeat, ne-
„ cessarium videtur, ut non adeo adstrictæ sint Pon-
„ tificii Diplomatis formulæ, & mihi libera sit pote-
„ stas iis utendi legibus, quibus voluero. Roga in-
„ terim Philippum Nerium verbis meis, ut aliquem
„ Sacerdotum numerum mihi statim comparet, ve-
„ luti ad hanc aciem subsidiariam cohortem. Fac me-
„ cum Ille mitior aliquando sit, & Fabianam illam
„ tandem cunctationem hac in re deponat. Vos in-
„ terim, siquid succurret opportunum, ne me un-
„ quam latère patiamini, & consilium hoc fusis
„ assidue precibus Deo habete commendatissimum.

Digitized by Google

in turpem rerum Divinarum inſcitiam prolapſa erat, & ſocias inſcitiæ libidines (*a*). Pauci inibi Sacerdotes Sacra exercebant, & cum fere demerſam in tanta vitiorum colluvie Urbem viderent, naufragii reliquias colligere conabantur (*b*). Curæ illorum erant benigne adeſſe ægrotantibus, perditos homines ad pœnitentiam vocare, Euangelii præceptis indoctos erudire, paucitatem denique ſuam multiplici in rebus agendis ſolicitudine compenſare. Hæc Carolo in cauſa fuerunt, cur id præcipue domicilium Sodalitio deligeret (*c*), ratus videlicet, tot virtutum exempla ſtimulos ſucceſſoribus additura, ne publicæ ſalutis ſtudio inferiores a Civibus haberentur. Quantæ porro utilitates ex eo Domicilio extituræ eſſent ex Gregorio XIII. benignitate auſpicari licuit, qui Inſtituti formulam, non ratam modo, firmamque habuit, verumetiam donis ampliſſimis exornavit (*d*). Neque temere dicturum me arbitror, quidquid

(*a*) Plurima extitere in hoc Templo pietatis & religionis impreſſa veſtigia. Etenim præterquamquod antiquitus ibidem erant Canonici (quos fruſtra ad hic ſedendum Carolus compellere voluit, ut etiam nunc omni reſidendi onere ſoluti exiſtunt); ibi etiam quidquid remedii, & medicinæ ad Civium infirmorum ſalutem ſpectabat, gratis olim diſtribuebatur, ut egomet legi in Chronico MS. Sanctæ Coronæ. Nam in hujus Templi Ædibus primi Conditores ejus loci, quem etiam nunc Sanctam Coronam appellamus, primùm eleemoſynas & commeatus largiebantur; deinde mutata voluntate opes ſuas ad ægrorum ſubſidium contulere. Hic etiam ab iis erecta ſunt Sacerdotia aliquot, & Pius IV. Pontifex Maximus, mire delectatus hujuſmodi hominum Inſtituto, illis attribuere voluit per Breves literas Templi hujus poſſeſſionem; Sed cum aliqua in iis literis eſſent, quæ ipſorum jura lædere videbantur, poſſeſſionem oblatam repudiarunt, Sacerdotiorum tamen ſuorum jure retento. Hæc idemmet Carolus ad Specianum ſcribit. Certum inſuper eſt, in fornicibus Templi hujus noctu congregatos pueros fuiſſe a Beato Hieronymo Æmiliano, cum Mediolani eſſet, quo eos periculis eriperet, & Chriſtiana Diſciplina erudiret, antequam a Franciſco II. Sforzia Mediolani Duce certam illis Sedem impetraret: ut legi in Actis cujuſdam controverſiæ coram Sancto Cardinali agitatæ a Præfectis cuſtodiæ Orphanorum Sancti Martini.

(*b*) Gaſpar Belinzagus, cujus ibidem extant mortales exuviæ, Mediolanenſium Sacerdotum florem huc advocaverat, & ſub ejus magiſterio Eccleſiaſtica diſciplina in hoc Templo vigebat. Illius imitatores eximii adhuc in vivis erant Ludovicus Moneta, quem ſæpe Carolus *ſuum* in literis appellat, & Franciſcus Crippa, qui, Belinzago anno MDLXXV. defuncto, in Oblatos deinde fuit a Carolo coopttatus.

(*c*) Locum hunc tanti fecit Carolus, ut plura in eo Sacella excitaverit, Chriſti dolores & cruciatus referentia, ut jam vidimus; & Speciano ſcripſerit: *Sibi maxime cordi eſſe Civium religionem erga hoc Templum inflammare*. Deinde cum de Oratorii Patribus a Sancti Simonis Templo aliò transferendis ageretur, hujus Ædis poſſeſſionem præclariſſimam eiſdem obtulit, cenſens hoc uno conſilio eos in Urbe retineri poſſe, cum hæreditatis ſuæ partem optimam illis concederet. Advertendum eſt autem deſignatam hanc Sedem Oblatis dum inſtituerentur; non tamen hic domicilium eorum collocatum, niſi ſub initium anni MDLXXX., poſtquam confirmati in Inſtituto ſunt, ut Borromeus ad Archipresbyterum Fontanam Roma ſcripſit. Id autem monui ad emendandum quorumdam errorem, qui Sodalitatis Inſtitutionem, & confirmationem non dividentes, aliquos ex primis Oblatis ab hac Congregatione expunxerunt.

(*d*) Aram hujus Templi maximam eo privilegio ornavit Gregorius XIII., ut declararet, eam gaudere iiſdem Indulgentiæ donis, quibus Romanum Sancti Gregorii Altare. Neque minus ſingulare hoc donum facit invaleſcens noſtris temporibus hujuſmodi beneficii frequentia; Nam ad hanc Caroli ætatem gemina erant pari dono ornata in Urbe Mediolanenſi Altaria, nimirum Ara Confeſſionis in Metropolitano Templo, & maxima in Sancti Sepulcri. Imo pro virili obſtitit Borromeus, ne aliis Eccleſiis hoc munus concederetur; qua ſuper re hoc anno ſæpius ad Specianum ſcripſit. Cum autem illud impetrare Sancti Sepulcri Aræ contenderet, hæc ad eumdem habet: „ Cum hujuſmodi dona Altaribus impetran„ da curantur, maxime in id excubo, ne Sacerdo„ tes religionem, tamquam velum, avaritiæ ſuæ ob„ tendant, ut facile uſuvenit. Id ego in Sancti „ Sepulcri Templo ne accidat, minime timeo, ubi „ Sacerdotum ab omni avaritiæ ſuſpicione alieno„ rum Societas excitatur; nec quiſquam alius Sacris „ operari ibidem poteſt, niſi oblata Scheda, cui ego „ ipſe ſubſcripſerim “. Hæc itaque ſacra huic loco delata a Gregorio XIII. dona. Præterea idem Pontifex Ottaciorum Præpoſitura Collegium hoc auxit, quam prius a Carolo Seminario conceſſam, impetrata a Moderatoribus rei Seminarienſis facultate, huic Sodalitati dedit, redituram tamen ad Seminarii jura, ſi quando Oblatorum Congregatio ſit deſitura. Ante obitum Carolus aliud Oblatis Sacerdotium impetravit ab eodem Gregorio: Sacerdotium nimirum Sanctæ Juſtinæ Ordinis Sancti Benedicti in Agro Alexandrino. Hoc commutare cum Romaniani Abbatia, & Præpoſitura Applani Idem volebat anno MDLXXXIV.; jamque cum Magiſtro Cameræ Apoſtolicæ tranſacta res videbatur; ſed improviſa Borromei mors conſilium intercepit. Ceterum poſt Gregorium Pontifices alii Sodalitium hoc beneficiis ornarunt, ut Sixtus V., Paulus V., & Clemens VIII. ut docet Cl. Rubeus in ſuo libro de Origine & Progreſſu hujus Congregationis; ut ſilentio præteream Mediolanenſes Archipræſules, qui paterno ſemper in Oblatos amore incenſi fuere, quorum ſemper patrocinio Sodalitium hoc gaviſum fuit, & imperio,

Digitized by Google

quid ſapientiæ extra clauſtra Cœnobitarum illa ætas habuit, ad nobilitanda novi Ordinis initia confluxiſſe. Ducenti Sacerdotes, atque in iis multi Doctorali laurea inſignes fuere, quos intra breve temporis ſpatium Sodalium numero adſcripſit, atque ex ipſa oblatione, qua operam ſuam Ambroſianæ Eccleſiæ devoverant, Sancti Ambroſii Oblatos appellavit. Supervacaneum autem fuerit Sodalitii præcepta, & inſtitutiones referre, quæ in Acta Eccleſiæ Mediolanenſis redactæ, ac typis impreſſæ terrarum Orbem pervagantur (*a*). In univerſum ea lex eſt, ut huic militiæ adſcripti ad omne auxilii genus parati ſint, quo Mediolani Archiepiſcopus ad provinciam ſuam rite adminiſtrandam indigeat.

Id unum ſolummodo timebatur, ne eum alii in Collegiis erudiendæ Juventuti operam darent, alii Diœceſim concionando peragrarent, alii diverſi generis Sacerdotia variis in locis obtinerent, ſacroſanctum illud mutuæ caritatis vinculum diſſolveretur, ex quo ſacrorum hominum ſocietates vim fere omnem, ac decus accipiunt. Quod ne aliquando eveniret, ſapientiſſime cautum eſt, ut conſortia quotannis celebrarentur (*b*), quo nomine congreſſus intelliguntur, ad quos Oblati regionatim conveniunt legum ſuarum, & fraterni nominis memoriam longinquitate conſeneſcentem renovaturi.

Sed nihil magis ad nobilitanda Sodalitii primordia, quam Conditoris benevolentia profuit. Nam quoties languentem diuturna ſolicitudine animum reficere vellet, cellulam quamdam, quam in S. Sepulcri domo ſibi delegerat, adire conſuevit, teſtatus ibi eſſe delicias ſuas, atque has maxime delicias Mediolanenſi Archiepiſcopo convenire (*c*). Ibi inter novæ inſtitutionis alumnos, haud ſecus, quam cinctus filio-

(*a*) Inſtitutiones haſce concinnatas longa conſultatione apud Deum, hominesque Oblatis demum tradidit Carolus ſub vitæ finem. Paleottus, & Valerius notiſſimi probitate & doctrina Cardinales eas ſuo adjecto calculo comprobarunt. Cum vero etiam Philippo Nerio expendendas obtuliſſet, Hic nulla cenſura uti voluit; ſed dijudicandas reliquit Beato Felici a Cantalicio ex Capuccinorum Ordine, qui ut erat literarum rudis, illectas Inſtitutiones Borromeo reddidit, idque unum admonuit Divino afflatus Numine, ut Oblatos omnes paupertatis vinculo liberaret; quam quidem legem ſanctus Conditor ſtatim ab illis expunxit. Maxime autem omnium placuere hæ leges Romano Datario, cujus ope ac diligentia Speciano ſcribit Sodalitii erigendi negotium fuiſſe perfectum. Cumque idem affine admodum hoc Inſtitutum Congregationi Oratorii videret, Carolum monuit, ut Romam mitteret geminos ex hac Sodalitate Adoleſcentes, Nerii Inſtitutis & diſciplina imbuendos, quibus huc remiſſis, novos ſemper in eadem Schola erudiendos ſubſtitueret. Certe Carolus monitum hoc non neglexit; ſed Abbatem de Auguſtinis Romam ocyus mittens geminos ſaltem a Philippo impetrare conatus eſt Patres, qui Oratorii leges Mediolani edocerent. Sed refragante Nerio eo, quod vellet Carolus, ejus Congregationis Patres huc venturos a ſuo unice pendere arbitrio, omiſſa tum res eſt. Nihilominus Philippus aliquot Roma miſſos Sacerdotes naſcenti huic Sodalitio dedit Collegas. Adversùs hoc erigendum Sodalitium id quidem Romæ objiciebatur: nimirum frequentiſſimos jam eſſe Clericorum Regularium Cœtus, quibus affinis admodum hic etiam videbatur. Sed errorem hunc evellere a Romanorum mentibus tentavit, hæc Speciano ſcribens die XV. Aprilis: „ Longe alius eſt Collegii inſtituendi finis „ ab illo, quem ſibi Regulares Clerici proponunt. „ Iſti ſuæ dumtaxat addicti ſunt Eccleſiæ: Oblati ubi„ cumque Sacrorum curam ſuſcipient, & Ambroſia„ næ, quacumque patet, Eccleſiæ inſervient, quo„ cumque tempore, & loco illorum opera Archi„ epiſcopus uti voluerit.

(*b*) Conſortia hæc, ut vocant, ſeu concilia in aliqua Diœceſeos regione quotannis cogi ſolita triduo expediuntur. Eo tempore Diviuis vacant, & Confeſſionibus audiendis, habendiſque ad populum ſermonibus Collegæ; inventaque ſunt, ut ſervaretur Canonice vivendi conſuetudo aliquo ſaltem tempore inter Oblatos. Aliquot in Urbe etiam per annum in Sancti Sepulcri Ædibus Cœtus hujuſmodi celebrantur, in quibus Sacra lectione & ſermonibus Oblati identidem roborantur, & caritatis veluti vinculo cohærent; eoque confluunt, quotquot aliis curis in Urbe diſtenti Sodales extra has Ædes vivunt.

(*c*) Delicias haſce ſuas nulli communes eſſe volebat præter Epiſcopos. Nimirum ſæpe huc ventitabat, ablegatis tamen ſemper ſervis, ſibique unus famulans noctu triclinium adibat, lychnum manu tenens, ut Bernardinus Mota teſtatur in Tabulis. Bononienſem autem Antiſtitem Paleottum, Veronenſem Valerium, & Bergomenſem Ragazzonium ſemper ad Oblatos viſendos, cum Mediolani eſſent, ducere ſolebat. Ex his Valerius ea dumtaxat de cauſa, ut Oblatos inviſeret, Verona Mediolanum venit, ubi honorifice exceptus latino etiam ſermone ab iis ad menſam fuit. Tanta extitit præclari Antiſtitis de hac Societate exiſtimatio, ut Theſaurum Piarum & Chriſtianarum Inſtitutionum a Joanne Perellio editum eidem Collegio nuncuparet anno MDLXXXIII.; quemadmodum etiam eodem anno Tractatum de Oratione ſive de Arte meditandi a S. Carolo concinnatum, & inter MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ aſſervatum, dum in Synopſes, ſive Tabellas redigeret, iiſ-

filiorum corona pater, familiares miſcere ſermones, communi menſa uti, &, ſi ſatis tegi tantæ virtutes, dignitateſque potuiſſent, non modo ſodalium unus, ſed ultimus etiam videri. Si quis vero in morbum incideret, miniſter ultro, & conſolator aderat; quin etiam vitæ, ne dum valetudinis reſtitutor. Id maxime expertus eſt Petrus Stuppanus, quem deſperata a Medicis ſalute ægrotantem, poſtquam humana remedia nihil proficere animadvertit, perſeverante ad Deum prece priſtinæ valetudini mirabiliter redonavit (*a*).

His, atque aliis benevolentiæ teſtimoniis adeo ſibi omnium animos conciliaverat, ut impoſita ſibi onera, quæ nec pauca, nec levia ſunt, non promptiſſime modo, verumetiam libentiſſime ſuſtinerent. Tolerabilior ſiquidem parendi neceſſitas eſt, quæ non tam legum ſeveritate, quam imperantis beneficentia, & amore ſancitur. Scholæ ad perdiſcenda Chriſtianæ Doctrinæ elementa paſſim in urbe, atque agro inſtitutæ, veſpertinæ ad Dominicæ Crucis cultum ſupplicationes, aperta ad pios congreſſus utrique ſexui ſacella (*b*), diſtributæ in ſingula anni tempora conciones, aſſidua Sacramentorum adminiſtratio, hæc omnia in Oblatorum curam tradita erant, quos illa S. Sepulcri Ædes tenet, plurium fere Præfecturarum, quam hominum domicilium. Quod niſi vitæ brevitas conſilii ampli-

---

iiſdem unice inſcribere voluit, præfixa benevolentiæ plena Epiſtola. Audi etiam quid Valerius idem in Caroli vita teſtatur in hæc verba: „ Ad quod (Oblatorum) Collegium cum non ſemel acceſſiſſem, „ & Epiſcopus, & proxime etiam Cardinalis, diſciplina Eccleſiaſtica, quæ in illo maxime floret, „ & piorum Sacerdotum laudabiliſſimis moribus, & „ eruditione varia ſum incredibiliter delectatus.

(*a*) Narravere teſtes producti cauſa Apotheoſis, „ Borromeum noctu diuque ægroti Stuppani lectulo „ aſſidentem pharmaca etiam eidem porrigere amantiſſime conſueviſſe: cumque triſte de imminenti „ ejus interitu nuncium a Medicis accepiſſet, (inter quos Nob. Ludovicus Septala, qui hæc ſcribit, de ejus valetudine deſperaverat omnino) „ Carolum in proximum cubile dilapſum diu oratioui vacaſſe: qua abſoluta, ad infirmum rediiſſe lætiorem Cardinalem, atque ægrum a morbo valde recreatum inveniſſe; & circumſtantes „ Illius precibus cælitus donatum ſaluti infirmum „ exiſtimaſſe". Huic vero poſtea plures provincias demandavit Carolus, ejuſque utili admodum opera uſus eſt. Primo enim Collegii Helvetici moderatorem eſſe juſſit; deinde divina Prædicatione pluribus in locis perfunctum, Roveredum evocavit, ibique Sacrorum curæ præfecit, cum ejus Vallis Præpoſitum, maleficarum & ſortilegiorum magiſtrum dignitate ſpoliaſſet. Poſt Cardinalis obitum Matii in Vulturenis Archipresbyter renunciatus eſt, ubi plures etiam lucubrationes in lucem edidit, nec minora perfecit pro fide Catholica iis in Vallibus retinenda. Ex primis rerum geſtarum a Carolo Scriptoribus fuit; ſed cum elucubratio ſua per multorum manus ſumma cum laude traducta ad quemdam maxime Borromei nomini intenſum perveniſſet, is acri cenſura hominem notavit, & cauſatus præcoces Cardinali cæleſtes honores in eo tribui, vetuit ne in lucem prodiret, licet adhuc MS. aſſervetur in Ædibus Sancti Sepulcri. Neque omittam aliud amoris teſtimonium Oblatis a Carolo exhibitum. Scribit Jo. Paulus de Clericis ex eadem Congregatione, miſſum ad ſe, dum Lomatii æger decumberet, Andream Bonum Cardinalis juſſu, qui, cum duobus inde milliaribus pertranſiturus eſſet, cauſatus ſe Paſtorali cura diſtentum aliò evocari, veniam veluti poſtulavit, quod ipſe ægro ſibi hoc officium præſens non perſolveret. Tamen, concludit, profuiſſe infirmo etiam Paſtoris abſentiam; nam Boni legatione audita, teſtatur æger, ſe ocyus convaluiſſe.

(*b*) Tria hominum genera, Cauſidicorum nimirum, Viduarum, & Matronarum hìc tum conveniebant. Inter has deinde ſpectabilis Sanctitate fuit Ven. Cornelia Lampugnana de Rhaude, ibidem ſepulta, cujus res geſtas Hyppolitus Porrus Mediolanenſis Patricius deſcripſit, & typis edidit. Subinde adjecta illis cura fuit Clericorum & Pœnitentium. In hoc templo etiam conveniebant ad Dei Verbum audiendum ex Sanctæ Urſulæ Sodalitate Virgines, cum ſæpe in MSS. Diariis legam hic etiam ab illis religioſum velum, ac veſtem accepta. Habere hic item ad eas ſolebat Carolus ſermones ſuos: Hinc in Homil. de S. Joanne Euangeliſta habita anno MDLXXXIII. in Templo Maximo hæc habet: „ Deputatus erat hic „ dies dilectis Sororibus S. Urſulæ; debebatur eis „ ſermo in Eccleſia S. Sepulcri; tenebamur ex conſuetudine ſuperioribus annis introducta ſpirituali „ eas hodie cibo reficere; & eo magis, quod Joannes virgo puriſſimus merito ſit primarius virginum advocatus. Sed in tanta ſolemnitate non „ fuit univerſus hic Populus defraudandus. Patientur ergo Filiæ meæ dilectiſſimæ poſtridie ſibi debitum perſolvi, nec ob id tanti Advocati patrocinio carebunt". Sed id potiſſimum ſpectavit Borromeus, ut hac in Æde frequentes haberentur Conciones præſertim de Paſſione Domini, ut Ipſemet teſtatur Homil. XCIX. „ Quid tot Oratoria? Quid „ Sacratiſſimum illud S. Sepulcri Templum, in „ quo toto anno, præter alia, ſextis feriis de Paſſione Domini ſermo habetur? Quid, inquam, hæc „ omnia poſtulant, niſi ut clamemus ſemper in auribus populi Mediolanenſis Chriſtum, & hunc Crucifixum"? Hinc mirum non eſt, quod alibi in Homiliis Templum hoc *Nobiliſſimum Spiritus Sancti Gymnaſium* magnificè appellaverit.

Digitized by Google

plitudinem fefelliſſet, plures aliæ haberentur Oblatorum familiæ, quas juſtis intervallis per univerſam Diœceſim diſtribuere ſtatutum Carolo erat, ut velut totidem cohortes in ſtatione poſitæ ad publicæ religionis cuſtodiam excubarent (*a*).

Quo latius interim Oblatorum nomen extenderet, laicos quoque homines in Sodalitium recipi voluit, qui voti religione immunes, atque in paternis domibus commorantes in unum tamen corpus inſtitutionum vinculo, & ſtudiorum ſocietate coaleſcerent. Et adfuit Deus incœpto; multique etiam ex primario Civium ordine nomina dedere, qui Sacerdotale decus, ſin minus dignitate miniſterii, virtutum certe imitatione æmularentur (*b*). Ac ne tanta in laicis hominibus pietas æquis ſtipendiis careret, annuit Summi Pontificis liberalitas, ut quoties Sodalitii præcepta adimplerent, toties pœnarum aliquot veniam conſequerentur, quibus neceſſe eſt humanæ vitæ maculas expiari.

CAPUT V.

Auguſtam Taurinorum Sacræ Syndonis adorandæ deſiderio incenſus aſperæ peregrinatione contendit.

1578. HActenus Caroli virtutes inimicorum odio, & calumniis circumſeptas, immixta Civium funeribus monumenta pietatis, reſperſoſque lacrymis paternæ beneficentiæ triumphos ſuſpenſa ſemper inter triſtitiam, & gaudium narratio noſtra recenſuit. Referam nunc intacta omni mœrore ſolatia, & repertas in ipſo do-

(*a*) Aliud Oblatis domicilium condidit Carolus: Rhaudenſe nimirum octavo ab Urbe lapide. Ceterum iis quinque etiam Seminariorum curam incumbere voluit: ſcilicet Majoris, Sanctæ Mariæ ad Canonicam, Sanctæ Mariæ Fulcuvni, Sanctæ Mariæ ad Nucem, & Sanctæ Mariæ Celanenſis: Collegiorum inſuper Borromeis Ticinenſis, Mediolanenſi Nobilium, Helvetici, & Aſconenſis. Pro Succeſſorum benevolentia adjecta ſunt alia, & aliqua immutata. Verum mirum dictu eſt, quantum Urbi noſtræ profuerit ſaluberrimum inventum, cujus cauſa ſexaginta poſt Caroli obitum Sacerdotum manus par ſemper viſa eſt tot muneribus obeundis. Nec minor apud exteros hujus Sodalitatis exiſtimatio fuit; delectati nimirum hoc Inſtituto alii Paſtores ſunt, & hujuſmodi Congregationes in alienas etiam Diœceſes invectæ. Jacobus Marchantius Paſtor & Decanus Couvinienſis in ſuo *Horto Paſtorum* ad Tractatum V. Virgæ Aaronis lectione V. hoc Inſtitutum mirifice commendavit hiſce verbis: „ Hæc itaque conſiderans Vir Sanctus (Carolus Borromeus) zelo zelans pro domo „ Domini, & Sanctuario ejus ædificando, non ſolum voce & exemplo, ſed & conſtitutionibus præ„ claris e luto eripere hos lapides conatus eſt, & „ e plateis ac viis publicis revocare, ſanctiſque mo„ ribus inſtruere, ut ædificarent populum, Eccle„ ſiamque Dei in ſuo quiſque officio . . . . . optavitque illud Prophetæ in Sacerdotibus Oblatis impleri: *Sicla dederunt lunen in cuſtodiri juis, & „ vocatæ dixerunt, adjumus: & luxerunt illi cum ju„ cunditate, qui fecit illas* “. Addit deinde anno MDCXXIV. erectum rite Leodii par Sodalitium ſub nomine Congregationis S. Caroli, quod favore ſuo ſuſtentarunt Stephanus Strecheus Suffraganeus Leodienſis, Joannes a Chockier Vicarius Generalis, & Sereniſſimus Elector Colonienſis Ferdinandus Princeps & Epiſcopus Leodienſis; & poſtmodum etiam Urbanus VIII anno MDCXXVIII. plurimis beneficiis ac donis ornavit. Patavii etiam, regente eam Eccleſiam bonæ memoriæ Gregorio Barbadico Cardinali, coacta eſt Oblatorum Sodalitas anno MDCLXXI. quæ vocata eſt SS. Proſdocimi & Antonii, ut patet ex eorum Inſtitutionibus typis impreſſis. Veronæ etiam ſub Auguſtino Cardinali Valerio floruit hujuſmodi Cœtus, ut Carolus in quadam Epiſtola teſtatur. Novariæ etiam Caroli Inſtitutum Gibertus Cardinalis Borromeus hoc ipſo, quo degimus, Seculo renovavit, ejuſque Eccleſiæ ſibi commiſſæ commodis conſuluit, parem excitans Oblatorum Sacerdotum Congregationem, quam iiſdem Mediolanenſium legibus ſibi, & Succeſſoribus devinxit. Omitto complures alias Sodalitates valde huic affines in Gallia & Germania, imo in Italia ipſa, quæ aut ad noſtræ amuſſim, aut certe imitationem aliquam excitatæ diverſis temporibus ſunt. Certe Carolus Ferdinandus Lateranus S. R. I. Comes Lodroni & Caſtri Romani, Præpoſitus inſuper & Canonicus Tridenti anno MDCCXVII., cum Vindobonæ typis ederet Oblatorum Inſtitutiones, in Nuncupatoria Epiſtola ad Pontificem Maximum Clementem XI atque ipſum Romanorum Auguſtiſſimum Cæſarem, & glorioſiſſimum Carolum VI. enixe optavit hujuſmodi Congregationes Romæ, Salisburgi, Brixinæ, Tridenti, & demum in primariis Urbibus omnibus inſtitui *ad fovendam & augendam ubique in ſubſidium inviſibile Paſtorum, & omnium immenſam, & intredibilem utilitatem*.

(*b*) Hoc tempore in hujuſmodi Oblatorum, quos Seculares vocamus, ordinem referuntur alii probitate & doctrina inſigniores Sacerdotes, tum Laici quoque Viri nobiles, & honeſto etiam genere nati, qui ad amplificandam Dei gloriam incumbunt, ſive in Cœtibus, ubi Chriſti doctrina explicatur, ſive in populi coitionibus ad Sanctæ Crucis erecta in Urbe ſigna, ſive aliis cujuſcumque generis religioſis operibus impliciti. Quare hoc Sodalitium ſanctitatis, & pietatis Urbanæ florem certe comprehendit.

Digitized by Google

dolore delicias, & ſuaviſſima alia religionis ſpectacula, qualia nec ſine admiratione illa ætas vidit, nec ſine delectatione commemorare poſteritas poſſit. Neque alienum ab inſtituto futurum arbitror, ſi rei ſeriem paulo altius repetam, ac plerumque incedenti per infinitos labores, & ancipites caſus Hiſtoriæ tranquillius aliquid, ac jucundius interponam.

Margarita Carmia Regio genere orta, Hectoris Luſignani uxor, cum omnia circum occupari Turcarum armis videret ex Cypro Inſula fugiens inter pretioſiſſima alia Linteum ſecum attulerat, quo Chriſti Salvatoris Cadaver involutum, ac ſepulcro conditum fuerat. Cum ex Italia in Gallias tenderet, ſubſtitit aliquandiu Civarone apud Annam Luſignanam conſanguineam ſuam, quæ Cypri Regum ultimi ſoror Ludovico Sabaudiæ Duci conjuncta in Matrimonium erat. Rogata deinde, ut imbutam illam Divino cruore Syndonem, perpetuum veluti benevolentiæ ſuæ teſtimonium in Sabaudia relinqueret, conſtantiſſime affirmare non dubitavit, nimis ingratam fore hoſpitii memoriam, quod ſibi cariſſimæ rei jactura conſtaret. Sed aliter, quam ipſa deſtinaverat, cæleſti decreto ſtatutum erat. Cum enim Lugdunum verſus inde diſcederet, jumentum, quo ſacrum pignus vehebatur, nullis aut verberibus, aut agaſonum artibus compelli potuit, ut porta pedem efferret. Hoc portento admonita, Linteo ibi relicto in Gallias abiit, nec ſine mœrore, quod tali theſauro ſpoliata abiret, nec ſine gloria, quod eo ſpoliari nonniſi per miracula potuiſſet. Percrebuit deinde Sacri Lintei fama veneratione Principum, & Summorum Pontificum indulgentia, quos inter Paulus II. Ædem, in qua auguſtiſſimum illud Dominicæ mortis monumentum aſſervabatur, conſtituto Canonicorum Collegio decoravit. Hinc magni gentium omnium concurſus ad Ædem fieri cœpere, ob maxima præſertim, & crebra beneficia, quæ inde referebantur. Traditum eſt Franciſcum I. Galliæ Regem ſpe valde ancipiti cum Helvetiorum exercitu dimicantem, cum voto rite concepto ad hanc Ædem peregrinari adorationis cauſa ſtatuiſſet, verſa repente prælii fortuna, victorem ex acie rediiſſe. Quæ ſtrenuiſſimi Regis proſperitas magno Allobrogum periculo ſtetit. Occaſione ſiquidem exorti cum eorum Ducibus belli, Sanctiſſimam Syndonem Sabaudiæ eripere, ac veluti æternum victoriæ pignus transferre in Gallias decreverat, niſi vigilantiſſima ad tanti muneris cuſtodiam Ducum ipſorum pietas locum injuriæ ſuſtuliſſet (a). Additur mirabile aliud, Gallici videlicet Exercitus Imperatorem ſub Henrici II. auſpiciis bellum in Subalpinis gerentem, cum Vercellis captis id, quod Franciſcus I. in animo habebat, exequi voluiſſet, inopinato ſtupore in ipſo peragendæ rei conatu

(a) Translata Vercellas eſt pretioſiſſima Syndon biennio poſtquam Sacellum Chamberiaci incendio eo conflagravit, cujus expreſſa veſtigia fuliginoſum alicubi Sacrum illud Linteum adhuc ſervat. Nimirum anno MDXXXV. cum Carolus Sabaudiæ Dux ingraveſcentibus bellis Sede ſua expulſus eſſet, illud Vercellas detulit, ubi aſſervatum eſt uſque ad annum MDLXII. quo tempore reſtituto in paternam ditionem Philiberto filio, denuo reportatum eſt in Urbem Chamberiacum. Nunc cum idem Philibertus Auguſtam Taurinorum illud transferre moliretur, initum conſilium eſt a Joanne Franciſco Bonhomio Vercellenſi Epiſcopo, ut tantum pignus Eccleſiæ ſuæ redonandum, Caroli interpoſitis officiis, curaret. Plures de hoc ſuperſunt Bonhomii ad Borromeum Epiſtolæ. Et ſane Caroli votis non omnino obſiſtere videbatur Philibertus, ut licet eruere ex Borromei reſponſione ad hunc data poſtridie Idus Junias: „ Viſum eſt mearum partium eſſe, ut Celſitudini Tuæ immortales agam gratias, quaſque „ maximas poſſum, quod tam cito petitioni meæ „ aſſenſa eſt, ſpondens Sacram Syndonem mihi juxta votum meum oſtenſum iri. Verumtamen „ quemadmodum ego nunquam ſiviſſem, ut pretioſiſſimum illud ſalutis noſtræ pignus cis Montes referretur, ut votis & commodis ſerviret „ meis; cum mihi trans ultimam Thulem, ſi fieri „ poſſet, navigandum eſſet, ut celeberrimum hoc „ humanæ Redemptionis monumentum colerem: „ ita cum ceteras cauſas Celſitudinis Tuæ pietate & „ prudentia dignas intellexerim, de quibus id perficere ſtatuit, beneficium, quod peramanter impertitur, libens accipio, & paratiſſimus ſemper „ monitum ſuum expectabo, ut Vercellis adſim, „ aut quocumque evocare me dignabitur. Ibi proxime complectar intima animi veneratione, atque deoſculabor Sacrum illud Linteum, quod jamdiu etiam longe diſſitus revereor, & videre percupio ". Sed hanc oblatam Borromeo ſpem aliæ, exque graviſſimæ cauſæ eluſerunt.

Digitized by Google

natu correptum irrito incœpto discessisse.

Sed jam ad Carolum redeo, cui semper animo insidens memoria suppliciorum, quæ Divinus Redemptor pro humani generis salute pertulerat, desiderium injecerat invisendæ Syndonis, quæ tot plane supplicium expressa insignia referret. Id se jam pridem facturum promiserat, cum primum liberatam pestilentia Urbem videret. Nunc, quod in votis habuerat assecutus iter ad Alpes in eam formam meditabatur, quæ tanto deinde magnificentior fuit, quanto longius ab omni magnificentiæ studio recesserat. Tenebat eo tempore Sabaudiæ, ac Pedemontii Principatum Emmanuel Philibertus Caroli amantissimus (*a*), Ejusque videndi cupidus ob mirabiliter gesta, quæ prædicari de Ipso audierat. Is cognita Caroli voluntate Sacrum Linteum ex Alpibus ad Principem Imperii sui Urbem transferri jusserat, ne Virum tot aliis laboribus fractum longitudo, & difficultas itineris ulterius fatigaret. Mittit deinde a Secretis Franciscum Linum, qui Cardinali nunciet „ magnum ex spe ejus adventus se animo „ gaudium percepisse, multoque amplius „ percepturum, si Taurinum veniens apud „ ipsum hospitari dignaretur. Commodissi„ mum autem fore, si paulisper adventum „ suum differat, quoad Helvetica legatione „ dimissa, qua nunc implicitus teneatur, li„ berius frui suavitate hospitii possit" (*b*). Hoc tam honorifico nuncio accepto, parabat interim Carolus expeditionem in subalpinos, qualem aliquis mediocris fortunæ homo lautius adornaret. Duodecim familiaribus (*c*), quos comites viæ delegerat, hæ leges datæ. Peregrinantium habitu, bacillis innixi omnes incederent obliti commodorum, prout deceret euntes ad contemplanda supplicia, quibus redempti essent. Ad prima solis orientis indicia in Templum convenirent: inibi Sacerdotes rem Divinam facerent; reliqui Eucharisticam Dapem ex Ejus manu sumerent. Iter ingressi binas horas meditationi impenderent, cujus argumenta a Patre Adurno Societatis Jesu Sacerdote accepissent: mox redemptionis humanæ mysteria Rosarii recitatione recolerent: quod temporis supereresset psallendo, colloquendoque de rebus æternis insumerent. Pomeridianis horis eadem ferme religionis officia usque in noctem producerent, ac toto quatridui spatio, quod destinatum itineri erat, neque se viæ traderent, neque designata curandis corporibus hospitia inirent, priusquam posito ante aras genu Divinam opem expoſcerent, atque horarias preces absolverent, quas ratio temporis postularet. Severioris abstinentiæ præ-

(*a*) Quanto in honore Carolum haberet Philibertus, plures integræ ipsius manu exaratæ declarant Epistolæ, in Bibl. Ambr. asservatæ: & multo clarius etiam tuendæ Religionis ardor, quem sæpe monitis ejusdem Borromei inflammatum Dux ille religiosissimus ostendit.

(*b*) Monitus jam sub Quintilem mensem fuerat Carolus, ut se citius huic itineri accingeret: alia tamen ex aliis oblata impedimenta illud distulere. Die autem XVIII. Septembris iterum a Francisco Lino, (hic Duci tum, sed antea Carolo ipsi a Secretis erat) rogatus fuit, ut Nemorosii Ducis discessum opperiretur; itemque quousque defungerentur legatione Helvetii, qui vetusta cum Sabaudo fœdera renovaturi advenerant, ab itinere supersederet. Gestiebat nimirum Philibertus sine arbitris familiariter Caroli consuetudine delectari, Ejusque simul pietate futuram celebritatem ornare. Spopondit interim Dux, nulli unquam visum iri Sacram Syndonem, nisi post Illius adventum. Hanc cunctationem patienter Carolus tulit: imo Speciano exponens dilati itineris causas, gratulatur sibi, quod nondum se in viam dare potuerit; cum sic legationi non esset interfuturus, quæ Cardinalem dedecere videbatur; quandoquidem in ea de firmando cum Hæreticis fœdere esset agendum. Tamen relatam silentio Augustam Taurinorum Sacram Syndonem vidêre ante Caroli adventum Helvetiorum Legati Catholici, nimirum Lucernensis, Uranienſis, Suittiensis, Subsilvanus, Tugiensis, & Friburgensis: privatim tamen, cum id beneficii enixis precibus exorassent, ut narrat Philibertus Pingonius in sua *Syndone Evangelica*.

(*c*) Undecim familiares in hac peregrinatione elegerat, quorum nomina placet referre, ut pateant ii, quos honorifica Cardinalis amicitia ornavit. Ex Canonicis Ordinariis Metropolitani Collegii tres, scilicet Bernardinus Cribellus, Octavianus Abbiatus de Forerlis, Joannes Baptista Caimus, quorum duos posteriores Oblatorum Ordini nuper aggregaverat; & ex domesticis suis selecti sunt Ludovicus Moneta, Antonius Seneca, Hieronymus Castanus, Camillus Castellanus, Hercules N. Notarius, Julius Homatus, Julius Brunettus, Ambrosius Bimius Cæremoniarum Magister: adjecti deinde duo ex Societatis Jesu Patribus; Franciscus scilicet Adurnus, & Jacobus a Cruce; atque ultimo ex Seminariensibus Clericis Joannes Petrus Stuppanus tum Sacræ Theologiæ studiis addictus, & jam in Oblatorum Sodalitatem adscitus.

Digitized by Google

præcepta in ciborum delectu ſervarent, ſimulque corpora dapibus, animos vero utili aliqua lectione reficerent. Pii poſt cœnam congreſſus haberentur, in quibus interiores animi motus quiſque depromeret, quos ex diurna contemplatione percepiſſet: nec, niſi explorato conſcientiæ ſtatu, lectulo ſeſe committerent. Ne deinde copia, vel ordo orantes deficeret, trina hæc meditandi argumenta in ſingulos dies propoſita. Primum Chriſti Domini itinera, & Judæorum terras beneficiis, miraculiſque peragratas cogitatione percurrerent: mox laborioſas Apoſtolorum expeditiones in extrema Mundi confinia; poſtremo aſſiduas humanæ vitæ ærumnas, & miſerrimi vere exilii pœnas expenderent, quas ſæpe cæca mortalitas cæleſtis Patriæ deſideriis anteponit (*a*).

Inſtructo his legibus comitatu, ad portam urbis, quæ Vercellas ducit, Pridie Nonas Octobris proceſſum eſt (*b*). Inibi Carolus Populo, qui ſequebatur, valere juſſo, atque a primarii Templi Canonicis poſt mutua pacis oſcula digreſſus Deſiderianum Meridie, Trecatum veſpere pervênit, qui locus Mediolano vigintiquinque millibus paſſuum abeſt. Obſeſſas ante ingreſſum multitudine hominum vias invênit; & quamquam obſcura nox incubuerat, cerei, faceſque undique collucentes natum jampridem alteri cælo diem revocabant. Felices appellabantur, qui veſtem Ejus contingere, aut Ejus manu Crucis ſigno muniri potuiſſent. Per conferta virorum, ac mulierum agmina, inter feſtivas acclamationes itum ad Lignipedes Franciſcanos (*c*), quibus Cardinalis cœna unius pomi diſpendio ſtetit.

Poſtero die nec imber aſſiduus, nec ſuperfuſa terris aquarum proluvies obſtitere (*d*) ad animi ſui delicias properanti, quominus iter Novariam verſus continuaret. Ea Cæli intemperies ſpem Novarienſibus fecerat optatiſſimum Hoſpitem poſſe apud ipſos diutius diverſari. Paraverant publico nomine hoſpitales ædes, Clerique, & Populi principes obviam effuſi pro ſe quiſque orabant, ne immaturo diſceſſu in tanta ærıs adverſitate amantiſſimæ Civitatis deſideria fraudaret. Ille cauſatus incommoda, quæ ſibi ex ea mora imminerent, ac dolorem repulſæ verborum humanitate deliniens, poſt breves ad Deum in Tem-

(*a*) Si quid luculentius in hanc rem velis, conſule Epiſtolam, quam de hoc itinere enucleate ſcripſit Pater Adurnus vix dum redux ex hac peregrinatione ſtylo Italico. Eamdem Latine poſtmodum reddidit, ac luce donavit Joannes Antonius Guarnerius Canonicus Bergomenſis Carolo amiciſſimus, ut ex literis conſtat, & Philibertus deinde Pingonius ad calcem ſuæ *Syndonis Evangelicæ* adjecit.

(*b*) Quid in limine itineris præſtiterit habemus ex eadem Adurni narratione. Nimirum pridie, quam ſe in viam daret, coacti in unum locum peregrinationis comites gravi ſermone excitati ſunt, & moniti de hujus itineris cauſis, mox a Cardinali benedicente dimiſſi. Mane poſtero, re Divina peracta a Sacerdotibus, aliquibus Euchariſtia Cardinalis manu refectis, ſolemni ritu expiati ſunt baculi, & indumenta Peregrinorum. Mox iis veſtibus induti comites ordine viam ingreſſi ſunt, quos ſubſecutus Metropolitanus Clerus, Cardinalem alterno Pſalmorum Gradualium cantu ad Vercellenſem uſque Portam deduxit. Hic paludamento purpureo depoſito, Carolus violaceam breviorem veſtem, quæ medium crus pertingebat, induit, retenta tamen linea exteriori veſte, quam Rochetum dicunt. Baculo deinde accepto, ſingulos Canonicorum ſuorum amantiſſime complexus, oſculo inſuper dignatus eſt. Solus conſtans fuit in omnium fletu: & Joannes Baptiſta Fontana tum Archipresbyter, poſtea Ferrarienſis Epiſcopus iſta commemorans in Tabulis ſcribit: „ Iterum „ meum cor rumpitur pietate memorantis, quo amo„ re extra Vercellenſem Portam, quo illum Augu„ ſtam Taurinorum peregrinaturum ſupplicabundi „ deduximus, me complexu dignatus mox cum oſcu„ lo ſuaviſſime dimitteret. An quiſquam eo tempore „ tam durus fuit, ac ferreus, cui tantus Patris amor „ uberrimas lacrymas non elicuerit?

(*c*) Hic locus fuit ad nocturnum hoſpitium delectus. Itaque de more Oppidum ingreſſus recta ad Templum perrexit; unde ad Minores Obſervantes digreſſus eſt. Incœnatus autem una cum ceteris cœnantibus accumbebat prælegens ſacra quædam convivis. Sub cœnæ autem finem, Patre Adurno enixe orante, oblatum pomum comêdit, & vini poculum bibit. Omnia in hoc itinere Borromei ſumptibus eſculenta comparata ſunt Peregrinis omnibus Novariam & Vercellas uſque, ubi Philiberti Ducis nomine Marchio Romaniani ad Carolum legatus, vetuit exinde quidquam Cardinalis impenſa fieri. Hæc Octavianus de Foreriis & Pater Adurnus itineris comites teſtantur.

(*d*) Trecati die poſtero manſit uſquedum in Sacra ejus loci Æde Divinis operaretur, & confertæ multitudini atque primoribus Oppidi Sacram Dapem porrigeret, quibus peractis pluvio licet cælo viam ingreſſus, Novariam hora XIV. pervênit.

Digitized by Google

Templo maximo preces Camairanum olim Arcum Marianum ignobilem Novarienſis agri vicum recta tetendit. Ibi quoque moræ impatiens menſam illico apparari jubet, qualem inexpectatus ſibi, ac ſociis invenire in agreſti loco poterat [a]. Agebatur deſiderio ante noctem adeundi Vercellas, ulterius etiam tranſgreſſurus, niſi feſtinandi deſiderium pluvia intercepiſſet. Occidente jam ſole urbi appropinquantem Franciſcus Bonhomius, & cum eo majores Canonici, Nobiliſſimique Civium excepere: reliqua Populi pars in adverſa fluminis ripa, quo urbs ab agro dirimitur, magni exercitus ſpeciem præferebat [b]. Cum hoc tanto comitatu ingredientem Sacerdotes in longum ordinem decorè compoſiti ad aram Templi maximam deduxere, præter ceteros apparatus, pluribus Sanctorum reliquiis magnifice ornatam, quo nempe ornatu nihil jucundius Caroli oculis objici poſſe cognoverant [c]. In Epiſcopi palatio ea nocte cœnatum eſt, inviolata ſemper lege, ne quidquam frugalitati munificentia detraheret.

Luce orta longe alius in diſceſſu peregrinorum numerus fuit ab eo, qui ante Urbem inierat. Auxerant agmen Epiſcopus ipſe Bonhomius, nonnulli Canonicorum, & cum aliis piis hominibus duo nobiliſſimi viri ab Philiberto Duce præmiſſi [d], ut ingreſſum ditionis ſuæ confinia Cardinalem comitarentur, atque ad omnia mandata præſto eſſent. Nec tamen hæc ſociorum acceſſio quidquam regularum imminuit, de quibus Mediolani ante diſceſſum convenerat. Pedibus omnes ibant, nunc ſilentes, & meditabundi, nunc alternis pſallentes choris; & cum Caroli exemplo omnes regerentur, ſumma omnium in agendo conformitas erat. Laborioſiſſimum ſane iter ejus diei fuit, cum & longior via eſſet, & in lutulento, udoque ſolo ægre veſtigia molirentur. Carolum ipſum adeo fatigaverat viarum ſive longitudo, ſive difficultas, ut cum veſpere ad hoſpitium perveniſſet, ſuperante eſuriem laſſitudine, omnino incœnatus lecto ſe traderet [e].

Sed neque ad obeunda munera, quæ antelucanis horis exercebantur, idcirco ſegnior fuit [f]. Poſtrema hæc itineris dies erat, & propius ob oculos poſita votorum meta vires ad curſum addere videbatur. Octo millibus paſſuum adhuc Taurino aberant,

(a) Deceptus ſpe ſua Novarienſis Epiſcopus tum arthritide laborans ad Arcum Marianum, ſeu Camerianum præmiſit, qui juxta Borromei leges frugale convivium inſtruerent. Huc itaque cum perveniſſet Cardinalis, & fluentes aqua veſtes periculum Ejus valetudini creare poſſent, rogatus aliquantulum ad ignem, antequam digrederetur, acceſſit, quod vix alias poſt peſtilentem annum contigit.

(b) Hic Bonhomii occurſus extra Urbem ad mille paſſus fuit; pedes deinde ad Urbem uſque ingreſſurum Carolum idem honorifice deduxit. Primis ferme tenebris ad Seſſitem fluvium ventum eſt, cujus ulteriores ripæ funalium multitudine, & Civium cujuſcumque ordinis redundabant.

(c) Hæ ſemper deliciæ Caroli fuere. Narrat nimirum in actis Apotheoſis Comes Georgius Trivultius Borromeum anno LXV. ſupra ſeſquimilleſimum Mediolanum properantem triduum Florentiæ fuiſſe, quo tempore Florentinas Pandectas obiter inſpicere voluit; ceterum frequentiſſime Templa adire conſueverat, præcipue autem Ædem Deiparæ ab Angelo ſalutatæ Sacram, comite ſemper adjuncto Coſmo Magno Etruriæ Duce. Antequam autem eam Urbem ingrederetur, cum in Suburbano Coſmum eumdem opperiens ſubſtitiſſet, ad Carthuſianorum Monaſterium interim deflexiſſe, nequa ſibi otioſo temporis particula efflueret, & rogaſſe ut Sanctorum inibi repoſita Lypſana inſpicere ſibi liceret: inter quæ dum Sancti Joannis Chryſoſtomi caput contemplaretur, totus ſubſilire gaudio videbatur.

(d) Legati ad Eum fuere nomine Sabaudiæ Ducis Federicus Ferrerius Romaniani Marchio & Carolo affinis, itemque Franciſcus Linus filius ex fratre Alberti Lini Veronenſis Presbyteri, cujus opera, in Mediolanenſi Eccleſia adminiſtranda uſus fuerat Carolus & præcipue in reſtituenda Parthenonum diſciplina, quo tempore ſubſiſtere Romæ Avunculo vivente coactus fuerat.

(e) Hoc die VIII. ſcilicet Octobris ad Crobam Vicum inſtructum eſt prandium, juſſu Marchionis Ferrerii Legati, in cujus Ditione is locus erat. Veſpere autem Cilianum ventum eſt, ubi confecto itinere Carolus viribus deficiens, incœnatus cubitum ivit, ſacris exercitationibus, quæ ejus temporis erant, in diem ſequentem indictis. Longa ſcilicet itineris contentione & pluviæ tempeſtatis injuria Illius pedes adeo intumuerant, ut firmis vix ſtare veſtigiis poſſet.

(f) Veluti antecaptæ quietis heſternæ pœnas a ſe exacturus Borromeus citius lectum deſernit mane poſtero, quo, omnibus rite perfectis, ante lucem viam ingreſſus eſt prælatis funalibus.

Digitized by Google

rant, cum Archiepiſcopum (*a*), alioſque ejus urbis Dynaſtas obvios habuere. Feſſi utrinque ex itinere erant, & ſive jejunium ulterius ferre non poterant, ſeu nulla capax tantæ multitudinis domus in proximo inveniebatur, ſubitaneo quodam conſenſu ſtatutum eſt, ut eadem ſilva, in quam forte convenerant, communis convivii locus eſſet. Simplici cibo contenti herbido in ſolo conſedere omnes (*b*): proceræ arbores tecta, & umbras præbebant; & magna pars voluptatis erat carere inani pompa, & ſupervacaneis apparatibus, quos infana gulæ cupiditas, immo verius oſtentatio divitiarum invexit.

Ceterum ea, quæ hujus convivii ſimplicitatem ſecuta ſunt, adeo plena ſplendoris, & gloriæ fuere, ut ſatis oſtenderent humana omnia Sanctis famulari, poſtquam ipſi humana omnia pro Divini Nominis honore deſpexerint. Cardinalem, cui paucas ante horas humus pro menſa, ſilva pro hoſpitio fuerat, nunc ad Auguſtæ Urbis mœnia ſuccedentem Clerus univerſus, præcipui Nobilium, Principes ipſi rerum Domini extra Portas obviam egreſſi deduxere (*c*) in Urbem ea plane magnificentia, qua contentus eſſe quilibet Regum poſſet. Aulicorum cohors poſt ſacros Ordines ibat eo veſtium cultu, qui ſplendore ſuo omnem ſervitii ſpeciem abſtergeret. Peregrini proxime ſequebantur inter equitum turmas, ac populi plauſus, dejectis in terram oculis, haud ſecus compoſiti, quam ſi inter vaſtas ſolitudines, & deſerta ſilvarum incederent (*d*). Modico deinde ſpatio interjecto Dux ipſe Emmanuel, & Princeps filius veniebant, ille Caroli, hic Cardinalis Ferrerii, qui cum reliquis in occurſum prodierat, levum latus tegentes. Claudebant agmen Taurinenſis Archiepiſcopus aliarumque Civitatum Antiſtites, ſtipante viarum margines Prætoriano milite, qui irruentem undique multitudinem ſuſtineret. Bombardæ interim repetitis ictibus ex Arce, & propugnaculis detonabant, quomodo terrores iſtos cladibus æque, ac triumphis ſervire potentia Principum docuit.

Nec vero mihi virtutes Caroli eximias proſequenti propoſitum erat honores omnes ſingulatim exponere, quos ex ea peregrinatione ampliſſimos retulit. Nam & ornata regio cultu hoſpitalis Ædes (*e*), & amica cum præclariſſimo Duce colloquia, & menſæ

(*a*) Hieronymum nimirum a Ruvere, qui in mandatis a Duce habuerat, ut venienti Borromeo occurreret, & ocyus regreſſus ſe præmoneret, quo tempore Ille eſſet adventurus, ut quos mente conceperat honores, ingredienti Cardinali exhiberet. Hic autem Archiepiſcopi occurſus ad Rivum Martini fuit.

(*b*) Ne quidpiam diſſimulemus, diverſimode aliquantulum rem narrat Pater Adurnus, a quo plura mutuati ſumus in hac narratione; quandoquidem integerrimus teſtis videtur, qui pars horum fuit. Narrat ille in deſerto incultoque loco cibum ab omnibus ſumptum; cumque vix ſellæ Cardinali atque Epiſcopis ſufficerent, plures ſtantes ſe refeciſſe.

(*c*) Statim a prandio prægreſſus Auguſtam Taurinorum Archiepiſcopus, Duce admonito, extra Urbem ad mille paſſus Carolo iterum obvius fuit. Mox Ducis equitatus in via adfuit, qui medium complexus Peregrinorum agmen ita diviſus eſt, ut pars ejus antecederet, pars ſubſequeretur. Ad quatuor ab Urbe ſtadia occurrit Guido Cardinalis Ferrerius Carolo cumprimis carus, qui Peregrinis adjunctus reliquum itineris pedibus confecit. Duo vix ſtadia emenſi omnes, obvium habuere Philibertum Ducem, & Carolum Emmanuelem ejus filium, quos alii Equites ac Nobiles Viri comitabantur. Dux Cardinalem Borromeum complexus, Eumdem a dextris juſſit incedere, & primum caput tegere comiter, modeſtiſſimeque compulit. Cardinalis Ferrerius ad dexteram ſublequentis Principis inceſſit: ſequebantur ultimo alii omnes Antiſtites, qui ea occaſione evocati Auguſtam Taurinorum fuerant: nimirum Archiepiſcopi Taurinenſis Hieronymus a Ruvere, Tarantaſienſis Joſeph Parpalia: Epiſcopi vero, Ventienſis Ludovicus Grimaldus, Ticinenſis Hyppolitus Rubeus, Auguſtenſis Cæſar Gromius, Savonenſis Cæſar Ferrerius, Salutiarum Joannes Maria Taparellus.

(*d*) Hæc ſuis vere coloribus pingens Philibertus Pingonius ait: „ Videre erat vadentes binos fuſco „ amictos pallio, ſcipioni innixos, macilenta fa„ cie, abraſa barba, demiſſis oculis, aut quandoque „ in cælum erectis, muſſitantes, & mixta inter„ dum ſuſpiria trahentes, nihil mortalis præ cor„ pore, divinitatem ipſam toto corpore ſpirantes. „ Noviſſimus aderat Cardinalis ad Ducis dexte„ ram, humanitate ipſa humaniior, vel ipſo vultu „ liberali, licet pallido, ſanctimoniam omnem præ„ ferens “. Hæc præſens tum deſcripſit Pingonius, & triennio poſt typis edidit, dum adhuc viveret Borromeus.

(*e*) Apparatum Carolo hoſpitium eſt non in Regia, ſed eam propius, & Regio plane cultu ornatam; quandoquidem eadem ibi ſtragula veſtis, & Attalica peripetaſmata viſebantur, quibus inſtructum idem

Digitized by Google

ſæ ſocietas, & repetitæ viſitationes (*a*), teſtimonia quidem, non incrementa Sanctitatis fuere. Illa propius ad inſtitutum hiſtoriæ pertinent: intermixti colloquiis de religione ſermones, deprompta inter epulas Divinæ Scripturæ oracula (*b*), & quoties occaſio ſe daret, producta documenta, quibus imperia contineri, & adminiſtrari rempublicam maxime deceat. Sed nec iſta fortaſſe, quæ in Aulæ penetralibus acta ſunt, recenſeri oportebat, antequam alia de Caroli cultu erga Sacram Syndonem memoratu digna referrem, in quæ præcipue narratio noſtra tetenderat.

Primo igitur, poſtquam pervenerat, die, quamquam & feſſus quatridui via erat, & in ſaucio pede ob medentis imperitiam remedii loco novum vulnus acceperat, Laurentianam Ædem, in qua Sanctiſſimum Dominicæ Paſſionis monumentum aſſervabatur, paulo poſt ſolis ortum adiit, ac ſacrificio peracto, multos eorum, qui frequentes convenerant, Divini Sacramenti Communione refecit. Quos vero animi motus ex matutina illa viſitatione retuliſſet apertius poſt meridiem oſtendit, cum translato in Templum maximum Linteo, illuc cum reliquo peregrinorum agmine proceſſiſſet (*c*). Nam ut perempti Salvatoris imaginem, ut immanes vulnerum hiatus, ut punctiones ſpinarum, flagellorumque vibices ſanguineis omnia notis expreſſa conſpexit, continere ſe ipſum ultro non potuit, quin in ſuſpiria, & lacrymas confeſtim erumperet. Luſtrabat oculos ſingula ſuppliciorum genera, quæ Divinum illud Corpus afflixerant, & cum tanti ſtetiſſe hominum ſalutem videret, dolor ſimul, atque amor, quibus interius urebatur, in vultu, atque oculis eminebant. Idem oris, atque animi habitus erat, ſive delatam publice Syndonem ſequeretur, ſive in

idem hoſpitium fuerat Henrico Galliæ Regi, dum e Polonia redux per Taurinos ad Regnum capeſſendum proficiſceretur. Verumtamen antequam ad illud Carolus diverteret, primum ad Cathedralem Ædem recta perrexit, mox metam veluti attacturus, deflexit ad Regium Sacellum, in quo Sacra Syndon aſſervabatur, ubi, *quas preces Vir ille fuderit, quæ vota ſolverit, eſſo Superûm noviſſe, non meum, ut explicem*, ait idem Pingonius.

(*a*) Dux Philibertus primo veſpere Cardinalem ad ſtatutum uſque cubiculum proſecutus, ibidem ſine arbitris reliquit, ne defeſſo gravis eſſet longius protractis officiis. Datus tamen hoſpitii comes Guido Cardinalis Ferrerius, quicum affinitatis, & dignitatis cauſa liberius Carolus verſaretur. Ibi dum bullas in talis enatas propter viarum aſperitatem Chirurgi curant, altius & ad vivum carnem incidêre; quare cetera Borromeus exinde pedibus æger obivit, licet animi conſtantiam nunquam remitteret. Dicebat autem familiaribus, id divino conſilio accidiſſe, ut tanto in ſplendore, ac gloriæ inanis periculo Chriſti patientis cruciatus pedum dolor altius animo infigeret, atque in memoriam revocaret. Primo poſtquam advenerat die Philibertus apud Borromeum conviva fuit, & multum recuſans, tandem medius inter Ipſum, & Ferrerium accubuit. Inſequente die, ſcilicet XI. Octobris, itemque XV. Princeps Carolus Emmanuel Cardinalis convivium iniit. Die autem XVI. Dux Borromeo prandium inſtruxit, quo item tempore a prandio ad duas horas ſine arbitris colloquti una fuere. Tum prolixe de animarum ſibi commiſſarum ſalute, de Divinis, & perfecta regendi populos ratione actum eſt. Atque iſtam Caroli orationem ſecundis admodum auribus Dux excepit. Genevenſes certe commovit, atque uſſit tanta Cardinalis cum Duce familiaritas: & palam dictatum eſt, in eo colloquio actum fuiſſe de Geneva recuperanda, & Catholicæ Fidei iterum aſſerenda. Contra Romæ in deteriorem partem Hiſpani interpretati ſunt hanc effuſi animi in Philiberto ſignificationem; cumque inania, quæ paſſim illic jactabantur dicteria, Carolus per Specianum intelleXiſſet, reſpondit: „ Audio quoſdam plurima admo„ dum a veritate aliena comminiſci, perperam „ meum iter hoc interpretantes, Quod ad me at„ tinet, certe ſemper eo animo fui, ut quod re„ ctum videtur, faciam; ſinam deinde alios in eam „ partem mea facta accipere, in quam ipſi detor„ quere voluerint.

(*b*) Quo die cum Principe Emmanuele primum diſcubuit, prælegebatur convivis ex Caroli mandato Machabæorum Liber: quo lecto Princeps, ut erat ingenio peracri, & in Sacrorum Bibliorum lectione verſatus, ornate admodum de Machabæis, & cum ſumma dignitate diſſeruit. Placuit Cardinali adoleſcentis Principis indoles, & multa identidem de Sacra Hiſtoria rogans, ex aptis reſponſionibus ſubtile admodum illius ingenium fuit admiratus.

(*c*) Die X. Octobris Feria nimirum VI. repoſita eſt Sacra Syndon in Odæo Cathedralis Templi: deinde privato ritu ad ſaturandam Borromei, Ejuſque comitum religionem explicata fuit, Taurinenſi Archiepiſcopo revelante. Tantus in omnibus conſecutus eſt animorum motus, ut locus ille gemitibus ac ſuſpiriis perſonaret. Mandaverat eo tempore Carolus Patri Adurno, ut apta oratione pietatem in aſtantibus excitaret; irrito tamen conſilio, cum erumpentes lacrymæ vocem ſemper intercepiſſent. Dia univerſi in ſuaviſſimo hæſere conſpectu; demum poteſtas Borromeo, & dignioribus facta eſt, ut vulnerum veſtigia Chriſti ſanguine illita oſcularentur. Sic demum Sacro Linteo repoſito, reditum ad hoſpitium fuit.

Digitized by Google

in Altari collocatam inviſeret, aut in ejus conſpectu, quod ſummum illi ſolatium erat, perlitaret (*a*). Cumque ſalubri conſilio ſtatutum eſſet, ut quamdiu Syndon palam expoſita remaneret, acciti e Sacris Ordinibus Oratores ſermonem aliquem de Chriſti doloribus ad Populum haberent, ter Ipſe ſibi concionandi munus aſſumpſit (*b*), ut nimirum dulciſſimos grati animi ſenſus, quos erga Divini Liberatoris beneficentiam conceperat, in aliorum cordibus excitaret. Quin etiam poſtremo celebritatis die cum Duci placere intelligeret, ut apta ſanandis Hæreticorum mentibus, quorum multi ex conterminis Pagis, Oppidiſque confluxerant, in concionibus tractarentur, conſcendens iterum ſuggeſtum (*c*), ſatisfacere Ipſe meritiſſimi Principis deſiderio voluit, idque tanto promptius, quanto ardentius, quam quilibet alius Orator, incrementa Catholicæ Religionis optaret.

Inter hæc diſcedendi tempus advenerat (*d*), triſtiſſimum ſcilicet tempus amantiſſimo Duci, qui prope nollet tantum Hoſpitem domi excepiſſe, ne mox tanto cum dolore dimitteret. Æſtimationem certe de Ipſo conceptam, quamvis in Ejus adventu, atque omni deinceps tempore ſatis oſtenderat, nunquam tamen apertius, quam in diſceſſu comprobavit. Eodem ſiquidem die, qui ultimus hoſpitii fuit, remoto menſæ apparatu, cui ſimul uterque accubuerat, graviſſimas cum ipſo æternæ ſalutis, imperiique curas communicaſſe traditur, & conſtituta in primis habuiſſe conſilia, quibus Calviniana Hæreſis ex Sabaudiæ finibus pelleretur. Poſtera vero die cum digrediendi tempus proxime inſtaret, vocatis filiis Carolo, & Amedeo, juſſiſque in genua procumbere, Cardinalem rogabat, ut eos ſalutari ſigno munire dignaretur. Quod cum ægre ob Cardinalis modeſtiam obtinuiſſet, converſus ad filium natu majorem, „ ego te, „ inquit, fili ſummopere hortor, ac moneo, „ ut Cardinalem hunc ipſum, qui nunc pro„ ſpera omnia nobis a Deo precatus eſt, Pa„ tris loco habeas, teque feliciter regnatu„ rum exiſtimes, quamdiu mandatis ejus, „ præceptiſque parueris. " Ad ea juvenis Princeps ita ſe plane facturum reſpondit tanta hilaritate oris, ac ſuavitate verborum, ut lacrymas ex adſtantium oculis eliceret. Nec ſane defuit promiſſis fides. Mortuo enim poſt biennium Emmanuele Philiberto, Caroli amicitiam diligentiſſime coluit, paterna invicem cura ita a Carolo adjutus, ut

vix

(*a*) Quotidie eo octiduo, quo ea in Urbe fuit Borromeus, in S. Syndonis Sacello, & aliquoties in ejuſdem conſpectu Sacris operatus eſt, ſi unam diem demas, qua apud Patres Societatis Jeſu perlitavit, & Euchariſticum Panem pluribus diſtribuit. Sexto Idus Octobris poſt meridiem translatum in Cathedralem Eccleſiam Sacrum Pignus fuerat, & V. Idus conſultatum eſt de illo venerationi omnium proponendo in eadem Baſilica. Verum nimia affluente populi multitudine, mutatum conſilium fuit, ut omnium votis ſatisfieret; delatamque Syndonem in pegma erectum ad aream Arci veteri præjacentem, Cardinalis cum adminiſtris Epiſcopis ter in altum ſuſtulit, quo commodius populo conſpiceretur. Mox autem in Cathedralem Baſilicam eâ reportatâ, indicta eſt ad XL. horas venerantium ſtatio, & diu noctuque continuata. Reddita demum Sacello ſuo fuit die XIV., ubi Sabaudiæ Principem ad poſterum diem Divino Pane Cardinalis refecit.

(*b*) Graviter & luculenter Borromeus diſſeruit: Ejuſque exemplum imitati ſunt Cardinalis Guido Ferrerius, & ſeptem alii Epiſcopi. Quatuor etiam ex Caroli comitibus Sermonem habuere. Alii deinde ad id munus electi ex SS. Dominici, & Franciſci Ordinibus complures, aliquot ex Societate Jeſu, & ex Camaldulenſi Ordine, præter inſignes aliquot ſcientia Sacerdotes ex Taurinenſi Canonicorum Collegio, & vicinarum Regionum Clero.

(*c*) Exierat jam præfinitum Stationi tempus; ſed cum plures Hæreticorum ex proximis Vallibus Cardinalis fama, Ejuſque viſendi ſtudio illecti confluxiſſent, protracta iterum Duce annuente Statio orantium eſt. Quo tempore Carolus Orator extemporaneus nova Concione eò Sermonem ſuum deflexit, ut Hæreticorum præcipue dogmata exagitaret. Tantam autem ſuæ orationis memoriam Taurinenſium animis infixit, ut religioni ſibi duxerint ſuggeſtum, in quo Ille Sermonem ſuum habuit, ad hanc uſque diem magna reverentiæ & obſequii teſtificatione cuſtodire.

(*d*) Antequam diſcederet, licet Sacra Syndon ſuæ eſſet thecæ reſtituta, iterum privato ritu propoſita eſt Borromei oculis, ut abſens ferret tranquillius Ejus deſiderium: qua viſa Sanctus Cardinalis *ad pretioſæ Imaginis pedes ſummo cum ſtudio atque humilitate projectus, non prius ſurrexit, quam in uſitata ſede collocata eſt*, ut ſcripſit Pater Aduarnus.

Digitized by Google

vix orbitatis ſuæ damna ſentiret (*a*).

Quo tempore deceſſerat Pater, immatura adhuc imperio erat Principis ætas, atque adeo timeri poterat, ne arbitrio ſuo relictus ad deteriora declinaret. Itaque Cardinalis, qui optime noſſet, quot ſemper obnoxia periculis inter Aulæ delicias Principum etiam gravior ætas fuerit, haud unquam deſtitit Juvenis animum opportunis munire conſiliis, miſſo inſuper prudentiſſimo, ſanctiſſimoque Dominicani Ordinis viro, qui conſcientiam ejus regeret, ſeque de ea, quam ſervaret, adminiſtrandæ reipublicæ forma certiorem faceret. Cujus rei, aliorumque beneficiorum memor (*b*) Sabaudus, poſtquam Carolus diem ſuum obierat, ſuas & ipſe preces ad Summum Pontificem cum ceteris Europæ Principibus dedit, ut cæleſtes illi honores decerneret, ac voti compos factus ſepulcrum ejus donis ampliſſimis decoravit (*c*).

CA-

(*a*) Vere Patris loco Emmanuel nactus eſt Borromeum. Incredibile dictu eſt, quam ſolertem illius curam Patre defuncto Cardinalis gereret. Reprehendit aliquando liberius, quod rarius Sacramentis ſe muniret; alias ut cum eodem ageret, ad illius Regiam perrexit, ut alibi videbimus. Pluribus conſiliis eumdem juvit, cum de illius nuptiis eſſet agendum. Deinde inflammavit acriter ad expeditionem contra Soſpitelli Hæreticos ineundam, imo apud Pontificem & Hiſpaniarum Regem ſubſidia comparaverat pro Geneva recuperanda. Extant in Bibliotheca Ambroſiana plures Emmanuelis manu conſcriptæ Epiſtolæ ad Borromeum, aliæ item ad ipſum Borromei, ex quibus patet ſecretiora omnia illius conſilia Sancto Cardinali patuiſſe. Nunquam enim Carolus memoriam tam dilecti filii abjecit, cum anno inſequente ad eum ſcripſerit: *Hærere ſemper in ſuo animo inſixum ejus beneficiorum, & præclaræ indolis memoriam, ex quo tempore primum in illius virtutem, & optimam a Deo datam mentem introſpexit.*

(*b*) Pari ratione Filium ſe geſſit in Borromeum Emmanuel. Pater Franciſcus Panigarola Auguſtam Taurinorum miſſus anno MDLXXXI ut Euangelicam Prædicationem coram eo Duce obiret, ſcribit ad Carolum: „ Nihil ſibi mollius videri indole Emmanuelis, eamque eſſe Civium opinionem ad „ eam uſque ætatem, eamdem eſſe in Duce motum innocentiam, quam ex Baptiſmo retulerat. Illum juxta accepta ab Eo monita ſanxiſſe, ut Taurinenſes a die Cinerum inire jejunia aggrederentur, licet nova illi populo conſuetudo admodum gravis „ videretur. Demum ad pia, & ſumma omnia fatum videri eum Principem, & ſapiſſime de Borromeo ſuo loqui tanta cum exiſtimatione ac reverentia, ut aſſequi ſe poſſe ſcribendo deſperet ". Alibi lego ex Cardinalis conſilio redditum ab eo Duce Vercellenſi Eccleſiæ jus inquirendi contra fœneratores, & refixum vetus Edictum, quo ejus Epiſcopi facultas minuebatur. Alias cum in Regia Taurinenſi Carolus verſaretur, teſtatur in Tabulis Joannes Baptiſta Silvaticus, eum Ducem ſemper ad Borromei latus hærentem vix unquam ab Eo divelli potuiſſe; cumque ad Cardinalis poſtulata ſæpius reſpondendum eſſet, identidem a ſua ſede ſurgere, caput detegere, & ſtare reſpondentem Emmanuelem conſueviſſe. Benevolentiæ hujus & obſequii ſpecimen ſit præter alias, quas alibi referemus, ſequens Epiſtola manu ipſius integre ſcripta, & in Codicibus Epiſtolarum ad Sanctum Carolum aſſervata, quam fideliter reddo:

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ BInas a Dominatione Tua Illuſtriſſima accepi literas, quas hactenus ſine reſponſo dimiſi, gratas tamen admodum habui; cum tantum ex iis conſolationis hauſerim, quantum poſſem optare. Apprime enim cognovi quanto ab amore proficiſcantur, quæ ſcribit; quare eo animo monita Sua excepi, quem poſtulare a me poterat amor mei Suus, & mea erga Ipſam reverentia ac ſervitus. Conſilia hæc veluti cælitus demiſſa cenſeo, quæ tam opportunum mihi tuiere auxilium, & neceſſaria penitus exhortationis officia comprehenderunt. Tamen monitis addat velim novum, aut ut melius dicam, vetus precum Suarum ſubſidium, quandoquidem efficaces illæ ſunt, ac Deo acceptiſſimæ. Iſtud ego officium D. Tuæ deinde ſervitute mea rependam, quocumque tandem loco, aut tempore me imperiis Suis dignari malit. Manus interim ſacras deoſculor, utque cæleſtibus D. Tuam donis Deus proximo Paſchate cumulet precor. Auguſtæ Taurinorum XIII. Calendas Aprilis MDLXXXI.

Servus
C. Emmanuel.

(*c*) Cum anno MDCXIV. Cardinalis Federicus Borromeus ad Sancti Caroli æternum decus, & immortalem memoriam ageret de Monte prope Aronam ad Verbanum Lacum Eidem conſecrando, & Sacellis, atque Coloſſo inſuper ornando: depopoſcit idem Sabaudiæ Dux, ſibi ut liceret ex ærario ſuo ſuppeditare magnificos ſumptus, quibus Sacella quindecim egregiis picturis inſtruenda excitarentur, & præclara Sancti Cardinalis acta referrentur. Quod licet conſilium graviores eo tempore curæ interceperint, tamen teſtatus eſt, nunquam ſibi ad ampliſicandam Borromei gloriam animum, ac voluntatem defuiſſe.

Digitized by Google

CAPUT VI.

E Taurinis rediens ad Varalli montem digreditur: Mediolanum deinde adveniens, afflictæ Regiæ Philippi Familiæ cæleſte auxilium implorat.

1578. REdiens Taurino (*a*) Carolus tantum teneri amoris ex Chriſti Domini tormentis retulerat, ut ſatiari eorum meditatione non poſſet. Dimiſſa itaque Mediolanum familiæ parte (*b*), Varallum divertit ſitum in Novarienſis Provinciæ confiniis Oppidum, qua parte in proximos Helvetiæ montes aſſurgit. Collis inibi eſt flexuoſo, nec tamen difficili aſcenſu, aptiſſima contemplationibus ſedes, quas opaca ſilentia nemoris, & circumjectæ arborum umbræ amœniſſimo horrore conciliant. Franciſcus Caimus Mediolanenſis Templum Deiparæ Virgini in ſummo colle ſacraverat, diſpoſitis in aſcenſu paſſim ædiculis, quæ præcipua humanæ redemptionis myſteria ſtatuis, picturiſque expreſſa repræſentarent. Ædiculam præ ceteris ad Dominici Sepulcri ſimilitudinem poſuerat, cujus formam fideliſſime delineatam Jeroſolymis ſecum attulerat. Hinc Varalli Sepulcrum celebrari, eoque nomine Mons ipſe appellari cœpit, nec ulla circa finitimas regiones religio majore hominum concurſu colitur. Eo Cardinalis cum paulo poſt meridiem perveniſſet, teneri non potuit, quin illico ad inviſenda ſimulacra ſanctiſſimarum rerum, quæ ibi cernuntur, montem conſcenderet, ac reliquam diei partem abſumeret. Modico deinde pane, & aqua refectus, ac duabus horis nocturnæ quieti datis, orandi, meditandique ſtudium in altum ſolem produxit, ac Divini Sacrificii celebratione complevit (*c*).

Ita

(*a*) Decimo ſexto Cal. Novembris Taurino diſceſſit Carolus, & diſcedentem Dux ipſe in vehiculum ſuſtulit, & longius extra Urbem proſecutus eſt. Ægre tandem ab Eo divulſus, Legatos eoſdem, a quibus Illum venientem deduci voluerat, comites abeunti dedit. Hos deinde a ſe dimiſit Carolus dum Varalli eſſet, ut teſtantur literæ eucharisticæ ibidem die XX. Octobris ad Sabaudiæ Ducem ſcriptæ. Alius regredienti comes Guido Cardinalis Ferrerius adfuit, qui biduo ſequenti Eum Javennam, deinde Cluſam deduxit. Hoc poſtremo in loco, ubi celebre Sancti Michaëlis Cœnobium extabat præclarum Sabaudiæ Principum religionis monumentum, plura Sanctitatis ſuæ teſtimonia Cardinalis exhibuit. Ceterum gaudii, & voluptatis plenus ab ea Urbe regreſſus eſt, ut explicat in geminis literis Borromeus, quarum unas Varallo ad Specianum, alteras ad Cardinalem Jeſualdum Mediolano dedit. In illis hæc habet: „ Mediolano profectus pridie Nonas Octobris Taurinorum Auguſtam peregrinatus ſum, quæ „ peregrinatio quatriduum tenuit. Me humaniſſime Dux, & Princeps exceperunt, ac hoſpitio dignati „ ſunt. Nec mediocrem jucunditatem percepi, intuens multa virtutis, pietatis, & religionis ſemina, „ quæ in utroque Principum mirifice elucent. Recreavit me inſuper publicæ venerationis teſtimonium, dum colendum palam Sacrum Linteum proponeretur". Hactenus aliena laudavit Borromeus; jam ſua exponit Jeſualdo: „ Meam hanc Taurinos „ verſus peregrinationem, maximæ mihi voluptati fuiſſe, quis negem? Verumtamen ipſa Sacra Syndon, ut ſuo ipſius pretio ſingularis admodum „ videtur, & quemdam inſerit religionis ſenſum „ intuenti, cum præferat vulnerum Chriſti veſtigia „ ſanguine adhuc reſperſa, ita quodammodo dicendi aut deſcribendi facultatem mihi intercipit. „ Quare non video, quomodo tuis poſtulatis ſatisfacere æquius poſſim, nec qua te ratione plenius „ de mira hac Imagine edoceam, niſi te ipſum „ ſuaviſſimus illius aſpectus inſtruat; ſtatuaſque tandem illuc proficiſci, ut magis obtutu eruditos „ oculos, quam nunc narratione mea aures referas.

(*b*) Sex ex ſociis ſuis Varallum pergens ſecum retinuit, utpote illis uti ſtatuerat adminiſtris in Diœceſis ſuæ luſtratione, quam propediem inire moliebatur.

(*c*) Adurnus idem præteritæ narrationis Auctor, hujus etiam itineris adjuncta aliquot evolvit in extremæ ejuſdem Epiſtolæ lacinia, quam hic juvat adtexere: „ Hò (Varallum) hora XXI. cum ven„ tum eſſet, a Vico pedibus in ſummum evaſi„ mus Montem, & Chriſti Paſſionis Myſteria inibi „ ſimulacris expreſſa religioſe meditantes inviſimus. „ Altera noctis hora cibi copia facta eſt, cum ad „ id temporis nihil eo die cibi guſtaſſemus. Reliquis pane ac vino refectis, Cardinalis aquam „ duntaxat pani addidit. Poſt cibum reditum eſt „ ad contemplationem myſteriorum. Borromeus uno „ duntaxat ſecum retento ſocio, uſque ad nonam „ horam pernoctavit; ſed ſocio vim frigoris non „ ferente, accenſo igne ſe ambo calefecerunt, & in „ ſellis uſque ad undecimam quievere. Tum ex„ perrecti rediere ad preces uſque, dum tempus „ operandi Sacris fuit. Inter preces multæ horæ „ a prandio traductæ &c." Ea deinde, quæ ſubſecuta hoc iter ſunt, narrare pergit Octavianus Abbietus de Foreriis in Tabulis: „ Summo mane Varal„ lo diſcedentes iter ingreſſi ſumus, & Feriolum „ ad Verbani ripas pervenimus. Nobiſcum erat „ Bonhomius Vercellenſis Antiſtes, & Nobilis quidam ex Blanchettorum familia, qui nos convi„ vio laute excipere Pallantiæ conſtituerat. Cardi„ nalis

Ita veluti renovato ad capeſſendam Reipublicam ſpiritu, Mediolanum reverſus (*a*) plenam funeſtis nunciis urbem invênit. Philippo II. Hiſpaniarum Regi potentiſſimo Joannem Auſtriacum (*b*) eodem patre genitum, & Ferdinandum filium tot Regnorum Hæredem, cariſſimos inſuper nepotes (*c*) Sebaſtianum Luſitaniæ Re-

„ nalis ab eo ad prandium invitatus, converſus ad „ me ſubmiſſa voce dixit: *Reſponde, nos quarta feria, „ ut hodie eſt, carnibus abſtinere, & pane, pomis, „ aut ovis fore contentos*. Nobilis ille ratus, ni„ hil controverſiæ fore, ubi Pallantiam veniſſemus, „ atque hæc ſplendide potius dici, quam fieri, ce„ leriter prævectus navigio, adventum noſtrum con„ vivio apparato occupaverat. Itaque navi deſcen„ dit Cardinalis, ubi Pallantiam ventum eſt: mox „ ad Deiparæ Ædem, quam Miraculorum dicunt, „ recta tetendit. Inde egreſſus, literarum ſibi alla„ tum faſciculum ſolvi juſſit, & ad oram deſcen„ dens inſalutato, neque viſo hoſpite, navim ite„ rum inſiluit, & Canobium verſus iter indixit. „ Inter eas literas aliquæ Pontificiæ etiam erant, „ ut bene memini, quibus Gregorius Caroli ſenten„ tiam rogabat, utrum ineundi nuptias poteſtas „ Cardinali Henrico Luſitaniæ Regi concedenda „ videretur. Nos interim muſſitantes diu, & im„ pranſi, legenti Borromeo diximus, *opportunum fo„ re quietem remigibus dare, atque interim navigando „ ſuperſedere, ut venturo Blanchetto aſſequendi tan„ dem copiam faceremus*. Ille feſtive ſubridens, *imo*, „ inquit, *incumbendum eſt remis, ne nox in itinere „ nos opprimat; quandoquidem procul dubio Blanchet„ tus inſequetur*. Itaque non expectati, & jejuni ad „ ſecundam noctis horam Canobium appulimus, „ ubi cum tenui cibo refecti omnes eſſemus, ſu„ pervenit tamdem cœnatis, imo ferme incœnatis „ nobis Blanchettus, beneficium ciborum, quos „ ſecum attulerat, intempeſtive offerens. Et ſane re „ intellecta, contumeliæ loco ferme viſus eſt tan„ tam Caroli abſtinentiam ille accipere.

(*a*) Tot fractus laboribus nullam aliam quietem, niſi in Paſtoralis muneris cura, ſibi comparavit. Quare antequam Mediolanum regrederetur (quò illum reverſum ſtatim Gluſſianus & a Baſilica Petri perperam aſſerunt) plura Varalli primùm expediit ad Modoetienſem & Trivilienſem populum ſpectantia: deinde Canobium, & aliquot ad Verbanum alia loca luſtrans, Variſium iter convertit; neque inde abceſſit, niſi ſub feſtum omnium Sanctorum, ad quem diem quotannis in Urbe eſſe fere conſueverat. Variſii fuit die XXVIII. Octobris, XXIX. Cuaſſi, unde Mediolanum reverſus in Urbe perſtitit uſque ad III. Idus Novembris. Hoc tempore coactis S. Pauli Decollati Clericis Conſtitutiones novas declaravit. Inde ab Urbe profectus Meratum contendit, inde Somaſcham, Caprinum, Pontidam obivit, quo in loco cum Bergomenſi Epiſcopo aliqua remotis arbitris egit. Hinc Tritium deflectens Mediolanum repetiit Feria IV. a veſpere, nec equo deſcendit, niſi ad Sancti Barnabæ Ædes, in quibus ad multam noctem cum Patre Adurno fuit, plura de renovatis, & nondum promulgatis Congregationis Sancti Pauli Conſtitutionibus cum eo acturus, ut Ipſemet ſcribit. Cauſa autem feſtinatæ hujus expeditionis fuere excitatæ aliquot trans & cis Abduam turbæ pro repudiandis Ambroſianis ritibus, de quibus ocyus redibit opportunior ſermo.

(*b*) Summam rerum eo tempore adminiſtrabat in Belgio Joannes Auſtriacus Philippi Regis nomine, & tantum Caroli ſanctitati deferebat, ut per Eum ſubſidia a Pontifice ſæpius implorare inter tot turbas conſtitutus non dubitaverit. Hoc ipſo anno ad III. Idus Martias Mediolanum legaverat Chiliarcam Marium Carduinum, & Rugerium de Taſſis, ut commendatitias a Borromeo literas apud Pontificem pro novis poſtulandis ſubſidiis impetrarent. Nec abnuit Sanctus Paſtor, literaſque ad Gregorium dederat paternæ benevolentiæ & religionis plenas. Hujus obſervantiæ, quam erga Cardinalem fovebat Joannes, memor deinde etiam Alexander Farneſius in difficillimis rebus ſæpiſſime Ejuſdem precibus ſe commendavit, nec ſe puduit inſigniores ſemper victorias Carolo acceptas referre, & præcipue poſt recuperatum Trajectum ad Moſam, ut clare apparet ex Farneſii in Bibliotheca noſtra ſervatis epiſtolis.

(*c*) Qui fuerit in tanta Luſitaniæ calamitate Caroli ſenſus, Idem aperit anno inſequente ad Regem Cardinalem Sebaſtiani Succeſſorem ſcribens VI. Idus Januarias in hæc verba:

S. R. M.

„ CUm mihi ſuperioribus diebus de morte Sere„ niſs. Luſitaniæ Regis allatum eſſet, ego ſane „ cum pro mea erga iſtam Sereniſs. Familiam vere„ re, perpetuaque obſervantia, tum pro ea, quam „ ſuſtineo, Cardinalis perſona, non mediocrem ce„ pi animo dolorem. Etenim iſtius Regni conditio, „ quod ſemper ſummo ſtudio, ſummaque benevo„ lentia ſum proſecutus, me vehementer angebat; „ eum namque Regem amiſit, qui in ſua florente „ adhuc ætate, non ſolum optimi, præſtantiſſimi„ que Regis fundamenta jecerat, ſed etiam fortitudinis, juſtitiæ, pietatis præclara jam ediderat „ exempla. Augebat moleſtiam, quod hanc tanti „ Regis jacturam non iſto ſolum Regno conti„ neri, ſed ad univerſam Chriſtianam Rempublicam „ dimanare intelligebam, quæ Principe inſigni pie„ tate prædito orbata ſit. Sed accidit, ut qui me „ Nuncius affecerat graviter, idem etiam me re„ crearit, & abſterſerit omnem moleſtiam; nam „ cum audiviſſem eum contra Chriſtiani nominis „ Hoſtes pugnantem fortiter cecidiſſe, omnem il„ lico ex animo dolorem abjeci: Deo Opt. Max. „ gratias egi, tum quod ei tam præclaram men„ tem dederit, ut mortem pro Chriſti gloria non „ dubitaverit oppetere; tum quòd iſtius etiam Regni „ rationibus conſuluerit, quippe cum M. V. in Re„ gis demortui locum ſuffecerit, quæ ſane futurum „ ſpero, ut pro juſtitia, pietate, Chriſtianaque pru„ dentia, ſumma cum iſtius Regni lætitia, dam„ num Regis morte factum reſarciat. Nec ita mul„ to poſt M. V. literas accepi, in quibus illud mi„ hi pergratum, perque jucundum accidit, quod „ eam tam forti, conſtantique animo hanc jacturam „ tuliſſe cognovi, neque ſolum voluntatem ſuam „ Di-

Digitized by Google

Regem, ac Vincislaum Rodulphi Cæsaris fratrem (*a*) uno fere tempore inexpectata mors eripuerat, quasi parum deceret minoribus experimentis tanti Regis patientiam tentari. Tot propinquorum funera, & acerbissimam in primis Ferdinandi Principis mortem, quo animo Ille tulerit juvat ex literis ipsis referre, quas ad Provinciarum Præfectos in hanc fere sententiam conscripsit: „ Ingenti quidem dolore „ se affectum amisso filio carissimo, qui „ ob eximiam indolem, ac dignas Principe virtutes spem de se magnam universæ Hispaniæ faceret. Nec tamen in tanta Regiæ domus calamitate defuisse sibi „ auxilia, quibus paternos affectus Divino arbitrio submitteret, quin etiam „ supremæ Providentiæ gratias ageret, „ quod destinatum caduco Imperio Juvenem cælesti Regno donare voluisset. „ Quod cum ita eveniisse Christiana pietate credendum esset, placere sibi, ut penitus omissis, funebris pompæ apparatibus, quibus Principum tristitiæ blandiri „ subditorum benevolentia consuevit, solemnia religionis officia Deo exhiberentur, quæ propitiam Majestatem ejus Austriacæ domui, atque universo Christiano Populo facerent. Mandare se interim „ omnibus, qui nomine suo Urbibus, Provinciisque præessent, ut pro commissa „ sibi auctoritate publica flagitia coërcerent, ex quibus plerumque familiarum, „ regnorumque calamitates oriuntur.

Hæc summa literarum erat, quas ubi a Gubernatore Cardinalis accepit, nihil eorum omisit, quæ exequendæ Regiæ voluntatis desiderium testarentur. Supplicationes ad Templa indictæ, oblata Sacrificia, monitus edicto Populus, ut castius in moribus, liberalius erga pauperes ageret, preces demum quacumque patent Ambrosianæ Ec-

„ Divinæ subjecisse omnino; sed etiam quidquid ab „ ea profectum est, summa cum animi alacritate „ accepisse: quod fuit animi non modo regii, sed „ etiam tum Cardinalis persona, tum Lusitaniæ „ Regum genere dignissimum. Studium vero M. „ V. erga me perspectum mihi illud quidem jam „ antea, sed etiam suis, suique Internuncii literis „ nunc denuo declaratum, non possem dicere, quantum ad meam erga M. V. veterem observantiam „ cumulum attulerit, quod literæ suæ perhumaniter scriptæ a me etiam exigunt; pro quo cum habeam aliud nihil, quod polliceri possim, illud „ certe me præstaturum confirmo, Deum Opt. Max. „ ut orem, M. V. concedat, ut Regnum ei delatum cum summa Lusitaniæ totius utilitate, animæ suæ salute, Deique gloria administret.

(*a*) Placet apponere, quæ de hujus Principis interitu ad Albertum Cardinalem Austriacum scripserit Borromeus, ut specimen aliquod consolatoriæ Epistolæ ab Eo conscriptæ exhibeamus, simulque ejus observantiæ, quam Augustæ Familiæ Austriacæ ex animo Carolus deferebat.

Serenissime Princeps, & Cardinalis.

„ FErdinandi Sororis Celsitudinis Tuæ filii, & „ Wenceslai fratris Sereniſſimorum Principum „ obitus me quidem vehementer commovit; neque „ ob eam unam causam, quod Augustissimæ Austriæ „ Familiæ, quam semper singulari observantia colui, peracerbe accidisse videbatur, tam brevi duos „ Adolescentes eximia spe summæ virtutis amisisse: „ sed quod grave inde detrimentum ad universam „ Rempublicam Christianam dimanasse intelligebam; „ cum præsertim in Eorum tam illustri Sanctæ Religionis studio firmissimum præsidium, atque ornamentum rebus Christianis constitutum omnes „ haberent. Sed hoc me consolor, quod certa spe „ sum, illos in cælum Dei benignitate esse sublatos. At vero Serenissimæ Celsitudini Tuæ eam „ præterea ob causam illorum ex hac vita discessus „ animo forti constantique ferendus est, quod iis „ Majoribus est nata tam alta mente præditis, tanque constantiæ, ac religionis robore munitis, „ ut omnes humanos casus contemnere, ac pro „ nihilo ducere debeat. Cardinalis etiam persona, „ quam Celsitudini Tuæ Summus Pontifex Gregorius „ XIII. nuper imposuit, idem profecto ab Ea flagitare videtur; ut adhuc Adolescens det hoc virtutis suæ specimen, quo sui jam apud omnes concitata opinio confirmetur, ex animoque suo illa „ præclara promere incipiat, quibus Eam non solum Sacro Cardinalium Collegio, sed universæ „ rei Christianæ maximo usui, ornamentoque futuram confidimus. Hæc Celsitudini Tuæ Sereniſsimæ sæpius in mentem veniisse existimo; At ea „ idcirco ego commemoravi, ut aliquam observantiæ meæ erga Cel. T. significationem darem: „ quam etsi nulla dum in re ostendere potui, illud certe tamen confirmo, me, qui Ei inserviendi „ desiderio majore teneatur, concedere nemini. „ Quamobrem si quid unquam usuvenerit, in quo „ hanc meam singularem animi propensionem significare, & declarare possim, in eo quidem certe „ eximium & summum quoddam studium meum „ Cel. T. humillime profiteor, ac polliceor. Deum „ interea orare non desinam, ut Cel. T. Sereniſsimam majoribus Divinæ gratiæ muneribus in dies „ augeat. Mediolani X. Cal. Januarias MDLXXVIII.

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

Devotissimus Servus
Cardinalis S. Praxedis.

Digitized by Google

Eccleſiæ fines, ad Deum effuſæ, ut nutantem in Hiſpania Auſtriaci ſanguinis majeſtatem ad totius Catholici nominis gloriam ſuſtineret (a). Magni vero momenti ad permo-

(a) Publicis hiſce amoris ſui erga Auſtriacam Familiam ſignificationibus nova addidit literarum ad Philippum Regem officia, ex quibus Sancti Antiſtitis prudentiam & conſtantiam licet intueri, qui noverat *in conſpectu Regum loqui, & non confundi*. Eas latine redditas fideliſſime hic accipe:

S. C. R. M.

„ ILlud ſemper ſingulare Divini Amoris in ſervos „ ſuos indicium viſum eſt, cum Deus moleſtum „ aliquid homini, atque aſperum ferendum pro„ ponit: quamobrem legimus dilectum ſibi famu„ lum Tobiam oculorum uſu privatum, atque „ aliis exinde calamitatibus affectum; ſed ab An„ gelo monitum, unam Dei benevolentiam fuiſſe „ in cauſa, ut tot oblatis adverſis, probitatis in „ eo, & conſtantiæ periculum fieret. Porro nul„ lis definitus terminis Dei amor ex ipſa calami„ tate uberem voluptatis ſegetem ſæpe jubet exo„ riri iis, qui gravius quidquid ex amantiſſima „ Ejus voluntate profectum perlubenter accipiunt, „ totoſque ſe Illius arbitrio regendos, moderandoſ„ que permittunt; Imo conſuevit aucta felicitate „ præteritum incommodum conſolari, dummodo hoc „ felicitatis incrementum in Divinam gloriam ver„ tat, ut locupletiſſimum Sancti Job exemplum no„ bis teſtatur. Qua de re in magnam, eamque cer„ tiſſimam ſpem erigor, fore, ut cum Deus Opti„ mus Maximus tanto Majeſtatem Tuam animi ro„ bore, atque invicta fortitudine muniverit, licet „ brevi temporis ſpatio quatuor Principum interi„ tu acerbe adeo afflixerit, & M. T. conſanguineos „ Luſitaniæ Regem, Wencislaum, & Joannem „ Auſtriacos, & poſtremo ipſum Familiæ columen „ apprime dilectum Primogenitum Infantem fatali „ caſu eripuerit, immenſus Ejuſdem amor conſtan„ tiam M. T. eo modo, & tempore apte mune„ retur, quod Sibi placitum maxime conſtituerit. „ Itaque licet ſupervacanea videatur omnis a me „ adhibita tantæ virtuti conſolatio, quam Divina jam „ ope ſuſtentatam, & paratam ad omnia eſſe præ„ ſido; nihilo tamen ſecius officium hoc meæ po„ tius obſervantiæ, quam neceſſitati tribuendum eſ„ ſe duxi: neque alienum exiſtimavi, ut datis hiſce „ literis memoriæ teſtimonium meæ offerrem, non „ vero M. T. fortitudini ſolatium adhiberem. Acceſ„ ſit etiam percommoda alia ſcribendi cauſa, quam „ ut arriperem, Urbis hujus calamitas eſt adhortata: „ defigenda nimirum erat in piis M. T. oculis po„ puli Mediolanenſis neceſſitas, quæ tanta jam eſſe „ videtur, ut religioſiſſimi Regis opem imploret „ plane, atque obteſtetur. Medendum eſt publicis „ vulneribus: cavendum eſt, ut modus tandem tot „ criminibus ac noxis imponatur, quibus obſtringi „ Cives hos meos intime doleo. Nos fortaſſe fla„ gitiis noſtris innoxios Principes occidimus; Deuſ„ que improbitatis noſtræ vindex criminum noſtro„ rum pœnas a Rege piiſſimo exegit, quò ad M. T. „ dolor, ad nos Regiæ afflictæ Familiæ damnum „ perveniret. Jamdiu ad M. T. aures permanave„ rint, puto, meæ de publicis flagitiis querelæ, qui„ bus fuſius eorum ſeriem perſequebar: profuſa ſci„ licet ſignificavi populi hujus patrimonia, ac for„ tunas in ſumptus inaniſſimos, propter exoticam „ pompam, veſtium luxum, atque alia incommo„ da, & inimica parſimoniæ ſpectacula: comme„ moravi publicos indictos ludos, epularum ſplen„ didum apparatum, ceteraſque in morum corru„ ptelam invectas conſuetudines, quibus Feſtorum „ dierum ſanctitas præſertim funeſtabatur; quæ om„ nia cum manifeſtum animarum detrimentum in„ vehunt, utpote infinitis flagitiis implicita, tum „ familiarum everſiones, Uxorum diſtractas fortunas, „ miſerandam demum filiorum inopiam infeliciſſi„ me pariunt. Juvat miſſa facere abominanda „ plura oculis obverſantia confluentis ad Templa „ multitudinis; hæc enim cum ſummopere in nos „ excitant Divinæ ultionis flammas; tum etiam in„ digna ſunt, quæ M. T. auribus ingerantur. Plura „ item conſultò prætereo; atque ad ea explicanda „ ſatis me dixiſſe putavero, ſi aſſeverem, illa eſſe „ hujuſmodi, ut licet his vitiis privatorum dumta„ xat quorumdam vita notetur, tamen ad populi „ hujus univerſi cladem aptiſſima eſſe videantur: „ populi hujus, inquam, cujus prona admodum ad „ virtutem eſt indoles, & Deo favente uberioris „ in dies offert fructus expectationem. Jamdiu ex „ M. T. nutu juſſus fuit Provinciæ hujus Admini„ ſtrator gliſcentem morum corruptelam compri„ mere; & recenter aliis ad eum datis literis, qui„ bus de Sereniſſimi Principis morte commonebatur, eadem ferme ſignificare M. T. videbatur. „ Verumtamen utrumque imperium irritum hacte„ nus fuit. Nihil tamen Heli Sacerdoti profuit, „ ut ſe Deo probaret, intime filiorum criminibus „ commoveri, imo etiam ſæpius eoſdem acrioribus „ verbis perſtringere; quandoquidem formidandum „ iracundiæ ſuæ Deus illi documentum dedit, quo „ moneretur, diligentius & validius fuiſſe illorum „ audaciæ conſulendum. Liceat nunc & mihi ea „ animi demiſſione, qua decet, atque obſequio Re„ gem meum alloqui, & fidenter dicere: Domini „ manum, quæ filium Patri, nobis vero Principem „ eripuit, admodum quidem ſalutarem M. T. fuiſ„ ſe, utpote quæ patientiam Regis in ejuſdem uti„ litatem vertit; verum nobis gravem admodum eſ„ ſe, ac formidandam, quæpote acerbum vulnus „ Urbi huic intulit, & peccata veluti & noxas nobis „ exprobravit, quibus eum quotidie laceſſimus, tum „ etiam in populum tuum tamquam ingratum, & „ iniquum animadvertit, qui nondum peſtilentia „ emendatus reſipuit, neque ullatenus infinitæ ſuæ „ miſerationi reſpondit; quamquam anno nuper „ elapſo imminens cervicibus noſtris flagellum quo„ dam pietatis miraculo mitiſſime abſtinuit. Quare „ nequeo, quin preces M. T. admoveam, quod eni„ xe facio, ut pro pietate Regio animo inſita, pro „ ea, qua ſancte fungitur, Regia dignitate (Catho„ lici enim Regis eſt curare, ut in populis Ditioni „ ſuæ ſubjectis digni Chriſtianis hominibus mores „ floreant, & ſtudioſiſſime conſerventur) miſe„ reri ſuorum velit, & promptam manum, imo „ præſentiſſimum remedium Provinciæ Mediolanen„ ſis

movendas hominum mentes fuiſſe credendum eſt adjectum edictis regiæ epiſtolæ exemplar, ex quo nimirum cuncti intelligerent, quanti intereſſet incolumem Domum ſervari, ex qua tam excelſi, religioſique animi Reges prodirent (*a*).

CA-

„ ſis malis quotidie invaleſcentibus ſtudeat admo-
„ vere Contendat quæſo M. T., ut funditus ſtirpem
„ ac ſemen calamitatum evellat, ex quibus tanta
„ præſentis mali maturitas erupit. Patiatur, obſecro,
„ eximia, qua nos fovet, caritas, me hoc tempore
„ importunum fortaſſe, ac permoleſtum videri;
„ quandoquidem Paſtoralis officii neceſſitas mihi
„ impoſuit hanc curam, quæ me nec ſilere, neo
„ quieſcere, nec ceſſare ſinet unquam, donec op-
„ portunum a Regia clementia his malis remedium
„ non affulſerit. Liceat mihi Chananææ adinſtar
„ clamare, obſecrare, moleſtius demum urgere, ut
„ filiorum aliquando meorum neceſſitatibus M. T.
„ commoveatur. Hoc unum poſtulo, ne Conſilia-
„ riis adhibitis hanc cauſam expendat, atque ad
„ prudentiæ humanæ amuſſim conſilia ſua metiatur;
„ Agitur enim in hoc Dei cauſa, in quam expe-
„ diendam omnia extra ordinem remedia ſunt con-
„ ferenda. Tota quantacumque eſt, tota, inquam,
„ eſt Majeſtatis Tuæ. Veniat in conſilium una Re-
„ gia pietas, quæ hiſce literis meis de calamitati-
„ bus noſtris commonefacta, deinde pro ſua pote-
„ ſtate ea Adminiſtris opportuna præcipiet, quæ Di-
„ vino afflatu M. T. in mentem venient: & pro
„ virili cavendum eſt, ut Regis vere Catholici
„ Religioni conſentanea etiam ſuorum opera certe
„ reſpondeant. Poſtremo liceat etiam humillimo,
„ qui me decet, animo obſequium M. T. meum
„ offerre, atque a Deo Opt. Max. Regiæ felicita-
„ tis, gloriæ, & Divinæ demum gratiæ incremen-
„ tum precari.

(*a*) Valde dedecere perfectam hiſtoriam arbitraret ea omittere, quæ ad annum MDLXXVIII. præter jam deſcripta Carolus egit; & Gluſſianus vel inexplorata, vel aliis de cauſis fortaſſe conſulto præterivit. Primùm itaque cum rei frumentariæ inopia Urbs laboraret, nec aliunde ſuppeterent ſumptus pro alendis reliquis ex peſtilentia Civibus, facile deinde fame conficiendis, Pontificem rogavit, ut ex tot apertis in hac Urbe Ædibus, a quibus vitæ ſubſidia pauperibus gratis ſuppeditantur, conferre liceret quinquagies mille aureorum ſummam, qua recreari miſerorum neceſſitas poſſet. Deinde cum Capuccinis Patribus egit, ut aliquot ex ipſis in Helvetios mitterentur. Deſignaverat autem illis eligendam certam Sedem Chiliarca Luſſius aut in Subtilvania, aut Belitione ad Sanctum Sebaſtianum, aut etiam Locarni ad Sanctam Mariam in Rupe. Hoc item anno Sveciæ Regem excitavit per literas ad Fidem Catholicam in Regno retinendam, ampliſicandamque; Comicorum autem ſpectacula, quæ jam Mediolani evellenda curaverat, hoc tempore Bononiâ etiam eliminanda ſtuduit. Officiis ſuis Pontificem permovit, ut Anglorum Adoleſcentum Collegium Romæ excitaretur; in Urbe vero noſtra locum deſignavit recipiendis Convaleſcentibus e morbo, quibus hoſpitium extruere meditabatur. Æſtate ineunte cum ex Germania aliquot militum Hæreticorum cohortes in hanc Provinciam eſſent contractæ, quæ deinde liberius cum noſtratibus verſabantur, & aliquam morum peſtem conſuetudine ipſa afflabant: ut eorum licentiam compeſceret, primum Gubernatoris Ayamontii, deinde ipſius etiam Philippi Regis præſidium, atque opem imploravit. Mox Ipſe jure ſuo egit in eos, qui militum libertatem fovebant. Audi quæ ad Cardinalem Sabellum III. Calen. Auguſti ſcripſerit: „ Juſſi quæſtionem inſtitui in eos, qui
„ carnem venalem diebus vetitis, aliaque in mo-
„ rum corruptelam commoda obtulere militibus
„ Hæreticis in Diœceſi mea verſantibus. Imo vo-
„ lui, ut in ipſos etiam milites inquireretur, quò
„ deinde in eos animadvertam pro ea poteſtate,
„ quæ mihi ab Ayamontio concedetur. Interea
„ æquum cenſui re in primis monere; quandoqui-
„ dem facilius tibi erit Pontificis nomine apud Re-
„ gios conqueri, ne tanto Principi, & Catholicæ
„ Religioni adeo addicto injuſte imponatur hæc ma-
„ cula, quod tam pernicioſam libertatem militibus
„ ſuis impertiri videatur, quam Hæreti ipſi in Fœ-
„ deratorum regionibus adimere ſuis conſuevere". Reſpondit deinde tam piis votis Catholici Regis religio; Hoc enim lego datum Carolo reſponſum ex Hiſpania per Pontificium Internuncium, qui illic degebat: „ Efficacia officia cum Philippo Re-
„ ge interpoſueram, ut apte, ac celeriter iis me-
„ deretur malis, quæ ex Hæreticorum militum con-
„ ſuetudine, & vitioſis exemplis oriri facile, & re-
„ dundare in accolas poſſunt. Sed idipſum præmo-
„ nuerat jam Regius Romæ Legatus; imo ſerum
„ ego auxilium attuli, quandoquidem jam Regium,
„ quod Italorum negotiis præeſt, Concilium plura
„ agitabat pro opportuno remedio offerendo. Rem
„ autem ipſe mirum, quanta vigilantia in hanc cu-
„ ram incumbat; utque celerius conſulat, in hanc
„ ſententiam inclinat, ut quantocyus perſoluris ſti-
„ pendiis ex copiæ dimittantur". Tamen prudentiſſime metuens Cardinalis, ne aliquod hæreticæ pravitatis virus ſuos poſſet inficere, aut ne quis fallaci ſpecie deciperetur, juſſit nullum militum intra Sacras Ædes admitti, niſi prius conceptis verbis ſe Eccleſiæ Romanæ addictum profiteretur. Miſit deinde ex familiaribus ſuis Hieronymum Caſtanum, ut exploraret, num quis ab Edicto diſcederet. Addidit Caſtano comites Patrem Emmanuelem Societatis Jeſu, aliumque ex Sancti Dominici Ordine Sacros Oratores, qui Legnanum, Buſtum, Dairagum, Gallaratum, Tradatum, alioſque in ea vicinia Vicos Germanorum militum hoſpitio obnoxios circumirent, & Evangelica prædicatione nutantes fortaſſe in Fide populos, aut pravo exemplo commotos corroborarent. Feſtum etiam eſſe hoc anno juſſit (in quo veterem ritum renovavit) diem Sanctis Protaſio & Gervaſio ſacrum, & opportune XIII. Calen. Quintiles primum lapidem ſtatuit ad reficiendam a fundamentis Ædem Sancti Protaſii ad Monachos, in quod munus legaverat paulo ante Bonhomium Vercellenſem Epiſcopum, cum timeret ne ipſe Modoetienſibus curis eſſet impediendus. Rogatus inſuper Roma fuerat, ut Novarienſem Diœceſim luſtraret; & luſtraſſet ſane, Pontifice admodum in hanc rem propenſo; ſed Ipſe modeſtiſſime Eccleſiæ ſuæ graves curas cauſatus onus hoc depoſuit. Sub exitum vero anni condixe-

Digitized by Google

tat cum Lambrugi & Brugoræ Monialibus, ut locum in Urbe ſibi eligerent; jamque illis emendas deſtinaverat Sanctæ Mariæ de Viglevano Ædes, & publicas tabulas idcirco confici mandaverat. Idipſum moliebatur pro Bernagæ & Cremellæ Monaſteriis, cum Virginum earum clauſtra facile periculis obnoxia videret; licet deinde exitu ſalutare conſilium caruerit. Omitto demum perfectum hoc ipſo anno conſilium ſuum de Abbiato Craſſo Sacrorum Præfectura ornando; cum Poſtrid. Cal. Aprilis Præpoſituræ titulo inſigniverit Ædem S. Mariæ Novæ in eo Oppido, quod a Corbettæ jure ſejunxit.

Sed venio jam ad digniorem aliam Borromei patientia ſolicitudinem, quæ hoc anno totam Illius virtutem exercuit. Pro ea facultate, quam anno MDLXXV. Romæ a Summo Pontifice impetraverat *de Ambroſianis Ritibus reſtituendis in Eccleſiis ſuæ poteſtati ſubjectis*, in eam mentem venit, ut Modoëtienſibus Ambroſianos Ritus redderet, itemque Trivilienſibus, daturus deinde etiam reliquis, qui in ſua Diœceſi continebantur. Jam Beſutii nobili ad Verbanum Oppido, & Varenæ ad Larium ad exitum perducta res fuerat. Nunc re diutius conſiderata, & deinde deliberata in graviſſimorum Virorum concilio, quorum aliquot, cum Romanis eſſent addicti ritibus, in nullam nimii favoris ſuſpicionem vocari poterant, ut Ipſe ſcribit, Junio ineunte Modoëtiam divertit, ibique dies aliquot verſatus perficere tandem conſilium ſtatuit, ut Ambroſiano Ritu ibidem Sacra omnia in poſterum celebrarentur. Ex Carolo ipſo juvat cauſas cognoſcere, quæ ad hoc tentandum Illum impulerint. Sic itaque ad Specianum ſcribit: „ Præterquamquod Pontificio Diplomate mea „ confirmatur auctoritas, ego id ſane ſentirem, poſ„ ſe Antiſtitem ſua dumtaxat munitum Epiſcopali „ poteſtate Rituum ordinem in Eccleſiis ſuis emen„ dare, eoſque accommodare cæremoniis iis, quæ „ receptæ in Cathedrali Eccleſia ſunt; quandoqui„ dem id maxime Canonico Juri conſentaneum vi„ detur. Præcipue autem cum ex multis antiqui„ tatis veſtigiis non obſcure doctiores Viri probent „ hanc Modoëtiæ vigentem Rituum diverſitatem in„ ductam olim temporum injuria, atque ideo for„ taſſe, quod alias hæc Eccleſia Pontificiæ Sedi „ ſubjecta eſſet eo, quod Abbatiæ nomen haberet, „ ut aliquot me documenta monuerunt". (Simile quidpiam legiſſe me memini apud Cl. Muratorium Tomo V. ſuarum Diſſertationum, ubi exponit librum cenſuum Romanæ Eccleſiæ per Centium Camerarium compoſitum, in quo Eccleſia Sancti Joannis in Modoëtia dicitur Abbatia, ſeu Canonica Regularis Sancti Petri, licet illius poſſeſſio eſſet penes Mediolanenſem Archiepiſcopum, ut dilucide teſtatur, & docet Diploma Alexandri PP. III. pro Eccleſia Mediolanenſi datum Turoni anno MCLXII. ad Obertum Archipræſulem, quod affertur a Cl. Nicolao Sormano ſub finem Apologiſmi II., cui titulus De Anathemate S. Ambroſii contra Gallos). „ Quare quando a jure (emphyteutico) Romanæ Ec„ cleſiæ excidit, ibique erectum eſt Canonicorum „ Collegium, cenſeo eos adhæſiſſe iiſdem ritibus, „ qui ibidem tum in uſu erant; quod ipſum acci„ diſſe autumo Aronæ & Beſutio, imo etiam Va„ renæ, quod olim Oppidum Modoëtienſis Eccleſiæ „ jure continebatur. Quamquam tu ipſe ignorare „ non potes olim etiam apud Regulares receptos „ fuiſſe Ambroſianos Ritus in hac Diœceſi; & memini me inter Humiliatorum privilegia reperiſſe „ Pontificis cujuſdam literas, quibus omittere Am„ broſianum Ritum in ſtatutis precibus Fratres illi „ ſinebantur". Alibi ad eumdem Specianum ſcribens alias enumerat Carolus peculiares cauſas ad tuendum conſilium hoc ſuum hiſce verbis: „ Mo„ doëtienſes illi ritus, cum oppidum illud in Dioe„ ceſis meæ meditullio ſitum ſit, magno mihi in„ commodo ſunt, cum ad ſtatuendum inibi Semi„ narium, quod jamdiu melior, tum ob Cleri di„ ſciplinam, qui unis comprehendi edictis non po„ teſt, ſive Feſtos dies imperem, ſive quidpiam de „ jejunio Quadrageſimali, aut Vigiliis ſtatuam". Potiſſima autem omnium cauſa videbatur, quam alibi etiam innuit: nimirum quod MSS. Rituales libri apud Modoëtienſes conflati erant ex rituum aliorum colluvione adeo, ut aliqua ex Patriarchinis, alia ex Ambroſianis, alia demum ex Romanis cæremoniis deprompta apparerent; quam in rem extat etiam Galeſinii jurati teſtimonium, quod Romam Carolus deinde tranſmiſit. His itaque de cauſis, re cum univerſo Oppidi illius Clero communicata, cui tum præerat Archipresbyter Camillus Aularius Alexandrinus Vir graviſſimus poſtmodum anno MDCII. ad Bobienſem Sedem evectus, cum univerſi libentiſſime Borromeo aſſentirentur, ut habemus ex Ipſius literis: tertio Idus Junias hujus anni, quo die Eccleſiæ noſtræ Conditoris S. Barnabæ recurrit Solemnitas, Carolus Pontificali & Ambroſiano Ritu peregit in ea Baſilica Sacrum, & confluentem ad Synaxim confertim populum ſacro Pane refecit. Rem totam gaudio geſtiens ſcribit Speciano eadem die: „ Ho„ die ſolemniter in Modoetienſi Baſilica peritavi, „ tanta concurrente ad Sacrum populi multitudine, „ ut viris fœminiſque amplum illud Templum re„ dundaret; te autem probe tenere autumo, quan„ tam illud hominum multitudinem capiat. Conve„ nere ad Synaxim DCCC., aut M. fortaſſis ex op„ pidanis. Ceſſatum item ab operis eſt hoc die S. „ Barnabæ ſacro, cujus quidem memoriam nun„ quam antea illi coluerunt. Canonici hi, item„ que Archipresbyter conſilio meo certe aſſenſi ſunt „ omnes &c.". Itaque hac feliciter cura defuncto Cardinali, aliquot exinde dies ibidem in rebus moderandis ordinandiſque conſumpti. Poſtmodum Mediolanum profectus XIV. Calen. Quintiles, cum ibi fundamenta jeciſſet Ædis, quam Sancti Protaſii ad Monachos appellant, ſtatim inde Trivilium contendit, ubi cum eadem rituum colluvies eſſet, confirmare item Ambroſianas cæremonias ſatagebat. Non eadem tamen ibi tranquillitas rerum fuit. Nam prius tentatis per Laudenſem Epiſcopum eorum animis, concitatæ tandem a populo turbæ ſunt reclamitante, & firmiter negante, ſibi attributum iri ſacras alias a ſuis cæremonias. Quievit tum prudentiſſime Borromeus; verum ad V. Nonas Quintiles mitior inde legatio ad Cardinalem Mediolani degentem venit, qua oppidani deprecabantur præteritorum veniam, & obedientiam exinde pollicebantur, hac una conditione adjecta, *ſi Modoëtienſes in Ambroſianis Ritibus perſeveraſſent*. Interim plura Modoëtiæ in Ritus inductos clanculum agitabantur. Rabulæ quidam populares paſſim in conciliis rem hanc novitatis inſimulare, tum etiam aperte Archiepiſcopo detrahere: mox veluti ex condicto rariores ſemper in Baſilica convenire adeo, ut diebus etiam ſolemnibus ingens oppidanorum ſolitudo in Templo eſſet, imo obla-

Digitized by Google

oblationes de more deferendas die ipso Tutelaris sui Sancti Joannis Baptistæ denegare auderent. Nec deerant ex potentioribus aliquot Cardinali infensi, qui ungues veluti in hoc ulcere exisserent, faceseque admoverent nascenti incendio. Quid plura? Ostiatim postulata sunt oppidanorum suffragia, ne dicam eblandita; quare ingens eorum incolarum numerus supplici libello Romam contra Carolum mittendo partim ultro, partim contra voluntatem subscripsit. Missus ad Alinam Urbem legatus fuit Canonicus quidam Castenus, vix Sacris Ordinibus initiatus, & sæpius damnatus carcere propter ejus vitia ab Archiepiscopo. Hic cum sine dimissorialibus, ut vocant, literis illuc proficisceretur, simulaverat se velle Religiosi Ordinis claustra ingredi, ut tutius illic versari posset. Itaque Romæ hujus opera Cardinalium aliquot tentati sunt animi, quos Borromeo infensos legatus prænoscebat, aut etiam privatis rationibus Modoetiensibus habebat addictos, unde aptiores eos fore ad infirmanda Caroli decreta intelligebat. Revera tam præpostere exposita ab eo res est, ut palam dictitaret *Romanis Ritibus adversari omnino Borromeum: Modoetienses penitus colere velle, quemadmodum hactenus coluissent, Romanos Ritus*. Quare mutata rerum facie, ne quid contra se statueretur, Romani aliquot moliti sunt Ambrosianos Ritus, veluti indicto bello, oppugnare. Artem præsentit Cardinalis, & cæremonias suas viriliter defensas, & Superis faventibus eo temporis servatas protexit luculenta Epistola, quam alibi proferemus. Interea corroborata a Modoetiensibus legatione per alium Oratorem Gasparem Zucchium, cum Pontifex videret plurimorum animos in Carolum concitari, imperavit Speciano, ut ad Cardinalem in hanc sententiam scriberet: *Curaret sibi caveret, ut Modoetienses populum consolaretur*. Et revera Ille consolatus est statim explorata sibi Pontificis voluntate adeo, ut ne expectaret quidem, publice a se id beneficii postulari, quemadmodum jussi Modoetienses erant. Quapropter redditis sibi Speciani literis, dum Augustæ Taurinorum esset, primo postquam inde discesserat die Javenna in itinere literas ad Aularium Archipresbyterum dedit, quas fideliter reddo:

Multum Reverende Domine.

„ SAnctissimo Domino Nostro permoto efficacibus „ Modoetiensium votis Ritum Romanum dari „ sibi cupientium placuit Nobis demandare, ut cum „ populum consolaremur. Hac de re summopere Mo„ doetiensibus satisfacere Nos quoque exoptantes „ quamprimum, ne quid intentatum omittamus „ pro fidelibus, quacumque demum ratione possu„ mus, ad fructus Christiano homine dignos inci„ tandis, deliberavimus hanc illis consolationem „ non retardare usque ad nostrum adventum, quem „ brevi fore statueramus pro ejus loci Decretis „ stabiliendis; sed tibi copiam facimus literis hisce „ nostris & mandamus, ut eo in Opuido integre „ Ritum Romanum instituas, sive in psallendi or„ dine, sive in Sacramentorum administratione pri„ vatim, publiceque facienda, sive demum in re„ liquis sacris omnibus. Caveas tamen quam ma„ xime, ne ulla in posterum irrepat in sacra quæ„ libet Patriarchini Ritus cæremonia: idcirco able„ gabis ab eo Templo Manuscriptum librum illum, „ quo Rituum ordo continetur, & donec Ritualis „ Codex, qui Romæ imprimendus est, in lucem „ veniat, interim vos Brixienses, aut Bononienses „ jam edito accommodabitis. Deus tibi propitius „ semper & favens adsit. Javenna postridie Idus „ Octobris MDLXXVIII.“. Tantam animi moderationem cumulavit, aliam postmodum Epistolam scribens in parem ferme sententiam ad Episcopum Laudensem, in qua jussit etiam Trivilienses Romanos Ritus concedi, ut nihil de fide iis data minueret. Post hæc intonuerunt aliæ seditiosæ voces, ex quibus nova Ritibus nostris imposita est clades, quam tamen patientissime Carolus tulit. Audi, quantum ab omni querela absit, dum Speciano cuncta describit die XV. Jan. insequente anno: „ Quandoquidem scribis roga„ tum te a Summo Pontifice, quem exitum tandem „ habuerit Modoetiensium seditio, hoc etiam scias „ velim, rem hanc deinde in ambitionem veluti „ quamdam erupisse. Etenim postquam Modoetiam „ inducti sunt Romani Ritus, non solum suas in „ eamdem rem admovere preces Trivilienses, ut „ scripsi; sed veluti dato signo, idem postularunt „ ii omnes, qui Bergomensis ditionis fines trans „ Abduam incolunt, atque alias in Pontis Aureoli „ plebe comprehendebantur; quamquam Ambrosianos „ Ritus nullo offensionis exhibito indicio, & lubentes antea accepissent. Ad parem illi etiam ve„ luti laudem aspirarunt; acsi infimi omnium es„ sent futuri, nisi in eamdem Romani Ritus com„ munionem venissent. Hoc ipsum Varenenses ad „ Larium rogarunt, qui nostras biennio ante cæ„ remonias fuerant amplexi. Qua de re omnibus „ liberam Romanorum Rituum copiam feci, quos „ antea Trivilienibus concesseram“. Ceterum jussi sunt Modoetienses publice Borromeo gratias agere pro concessis Romanis Ritibus, ut postridie Nonas Novembris idem Carolus scribit, qui tamen addit „ multa insolenter & enormiter jacta„ ta in seipsum ab eo populo dicteria: se tamen „ sperare fore, ut turbulenta hæc omnia in Dei „ gloriam verterent“. Fateor me multa legentem ad hanc controversiam spectantia, videntemque summo animi ardore susceptam utrinque contentionem, hæsisse tantæ attonitum virtutis miraculo, cum nullibi viderim tam acriter oppugnatam Romæ Cardinalis constantiam, eamdem nunquam magis viguisse, demum nullo tempore glorioSius labefactatam. Certe hanc ad suos nutus promptissimam obedientiam ipse admiratus est Pontifex; Speciatus vero, qui solitus semper fuit ex propinquo Borromei virtutem contemplari, & Sancti Institutoris par certe Discipulus erat, hac occasione tantæ veluti iratus moderationi, statim re intellecta Carolo in hæc verba rescripsit: „ Plura mihi occurrerent de rebus „ Modoetiensium dicenda: hoc unum tamen dicam, „ me omnia palam Pontifici facturum, qui pleno „ ore laudabit certe tuum consilium, & strenuam „ sane obedientiam, quæ (falsus utinam Vates sim!) „ eum habebit exitum, ut iniqua turbulentorum ho„ minum machinamenta corroboret, & seditiones „ non comprimat, sed foveat. Ego certe aliter sen„ tio; ægre enim video labefactari Episcoporum „ auctoritatem iis in rebus, quas illi optime in „ animarum utilitatem sanxere. Has siquidem li„ benter ansas capiunt improbi homines ad salutaria quæque infringenda, ut quotidiana nos mo„ nent exempla. Verumtamen in eamdem tecum „ spem & opinionem venio, perceptum iri facile „ di-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Aliquot ad populum datis literis, & pœnis ſtatutis pravas Urbis conſuetudines, multis licet obloquentibus, tentat evellere.

1579. CUm tot officia Carolus pro Regis ſalute perageret, reus ab aliquibus appellabatur tamquam initia turbarum, & periculoſas Regiæ poteſtati ſeditiones in Urbe ſereret. Gubernator in primis ob notas ſimultates ſemper infenſior cœptas Romæ diſceptationes (*a*) acrius urgebat, atque ulciſcendi doloris cupidus in eam partem tela intendere conabatur, in qua

„ divina ope ex hac re uberes fructus, licet nobis „ modus non pateat, quo illi percipiendi ſint, „ cum humana mens in Divinis evolvendis conſi„ liis facile cæcutiat. “ Et ſane utrumque veriſſime Specianus prædixit. Hanc enim Borromei pluſquam humanam moderationem plures conſecutæ ſunt turbæ, ex quibus alii plurimi patientiæ fructus in Eum redundarunt. Vix enim repudiatis Ambroſianis Ritibus, Modoëtienſes impetravere contra Caroli ſententiam, ut quatuor Monaſteria eo in Oppido reſtituerentur, ex quibus Ipſe duos dumtaxat conflare voluerat. Anno inſequente tumultus in Urbe noſtra cœpti eo tandem erupere, ut legati ad Pontificem contra Sancti Antiſtitis Edicta expedirentur, & parum abfuit, quin reſcinderentur ipſa Acta Conciliorum. Eodem anno palam in Templo cenſoria in Illum dicteria & maledicta Concionator evomuit: biennio poſt, cum adimere Monaſteriorum regimen Religioſo cuidam Ordini vellet, re infecta mentem hanc depoſuit. Hæc omnia deinde cum videret Specianus, atque alias ex aliis oriri in Carolum belli cauſas, non dubitavit poſtmodum ſcribere, univerſas certe turbas has ex fatali illo, & peſtifero Modoëtienſis conjurationis ſemine originem habuiſſe. Quamquam univerſa hæc prævidit fortaſſe, aut certe vidit Borromeus ipſe; nihilo tamen ſecius virtuti ſuæ cumulum impoſuit curans, ut Oppidum illud, ejuſque Baſilicam novis honoribus augeret. Cum enim optarent Oppidani Clerum ſuum aliqua Inſignium Sacrorum dignitate fulgere, curam hanc in ſe recepit Carolus, qui tandem ſub vitæ finem, Archipresbyter violaceo paludamento, Canonici vero almutia ut inſignirentur, impetravit: paratus etiam Infulæ & Pontificalium uſum ejus Eccleſiæ capiti obtinere, ſi tum probare delatum id honoris antiquitus eidem Baſilicæ potuiſſet, ut ſcripſit Cardinalis Novocomenſis. Ornamentum hoc poſtmodum ſive delatum. ſive redditum poſt Caroli mortem ſub Ejus Succeſſore a Sixto V. fuit.

(*a*) Uſque a Pii V. Pontificis temporibus cum in controverſiam veniſſent plurima Archiepiſcopi jura, & agitata ſæpius in Romana Curia fuiſſent, nihil tamen certi unquam fuerat conſtitutum, cum ſemper Hiſpanorum legati oblatis conditionibus diſſentirent, & jus Regium lædi reclamitarent. Ea dumtaxat iis approbantibus ſoluta quæſtio fuerat, quæ ad Sedem Gubernatoris extra Odæi cancellos inter Sacrorum ſolemnia ſtatuendam pertinebat. Plura interim alia diſceptanda erant exorta, ut de Clero immuni a vectigalibus ſervando, de Archiepiſcopi poteſtate in profanos homines publicis criminibus obſtrictos, de laicis in Sacris Ædibus congregandis, de eorum veſtibus, de Clero communibus legibus non ſubjiciendo, niſi in eas Archiepiſcopus conſenſiſſet, & ſexcenta alia, quæ longum eſſet recenſere. Aliqua quidem læſis ſacris juribus adhibita pro opportunitate medicina fuerat; nihil tamen unquam ſtabilitum. Miſſi huc Apoſtolici Curſores: aliquot etiam Romam evocati ad cauſam dicendam: & Politonio Mediobarbo Romæ extincto, Senator Joannes ab Eccleſia, poſtmodum Cardinalis, legatione apud Pontificem functus animos aliquantulum mitigaverat; ſed nihil adhuc ex jure conventum erat. Poſtmodum Cardinalis Alexandrinus extra ordinem in Hiſpaniam miſſus cum Rege aliqua tranſigere ſtuduit, eoque ab Hiſpaniis reverſo, miſſus in Italiam Philippi nomine fuit Marchio *de Las Naos*, qui Mediolano tranſiens, & rebus cognitis Romam profectus, juxta ſuum ipſius præſagium alibi relatum in ipſa legatione exceſſit e vita. Subſtitutus demum in ejus locum Marchio Alcaniſius provinciam eamdem ſuſcepit; atque dum ſe æſtas anni ſuperioris circumageret, agitare aliquot juris controverſias aggreſſus eſt, quæ ad Neapolitanum Regnum, & maxime ad Provinciam Mediolanenſem ſpectarent. Idcirco ad legationem corroborandam Mediolano illuc miſſus fuerat Jacobus Riccardus. Cum itaque plura vix extricabilia in hiſce controverſiis apparerent, Pontifex ipſe Gregorius, ne quid niſi caute, & prudenter ſtatueretur, judicio ſuo, quo maxime vigebat, ſingulas res excutere ſolerter voluit, & controverſiæ totius naturam & progreſſiones introſpicere. Gaviſus eſt Carolus tam diligentem huic cauſæ Judicem dari, & pridie Nonas Novembris MDLXXVIII. ad Specianum ſcribens hæc habet: „ Lætatus ſum maximopere, cum „ ex te intellexi Pontificem ipſum cauſam hanc Ju„ riſdictionis penitus velle perpendere. Sane ſic „ fore confido, tam exquiſitæ diligentiæ divinum „ præſidium præſto fore; Supernus enim Spiritus „ Sanctiſſimo Domino noſtro certiſſime indicabit „ quidquid gloriæ ſuæ maxime conſentaneum erit: „ hinc pro jure ſtabit æquiſſimus Judex, quin Illius „ conſtantiam humanum quidquam labefactet. “ Cum res itaque tanti momenti ageretur, Specianus optabat, ut Romæ præſens Borromeus cauſam ſuam ageret; ſed hoc conſilium Ille rejiciens, in hæc verba reſpondit: „ Videris nimium importune ſoli„ citus, cum velis me Romæ eſſe, ut Alcaniſii „ negotiationi interſim. “ Hoc tamen anno acrius ſuſceptæ quæſtiones fervebant; quare idem Specianus optavit, ut quandoquidem Romam ire Carolus nollet, ſua interponeret ſaltem apud Pontificem officia, ut ipſe, utpote rerum peritus, intereſſe poſſet iis conciliis, quæ ſuper hac re Romæ haberentur. Nihil promovit tamen, imo eumdem modeſte increpans Borromeus, & cauſæ ſuæ, imo Deo præſidens, ſic reſpondit pridie Idus Febr. „ Primum „ jure cauſam noſtram tueri nos decet: ceterum

„ nec

Digitized by Google

qua vulneris ſenſus acerbior eſſet. Noverat, quantum Archiepiſcopo diſplicerent inania ſpectacula, quæ a Sacrorum cultu, diebus maxime feſtis populum avocarent. Itaque hac maxime parte ineundum certamen ratus, gratiſſimum ſibi fore aperte ſignificavit, ſi proxima Bacchanalia majore, quam antea, luxu celebrarentur. Quod ubi Carolo nunciatum eſt, haud ſecus, quam par erat, rei novitate perculſus ſalutaria primum monita in publicum edidit, quibus Mediolanenſes ſuos paterna benignitate hortabatur, ne decipi ſeſe fallaci illa publicæ hilaritatis ſpecie paterentur. Reſpicerent, quæſo, vixdum elapſæ peſtilentiæ funeſta veſtigia, audirent Conciliorum, Sanctorumque Patrum oracula, Divina, ac Regia præcepta otioſorum hominum invitamentis anteferrent (*a*). At ubi torneamenta, & choreas, & profanas alias popularis inſaniæ delicias in primam Quadrageſimæ diem parari intellexit, atque adeo Diœceſanæ Synodi decreta Civium conſenſu nuperrime conſtituta ſubverti, nimis turpiter muneri ſuo ſe defuturum putavit, niſi ſacrilegos auſus pro ea, quam a Deo acceperat, poteſtate compeſceret. Omnes itaque, & ſingulos, quacumque etiam dignitate præditos, qui incidentes in Quadrageſimam Dominicos dies haſtiludiis, aliiſque ſimilibus ſpectaculis temerare auſi eſſent, necnon earum rerum inventores, auctoreſque illico anathemate illigatos fore pronunciat, quo vinculo liberari, niſi Archiepiſcopi auctoritate non poſſint. Eadem cenſura damnatos declarat, qui Divinorum Officiorum tempore, quæ feſtis diebus per totius anni ſpatia celebrantur, eodem ſe crimine inquinarent. Si qui vero aut intereſſent, aut operam ſuam flagitioſis hiſce ludibriis commodarent, ſcirent ſe interdicti pœnam abſque ulla alia Judicis ſententia ſubituros (*b*).

Tantus hic terror, etſi ceteros in officio

„ nec nimiam præferre, nec habere ſolicitudinem „ convenit, aut majorem ea, quam Pontifex ipſe „ habeat: ad Illum enim, utpote Dei in terris „ vices gerentem, hæc omnia peculiariter ſpectant, „ Eumque magis, quam nos, afficiant neceſſe eſt. „ Sin vero aliquam nobis ſolicitudinem ineſſe neceſſarium videtur, ea tamen ne inordinate habeatur adeo, ut veluti in alieno Choro pedem „ ponere velimus. Quare nondum opportunum duxi „ iſthuc ſcribere, ut aditus tibi aliquis pateat in iis „ Conciliis, quæ hac de cauſa Romæ cogentur.“ Neque ſane ea tum res agebatur, quæ minime Caroli intereſſet; facile enim cognoſci poteſt, quam gravis cauſa penderet, ex eo quod ad Specianum eumdem paulo ante ſcripſerat de hac legatione: „ Quod iſthic palam dictitant me ad Jus Eccleſiæ „ Mediolanenſis tuendum Romam eſſe venturum, „ ego plane ignoro, unde afflaverit hic rumor. Certe hoc iter maxime a mea ſententia alienum eſſe „ ſcio. Quod vero addis, habere in mandatis Legatum, ut me curet ab hac Sede removendum, „ nihil certe novi affers, cum idipſum Mediolani „ dictum ſit ſæpius, & nuper etiam ex certo Auctore intellexerim. Num idcirco quod muneris „ mei eſt intermittam? Abſit intempeſtivus pavor „ &c.“ Hæc itaque, eaque graviſſima veniebant tum in quæſtionem apud Romanos Judices, & Alcaniſii ardorem pro virili inflammabat etiam Ayamontius. Carolus interim id unice ſpectabat, ut Eccleſiæ ſuæ negotia Deo enixe commendaret. Recito encyclicum monitum, quod ad Diœceſeos Vicarios, & Monaſteriorum Præſides dedit hoc tempore: „ Inter Sacrorum ſolemnia populum frequentiſſimum palam edocebis, agi nunc coram Sanctiſſimo Domino noſtro de juribus Eccleſiarum, quæ „ Hiſpaniarum Regis ditione in Italia continentur. „ Quandoquidem vero felix, atque perfectus cauſæ „ hujus exitus admodum ad earumdem tranquillitatem confert; mirifice autem ad conſolationem, „ rectamque Populorum adminiſtrationem, imo ad „ Regis ipſius vota implenda pertinet: excitabis „ pro virili fidelium cœtum, ut precibus quotidie „ inſtent Deo, ut per diligentiſſimam Pontificis operam finis tandem huic cauſæ imponatur, quoniam „ in divinum honorem ac gloriam omnino videtur „ redundaturus &c.“ Præſcribit deinde ſequentibus verbis precum habendarum ſeriem, ac tempus.

(*a*) Hæc omnia deinde luculenter & copioſe complexus eſt aureo illo libello, quem *Memorialem* nuncupavit. Eumdem poſtmodum in lucem edidit, ut veterum malorum a Vindice Deo inflictorum memoriam revocans, populum ſuum a flagitiis facilius abſterreret. Dum illum concinnaret noctu, ne quid diurni temporis muneri ſuo decerperet, plures quietis horas ſibi intercepit. Narravit autem hæc Fabius Sermondus, qui tum Carolo erat a manu: „ Antelucanis horis Cardinalis e tabulis, quibus indormiebat, eo tempore ſurgere conſueverat, mihique ad pluteum evocato, plura ſcribenda ſtans „ ſemper dictabat. Cum vero dictantem ſæpe ſomnus invaderet, ſtans item, ut erat, ſopori aliquantulum adhuc indulgebat: repente tamen poſt „ paululum evigilabat, neque poſcebat unquam, „ quo ex verbo retexenda eſſet rerum ſcribendarum ſeries, ſed paratus ſemper ſubtexebat apte „ & concinne inſequentem orationem.“ Tantum intentæ mentis vi Carolus valebat, ut neque adveniens ſomnus cogitationum ſuarum ordinem interturbaret.

(*b*) Has minas adverſarii in argumenta accuſatio-

ficio continuit, nihil tamen apud Gubernatorem valuit, quominus communi fere Principum more ageret, qui etiam delicta ſua improbari contumeliæ loco habent. Editis nuper a Cardinali decretis bellum ſibi, non vitiis indictum exiſtimabat, nec ullis officiis placari potuit, quin Romæ, Hiſpaniæque Tribunalia ad ultionem imaginariæ illius injuriæ concitaret (*a*). Libenter ego crediderim primariæ nobilitatis virum, in ſinu Orthodoxæ Religionis natum, ad florentiſſimæ Provinciæ regimen ab Catholico, ſapientiſſimoque Rege delectum malignitate magis alieni conſilii, quam ingenii ſui pravitate peccaſſe; ſed pudet dicere, quorum præſertim conſilio, ſive approbatione peccaverit. Addicti Religioſis Ordinibus homines tanti Archiepiſcopi nomen lacerare probris, atque in Ejus acta maligne inquirere audebant (*b*), gubernan-

---

tionis verterunt. Hoc enim ipſo anno, cum perviciſſet Ayamontius, ut Civium nomine querelæ aliquot in Cardinalem apud Pontificem deferrentur, hæc inter ceteras eminebat querimonia: *interdictis æque anathematis timendum Borromeum ſemper ad Sacra arma decurrere*.

(*a*) Quo animo tunc eſſet, & deinde fuerit promulgato Edicto Ayamontius, docet Borromei Epiſtola ad Specianum data IV. Idus Martias, Quadrageſimæ nimirum initio. Hæc itaque ad eum ſcribit: „ Præter perſonatorum hominum ſpectacula & „ haſtiludia, quæ proxime elapſis diebus, ut jam „ ſcripſi, maximam in Mediolanenſes morum cor„ ruptelam invexere, certis deinde ex hominibus „ intellexi, Ayamontium in eam mentem veniſſe, „ ut eadem ſpectacula in Dominicos quoſque Qua„ drageſimæ dies inſtaurarentur. Idcirco ante Do„ minicam *in ejus Capite* ſtrenue tota nocte inſu„ datum eſt, neque unquam ab operis ceſſatum, „ ut pegmata extruerentur in Portæ Romanæ com„ pito; credo equidem de mimicis dumtaxat ſpecta„ culis cogitatum eſſe ad illam primam diem, ea ni„ mirum de cauſa, quod alias in ſuperiorum tem„ porum caligine intra Quadrageſimam ea dies non „ comprehenderetur; quare indicto jam delectu, „ & deſignatis equitum, ac perſonatorum turmis, „ editum olim decretum refigere, & ad veteres „ mores redire conabantur. Quartus jam annus „ init, ex quo cautum eſt poſt diuturnas conſul„ tationes, eum diem Quadrageſimæ finibus com„ prehendi; & populus aſſenſus eſt Legi huic, „ cum ab Edicto ne tranſverſum quidem unguem „ hactenus diſceſſerit; atque hoc anno præſertim, „ quo nihil omnino imminutum eſt promulgatæ „ Sanctionis, Feria etiam VI. & Sabbato, Domi„ nicam hanc antecedentibus. Tuum jam eſt expen„ dere quantum labis publicæ diſciplinæ fuiſſet im„ poſiturum hoc Ayamontii conſilium; imo quan„ tum Sacrorum diſpendium inde conſecuturum, „ cum neque cæcis illis, & miſerrimis Eccleſiæ „ hujus temporibus tanta unquam extiterit labes, „ ut ceteris Dominicis Quadrageſimæ diebus pro„ fana hujuſmodi celebrarentur. Quamobrem ego „ tanto incommodo ut occurrerem, ſtatui palam „ ea edicere, quæ in adnexo folio leges. Ex Edi„ cti proœmio intelliges, quot mala huic populo „ pernicioſa illa ſpectacula obtulerint. Et ſane mul„ tum utilitatis fateor ex meo Edicto fuiſſe percep„ tum, quandoquidem ceſſatum non ſolum omnino „ a profanis ludis per eam diem fuit; verum etiam „ ſacrarum exercitationum ſtudia ſerbuerunt plane, „ & frequentior ſolito populi multitudo ad Sacras „ Ædes certe confluxit . . . . . Poſtmodum in„ tellexi Ayamontium vehementer de literis meis „ ad populum datis conqueſtum eſſe, cauſatumque „ eas aſperioribus dictis fuiſſe refertas. Equidem „ ego neminem carpo, neque quidquam præter „ vitia reprehendo: de turbarum hujuſmodi Auctore in Edicto meo ne verbum quidem occurret. „ Quod ſi ultro ſe accuſat, aſſerens ſe vitiorum, „ & Urbis corruptelæ originem fuiſſe, ſe ipſe cer„ te reprehendit. An vero novum ei videatur li„ bere me vitia perſtringere? Certe hoc ſtylo utitur „ Chriſtus ipſe in Euangelio, & Sancti Patres uni„ verſi ſuo mihi præiverunt exemplo; imo hoc Pa„ ſtoris munus eſſe jamdiu didici, cujus eſt pu„ blicis malis voce ſaltem mederi, ſiquando efficacem manum admovere non poſſit. Paſtoris eſt „ ſaltem ſignificare, quantum flagitia hæc ſibi do„ loris inurant, atque Divinam iracundiam excitent. „ Paſtoris eſt reclamitare ſemper, & pravis conſi„ liis diſſentire, imo improbare palam, quo faci„ lius oves ſibi concreditæ a flagitiis abſterreantur.“ Hæc Quadrageſimæ initio anxium Carolum habuere ſeditioſa conſilia. Verum alia nonnulla Dominicâ Quinquageſimæ inciderant, quæ intime Illius animum vulnerarent. Rem totam expono verbis ipſis deſumptis ex diario MS. Jo. Pauli de Clericis Cæremoniarum Magiſtri. Ad eam itaque Dominicam hæc ille adnotavit: „ Tanta fuit frequentia „ hominum, qui convenerant ad Curiam Principis „ propter Bacchanalia, & quadrigarum turmas, „ & equitatum, ut vix in Eccleſiam ire poſſemus. „ Quod propriis oculis videns Illuſtriſſimus ægre „ tulit. Sed quoniam *ſapientia vincit malitiam*, „ ideo opportune miſit aliquos miniſtros, qui re„ vocarent homines ab hujuſmodi ſtultitiis polli„ cendo illis Indulgentiam centum dierum, ſi ve„ niſſent in Eccleſiam. Quamobrem multi fuerunt „ revocati, & venientes in Eccleſiam impleverunt „ illam ita, ut *meliorem partem habuerit Chriſtus*, „ *quam Belial*.

(*b*) Tres admodum reperio ex Religioſis quibuſdam Ordinibus fuiſſe exortas diſcordiæ inter Borromeum & Ayamontium faces, & belli Auctores, qui, data opportunitate, allatrare licentius Cardinalem auderent, Ejuſque decreta cenſoria auctoritate ſuggillare. Primus Clafficum cecinit Pater N. N. qui Ayamontio erat a confeſſionibus. Is quotidie Gubernatoris aures obruebat importunis cavillationibus Caroli ſanctiones carpens, atque afferens veluti pro Tribunali, plura in Edictis contineri, quæ Epiſcopa-

lem

nandæ Eccleſiæ leges aliis daturi, cum ipſi ſuas aut contemnerent, aut ignorarent. Id ſane mirum Civitati videri debuit, præclariſſimi quoque, ſanctiſſimique Inſtituti alumnum in tantum impudentiæ, immo verius dementiæ proceſſiſſe, ut Caroli regimen ſugillare e ſuggeſto, Ejuſque mores diſerte reprehendere non dubitaret. Sed illud longe mirabilius fuit, quod in tanta obtrectandi licentia, nemo minus ſentiret injuriam, quam ille, qui acceperat. Nam niſi viri graviſſimi Carolum monuiſſent, ne ſummas in ſe ipſo Eccleſiæ dignitates impune violari pateretur, prope erat, ut omnem convitii fœditatem abſque omni prorſus querela tranſmitteret. Ita res legitimis teſtimoniis comprobata ad Romanæ Curiæ judicium pervênit, magna quidem incauti Oratoris utilitate, qui aliquandiu clauſtris ſuis incluſus, & concionandi facultate ſpoliatus præteritæ impudentiæ dedecus illuſtribus pœnitentiæ exemplis expiavit [a].

CA-

lem auctoritatem excederent. Monuit ſæpe amice hominem Carolus, ſed fruſtra; nam adeo ſibi ille blandiebatur, & auctoritate pollebat, ut cum officiis ſuis apud Supremum Ordinis Moderatorem curaſſet Cardinalis eum ab hac Urbe removendum, ipſi Ordinis Præſides de illius obedientia dubitaverint; quare neceſſe fuit, ut per fraudem hinc ablegaretur, cum imperia facile eluſurus fuiſſet. Alter Sacer ex eodem Cœtu Orator fuit, qui temere jaciens inepta, & frigida in Carolum dicteria, maleſana dicacitate apud amantiſſimos rerum novarum honori velificabatur ſuo. Aliquot iſtius dicta publice in ſuggeſto pronunciata memorantur; nimirum *ſe non Sacrum Oratorem eſſe, ſed Tabellarium*, utpote qui a Templo Maximo in aliud translatus, juſſus inibi fuerat habere concionem. Alias idem multo impudentius dixit *Cardinalem cum ovis ad ignem duratis, quibus veſci Paſchate ſolemus, poſſe comparari; cum purpureus utrinque color eſſet, & ſacris benedictionibus hæc & Ille expiati eſſent; ſed in utroque duritiæ etiam lateret*. Verum de hujus hominis ingenio fuſius in nota ſequente. Tertius demum ex alio Religioſorum hominum Cœtu legationis Romam miſſæ, & ſupplicis libelli ad Pontificem deinde dati Architectus fuit. Hujus indolem graphice deſcribit Nicolaus Galerius in Epiſtola ad Borromeum data hoc anno, cum Illum Romæ degentem de legatione illuc mittenda certiorem faceret. Nam poſtquam rem totam ab ovo deſcripſit, hæc addit: „ Inſidiarum omnium, & legationis hujuſce artifex „ eſt Frater N. N. de quo jam habita eſt quæſtio „ apud Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunal. In hoc „ major certe dicacitas, & mores magis profligati „ ac perditi notantur, quam in maledico illo Ora„ tore. Magna huic eſt cum Ayamontio conſuetu„ do; ſed majores inimicitiæ cum ſuis, & præci„ pue cum Romana Curia: quare miſerrimus ſe ul„ tro conjuratis dedidit, & noxarum judex factus „ ipſe nocentiſſimus, pravis conſiliis eorum animos „ imbuit, & quidquid fellis in amarulento ſtoma„ cho alit, livens chartis & ſupplicibus libellis al„ linit &c.

(a) Rem hanc, in qua Caroli patientia mirifice triumphavit, juvat paulo altius evolvere, quo integerrimam Borromei Judicis ſimul, & Actoris mentem penitus introſpiciamus. Jam anno ſuperiore officia ſua interpoſuerat, ut Virum hunc Oratoria facultate ſatis celebratum Urbi ſuæ & Templo Maximo Oratorem daret, atque etiam reipſa obtinuit. Hoc tamen anno, nulla concionandi facultate a Sancto Cardinali impetrata, ſe ultro Concionatorem in minore alia Eccleſia idem Pater obtulit. Impotens gloriæ ſtimulus hominem urgebat, cum videret ſe populari & aculeata oratione Civibus acceptum. Quare audentior factus palam Borromeum carpere, Regis Adminiſtros laudare, eorum cauſæ aperte favere etiam e ſuggeſto aggreſſus eſt. Animos auxerat ipſa quotidiana Ayamontii præſentia, qui avidus ſedere hujus Orationis auditor conſueverat. Monitus de turbulentis hiſce concionibus Carolus, diſſimulavit aliquandiu; deinde leniter ejuſdem Moderatores de ſeditioſis hujuſmodi vocibus certiores fecit, ut obicem aliquem tantæ audaciæ opponerent; ſed nihil unquam opportune in rem conſultum. Itaque ſive ex diſſimulatione, ſive fortaſſe etiam ex monitis impudentior Orator factus, Decreta promulgata & Sanctiones Archiepiſcopi, imo ipſam quoque Pontificiam auctoritatem ad centoriam virgulam palam revocare non dubitavit. Tum cœpit a pluribus vitio verti tanta Cardinalis patientia, & boni omnes publice Oratorem hunc peſtem Urbis vocitarunt. Cauſarum Fidei Quæſitor in Provincia Mediolanenſi, & ipſe Laudenſis Epiſcopus tum Mediolani verſans, orare Cardinalem ut hujuſmodi licentiæ frenum aliquod imponeret: interminari etiam pernicioſam moribus orationem in Gregis damnum aliquando erupturam. Permotus Ille precibus ſivit, quæſtionem hac ſuper re haberi; neque ſane quidquam decerni mitius in reum poterat: nam hoc intellecto Specianus XVIII. Aprilis die ſcripſit: „ Ut video, in hac „ quæſtione nihil magis contra jus actum præter ni„ miam humanitatem. Equidem oportebat impium „ hunc Oratorem in ergaſtulum detrudi; & plane „ ignoro, num alias minore de cauſa poſſit quiſpiam „ carcere mulctari, ſi rectum juſtitiæ ordinem ſer„ vare velis &c. “ Vicit tamen humanitatem hanc ipſam nova benevolentia Borromeus; nam confectas quæſtionis habitæ tabulas ejuſdem Ordinis Patribus ſtatim dedit, ut reo defenſio aliqua quæreretur. Hoc conſilium multo magis improbavit, poſtquam intellexit, Specianus, Eumque nimiæ lenitatis libere accuſavit eo, quod in hac cauſa aliquam hæreſeos labem ineſſe appareret. Sane exitus ipſe Caroli clementiam veluti improbavit, cum ſtatim acrius bellum inde exarſerit. Commota enim in Illum nova tempeſtas eſt a Cœtus illius Patribus, qui Concio-

na-

Digitized by Google

natoris ſui partibus ſtudere maluerunt, licet ſaniores ex iis aliquot Borromeo faverent. Ecce tibi quid de contentione hac recenter orta Cardinalis ſcripſit: „ Licet aliqui ex hoc Ordine Concionatoris tuendi partes ſuſcipiant, non deſunt tamen „ nonnulli, qui meliorem cauſam tueantur, eumque „ pœna juſte mulctandum arbitrentur; imo dictitant „ ſtatuendum in hoc Patre juvenilibus ingeniis „ exemplum, ut diſcant animi elationem compeſcere, neque abuti *ſcientia*, quæ ſæpius *inflare* conſuevit. Quare futurum ſpero, ut nunquam Deus „ ſinat, favorem hominum illi ſtudentium adeo valere, ut jus omne obruat, & Dei honos immi„ nuatur. Tamen, quicumque futurus ſit hujus cauſæ exitus, hæc me recreat cogitatio, quod mu„ neri non defuerim meo &c. " Itaque tunc Cardinalis juſſu interdictum fuit Oratori concione, & pœna adjecta imperatum, ut ab exterorum commercio ſuis in ædibus clauſus abſtineret. Sed fruſtra ceſſit conſilium: Cum illius Ordinis Collegæ indemnem nocentis famam ſervare apud populum vellent, plures ſemper Civium admiſſi ad hujus colloquium ſunt; cumque publico careret Orator, infirmam valetudinem cauſabatur. Deinde complures in exteras regiones miſſitatæ ſunt literæ plenæ contumeliarum in S. Cardinalem; atque in iis Concionatoris dicta per fallacias defendebantur. Ultimo adornata etiam calumnia eſt in Patrem N. N., qui Carolo perfamiliaris, favere Ejuſdem partibus credebatur. Interim reus reclamitavit, inimicum ſibi Archiepiſcopi Tribunal eſſe, & ad Romanam Curiam provocavit. Mandatum itaque a Pontifice eſt, ut ſe quantocyus Romæ ſiſteret, ubi revera ſub Maji finem fuit, & juxta inflictam Mediolani pœnam privatis clauſtris tenere ſe juſſus eſt, vetituſque etiam pedem in Templum inferre. Conqueſti primum Romani Cardinales ſunt de præjudicata veluti cauſa propter publicas literas, quas in alias Regiones Patres diffundi ante pronunciandam ſententiam curaverant: deinde cautum eſt, ut omni calumniæ affictæ ſuſpicione Pater N. N. liberaretur. Summa cauſæ hujus demandata fuit Cardinali Sabello Supremo Congregationis pro cauſis Fidei Præſidi, ad quem etiam Tabulæ quæſtionis hic antea habitæ tranſmiſſæ fuere. Optime in eum Ordinem erat animatus hic Judex; non tamen apud eum adeo valuit patronorum auctoritas, ut locus juri non eſſet. Equidem Richardus tueri Concionatoris partes conatus eſt (hunc enim ſibi patronum reus elegerat, ut publico veluti uteretur patrocinio) ejuſque cauſam tamquam cum Regiis controverſiis affinem callide in aliud forum pertrahere Ipſe etiam Regis Hiſpaniarum Legatus plures Judicum prehenſavit; & aliorum opera populares etiam turbæ concitatæ ſunt. De turbulentis hiſce motibus Cardinalem monitum fecit Specianus ad diem IV. Julii his verbis: „ Quem„ admodum tuus omnino expers odii eſt animus „ in hoſce Patres; ita tibi perſuaſum habes, vaca„ re eos malevolentia in te omni, ut quidem æquum „ eſſet. Verum aliter omnino res ſe habet Romæ; „ cum quidquid illi in te moliuntur, nec ego ſcri„ ptis, nec tu cogitatione complecti valeamus. Hoc „ unum dico, quod mihi Cardinales aliquot majo„ ris ordinis aperte ſignificarunt: videri nimirum „ ſibi eos omnes de mente dejectos; adeo maria „ miſcent & montes; & illos quædam veluti agitant „ intemperiæ. Loquuntur & obloquuntur quidquid „ in buccam venit, licet plures eximii Theologi „ ſentiant hæreſeos reum videri Concionatorem, ne„ que ullo pacto ejus dicta poſſe defendi. " Itaque cum nihil Patroni proficerent turbis, clamitarunt oppreſſum judicium eſſe Borromei auctoritate & malevolentia. Hanc Cardinalis ſuſpicionem egregie purgavit literis in hanc ſententiam ad Specianum datis: „ Scis cauſam hanc commiſſam eſſe Cardina„ li Sabello, cujus benevolentiam ſingularem erga „ eum Ordinem notam eſſe omnibus arbitror. Ta„ men fateor, amorem in hos Patres etiam meum „ nihil Sabelli benevolentiæ concedere; quam be„ nevolentiam meam tot teſtificationibus, ubi opus „ fuit, olim comprobavi, & in poſterum etiam „ ſemper comprobabo. Sic nuper ſine ullo judi„ cii, & quæſtionis tumultu ex eadem Congre„ gatione alium dimiſi, qui errore lapſus in pu„ blica Concione quidpiam Fidei minus conſenta„ neum pronunciaverat. Monui amice hominem, „ & juſſi male dictum retractare, quod quantocyus „ præſtitit; neque enim aliud in illo notari præter „ mentis errorem poterat. Verumtamen in hac de „ qua agitur cauſa plus Deo, atque Orthodoxæ „ Fidei, & demum publicæ diſciplinæ debere me „ fateor, quam ut amori in Ordinem meo indulgere „ poſſim. Idcirco in ſuſpicione tam gravi, atque „ hiſce temporibus præſertim, Paſtorali muneri deeſſe non debeo. Quamvis vero nulla fuiſſet in ejus „ ſermone doctrinæ & Fidei labes, videbam mihi „ neceſſario cavendum eſſe, ne unus populi uni„ verſi mores diſſolvere pergeret, & formidabam „ non poſſe pietatem ac rectam diſciplinam in Urbe conſervari, niſi aliquid de mea erga illum „ benevolentia imminuerem. Atque id multo acrius „ facere cogor, quod illius Patroni omnes id cu„ rant præcipue, ut integram apud populum ejuſ„ dem exiſtimationem foveant, ac ſervent. Nihil „ itaque mihi in hac cauſa agitur, niſi ut velim „ monitum populum, Romæ etiam improbari hunc „ concionandi morem: ſic elidentur improbæ do„ ctrinæ ſemina, quibus ille conatus eſt veluti „ zizania tritico ſuperſerere, ut ea tandem refici „ poſſint, quæ deſtructa per illum ſunt &c. " Hæc per literas Speciano indicavit, re autem ipſa luculentius amoris ſui teſtimonium exhibuit. Quo enim tempore hæc Romæ fervebant diſſidia, curabat Borromeus, ut iiſdem Patribus tria Collegia attribuerentur, Genuæ nimirum, Vercellis, & Locarni ad Verbanum. Detectis hiſce inſidiis, rogatus demum eſt a Patribus Pontifex, ut juberet Cardinalium cœtum ab omni judicio abſtinere, ne in unum hominem prolata ſententia in Ordinis univerſi infamiam redundaret. Novam hanc fallaciam aliis literis diſſavit Carolus in hæc verba: „ Quod ad eum Ora„ torem ſpectat, ſi ex jure in ejus cauſa agetur, „ licet abſolutus ex judicio evaſerit, quid mea in„ terſit non video; quandoquidem vitio verti mihi „ non poteſt, quod rem totam ſincere ad Pontifi„ cem Summum detulerim. Quod ſi per cuniculos „ oppugnari jus velint, & falſis coloribus rei ve„ ritatem obtegere: fas mihi videtur Gregorium „ commonere, ne minus velit Fidei Orthodoxæ de„ ferre, de qua nunc agitur, quodque per ſe ipſum „ graviſſimum eſt; quare inane hoc quod affingunt „ periculum penitus contemnendum videtur, cum „ dictitant poſſe in poſterum lædi totius Ordinis „ famam. Etenim in Apoſtolico, quod veneramur, „ Col-

CAPUT VIII.

Sanctæ Præxedis Aſceterium inſtituit: aliquot ibidem Virgines ſolemni ritu Deo conſecrat.

1579. DEprehenſus inter Principum odia, & malevolorum inimicitias Cardinalis, vix ſatis virium ad ſuſtinenda Pontificatus onera habiturus videbatur, niſi tot animi anguſtiis cæleſtis providentia laxamenti aliquid interponeret. Cum enim ad jurgia, & contumelias ſacros etiam homines diſciplinæ tædium concitaret, novum Virginum Sodalitium in Urbe parabatur, quæ admirabili vitæ ſeveritate mollitiem ſuam viris in adimplendis Ordinum ſuorum legibus exprobrarent. Puellæ aliquot apud Martham Plantanidam [*a*] ſpectatæ pietatis mulierem alebantur, oblitæque nuptiarum, adoleſcentiæ tempora ad Monaſticæ vitæ ſimilitudinem exigebant. Expertæ deinde quanta ſuavitas religioſæ ſolitudini ineſſet, ſimul experiri voluere, quam fortia in fragili ſexu & agere, & pati divinus amor poſſit. Vetus S. Claræ inſtitutum huic conſilio aptiſſimum videbatur, quo inter exempla muliebris innocentiæ, nihil Eccleſia ſanctius, aut difficilius enumerat. Quæ enim in ceteris Sanctimonialium Aſceteriis graviſſima appellantur, hujus inſtituti leviſſima ſunt. Corpus flagellis cædere, nudis incubare tabulis, una eademque aſperrima tunica calores, & frigora tolerare, nullam abſque jejunio diem tranſigere, nullam quotidiani victus, niſi in aliena miſericordia ſpem habere, hæc atque alia ſtatuta Sodalitii ſunt, quæ plane intolerabilia videri poſſint, niſi abſurdum eſſet Divinæ gratiæ vim ex humanæ naturæ infirmitate metiri. Nihil ſane jocundius Carolo accidere poterat, quam ut clariſſima hæc muliebris patientiæ exempla Mediolani videret [*b*]. Triumpho certe ſimilis ſupplicatio fuit, qua initiatas ſolemnibus

---

„ Collegio Judam unum proditorem execramur; „ neque mirum cuipiam videri poterit, quod in „ tot bonorum Virorum numero, unus aliquis ex„ titerit, qui contra aliorum exempla malus eſſe „ voluerit. Præterquamquod ſalutaris hæc in reum „ conſtituta pœna reliquis erit exemplo, ut dicta „ ſua melius expendant, nec frena ſuperbiæ la„ xent, quæ ex doctrina perſæpe oritur.“ Diutius itaque dilato judicio, cum Romæ ſub anni ejuſdem finem eſſet Cardinalis, pronunciata tandem in Oratorem illum ſententia eſt poſtridie Calendas Decembris, & publice in Alma Urbe fuit evulgata. Conſecutus ſtatim eſt ingens animorum motus; quare prudenter cautum a Gregorio eſt, ut paulo poſt refigeretur. Miſſa etiam Mediolanum fuit, ut reſciretur palam, quis fuiſſet cauſæ exitus. Sed Nicolai Galerii Vicarii pietas, & in eum Ordinem exiſtimatio tantum profuere, ut dum Vicarius moras necteret, neque Carolus inſtaret, vetitum ſubinde ſit a Romanis Patribus, ne in publicam hujus Urbis lucem ea ſententia veniret. Certe ſalubriter hoc modo proviſum eſt, ne Orator ille iterum Mediolanenſium aures importunis Concionibus læderet. Etenim vetitus fuit ad hanc Urbem accedere; cumque biennio circiter poſt novas turbas Urbini excitare vellet, ad Caroli præſidium confugiens ejus Urbis Archiepiſcopus pervicit, ut Ejuſdem ope ſeditioſis illius vocibus liberaretur. Id colligo ex lamentatoriis, & euchariſticis Urbinatium Archiepiſcopi literis. Tamen adeo ſe moderate geſſit etiam poſt hanc cauſam Carolus, ut pronunciatæ in Concionatorem illum ſententiæ exemplar nulli unquam aperuerit, præterquam Philippo Regi, cum in Hiſpaniam Patrem a Baſilica-Petri Legatum miſiſſet.

(*a*) Martham hanc Plantanidam Mariti ſui crudelitati ereptam ex Joannis Baptiſtæ Caſtelli pronunciata ſententia, paulo poſt Viduam, ſed adhuc Mundi pompis animo hærentem, tandem ad ſanctiora conſilia converſam Alexandri Saulii concionibus, ſcribit Aloyſius Barellus in Monumentis ſuæ Congregationis Lib. VIII. Cap. VI. Hæc domicilium fixerat prope locum, ubi Sanctæ Præxedis Templum nunc extat, atque in ejus diſciplinam ſe tradiderant XXV. circiter Virgines jam ab anno MDLXXV., quæ nomen Sanctæ Urſulæ Societati dederant: ſcribit autem Carolus tanta eas fuiſſe continentia & virtute, ut omnibus legum vinculis ſolutæ, Monialium obedientiam & ſanctitatem perfecte æmularentur, & jam firmiſſime deliberaſſent Monaſterii Clauſtra ingredi, ubi primum illud patuiſſet.

(*b*) Nihil intentatum omiſit S. Paſtor, ut tantæ auſteritatis exemplar in Urbe ſua omnium oculis proponeret. Capuccinarum Virginum leges Roma ad ſe tranſmittendas curavit, deinde etiam ab Epiſcopo Eugubino. Mox Peruſio accitas quatuor ejus Ordinis Moniales huc deduci voluit, neceſſariis omnibus in earum iter ære ſuo comparatis. Commiſſam venientium earum curam & cuſtodiam Peruſini Franciſci Boſſii, & Paleotti Bononienſis Epiſcoporum diligentiæ accipio. Mediolanum venêre anno MDLXXVIII. ſub Idus Octobris, quo tempore Auguſtæ Taurinorum erat Cardinalis, ubi certior de earum adventu eſt factus, ut ex literis conſtat. Admirationi Carolo fuit, intelligere eas Mediolanum lecticis vectas; videbatur enim ſibi commoda

hæc

bus cæremoniis Virgines ad Monaſterii ſepta deduxit. Clerus univerſus edicto vocatus anteibat: Archiepiſcopus ſequebatur Dignitatum ſuarum inſignibus venerabilis, eaque oris ſerenitate, quæ parem animi hilaritatem circumfuſæ multitudini affunderet. Præcipua tamen triumphi pars erant Virgines ipſæ, parva numero manus [a], ſed longe amplior æſtimanti, quam ardua virtutum exempla ingrederentur. Sacco indutæ, capite ſpinis coronato, prægrandis formæ crucem humeris trahentes binæ incedebant externo quoque cultu indicantes, quem ſibi Magiſtrum, ac Ducem elegiſſent. Cum ea pompa, ornatuque rediere ad illam Plantanidæ domum [b], non ultra viſuræ Urbem, non familiares, non conſanguineos, quorum etiam propinquiſſimorum aſpectu clauſtra illa ſemel ingreſſæ, perpetuo carent.

Excepit deinde Carolum cura extruendi de integro Monaſterii, cui ſacra Ædes a fundamentis erecta, ac S. Praxedi dicata nomen fecit. Id vero facile eſt aſſecutus Nobilium ſtudio, quos ei negotio præfecerat, & largitionibus Civium, quas ſemper exemplo anteire ſolitus fuit [c]. Conclavia, triclinium, officinæ mutuis ſe invicem commodis complectuntur, cellulæ editiore loco poſitæ ſubjectam hortorum planitiem deſpectant, ſumma in omnibus adhibita cura, ne, vel ſuus paupertati nitor, vel ſua ſolitudini ſolatia deeſſent. Præcipua tamen celebritas loco ex fama virtutum, & concurſu illuſtrium fœminarum [d], quas inter paternæ domus delicias,

hæc itineris faciendi ratio nimium ab auſtero ſuſceptæ vitæ inſtituto abhorrere. Verumtamen audito, comparatum ea ratione illarum modeſtiæ præſidium potius quam commodum, admirari deinde cœpit integritatis teſtes ſanctiſſimos earum mores, quos ſibi apprime probari non unis literis deinde declaravit. Capuccinos etiam Patres precibus ſuis ſolicitaverat, ut Aſceterii hujus curam gererent, utpote qui ſimilis vitæ ſtudio commendabantur. Sed nunquam id precibus licet enixis impetrare potuit; quare Ambroſianis Ritibus imbutas, ſtatuit eas in Mediolanenſis Archiepiſcopi jure contineri, licet Congregationis S. Pauli Patribus eas formandas permiſiſſet.

(a) Non adeo contemnendus manipuli illius numerus viſus eſt Cardinali Alciato, qui intelligens ex Carolo XIX. Virgines eo tempore tam ſeveris legibus ſe obſtrinxiſſe, reſcripſit: „ Mirari ſe quod „ uno impetu XIX. puellæ tam rigidum vivendi In„ ſtitutum ſecutæ ſint, cum par Capuccinarum ag„ men Romana Urbs, licet ampliſſima, ad id tem„ pus numerare non poſſet. “ Sumpſere ſacras veſtes hæ Virgines VI. Cal. Majas.

(b) Domui huic adnexas dederat dono geminas alias ædes hiſce Virginibus mira munificentia Cardinalis Alciatus multis jam ante annis, ſolicitatus ad id Caroli precibus, qui conſilium illi ſuum de Monaſterio inibi extruendo aperuerat. Multo autem magnificentius locum hunc amplificavit ædibus ſuis Sidonia Robecca, cujus munificentiam atque animum aperte declarat ſequens Epigraphe huic Aſcetesio hodie etiam præfixa;

SIDONIA ROBECCA
HAS PATERNAS ÆDES
CUM VIRIDARIO
DICAVIT B. MARIÆ IN USUM
SAC. VIRGINUM CAPUCCINARUM.

(c) Anteivit revera Carolus ceterorum curas; nam cum Joannis Thomæ Cribelli fundum emphyteuſi obnoxium illi Monaſterio deberet adjungere, onere omni liberatum illi addixit: deinde etiam tria nummorum millia eidem extruendo deſtinavit; qua ratione, aliiſque etiam ſuppeditatis a Civibus pecuniis, centum Virginibus cellas ædificari juſſit, ut Ipſemet in literis teſtatur. Quare videtur aliquantulum rei veritatem excedere Aloyſius Barellus loco jam citato, qui ducentas uſque Virgines vitæ ſanctimonia eo in loco floruiſſe liberaliter admodum aſſeruit. Neque initio dumtaxat eluxere Caroli ſtudia & favor in ſelectum hunc ſine macula Gregem; ſed etiam ſub vitæ ſuæ exitum cum videret Ille neceſſarium iis Virginibus aquæ rivum eſſe ad pannos domi purgandos, inſtitit officiis ſuis Cardinali Granvelano Antonio Perenotto, ut ex venia Regis Philippi liceret in earum commodum ex proximo Clauſtris alveo tantum aquæ derivare, quantum domeſticæ illarum neceſſitati ſublevandæ par eſſet; quod etiam poſtmodum nullo refragante impetravit.

(d) Quantum in Mediolanenſibus Virginibus ferverent aſperæ hujuſmodi vitæ amplectendæ ſtudia ſub Carolo Inſtitutore, jam aperte oſtendimus ex numero centum cellarum iiſdem deſignato. Ceterum infinitum eſſet ſingulas enumerare, quæ certatim huic cœtui nomen dedere. Inſtar omnium ſit Paula Vicecomes *relicta quondam Pomponii Cuſani*, quam inter Nobiliſſimas alias Matronas Urbis Carolus diligebat. Hanc aliquot ante annos inter ſepta Monaſterii Angelicarum Sancti Pauli incluſam, Patris Andreæ ab Avellino diſciplinæ a Borromeo traditam, & ſummo ſanctitatis ardore incenſam admirata eſt Urbs univerſa in hoc Aſceterium tandem tranſmigraſſe, & fortunis ſuis ejuſdem incrementa adjuviſſe: Novum aliud narrat idem Sanctus Andreas Avellinus in epiſtola ſua ad Carolum data, & inter alias ejuſdem manu exaratas in Ambroſiana Bibliotheca cuſtodita, miræ impatientiæ genus, quo Virgo quædam ex Mozanica familia ad hoc Inſtitutum aſpiravit. Hæc dato nomine, inter primas hujus Monaſterii alumnas cum fuiſſet cooptanda, maternis ſeu officiis ſeu precibus victa clauſtrum ingredi

cias, & coronata majorum ſtemmata adultas hæc S. Praxedis Ædes in ipſo ætatis flore ſpineo ſerto redimitas accepit. Inter quas conſanguinea Cardinalis Corona [a] nomine ſingulatim commemorari meruit, quæ, cum ob magnas hæreditates, quæ ad ipſam fratrum morte pervenerant, a primoribus Urbis certatim ad nuptias peteretur, aſſumpto Helenæ nomine huic tam ſevero Ordini adſcribi maluit, Auguſtæ alterius Helenæ gloriam, hac parte laudis ſuperatura, quod illa latentem Judæorum fraude Crucem publica luce donavit, hæc humeris ſuis impoſitam patientiſſime tulit. Contumacibus enim morbis rudi lectulo per triennium affixa eumdem fortitudinis gradum perpetuo retinuit, atque inter acerbos dolores ſemper invicta dignam ſe Crucifixo Domino ſponſam, ac vere Caroli conſanguineam comprobavit [b].

CAPUT IX.

Collectos ex Provincia Præſules quintum ad Concilium vocat, qua occaſione plura Sanctorum Corpora in Nazariana Baſilica delitescentia, in ejuſdem Baſilicæ aris honorificentius reponit.

1579. INeunte Majo ejuſdem anni quintum Provinciale Concilium celebratum eſt, in quo poſt ceteras de rebus Eccleſiæ conſtitutiones multa tradita ſunt, quæ peſtilentiæ tempore maxime neceſſaria, ſive utilia eſſe uſus docuerat [c]. Cum enim inter ejus mali initia turbari prudentiſſimorum etiam hominum mentes, atque ex inopia conſilii multoties peccari compertum eſſet, intereſſe reipublicæ videbatur, probata quædam experimentis remedia

gredi ſuperſederat. Mox vehementioribus divini amoris ſtimulis incitata, cum iterum, ut reciperetur, poſtulaſſet; ſed a Monaſterii Præſide repudiata eſſet propter cellarum nondum exædificatarum incommodum, primo curavit ut cubilia duo Monaſterio ipſi contermina ſibi venderentur, & poſtulavit ut ea aggregarentur Aſceterio: deinde cum nihil hoc conſilio profeciſſet, atque diuturniorem moram ferre adhuc non poſſet, quadam die cum caſu pervias vidiſſet Monaſterii fores, raptim fugam a Matre arripiens, in illud citatiſſimo gradu convolavit, mori etiam parata, dummodo inde non exturbaretur. Itaque hoc unum dicam, tam amplum Aſceterium quinquennio poſt novis Virginibus recipiendis impar fuiſſe; quare ſub Caroli mortem novum extrui neceſſe fuit, ut videbimus. Illud autem, quod Sanctæ Barbaræ nuncupatum fuit, cum ingenti petentium ingredi numero ſufficere non poſſet, gemina deinde alia aperta in hac Urbe ſunt, unum ſub Mariæ Lauretanæ, alterum ſub ejuſdem Deiparæ Angelorum Reginæ auſpiciis: illud quidem a Federico Cardinali Borromeo anno MDCXXVIII., hoc ab Alphonſo Cardinali Litta Archiepiſcopis Mediolani anno MDCLV. Deliciæ nimirum ſemper noſtrorum Antiſtitum fuere iſti cæleſtis Sponſi *horti conclusi & fontes ſignati*, horti, inquam, Caroli manu primum conſiti, ceterorum deinde Succeſſorum opera & vigilantia etiam in præſens amantiſſime exculti. Ex noſtra deinde Urbe Sanctitatis Magiſtras accepere alia duo Aſceteria Ticini, & Cremonæ condita, quas Urbes ad ea excitanda una Virginum S. Praxedis fama permovit.

(a) Filia hæc Joannis Baptiſtæ Comitis Borromei fuit, & Caroli patruelis, antea in S. Marthæ monaſterio educata, & ſororem Hippolytam habuit nuptui traditam Comiti Alberico Balbiano *de Belgiojoſo* celeberrimæ inter primarias Inſubriæ familiæ. Cum in Aſceterium, in quo triennium dumtaxat vixit immatura morte præventa, ſe recepiſſet, Helenæ nomen aſſumpſit.

(b) Adde admirandum de poſthuma hujus Virginis obedientia teſtimonium. Cum ſiquidem hæc apertis oculis expiraſſet, & nequidquam officioſæ ſorores eos claudere conarentur, adveniens Aſceterii Præſes Soror Hieronyma Perutienſis, imperavit Defunctæ, ut eadem, quæ vivens dederat, obedientiæ indicia mortua etiam præſtaret, & ſtatim oculos clauderet. Senſit cadaver imperium, & ſtatim occluſis oculis viſum eſt, quamdiu inhumatum fuit. Simile quidpiam legitur apud Bononienſes Scriptores, alioſque de Beata Catharina Vigria, cujus cum nulla vi obdurati, & rigentes artus ſellæ aptari poſſent, ad Præſidis nutum cadaver ſponte conſedit, ſeque in ſella comparata, prout etiam hodie viſitur, apte decenterque compoſuit. Ceterum ut certior Helenæ obedientiæ fides eſſet, novum oſtentum conſecutum eſt. Nam cum paucos poſt dies oblata alterius ſororis ſepeliendæ occaſione tumulus apertus idem eſſet, Helena inventa eſt apertis, ut antea, oculis. „ Nimirum apertos in cælum „ eſſe oportebat poſt mortem etiam oculos, qui „ ſemper in vita Cælum ſpectaſſent, quique una „ cum Job compotes futuri erant beatæ ſortis, „ de qua ſcriptum eſt: *Et rursus circumdabor pelle „ mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus „ sum ego ipse &c.*" ut eleganter adnotavit doctiſſimus Cardinalis Federicus Borromeus in ſuo opuſculo, inſcripto Φιλαγιος, in quo breviter nonnulla de Virginis hujus moribus deſcripſit.

(c) Occurrit hoc loco laudanda inconcuſſa Caroli in retinendis Inſtitutis ſuis conſtantia. Etenim multo antea Concilium IV. Provinciale Romam miſerat, atque audierat illud multorum cenſura diverſimode lacerari. Nihilo tamen ſecius, ne a

Tri-

Digitized by Google

dia publicis literis commendari, quibus Paſtores animarum in ea rerum conſternatione, quoties caſus incideret, uterentur [a].

Dum ita conſulerent Patres, notaverant in Archiepiſcopo ſuo pallorem oris, extremam corporis maciem, & alia naturæ fatiſcentis indicia; nec arduum erat interpretari, unde in viriles annos triſtis ea ſenectutis ſpecies obreperet. Nota erant flagella, & jejunia, quibus in ſe ipſum ſævire conſueverat, ac ſuper cetera intolerabile videbatur modicum illud quietis, quam poſt aſſiduos labores caperet, tabularum duritie vexari. Itaque iterum orabant, ut, quomodo alias precati erant, lenius erga ſe ipſum ageret, atque aliquando intelligeret, quanta pars publicæ ſalutis ex ejus vita penderet. Poſtquam diu officiorum humanitate certatum eſt, hanc denique gratiam retulere, ut referto paleis ſacco ſubſtrato, ſacco alio leviore tectus cubaret [b].

Hac tanta re conceſſa Oratoribus, petiit

Tridentini legibus recederet, hoc anno Quintum congregavit. Multos intellexerat inſuper reclamitantes decreto ſuo *de barba radenda*, quod jam ſanxerat; attamen licet de Romanæ Curiæ ſuffragio incertus, alia nunc decreta ad Specianum mittens ſcripſit. „ Spero Deum cauſæ ſuffragaturum ſuæ, atque huic „ præcipue. Neque velim, omnem fidem habeas „ amico illi, qui me ab hoc Concilio mittendo „ abſterruit: & licet omnis illi fides vere debeatur, „ non adeo apud nos ejus verba valere debent, ut a „ rectis Decretis faciendis abſtineamus, quo uſque „ Deus id ſinit; nam quod nos exequi non poterimus, id faciendum Deo permittemus. Meum „ Epiſcopi eſt ſervare, & reſtituere antiquas Eccleſiæ meæ ſanctiones, inter quas tu probe noſti, „ etiam barbæ radendæ conſuetudinem eſſe apud „ bonos ſemper retentam, neque Romæ unquam „ improbatam, imo tot ſeculorum uſu probatiſſimam. Et quamvis iſtà in Urbe non adeo recepta „ hæc videatur, nihil tamen unquam Pontifex ullus contra ſtatuit, aut ſtatui permiſit. In Vi„ glevanenſis Eccleſiæ Decretis auctoritate Apoſtolica firmatis, & recenter ad annum hujus Seculi „ XXXV. aut XXXVII. editis, expreſſa lex habetur „ de barba radenda &c.

(a) Concilium hoc anno inſequente ad Urbini Archiepiſcopum miſit, a quo immortale hoc præconium per ejus literas retulit. „ Olim cum primum Mediolanenſe Concilium vidi, atque illud inſpexi „ Eccleſiaſticæ eruditionis plenum, & omni ex parte perfectum, judicabam operam tuam ad multos „ annos in edendis novis Decretis iterum non „ eſſe collocandam, cum quidquid in Epiſcopi „ mentem cadere poteſt, id omne ſolertia tua in „ eo eſſes Concilio complexus. Triennio poſt ſecundum ad manus venit, quod primi Decreta dilucide aperuit, & poſſe obſervari docuit; noviſque demum adminiculis excitatam veluti ſanctitatis molem exaggeravit, plurimis etiam additis „ novorum munimentorum rudimentis. Cum vero „ tertium evolvi, dilucide apparuit, totius Paſtoralis ædificii compages, & veluti Iconographia. „ Videbatur enim primo Concilio fortiſſimum veluti caſtrum excitari, in quo tutiſſimum eſſet „ armamentarium: Mox geminis aliis viſæ ſunt „ veluti ſub manus munitiones ſuccreſcere, & exteriora tamquam propugnacula caſtro ipſi adjungi. „ Aut etiam in mentem venit hanc Conciliorum „ ſeriem videri Romanis Aquæductibus ſimillimam, „ qui cum antea aquas ſinu ſuo continerent, poſt„ modum derivatas per fontes, & canaliculos un„ das per Urbem totam effudere. De quarto au„ tem, & quinto quid diſſeram? Subit dumtaxat „ admirari immenſam veluti ingenii tui fœcunditatem, quo non mandatorum dumtaxat viam, ſed „ etiam conſiliorum perfacilem ſternis, & feliciſ„ ſimos Inſubricos populos in Sanctitatis apicem „ ſummum provehis. Quid de intacta hactenus ce„ teris Concilii parte dicam, quæ ad Urbem pe„ ſtilentiæ tempore regendam ſpectat? Superat ea „ quidem ſapientia ſua Medicorum artem, utpote „ remedia omnia præſcribit uſu ipſo tuo probatiſſima. Qui pudor interim me obruit, adhuc in fun„ damentis jaciendis hærentem, & vix fulcris ſuſtinentem mœnium ingentes minas, aut veteres „ muros jam fatiſcentes inepte ſarcientem. Tua „ hæc decreta aurea ac gemmea; mea fictilia, ac „ vitrea: tua ex omni lapide pretioſo concreta ædificia ſunt; ego fœnum & ſtipulam ædificio, aut „ etiam *luto linso abſque paleis* &c.

(b) Ex hoc tempore certiorem, quam alias, inivit cubandi rationem, licet non ſemper omnino eamdem tenuerit. Etenim Ambroſius Fornerius, ex domeſticis Caroli, quoad Hic vixit, teſtata hæc reliquit in Apotheoſis Tabulis: „ Decumbendi modus poſt pe„ ſtilentem annum non idem ſemper, ſed varius „ Carolo fuit. Alias nudis paleis dormiturus incu„ buit; exinde tabulis una ſyndone ſtratis indormi„ vit: cumque aliquando ſyndoni lanea ſtragula „ ſuppoſuiſſem, ocyus amoveri juſſit. Ultimo ex „ graviſſimorum Virorum conſilio juſſit culcitam „ paleis referciri, mihique demandavit, ut pluri„ bus in locis interpuncta eſſet, ne ſtramenta fluctuarent. Sæpe tamen non decumbebat, ſed ſom„ num capiebat ſellæ innixus; Imo cum Diœceſim „ obiret, nudo ſolo non raro membra compoſuit, „ capiti ſupponens quidquid ſors offerebat: tamen „ per plures annos quies, quam cepit, ultra tres „ horas non protrahebatur. Pulvinar illi erat ſaccus „ ſtramentorum plenus, ſtragula vero tela duplicata ex cannabe paleis item, ſed exilius referta. „ Hæc autem meis ſemper oculis egomet vidi.“ Itaque tam aſperam a Carolo initam quietis capiendæ rationem cum audiſſet Bononiæ Legatus Cardinalis Cæſius, ab hoc inſtituto Eum per literas abſterrere conatus eſt. Verum reſpondens Borromeus ra-

Digitized by Google

tiit invicem ab ipſis, ut Mediolani morarentur, quoad S. Nazarii Corpus ea, quam deſtinaverat, pompa tranſtuliſſet. Conſtans fama erat, ſacrum id pignus aſſervari in Baſilica, quæ Apoſtolorum antiquitus dicta, variato deinde nomine, Nazariana appellari cœperat, ex quo S. Ambroſius inventas Martyris reliquias in ea collocaverat. Anno ſiquidem ſuperiore, cum multas ejuſdem Baſilicæ partes inſtaurari, ornarique oporteret, mandatum Canonicis erat, ut loca omnia, in quibus Sanctorum reliquias latêre a majoribus accepiſſent, diligentiſſime ſcrutarentur. Itaque arâ maximâ dirutâ, effoſsâque ad plures cubitos humo, marmoreis tabulis ſubtiliter ſectis incluſa oſſa invenere [a], quæ teſtimoniis inſpectis, celeberrimi Martyris mortales exuvias eſſe ſeveriſſimus rerum earum interpres Carolus judicavit. Ex quo ſatis apparet, quam longe a vero aberraverint, qui hoc ipſum Nazarii corpus anno ſeptuageſimo quinto ſupra ſeptingenteſimum, Paulo I. Summo Pontifice, in Germaniam tranſlatum a Grodegando Metenſi Epiſcopo credidere. Nam præterquamquod Pontifex Paulus multo ante id, quod affertur, tranſlationis tempus vita deceſſerat, difficile inſuper ad fidem erat ejuſmodi rapinis locum fuiſſe, cum deleto Langobardorum dominatu, Urbs noſtra ſub Caroli Magni imperio ſumma tranquillitate requieſceret. Verum hæc in dubium vocari publicæ, & antiquiſſimæ fidei injuria fuerat [b].

Qua S. Petri Altare ſub ipſa templi teſtudine ſteterat, argentea theca reperta tenuam oſſis particulam velo implicitam cum parte alia velaminis continebat [c].

Pro

---

rationem reddidit in hæc verba: „ Ego mecum ſæpe „ perpendens eam indictam Chriſtifidelibus viven- „ di regulam, ut illam morum rationem viventes „ ineant, quam morientes vellent iniiſſe, conor „ utcumque aliquid agere, ne mortis ingruente ar- „ ticulo, meritorum expers ac omnino nudus in- „ veniar. Nondum tamen ad eum Sanctitatis gra- „ dum hactenus aſcendi, quem tu aliena narratio- „ ne deceptus deſcribis. Certe tu ipſe nolles, cre- „ do, mihi tenuem hanc meriti occaſionem adime- „ re, & omni, ſiqua in hoc ipſo eſt, gratia ſpo- „ liare. Quare pœnitebit te fortaſſe, quod me re- „ vocare ab hac vivendi ratione contenderis, & „ facile videbis, nimio fortaſſe mei amore te in- „ ductum, ut meum cubandi ritum reprehenderes. „ Quamquam pro hac benevolentia tua habeo gra- „ tiam &c.

(a) Carolus a Baſilica-Petri, qui huic Inventioni interfuit, narrat prope S. Nazarii Sarcophagum, aliam repertam eſſe arcam, duorum oſſa Corporum continentem, quæ, quorum eſſent, innoteſcere non potuit. Certe addit, ex S. Nazarii, & altero loculo magnam odoris ſuavitatem affatam eſſe, cum aperirentur. Mire autem hoc conſentit cum eo, quod Paulinus, qui primæ S. Martyris Inventioni interfuit, ſcriptum reliquit his verbis: *Odore etiam tanto repleti ſumus, ut omnium aromatum vinceret ſuavitatem*. Puricellus in ſua Diſſertatione Nazariana conatus nobis vicinæ arcæ corpora exactius indicare, veluti divinans, conjicit ea fuiſſe Vitaliani, ac Majani, quorum operam ac ſtudium in hujus Baſilicæ ſtructura effuſe commendavit S. Ambroſius Sermone habito *in Feſta Dedicationis Eccleſiæ*.

(b) Quis anno LXXV. ſupra DCC. adſcribat hanc S. Nazarii tranſlationem in Gallias a Grodegando factam, proſſus ignoro. Corius noſter, licet falsò, anno LXIV. ejus Seculi, ut etiam Sigebertus & Baronius crediderunt, eam accidiſſe putavit. In Chronico ſuo Hermannus Contractus, & ante ipſum Paulus Warnefridi, quem deinde ſecutus eſt etiam Uſhardus, eam Tranſlationem in annum DCCLXV. rejecerunt. Utracumque tamen ex his ſententia ſubſiſtat, concidunt omnino Gluſſiani rationum fundamenta. Etenim diſerte Paulus Diaconus dicit, impetratum Corpus S. Nazarii a Grodegando Metenſi, qui obiit diebus Pipini Regis, Patris ſcilicet Caroli Magni; quare ex hac narratione illud ſequeretur, S. Nazarii exuvias avectas in Galliam ante deletos Langobardos, ut patet. Neque item poteſt dici, eo tempore Paulum Pontificem e vivis jam exceſſiſſe, cum Grodegandus Roma S. Nazarii Corpus aſportaret; nam LXIV. & LXV. anno ſupra DCC. inter viventes Paulus Pontifex numerabatur. Negamus nihilominus, S. Nazarii noſtri Corpus tranſlatum in Gallias a Grodegando, cum nullibi reperiamus illud antea fuiſſe Mediolano aſportatum, & relati Auctores Romæ a Paulo Pontifice impetratum affirment. Sequitur itaque fuiſſe alterius Nazarii Corpus Metenſi conceſſum, quod Romæ in Cæmeteriis deliteſceret; non autem ejus, quod S. Ambroſius Baſilicam ad Romanam Portam dedicaturus, hic condidit: quidquid incerti aſſerat Baronius, cujus judicium fuſe expendit Puricellus in Diſſertatione Nazariana.

(c) Audiamus iterum Carolum a Baſilica-Petri dilucide omnia aperientem: „ In medio loco (inve- „ nimus) arculam argenteam, & in ea quzdam „ velamina, vaſculumque rotundum, in quo oſſis „ fruſtulum itidem cum velo erat. Collocatas in „ hac Æde pridem Sanctorum Apoſtolorum reli- „ quias Paulinus ſcribit, ea de cauſa Baſilicam „ Apoſtolorum appellatam ſignificans: S. Simplicia- „ num vero eas Roma attuliſſe quidam tradiderunt. „ . . . . . Perpetuo igitur exiſtimatum eſt, eas „ reliquias ſub hoc fuiſſe Altari; atque adeo, ut „ fit, etiam vulgatum, certa ipſius Apoſtoli Petri „ oſſa ibi recondi. Ea cum nos hoc tempore inve- „ nire geſtiremus, & in argentea capſula, cum ea „ de-

Pro certo habitum eſt eas eſſe reliquias Apoſtolorum, quæ primævum nomen Baſilicæ dederant, ferebatque vetus opinio, munera hæc Simplicianum Præſulem ex Romano Sacrario attuliſſe, antequam Ambroſio in paſtorali cura ſuccederet. Eadem occaſione prodiere in lucem Olderici Auguſtani Epiſcopi [a], ac Matroniani Eremicolæ [b] ſubducta tot ſeculorum injuriis oſſa: tum Venerii, Clicerii, Maroli, ac Lazari [c] ci-

„ demum apparuiſſet, eſſe credesemus: velamini-
„ bus tantum repertis hæſitavimus triſtes. Sed quod
„ inventum in ea eſt, quidquid dubii afferretur,
„ Carolus cæleſti aliquo motus inſtinctu tamquam
„ Apoſtolica pignora juſſit nihilominus haberi, &
„ primo loco ſuis, ſociorumque Epiſcoporum hu-
„ meris in ſacra pompa portari, tum eodem re-
„ ceptaculo recondi". Addit deinde idem Auctor rotundo illi vaſculo, quod oſſis fruſtulum continebat, inciſas apparuiſſe has literas:

DAEDALIA VIVAS IN CHRISTO

Hinc Carolus putavit „ aliquid ea in re eſſe, quod ad
„ clariſſimam, præſtantiſſimamque Virginem Mediola-
„ nenſem Manliam Dædaliam pertineret, quæ cum per
„ Ambroſii tempora vixerit, earum reliquiarum par-
„ tem fortaſſe contulit. " Hic certe ſubit admirari Caroli ſapientiam, qui juſſit pro reliquiis Apoſtolorum haberi etiam repertum brandeum, ſive velamina: memor ſcilicet Romani moris, qui nihil unquam de Sanctorum Corporibus antiquitus decerpere conſueverant, ut manifeſtum eſt ex Sancto Gregorio Magno Lib. III. Epiſt. XXX. ad Conſtantiam Auguſtam.

(a) Prudentius quam Gluſſianus explicat Carolus a Baſilica-Petri, cujuſnam fuerit repertum hoc Corpus. „ A latere dextero Eccleſiæ, *ille ſcribit*, fere
„ ſub loco Euangelii legendi aliam aream aperui-
„ mus, quæ parvulo ſacello, altarique munita, S.
„ Ulrici, ſive, ut alii, Arderici vulgo appellata,
„ a multis præcipuo cultu frequenter viſebatur, cui
„ loco ejuſdem Sancti Viri Statua appoſita erat.
„ Omnia vero erant removenda, ut Eccleſiæ apta
„ decenſque forma conſtitui poſſet. Invenimus in
„ arca indumentis Pontificalibus ornatum Corpus,
„ quamquam ſimul, ac ea aperta eſt, eorum ſpecies
„ tota propemodum evanuit. Quiſnam Epiſcopus ille
„ fuerit, Mediolanenſis ne, an Auguſtanus, ut quidam
„ putant, an vero alius, adhuc equidem ignoro. "
Hæc ille Libro V. Cap. VI. in Vita S. Caroli; Sed clarius ſententiam explicavit ſuam Novarienſis Epiſcopus factus, cum Fragmenta Mediolanenſis Hiſtoriæ colligeret, in quibus diſerte hunc Sanctum Henrici nomine appellat; licet ipſemet antea communi errore lapſus ſit in ſuo libello de Septem Mediolani Baſilicis. Nam in iis Fragmentis primo ex Bernone Abbate aiiiſque docet hic Auctor, Udalricum vere Auguſtanum Epiſcopum adhuc coli Auguſtæ, & clare indicat, quis hic repertus fuerit, ex circulis æneis, quibus ejus baculus Paſtoralis ligneus cingebatur; nam in iis inſculptæ erant hæ literæ:

HENRICO HIGUDSTANNO DILECTO FILIO

Ex hoc propendet ille deinde in eam ſententiam, ut putet hunc Abbatem aliquem ex Tranſalpinis, & probabiliter ex nominis ſono Anglum fuiſſe, qui in peregrinatione Romana Mediolani e vivis exceſſerit. Abbatem autem potius autumat, quam Epiſcopum, propter ea verba DILECTO FILIO, quæ Papæ fuiſſe videntur tradito baculo Paſtorali. Addit poſtremo clarum hunc Sanctum antea miraculis fuiſſe, & exinde etiam clariorem præcipue ſub finem Seculi XVI., quod fuſe docet etiam Puricellus in *Diſſertatione Nazariana*, & in *Monumentis Ambroſianæ Baſilicæ* numero 472., qui huic ſententiæ omnino ſubſcribit. Ea autem videtur fuiſſe fortaſſe cauſa, propter quam aliqui, imo plures, inter quos præcipue Jo. Franciſcus Beſutius in ſua Pontificali Hiſtoria Mediolani, atque idcirco vocatus a Carolo a Baſilica-Petri *illiteratus homo*, falſo putaverint hunc fuiſſe Antiſtitem Auguſtanum, quod nimirum hujus Sancti Abbatis ſolemnis memoria celebretur quotannis ad IV. Nonas Quintil., quo item die anniverſaria recurrit celebritas Auguſtani Udalrici. Hæc nimis enucleate fortaſſis; Ideo tamen, ut obſecundaremus votis ipſius Caroli a Baſilica Petri, qui Novarienſis Epiſcopus vocatus huc ad Provinciale Concilium anno MDCIX., obſecravit enixe Antonium Olgiatum, & Bernardinum Ferrarium Collegii noſtri Ambroſiani eruditiſſimum utrumque Doctorem, ut ſi quando ipſis de hac re ſcribendum eſſet, pro virili Mediolanenſes tanto errore liberarent.

(b) Sanctum hunc Eremicolam diu in ſolitudine prope Mediolanum latuiſſe, ibique vita functum eſſe Lectio Matutina Breviarii Ambroſiani affirmat. Poſtmodum ejus corpus repertum a Gulielmo de Brocardis ex Illuſtri Mediolani familia conſentit etiam Philippus Ferrarius in ſuo Catalogo Sanctorum Italiæ; Sed addit anno LXIV. ſupra CCC. illud in Urbem delatum a S. Ambroſio; atque dictum ſuum probat ex tabulis quibuſdam in S. Nazarii Baſilica antiquitus depictis. Eo anno certe reperire illud Ambroſius non potuit, atque in Urbem inferre, cum Ille ſolum decennio poſt Epiſcopali Mediolani Infula fuerit ornatus. Anacroniſmum hunc facile imperito pictori condonat Puricellus; integram tamen facti veritatem putat poſſe remanere. Certe antiqua traditio Sacerdotum hujus Eccleſiæ eſt, ut idem Auctor teſtatur, vaſtiſſima extra Portam Romanam nemora olim fuiſſe, & ad Pagum, qui hodie dicitur Sextus Ultrajanus, repertum a Brocardo S. Matroniani corpus (ibi ſane etiamnum extat Ædicula huic Eremicolæ Sacra, excitata, ut dicitur, ubi effoſſum eſt ejus corpus); atque circumjecta nunc opima prædia, aliàs nemora, oblata dono fuiſſe S. Nazarii Baſilicæ ab ipſo Gulielmo, cujus in jure ea omnia erant. Neque mirum videatur hìc eo tempore ſilvas fuiſſe, ſcribente Sidonio Apollinari Lib. I. Epiſt. V. viſum a ſe *ulvoſum Lambrum, cærulum Adduam &c., quorum ripæ, torique paſſim querni, acerniſque nemoribus veſtiebantur*. Alia enim tunc erat Inſubriæ a præſenti ſpecies, ut probat etiam Cl. Muratorius in ſuis Diſſertationibus.

(c) Horum Antiſtitum Corpora depoſita ſtatim ab interitu in hac Baſilica fuiſſe indicant Catalogi plu-

cineres, quorum illuſtrem virtutibus, & miraculis pontificatum Mediolanenſis Eccleſia anniverſario ritu commemorat. Pretioſiſſima hæc publicæ ſalutis pignora circumferre, atque oſtendere civibus cum ſummopere cuperet Carolus, maturum tamen Concilio tempus ſtudioſe expectaverat, quo deſtinata magnificentius exequeretur [a]. Templi apparatus, ſupellectilis pompa, & ornatus viarum, quamquam elegantiſſimi, vix eo die, quo peracta res eſt, ſpectatorem habuere. Adeo ſcilicet omnium ſtudia, oculoſque in ſe verterant Carolus ipſe, ceterique ſubditarum urbium Epiſcopi ſacra lypſana humeris ferentes, ſplendente tot infulis agmine, ac veluti collata in unam ſupplicationem totius Provinciæ majeſtate [b]. Crevit ex eo tempore Nazarii præſertim gloria; nec dubitavere homines, quin Ambroſio Carolum compararent: quippe cum Ille præclariſſimi Martyris exuvias ex ignota latebra eduxerit; Hic temporum vetuſtate pene civium memoriæ ereptas priſtino honori redonaverit.

CAPUT X.

Sexta Diœceſis Synodo ſoluta, Sancti Fidelis novum Templum dedicat, atque aliud muliebri pudicitiæ aſylum in Urbe aperit.

1579. VIx dimiſſo Epiſcoporum conventu Archiepiſcopus Diœceſanæ Synodo adjecit animum, quam ex Tridentini Concilii inſtituto ſingulis annis celebrare decreverat, nec unquam niſi ob graviſſimas cauſas, atque impetrata a Summo Pontifice venia, prætermiſit. Pridie Idus Junii inchoatam octavo Calendas Julii, qua ſolebat, ſolicitudine abſolverat, quo plane die rogatus a Patribus Societatis ad conſecrandam S. Fidelis Ædem proceſſit. Ibi traducta ex vetere delubro Fidelis, & Carpophori Martyrum corpora [c] in Ara ma-

plures, inter quos etiam editus a Mabillonio, & Papebrochio, ut etiam ille, quem poſtremo in lucem edidit Muratorius Parte II. Tomi II. Scriptorum de rebus Italiæ. Sedère hi omnes in hac Mediolanenſi Eccleſia ab ineunte V. Seculo uſque ad VI. & eodem ordine, quo hic deſcriptos legimus, niſi medius Martinianus Marolum inter & Clicerium interceſſiſſet. Eorum oſſa reperta ſunt ſub Ara maxima, quæ tum in media Baſilica erat; neque ſatis commode, aut diſtincte in rudibus quibuſdam lapideis labris fuerant repoſita, ut loco jam citato refert Carolus a Baſilica-Petri.

(a) Idibus Majis inchoaverat Concilium S. Cardinalis, & ad diem X. ejuſdem menſis ſolemnem hanc celebritatem indixit.

(b) Reddita poſt celebritatem hanc Sacra pignora ſunt Baſilicæ ſuæ, iterumque ſub Ara maxima recondita, eâ nimirum, quam ad Templi caput excitari juſſit Borromeus, ablato Altari, quod in meditullio Ædis erectum erat. Sancti Henrici Higudſtanni Corpus in alia Ara noviter extructa repoſitum eſt ad latus Eccleſiæ, ubi antea oſtium patebat. Per hos nimirum annos pervias quaſque ad Templorum latera portas juſſit occludi Carolus, quemadmodum præceperat in Inſtructione ſua de Fabrica Eccleſiæ. Corpus vero S. Matroniani, licet Carolus a Baſilica-Petri ſcripſerit, conditum fuiſſe in Ara oppoſita, tamen ſuo Sacello, in quo antea jacebat, fuit reſtitutum, ut verius ſcripſit Gluſſianus, & probat Puricellus Cap. CL. Diſſertationis Nazarianæ.

(c) Triennio ante Sanctorum Martyrum Fidelis & Carpophori exuvias repertas Aronæ non in Ara Templi maxima, ut Gluſſianus falſo ſcripſit, ſed in Sacello extante ad Aræ ejuſdem latus ſilentio tranſtulerat Mediolanum ad diem IX. Februarii P. Tullius Racellus ex Societate Jeſu ad id muneris a Carolo cum Proſpero Columna Beſutii Sacris præpoſito delectus; & transferendarum cauſa fuerat Decretum Hieronymi Ragazzonii editum, poſtquam ex Summi Pontificis nutu fuerat noſtræ Diœceſis viſitatione perfunctus. Excepta itaque Sacra Corpora primum ſunt in Collegio Braydenſi, ubi recognita a S. Cardinali fuere; & publicæ etiam de iis recognitis tabulæ confectæ. Deinde ſtatim exportata in Sacram Ædem S. Simpliciani in Urbe ibidem die poſtero latuerunt. Ultimo ad diem ejuſdem menſis XI., poſtquam coram iis ſuperiorem noctem Carolus continenti prece evigilaſſet, religioſe cum Ragazzonio humeris ſublata in vetus S. Fidelis Templum exportavit, Soc. Jeſu Patribus, Clero, & Urbis Magiſtratibus perhonorifice deducentibus, ut alibi innuimus. Sed vixdum frui Civitas noſtra hoc beneficio cœperat, obruêre Cardinalis aures piæ Aronenſium voces reclamitantium, fraudatam ſacro pignore communem patriam, illudque enixe repoſcentium. His ut indulgeret Carolus, os brachii ab utroque Sancto Martyre diſſectum Aronenſibus habendum attribuit; cumque novum ortum eſſet diſſidium, an primario eorum oppidi Templo cedere deberet hoc donum, maluit Borromeus id Societatis Jeſu Patribus, quos impenſe diligebat, adjudicare. Jamvero cum hoc anno MDLXXIX. novum exædificatum eſſet ſacrum hiſce SS. Martyribus Templum, curante nobiliſſimi operis ædificium Architecto celeberrimo Peregrino de Peregrinis, in hoc tan-

Digitized by Google

maxima recenter extructa recondidit, atque in ea primus omnium perlitavit.

Inter tot rerum diverſarum curas infixum ſemper animo habebat deſiderium perficiendi operis, cujus jampridem initia jecerat. Bina domicilia Mediolani jam erant ante Ipſius adventum conſtituta excipiendis fœminis, quæ ſeſe ab impuro quæſtu ad æternæ ſalutis ſtudia converterent. His tertium Ipſe addiderat, firmaveratque vectigalibus, & præceptis, quæ ejuſmodi ingeniis in officio continendis commodiora videbantur [a]. Sed cum in magna Urbe, ut frequentior in vitia lapſus eſt, ita promptiora lapſis auxilia eſſe oporteret, domum aliam quatuor ante annos conduxerat, quam deinde accommodato ad rem ipſam nomine Depoſitum appellavit; recentes enim ab meretricatu mulieres inibi deponebat, quoad poſito pœnitentiæ tyrocinio, datiſque perſeverantis animi experimentis, aut aſceteriis primitus erectis includeret, aut in matrimonium collocaret. Extant publicæ literæ, quibus & opportuna ad regendas mulieres documenta deſcribit, & earum Sodalitium Epiſcopali auctoritate ſub S. Magdalenæ auſpiciis inſtituit, ut ejus exemplo Chriſti Domini pedes amplexæ multa ſibi peccata remitti, multum diligendo mereantur.

CAPUT XI.

Clericorum Sancti Pauli Comitiis præeſt: & multa apud Patres Sancti Ambroſii ad Nemus ex eorum Inſtituti norma componit.

CLericorum S. Pauli celeberrimum Ordinem condidere Mediolani duo nobiliſſimi Sacerdotes Bartholomæus Ferrarius, & Jacobus Antonius Morigia, aſſumpto in ſocietatem Antonio Maria ex Cremonenſi Zaccariarum familia ſpectatæ innocentiæ viro, nec abſimili generis claritate [b]. Hi collatis in unum opibus, quæ ad neceſſaria vitæ alimenta ſuppeterent, certas ſibi agendi leges indixerant, inter ſe mire concordes, ſemperque remoti ab oculis hominum, niſi cum alienæ ſalutis deſiderio ad fovendas virtutes, aut corrigenda populi vitia prodirent. Hoc vitæ genere famam adepti nonnullis aliis ejuſdem imitandæ pietatis cupiditatem injecerant,

---

tandem translata Sacra Corpora fuerunt tamquam in certam, & perpetuam ſedem VIII. Cal. Quintil. Irrident univerſam narrationem hanc noſtram Novocomenſes cives, qui ſibi diuturnam SS. Fidelis, & Carpophori poſſeſſionem vindicant, & geminos etiam opponunt Clariſſimos Scriptores PP. DD. Aloyſium Tattum, & Joſeph Mariam Stampam, qui contentioſum diu funem ducentes Mediolanenſium quodammodo religioni inſultant. Verum Cl. P. Franciſcus Antonius Zaccaria in eruditiſſimo libro, quem anno ſuperiore in lucem edidit de hiſce SS. Martyribus, nobili nixus conjectura in Novocomenſes ipſos erroris regerit ſuſpicionem, quos ab hac poſſeſſione dejectos jamdiu ante annum MCCLIX. probat ex authenticis Collegii Aronenſis documentis, & quidquid rationum congerunt, ingenioſe diluit. Nobis ſatis erit hoc loco Caroli ſententiam, ac prudentiſſimum judicium venerari, & colere, qui tamquam certum hoc jus Mediolanenſi Civitati aſſeruit. „ Quare (ut ejuſdem Cl. Scriptoris verbis utar) ſi vin„ ci ſe a Mediolanenſibus, & hoc jure privari vi„ dent Novocomenſes, id curent, quod reliquum „ eſt; ut ſcilicet civium noſtrorum religionem ac „ pietatem æmulentur, aut etiam vincant; & ſic „ illis ſane glorioſius erit SS. memoriam colere, „ quam Corpora retinere; imo etiam multo utilius, „ quam incerta in nos argumenta, ſive dicteria „ jactare. Quod ſi ſuam tenere mordicus ſententiam „ velint, teneant, Superis bene juvantibus; atque hoc „ ſaltem concedant, ut liberum nobis ſit illud, „ quod probare poſſumus, etiam ſentire.

(a) Domum nimirum, quæ S. Mariæ ad Succurſum dicitur, in hanc rem deſtinaverat, & plurimis beneficiis auxerat, ut jam ad Caput XVII. Libri II. adnotavimus. Reliqua duo Contubernia S. Valetiæ, ac S. Mariæ Ægyptiæ præclaris dumtaxat inſtitutis auxit, & ſanctiore diſciplina ornavit. Triumphavit ſcilicet ſemper Borromei caritas in fœminis a meretricio quæſtu revocandis; hinc compertum mihi eſt pari in cura verſatam eſſe Romæ etiam Ejus diligentiam; cum hujuſmodi mulieribus tutiſſimum perfugium illic munierit, dum vivente Avunculo univerſam Eccleſiam regeret. Inſuper aliud curavit extruendum Auguſtæ Taurinorum, pro quo apud Illum Amita Ferreria Romaniani Domina officia ſua interpoſuerat, ut Caroli ad Speclanum data docet epiſtola. Ultimo, cum Aretinum Cardinalem Mediolani ſecum haberet in Provinciali Concilio habito anno MDLXXIII., auctor eidem fuit, ut Placentiæ, cujus ille erat Epiſcopus, par lapſis mulieribus domicilium conſtitueret, quod paulo poſt Aretinus excitavit.

(b) Hujus inſignis Congregationis originem ac progreſſum cum anteſignanorum ſuorum actis hiſtorice complexus eſt, atque enucleate P. D. Franciſcus Aloyſius Barellus Nicæenſis, apud quem facile eſt ſingula preſſius & ordine concinnata reperire.

Digitized by Google

rant, quibus post congrua experimenta in contubernium acceptis, celebritatem sibi, ac loco addidere. Prima Sodalium sedes ad S. Barnabæ Ædem fuit [a], atque ex eo Barnabitis inditum nomen. Multo deinde amplior sectatorum numerus fuit, postquam Sodalitio, & legibus privato consilio constitutis Apostolicæ auctoritatis robur accessit. Crescente enim virtutum fama, propagari simul in alias Europæ, ne dum Italiæ partes Barnabitarum Collegia cœpere, magna Christiani populi utilitate, & Episcoporum commodo, quibus in asseclis suis totidem adjutores in animarum regimine ipsæ Ordinis institutiones suppeditant [b].

Et quamquam extitisse multos omni tempore existimem, qui res memoria dignas gesserint, duos tamen præ ceteris Sancti Caroli ætas tulit, qui claritatem afferre per se ipsos Ordini possent, nisi clarissimum invenissent. Alter eorum Alexander Saulius fuit patria Genuensis [c], quem ætate nostra ob certissima Sanctitatis testimonia Summus Pontifex Benedictus XIV. Beatorum numero adscripsit. Siquidem post Aleriæ Pontificatum, quem summa omnium approbatione in Corsica gesserat, Ticinensi insula decoratus, eam de se ipso opinionem reliquerat, ut etiam inexpectato Romanæ Sedis Oraculo pro Beato, & Sancto ab omnibus haberetur. Cui quidem opinioni fidem asserebant assidui ad sepulcrum concursus, & circum pendentes ta-

(a) Secunda hæc potius Clericorum Sancti Pauli sedes fuit. Primò enim, scilicet jam ab anno XXIX. seculi XVI., in privatis quibusdam ædibus prope Sancti Augustini Sacellum Basilicæ Ambrosianæ conterminum isti delituere, ut docet lapis hodie etiam ad ejusdem Sacelli latus affixus. Proximum eorum sedi erat magnificum Palatium celeberrimæ Ludovicæ Taurellæ Vastallensis Dominæ, sub cujus præsidio diu illi Patres fuere. Quamquam delitescere ibi diu non potuerunt; inde enim evocati ad miserorum peste languentium subsidium anno insequente, pietatem suam & paternam vere caritatem in Urbis lucem protulere. Eo tempore nondum Pontificia auctoritate fuerat approbatum illud piorum hominum Collegium; quod impetratum est duntaxat anno MDXXXIII. a Clemente hujus nominis VII. Summo Pontifice, dum Bononiæ degeret, ut patebit ejus Bullatas Literas legenti apud Laërtium Cherubinum. Anno deinde MDXLV. P. D. Jacobus Antonius Morigia suis interpositis officiis obtinuit, ut Collegis attribueretur Sancti Barnabæ sedes, quæ tum commendata erat Alexandro Taegio Novariensi Civi, licet ejusdem Titulo, non tamen censibus electus Successor Antonius Grittus frueretur. Uterque tamen, cum in eam Ædem Patres inducti sunt, illa se possessione abdicavit. Insignis erat eo tempore S. Barnabæ Ædes Præposituræ nomine, quam plures Scriptores non audent nec Lateranensium Canonicorum, nec S. Benedicti Ordini certo adjudicare, cum certa extent documenta in utramque partem; quare addictam eam utrique Ordini pro temporum tamen diversitate fuisse, non omnino absonum a fide videtur. Cum illa donata Sancti Pauli Clericis fuit, hiscebat penitus ruinæ proxima; quamobrem ingenti sumptu refici, aut, ut melius dicam, de integro eam condi opus fuit, delineante Templi excitandi Schema Morigia ipso in architectonica cumprimis versato. Quamdiu autem insudatum est huic Templo extruendo, in veteri semper sede Patres se tenuere, donec ex Pontificio Pauli III. nutu, SS. Paulo & Barnabæ deinde dedicatum est; ejusque Aram maximam annò ejusdem Seculi LXVII. Carolus rite consecravit.

(b) In rem præsentem facit locupletissimum & laudis plenum Caroli ipsius testimonium. Cum enim anno LXVII. supra sesquimillesimum extincto Alexandro Taegio, Antonius Grittus, dissimulata abdicatione sua, Sancti Barnabæ Ædis jus tamquam integrum in fratrem suum Attilium vellet transferre; imo jam pro eo transferendo Pontificias literas per fraudem impetrasset: dolo cognito Borromeus causam Patrum Ormaneto Romæ degenti amantissime commendavit in hæc verba: „ Tu ipse probe „ nosti, quantum ad divinam gloriam conferat col„ locata in Ecclesiæ meæ rationibus promovendis „ S. Barnabæ Patrum opera, quam semper meo pa„ trocinio fuitentavi propter eorum vitam labis om„ nino expertem, & pias ab iisdem curas susceptas. „ Nec te item latet, eo me semper flagrasse deside„ rio, ut eorum Collegium illius Præposituræ censi„ bus augerem, ut commodius majore optimorum „ operariorum numero Ecclesia mea frueretur. „ Nunc ejusdem possessore extincto, preces meas „ quam efficacissimas Summo Pontifici admoveas „ pervelim, ut Præposituram eam perpetuo hisce „ Patribus addicat: atque hoc pro certo habe, „ mihi nunquam, præterquam hac una in re, aut „ Pontificem favere liberalius posse; aut me quid„ quam postulare optatius; aut te mihi gratifica„ ri splendidius. " Revera rescripsit deinde Ormanetus eodem anno XII. Cal. Octobris, tam pio Cardinalis desiderio a Pontifice fuisse indultum.

(c) Natus est Mediolani Alexander, licet Genua esset oriundus. Pulcherrimo omine sortitus ille est natalem domum in iis ædibus, quæ nunc Sanctæ Coronæ appellantur. Tunc enim pii hujus loci ministeria exercebantur in iis domibus, quæ postmodum Oblatorum Sodalitati attributæ Sancti Sepulcri nomen a proximo Templo habuere.

Digitized by Google

tabellæ teſtes beneficiorum, quæ inde referebantur [a].

Proximum Saulio gloriæ locum obtinuit Carolus a Baſilica Petri ex illuſtri Mediolanenſi familia, quam hodie, relicto, ſive contracto vetuſto nomine, Beſcaperiam vulgus appellat. Is inter primarii Templi Canonicos cooptatus, abjectis repente conchy-

(a) Fuſe Barellus explicat quanta Alexandrum inter & Carolum intercederet animorum conjunctio. Dicit ille cognitum & dilectum Saulium Borromeo ex eo tempore, quo juri addiſcendo Hic Ticini vacabat. Neque ego inficias iverim, potuiſſe tum aliquo benevolentiæ vinculo utriuſque animum adſtringi; non tamen ita arcto crediderim, ut omnibus ſubſcribam, quæ Barellus narrat: cum nulla de hoc mentio occurrat in dictis eorum omnium teſtium, qui Ticini cum Carolo familiariter conſuevere, ex quibus eruitur, itaſſe Carolum ad Sancti Auguſtini Templum, nulla Clericorum S. Pauli commemoratione facta. Neque pariter concedam eidem Scriptori teſtanti, excipere Alexandrum Caroli Confeſſiones conſueſſe. Non enim illi Borromeum puerum noxas ſuas aperuiſſe in propatulo eſt; lego enim Hunc, cum Aronæ eſſet, deductum ſæpe Angleriam a Patre, ut P. Hieronymo Morigiæ ex Servorum Deiparæ Ordine animum ſuum aperiret: Idipſum Mediolani præſtare conſueverat apud N. Quintum Sacerdotem in Æde S. Mariæ Podonis Parochum. Adoleſcentem vero Ticini apud S. Auguſtini Ordinis Patrem: Romæ Cardinalem factum apud alium ex S. Mariæ in Ara Cæli Cœnobio; Mediolani ſedentem aliquot menſibus apud Cæſarem Specianum, ſed ſæpius apud Ludovicum Monetam, & apud Robertum Griffidium Metropolitani Collegii Theologum: identidem vero apud Patrem Adurnum labes per Confeſſionem ſuas depoſuiſſe plurimorum Teſtium dicta luculenter demonſtrant. In Diœceſi autem obeunda aliquo ſemper utebatur ex familiaribus, ut Moneta, Taurufio, Poſſevino. Semel itaque dumtaxat, cum Mantuæ Carolus eſſet, non autem in Carthuſia Carignani, ut Barellus ſcripſit, ivit ad Eum Alexander; eique totam vitæ ſuæ ſeriem magna etiam cum animi ſui voluptate patefecit in Confeſſione Cardinalis, ut nos alibi dilucide diximus. Neque item aſſentiar eidem Scriptori referenti, primum Provinciale Concilium antequam Mediolani cogeretur, ſanctiones in eo edendas ab Alexandro fuiſſe digeſtas. Scio eum interfuiſſe Theologi nomine in illo Cœtu; ſed egiſſe dumtaxat *de contractibus illicitis*, ut teſtantur Acta ejuſdem Concilii. Ceterum neque ut id faceret, illi per literas Carolus mandavit; legi enim in Hujus Epiſtolis id muneris impoſitum Hieronymo Vidæ Albenſi itemque Provinciali Epiſcopo; præterquamquod materiem omnem Ipſe prius Romæ in ordinem redegerat, adjuvantibus Viris celeberrimis Lancellotto, Amaltheo, Antoniano, Locatello, Thomaſio, atque aliis in Conciliaribus rebus apprime verſatis, quos Roma huc etiam ſecum duxit, ut ſuo loco explicavimus. Sed neque de hoc Mediolani præſens cum Alexandro egit, cum id anguſtiæ temporis fieri non ſinerent. A primo enim Cardinalis in Urbem adventu ad Concilium breve nimis dierum aliquot ſpatium interfluxit, quibus tantam rerum copiam evolvere non licuiſſet. Demum (quandoquidem id etiam a nobis extorquet amica veritas) obiter advertere placet, non potuiſſe a Carolo deſignari Clericos S. Pauli ad excipiendas Confeſſiones Alumnorum Collegii Borromei Ticinenſis; cum enim Barellus in margine adnotet ad id muneris eos deſtinatos anno MDLXXXVII., quis non videt a Borromeo id præſtari non potuiſſe, cum jam triennio ante e vivis exceſſiſſet? Quod ſi Typographi error aliquis obtendatur, doceat quæſo hic Scriptor, quem ex Patribus deſignaverit Sanctus Antiſtes, dum viveret, cum certo ſciam electum aliquandiu ad hanc Provinciam ex Oblatis Julium Cæſarem Bonhomium in eo Collegio, quod vix ad poſtremos Borromei viventis annos patere cœpit. His tamen omiſſis non negaverim multum Saulio detuliſſe Borromeum, & majora etiam delaturum, ſi diutius frui illo licuiſſet. Delectabatur enim mirifice ejuſdem Concionibus, cum multum utilitatis ex iis Mediolanenſis populus perciperet. Hinc cum anno MDLXXXI. Romam pergeret Alexander, & aliquandiu Zucconi in Agro Mediolanenſi ruſticaturus ſubſiſteret, eum Carolus ad colloquium in Vicum Martis evocavit, plura cum eo de Alerienſis Diœceſis & Corſicæ negotiis acturus. Intelligens autem eum citius Mediolani fore, ad Vicarium ſuum ſcripſit, ut retinere in Urbe Saulium ſtuderet, ſuiſque verbis rogaret, ut aliquot in Templo Maximo conciones, Civibus utpote perutiles, habere non gravaretur. Ticino illum evocavit ad I. Provinciale Concilium, ut vidimus, atque aliqua ex parte ejus opera in illo uſus eſt. Eidem obtulit Canobienſis Humiliatorum Præpoſituræ poſſeſſionem; cumque Præpoſitus eſſet Cl. Reg. S. Pauli Mediolanenſi Collegio, eumdem ſequeſtrum pacis adhibuit inter Nobiles Bergomenſium Albanorum, & Brembatorum familias. Item S. Barnabæ Templum celebri Lypſanotheca ab Avunculo Pontifice olim accepta Cardinalis donavit, in qua aſſervantur plures ex Chriſti Domini Cruce, ſpinis, induſio, tunica, cingulo, columna, ſpongia, cunis, & præſepio reliquiæ, ut eas præteream, quæ ad Deiparam, S. Joannem Baptiſtam, ſinguloſque Apoſtolos, alioſque SS. Martyres, Virgines, & Confeſſores ſpectant; neque quidquam a veritate alienum dictum iri putavero, ſi aſſeram hoc dono munerari Borromeum Saulii in Mediolanenſi Urbe diligentiam ac curam voluiſſe. Cum Mantuæ diu verſatus eſt Carolus anno LXVIII. ſupra ſeſquimilleſimum, non ignoro, plura ejus ſolertiæ demandata fuiſſe Diœceſeos negotia, præſertim cum Vicarius Caſtellus morbo decumberet. Cum vero Alerienſis Inſula Saulio eſſet oblata, Collegii Patres Carolum orarunt, ut literis datis Summum Pontificem ab eo propoſito abduceret; in quo quidem illis gratificatus eſt Borromeus, ſed fruſtra. Nam cum, literis Romam datis ad Ormanetum, Alexandri mores, & ingenium exacte deſcripſiſſet, ut ſibi utilem admodum & Eccleſiæ ſuæ adminiſtrum retinere poſſet, petitioni ipſi ſecurim injecit ſuo præconio, nam hæc Ormanetus reſpondit: „ Vellem grata Tibi eſſet Saulii in Alerienſem

„ Epi-

chyliatis insignibus ad Barnabitas transierat (*a*), ut reliqua vitæ spatia procul ab omni rerum humanarum splendore transigeret. Sed neque virtutes ejus latêre, nec semel agnitæ carere honoribus poterant. Primum itaque ad universi Ordinis regimen sodalium suffragiis delectus, mox a Clemente VIII. Novariensi Ecclesiæ Episcopus datur contra, quàm ejus modestiæ propositum erat, in summo dignitatis, gloriæque fastigio decessit (*b*).

Per hæc doctrinæ, ac probitatis exempla

„ Episcopum electio, quoniam speramus hunc virum miseris Corsicæ temporibus opportunissimum „ fore. Ego sane ætatis hujus calamitates perpendens, nullam aliam patêre salutis viam animadverto, quam in optimorum Antistitum delectu, „ iis præsertim in partibus, in quibus maxime res „ sacræ laborant. Tu Saulii animum erigas velim, „ atque horteris, ut libenter amplectatur hanc Crucem, quam licet sensibus gravem, Dei caritas, „ & animarum salutis desiderium certe levem efficiet. Sane non video, cur refragari huic consilio „ debeat; quin potius suscipiendum est onus, quod „ Dei omnipotentis Vicarius Pontifex errori non „ obnoxius illi imponit, ut strenua obedientia sibi „ potius obsistere discat, quam Pio. Siquis unquam „ optimam administrationis suæ spem concitavit, „ hic certe vir fuit; nec timeo, quin opinioni „ omnium etiam illius facta respondura sint uberius. Obsecro, ne quid in eo instituendo, & sustentando omittas, cum te optimum institutorem „ Pastoralis disciplinæ habeamus. Id præter cetera „ sit cordi, ut alii ex Alexandri Congregatione in „ Corsicam mittantur hac occasione Patres, cum „ id Santissimus Pontifex pervelit &c." Breve itaque de Saulii consuetudine Borromeo gaudium fuit, quem sibi ademptum vidit anno MDLXX. Postquam autem Aleriæ sedit Alexander, epistolas legenti mihi nihil aliud occurrit, quam crebræ Caroli ad eum consolationes & stimuli, ut constantiam suam pluribus periculis sæpe obnoxiam corroboret, atque acuat: Monet præsertim, ut precibus Deo insistet; suaque etiam describit in Episcopali munere discrimina, & adhibita remedia: Hortatur demum, ut impositum onus alacriter ferat, nec unquam deponat, licet de ineunda Sedis permutatione aliqua illi admoverentur officia. Tamen sub vitæ finem, cum Roma rogaretur Carolus, quisnam aptior ad Genuensem Ecclesiam administrandam sibi videretur, unum Alexandrum hujusmodi esse respondit. Sed sapiens consilium tum irritum fuit. Hæc ego habui ex utriusque Epistolis certa indicia, quibus mutuam eorum benevolentiam deprehenderem.

(*a*) Audeo dicere, Carolum hunc inter familiarissimos Borromei fuisse. Antequam Clericorum S. Pauli Societatem ingrederetur, in eorumdem Patrum Æde sacris exercitationibus dies aliquot vacaverat, quo tempore se etiam Cardinalis pari de causa in Carignani solitudinem abdiderat. Illic dum esset, re attentius considerata, statuit Mundo valedicere, & ibidem suum domicilium collocaturum se, Deo vovit. Sic statuto, ad Carolum scripsit veniam petens, si forsan eo consilio deficere ab Oblatorum excitanda Societate, cui jam nomen dederat, videretur. Gratias etiam in ea epistola egit pro tot acceptis ab Eo beneficiis, suamque, ubi res postularet, operam strenue semper adjungendam spopondit. Extant hæ literæ inter MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ datæ die XVII. Martii anno MDLXXVIII., non XIV., ut opinatus est Barellus. Venia accepta a Cardinali, nomen mutavit, atque exinde ad figendam altius animo Borromei memoriam Carolus appellari voluit, cum antea Joannis Francisci nomine nuncuparetur. Regressus tamen in Urbem Borromeus ad Collegium S. Barnabæ divertit revera, ut ejus mentem solerter introspiceret, pollicitusque est, fore, ut voti vinculo, quo se adstrinxerat, Pontificia auctoritate eum liberaret, si facti pœniteret. Cum tamen ille in proposito perseveraret, conversus Cardinalis ad P. D. Timotheum Facciardum, aliosque circumstantes, *vestra*, inquit, *opera hunc mihi jamdiu dedit: nunc vobis iterum reddo; hac tamen conditione interposita, ut ubi usus fuerit, liceat mihi meo hoc dono iterum frui*. Hæc autem Carolus cum diceret, eo spectavit, ut testaretur P. D. Pauli Homodei suasionibus a profanæ vitæ ratione revocatum hunc alumnum, & Ecclesiæ suæ fuisse addictum. Ceterum eumdem semper animum in illum gessit Borromeus, & plurimorum deinde consiliorum participem, & administrum habuit. Perficiendam illi Ludovici Granatensis Concionum editionem commisit, & in Brixiensi lustratione Theologi nomine insignem sibi comitem adjunxit: in qua peragenda cum ægro aliquando corpore decumbentem eum inviseret, exploraſſetque male illi admodum a stragulis esse, ex suo ipsius lectulo lodices detrahi jussit, quibus impositis paulo post æger a morbo convaluit. Inter cetera tamen, maxime honorifica omnium Viro fuit commissa ejus prudentiæ a Carolo difficilis ad Philippum Regem legatio, quam uni propter fidem, & scientiam, qua pollebat, demandavit; licet aliter Speclanus, cujus sententiæ ceteroquin multum deferre Borromeus consueverat, sentire videretur. Ultimo benevolentiæ suæ præmium hoc tulit, ut inter suos ferme amplexus extingueretur Cardinalis, cujus verba postrema, ac spiritum excepit.

(*b*) Obiit hic egregius Antistes mense Octobri anno MDCXV., nimirum XXIII. post annum, quam Historiam de Caroli rebus latinam, eamque elegantissimam Ingolstadii ediderat, in qua multum eminet tanti Viri fides, quandoquidem eam conscribendam animo præconceperat, dum Carolus viveret. Hac de causa redigere omnia in commentarios solebat, quæ ad Sancti Cardinalis virtutes ac facta pertinerent. Collegium nostrum Metropolitanum acerbissimam egregii Pastoris mortem deploravit; extatque luculentum sui doloris testimonium in his latinis literis, quas ad Novariensium Canonicorum Collegium dedit.

Illustres & Multum RR. DD.

„ EX obitu Caroli a Basilica-Petri Episcopi vestri, „ cujus memoria in benedictione est, eum certe

Digitized by Google

pla cum Barnabitarum nomen quotidie invaleſceret, optimum factu Patribus viſum eſt, ſi acceptas a primis conditoribus leges de integro renovarent. Alia nimirum præcepta aliis temporibus convenire, & cum nova domicilia, nova miniſteria ad priſtinum Sodalitii ſtatum acceſſiſſent, novas quoque inſtitutiones deſcribi oportere, quas ignara futuri prudentia Majorum omiſiſſet. Precibus in eam cauſam ad Summum Pontificem datis, ſimul rogavere, ut Carolum graviſſimæ actioni præficeret: certi videlicet plus dignitatis, ac roboris habiturum quidquid Ejus conſilio decernerent. Nec vero Cardinalis, quamquam occupato tot aliis cogitationibus animo, eam ſolicitudinem recuſavit, ſtimulante publicæ ſalutis deſiderio, & erga Alumnos ejus Ordinis benevolentia, quos ſane omni tempore inter cariſſimos habuit [a]. Nam & eo-

„ te graviſſimum animi dolorem percepimus, quem „ ex optimi & integerrimi Antiſtitis jactura perci- „ pere fas eſt. Is enim vitæ ſanctitate, caritatis „ fervore, prudentia, doctrina, vigilantia, aliiſque „ virtutum Paſtoralium ornamentis adeo præluxit, „ ut quemadmodum olim Sancti Caroli dilectus „ Alumnus extitit, ita poſtea jure & merito dici „ poſſet egregius Ejuſdem Imitator. Verum hujuſmo- „ di ratio, quæ valde acerbum ejus diſceſſum red- „ dit, communis eſt aliis: Nos peculiari doloris „ ſenſu afficimur, cum iſtum aliquando corporis „ hujuſce Capituli membrum extitiſſe recordamur; „ non poſſunt quippe alia membra in unius præ- „ ſertim nobiliſſimi interitu mediocriter commove- „ ri. Illud unum in hac gravi perturbatione nobis „ ſolatium affert, quod ex ejus anteactæ vitæ ra- „ tione in ſpem venimus, migraſſe illum celerri- „ mo curſu ad cæleſtia Regna, laborumque ſuo- „ rum coronam immarceſcibilem adeptum. Sacrifi- „ cium igitur ad præſcriptum Concil. Provincialium, „ antequam literæ Veſtræ redderentur, jam indictum „ Ritu ſolemni, Deo juvante, celebrabimus: ſpe- „ rantes fore, ut potius ad gloriæ incrementum, „ quam in ſalutis remedium eidem proficere de- „ beat. Vos, quod nos etiam præſtabimus, ut or- „ bato gregi optimus Paſtor quamprimum ſufficia- „ tur, ſummis apud Deum precibus contendite. „ Mediolani Idibus Octobris MDCXV.

Ceterum plurimi alii occurrent ex hac Congregatione, quibus certa benevolentiæ pignora Borromeus exhibuit. Omitto enim commemorare, quo amore P. D. Paulum Mariam Homodeum complecteretur; imo etiam P. D. Hieronymum Malettam, & P. D. Timotheum Facciardum, quorum alterum inter poſteriores ex Pontificio nutu Melitam legavit, ut collapſam inibi Ordinis Jeroſolymitani diſciplinam reſtitueret: hunc Aronam miſit ad excitatum inibi Seminarium moderandum, antequam illuc Patres Soc. Jeſu evocaret. Neque vacat hic referre, quæ alibi exponemus, in P. D. Dominicum Boverium ſtudia pro Catholica Fide tuenda apud Ciſmontanos Rhætos, cum hujuſmodi documentis tam noſtra, quam P. Barelli locuples hiſtoria abundet.

(a) Emendandarum Conſtitutionum ſeu formandarum de integro labor demandatus jam ab anno MDLVI. fuerat tribus ex eo Sodalitio Patribus, poſtquam altiores agere radices cœperat Congregatio. Quatuordecim poſt annis Alexandro Saulio, qui in partem hujus laboris electus fuerat, ad Alerienſem Sedem evecto, tres alii ſubſtituti ſunt ad eaſdem leges concinnandas; ſed ex his uno morte erepto, infecta res uſque ad annum MDLXXIV. hæſit: quo tempore cum quinque alii adjecti eſſent, eorum cura inanis tamen fuit propter peſtilentem, quæ poſtea incidit, tempeſtatem. Itaque quadriennio poſt unius Caroli a Baſilica-Petri ſolertiæ demandatum id negotium eſt, qui Zucconi ruſticans ſupplementa etiam Conſtitutionum primis legibus adjungens, quas Julius Papa III. anno MDLII. Oraculo ſuo confirmaverat, perfectum demum opus conflavit, quod deinde Borromei examini ſubjectum eſt. Iſte igitur S. Antiſtes aliqua jam de horum Clericorum Regularium inſtitutis emendari voluerat ab anno MDLXX., quo cum Patres congregati in Comitiis ſanxiſſent omnem Parthenonum Sacrorum curam deſerere, Carolus decretum hoc antiquari per Pontificiam auctoritatem poſtulavit, hac præſertim de cauſa, ut optimos diſciplinæ magiſtros Sacris Virginibus Sancti Pauli poſſet attribuere, quæ ad illud uſque tempus eorum inſtitutionibus egregiis fuerant ad omnem pietatem formatæ. Item anno MDLXXV. Ordinis Comitiis præfuerat XV. Cal. Majas, in quibus eorum Conſtitutiones diligenter ad aliquot dies expenderat. Nunc ſummam auctoritatem pro iis omnibus emendandis, & aliter etiam digerendis acceperat a Serbellonio Cardinali Sancti Georgii, ſub cujus patrocinio latebat Congregatio, hujuſque Diplomatis ad Borromeum dati partem hic placet exponere, ut videamus quantum Illius prudentiæ Romæ deferretur: „ Quoniam Amplitudo Tua Illuſtriſ- „ ſima præter vicinitatem, & ſummam in omnibus „ iis rebus, quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ, Regu- „ larium in primis perſonarum decus & ornamen- „ tum ſpectant, ſcientiam & peritiam, ejuſdem „ Congregationis mores & inſtituta ita nota & „ perſpecta habet, eaque Amplitudini Tuæ Illuſtriſ- „ ſimæ ab omnibus ejuſdem Congregationis Cleri- „ cis obſervantia præſtatur, ſimulque labores om- „ nes, quos Chriſtiano profectui utiles fore con- „ ſpicit, tanta alacritate Amplitudo Tua Illuſtriſſi- „ ma ſuſcipit: facto prius verbo cum Sanctiſſimo „ Domino Noſtro, & ejuſdem vivæ vocis oraculo „ nobis facto, ad nos pertinet rogare, ut totum „ id, quod eſt oneris atque laboris in prioribus „ dictæ Congregationis Regulis ac Inſtitutis refor- „ mandis, & quatenus expediat amovendis, aliiſ- „ que novis per ipſius Congregationis Clericos factis „ revidendis, corrigendis, mutandis, penituſque „ ſtabiliendis, ac firmandis, eorumdem Clerico- „ rum perſonis viſitandis, ac prout expedire vide- „ bitur corripiendis, idipſum libenter ſuſcipiat, „ curetque, ut ea, quæ nos propter abſentiam „ præ-

Digitized by Google

eorum opera uti, & ſæpe inter ipſos commorari conſueverat, ut fatiſcentem diuturno labore ſpiritum colloquiorum ſuavitate reficeret.

Has monaſticæ diſciplinæ curas tanto gravior alia ſolicitudo excepit, quanta difficilius eſt veteres leges hominum negligentia collapſas reſtitui, quam recentes, atque integras petentibus dari. Monaſterium in ſuburbanis eſt, cujus primordia tametſi longe vetuſtiora, valde tamen ſimilia Barnabitarum initiis fuere. Ædem Sancto Ambroſio Sacram Cœnobitæ colunt, nunc feracibus olerum hortis, olim denſo nemore circumſeptam, ex quo perpetuum apud poſteros nomen retinuit. Traditum memoriæ eſt, Ambroſium ipſum, ſive contemplandi, ſive ſcribendi ſtudio, ſæpe in ejus nemoris latebras ſeceſſiſſe, atque inde religionem ortam, ne quis ibi in Sacris obeundis alio, quam Ambroſiano ritu uteretur. Tres deinde patritii generis viros Alexandrum Cribellum, Albertum Beſutium, Antonium a Petra-Sancta tanti Præſulis veſtigia venerantes in eodem loco domicilium ſibi delegiſſe, templum Ejus nomini conſecraſſe; atque aggregantibus ſeſe aliis monaſticum denique Ordinem conſtitutum, qui deinceps memorari inter præſidia religionis, & reipublicæ ornamenta meruerit. Sed ſive hominum, ſive, quod credere malim, temporum vitio evenerat, ut labentibus annis Ordinis quoque gloria conſeneſceret. Itaque re ad Summum Pontificem delata, datum Carolo negotium eſt, ut habito Patrum conventu, ac recognitis vitiis, quæ in ea clauſtra ſenſim irrepſerant, cuncta ad formam primævæ originis emendaret. Quod Ille quidem feliciſſime eſt aſſecutus (*a*), magna utique prudentiæ laude, quippe

„ præſtare non poſſumus, cumulatius Congregatio „ hujuſmodi ab Amplitudine Tua Illuſtriſſima con- „ ſequatur, quam a nobis ſperare potuiſſet. Qua- „ propter &c. " Quare tanta auctoritate munitus Archiepiſcopus anno MDLXXVIII. ineunte Novembri ad Sancti Barnabæ Ædes divertit, rebus ſolerter excuſſis, ubi coacto Patrum cœtu prælegi omnibus emendatarum Conſtitutionum ſeriem juſſit; quæ cura decem dierum ſpatium tenuit, quo totidem circiter horas rebus omnibus conſultandis, & perpendendis vacare in dies ſingulos conſuevit. Sic digeſtas leges ad abſentes PP. tranſmiſit, liberam etiam iis poteſtatem faciens, ut ſi quid digerendum adhuc videretur, ſententiam in eo ſuam aperirent; quamobrem ad habendas conſultationes hujuſmodi anni ſubſequentis Paſchales dies præfinivit. Interim ad menſem eos omnes juſſit ſacris exercitationibus vacare ex Patris, poſtmodum Sancti, Ignatii Societatis Jeſu Fundatoris methodo. Sed cum Paſchale tempus præſtitutum jam adveniſſet, & Concilii V. Provincialis habendi curæ Carolum urgerent, die dumtaxat XXV. Maji indictis per encyclicas literas Patrum Comitiis, & eorum cœtu congregato, novæ omnibus datæ leges, vetuſtis antiquatis, fuerunt, & præſentium etiam omnium ſuffragiis comprobatæ. Exinde illis Religionis vinculis univerſa ſemper Congregatio ſtetit, quæ tam ingentes habere ſe gratias Sancto Inſtitutori profeſſa eſt, ut ſub Ejus auſpiciis & tutela æque, ac S. Pauli Apoſtoli vivere ſe gaudeat, ac glorietur; & inter primos cæleſtes Illi honores exhibere, atque Ædes ſacras dedicare voluerit.

(*a*) Neſcio quæ cauſa Gluſſianum abſterruerit, quominus turbulentam horum Comitiorum ſeriem clarius exponeret. Eam nos concinnabimus ex miſſis a Carolo, & ad Eum datis Epiſtolis. Itaque jam ab anno MDLXXVI. ex Pontificis imperio præfuerat Borromeus hujus Religioſi Ordinis Comitiis habitis ſub Idus Junias; & quidquid ſalubriter in illis decretum fuerat tranſmiſerat deinde ad Cardinales Maphæum & Alciatum, quorum hic totius Ordinis tutelam gerebat. Sanctiones illæ omnes eò ſolùm ſpectabant, ut defloreſcentem ejuſdem ſplendorem aliquo tandem modo reſtituerent; plures enim in eos Fratres delatæ Romam fuerant querelæ, quibus præcipue Sanctæ Severinæ Cardinalem commotum lego. Quare omnibus exactè perpenſis Romæ poſt Comitia per Specianum & Cardinalem Alciatum, approbata ſunt Inſtituta, quæ illis Carolus dederat, nequidquam obnitente Præſide, qui Romam ire cum meditaretur leges illas, ut minabatur, everſurus, indictâ pœnâ juſſus eſt Mediolani ſubſiſtere. Cum tamen aliqua ex iis duriora Fratribus viderentur, paulo poſt impetratum eſt precibus apud Carolum & Alciatum, ut aliquid de legum ſeveritate remitteretur. Inter hæc cum elapſo triennio novorum Comitiorum tempus appeteret, Protector Ordinis Cardinalis Alciatus ſub menſem Majum denuo Fratrum Comitiis Borromeum præfecit, ut probant concepta hæc Epiſtolæ verba: „ Cum tempus inſtet „ Comitiorum habendorum a Fratribus Sancti Am- „ broſii ad Nemus, Pontifex mihi imperavit, ut „ id oneris ſuſciperes, iiſque nunc præſis, quem- „ admodum triennio abhinc præfuiſti. Duo tibi vult „ præcipue commendata: primum ut univerſo Or- „ dini Præſidem attribuas, qualem tempora ipſa vi- „ dentur poſtulare; alterum ut quidquid aliis Co- „ mitiis ſancitum eſt, & alicubi etiam executioni „ mandatum, reliqui omnes adamuſſim impleant. „ Hac igitur auctoritate munitus Borromeus vix in Fratrum Concilium venit, cum ſuccłamatum ab omnibus eſt, & impudenter mandatum, ut Breves Apoſtolicæ facultatis ſibi impertitæ literas in omnium oculis defigeret; cumque Cardinalis eam pote-

Digitized by Google

quippe cum clariſſimorum Ordinum alterum contra temporum vitia legibus obfirmaſſet, alterum legum oblivione in vitia prolapſum ad priſtinæ ſanctitatis ſtudia redegiſſet.

CAPUT XII.

Viglevanenſem Diœceſim luſtrat Ipſe, poſtmodum ſuam: per alios autem ex Pontificio mandato Novocomenſem ac Laudenſem luſtrandas curat. Legatum item Apoſtolicæ Sedis ad Helvetios & Rhetos mittendum impetrat, quorum juventuti educandæ Mediolani Collegium condit.

1579. LUſtrandæ Provinciæ curam peſtilentiæ tempore intermiſſam, nondum omnino abjecerat Cardinalis; tametſi aperte videret majorem Eccleſiæ ſuæ molem eſſe, quam ut ultra proſpicere aliarum urbium neceſſitatibus poſſet. Vacuam tamen gravioribus curis temporis partem nactus Viglevanenſem Eccleſiam viſitare conſtituit [a], quæ utpote anguſtioribus clauſa confiniis brevioris moræ negotium erat. Verum utcumque brevis viſitatio fuerit, manſit in longum memoria beneficiorum, quam incolarum animis impreſſam reliquerat. Poſtquam enim Apoſtolicæ Sedis oraculo in Superos eſt relatus, tanta illico Viglevanenſium multitudo ſepulcrum Ejus veneratura, nec ſine donis Mediolanum venit, ut pene vacua habitatoribus patriæ tecta relinquerent.

Ea viſitatione perfunctus cum in aliqua Diœceſis ſuæ loca excurreret, populi diſciplinam, quam tot antea decretis emendaverat, in priſtina vitia fœde prolapſam invênit. Percrebuerat fama gratiores Gubernatori [b] futuros, qui adverſus leges de feſtorum dierum cultu ab ipſo editas licentius agerent; eâque opinione in tantum alicubi audacia proceſſerat, ut cum Archiepiſcopus in Templo doceret, alii choreas in foro inſtruerent, quin etiam Templum ingreſſi fœminas præ verecundia reluctantes vi, & minis abducerent [c]. Quæ re-

teſtatem Alciati Epiſtola contineri dixiſſet, concitatis repente turbis Supremus Ordinis Moderator audaciſſime obſtitit, ne quid in iis Comitiis ſancire poſſet, & repudiata Cardinalis præſentia, clanculum inter ſe Ordinis munera Fratres partiti ſunt. Audita res Romæ Cœtum Cardinalium, qui Regularibus præſunt, & præcipue Alciatum pupugit. Hic inter ceteros ſtatim juſſit Expræſidem omni ſuffragii, & dignitatis jure ſpoliari, mox in vincula conjici. Deinde Romam evocati novus electus Ordinis Moderator, ceterique omnes, qui Comitiis interfuerant; & eorum aliqui ſeveriſſimæ etiam quæſtioni ſubjecti ſunt. Verum turbæ hujuſmodi fuerunt in cauſa, ut profligatæ, ac perditæ ea ætate Ordinis tes aliquantulum reſtituerentur; coacti enim ſunt univerſi datas a Carolo leges accipere. Quamquam Seculo inſequente inducta tum diſciplina ita excidit, ut Ripamontius proruptim ad quodcumque facinus Joviniani audaciam deſcripturus, ratus ſit non aliis coloribus hunc Hæreticum, ſuoſque aſſeclas pingi poſſe, quam iis, quos ex Fratrum Sancti Ambroſii ad Nemus ſuo ævo viventium moribus mutuaretur, ut teſtatur in Diſſertatione Nazariana Puricellus, qui auribus ſuis excepit ſinceram hanc Ripamontii confeſſionem. Hinc tandem Pontificia Innocentii X. auctoritas anno MDCL. deleto hoc Ordine, vitiorum ejus memoriam etiam penitus obliteravit; licet ab eo Ordinis excidio ſuperſtites evaſerit Sacrarum Virginum Cœtus, quarum uſque adhuc viget diſciplina in celebri Aſceterio Sanctæ Mariæ ad Montem prope Variſium. Harum Conſtitutiones recenter & primum in lucem edidit Cl. Nicolaus Sormanus Collegii noſtri Ambroſiani Doctor anno MDCCXLVI.

(a) Aliquis hic certe error irrepſit, cum hæc ſcripſerit Carolus pridie Idus Majas anni ſuperioris ad Specianum: „ Diebus proxime elapſis totam „ Viglevanenſem Diœceſim obivi, meiſque ſumpti„ bus luſtratio hæc peracta eſt, ne Clero aut Epiſ„ copo calamitoſis hiſce temporibus, & præcipue in „ tanta annonæ caritate gravior eſſem.“ Obverſatæ etiam oculis fuerunt Cardinalis literæ Mediolanum datæ, dum Mortariæ Viglevanenſi in agro eſſet, quæ indicant Aprili menſe anni MDLXXVIII. illis in regionibus Eum fuiſſe; quare hæc inter primas Borromei curas poſt peſtilentiæ tempus videtur recenſenda.

(b) Delenda eſt hæc Ayamontii macula, quam ejus loco Jacobus Riccardus Romæ ſuſcepit. Evulgatæ Mediolani fuerant aliquot iſtius literæ, in quibus falſo affirmabat, *irrita fuiſſe Summo Pontifici Caroli Decreta, quibus choreas, & ludicra ſpectacula confixerat.* Rumorem hunc exitialem bonis omnibus, & nullo prorſus fundamento innixum doluit deinde Cardinalis invaluiſſe; cumque Romam perſcripſiſſet, rei vel novitatem, vel audaciam literarum admiratus, reſponſum a Speciano fuit, *auctorem rumoris cujus acriter a Gregorio fuiſſe increpitum.*

(c) In Vico Decimo tantum furoris extitit, cum ibi Cardinalis verſaretur. Unde autem hoc ſaltationum cacoëthes ortum eſſet, indicat Borromeus in Epiſtola ad Specianum eodem ex loco ſcripta X. Calendas Sextiles: „ Dictitant hic mea decreta Ro„ mæ apud plurimos Cardinales male audire; præ„ ſer-

Digitized by Google

rerum indignitas etſi animum Ejus, ut par erat, ad vindictam accenderet; agnito tamen unde hæc tanta peccandi licentia proveniret, injuriæ dolorem diſſimulanter ſuſtinere maluit, ne paucorum hominum impudentiam ulciſcendo graviores tumultus excitaret. Nunc reſervata ſibi (*a*) in aliud tempus Brixienſis Eccleſiæ viſitatione, magnam Provinciæ partem per Apoſtolicos Viſitatores (*b*), Novocomenſem inter ceteras Eccleſiam ob multas Hæreticorum familias periculoſe laborantem per Franciſcum Bonhomium Vercellarum Antiſtitem luſtrari curavit ſingulari prudentia virum, & magnis vere expeditionibus parem (*c*).

Exitu

„ ſertim vero Summum Pontificem pronunciaſſe, „ & ſtatuiſſe: licere choreas duci diebus etiam „ feſtis, dummodo in earum tempus Divina Officia „ non incidant: quæ vox ultimo invaluit per literas Internuncii Riccardi diſſeminata, ut ferunt. „ Hæc fuit in cauſa, ut effrenis Juventus (ubique „ enim non deſunt impatientes legum adoleſcentes „ etiam inter bene inſtitutos populos) excitata ſit, „ & plus æquo intumuerit. Quare viſi ſunt Juvenum manipuli cum ſymphonia paſſim debacchari „ per villas, & publice choreis indulgere, iis etiam „ in locis, ex quibus jamdiu ejuſmodi ſpectacula „ exulabant. Quid plura? Decimi (Vicus hic eſt „ quem luſtro) ubi jam profana hujuſmodi ob„ ſoleverant, eo effrenes aliquot homines erupere „ inſaniæ, ut nuper elapſo Dominico die, qui „ Sancti Materni hujus loci Patroni ſolemnia ſub„ ſecutus eſt, choreas palam indicere non erubue„ rint, quo tempore populi univerſi cœtus ad au„ diendas Chriſtianæ Vitæ inſtitutiones coactus erat „ in Templo. Hinc ſtatim veluti dato ſigno, plu„ res celeri curſu dilapſæ ſunt ex Æde fœminæ, „ ſeque ſaltantibus immiſcuere, ea ſancti inſtitu„ ti, cui vacabant, injuria, & populi totius ad„ miratione, quam Summus Pontifex facile animo „ conſequi poterit. Ut etiam prætermittam con„ temptum me, munuſque meum tum Eccleſiam „ luſtrantis, cum mane eodem, & die etiam ſu„ periore palam ex ſuggeſto impiam hanc conſue„ tudinem fuiſſem oratione mea execratus. Hinc „ inferas velim &c.

(*a*) Brixienſis Diœceſis luſtrandæ facultatem non ſibi reſervavit Borromeus, imo hoc tempore ademptam ſeu dilatam vidit, ut docuit Speciano ſcribens. Neque id moleſte tulit, licet ſciret, invidorum aliquorum opera vanos terrores Venetis injicientium hanc ſibi poteſtatem fuiſſe interceptam, quam antea Pontifex ipſe ſponte impertiverat. Reſcivit etiam maligne diſſeminatam per Urbem hanc famam: nimirum judiciorum ſuorum auſteritatem fuiſſe in cauſa, cur aditus ſibi ad hanc luſtrationem non pateret. Vere Cardinalis eodem animo paſſus eſt objectum hoc impedimentum, quo Provinciam eam iniviſſet. Audi quam modeſte id oneris ſuſciperet, & etiam intelliges, quam moderate ferret ſibi illud detrahi. Ad prædictum Specianum in hæc verba literas dedit die XXV. Junii. „ Quod ad luſtrandam Diœceſim Brixienſem ſpectat, „ quandoquidem opto meam obire, idque etiam „ neceſſarium videtur, mihi certe hac cura libera„ ri non diſpliceret. Quoniam vero uberrimam in„ de oborituram meſſem præſido, cum plura Vi„ ſitatoris præſentiam inibi exigant, ut docebit ad„ nexa Vicarii ejus Epiſtola; & mea illuc profectio „ tutiorem mihi viam patefaceret ad iter jamdiu „ meditatum (ſtatutum jam erat Carolo Romam „ proficiſci) ſuſcipiendum; idcirco oblatam hanc „ ejus luſtrandæ opportunitatem non gravaret ar„ ripere. Plures me illic boni expectant, qui ube„ rem colligendum fructum pollicentur; quare ſæ„ pius per literas ab iis ſolicitor, ut illuc proficiſci maturem. Fateor quidem ingenue, Venetis „ quibuſdam inanes terrores objici propter Eccle„ ſiaſticæ Immunitatis controverſias, & retinendas „ a me Sanctiones *Bullæ in Cœna Domini*. Hunc „ etiam Venetorum timorem augent nonnulli, qui„ bus aliis de cauſis permoleſta videtur hæc mea „ expeditio: qua de re in eam ſententiam Ponti„ fex venit, ut juberet me interim ſuperſedere. „ Ceterum ſemper propenſa in me Venetorum ſtu„ dia probe cognovi; & ſi allatas cauſas excipias, „ me illi cuicumque alteri Antiſtiti præoptarent. „ Quocirca ſi tandem Pontifex ſtatueret me illuc „ mitti, id ab eo in primis poſtularem, ut doce„ ret me leges illas in re tam contragoſa Brixien„ ſibus dandas, quæ Sanctitati Suæ opportuniores vide„ rentur.“ Itaque hæc Brixienſis Diœceſis luſtrandæ cura, ſi rei exitum conſideremus, reſervata vere Borromeo fuit; nam eo profectus eſt vixdum Roma reverſus; non tamen Ipſe ſibi reſervavit.

(*b*) Jamdiu Provinciæ ſuæ partem luſtrandam ſuſceperat Hieronymus Ragazzonius, atque idipſum Gregorio Cardinalis ſuaſerat. Nunc cum intactæ adhuc Novarienſis & Laudenſis Diœceſes eſſent: hanc Franciſco Boſſio, illam Joanni Franciſco Bonhomio obeundam deſignavit. Quamquam deinde abjecto Novarienſis Viſitationis conſilio, Bonhomium ex Pontificis nutu revocavit, amandavitque ad Novocomenſem Urbem & Diœceſim luſtrandam, in cujus Vallibus flebilis vere rerum ſtatus videbatur eſſe: eumque profecto non ſine lacrymis in pluribus ſuis Epiſtolis ad Carolum datis Bonhomius deſcripſit.

(*c*) Hanc ſibi demandatam Provinciam Bonhomius ingreſſurus Cardinalem rogaverat, ut imparem ſe tot ſumptibus ferendis ſuſtentaret, & aliquod a Pontifice pecuniarum ſubſidium deprecaretur. Cui tum primum ſancte iratus Borromeus reſpondit: „ Miror maximopere, te adeo fluxarum „ & terrenarum rerum cupiditate accenſum bas pre„ ces admovere, ut malis tam levi de cauſa Ani„ marum diſpendium pati, quam inopem te Deo „ ſervire. Propone tibi ante oculos Veronenſis Epiſ„ copi exemplum, qui Illyricum obivit, & duo „ iis in Regionibus coëgit Provinciæ Concilia, ſuo „ interim ære venientes ad Synodum Antiſtites ſu„ ſtentans, quin ullum ſibi tribui auri ſubſidium „ unquam depoſceret. Sic ille hilari animo ſuos „ profundebat cenſus, eoſque in Dei gloria am„ pli-

Digitized by Google

Exitu ejuſdem anni duo magna præſidia ad continendos in Catholica Fide vicinarum alpium incolas a Carolo inventa initium habuere. Auctor in primis Pontifici fuit, ut Legatus in Helvetios perpetuo mitteretur (*a*), qui ſanam ejus Reipublicæ partem ab reliquarum partium contagione intactam ſervaret. Primus omnium ad hanc provinciam delectus Franciſcus Bonhomius, de quo paulo antea dictum eſt, nihil antiquius habuit, quam ut ad Carolum confugeret, atque ab eo documenta gerendæ legationis acciperet (*b*). Quibus inſtructus, ac Luceriam profectus brevi adeo profecit, ut Clericorum mores, & Populi regimen ad Tridentini Concilii inſtituta componeret. Nuncius paulo poſt ad Cæſarem miſſus, exauthorato cum aſſeclis ejus Colonienſi Archiepiſcopo, Canonicorum comitiis interfuit, effecitque, ut Erneſtum Bavariæ Ducis filium eximiæ indolis Principem ſubrogarent (*c*). Revocatus po-

„ plificanda, & Pontificis obedientia bene collo„ catos exiſtimavit." In hac Epiſtola ignoro, utrum in Borromeo Religionis amorem, an modeſtiam admirer: qui, cum ſe imitandum maxime poſſet proponere, Valerium dumtaxat cenſuit admirandum.

(*a*) Jam ex eo tempore, quo univerſam Eccleſiam Avunculo vivente adminiſtrabat, hæc Eum cura inceſſerat, ut Sanctæ Sedi addictos Helvetios per Internuncii officia magis obſtringeret. Idcirco anno LXIII. & LXV. ſupra ſequimilleſimum ad eos legaverat Joannem Dominicum Vulpium Novocomenſem Epiſcopum, ut gravia aliquot ad Fidem tuendam ſpectantia cum iis tranſigeret, quod probant documenta relata ab Aloyſio Tatto. Nunc cum videret Cardinalis e re eſſe, certum ac ſtabilem Internuncium in eas Provincias mitti, egit cum Gregorio, ut illa in poſterum legatio ſtabiliretur. Optabat nimirum, opponi vallum graſſanti ad Alpes hæreſi, ne eo perfracto, in Inſubriam aliqua morum peſtis redundaret.

(*b*) Tantum deferebat Bonhomius Caroli conſiliis, ut nihil grave unquam Eo inconſulto aggrederetur. Extant plurimæ illius Epiſtolæ, in quibus paternum veluti Borromei implorat auxilium; tantuſque earum numerus in Bibliotheca noſtra ſervatur, ut facile concinnari tota ejus rerum ſeries poſſet, in quibus ſemper ducem ac magiſtrum Carolum habuit. Vercellenſis hic Epiſcopus, licet promptiſſimus conſilio ab omnibus haberetur, dicere magnifice de Cardinali ſolebat: „ ſe in eo „ præter ſanctitatem nihil magis admirari, quam „ expeditiſſimi ingenii aciem, qua inextricabiles, „ & veluti Gordianos nodos diſſolvere perfacile „ ſolebat, in quibus ipſe non raro incertus conſi„ lii hæſiſſet.

(*c*) Electi hujus Archiepiſcopi laudem retulit Bonhomius; Carolus vero conſervati habuit. Apud Hiſtoricos Gebhardi Truchſeſii Colonienſis Archiepiſcopi exauthoratio notior eſt, quam ut commemorari hic debeat Re perfecta, triumphans gaudio Bonhomius Borromeum certiorem fecit; ſed cum Hæreticorum ſtudia in electum Erneſtum invaleſcerent, atque in illius perniciem conſpirarent, Guillelmus Bavariæ Dux ejus frater, (hoc nomine appellatur in mox recitanda Epiſtola, licet ex errore fortaſſe Gluſſianus filium putavit) nullum ſibi aptius perfugium ad electionem eam tuendam putavit, quam Caroli patrocinium. Erat Borromeo addictus ex animo Guillelmus, Eique per literas animi etiam arcana aperire non raro conſuevit. Cum ſua in aula Bonhomius eſſet, rogabat ſemper, ut ſe Cardinalis precibus faceret commendatiſſimum; neque quidquam, quod a Carolo poſtularetur, unquam recuſavit; imo Fidei Catholicæ propugnatorem eximium in Imperii Comitiis ſæpe ſe præſtitit, Illius officiis ad id inflammatus. Sed his omiſſis accipe, quantum Caroli auxilio ille confideret pro Fratre in Colonienſi poſſeſſione retinendo, ex latinis ipſius literis, quas recitamus.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Illuſtriſſime Domine, Amice honorandiſſime,

„ SAlutem & gratificandi paratiſſima ſtudia. Etſi „ non dubitamus, quin Reverendiſſima & Illu„ ſtriſſima Veſtra Dilectio ſucceſſum, totamque ra„ tionem funeſti belli, quod Princeps Erneſtus „ Electus Archiepiſcopus Colonienſis Frater noſter „ cum Gebhardo Truchſeſio Apoſtata, ſuoque Se„ ctatore Joanne Caſimiro Comite Palatino gerit, „ perſpectam habeat, ac proinde afflictæ illius Ec„ cleſiæ in ſuis orationibus nequaquam ſit imme„ mor; nihilominus cum ad Reverendiſſimam & „ Illuſtriſ. D. V. noſtra bona cum venia proficiſca„ tur Nobilis, nobiſque ſincere dilectus, ac fidelis „ Polydorus Cucchius brevi ad nos rediturus, no„ luimus ipſum ſine literis iſthuc venire: conſul„ tumque valde exiſtimavimus, nonnulla de pericu„ loſo in his locis Reipublicæ Chriſtianæ ſtatu Di„ lectioni V. Reverendiſs. & Illuſtriſs. ob oculos „ ponere, cum in Ejus bonitate, ſummaque in Ca„ tholicam Religionem fide, pietate, zelo & confi„ damus plurimum, & ſpei non parum reponamus. „ Præter ea, quæ in rerum Colonienſium narratione „ hiſce incluſa continentur, Reverendiſſimam & Illu„ ſtriſs. D. V. non latebit, Bonnam præcipuum Co„ lonienſis Archiepiſcopatus Oppidum, nec non om„ nia loca Weſtphaliæ ad eumdem ſpectantia a „ Truchſeſio adhuc poſſideri. Caſimirus interea „ cum ſuis Oppida, Monaſteria, Pagos, ac Villas „ flammis abſumit ea ſævitie ac barbarie, quæ vel „ Turcarum, vel cujuſvis Tyranni immaniſſimi cru„ delitatem ſuperare facile videatur. Quod ſi dam„ num Diœceſi inde acceptum, expenſæque in bel„ lum hactenus factæ æſtimandæ forent, decies „ centena millia coronatorum excederent. Nos ve„ ro huc uſque magnam ſummam, imo ultra cen„ tum millia coronatorum in bellum hoc ſolo „ Re-

Digitized by Google

poſtremo in Belgium, quo tempore Divina, & Regia jura Provinciæ rebelles excuſſerant, cum Apoſtolici muneris dignitatem, quantam in ea rerum perturbatione poterat, egregie ſuſtinuiſſet, Leodii nobiliſſima Brabantiorum Urbe diem ſuum obiit, ac ne prodeſſe moriendo deſineret Montem Pietatis, ut vocant, quem ad Pauperum ſubſidium Vercellis erexerat, hæredem inſtituit [a].

Dum hæc in Germania per Bonhomium agerentur, Collegium Mediolani Carolus excitabat [b], quod etſi Helveticum nominavit, Rhæticis tamen Provinciis commune

„ Religionis Catholicæ propugnandæ ſtudio libenter expoſuimus. Ab Electoribus Eccleſiaſticis nihil dum ſubſidii potuit impetrari. Quatuor dumtaxat Epiſcopi ſunt reperti, qui ſexdecim millia coronatorum contribuerunt. Summus Pontifex tandem quadraginta millibus nos juvit. Quæ omnia quanti ſint momenti, qui ad innumeros ſumptus hactenus factos, & deinceps faciendos reſpicit, facile intelligit. Sic igitur derelictus propemodum eſt Princeps Erneſtus, qui ſi poſthac plane deſeratur, Deuſque paria meritis noſtris referre nobis velit, ſane vehementer metuendum eſt; ne Electores, ceterique Principes Sectarii, qui hactenus ſeditioſis Truchſeſii ac Caſimiri conſiliis ſe palam ſaltem non immiſcuerunt, perſpecta Catholicorum in tam ancipiti planeque vacillante Religionis ſtatu oſcitantia, ſeu ignavia potius, in ſpem rerum bene gerendarum erecti de conſpiratione cogitent, talique incendio faces admoveant, quod aut nunquam, aut difficulter tandem poſſit reſtingui. Quid enim aliud meditantur Sectarii, quam ut introducta Religionis libertate ac pernicioſa licentia, ſublatiſque ex Imperio Romano Summi Pontificis poteſtate, atque Cleri celibatu, Epiſcopatus omnes invadant: Catholicos omnes opprimant? Nos quidem, licet talis ſit rerum noſtrarum ſtatus, ut ſumptibus hoc tempore quam maxime parcendum foret; partibus tamen noſtris non deerimus, Eccleſiamque Dei pro virili defendere pergemus, ſola confiſi cauſæ bonitate, Deique Optimi Maximi clementia, quam ſperamus rationes ac conſilia ad id nobis benigne ſuppeditaturam. Inter quæ hoc loco occurrit Reverendiſſimam & Illuſtriſs. V. D. rogare, (quod hiſce literis officioſe, majoremque in modum facimus) ut probe jam cognito ingenti diſcrimine, in quo Germanicæ Nationis Catholici Principes verſantur ac populi eorum, in ſuis tam privatis, quam publicis precibus meminiſſe velit: ſimulque apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Colonienſe negotium interceſſione ſua promoveat; quò id cordi accipiens Sanctitas Sua Electum Archiepiſcopum paterno auxilio ſublevare pergat. Eos vero, penes quos Romæ ejuſmodi rerum ſumma eſt, ac in primis Cardinalem Comenſem haud ita alacriter cauſam hanc tractantem auctoritate ſua facile induxerit Reverendiſſima & Illuſtriſs. V. D. ut & is ſe Germanorum ſalutis fautorem, Religionisque Catholicæ apud nos Promotorem ſtrenuum præſtet, reque ipſa declaret. Hoc pio planeque Chriſtiano officio Reverendiſſima & Illuſtriſs. V. D. non ſolum ingentem laudem apud Germanos Catholicos conſequetur; verum etiam ampliſſimam atque æternam a Chriſto Domino mercedem reportabit. Nos vero ſigillatim, totamque Bavaricam domum arctiſſime ſibi devinciet. Datum in Civitate noſtra Monachio die X. Octobris Anno MDLXXXIII.

Guillelmus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Utriuſque Bavariæ Dux &c.
GUILLELMUS.

Qua autem alacritate hanc provinciam ſuſceperit Carolus, datæ ſæpius Romam literæ, miſſa deinde validiora ad Erneſtum ſubſidia pecuniæ, ipſe demum rei exitus comprobavit. Quamquam potiſſimum ad hoc bellum perficiendum auxilium petitum credo fuiſſe ex Borromei apud Deum obſecrationibus; Ille enim ad Cardinalem de Gambara ſcribens teſtatur, *nunquam ſe ceſſaſſe ab hoc bello ſuſcepto proſperum ejuſdem exitum Deo enixe inter precandum commendare; imo ſuaſiſſe compluribus aliis, quos ſanctitate morum inſignes noverat exteris etiam in regionibus, ut votis item ſuis belli hujus pro Fide Catholica amplificanda capti auſpicia fortunarent.*

(a) Infinitum eſſet ſingula eximii hujus Viri acta perſequi immortali certe memoria digniſſima. Multa complectar, ſi intimum illum Borromei Amicum nominem; nihil enim ab eo fere geſtum, quod Carolum non haberet aut Auctorem, aut certe Adjutorem. Vercellis, cui Urbi præerat Antiſtes, plura exegit ad Tridentini & Conciliorum Provincialium præſcriptum; atque ubi ſua præſentis opera ceſſavit, abſens pro ſe Borromeum ſubſtituit. Hic autem, veluti Bonhomii vices gerens, Vercellenſe Seminarium auxit, Eccleſiæ ejus jura fortiter retinuit, eaque omnia perficienda curavit, quæ Bonhomii abſentia periclitabantur. Quem itaque eum nominem, cui Amicum ſe atque Vicarium præſtitit Borromeus?

(b) Altius repetenda ſunt jacta Collegii Helvetici fundamenta. Caroli ſtudium pro Fide Orthodoxa tuenda huic initium dedit. Statim ab Avunculi Pontificis obitu Ille intellexerat, miſſos Romam ex Helvetiis aliquot, qui in Romanum Seminarium cooptarentur. Sed cum nimius proponeretur recipiendorum numerus pro ejus loci cenſuum tenuitate, Carolus re intellecta Bonhomio ſtatim ſcripſit: *Non gravatum ſe vigenti Helvetios in Mediolanenſi Seminario alere, ſi Romani expenſarum incommodum refugerent.* Perlata ad Pium V. Pontificem Borromei voluntate, & acceptis a Bonhomio Ejuſdem literis, in hæc verba Pius erupiſſe ſcribitur: *Gratiæ Deo immortales agantur; hæc noſtra dudum erat de Cardinalis Borromei virtute opinio, & certa expectatio.* Miſſi itaque huc ſunt Helvetii Alumni aliquot, & quotquot miſſi perhumaniter in Seminario excepti. Quæ educatio impenſis ſemper Seminarii ſtetit uſque ad

mune esse voluit. Curiensium Magistratuum decreto cautum erat, ne quis alienigena Sacris obeundis intra suarum alpium fines admitteretur. Sed cum neque scientiarum studia apud ipsos vigerent, neque exterorum gymnasia adiri paupertas sineret, satis apparebat decreto illo nihil aliud peti, quam ut latior pateret via sectariorum erroribus, quorum mater, aut nutrix apud plerosque Germaniæ populos Sacerdotum insciția fuerat. Antevertit exitium Carolus constituto magnis opibus domicilio [a], in quo acciti ex singulis Helvetiæ, Rhætiæque partibus [b] adolescentes nulla parentum

ad annum MDLXXVI. sub Aprilis exitum, quo tempore Præpositura Sanctorum Jacobi, & Philippi *de Rivolis* nuncupata adjuncta Seminarii censibus fuit, hac apposita conditione, *ut unice in Helvetiorum & Rhætorum beneficium cederet; quod si Collegium pro iis de novo excitari contigisset, ejusdem deinde reditibus adsisteretur*. Hoc anno id evênit; quare ejus Præposituræ census in Collegii jura transierunt: atque in illius Ædibus prope Modoëtiam satis amplis percommodum cubiculum Cardinalis extruxit, quod Helveticis Alumnis designaverat pro feriarum Autumnalium contubernio ad animi voluptatem comparandam. Hæc delibavimus ex pluribus Ejusdem epistolis.

(*a*) Non adeo commodum initio constituere poterat domicilium, cum tenues admodum reditus suppeterent. Docet Bulla erectionis a Gregorio XIII. data ad mensem Junium anni MDLXXIX., nullos alios huic Collegio erigendo fuisse adjunctos census præter nuper relatam Præposituram, *cujus proventus valorem annuum treceatorum ducatorum auri de Camera secundum æstimationem non excedebant*. Deinde additum annuum aliud Apostolici Ærarii subsidium fuit, sive pensio bis mille & quadringentorum aureorum, præter Ædes Præpositurę Sancti Spiritus, in quibus adhuc degebant tres Humiliati Ordinis Fratres alio deinde traducti. De his Ædibus ad Specianum hæc scripserat mense Martio: *Ipsemet Sancti Spiritus Ædes attentius inspexi, nec quidquam inibi Collegio extruendo accommodatum inveni præter salubre cælum. Ampla quidem in iis area patet; sed nullum ibi ædificium est, licet sit ædificandi locus. Hinc opus erit a fundamentis domum extruere; & vereor, ne apta futura sint omnia vix post biennium*. Hac de causa videbantur Carolo alia opportuniora loca, in quibus Collegium hoc statueret. Rogaverat primùm Cardinalem Sancti Sixti, ut jugera agri aliquot contermina Sanctæ Mariæ Nobilium Collegio sibi concederet, in quibus novas de integro ædes excitaret, cum Templum jam erectum in utriusque Collegii usum destinaret: nimirum locum hunc ceteris præoptabat, utpote ab urbano strepitu satis remotum. Hoc tamen non impetrato, oculos convertit in Sanctæ Agathæ Monasterium ex Ragazzonii Decreto vacuum, quod deinde adjunctum est Parthenoni Sancti Augustini ad Portam Novam. Neque displicebant Carugatenses ædes, aut etiam Sancti Vincentii ad Ticinensem Portam. Tandem re in arbitrium Pontificis rejecta, hic statuit Helvetiorum domicilium in Sancti Spiritus ædibus collocari. Titulus iste erat opulentæ Præpositurę, quam post Humiliatos everšos Cardinalis Alexandrinus obtinuerat. Statuerat antea Ghislerius locum hunc Dominicano Ordini tradere; sed explorata Gregorii voluntate, ab eo consilio abstinuit. Quare tandem auctoritate Apostolica & Alexandrino Cardinali assentiente, suppresso Præpositurę titulo, eoque ad Ecclesiam Sancti Apollinaris Villæ Terzaghi translato, in Collegii Helvetici beneficium cessere Sancti Spiritus Ædes, in quas utcumque traducti Alumni Helvetici fuerunt. Certe dolet in literis suis Carolus magnis impensis stare constitutum eo in loco contubernium, præcipue cum nuda illic omnia Humiliati Fratres, & nitidos parietes reliquissent; licet per Gregorii literas jussi essent relinquere *Sacram supellectilem, res omnes, & bona mobilia*. Omnia tamen patienter tulit Borromeus, suisque expensis nova illic comparari omnia studuit.

(*b*) *Quinquaginta ad minus pueros ex Helvetia & Rhætia collectos hic ali & scientiis informari* sanxit Gregorius in Bulla Erectionis. Anno autem MDLXXXI. postquam Cardinalis Altempsii munificentia Mirasolis prædia adjecta Collegio sunt, pactus hic Cardinalis est in ipsis donationis tabulis, ut vigintiquatuor ex Constantiensi Diœcesi, inter quos duo ex Oppido Bregantino, & quatuor ex Altempsiano Castro alumni adjungerentur. Voluit enim pius Cardinalis, qui etiam Constantiensis erat Episcopus, Diœcesi suæ hoc præsidium addere, & Fidei Catholicæ incrementum comparare. Mentem Altempsii, & potestatem aperient verba Bullæ ipsius datæ a Gregorio XIII. Cal. Martii anno MDLXXXI. „ Nec non (concedimus) „ eidem Marco Cardinali, quamdiu vixerit, ejusque „ duobus immediatis tantum Successoribus Episcopis „ Constantien. & Decano Ecclesiæ Constantien. pro „ tempore existentibus, videlicet ut Marcus Cardi„ nalis, quamdiu vixerit, vigintiquatuor; Succes„ sores vero Episcopi prædicti quatuordecim Scho„ lares ex Civitate, & Diœcesi Constantien. hujus„ modi, quorum duo ex oppido Bregantino ejusdem „ Constantien. Diœcesis, cujus incolæ semper in „ Fide Catholica constanter perstiterunt, & quod „ alteri oppido *Lindo* nuncupato hæresi plane infecto „ vicinum est; alter autem ipsorum duorum ex do„ mo *de Ferze* dicti oppidi Bregantini esse debeant; „ & quatuor ex oppido ab *Altaemps*, quorum om„ nium minimus natu decimum octavum ætatis suæ „ annum attingat, possint eligere, & eos sic electos „ nunc, & pro tempore existenti Archiepiscopo „ Mediol. prædicti Collegii perpetuo Gubernatori „ nominare, & ad eum successive transmittere, „ qui eosdem in alumnos dicti Collegii recipi, & „ admitti &c. " Verumtamen cum impares tot alendis adolescentibus Collegio attributi census viderentur, præsertim cum decerpta ex Mirasolis Præpositura fuisset annua pensio CCCC. Scutorum a Pontifice Cæsari Speciano attributa, coactus est non sine animi dolore Cardinalis immodicis eum Ædem levare sumptibus sub vitæ finem, & nonnullos ex Alumnis, quos rudiores ingenio, & ad literas ineptos

Digitized by Google

rentum impenſa alerentur, donec idoneis ad curam animarum moribus, & ſcientiis [a] per Sacerdotes Oblatos imbuti eadem pietatis, ac doctrinæ dona ad contribules ſuos referrent [b]. Multas privatorum domos dirui, quin etiam ſacras Virgines alio migrare neceſſe fuit [c], ut cum ſanctitate conſilii Collegii magnificentia conſentiret. Porrecta in inſulæ ſpeciem moles longa ſpatia complectitur columnarum ſylvis, atque omnibus ferme Architectorum ingeniis regium in morem exculta, ut Alumnorum animos de dignitate ſtudiorum ſuorum ipſa Ædificii majeſtas admoneat. Conſpiraverant ſcilicet ad promovenda Collegii incrementa cum Gregorio XIII. duo clariſſimi Cardinales Alexandrinus, & Altempſius [d] collatis in unum opulen-

ptos eſſe conſtabat, domos ſuas amandare. Sed Succeſſorum deinde, & præſertim Federici Cardinalis Borromei vigilantia effectum eſt, ut certus, idemque conſtans ſtatueretur Alumnorum numerus, & peræqua proportione ſingulæ Tranſalpinæ Rhætorum, Helvetiorumque Catholicorum Provinciæ hoc beneficio ornarentur. Hic itaque beneficii etiam in præſentem ætatem ex vetere præſcripto ſervatur ordo: Ut duo ex ſingulis ſeptem fœderatis Catholicis Helvetiorum Provinciis cooptentur, quibus adjungantur duo Claronenſes, itemque Abbatis-cellenſes duo; ex Subditis vero gemini trans alpes, quatuor cis nati accenſeantur: Ex tribus autem Rhætorum ſingulis Fœderibus duo item excipiantur; quibus Vultureni octo, & Clavenenſes duo aggregentur. Vix dum condito Collegio non venerant in beneficii communionem Valleſiani; ſed poſtmodum ſtatutum eſt anno MDLXXXIV., ut ejuſdem participes fierent, ex Summi Pontificis, & Caroli nutu. Quod in iis beneficium optime collocatum fuiſſe exitus deinde comprobavit.

(a) Quid in excitando hoc Contubernio Carolus & Pontifex ſpectarent, docent Pontificiæ erectionis literæ: „ Univimus & incorporavimus (Ædes ſcilicet Sancti Spiritus) hujuſmodi pium Cardinalis „ propoſitum magnopere collaudantes, & quantum „ in Nobis eſt promovere, ac ad effectum perduci, optimarumque artium, diſciplinarum, & Sacrarum Literarum ſtudia his noſtris temporibus „ florere mirum in modum cupientes, præſertim „ ut exinde Viri non pro ſe ſolum boni doctique „ evadere, ſed ad Patriam remeantes habendis concionibus, ac diſputationibus, Fideique Orthodoxæ „ veritati dilucidandæ, exercendæque animarum curæ, aliiſque piis ac ſanctis operibus apti & idonei eſſe, & quam maximum in Eccleſia Dei „ fructum ex ſe proferre poſſint.

(b) Idcirco Nonis Jan. anni inſequentis Romæ degens Borromeus impetravit a Pontifice, ut ſex ex iis alumnis *ad Collegii titulum* Sacerdotes inaugurari poſſent: Itemque ut *qui triennium in eo Collegio fuiſſent, gauderent privilegio Familiarium Archiepiſcopi, & cenſerentur Dioceſani*; quod etiam impetravit Seminarii ſui Clericis quandocumque ex aliena Dioceſi eſſent. Demum ne quid utriſque honoris deeſſet, obtinuit a Pontifice eodem poteſtatem Seminarii & Collegii Helvetici Alumnos ornandi *Baccalaureatu, Licentiatura, Doctoratu, & Magiſterio in Sacra Theologia*: quæ poteſtas etiam Caroli in Sede Ambroſiana Succeſſoribus per idem Diploma delata eſt.

(c) Secundam hic Auctor deſignat Helvetiorum Alumnorum Sedem in Portæ Novæ ſuburbio, ubi ante vitæ finem Sanctus Cardinalis Collegium hoc collocavit. Extabat ibi antea Monaſterium S. Mariæ de Viglevano, cujus Moniales inde amoverat, & S. Mariæ Magdalenæ ad Circum clauſtris addixerat. Etenim cum anno MDLXXX. quatuor in Brianteis Collibus ſita Virginum Monaſteria, Bernagæ ſcilicet, Lambrugi, Brugoræ, ac Cremellæ in Urbem transferre juxta Tridentini Concilii Sanctiones, & peculiare Viſitatoris Apoſtolici Ragazzonii decretum, imo & Breves literas in hoc ipſum a Pontifice acceptas, meditaretur; neque Sacræ in illis degentes Virgines diſſentirent: jam convenerat, ut Brugoræ, & Lambrugi Virginibus hoc in Urbe domicilium ſtatueretur; atque hoc nomine numerata pecunia erat ad iſtas Ædes coëmendas, quinimo tabulæ etiam translationis confectæ. Verum cum interceſſiſſent huic conſilio publicæ Brianteorum querelæ, & miſſi Romam ſupplices libelli: poſtquam cautum eſt diligentius eorum Parthenonum periculis, non abnuit Borromeus in veteribus eas omnes clauſtris retinere. Quare opportunam hanc ſedem juri ſuo relictam, & propter amplitudinem etiam percommodam nactus, ex Sancti Spiritus domo huc commigrare juſſit Helvetios adoleſcentes, licet Ædes Sancti Petri ad Montem-fortem iiſdem animo paulo prius deſtinaſſet. Seculo autem XVII. poſtquam everſus eſt Ordo Fratrum Sancti Ambroſii ad Nemus, coëmpta eorum vacua ædificia Sancti Primi Templo adjuncta multo ampliorem perficiendo huic, prout hodie videtur, magnifico Collegio locum obtulere.

(d) Quid Huic & Alexandrino Cardinalibus hoc Collegium debeat, nuper recoluimus, cum doceremus Miraſolis prædia illi; Sancti vero Spiritus Ædes iſti referendas eſſe acceptas. Liberaliſſime tamen omnium cum Helveticis Alumnis egit Gregorius, qui cum anno MDLXXVI. Præpoſituram SS. Jacobi & Philippi *de Rivolta* deſtinaſſet nondum erecto Collegio; poſtmodum dum illud excitaretur, ex ærario ſuo bis mille & quadringentorum aureorum penſionem annuam ſuppeditavit. Anno deinde LXXIX. ejuſdem Seculi adjecit Idibus Octobris Novarienſem Sanctæ Crucis Præpoſituram olim Ordinis Humiliatorum, unis demptis ædibus, quæ Seminario Novarienſi addictæ ſunt. Hæc nimirum in Pontificium jus venerat per obitum Joannis Ambroſii Scotti. Poſtmodum V. Idus Decembris eodem anno *Præceptoriam Sancti Antonii prope, & extra muros Civitatis Papiæ Ordinis S. Auguſtini*, relictam a Ludovico Taberna electo Laudenſi Epiſcopo eidem adjudicavit. Demum Collegii ejuſdem

Digitized by Google

lentis ſacerdotiis, quorum hodie proventu tota ferme res agitur. Porro, quas inde utilitates Orthodoxa Religio retulerit, documento ſunt ſanctiſſimi, doctiſſimique viri, quorum nomina coronata infulis, atque etiam martyrii palmis illuſtria in ſodalium annalibus extant [a]. Sane Joannes Petrus Gluſſianus hujus hiſtoriæ ſcriptor inter primos Collegii Procuratores a Carolo ipſo delectus affirmare non dubitavit, hoc præſertim remedio apud Vulturenos, & Clavenenſes ſalubriora dogmata eſſe cœpiſſe [b], atque id, quod maxime petebatur, effectum, ne

---

dem reditus peculiari Diplomate liberavit *quibuſcumque decimis & impoſitionibus per Sedem Apoſtolicam quomodolibet, & ex quacumque cauſa etiam urgens & urgentiſſima impoſitis & imponendis*. Siquidem hæc ferme omnia impetraverat Carolus idem Romæ præſens, cujus votis refragari in re tam utili, & Fidei Orthodoxæ apprime opportuna Sanctiſſimus Pontifex ſibi religioni vertiſſet. Ante obitum vero Borromeus poſtulaverat aliud opulentum Sacerdotium in Agro Salutienſi huic Collegio obtinendum; utque faciliorem Henricum Galliæ Regem haberet, in cujus ditione tum Salutiarum Urbs, & ager continebantur, promptum ſe, atque paratum oſtenderat aliquos etiam ex iis regionibus alumnos hic educare: ratus, poſſe hoc modo graſſanti in conterminis Vallibus hæreſi fortius propugnaculum opponi. Sed irritum conſilium cecidit. Pontifex etiam Gregorius attribuere pariter Collegio Romaniani Sacerdotium meditabatur, & prædia alia quædam in Agro Placentino; verum illud Abbati Sfondrato ex Nicolai Epiſcopi Cremonenſis Fratre filio; iſta Placentiæ Urbis Xenodochio demum obvenere.

(a) Prodiere ex hac Schola inſignes morum probitate & doctrina Viri: Abbates ſcilicet in Germaniæ Monaſteriis nonnulli, Curienſes Antiſtites tres, & totidem Sedunenſes, & Jodocus Knab Lauſanenſis, præter Antonium Paravicinum S. Severinæ Archiepiſcopum. Adde his Nicolaum Ruſcam ab ipſo Carolo in ejus Collegii Contubernales cooptatum, & deinde pro tuenda Catholica Fide ſumma cum Sanctitatis, imo & Martyrii fama ab hæreticis Rhætis inter tormenta quæſtionis injuſtæ acerbiſſima morte affectum. (Bedani natus eſt Nicolaus in vico ad Luganenſe Oppidum, licet aliqui male ſcripſerint, eum Locarno oriundum fuiſſe. Bedanenſem teſtantur literæ commendatitiæ Cardinalium Novocomenſis & Farneſii ad Carolum datæ, ut illum inter Helveticos Alumnos cooptaret anno MDLXXXI. Extant illius res geſtæ Typis impreſſæ Novocomi anno MDCXXI., quemadmodum etiam ejuſdem Martyrium deſcriptum a Fr. Ricardo a Ruſconera, & impreſſum Ingolſtadii anno MDCXX.; ibique ſingulare quoddam narratur ad Caput octavum, quod huc juvat transferre. „ Illud memorabile „ inter alia multa notatu dignum æſtimant: quo„ tieſcumque ſive caſu, ſive ex induſtria S. Caro„ lus Nicolaum obviam haberet, impoſita ejus ca„ piti manu, efformataque Crucis figura, in hæc „ verba, quæ nemini Alumnorum alteri unquam „ dixiſſe perhibetur, eſt allocutus: *Fili certa bo„ num certamen, conſumma curſum tuum; repoſita eſt „ enim tibi corona juſtitiæ, quam reddet tibi in illa „ die juſtus Judex* . . . . . Prophetiæ dono haud „ dubie informatus Præſul Sanctiſſimus prævidebat „ Nicolaum adoleſcentem multis in Eccleſia Dei la„ boribus perfunctum glorioſiſſimi corona Martyrii „ pro religione Catholica obiti feliciter inaugu„ randum.“) Excitata nimirum fuerat quædam a Sancto Fundatore Sacra Alumnorum Sodalitas, & ad mores formandos eorum Adoleſcentum ſanctis mire confirmata legibus, quæ adhuc illic vigent; quare mirum videri non poteſt, ſi ex tam ſanctæ diſciplina tam celebres Viri ſæpe prodierint. Præterea ad Literarum fovenda ſtudia leges illis eædem datæ, quæ Seminarienſibus fuerant. Addiderat Carolus ad Religionis fervorem excitandum, crebras de Fidei Catholicæ præſtantia Orationes habendas feſtis quibuſque diebus per Joannem Petrum Stuppanum primum ejus Collegii Moderatorem: & a ſingulis in eorum contubernalium album cooptandis Fidei Orthodoxæ profeſſionem, ſine ullo diſcrimine exigi juſſerat, licet Mediolanenſium etiam Civium frequentia hoc Lycæum abundaret. Cum vero timeret, ne fruſtra Religioni ſubſidium per Helveticos eos alumnos compararet, ſi forte eveniſſet aliquem ex iis ad Patriam redeuntem Sacerdotalis vitæ rationem non ſequi: idcirco lege cavit, ut nullus recipi inter eos poſſet, qui Sacerdos ſuo deinde tempore non eſſet inaugurandus; & vadem inſuper ſinguli darent, a quo ſumptus omnes alumni illius cauſa facti repeti jure poſſent, qui forte Sacerdotale munus inire refugiſſet. Hac autem jurisjurandi formula Alumnos admittendos obſtringi voluit: „ Ego N. N. & Presbyter fieri volo, „ & ad Sacros Ordines promovebor, & Curam „ Animarum ad tempus, ſive in perpetuum ſuſci„ piam in Terris Helvetiorum, & Diœceſis Con„ ſtantiæ, Rhætorum & Vulturenæ, cum mihi juſ„ ſum erit a Summo Pontifice, vel Illuſtriſſimo, „ & Reverendiſſimo Archiepiſcopo Mediolanenſi, & „ a Collegio Sancti Spiritus non recedam abſque „ petita venia, & obtenta in ſcriptis ab Illuſtriſs. „ & Reverendiſs. Archiepiſcopo. Et ſic promitto & „ juro: Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei „ Euangelia.“ Primis hiſce Collegii inſtitutionibus addidit deinde nonnulla Federicus Cardinalis Borromeus, quarum cauſa paulo aliter ſe hodie res habet.

(b) Quid a Caroli cura aliud Religio expectare poterat? Cum enim publico nomine ab Helvetiis gratiæ actæ Borromeo eſſent pro hoc excitato Collegio, atque addita liberorum ſuorum commendatio, Ille animum erga eos ſuum ſignificavit in hæc verba reſpondens: „ Ego vero ſingulari quadam ani„ mi propenſione Helveticam Gentem ſemper ami„ rifice dilexi, eorum res & negotia ubique pro„ movi, & ex animo juvi; quid poſtremo effece„ rim pro Collegio hoc inſtituendo, quos labores „ pro recta adminiſtratione ſuſcipiam, dicant alii.

„ Alum-

Digitized by Google

ne quidquid Catholicæ Fidei in alpium confiniis ſupererat, penitus interiret (*a*).

LIBRI QUINTI FINIS.

DE

„ Alumnos hos veluti filios paterna caritate com-
„ plectar, ſtudio, opera & labore juvabo, cohor-
„ tationibus excitabo, Virorumque eruditorum ope-
„ ra ſublevare & confirmare contendam. " Hinc diligentiſſime ſemper inquiſivit in eorum mores, & indolem, qui huc ex Germania mitterentur; quare illorum delectum, uni ferme acutiſſimo Viro Bonhomio Vercellenſi Epiſcopo in iis Regionibus tum Apoſtolica legatione fungenti, ſolicite admodum commendavit.

(*a*) Antequam nos celebriora Caroli acta Romam evocent, commemoranda interim nonnulla ſunt, quæ Gluſſianus intacta dimiſit, & degens in Urbe hoc anno præſtitit Borromeus. Ut enim præteream, quæ in agro Mediolanenſi perfecit: cur ea omnia diſſimulem ornamenta, quibus Ille Metropolitanam Baſilicam cumulavit? Nimirum perfecta obtulit hoc tempore Canonicis ſuis Odæi ſedilia miro & ſumptuoſo artificio celeberrima: polito lapide, & teſſellato opere pavimentum ad Aram maximam ſtravit, gradibuſque nobilem ad eam aſcenſum munivit: clauſas aliquot ante annis ad Baſilicæ ſuæ latera portas, & tabulatis munitas, multis licet reclamitantibus, nunc muro obſtruxit. Interim perfecta ſubterraneæ Ædes, ſeu Confeſſione, ejuſdem Aram XII. Cal. Majas rite conſecratam Chriſti Redemptoris noſtri Sepulcri memoriæ dedicavit. Præterea menſe Junio Vilna datas literas a Stephano Poloniæ Rege cum accepiſſet, in quibus geſturum ſe adverſus Moſchos bellum ad Fidei Catholicæ incrementum Rex aperiebat; adeoque precum ſuarum præſidium poſtulabat: Ille tam pio voto obſecutus eſt, & publicas preces indixit. Præſtat autem primum audire Regiæ obteſtationis partem: „ Ad hoc noſtrum juſtiſſimis „ de cauſis ſuſceptum bellum bene graviterque ad-
„ miniſtrandum a Reverendiſſima Dominatione Ve-
„ ſtra majorem in modum petimus, ut cœpta hæc
„ noſtra benevolentia, ſtudio, pietate ſua; tum
„ ſuis, ſuarumque Eccleſiarum votis & precibus
„ proſequatur: quod nos in magni ſubſidii loco po-
„ nemus. " Nunc juvat intelligere Caroli teſtimonium Stephani religioni exhibitum ex Ipſius reſponſo:

Sereniſſime Rex.

„ SÆpius ex Reverendiſſimi Joannis Andreæ Ca-
„ ligarii Internuncii literis intellexeram, quan-
„ ta religione Majeſtas Veſtra prædita eſſet: quam-
„ que ardenti ſtudio teneretur Sanctæ Catholicæ
„ Romanæ Fidei in iſtis Regnis reſtituendæ &
„ conſervandæ; Sed in iis literis, quas Ipſa ad
„ me proxime dedit, veluti expreſſam quamdam
„ imaginem pietatis, Chriſtianique Majeſtatis Ve-
„ ſtræ animi agnovi; cum antequam bellum in
„ Moſcovitas ſuſceptum aggrediatur, tamquam no-
„ vus Joſue adverſus Amalecitas ad precum auxi-
„ lium confugerit. Equidem lectis illis, egi ſta-
„ tim Deo Optimo Maximo gratias, qui Majeſtati
„ Veſtræ hanc vere Regiam, Chriſtianamque men-
„ tem dederit, tamque firmum præſidium, atque
„ ornamentum in iſtis Regionibus Reipublicæ Chri-
„ ſtianæ conſtituerit. Denique, quod Majeſtas Ve-
„ ſtra a me requirit, præcepi in Civitate & Diœceſi
„ mea a Clero, & populo pro ſalutari iſtius belli
„ exitu preces ad Deum adhiberi, idemque ipſe,
„ quamvis infirmus admodum ſim, libentet ſane
„ efficiam; non ſolum quia & Chriſtiana caritas,
„ & Cardinalis, quam ſuſtineo perſona, id poſtu-
„ lare videtur; ſed ut pio Majeſtatis Veſtræ deſide-
„ rio ſatisfaciam. Quod autem ad me pertinet,
„ eram equidem antea in Illius ſtudium vehementer
„ incitatus; ſed iis proximis literis, ex quibus vidi
„ etiam, quæ Ejus ſit in me animi propenſio, ſic
„ certo ſibi velim perſuadeat, meæ erga Majeſta-
„ tem Veſtram obſervantiæ maximum cumulum
„ acceſſiſſe. Quapropter ſi quid eſt, in quo Illi in-
„ ſervire poſſim, eximium, & ſingulare ſtudium
„ meum Majeſtati Veſtræ in omni genere officii
„ polliceor, ac defero &c. " Omitto datum Henrico Cardinali & Luſitaniæ Regi conſilium de abjicienda nuptiarum mente, quod cap. III. hujus libri attigimus, & lib. VIII. exponemus fuſius, ubi de Caroli virtutibus agemus. Potius recenſenda eſt Ejus cura pro reſtituenda diſciplina Romani Collegii, quod Nardinum ab ejuſdem Conditore Stephano Nardino Mediolani Archiepiſcopo appellatum eſt. Cum enim audiſſet illud nullis inſtitutis ferme munitum a veteri morum ſanctitate excidiſſe, novis legibus datis illud confirmavit; quas Pontificia auctoritate corroborandas ſumma prius a ſe diligentia expenſas, & digeſtas Romam hoc anno miſit. Prætetea in Galliæ, Germaniæ, & Scotiæ tempora intendens animum, Jo. Leslæum Scotum, & Epiſcopum Roſſenſem, qui Pontificis nomine plura iis in Provinciis incognitus Legatus agebat, inflammavit vehementer ad Catholicam Religionem amplificandam. Habemus inſuper redditas Carolo ad hunc annum Leslæi literas, in quibus captivitatem ſuam deſcribit, & negotiationem habitam in vinculis inutilem licet cum Palatino Principe, in cujus ditione primum fuit: Narrat deinde conceptam ſpem de inſtauranda apud Scotos Religione Orthodoxa, propter Stuarti Principis animum, & ſtudium in Reginam matrem in Anglia captivam: demum expoſitis, quæ cum Guiſiis, & Henrico Rege in Lotharingia, & Pariſiis egiſſet, pollicetur ſe in proximis Regni Scotiæ ordinum comitiis Catholicæ cauſæ non defore, & ſingula ſubinde Carolo perſcripturum. Et fides certe promiſſis ſtetit; nam anno inſequente cum librum in lucem ediditſet Rhotomagi de jure Stuartæ Reginæ in Angliæ Regnum, non ſolum retinere Catholicam Religionem in Scotia, ſed in Angliam etiam reducere ſtuduit, quantum in ſe fuit. Audi, quid ad Cardinalem ſcripſerit XVIII. Auguſti MDLXXX. „ Non medio-
„ criter Amplitudinem Veſtram iis ingenii monu-
„ mentis, quæ ſuperioribus annis legenda Ei mi-
„ ſe-

Digitized by Google

„ ſesam, delectatam fuiſſe, dici non poteſt, quan-
„ te mihi voluptati fuerit. Cum enim A. Veſtræ
„ auctoritas hujuſmodi ſit, ut Ejus judicium, tam-
„ quam a Viro graviſſimo profectum, nemini non
„ gratum eſſe queat, brevis certe Ejuſdem com-
„ mendatio pro inſigni laude ceterorum omnium
„ valere debet. Apud me quidem tantum potuit,
„ ut ad quemvis laborem ſubeundum non leves ſti-
„ mulos addiderit. Cumque libellum nuper de Se-
„ reniſſimæ Reginæ meæ jure, & titulo, quem in
„ Regni Angliæ ſucceſſione habet, prælo commi-
„ ſiſſem, volui eumdem A. Veſtræ mittere, ut ex
„ eo perſpiceret, ſi, ut ſperamus, tam florentiſſi-
„ mi Regni poſſeſſio Principi Catholicæ obvenerit,
„ quantum inde Eccleſiæ Chriſtianæ (cujus A. Ve-
„ ſtra Columna non infima exiſtit) emolumenti
„ acceſſurum ſit. " Ultimo Borromeus, cum vi-
deret perutilem operam a Theatinis Patribus in
animarum ſalute curanda collocari: Sanctum An-
dream Avellinum obteſtatus eſt, ut Sancti Antonii
Collegium Mediolanenſe novis adminiſtris, iiſque
pluribus augeret, datis ad eumdem literis V. Idus
Aprilis in hæc verba: „ Magiſtra rerum experien-
„ tia me per hoſce annos docuit, perutilem Eccle-
„ ſiæ meæ fuiſſe ſubſidiariam hanc, qua fruor,
„ Patrum Theatinorum manum, gregique meo val-
„ de opportunam. Te itaque enixe obſecro, ut me
„ conſolaturus in proximis Congregationis tuæ uni-
„ verſæ Comitiis incumbas ad novis adminiſtris Col-
„ legium hoc Mediolanenſe augendum, quorum re-
„ ligione Sancti Antonii Ædes abunde exornetur:
„ tum etiam opera in confeſſionibus audiendis,
„ habendis concionibus, moderandiſque Virginum
„ Monaſteriis Urbs hæc univerſa perfruatur. Pro
„ certo habe ad Templum illud tantum populi con-
„ curſum fieri, atque adeo Ordinis tui inſtituta
„ Civitatem hanc venerari, ut nunquam pœniten-
„ dum futurum ſit hoc conſilium meum propter
„ certam, quæ oſtenditur, publicæ utilitatis ſpem,
„ & meſſem, quæ in hoc campo colligenda offertur,
„ ſane uberrimam.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Oppugnata a multis Eccleſiæ ſuæ jura ut defendat, Romam contendit: Plura religionis ſuæ ubique in via impreſſa veſtigia relinquit.

1579. DUM Hæreticorum conatus his artibus Carolus oppugnaret, Ipſe invicem oppugnabatur Gubernatoris artibus, qui multos Romæ accuſatores ſumma etiam auctoritate præſtantes adverſus Eum concitaverat. Dolebat adulatorum inſtigatione accenſus Dynaſta Oratorem illum, quem patrocinio ſuo ad concionandum produxerat, ob linguæ licentiam ſuggeſto detractum clauſtris inſuper incluſum teneri; eoque juſtius ſe iraſci putabat, quod Oratoris ipſius conſodales tanquam de illata univerſo Ordini injuria altis clamoribus querebantur (*a*). Itaque Hiſpanicarum rerum Procuratores Romæ agentes aſſidue ſtimulabat, ut controverſias de utriuſque fori jure jam pridem exortas acrius urgerent, quo

(*a*) Præter jam alibi enumerata, omnia Caroli decreta Ayamontii animum videbantur offendere. Irritabant eum quotidie inſuſurrationes, & querelæ illius, qui ſibi a Confeſſionibus erat, atque omnes Borromei Sanctiones ultra Epiſcopale jus ferri dictitabat. Hinc Ayamontius etiam juris ſui fines excedere non verebatur; nam in privato habito cum Cardinali colloquio ſtomachum erupit ſuum: multa libere conqueſtus de Cleri pernicioſo alicubi exemplo, & de mala ejus regendi ratione; præcipue autem de vacuis quibuſdam Sacrorum Præfecturis, in quas Sacerdotes aliquot ad tempus ſolebat Carolus inducere. Demum in controverſiam venerant aditus omnes ad Templorum latera obſtructi, aliaque complura, in quæ falcem ipſe mittere non debuiſſet.

Digitized by Google

quo facilius per ſpeciem tuendæ regiæ poteſtatis inuſtam, ut ipſe rebatur, nomini ſuo labem vindicaret. Adeo certe per factionis ſuæ homines accuſando, minitandoque profecerat, ut Caroli nomen male audire etiam apud primores Romanorum Patrum inciperet (*a*). Hominem appellabant moderationis neſcium, ſatorem diſcordiarum, qui unus Romana tribunalia fatigare aſſiduis litibus poſſet (*b*). Quartum Provinciale Concilium aut omnino rejici nonnullis placebat, aut de integro emendari (*c*), tamquam pleraque temere confiſta, multiſque perturbationibus obnoxia contineret. Itaque Cæſar Specianus Caroli rerum eo tempore Procurator, cum truces ubique Judicum vultus, ac dura reſponſa reperiret, diſerte ad Ipſum ſcripſerat, prona ſibi omnia in ruinam videri, niſi ad diluendas criminationes, quibus palam appetebatur, quantocyus Romam veniret (*d*).

Nec vero diſpar Mediolani rerum facies erat. Compoſita in veri ſimilitudinem mendacia ſpargebantur in vulgus: inſtare jam Archiepiſcopo ultima dominationis ſuæ tempora: rogatum a Rege Pontificem, ut Eum Inſubriæ finibus amoveret: miſſa etiam ex Hiſpaniis mandata, ut, niſi preces valerent, vi, & armis res ageretur (*e*). Hinc improbi homines, quos hactenus Cardinalis auctoritas in officio continuerat, nunc metu ſoluti ſuſtulerant animos, atque in perniciem ſuam creduli tot inventa coërcendis cupiditatibus ſuis decreta cum auctore ſuo in exilium itura autumabant (*f*). Quod cum videret Carolus parêre Speciani con-

(*a*) Adeo certe officiis ſuis profecerat apud Alexandrinum Regis Legatum, ut Cardinalis Novocomenſis ex Pontificio mandato ſub Julii menſis initium ſcripſerit ad Carolum, *ne faces incendio addere novis edictis vellet: atque interim ab exequendis Conciliii IV. & V. Decretis omnino abſtineret.*

(*b*) Neque Cardinalium dumtaxat, verum ipſæ Gregorii aures obrutæ iſtiuſmodi querimoniis fuerant. Scripſerat XI. Cal. Jun. Specianus: „ Nuper „ cum Pontificem Summum conveni, audivi ab „ eodem, miſſam ad ſe Mediolanenſis Civitatis no„ mine Epiſtolam, Riccardi tamen manu oblatam, „ cui adnexus erat item ſupplex libellus tribus char„ tæ foliis integre conſcriptis plures Civium querelas „ contra tuas leges comprehendens. Gregorius „ vero admiratus rogavit, cur nullus ad ſe Urbis „ legatus veniſſet. " Antequam tamen hæc ad Pontificem mitteretur Epiſtola, totam jam fraudem odoratus Cardinalis fuerat, qui Specianum eumdem præmonuerat XVI. Cal. Majas „ Ayamontium mi„ natum Urbis Decurionibus fuiſſe, quò nomen „ ſuum literis apponerent; eoſque repugnantes ſæ„ pius ab eo increpitos, tamquam in Regem Phi„ lippum male animatos. " Poſtquam autem oblatam Pontifici epiſtolam audivit, reſcribens Speciano prid. Non. Jun. dicit „ Huc tandem erupiſſe Aya„ montii dudum prehenſantis officia, quibus licet „ initio ſtrenue Urbis Decuriones obſiſterent, ne„ que ullo pacto teſtarentur, ſe ſubſcribere velle; „ demum vel ſpe pelliciente, vel cogente metu, „ eorum aliqui aſſenſi ſunt, licet inviti.

(*c*) Cardinali Senonenſi oblatum id fuerat, ut revocaretur ad limam. Verum ille alienæ diligentiæ plus, quam ſuæ præfidens, corrigendum dederat iis, qui *dolore atque ira in Borromeum inſaniverant*, ut ſcribit Specianus. Itaque iſti cenſores electi concreditum fidei, & diligentiæ ſuæ Caroli Concilium adeo fœde mutilaverant, ut non lima uſi fuiſſe, ſed ſpongia viderentur.

(*d*) Romam evocandum neceſſario Borromeum ipſi etiam dictitabant adverſarii, cauſantes Eum Mediolanenſibus omnibus eſſe inviſum. Malignam hanc criminationem maxime aliarum omnium formidabat Specianus, qui Cardinalem per literas rogaverat, an vere publica hæc in Illum odia ferverent? Sed cura hac Speciani neglecta, Carolus nihil reſpondit. Inſtitit iterum ſequentibus literis idem rogare, num publica flagraret invidia? Sed immoto animo Carolus hoc tandem reſponſum dedit: „ Quod iterum „ ſcribis, dictitari iſthic quotidie, me Civibus meis „ eſſe inviſum: nihil ego hactenus repoſui; hoc „ enim verum ſit, necne, aliorum eſt dicere, non „ autem meum. Hoc unum ſcio, me nihil cura„ re, ut hominibus placeam, præſertim fungentem „ Epiſcopi munere, quod, Deo permittente, cum „ magno omnium odio ſemper fuit conjunctum.

(*e*) Hanc populi opinionem augebat præcipue habita ſæpius de Plebium Vicariis per Diœceſim quæſtio, in qua ex Ayamontii voluntate in Sacrorum adminiſtrationem, & Cleri vitia ſevere inquirebatur. Hoc tamen ubi Summus Pontifex accepit, acriter Internuncios, qui Romæ Gubernatoris nomine agebant, increpuit, ut Specianus teſtatur.

(*f*) Lucem afferre hic aliquam poterit Epiſtolæ pars, quam e Vico Decimo die XXIII. Julii ſcripſit ad Specianum Carolus, antequam ſe in viam daret. „ Miror „ adeo Riccardum inſtare, ut Pontifex ſupplici li„ bello Urbis nomine oblato reſpondeat; cum adeo „ nunc impedita mea Paſtoris poteſtas ſit, ut nul„ li pœnam aliquam denunciare poſſim, poſtquam „ Cardinalis Novocomenſis mihi nuper imperavit, „ ut exequi decreta ſuperſederem. Attamen certior „ modo factus ſum, publico Civium nomine iterum „ abuſum eſſe Ayamontium, & juxta novum Ric„ cardi conſilium juſſiſſe alias a Decurionibus li„ teras mitti, in quibus plura item abſurda con„ tinentur. Aliqui ex Patriciis, ut certo ſcio, inten„ tatis etiam minis aſſentiri ejus ſententiæ nolue„ runt: Alii tamen aſſenſi ſunt iis de cauſis, quæ „ infirmos homines multa alia agere & pati ſæpe „ com-

consilio statuit (*a*), & caput rerum Urbem petere, ne populi disciplina tot annorum laboribus constituta uno ictu concideret.

Communicato igitur cum Vicariis suis profectionis suæ consilio (*b*), quamquam ab iis rogatus, ut æstivos calores mitescere ante discessum sineret, Brixiam primò ire pergit, ut Episcopo, de cujus lethali morbo nuncium acceperat, extrema pietatis officia præstaret (*c*). Inde Mantuam progressus, atque ab ejus urbis Duce honorifice exceptus (*d*), postquam Camillam sororem Principe conjuge antea orbatam opportunis documentis ad patientiam doloris,

---

„ compulerunt. Dictum mihi pro certo est plenas „ eas literas esse querelarum, quibus in me & „ administros meos illi invehuntur. Utque hoc „ consilio postulata sua impetrent a Summo Pontifice, utuntur veteri eo artificio, quo minitabundi „ dicunt, populos tot vinculis irretiri se, ac obrui „ demum non esse passuros: violenta hæc remedia „ diu durare non posse: secus excitatum iri turbas, „ & horrenda multa consecutura; nam nisi aliqua „ mitior medicina comparetur, passim sicut Sacerdotum cædes, aliaque tandem hujusmodi, quæ „ non modo videntur incredibilia, verum ridicula „ cùm scribentibus, tùm iis etiam, qui ratione „ præditi hæc fortasse aliquando audient. Insuper „ intellexi, Ayamontium in me excanduisse propter „ quæstionem de Oratore illo habitam, qua certe „ autumat, nos eum ulcisci voluisse. Ego itaque „ in suscepto meo consilio persevero, quo jam statui coram Summo Pontifice de his omnibus Romæ præsens agere; & in certam spem venio, „ fore, ut machinas omnes dissolvam, & fraudes „ aperiam. Nam sæpe ita perverso rerum ordine „ Diœceseos Mediolanensis notitia ad Eum permanat, ut ex malignis rumoribus videam persæpe „ Divini honoris dispendium oboriri. Quandoquidem „ vero idem Summus Pontifex censet, supersedendum nunc esse ab itinere usque ad mitigatum „ hujus tempestatis æstum, ne ex importuno meo „ discessu obtrectandi argumentum alii arripiant; „ in eam etiam opinionem venio, ut profectionem „ meam post Deiparæ Natalitium recurrentem diem „ differam: Huic enim cum nuncupatum Mediolanense Maximum Templum sit, & September mensis in mitiorem tempestatem incidat, videret novam obtrectandi occasionem offerre, si antea me „ in viam darem. Verumtamen quidquid Gregorius decreverit libentissime exequar. Nihilominus „ nollem, hoc intermedio tempore multa in Ecclesiam meam inveherentur mala, eaque vix reparabilia, si invalescerent nimirum voces, quas adversarii artificiose ex acceptis Roma literis corroborant: scilicet pronunciatum jam de choreis permittendis Pontificium oraculum: Mediolanensium „ postulatis Cardinalem N subscripsisse, & præsertim „ concessum, ut festis diebus populi saltationibus „ indulgeant &c. " Paulo inferius autem docens vana hæc esse adversariorum commenta affirmat „ populum Mediolanensem præditum esse mitissimo ingenio, & indole in bona instituta omnia certe „ admirabili: se autem audere etiam Civium suorum „ docilitatem populorum omnium, quos noverat, facilitati anteponere.

(*a*) Vides ex mox relata epistola non a Speciano duntaxat, sed a Pontifice ipso profectum Romani itineris consilium. Et sane in pluribus Roma ad Eum datis literis comperio, Urbis querelas scripto oblatas semper a Gregorio sine responso dimissas, cum statuisset nihil unquam super hisce controversiis decernere, nisi audito Borromeo.

(*b*) Vicariorum suorum cœtum Decimi congregavit, ubi Plebem eam lustrans se totum Quintilem tenuit. In eo Concilio omnes Borromei sententiam suffragiis suis comprobavere.

(*c*) Hæc antecapti itineris occasio fuit, qua arrepta, scribit Carolus hoc pacto minus cognitum fuisse iter suum Romam versus suscipiendum, cum alia facile posset prætendi hujus viæ causa. Deinde cum facilis Brixiâ transitus Mantuam esset, quo aliis de curis evocabatur, sic aliquam viæ partem expedire poterat, quin adversarii quidquam de consilio suo suspicarentur. Neque videbatur Pontificium mandatum imminuere, quandoquidem Romam non erat ingressurus, nisi sub Idus Septembris, cum statuisset ad plura loca in via ipsa deflectere. Itaque ut cautius sententiam suam occultaret, septem dies Brixiæ fuit. Mediolani erat VIII. Sextilis die, ubi accepto nuncio nuptiarum inter Comitem Renatum Borromeum Patruelem suum, & Hersiliam Parmensis Ducis filiam celebrandarum, statim ad Ducem hunc, & ad Vercellensem Cardinalem Ferrerium scripsit: caveret sedulo, ne in ea celebritate choreis & profanis spectaculis locus esset. Hisce datis literis, Brixiam statim citatissime contendit, quo sub ejusdem diei vesperam pervenit. Pridie Idus Augusti mane fato defunctus est Brixiensis Episcopus Dominicus Bollanus; quare postmodum Carolus Sacris operatus, ut æternam Defuncto requiem precaretur, eodem tempore ad sex millia Brixiensium Sacro Pane refecit. Idibus Sextil. tumulo antequam mandaretur defunctus Antistes, eidem Sacra funebria persolvit; cumque in sequentem diem solemnes aliæ indictæ essent pro eodem preces, rite omnia Archiepiscopus obivit. Illuxit itaque post hæc Sacer Deiparæ in Cælos assumptæ dies, quo, cum religioni sibi duceret se in viam dare, Pontificali Ritu matutina & pomeridiana Sacra in Brixiensi Basilica eidem Deiparæ nuncupata absolvit. His deinde perfectis, die postero Mantuam contendit.

(*d*) Mantuæ fuit usque ad XVII. Augusti diem. Cum verò ibi Ducem non inveniisset, qui mœrore confectus propter obitum Sororis suæ Piscario Marchioni nuptæ, in Villam secesserat: die postero Vastallam ad Camillam Borromeam Sororem divertit; unde die XIX. ad Villam, in qua Dux Mantuæ degebat, contendit, cum eoque collocutus nonnulla expedivit, quæ ad dotalia Viduæ Camillæ jura pertinebant. Postmodum ad Padolironense S. Benedicti Monasterium extra Mantuam deflexit, ubi bidnum adhuc substitit, præstolatus adventum Patris Antonii Valentini ex Societate Jesu, quem futurum itineris Lauretani comitem Ferraria evocaverat.

Digitized by Google

ris, & familiæ regimen confirmaverat, Bononienſi via (*a*) ad Apennini radices pervênit. In cujus aſcenſu, cum neque deſtinatis hoſpitiis, nec ſatis explorata viarum difficultate, iter ageret, accidit aliquando, ut jejunas fere noctes in tuguriis traduceret (*b*), & miraculi loco habitum ſit, quod ex quotidianis vitæ periculis incolumis evaſiſſet. Huic certe miraculo fidem aſſerere potuit alter ex Ejus comitibus Julius Homatus, quem ex invia rupe cum equo præcipitem, edito ſuper eum Crucis ſigno, in medio lapſu ita ſuſtinuit, ut equo in profundum delapſo, nec amplius invento, nulla corporis parte ſaucius in tutum rediret (*c*). Per confragoſa, & aſpera ventum denique eſt in verticem montis, quem Camaldulenſes Patres ipſo latendi ſtudio notiſſimum reddidere. Ibi Carolus dimiſſa familiarium parte (*d*), ſeveriora Cœnobitarum inſtituta æmulabatur, temploque, aut cellula fere ſemper abditus auxilia ſibi ad futurum certamen precibus, ac vigiliis comparabat. Et cum loci religione, ac meditandi ſuavitate captus paulo diutius, quam ante conſueverat, intra illa clauſtra latuiſſet, non defuere, qui dicerent (tanta fingendi, ſive obtrectandi libido eſt) Cardinalem Borromeum tot denique adverſitatibus fractum, cum imminentem capiti tempeſtatem videret, exuta purpura, perpetuum ſibi perfugium in Cœnobio delegiſſe. Ipſe interim, relictis Camaldulenſibus, conſecratos miraculis Alvernos montes (*e*) peragrabat, Chriſti Domini vulnera animo infixa circumferens, quæ olim magni Franciſci manibus, pedibuſque Divinus amor inflixerat.

His ſolatiis refectus, ad Lauretanam Ædem redemptionis humanæ initiis celeberrimam ſeptimo Idus Septembris inter lætas populi acclamationes, atque humaniſſima Principum (*f*) officia pervênit. Poſt emenſa pedibus quinquaginta paſſuum mil-

(*a*) Triduum ferme Bononiæ fuit, non eò, quòd ſibi tranſigendum quidquam cum aliquo eſſet; ſed cum illuc ad diem XXII. Auguſti ſub veſperum perveniſſet, atque in biduum ſequens, Dominica dies & Sancti Bartholomei incidiſſet feſtum, noluit ejus temporis ſanctitate iter faciens abuti. Hæc omnia ex Borromei literis decerpſimus, ut preſſius veſtigiis ſuis inhæreremus.

(*b*) In hac via rogatus aliquando a familiaribus, quonam in loco ad veſperum vellet conſiſtere, ut aliquem ex ſuis ad hoſpitium parandum præmitteret, reſpondit: *Ubi Deus decreverit.*

(*c*) Semivivus præ metu Homatus ægre a comitibus reſtitutus in viam eſt; nam cum ſenſus expers videretur, & vix poſſe a virgulto, cui adhæſerat, diu pendere: accurrentes ſocii eum ſtupentem, imo torpentem periculo eripuere. Illi deinde virgulto eodem, ex quo pependerat, diligentius explorato, retulere jurati in tabulas, tenuius illud viſum eſſe, ac infirmius, quam ut decem librarum pondus ſuſtentare poſſet; hinc certo certius miraculi loco factum hoc Carolo adſcripſere. Ceterum periculum, quod eo die Homatus ſubiit, nocte antecedente Borromeo ipſi imminebat. Nam cum primis tenebris per confragoſas illas Apennini ſalebras adhuc ultra procederet, equorum ſonitu audito, Sacerdos quidam e tugurio egreſſus tranſeuntes illac per tenebras revocans vetuit ulterius progredi. Objiciens deinde viarum non adeundarum pericula, omnes officioſe compulit apud ſe eam noctem divertere. Paruit Cardinalis conſilio, & tenui vix guſtato cibo, reliquam noctis in Æde proxima Sancto Michaëli dicata orans tranſegit, pernoctante alternis ſecum aliquo ſemper ex familiaribus, qui ſtramentis indormiere, ne hoſpiti ſuo ſtrati unius lecticuli commodum eriperent. Orto itaque Sole, ſe omnes in viam dedere, & ex Homati periculo ſtatim didicere, quam ſalutare conſilium fuiſſet iis in rupibus noctu conſiſtere.

(*d*) Ludovicum Monetam ſecum retinuit, & amanuenſem ex domeſticis præter P. Valentinum: reliquos autem omnes per compendiariam viam Lauretum dimiſſos inibi opperiri ſe juſſit. Interim Ipſe in locis illis beatiſſimis Sancti Romualdi mora conſecratis ſex circiter dies verſatus eſt, totus in rerum divinarum meditationem abditus. Adeo autem delectatus eſt Camaldulenſium inſtitutis, ut inſequenti anno ad menſem Auguſtum optaverit, eos Mediolanum inducere ad Ædes SS. Coſmæ & Damiani in Monte-Forti, quæ tum erant in Monachorum Baſilianorum jure, deinde etiam in Vici Boldoni ſolitudinem tranſferre; licet utrumque conſilium exitu caruerit.

(*e*) Tertio Nonas Septemb. in Alvernis Montibus erat: cumque mentis oculos in ſtigmata Seraphico Patriarchæ impreſſa intendiſſet, ejuſdem filias in Mediolanenſi Sanctæ Praxedis Aſceterio per ejus veſtigia euntes animo excidere non eſt paſſus; quare illas amantiſſime Sancto Patri eo in loco commendavit, ut aperte teſtatur Carolus in epiſtola ſua ad Monaſterii illius Præſidem eodem die ſcripta.

(*f*) Intellige hìc Urbinatium Ducem Franciſcum ſibi amiciſſimum & affinem; nam ejus Sororem Comes Federicus Caroli frater Uxorem duxerat, ut alibi vidimus. Ille ad Ditionis ſuæ fines obvius Carolo fuit cum Urbini Archiepiſcopo, & honoris gratia ad multum etiam viæ deduxit.

Digitized by Google

millia (*a*), post nocturnas horas inter pia suspiria, lacrymasque consumptas, Sacrorum tamen solemnia, quibus Natalitius Deiparæ dies colitur, celebrare Ipse, & concionem habere ad Populum voluit, plane, ut vulgo crederent evidenti Ipsum miraculo humani corporis necessitatibus esse subductum.

Verum ego multo mirabiliora esse crediderim, quæ in ejus adventu paulo post Romæ evenerunt (*b*). Cum enim ob factiones, & odia inimicorum, non nisi turbinibus, ac procellis obviam ire se crederet, tanta rerum, animorumque mutatio fuit, ut minacibus nimbis repente discussis serena omnia, & tranquilla inveniret. Equidem ea, quæ de Ipso referam, documento erunt, raro durare calumniis fidem, verisque virtutibus etiam malevolorum insidias ad splendoris, & gloriæ incrementa proficere.

CAPUT II.

Peramanter a Summo Pontifice exceptus multa cum eo transigit. Romani populi Principumque summa in Eum benevolentia & admiratio. Romam Mediolanensis Urbis nomine Legati in Carolum destinantur, atque adveniunt.

1579. NOndum inierat Romana mœnia Carolus; cum illico animadvertit, quantum sibi polliceri a Superis posset, quorum opem per anteacti itineris spatia imploraverat. Multi Purpuratorum, aliique Augustæ Aulæ Proceres in occursum venerant, prosperum Ejus adventum, non tam Illi, quam sibi ipsis humanissime gratulantes. Innumera populi multitudo extra portas effusa stipaverat vias (*c*) desiderio videndi hominem tot laudibus clarum, laboribus invictum, nunc sicariorum furori, nunc pestilentiæ periculis mirabiliter ereptum, & quo rebus adversis gravius premeretur, eo illustrius triumphantem. Urbem ingressus, crescente in singulos fere gradus prosequentium agmine, ad S. Praxedis Ædes, quas in titulum obtinebat, recta tetendit (*d*). Postero die cum Apostolorum Principis sepulcrum adire, atque inde auspicari agendarum rerum initia cuperet, concursu Principum Romanorum inhibitus est, quorum officia vix finem habitura erant, nisi illum Pontifex in Suburbanum, quo animi causa secesserat, evocasset. Omnibus ibi benevolentiæ testimoniis exceptus (*e*) primo statim congressu quartum Provinciale Concilium vindicare ab inimicorum calumniis instituit. Novum sane Pontifici visum est aliquid improbari, cujus auctor Carolus esset. Itaque singulas Concilii partes per se ipsum cognoscere aggressus, postquam nihil non sanctum, ac laudabile apparebat, opti-

(*a*) Totidem nimirum numerantur, si spatium metiaris, quod Sempronii Forum, unde pedibus ire cœpit Borromeus, & Lauretum interjacet. Comitem tamen in hoc itinere laborioso habuit Urbini Archiepiscopum, qui Caroli pietatem æmulatus, pedibus totam pariter eam viam emensus est, sed uberrimum voluptatis sensum ex Ejusdem consuetudine percepit. Erat adhuc Laureti Carolus nona Septembris die, qua P. Valentinum Ferrariam remisit, & Vastallam deinde petita primum venia a Præside Societatis Jesu legavit, ut orbam Gonzagam familiam pietate sua solaretur, ac recrearet; quemadmodum in Lauretano itinere suam Ipsius religionem colloquiis piis inflammaverat, ut ipsemet Cardinalis scripsit.

(*b*) Almam Urbem iniit Cardinalis Idibus Septembris, ut patet ex Ejus literis ad Bonhomium datis, verius credo, ne amantissimum sui Pontificem maturiore adventu offenderet, qui dum in via esset, monere Illum per Specianum iterum voluerat, ut gravius Romæ cælum, suæque valetudini obfuturum ante Idus Septembris refugeret.

(*c*) Tot ad Eum hominum concursus facti sunt, dum Romam accederet, ut constet ex tabulis Carolum a Ponte Milvio, qui duo ab ea Urbe distat millia passuum, per continens semper effusæ multitudinis agmen ad mœnia successisse.

(*d*) Elusit hoc pacto multorum Cardinalium piam & officiosam vim, qui inter se de Borromeo excipiendo certabant. Neque enim parva in iis eminuit cura, ut sibi id honoris vindicarent. Inter ceteros Cardinalis Altempsius amice per literas minatus Illi fuerat, ut caveret quam maxime Sanctæ Praxedis Ædes hospitii causa ingredi; vetueratque eas etiam supellectile ornari, antequam illuc Borromeus accederet, imo Joannem Baptistam Pusterlam familiarem suum obvium præmiserat, qui venienti Palatium suum suis verbis offerret.

(*e*) Rusticabatur tum Tusculi Pontifex, & ea conclavia Borromeo designavit, quæ antea in consanguineorum ejus Cardinalium usum destinata erant. Narrat Seneca Borromei comes, auditam a se aliquam eorum Cardinalium admurmurationem mirantium, se præ Borromeo in postremis a Gregorio haberi. Nullam certe omisit Pontifex aut benevolentiæ aut observantiæ significationem, quo tempore Caroli consuetudine delectatus est.

Digitized by Google

timum duxit aliquem deſtinari, qui Cardinalem Senonenſem, cui Concilii cenſura jam pridem commiſſa erat, de re tota interrogaret. Miſſus Antonius Seneca, cum ſimul mandata Pontificis, ſimul totius diſſidii cauſas fuſe expoſuiſſet: tum vero Senonenſis, depromptis libellis, quorum ingens volumen adverſus Concilii ſanctiones empti malignis officiis [a] accuſatores detulerant: „ Hæc ſunt, inquit, „ impedimenta, quæ me tamdiu dubium in „ hac cauſa tenuerunt. Nunc re altius co„ gnita, nihil habeo, quod objiciam; ac de„ mum apertius intelligo, nihil in judi„ ciis periculoſius eſſe credendi facilitate. „ Ego Cardinalem Borromeum ſupra homi„ nem ſapere exiſtimo; atque ita judico, „ Apoſtolicam Sedem beatam fore, ſi duo„ decim Cardinales ei ſimiles haberet " (b). Hoc reſponſo accepto, haud ultra cunctatus eſt Pontifex, quin omnia Concilii decreta auctoritate ſua firmaret (c). Octiduum ea conſultatio tenuit, quo tempore Carolus Pontificiam aulam ita in venerationem ſui, imo ad imitationem adduxerat (d), ut Cardinalis ipſe Guaſtavillanus Pontificis Nepos, conſiderato veſtium cultu, quo Borromei familiares utebantur, familiam ſuam ad ejuſdem modeſtiæ inſtituta reformaret.

Romam inde reverſus (e) pergebat explere deſideria Cardinalium, quibus nihil ejus congreſſu jucundius eſſe apparebat. Hanc ipſe benevolentiam fovebat ſuavitate officiorum, & æſtimatione ſapientiæ, cujus in omni ſermone ſpecimen dabat. Duos certe ex eorum Collegio præcipuos, quos antea parum propitios rebus ſuis habuerat, perſpicuis inter crebra colloquia virtutum indiciis adeo ſibi conciliavit, ut nemo promptius impoſterum cauſam ejus defenderet. Aſperitatis notam, quam individuam ſanctitatis comitem eſſe temere quidam exiſtimant, quo facilius effugeret, nonnullos eorum quotidie ad menſam invi-

(a) Jam ſupra attigimus nullis emptos aliorum officiis fuiſſe accuſatores, ſed ſuum unice dolorem ultos eſſe, propter cauſas capite ſuperiore allatas:

(b) Subdidit deinde idem Cardinalis Senonenſis Legato Senecæ, *filium ex fratre ſibi eſſe, qui in Gallias dte poſtero eſſet iturus: tamen velle ſe, ut ab itinere ſuperſederet, donec Carolus Romam redux ſuam poſſet proficiſcenti benedictionem impertiri.* Revera dilato itinere, cum ad Sanctæ Praxedis Ædes Borromeus remeaſſet, poſt aliquot dies, eum illuc miſit ad primam noctis vigiliam, ut optata benedictione munitus Roma diſcederet. Exinde quanta de Borromei ſanctitate concepta eſſet a Senonenſi opinio, docent ejuſdem literæ anno inſequente XV. Cal. Majas ad Borromeum datæ, quibus rogavit „ ut „ Conciliorum ſuorum exemplaria ad Cardinalem „ Borbonium in Gallias mitteret, eumque exſtimu„ laret ad Tridentini Concilii Decreta eo in Regno „ promulganda ". Addidit deinde magnificam hanc rationem: „ quidquid enim Carolus hac ſuper re ad „ illum perſcripturus fuiſſet, non aliter acceptum „ iri a Borbonio, ac ſi ab altero Sancto Ambroſio „ illud audiſſet.

(c) Antequam Conciliam illud auctoritate ſua corroboraret, remotis arbitris omnibus, & uno Caſolo adhibito ſocio, exacte Decreta omnia revocavit ad tractinam Pontifex ipſe; eoque tandem quatuor horarum ſpatio diligenter perpenſo, pronunciavit: „ Nihil in eo apparere, in quo ſanctitas, Eccleſia„ ſtica diſciplina, & animarum utilitas mirifice non „ deprehenderetur " ut in tabulis lego.

(d) Turbari ſuam ruſticantium voluptatem Cardinalis adventu Aulici dictitaverant: Illo autem diſcedente quietem & delicias amiſſas fuiſſe confeſſi ſunt. Adeo compoſiti mores omnium, & imbuti ad virtutem Caroli exemplo fuerant, ut ſex iis diebus (totidem enim Carolus ad Bonhomium ſcribit ſe ruri cum Pontifice fuiſſe) Tuſculana Villa ab Aſcetarum clauſtris nihil differre diceretur. Quotidie ſub meridiem Pontificis ipſius menſæ accumbebat; veſpere incœnatus cum geminis domeſticis ſuis ea digerebat, de quibus in diem ſequentem cum Gregorio erat conſultandum. Hic eo tempore voluit in Caroli Sacello aliquando adeſſe, dum Sacris operaretur, & quodam reverentiæ ſenſu admovere ſacris ejus veſtibus dignatus eſt venerandas manus. Pomeridianis vero horis per Tuſculi vineas comitem ſecum ducere ſolebat Cardinalem; atque aliquando accidit, ut deambulando fatigatus Pontifex inexplebilem ſitim ad cœnam afferret. Cum autem potio eidem offerretur, obſervavit Carolus Gregorium contentione licet fractum, ſiti tamen indulgere noluiſſe. Admiratus tantam temperantiam Borromeus, crebrò factum hoc cum ſumma Pontificis laude commemorare deinde ſolebat Joanni Fontanæ Metropolitani Templi noſtri Archipresbytero, (qui hæc deinde ſcriptis conſignavit), & in hæc verba identidem erumpere: *O admirandam vere ſobrietatem! O Pontificem abſtinentiſſimum!* Tam magnifice nimirum de aliena temperantia ſentiebat, qui tam demiſſe ſentiebat de ſua.

(e) Antequam Romam reverteretur, reperio etiam in Ejus literis, agitata nonnulla de Eccleſiaſtici ſui Tribunalis poteſtate. Per eos enim dies acceperat, Mediolani Cuſanos Nobiliſſimos fratres Gubernatoris juſſu in carcerem conjectos, eo quod ad Eccleſiaſticam Curiam provocaſſent.

Digitized by Google

vitabat [a], ita quidem inſtructam, ut neque lux, neque inopia ciborum faſtidium creare accumbentibus poſſet. Qua occaſione arctiſſimas etiam frugalitatis leges, quas ſibi indixerat, aliquantulum relaxare non dubitavit, ne hilaritatem convivii intempeſtiva ſeveritate turbaret. Eadem benignitate erga inſignes alios dignitatibus Viros utebatur, quos nunquam ab epulis, niſi ſalubri aliquo conſilio inſtructos dimittebat.

Sed multo potiora conſiliis ad permovendas hominum mentes erant illæ inſomnes ad ſepulcra Martyrum, aut altaria noctes, ille concionandi ardor, illa quotidie circumfuſa S. Praxedis Ædibus pauperum multitudo, aliaque id genus exempla pietatis [b], quibus eam de ſe ipſo opinionem multis injecerat, ut quoties prætereunti occurrerent, tanquam Cælitum aliquem veneraturi in genua procumberent (c).

Hæc Mediolani nunciata, quo gratiora univerſo Populo erant, eo acrius Gubernatoris animum irritabant. Indignabundus, & fremens, cum ad iræ ſolatium nova ſemper conſilia, novas artes exquireret: fuere, qui dicerent, nihil utilius in ea cauſa videri, quam ſi duo præſtantis ingenii viri ex Decurionum Ordine Romam mitterentur, qui magnifico in ſpeciem titulo profectos ſeſe ad vindicanda Mediolanenſium privilegia dicerent. Frigide, ac ſegniter hactenus per epiſtolas actum: aliam profecto fore Pontificis ſententiam, ubi non mortuas literarum voces, ſed clamorem uni-

(a) Cardinales eos omnes, qui tum Romæ erant, alternis vicibus ſuo dignari convivio voluit; neque ullus ex iis fuit, qui aliquando cum Ipſo non accubuerit. Interim ciborum frugalitate eos edocebat, aliquid de exquiſito conviviorum luxu remittere, ſacraque lectione adhibita, dapium voluptatem divini cibi ſuavitate condire. Hinc aliquos Cardinalium ſibi adeo comitate ſua devinxit, ut exinde per literas non erubuerint arcana Illi mentis, & conſcientiæ omnia aperire, ſuumque conſilium, aut medicinam implorare, ut plurimæ eorum epiſtolæ in Bibliotheca noſtra aſſervatæ declarant, & præcipue Cardinalis Cornelii.

(b) Natalem Chriſti Domini noctem totam evigilavit, & ſolemni ritu nocturnum Sacrum in Vaticana Baſilica fecit, quo peracto, ad Ædem S. Mariæ ad Præſepe uſque ad auroram in rerum cæleſtium meditatione conſtanter ſe tenuit; inde ad Vaticanam remeavit, ubi Sacris operanti Pontifici ante meridiem adſtitit. Neque fortaſſe a vero abertraverim, ſi aſſeram tot precibus Deo enixe tum commendatam a Carolo Oblatorum Sancti Ambroſii Sodalitatem. Cum enim ſemper Ejus animo hæreret, tum maxime infixa erat illa Societas; nam paulo ante literas ad Joannem Fontanam, Joannem Paulum Caimum, & Octavianum Abbiatum de Foreriis Metropolitani Collegii Canonicos Ordinarios dederat, quibus imperabat, ut ad Natalitios Chriſti Domini dies haberetur univerſæ Oblatorum Congregationis conventus in Sancti Sepulcri Ædibus, ubi tyrocinio poſito, Oblati omnes voto obedientiæ emiſſo in Inſtituto ſuſcepto confirmarentur. Idcirco nomenclaturam omnium, aliaque plura præcepta longa Inſtructione comprehenſa ad illos miſerat; quæ omnia apertiſſime docent, nihil magis eo tempore Borromeum verſaſſe animo, quam ut aliquibus jam fundamentis innixam eam Congregationem, ſed adhuc nutantem, firmiſſime in poſterum ſtabiliret.

(c) Nimius ſim, ſi perſequi velim ſingula, quæ Carolus Romæ præſtitit, atque ad augendam conceptam de ſua ſanctitate opinionem mirabiliter geſſit. Unum ſeligere placet, cujus fama in omnes nationes permanavit, quodque impreſſæ æneis typis imagines exterorum etiam oculis obtulerunt. Innuam nimirum Borromei acceſſum ad Ædem Sanctæ Mariæ in Vallicella, quæ jam ſtrenue ædificata ab Oratorii Patribus erat. Ibi IV. Nonas Octobris Sacrum fecit Carolus ſummo mane; tantique repente hora licet intempeſta facti ad Eum concurſus ſunt, ut Synaxis uſque ad multam meridiem protraheretur. Eo die Martinus ab Azpilcueta cognomento Navarrus Vir ſcriptis ſuis celeberrimus Sacro faciendo abſtinuit, ut ex Borromei manu Angelorum Panem acciperet. Apud eos Patres deinde pranſus Cardinalis collato capite cum Philippo Nerio Oratorii Inſtituta recognoſcere voluit; Concionibus ſub veſperum de more habendis interfuit; ultimo cœnatus ibidem cubare voluit, & mane poſtero diſcedens, atque ad Patres converſus: *O vos*, inquit, *beatos, qui tanti Magiſtri diſciplinæ, & inſtitutis utimini!* Ceterum frequentiſſima Illi etiam alias cum Nerio conſuetudo fuit, donec Romæ permanſit. Quatuor continentes horas cum eo colloquia protrahere, preces Canonicas ſimul recitare, conſultare de Oblatorum legibus, de impertiendis eleemoſynis deliberare, pro novorum domeſticorum delectu rogare illius ſententiam, ejus manum genibus flexis oſculari, vota frequentia, & curæ Borromei erant. Contra Philippus ſummæ in Eo ſanctitatis cumulum admiratus, teſtatus deinde eſt cæleſti lumine perfuſam Caroli faciem ſibi viſam fuiſſe. Cetera autem quid enumerem? Inſtar omnium erit dicere pervagatam per Italiam hoc tempore tantam Borromei famam, ut non ſine admiratione legerim in aliquot rerum, quæ in Italia ea ætate gerebantur, Diariis MSS. a Michaële Ciliano & ad Jo. Vincentium Pinellum miſſis, extitiſſe nobilem Caroli virtutum commemorationem; ſcribit enim Auctor ille: *Roma Borromei Cardinalis operâ frigida admodum fuiſſe Bacchanalia, Eamque ſemper nudis tabulis inſtaurare conſuevisse.*

Digitized by Google

universæ Civitatis in Oratoribus suis audiret (*a*). Consilio accepto, nulla mora facta, quin Urbis Concilium cogeretur, cui Magnum insuper Cancellarium interesse placuit, ut singulorum scilicet vultus, nedum verba notaret. Constat quamplures Procerum, penes quos Civitatis regimen erat, ac fere prudentissimum quemque abstinuisse Concilio, ne Patricium nomen indecora adulatione inquinarent (*b*). Ceteros aut spes aliqua, aut metus adduxit, ut mallent amici Principis, quam gloriæ suæ videri. Legati, qui Romam irent, ex intima Gubernatoris familiaritate delecti: descripta artificia, quibus in legatione uterentur: designati defensores, quos ad causæ patrocinium assumerent. Quæ ubi in publicum manavere; tanta Civium indignatio fuit, ut res prope seditionem venirent. Indignum omnibus videbatur paucorum hominum calumniis totius Civitatis nomen affingi, atque hanc gratiam rependi Archiepiscopo, a quo tot, ac tanta beneficia nuperrimè accepissent (*c*). Commode accidit, ut de omnibus, quæ in Concilio acta erant, illico Carolus per amicorum literas moneretur. Quibus secreto congressu cum Pontifice communicatis, post composita simul responsa, quibus & Legatos excipi, & dimitti oporteret (*d*), communi

(*a*) Capta hujus consilii occasio est ex Riccardi epistolis, qui ad Cives scripserat: *Dum conscriptus Civitatis nomine libellus manu sua Pontifici offerretur, admiratum Gregorium rogasse, cur Mediolanensis Civitatis quælibet certos Legatos ad se non deferrentur.*

(*b*) Venère mihi ad manus Præfecti Civitatis literæ ad Carolum missæ, quibus hujus injuriæ opinionem a se & Decurionibus deprecabatur. Neque Borromeus ipse expertem hujus criminis Civitatem negavit, cum Mediolanum redux ad Cardinalem Novocomensem XIV. Cal. Majas insequente anno scriberet: „ Tu ipse probe nosti, eam legationem aliun„ de omnino, quam a Decurionum voluntate ori„ ginem habuisse.

(*c*) Facti totius ordinem habemus ex Nicolai Galerii Vicarii literis ad Carolum datis sub anni istius exitum, pridie scilicet, quam Legati se in viam darent: „ Missi isthuc Oratores sunt, invitis, „ imo dolentibus LX. Urbis Decurionibus. Concilio horum indicto ex Ayamontii mandato, dictum „ est congregatis: statutum ab illo fuisse, ut Romam „ Urbis universæ nomine Legati mitterentur; quo „ tandem controversiis de jure Ecclesiæ Mediolanensis agitatis finis imponeretur. Responsum ab „ aliquibus fuit: Dissidia hæc nullo modo ad Cives „ spectare: legationem hujusmodi dispendio Civitati „ fore: alios demum administros, qui fideliorem „ navaturi operam essent, Ayamontio non deesse. „ Reposuere qui Demarcho favebant: Jam de hu„ jusmodi rebus esse deliberatum: ne hiscere quid„ quam auderent, nisi oleum camino addere vel„ lent; imo adjecere, esse in Ayamontii potestate „ Urbis Ærarium omnino affligere; si nimirum „ LXIV. aureorum millia a Civibus exigeret, quæ „ ex Regia pecunia pestilenti anno mutua iis data „ fuerant: quare insuper minati sunt summam hanc „ e vestigio repetendam. Sic inter minas precesque „ pronunciaverunt eorum nomina, qui legatione „ erant functuri; neque ullum recitavere ex Decu„ rionum numero contra vetus Urbis institutum. „ Consecuta ex hoc ingens admurmuratio est: cum„ que omnes hærerent ancipites, ille ipse, qui no„ mina recitaverat, nemine assentiente, volebat „ id ratum haberi. Quare Decuriones ultimo in san„ ta tempestate ad hanc confugêre anchoram, ut „ dicerent, electum iri a se Patricios quatuor, qui „ postulata Urbis ad Pontificem deferenda conscri„ berent. Verum hac cura illi deinde sunt liberati; „ quandoquidem conceptus jam supplex Libellus fue„ rat, quem Legati ab Ayamontio accipere malue„ runt. Neque aliud in consultatione actum est, „ quam ut de summa pecuniarum Legatis numeran„ da deliberaretur. Mille itaque & quingenti nummi „ ex Civitatis ærario iis destinati sunt. Communis „ est omnium dolor & querela clamantium, inustam „ hoc pacto innocuæ Civitati infamiæ notam; quin „ imo multi ad me venerunt orantes, ut Tibi rem „ universam, prout acta est, explicarem, & cer„ to testaretur publico eorum nomine, id dum„ taxat per vim fuisse extortum. “ Hactenus Galerius, neque ab eo dissentit Joannes Fontana rem totam pariter eodem ordine Carolo describens, atque addens, omnia sibi expolita fuisse ab Equite Joanne Arcimboldo, qui præsens in hoc Urbis Concilio fuerat. Hoc unum insuper adnotavit, geminos Legatos VII. Calend. Januarii Mediolano discessisse. Hujus deinde legationis auspicia capta reperio publico hastiludii propósito spectaculo, cui author ipse Ayamontius cum Liberis interesse voluit. Hic itaque celeberrimæ expeditionis ordo, & series, ad cujus complementum dies una habiti Concilii ignorabatur atro lapillo notanda; sed ad eam designandam præsto mihi fuere doctissimi Patricii, & Demarchi D. Theodori Alexandri Trivultii adversaria omnigenæ eruditionis genere referta, ex quibus eruitur tumultuarium hujusmodi Concilium habitum XIV. Calend. Decembris fuisse; & præterea emendatur Galerii epistolæ locus, qui scripsit fuisse in Philippi Regis ære Civitatem nostram propter accepta mutuo LXIV. aureorum millia, cum dumtaxat sexagies mille deberet.

(*d*) Concinnata a Carolo primum fuit responsio literis a Riccardo oblatis, quam a Summo Pontifice digestam ad finem Cap. IV. in hoc Libro recitabimus. Deinde conditum, qua ratione Legatos Gregorius exciperet, & subinde dimitteret. Neque a condicto latum unguem discessit Pontifex, testante postea per literas Speciano, permansisse Eum semper in suscepto ex Borromei sententia consilio, frustra li-

Digitized by Google

muni demum consilio decretum est, ut cum primum Legati Romam perveniissent, propero Ipse discessu Mediolanum reverteretur.

Alias porro utilitates crebra illa cum Pontifice colloquia Carolo pepererunt. Nam & opulenta latifundia Seminariis suis, & Helvetico Collegio attribui curavit (*a*), & saluberrimas constitutiones, quibus hodie Mediolanensis Ecclesia regitur, supremæ Sedis oraculo confirmari (*b*). Neque idcirco licet, & diu obstrepentibus Legatis. Præterea ante hoc tempus plena amoris, & obsequii epistola reddita Borromeo fuerat a Metropolitani Mediolanensis Collegii Canonicis in hæc verba:

„ PErspecta nobis quidem fuit semper; nunc vero „ grata, ac jucunda extitit pietas Tua: cum & „ de ratione Tui itineris, & de Tua in nos, no„ strasque res voluntate per literas Tuas nos cer„ tiores feceris. Quare cum Tibi gratiam referre „ non valeamus, immortales agimus gratias, gra„ tiam semper habituri. Nos Te abfuturum diu a „ nobis & dolemus, quod carebimus fructu sanctis„ simæ Tuæ præsentiæ, ac jucundissimæ Tuæ consue„ tudinis: & lætamur, quod Te absentem omnia, „ quæ nobis, & Ecclesiæ nostræ usui, atque orna„ mento esse possunt, consecuturum speramus. No„ vimus enim Te ad omnia, quæ providenda sunt „ pro Republica Ecclesiastica, animo, & consilio „ adeo paratum, atque indefessum, ut nisi perfe„ ctis rebus non conquiescas. Nunc vero in omni„ bus Tuis rebus, vel potius Ecclesiæ Tuæ, no„ strisque optatis Deum Optimum Maximum Tibi „ tantum tributurum confidimus, ut quam expectatio„ nem jamdiu de Te habemus, hanc Te præstatu„ rum minime dubitemus. Quod autem, ut si quid „ esset, quod aut nostra, aut Ecclesiæ nostræ inter„ esset, certiorem Te faceremus, nos admones: „ cum omnia nostra Tibi perspecta esse sciamus, „ id unum sufficere posse putamus, si Tibi rem „ omnem nostram, nosque totos commendemus, at„ que tradamus. Quem enim aut amabiliorem Pa„ trem, aut diligentiorem Pastorem, aut pruden„ tiorem Ducem, ac Moderatorem Te ipso habere „ possumus? Tu nos, resque nostras, atque Eccle„ siæ nostræ statum omnem, ut diximus, optime „ nosti. Quare Te, omnia ut gubernes, & mo„ derere Tua prudentia, & pietate, rogamus. Quod „ ad nos, nostramque Ecclesiam gerendam attinet, „ illud sic habeto, firmissimumque teneto, omnem „ curam, laborem, assiduitatem, mentem denique „ omnem nos esse adhibituros, ut neque nostro mu„ neri, neque illius dignitati defuisse, cum veneris, „ intelligas. Nos a Te summis precibus contendi„ mus, ut nos, nostramque Ecclesiam quam com„ mendatissimam habeas, Tuæque valetudini maxi„ me consulas, quam Deus Optimus Maximus diu „ conservet. Mediolani IX. Cal. Octob. MDLXXIX.

Tui devotissimi Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Tuæ Mediolanensis.

Has itaque literas sibi a Speciano lectas Pontifex arripiens, & gaudio gestiens: *Mihi*, ait, *serva epistolam hanc futuram certissimum Mediolanensium amoris erga Cardinalem pignus & testimonium. Hac refellam, quæ objecta in literis fuere, & Legati objicere possent de communi in Borromeum excitato odio.*

(*a*) Præposituram Sanctæ Crucis in Agro Novariensi, & Sancti Antonii Præceptoriam prope & extra Papiæ muros Helvetico Collegio cum impetrasset, domestica Seminarii Sacella etiam Pontificiæ Indulgentiæ donis augenda curavit. Hinc a grege suo nunquam dimovens oculos, Decimas Clero Mediolanensi imperatas popposcit imminui, quarum media parte Clerus deinde absolutus est. In Sancti Sepulcri Ædibus Sacerdotes Oblatos stabilivit, utque eam Societatem validius confirmaret, eximiorum virorum agmen eidem accensendum Roma discedens secum duxit: Seminarienses alumnos Græcis & Hebræis literis informari studuit; in ipso autem Seminario Typographiam excitavit, cui Dominicus Ferrus præesset, imperavitque ut Ludovici Granatensis Conciones prælo subjicerentur; eas enim Carolus semper in deliciis habuit, sibique cum usui esse voluit, tum aliis etiam mirifice commendavit. Ad Fulcuini Basilicam Cleri Collegium, seu Seminarium, de quo alibi diximus, erexit, & Somascha Seminarium Celanam transtulit. Reparaturus deinde Mediolanensi disciplinæ illata a maledico illo Oratore damna, ut sententia in eum pronunciaretur, postridie Calend. Decemb. perfecit, quæ utpote retinendæ Urbis disciplinæ apprime utilis, luculentum etiam moderationis suæ testimonium exhibuit. In Helvetios deinde transtulit animum, in quorum Uranienſe Oppidum Capuccini ut inducerentur laboravit, re cum illorum Romano Præside transacta; in quo Equitis Rollii votis, & nationis ejus religioni multum se deferre ostendit. Breviter, quæ Carolus Romæ negotia insuper distinuerint, accipe ex Ejus responso ad Bonhomii literas, qui in Germania audiens a Gallorum Legato diu Romæ mansurum Borromeum, anxius rogaverat quamdiu illic esset futurus. Respondit enim: „ Ego a diuturniori mora certe abhorreo; licet „ Gallorum Orator me hic diutius fore affirmave„ rit. Neque alia de causa in hac Urbe versor, nisi „ propter Ecclesiæ meæ tempora. Mensem jam in „ hac Curia hæreo, & quidquid expedii, ad Dioe„ cesim meam, aut Provinciam pertinet. Nulla me „ spes alia sustentat, quam fore, ut instante Qua„ dragesima Mediolanum revertar. " Nisi tædium legentibus creare refugerem, XIV. Pontificiarum Brevium Literarum titulos apponerem, ex quibus appareret quot Ille facultates in suorum, Provinciæque commodum Romæ degens hoc tempore impetraverit. Quid plura? Neque iter ipsum beneficiorum expers esse voluit; ab ea enim Urbe digressus cum Florentiæ esset ad Specianum perscripsit *pro Almutia S. Stephani Canonicis impetranda*, cum ibi postulatoriæ ejus Collegii literæ sibi redditæ fuissent.

(*b*) Quanto beneficio Ecclesiam ornasset Concilia defendens, neque ipse dissimulavit Borromeus, qui ocyus eorum exemplaria per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, & Lusitaniam transmittenda curavit. Sed præcipue hæc cedere in Provinciæ suæ commodum testatus est literis ad ejusdem Episcopos datis, quas ex Authographo ipso fideliter reddo:

„ Re-

Digitized by Google

eo ceſſabant malevoli homines dictitare, eum non ultro abſceſſurum finibus Romanis, jamque in Vicarium ſuum a Pontifice deſtinari, quo ſpecioſius ſcilicet ſub ejus tituli dignitate exilii nomen lateret. Quod adeo Romæ pro certo habitum eſt, ut nonnullæ mulieres turpi lucro vivere aſſuetæ proſcriptionis pœnam, quam ſub novo Vicario vitari non poſſe crediderant, voluntario diſceſſu præverterent (*a*). Ipſe interim ad Vicarium ſuum Mediolani agentem literas dederat enixe monentes, ut Edicta omnia, quæ tunc maxime in controverſiam venerant, renovaret, ne vana credulitate pro expunctis, abrogatiſque a populo haberentur (*b*). Inter hæc Oratores Me-

„ REverendiſſime Domine. Eccleſiæ, ac Provin-
„ ciæ meæ negotia, quod Amplitudo Tua Re-
„ verendiſſima optime novit, me Romæ aliquot
„ menſes tenuerunt; quo tempore, quamvis non
„ mediocrem ſane moleſtiam inde perceperim, quod
„ ab Eccleſia mea, a qua ægre divelli ſoleo, tam lon-
„ ge, tamque din abeſſem; hoc me tamen conſolatus
„ ſum, quod quarum rerum cauſa me ad Urbem
„ contuleram, eas ferme omnes Dei ope & gratia,
„ ac Summi Pontificis ſingulari pietate ita tranſe-
„ gi, ut & complura, quæ ad Eccleſiam meam Me-
„ diolanenſem pertinebant, bene conſtituerim, &
„ quod ad Provinciam attinet, Concilia noſtra Pro-
„ vincialia Quartum & Quintum, dum Romæ eſſem,
„ recognoſci curarim, quæ jam nunc typis tradita,
„ brevi, Deo volente, edentur; & nonnulla etiam a
„ Summo Pontifice impetraverim, quæ vel totius Pro-
„ vinciæ noſtræ, vel aliquarum ejus Eccleſiarum ratio-
„ nibus accommodata erunt, atque opportuna: quo
„ in genere aliquarum Ejus Sanctitatis literarum exem-
„ pla ad Amplitudinem Tuam propediem mittam. Qua-
„ propter ſicut nos omnes eo nomine preces Deo
„ plurimas fudimus; ſic illi quidem gratias & agere,
„ & habere debemus maximas. Ego vero poſtea-
„ quam Mediolanum reverti, feci ſtatim, quod
„ Summus Pontifex juſſit, ut me ad Civitatem &
„ Diœceſim Brixienſem obeundam & viſitandam con-
„ ferrem, quo in officii munere aliquam partem hu-
„ jus Quadrageſimæ, ac nonnullos dies poſt Reſur-
„ rectionis Paſcha conſumam. Deus Amplitudinem
„ Tuam incolumem perquam diu conſervet. Brixiæ
„ VIII. Cal. Martii MDLXXX.

Amplitudinis Tuæ Reverendiſſimæ

Frater ſtudioſiſſimus
C. Cardinalis Tit. Sanctæ Praxedis.

(*a*) Hic etiam Mediolanenſes rumor occupaverat, & perlatus ad S. Andreæ Avellini aures eumdem impulit, ut Carolum ipſum de rei veritate ſciſcitaretur III. Idus Novembris: „ Multi Cives tui ſtudio-
„ ſiſſimi, & præſertim ex Equeſtri ordine Cuſani
„ Fratres, & Comes Paulus Camillus de Marlianis
„ mœrore una cum Collegii mei Patribus conficiuntur;
„ quandoquidem invaluit pernicioſa vox, aut jam
„ dimiſſam a Te fuiſſe, aut certe dimittendam eſſe
„ Eccleſiæ hujus adminiſtrationem. Næ, ſi hoc Superi
„ unquam patiantur, ſane perditam funditus omni-
„ no hanc Urbem velint. Etenim licet animarum
„ fructus neque Tuis, neque noſtris omnino votis
„ reſpondeat; quot interim mala ſublata Te authore
„ ſunt, & quantum boni inductum? Aliqua me adhuc
„ ſpes lactat fore, ut hoc neque ad hanc diem ac-
„ ciderit, neque certe ſit eventurum. Tamen recrea
„ me, obſecro, certiore aliquo ſuper hoc nuncio, atque
„ animum iis redde, quibus diſſeminata hæc fama
„ profecto abſtulit.

(*b*) Plura timuit Carolus, ne hoc tempore Mediolani turbarentur. Primo ne ad Baſilicæ Maximæ latera recluderentur portæ, quas muro obſtruendas nuper juſſerat; quare ſcripſit, ut ad tuendum ſuſceptum conſilium geminæ inſuper Arcæ iis in locis exſtruerentur, quo ſaltem adverſariis religionem aliquam incuteret. Mandavit etiam, vetus organum ab remotiore in Eccleſia loco ad Odei latus transferri, quod difficulter antea tentaverat; imo etiam novum aliud juxta addi. Maxime tamen omnium commoverat Carolum quod a Vicario ſuo intellexerat: celebrata nimirum fuiſſe publica die feſto haſtiludia, quibus ipſi Gubernatoris filii interfuerant. Solicitum etiam Cardinalem habebant choreæ publicæ, in quibus impune debacchari licentiam plurimorum audierat. Audi quid de hac libertate perſcripſerit ad Eumdem Carolus de Auguſtinis Doctrinæ Chriſtianæ Sodalitio Præfectus: „ Ex quo hinc abfuiſti, Paſtor
„ Illuſtriſſime, exarſit quidem Societatis noſtræ uni-
„ verſæ ſtudium in fundendis ad Deum precibus pro
„ tuenda hujus Eccleſiæ cauſa, quam Tibi unice com-
„ miſſam ſcimus. Neque diebus dumtaxat feſtis, verum
„ etiam quotidie ſinguli ex Sodalitio noſtro hanc Deo
„ commendant; obſecrationes autem hujuſmodi ab eo
„ amore proficiſcuntur, quo Tibi obſtricti ſumus uni-
„ verſi. Pro certo habe, ſeptem millia ex hoc noſtro
„ cœtu eſſe, qui *genua ante Baal non curvaverunt*.
„ Verum hoc non ſine lacrymis dico, optima a Te
„ relicta inſtituta publicis choreis fuiſſe funditus ever-
„ ſa. Choreas conſecuta ſunt infinita mala, cædes,
„ atque inimicitiæ, Deo detractus ubique honos,
„ animarum ſalus perdita. Dictitatum eſt palam,
„ ſpectaculis hiſce Pontificium etiam favorem ac ſuf-
„ fragium acceſſiſſe &c. “ Itaque modum aliquem tantæ licentiæ impoſiturus Borromeus Nicolao Galerio Vicario ſuo, dum Florentiæ eſſet, vixdum Roma regreſſus, ut decreta in hoc ſua bis jam palam reeitata corroboraret quæſtionibus, quibus contumaces Cives ſtatim ſubjiceret. Epiſtolæ ſumma, quam ad eum dedit, hæc fuit: Credere ſe propoſito iterum Edicto de publicis ſpectaculis obſequentes Cives fuiſſe; Verumtamen ſi adhuc licentius fureret audacia, ſeveras quæſtiones inſtitueret contra eos, qui auctores fuiſſent. Si tamen pacata viderentur omnia, mitius ageret in eos, qui celebrato paulo ante haſtiludio in Eccleſiaſticos laqueos ſe induxiſſent. Demum ſi ad obedientiam parati reliqui viderentur, caveret, ne aliquam contra Ayamontii filios ſententiam Anathematis pronunciaret, ſed intra privatos parietes, eoſdem nexu omni liberaret. Sed mox recrea-
tus

Digitized by Google

Mediolano missi supervenere lacerati totius Italiæ probris, & quacumque transirent, velut innocentiæ infectatores accepti. Primo statim adventu, cum obsequii simulatione Archiepiscopi Ædes Romæ adissent, colligentem vasa, ac reditum ad suos parantem invenere. Hac novitate perculsi, ac prope exanimes, quonam ille tam præceps Cardinalis discessus spectaret, taciti secum, multisque simul cogitationibus anxii reputabant. Adeo videlicet legationem suam contemni, ut neque digni haberentur, quorum Ipse querimoniis responderet. Quid porro dicturos Gubernatorem, & factionis ejus comites, quibus ita se acturos promiserant, ne ultra Carolum Mediolani viderent? Itaque interposita etiam duorum Cardinalium opera, querelis, & precibus accinctum itineri retinere conabantur. Daret hoc Patriæ, immo potius nomini suo, ne aut Civium suorum aspectum aversari, aut rerum desperatione effugisse judicium videretur. Contra Carolus dicere: magno utique in honore Cives suos apud se haberi; non esse tamen, cur Romæ diutius moraretur, quippe cum omnia sua Summi Pontificis arbitrio permisisset (*a*). Ignorabant miseri, de causa ipsa, quam acturi venerant, latam jampridem esse sententiam (*b*), ac sera perditis rebus auxilia se afferre. Enimvero sic vinci æquum erat, qui spem omnem victoriæ in fallaciis suis, calumniisque reponerent, nec satis scirent, indecoros plerumque exitus ex iniquis consiliis reportari.

CAPUT III.

Legatis exceptis, Mediolanum properans, Florentiam, Ferrariam, hinc Venetias digreditur. Quam honorifice de Eo Veneti omnes sua in Urbe, itemque ditione senserint.

1580. Discedentem ex Urbe Carolum summi, infimique Romanorum ad multum viæ extra portas prosecuti, cum divelli ab Ejus aspectu non possent, precibus tandem ab Eo coacti revertebantur, dolorem, quem ex Illius discessu sentirent, silen-

tus Galerii responso est, scribentis, omnia tranquille perfecta, neque quemquam videri nova molientem. Non adeo tamen huic publicæ quieti præsidere Carolus visus est, ut licet eruere ex Epistola ad Specianum data Nonis Februarii: „ Hesterno „ mane (diei scilicet IV. mensis Feb.) Bononiam ingressus sum. Redditæ hic mihi Galerii literæ fuere, „ quibus allatum est, post renovatum Edictum omnia „ festis diebus spectacula conquievisse. Ego tamen „ perpendens, facile erumpere sepultum fortasse incendium posse ad Dominicam diem in Capite „ Quadragesimæ, cum ipsa legis observantia possit „ allegata adversantium jura imminuere, statui ita „ Mediolano distare, ut facilis mihi in Urbem re„ ditus sit ad eam diem, ad quam universi populi „ Synaxim indixi. Quare Venetias nunc contende„ re meas non est, sed Ferrariam dumtaxat digre„ di; quandoquidem hoc pacto diei unius spatio „ redire ad meos possem. Illuc itaque a prandio iter „ instituam, & ex Pontificis voluntate, quæ cum eo „ Duce mihi sunt componenda, transigam. Quod „ vero ad Brixiam lustrandam pertinet, Pontificiam „ voluntatem celabo, & cum in limine lustrationis „ fuero, tum Episcopum commonebo. Eam itaque „ post Pascha differam, & opportune tunc cadet „ iter meum Venetias; quoniam absoluta Brixiensis „ Diœcesis lustratione, quæ Veronensibus conter„ mina est, facilem ad Venetos transitum video: „ Eo autem pergam, si constabit, legationem meam „ posse in Dei honorem vertere.

(*a*) Addidit etiam rogantibus Cardinalibus Alciato & Gallio: liberiorem hoc pacto legationem fore, cum nullum absens Ipse impedimentum posset offerre. Tamen, ne tot se precibus obsistere durius illis videretur, brevi eo tempore, quo Romæ adhuc manût, ad Pontificem Legatos Ipse introduxit, & summa cum eorum laude merita utriusque, ac dignitatem Gregorio indicans, sincero animo Pontificium favorem ipsis conciliavit. Et conciliavit sane; nam Summus Pontifex, ut habemus ex Caroli ipsius literis, cum audisset, celebrata semel absente Borromeo hastiludia fuisse in Urbe Mediolanensi, dum adhuc causa penderet, aperte testatus Cardinali fuerat: nolle se ullo pacto Legatos Urbis audire, utpote qui hanc caulam licentia sua præjudicare voluissent. Quare unus Carolus precibus suis Illum mitigavit, adduxitque, ut Pontificias patêre aures Oratoribus sineret.

(*b*) Quæ sententia Gregorii esset, Cardinalis aperuit Speciano per literas, dum Roma regressus Florentiæ versaretur: „ Ne te quidquam lateat, hoc „ etiam non celabo. Cum ego discessurus ab Gre„ gorio rogarem, quid mihi agendum esset, si Me„ diolani novæ turbæ excitarentur: expectandum „ ne Roma responsum, an secus? Ille respondit: „ si quidpiam in jura Ecclesiæ meæ, aut consue„ tudinem tentaretur, ut partes Episcopi pro viri„ li defenderem, Romana etiam inconsulta Sede, „ & ne minimum quidem de more remitterem “ Sane Pontifex consentire Carolo videbatur, cui totam ferme Apostolicam auctoritatem hac in re permiserat.

Digitized by Google

lentio, & lacrymis indicantes (*a*). Hæc publicæ venerationis, & benevolentiæ ſtudia in cauſa fuere, cur ſerius aliquanto, quam cuperet, Mediolanum rediret. Quacumque enim incederet progredi ultra non poterat, quin rogatus a Magiſtratibus, ac ſimul populi acclamationibus circumventus aliquem præſentiæ ſuæ fructum incolis impertiret. Nullam certe ex multis, ampliſſimiſque Urbibus, quas in reditu adiri neceſſe fuit, ante deſeruit, quam concione in Templo habita, multiſque millibus hominum Divina Dape refectis, ut ſæpe plus laſſitudinis ex hoſpitii mora, quam ex itineris jactatione referret. Florentiæ primum (*b*) cum e ſuggeſto diceret, quanquam in ceteris rebus pietatem populi effuſe laudaret, haud tamen deſtitit objurgare luxuriem fœminarum, quod elegantius ornatæ ad Sacra acceſſiſſent. Multis deinde rebus mutuo conſilio cum amiciſſimo Duce compoſitis, Ferrariam venit (*c*), quo plane tempore Saturnalium ſtudia fervebant. Tenebat ejus Provinciæ Imperium Alphonſus Eſtenſis, a quo regia prope pompa deductus in Urbem omnia repente mutavit. Omnium Ordinum homines obliti choreas, & ludibria ſcænarum ad Templa confluebant Altaris myſteria ex Ejus manu accepturi: ac tanto ſtudioſius, poſtquam Prin-

(*a*) Non Romanorum dumtaxat hic dolor fuit, ſed Cardinalis etiam Madrutii, qui Tridento cum Romam veniſſet ſub ipſum Borromei diſceſſum, ſtatim ad Eum hæc ſcripſit: „ Intime doleo te in „ Alma Urbe a me non fuiſſe repertum, unde „ paulo ante adventum meum exceſſeras: neque tui „ alloquendi occaſionem mihi ſaltem in itinere „ fuiſſe oblatam. Ego itaque unus brevi ſermone „ tuo etiam carui, cum tot aliis datum ſit tamdiu „ ſanctiſſimo tuo exemplo, & voce delectari!

(*b*) Roma diſceſſit IV. Cal. Februarii, ut ad Annam Sororem ſcripſit. Die autem poſtero Capraroläe ſe tenuit in Cardinalis Farneſii Villa. Hinc XXX. Januarii die cum obiter Bagnajæ hortos viſiſſet, veſpere cum ad Sancti Laurentii Vicum divertiſſet, & ſecum animo reputaret quam inani ſumptu emptæ fuiſſent viſæ deliciæ, literas ſtatim ad Cardinalem de Gambara dedit in hæc verba:

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ HOc veſpere ad Sancti Laurentii Vicum perve-
„ ni; & quoniam per errorem ducentium ex-
„ ceſſi e via, quam inire meditabar; idcirco Dei-
„ paræ ad Quercum Ædem inviſere mihi non li-
„ cuit, ut ſummopere optabam. Attamen Bagnajæ
„ Villam tuam ingreſſus ſum, ubi mecum perhu-
„ maniter actum a tuis eſt: die autem ſuperiore
„ Capraroläm, ſcilicet Cardinalis Farneſii delicias
„ inſpexi. Utrobique expendi immodicum luxum,
„ atque effuſiſſimos ſumptus; præſertim cum in altera
„ ex iis villa occurrerint apte diſpoſita aviaria, pi-
„ ſcinæ ſplendide extructæ, imo ſuæ etiam ſilve-
„ ſtribus cupris, damis, & exoticis animalibus at-
„ tributæ ſedes. Id me intuentem vehementer
„ percalit, quod inter tot brutis animantibus com-
„ parata commoda, nullibi apparuit aut hoſpitium,
„ aut ſaltem deſtinatus hoſpitii locus ad perfugium
„ miſerrimorum Pannonum, Bohemorum, & præ-
„ ſertim Belgarum, qui furore Eterodoxorum coacti
„ ſolum vertere, inter hujus ætatis turbas nullam
„ nanciſci turiorem ſedem, quam apud nos, poſſe
„ confidunt. Id tibi nunc potiſſimum commemo-
„ rare volui, quoniam a tuis audivi, meditari te
„ nova adhuc hortis illis ædium, & fontium or-
„ namenta adjungere; tum etiam ut eadem com-
„ memoratione Cardinalem Farneſium exſtimules,
„ ut parcat inanibus expenſis, eique inſuper objicias
„ aliquam ex profugis, & vexatis illis Nationibus
„ peculiariter eſſe illius patrocinio demandatam.
„ Si enim bene meminit de ils, quæ cum eo fa-
„ miliariter collocutus ſum in via, quæ ad Centum-
„ cellas ducit: ſtatuat tandem immodicos hoſce
„ Capraroläe ſumptus emendare, atque hoſpitalem
„ tot profugis alienigenis ſedem in una aliqua ex
„ infinitis, quas poſſidet, ædibus, ſplendidiorem
„ certe, & nobiliorem futuram, aperire. Si vero
„ hac mea Epiſtola hoc dumtaxat impetrarem, ut
„ ab hac importuna effuſione ſuperſederes, operam
„ certe me non perdidiſſe crederem; præſertim
„ cum hoc pacto ſperarem, facilius mihi ad ſtatu-
„ tum tempus penſiones annuas a te numeratum
„ iri. Quare ſi opus fuerit, in poſterum non re-
„ cuſabo in iis exigendis moleſtior videri, quam
„ hactenus fui; nimirum, ut nimium hunc luxum
„ moderari ego etiam aliqua ratione poſſim. In-
„ terim omne tibi obſequium meum defero. Ex
„ Vico Sancti Laurentii XXX. Januarii MDLXXX.

Itaque per Etruriam continuato itinere Florentiam iniit ſub veſperum Cal. Februarii, ubi ſe *iis beneficiis, & benevoli animi ſignificationibus a Magno Duce pene obrutum* ſcribit, *quibus ſemper Medicæa Gens liberaliter admodum ſe cumulare conſuevit.* Ab ea Urbe deinde III. Nonas exceſſit, ut docet initium literarum, quas ad Specianum ex hac Urbe poſtridie Cal. Febr dedit: „ Heſterno veſpere Flo-
„ rentiam veni, ubi totam hanc diem Purificatæ
„ Deiparæ Sacram tranſegi. Cras ſummo mane, ſi
„ Superis placet, Bononiam contendam.

(*c*) Ad IV. Febr. diem mane Bononiam ingreſſus eſt, ibique multis per literas expeditis Eccleſiæ ſuæ rebus, die VI. Ferrariam verſus iter direxit, præmiſſo tamen familiari ſuo, qui Ducem de adventu ipſius moneret. Geſſit hoc Nuncio Ateſtinus, & ſubveritus, ne populi eo tempore lætitia debachantis licentia, & perſonatorum hominum occurſus hoſpitis ſui oculos offenderet, ocyus perſonarum uſum omnibus interdixit, publico Lætitiæ Saturnalis Symbolo, quod moris in ea Urbe erat, a Civium oculis remoto.

Digitized by Google

Principis uxor cum domeſtico cœtu nobilium fœminarum ejuſdem pietatis exemplum dederat.

Poſt tridui (*a*) moram Pado flumine vectus, Venetias deſcendit acturus de graviſſimis rebus, prout mandatum a Pontifice acceperat (*b*). Et quamquam, ut ſuperbos occurſus vitaret, ſecreto ingreſſu ad Apoſtolici Nuncii palatium appuliſſet, cognito tamen Ejus adventu Dux ipſe, quod raro antea factum fuerat, ac Senatores cum ipſo Duce ſtatim adfuere ſua ſimul, ac totius civitatis obſequia benigne offerentes. Paulo poſt omnis terreſtris, ac maritimæ opulentiæ munera ſupervenere, qualia ſcilicet decebat eſſe Reipublicæ dona, quæ feraciſſimos terrarum tractus, & ampliſſima Superi Maris ſpatia complectitur (*c*).

Tanta

(*a*) Quid cum Ateſtino Duce egerit breviter refero ex literis ad Cardinalem Sabellum datis, cum Venetiis Borromeus eſſet. Primo itaque eum rogavit, ut Quæſitoribus de cauſis Fidei auxiliariam manum præberet; cui Dux poſtulato religioſiſſime aſſenſus eſt, vetuitque, inpoſterum a ſuis ullo pacto Sanctiſſimi Tribunalis libertatem imminui. Deinde obſecravit, ut veteres ſimultates aliquas, quas non obſcuras in Mutinenſem Epiſcopum, & præcipue contra Urbini Ducem gerebat, omnino deponeret. Ultimo Borromei conſilio ſancita aliquot contra Hebræos fuere, & indicta ſupplicia illis, qui ab Eccleſia Orthodoxa deficientes circumciſioni ſe ſubjicerent: qui vero Judæorum legem jam profiterentur juſſi ſunt certo quodam veſtium indicio notiores incedere; atque pro eorum libertate coërcenda, ex vetere Pauli IV. & recenti Pii V. Decreto ut in illos animadverteretur, impetravit. Ceterum dum hæc cum Duce ſtabiliret, triduum certe non effluxit. Nam cum eo anno in diem VII. Febr. Dominica incideret, & Carolus doceat in ſuis literis ſe Feria II. jam Venetiis fuiſſe, quomodo triduum Ferrariæ ſubſtitit, quo vix ad diem VI. illius menſis pervenire potuit, ut ex ejus Epiſtola mox recitanda conſtabit? Cum autem in itinere eſſet traducenda ſeptima dies menſis, qua ſecundo Pado in mare evectus Venetias Carolus navigavit, unam diem, aut paulo amplius ſpatium colloquio huic concedamus, neceſſe eſt.

(*b*) Nullum Carolo Pontifex mandatum dederat, ut Venetias hoc tempore digrederetur; imo aliter jam Borromeum decreviſſe, teſtantur Ipſius literæ Bononiæ ſcriptæ, & capite ſuperiore relatæ. Sententiam itaque ſuam mutavit dum Ferrariæ eſſet; unde etiam literas ad Specianum dedit rogans, ut ſe purgaret omni diſſimulationis ſuſpicione apud Oratorem Venetum Romæ degentem, eo quod ex ea Urbe diſcedens nihil de hoc itinere aperuiſſet, quandoquidem nondum de hoc deliberaverat. Accipe inſuper, quæ Illum rationes impulerint, ut Venetias navigaret. Poſtridie Nonas Februarii hæc ad Specianum habet: „ Hoc mane Ferrariam veni, „ ubi cum audiverim iter unius diei Venetias hinc „ diſtare, ſtatui illuc proficiſci, inde Patavium, „ & Brixiam, ne interim elabatur luſtrandæ citius „ Brixienſis Eccleſiæ opportunitas. Inde etiam per„ facilis mihi erit Mediolanum tranſitus, ubi adeſ„ ſe ad Dominicam in capite Quadrageſimæ jamdiu „ conſtitui. Cum deinde Venetiis fuero, exacte „ omnia, quæ cum Ferrarienſi Duce tranſegero, „ per literas exponam.

(*c*) Caroli delicias, cum in hac Urbe verſaretur, itemque res geſtas aliquot habemus ex iis, quæ ad eumdem Specianum ſcripſit. „ Statui deinde, ut „ Ferraria perſcripſeram, Venetias proficiſci, ubi „ nequid a Clariſſimis hiſce Viris neceſſarii in me „ deſideraretur officii, plures, quam animo deſti„ naveram, dies manſi; quandoquidem ibidem a „ Feria II. uſque ad Sabbatum moram meam ex„ traxi. Longior tamen me recreavit mora, varia „ Urbis Templa obeuntem, ac Sanctorum exuvias „ venerantem; quæ res magnæ mihi voluptati fuit, „ cum raro alibi paria his Sacra Lypſana reperi„ rim. Cumulavit deinde gaudium meum Proce„ rum iſtorum familiaritas, quæ, ut ſpero, magno „ mihi momento erit pro iis componendis, quæ „ tranquillitatem Provinciæ meæ in Veneta Ditio„ ne poſitæ turbare aliquando poterunt. Corrobo„ ravi item officiis meis Internuncii Apoſtolici auc„ toritatem, qui Immunitatem Eccleſiæ tueri conaba„ tur; præterquamquod ominatur etiam animus „ plures ex hoc adventu meo profecturas certe „ utilitates. Hoc mane Patavium iter inſtituo, ubi „ cum ejus Urbis Epiſcopo biduum commorabor; „ quare cum temporis anguſtiæ me nunc Brixienſis „ Diœceſeos luſtrationem inchoare, ſimulque Me„ diolani ad præſtitutum diem eſſe non ſinant, „ recta Mediolanum contendam, ut indo reverſus „ Brixiam luſtrem; quo circa in itinere aliqua ad „ hanc Urbem pertinentia interim diſponam. Sin„ cera Venetorum Magnatum officia, & amoris „ ſignificationes abunde mihi, atque extra ordinem „ exhibitas difficulter perſequar. Plures enim in„ viſentium fuere occurſus, non quidem mihi in„ gredienti, nam mari deſcendens, omnium oculis „ ſubducere me ſtatui; verum illic hoſpitanti. „ Etenim eum oblatum ab illis hoſpitium publico „ nomine repudiaſſem, & apud Pontificium Inter„ nuncium eſſem, quod magis decere viſum eſt, „ me quotidie Clariſſimi Viri ſplendide cibariis do„ narunt, in quo audio, illos eum morem, quem „ cum Cardinalibus ſervare ſolent, excedere pera„ manter voluiſſe. Feria V. frequentiſſima Synaxis „ in Patrum Societatis Jeſu Æde celebrata eſt; ne„ que ulla ex primariis Urbis Matronis abfuit. Ea „ occaſione Patriarchæ & Internuncii precibus vi„ ctus, ſed præcipue Ordinum omnium amore & „ religione accenſus demum adductus fui, ut Epiſ„ copale ibi munus obirem; quare poſt Synaxim ad „ frequentiſſimum populum ſermonem habui. Cum „ Reipublicæ illius ampliſſimæ Ducem in Collegio „ conveni (Collegium vocant Cœtum Nobiliſſimo„ rum Virorum, qui Duci aſſident, & cum eo „ corpus Reipublicæ conſtant), præmiſſa obſervan„ tiæ meæ erga ipſum & Ordinem univerſum teſti„ fica-

Tanta equidem eſculentorum omnis generis copia fuit, ut vicenos ex Optimatum numero quotidie ad epulas invitaret: nec Ipſe ſolito largius epulari recuſabat, ſive conciliandis convivarum animis, ſive ut tempori, & loco, quæ non ultima prudentiæ laus eſt, vivendi rationem accommodaret. Poſtridie cum Ducis palatium non officii modo, verumetiam negotii cauſa adire deberet, tanta hominum multitudo videndi ejus cupida, non vias tantum, ſed ipſas Palatii ſcalas inſederat, ut ægre ad deſtinatam congreſſui aulam perveniret. Ceterum de iis, quæ in eo congreſſu acta ſunt, nulla ad poſteros memoria manavit (*a*). Conjectavere nonnulli habitos eſſe ſermones de Apoſtolico Viſitatore Venetiis recipiendo, capto videlicet argumento ex literis, quas paulo poſtea ad Summum Pontificem dedit, ut Auguſtinum Valerium Veronæ Epiſcopum ei muneri deſtinaret (*b*). Illud pro certo conſtat, impetrata ad Brixien-

„ ficatione, mox ad ea exponenda dilabens, quæ „ Summus Pontifex in mandatis dederat; demum „ obiter, tamquam aliud agens, de Brixienſi Diœceſi „ per me luſtranda ex Apoſtolicæ Sedis conſilio ali„ quid innui, neque diſſimulavi conſilium meum „ de illa quantocyus obeunda. Neque quiſquam „ huic ſententiæ interceſſit; imo humaniſſime Dux „ pollicitus eſt, ſcripturum ſe ad ejus Provinciæ Re„ ctores, ut, ſi opus fuerit, auctoritatem meam „ poteſtate ſua ſuſtentent &c. Itaque cum tam bene „ animatum Ducem invenerim, neque alios in pri„ vatis colloquiis diſſentire viderim, in eam ſpem „ venio fore, ut perfacile eos etiam aſſentientes „ haberemus, ſi de Veneta ipſa Urbe luſtranda age„ retur. Certe cum me huc adveniſſe palam intel„ lectum eſt, communis erat opinio, me hac ipſa „ de cauſa ad hanc Urbem ex Pontificio mandato „ acceſſiſſe &c.

(*a*) Eorum, quæ Carolus Venetiis cum Reipublicæ Moderatoribus egit, fontem ipſum pandimus, literas nimirum ab Eodem Romam miſſas. Ex iis unæ præcipue datæ ſunt ad Cardinalem Sabellum in hæc verba: „ Venetias demum appuli, ubi in „ iis, quæ ad Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunal „ ſpectant, mihique tranſigenda erant ex Pontificio „ nutu, aliquot jam ſtabilita, ac firmata reperi, „ præſertim de Germanis & Tranſalpinis ad Pata„ vinum Gymnaſium ſtudiorum cauſa confluenti„ bus, quæ jam intellexeris puto ex Internuncii li„ teris. Quare cum Ducem conveni, pleno ore „ ejus ſtudia pro Fide Orthodoxa commendavi, & „ ſtimulos currenti addidi, quo bene jam cœpta „ perficeret, & luculentiores ſemper Orbi univerſo „ teſtificationes exhiberet conſtantiæ ſuæ, ac de„ mum comprobaret, quantum Celeberrima Vene„ torum Reſpublica abhorreat ab omni labe, quæ „ Orthodoxæ Fidei integritatem polluere poſſet. „ Rogavi autem, ut non ſolum Patavii, verum „ etiam Venetiis Hæreticorum licentia compeſce„ retur, eos præſertim Germanos indicans, qui tam „ intra publicum diverſorium, quam extra, Vene„ torum oculos hactenus pernicioſo admodum vi„ vendi ritu, ac libertate contaminaverunt. Cum „ vero hæc potiſſimum ſuaderem SS. Pontifici cordi „ eſſe, Princeps effuſe admodum reſpondit, ad„ dens inſuper promiſſa, fore, ut ſua ipſius poteſta„ te auctoritatem Internuncii, Patriarchæ & Fidei „ Quæſitoris armaret, quo etiam ſuppliciis, & pœnis „ decerneretur in eorum licentiam, qui in qua„ cumque Venetorum Provincia Catholicæ Religio„ ni minus conſentaneum aliquid aliorum oculis „ publice offerrent. Ut vero paratiſſima illius ſtu„ dia acrius inflammarem, curavi, ut fidem in hæc „ obligaret ſuam: Item veniam ab eo rogavi, ut „ liceret mihi omnia ad Summum Pontificem per„ ſcribere, affirmans, ſummopere hoc gratum eidem „ fore: Ille autem vehementer hoc ipſum rogavit, „ & multis adjectis prompti animi ſignificationibus „ omnia iterum confirmavit. Intellexi poſtmodum „ aliquos ex Clariſſimis illis Viris, cum audiſſent „ ab Etruriæ Ducis Legato me recreatum quam „ maxime ipſorum verbis eſſe, ſtatim illi repoſuiſſe: „ juberet me bono animo eſſe, & majora verbis „ ipſis in poſterum facta expectare.“ Paria his ferme habet ad Cardinalem de Gambara, addens infinitis ſe nominibus Procerum illorum amori, & officiis fuiſſe devinctum, atque ex ea Urbe ornatum ſe auctumque omnibus benevoli animi teſtificationibus diſceſſiſſe. Cum deinde ad Novocomenſem Cardinalem ſcriberet, innuit, cum Reipublicæ illius Moderatoribus tranſacta a ſe nonnulla etiam fuiſſe de violata Immunitate Eccleſiaſtica contra Spalatenſis Archiepiſcopi jura; ſed Clariſſimos eos Viros erroris cauſam vertiſſe in Procuratorem ſuum; ac ſtatim pollicitos eſſe, omnia integra illi Antiſtiti reſtituturn iri.

(*b*) Nihil omnino de Urbe ea luſtranda cum Clariſſimis Viris egit præſens Borromeus. Occaſionem dumtaxat huic conſilio dedit ipſa Venetorum religio, qua tum mirifice Carolus delectatus eſt. Rem ipſam aperient ejuſdem literæ ad Specianum datæ V. Cal. Martias, cum jam Mediolani eſſet, in quibus hæc habet: „ Per eos, quibus Venetiis fui, dies „ ex publicis, privatiſque habitis colloquiis exacte „ intellexi, & mecum etiam tacitus perpendi non„ nulla, quæ ad luſtrandam eam Civitatem condu„ cerent; quod tibi conſilium meum alias obiter „ aperui, ſed nunc fuſius explicabo. Illud itaque in „ hanc rem ſuccurrit: Venetias luſtrari non uti„ le dumtaxat fore; verum etiam neceſſarium vi„ deri, cum inde uberrimi fructus ſint profecturi. „ Nam præterquamquod infinitam hominum multi„ tudinem ea Urbs capit, tum exterorum qui illuc „ appellunt, tum Civium, qui ſuum ibi domicilium „ collocarunt: aliæ etiam Urbes in illius Principis „ Civitatis poteſtate continentur, quibus Rectores „ præſunt Nobiliſſimi ex Patricio Ordine, quos ubi „ morum probitate, & religione inſtituerimus, opti„ mos deinde Moderatores habebimus, qui facile „ populos ſuæ poteſtati commiſſos in officio con„ tine-

xienſes Magiſtratus eſſe mandata, ut quandocumque eam Eccleſiam viſitaret, auctoritatem ſuam ad ea, quæ publicæ religionis ratio poſceret, commodarent. Subſecutis diebus pergebat inviſere præcipua Urbis Templa (*a*) ſtipatus agmine Epiſcoporum, aliorumque Sacerdotum comitatu, quæ res populari joco locum fecit. Nam cum antea Epiſcopi ipſi, ceterique Eccleſiaſtici Ordinis Viri tectis dignitatis Inſignibus incederent, neque a reliqua Populi parte dignoſcerentur, nunc inaudita erga Carolum veneratione abjecerant veſtium profanarum larvas, ut proinde Veneti dicerent, nunquam ante Caroli adventum tantam ſacrorum hominum multitudinem in Urbe ſua eſſe viſam (*b*).

Decimo tandem, ex quo venerat, die

„ tinebunt, & vitia, ipſaſque malorum ſtirpes evellent. Quamobrem hoc mecum recolo: ſcilicet „ fructum, quem Veneti ex luſtratione percipient, „ non hujus dumtaxat Urbis finibus eſſe continendum, ſed in gentes omnes, quæ ipſorum poteſtati ſubjectæ ſunt, facile redundaturum. Poſſum „ hoc ego oculatus teſtis aſſerere, qui Verona tranſiens ſumma cum animi voluptate idipſum „ plane cognovi. Præſunt ibi optimi Rectores, „ compoſitis probi moribus, & eximia religione „ inſignes; idcirco hiſce Saturnalibus populum eum „ univerſum, qui aſpero, & difficili ingenio eſſe dicitur, ita coercuere, ut omni perſonatorum hominum ſpectaculo Civibus interdicerent: neque „ eorum quiſquam imperium imminuere auſus eſt. „ Verum quo uberior ex hoc conſilio fructus oſtenditur: eo major hujus exequendi neceſſitas videtur. Clerum inibi vidi profanis utentem veſtibus, licet cum apud eos eſſem, ut cultum illum Sacerdotali dignitati minime conſonum abjicerent, facile omnibus perſuaſerim &c. Neque „ tamen præteribo Templa apud eos nitida admodum reperiri, optimis ornamentis abundare; imo „ nihil eorum ſacris ædificiis, & religionis cultu „ eſſe ſplendidius. Neque eum populum vitiis illis „ laborare puto, quæ exterorum opinio Venetis affingit. Nam Bacchanalium tempore cum ego ſæpe „ Templa obirem, & Sacra Lypſana veneraturus „ frequens in viis eſſem, pauci admodum mihi perſonati occurrêre. Inſuper ſuopte ingenio ſuaves „ admodum Veneti mihi videntur, & in quamcumque partem flectas, faciles, ac cerei; demum ad „ pietatem & religionem proni, & facti. Nulla inter ipſos jurgia audiuntur, & apertæ potiſſimum „ inimicitiæ abſunt; Sed, ut plurimum, apud eos „ moderata, & pacata omnia. Abeſt ab iis etiam „ veſtium luxus, & ſervorum comitatus, qui alibi eminet; Illi poſtquam ex ephœbis exceſſere, „ oblonga, itemque ſimplici toga contenti, & juxta gentis morem pileolo tecti incedunt: nec „ diſpar Senatorum cultus eſt, eorumque omnium, „ qui dignitate ceteris præſtant, cum ſoli, nullo deducente famulo, Urbe vagentur Aliquot ex „ Proceribus & primariis Matronis pietate excellunt; „ nec popularis etiam religionis indicia deſunt, cum „ multi numerentur Cœtus, & Sodalitates piorum „ hominum, qui magnam ſanctitatis ſpem faciunt, „ ſi Antiſtitum cura ſolers acceſſerit. Quare certa „ jam extant futuræ meſſis primordia, quæ ad maturitatem certe, Urbe luſtrata, perducentur &c." Plura deinde addit, quibus docet, quo pacto apud eos Eccleſiaſtica jura vetere ipſorum inſtituto debilitata, vel retineri, vel etiam induci poſſint, quæ brevitatis ergo omittimus.

(*a*) Multis officiis compulere Borromeum Clariſſimi illi Viri, ut Armamentarium ſuum, quo nihil certe magnificentius exiſtere dicitur, inviſere non gravaretur. Diu ſe eorum poſtulatis difficilem Carolus præbuit, cauſatus tempus eo modo inaniter teri; nihilominus recuſantem, contento remigio deducere illuc conabantur. Tandem diu ipſorum votis refraganti cum oſtendiſſent præfixam Armamentario Epigraphen, in qua legebatur

PRÆSIDIUM FIDEI CATHOLICÆ

pervicere, ut illud ingrederetur; eoque inſpecto gauderet, tantam nauticæ, & bellicæ ſuppellectilis molem a religioſiſſimis illis Civibus ſummo impendio ad Fidei noſtræ tutelam, & immaniſſimi hoſtis damnum comparatam eſſe.

(*b*) Sexdecim eo tempore Venetiis erant Antiſtites; cumque tanta Epiſcoporum una in Urbe frequentia, aliarum Urbium ſolitudinem ac orbitatem indicaret, Carolus exploravit diligentius cauſas, cur illi a Sedibus abeſſent ſuis; quibus cognitis, Apoſtolicum Internuncium enixe rogavit, ut pro ſua auctoritate eos in Urbes ſingulos ſuas reverti juberet. Neque hoc contentus officio Romam ad Specianum literas in hæc verba dedit: „ Tacitus „ non præteribo plures Venetiis Epiſcopos eſſe, a „ Sede abſentes ſua: cui malo vellem efficaciter „ conſuli. Celebris de Pallio controverſia Patriarcham Aquileenſem ad Sedem ſuam remeare non „ ſinit; quare tandem aliquando ejus loco mittendus videretur ejus Adjutor, ſive Electus, qui „ jubendus eſſet inſuper, ne ex ea Sede pedem unquam efferret; cum illius præſentiam Aquileenſis „ Urbis & Provinciæ tempora ſummopere poſtulent; tum etiam quod diutius inde Patriarchæ abfuerunt; & multo magis propter graſſantem ibi „ impune Hæreticorum audaciam. Præterea magna „ etiam urgeret neceſſitas Provincialis Concilii congregandi, tum propter Metropolis ipſius amplitudinem, cum propter ingentem viginti Suffraganeorum numerum. Quod ſi Concilio cogendo „ obſtaret Pallii controverſia, mitti illuc poſſet „ Apoſtolica auctoritate munitus Legatus, qui Patriarchæ loco Synodo præeſſet. Octavus ſupra decimum jam menſis agitur, ex quo Feltrenſis item „ Antiſtes Sedem non vidit ſuam. Cauſatur tamen „ impetretam a Summo Pontifice abſentiæ ſuæ veniam, & Pontificius Internuncius fatetur, mandatum ſibi a Gregorio, ne ullam ipſi moleſtiam „ ob-

die (*a*) Venetiis discessit omni honoris genere excultus, sacrarumque Reliquiarum parte donatus, quo munere nihil Illi carius esse facilis conjectura erat. Habebat in comitatu Federicum Cornelium Patavinum Episcopum, cujus precibus exoratus diem unum (*b*) Patavii substitit, ut consuetis pastoralis beneficentiæ officiis populum recrearet. Hæc Patavii mora spem fecerat Vicentinis, posse Cardinalem apud ipsos tantumdem temporis retineri. Ipse enimvero, excusata paucitate dierum, intra quos Mediolani esse deberet, ne tamen omnino expectationem eorum falleret, ad prima auroræ indicia affuturum se in templo promisit, si qui Divinæ rei interesse, ac sacra communione refici vellent. Vigilatum tota nocte a Sacerdotibus est audiendis piorum Civium confessionibus ad Pœnitentiæ Tribunal confluentium, ut sese ad consequendam ejus promissi gratiam compararent (*c*).

Inde

„ objiciat usque, dum aliter Romæ non decernatur: „ Tamen dum expectatur certius responsum, obli„ teratur interim rei memoria; quamobrem Eccle„ siis plura incommoda obveniunt. Clugiensis Epi„ scopus se ait residere non posse propter inopiam. „ Æmonensis, & Spalatensis allegant suam ipsorum „ operam non requiri, cum habeant in subsidiis Co„ adjutorem suum; quamvis Concilii Congregatio „ de Parochis agens declaraverit, teneri Parochum „ in Parœcia residere, licet sibi Coadjutorem ha„ beat. Concordiensis, & Cydonius in Creta, ut „ etiam Bellunensis, valetudinis excusationem præ„ tendunt. Tragurii, & Corcyræ nigræ Episcopi di„ cunt, se domesticis litibus hic vacare. Torcella„ nus Venetiis degit propter Sedis suæ proximita„ tem; licet ipse causetur recentem electionem „ suam, & afferat domus suæ ornatum interim cu„ rari. Internuncius tamen, cum hæc illi incommo„ da aperirem, respondit: se citius imperaturum omni„ bus, ut quamprimum Sedem repetant universi, „ iis exceptis, qui sustentantur Coadjutoris opera, „ & Feltrensi, qui Apostolicam, ut absit, obtinuit „ facultatem." His acceptis literis Pontifex suam etiam pollicitus est adjungendam operam pro moderanda hac Antistitum libertate; atque, ut Specianus scribit, usum dignitatis & insignium ab iis semper retinendorum mirifice probavit.

(*a*) Sex tantum dies, neque eos integros, Venetiis fuit Borromeus. Feria enim II. scilicet VI. Idus Februarii, postquam Sacrum celebravit Fossæ Clodiæ, eam deinde Urbem ingressus, ibi perstitit usque ad Sabbatum, scilicet Idus ejusdem mensis, quibus Patavium cum Cornelio Episcopo properavit, ut aperte Ipse indicavit in Epistola ad Specianum recitata pag. 495. (*b*).

(*b*) Intellige tamen integrum unum diem; nam partem aliquam Sabbati præcedentis ibi substitit, & partem etiam Feriæ II subsequentis. Et sane Carolus in citata Epistola biduum se Patavii fore aperte declaravit; eam autem scripsit paulo ante quam Venetiis discederet, ut ipse Epistolæ sensus præseferre videtur. Itaque totam Dominicam Quinquagesimæ Patavii transegit; cumque die postero Vicentiam modico intervallo distantem inire meditaretur, multi Nobilium eorum Civium supervenientes Illum a proposito dimovere conati sunt. Diu admotas preces elusit Cardinalis causatus, necessarium Mediolanensi Urbi adventum suum ante vigesimam ejus mensis diem, atque insuper multa Brixiæ expedienda, quæ sibi properanti licet moram aliquam essent injectura. Forte aderant in eo Nobilium Virorum Cœtu Theatini Patres nonnulli obsequii sui, & reverentiæ officia Borromeo delaturi; cum repente mutato consilio Cardinalis recordatus eorum consuetudinis, qua jejunium Quadragesimale juxta Thelesphori Pontificis decretum a Feria II. Quinquagesimæ auspicabantur, ad eos conversus, *quandoquidem*, ait, *expedire me tam piis precibus non possum, cras me, antequam Vicentiam progrediar, Theatinis Patres convivam habebunt.* Simul hanc illis conditionem adjecit, ne quid lautius mensæ inferrent, sed prandium de more juxta quotidianas leges instruerent. Vetuit insuper Episcopum, alioque qui aderant Patricios, esculentum quidpiam Patribus dono mittere, quo splendidius prandium comparatent, ne vota sua eluderent. Par siquidem Cardinali erat consuetudo carnibus per eos dies abstinendi, cum jejunium suum multo altius inchoaret. Itaque condicta re, mane postero ad Patres divertit, apud quos jejunum admodum prandium futurum erat, utpote valde a cibariis imparatos. Verum aliter admodum res cecidit. Nam antequam accumberent, forte accidit, ut quidam eo die Venetiis Patavium regressus, refertam exquisitissimo pisce cistam Patribus dono offerret. Igitur ex hoc comparatæ dapes Carolo fuere; qui repente tantam lautitiam stomachatus gravate primo cibum sumere: mox etiam de violata fide dubitare. Sed Patres rem, ut peracta erat, sincere aperientes, omnem statim ab eo dubitationem discussere; quare gratias agens Cardinalis Deo benedixit, eoque suavius cibum sumpsit, quo certius lautitiæ auctorem Deum unum fuisse cognoverat. Hæc ex Patre Joanne Baptista Castaldo in Beati Cajetani Vita ad Cap. IV. arripuimus; atque hanc narrationem libentius amplectimur, utpote desumptam ex Collegii sui domesticis testimoniis; cum ipsa etiam Borromei mora, quem certo scimus contra initum prius consilium substitisse Patavii ad partem aliquam hujus diei, & Vicentiam iniisse sub vesperum, non levem huic facto fidem faciat.

(*c*) Stetit promisso Caroli, & Civium fides. Ille enim summo mane Templum ingressus ingenti cum gaudio Civium Synaxi delectatus est. Aderant innumeri Cives, quorum magna pars Sanctissimo Christi Corpore refecta una cum reliquis lubentissime ejusdem Sermonem degustavit. Hinc serius, quam putaverat, ab ea Urbe exivit Cardinalis, deducente populo universo, & licet citatissimo, ut solebat, itinere progrederetur, vix, cum advesperascceret, Veronam intravit.

Digitized by Google

Inde Veronam digreſſus novum officii genus apud Urbis ejus Cives invênit. Cum enim ſub occaſum Solis introiſſet, atque occultus abire feſtinandi itineris ſtudio cuperet, præter opinionem agnitus (*a*) repente a portarum cuſtodibus audit, capitis pœna eſſe ſancitum, ne quis egreſſum quærenti fores aperiret. Moniti interim Magiſtratus, ac nobiliſſimus quiſque Civitatis ſupervenere, ac circa Ipſum conferti querebantur, quod ea gloriæ parte, qua ceteros Venetæ ditionis populos illuſtraverat, Veronenſes fraudare voluiſſet. Itaque ſuppliciter poſtulant, ut ſin minus diutius morari poſſet, ea ſaltem nocte diverſari apud ipſos dignaretur; nec enim ullum tam breve hoſpitium fore, quod non ipſi magni beneficii loco acciperent. His precibus coactus retro ad Templum deinde in abſentis Epiſcopi [*b*] ædes divertit publica deſideria poſt itineris laborem nocturnæ quietis diſpendio conſolaturus. Brevi enim ſomno qualitercumque refectus in Templum deſcendit, ac Divinis operatus, peractaque Cinerum cæremonia, qua ſolemnia Quadrageſimæ inchoari mos eſt, obſcura adhuc nocte itineri ſe commiſit magno populi concurſu extra portas ad longa ſpatia deductus, & explente Solis vicem funalium multitudine.

Verona venientem pari pompa excepere Brixienſes, quibus diutius Ejus aſpectu frui licuit. Nam cum ejus Eccleſiæ viſitationem quam primum exequi ſtatuiſſet, triduum (*c*) ibi diſponendis rebus abſumpſit, quo faciliora omnia rediens inveniret. Jam verò Mediolanenſium voces ex propinquo audire videbatur (*d*), quorum amoris, & gaudii ſignificationes æquius fortaſſe erat his literis prætermitti, ne multa vero minora facerem. Quo die affuturum pro certo intellexerant, ad multa millia hominum Puteolos uſque duodecim milliaribus diſtantem ab Urbe vicum proceſſerant conglobati alii, pars ſupplicantium ritu in longum agmen compoſiti, ac feſtivis modulationibus ſacra carmina concinentes. At ubi procul venientem in conſpectu habuere, moræ impatientes confuſis ordinibus in occurſum ruunt, & quidquid viæ intererat, multitudine ipſa intercludunt (*e*). Tum circumfuſi, urgenteſque ſe invicem, alii veſtes contingere, alii ge-

(*a*) Præſul quidam forte prætereunti Borromeo in via intervenerat; Eoque cognito feſtinanter per viarum compendia ad Urbis portam, qua Illi egrediendum erat, dilapſus cuſtodes monuit Rectorum nomine, necui liberum ex Urbe egreſſum permitterent. Inde rediens ad locum, ubi Urbis Primores in Saturnalium ſpectacula ſe ſe abdiderant (ſuprema enim bacchanalium nox imminebat) Cives univerſos in Cardinalis occurſum excivit. Hac voce audita, finis ſpectaculis eſt factus. Omnes ad Borromeum, qui ad portam ſubſtiterat, excipiendum ruêre; cumque lætitiæ ardor e veſtigio deferbuiſſet, admiratus deinde eſt Cardinalis tantam eo tempore Urbis quietem, ac Civium moderationem, quam valde etiam in Epiſtola ſuperius recitata commendatam legimus.

(*b*) Aberat tum in Iſtriam luſtrandam intentus Auguſtinus Valerius. Neque enim Carolus, ſi ille adfuiſſet, ſilentio ingredi, neque etiam ſibi licuiſſet amantiſſimi Antiſtitis pias inſidias vitare. Quanto enim triumphaſſet gaudio *bonus ille Iſraëlita, in quo dolus non erat* (hoc enim nomine appellare Valerium ſolebat Borromeus) in Urbe eum ſua habens, cujus videndi, & conveniendi gratia ſepties ille Mediolanum venerat, ut in tabulis teſtatum eſt. Revera Veronam ab Iſtria vix reverſus Auguſtinus Brixiam contendit, ut cum Borromeo tum ibi degente colloqueretur.

(*c*) Biduum Brixiæ fuit. Quandoquidem Veronenſes feria IV. hujus hebdomadæ conſtat a Carolo ſactis Cineribus reſperſos; & Carolus ipſe in literis ad finem hujus capitis recitandis ſcribit, ſe feria VI. die ſcilicet XIX. Februarii Mediolanum fuiſſe ingreſſum. Cum vero non minus liquido teneamus Illum nocte antecedente Trivilii fuiſſe exceptum, quis non videt tanto tempore apud Brixienſes Carolum eſſe non potuiſſe?

(*d*) Martinengi cum eſſet die XVIII. Febr. in oppido Venetæ ditionis, prima excepit Mediolanenſium pietatis teſtimonia, & præſentia ſua abſterſit multorum dolorem, qui de Illius reditu ambigentes eo uſque proceſſerant. Trivilium vero ſub noctem cum veniſſet, ſuoque aſpectu eam gregis ſui partem recrearet, effuſi ex Ædibus oppidani omnes obviam proceſſere, & feſto æris campani pulſu lætitiam ſuam viciniæ denunciarunt.

(*e*) Miraculi inſtar eo tempore creditum eſt, mulam ipſam, cui Sanctus Paſtor inſidebat, cum ferociſſimis moribus eſſet, neque quempiam unquam accedere pateretur, tum mitiori uſam ingenio identidem ſubſtitiſſe, veluti conſciam, a ſe amantiſſimum Patrem populo item amantiſſimo offerri; licet populi geſtientis lætitia impetus, & impatientia in frenos, & ephippia undique irrueret, quæ ſummo ſtudio contingere gaudebat.

Digitized by Google

genua oſculari, omnes ſublatis ad Cælum manibus gratias Superis agere, quod Paſtorem amantiſſimum poſt tot rerum diſcrimina incolumem reduxiſſent. Ipſe inter tam multa amoris, & fidei teſtimonia deprehenſus vix ullam vocem emittere præ gaudio poterat, & vix lacrymis præ gaudio temperans, tamen ex ſpectantium oculis lacrymas provocabat. Inter hæc mutuæ benevolentiæ certamina per creſcentem aſſidue turbam enixus ægre ad Urbis mœnia ſucceſſit. Nec minor in Urbe concurſus fuit, poſtquam adventus Ejus ſignum campani æris pulſu ſacræ turres dedere. Non mulieres verecundia, non ſenes infirmitas, non pueros timor continuit, quominus ſeſe ceteris obviam confluentibus aggregarent. Una vox omnium erat adeſſe Patrem, adeſſe Carolum, quem Apennini rupibus clauſum, quem Romæ detentum, quem exilio damnatum maligni cenſores ſanctiſſimarum rerum, immo publicæ felicitatis hoſtes inſenſiſſimi prædicabant (*a*). Atque hæc erant odia Populi Mediolanenſis, quibus Carolum laborare accuſatores Ejus inter ceteras criminationes objecerant. Quis vero crederet, inter tot Caroli gaudia, & ſummum mœrorem vix noctis unius (*b*) ſpatium interfuiſſe? Nimirum adeo inconſtans humanarum rerum viciſſitudo eſt, ſive adeo conſtans Principum ira, ubi aliquam ſemel injuriæ ſuſpicionem arripuere.

CAPUT IV.

Mediolanum in tempore adveniens plures adverſariorum machinas partim diſſolvit, partim divinitus evertit. Re infecta, & pudenda legatione defuncti, Mediolanum a Pontifice Oratores dimittuntur.

1580. PRimam Quadrageſimæ diem, quæ plane prima (*c*) poſt Caroli reditum fuit, torneamentis, & equeſtribus ludis

(*a*) Ad Templi Maximi aream cum ægre tandem inter redundantis populi affluxum deveniſſet, & prope quamdam Artificis tabernam vis immenſa Civium videretur proſtantem omnem mercium copiam everſura: ut rebus ſuis periculum præcaveret Artifex, nudo enſe in irruentes impetum facere minitabatur. Sed irritum illi conſilium; nam cum exundantis plebis impetum continere non poſſet, minis abſtinere cum mercium diſpendio coactus eſt, cum illi facile etiam in ferri aciem incurſuri viderentur, ne oculos a Cardinalis aſpectu revocarent. Neque iſta infimæ dumtaxat plebeculæ ſtudia fuere: Nobiles etiam Viri, atque ex Patricio Ordine frequentiſſimi eum ad portas excepere; licet aliquos deinde ex illis timore victos comperiam venienti in forum Carolo non adfuiſſe, ſubveritos ſcilicet, ne Ayamontii oculos ea honoris ſignificatione offenderent.

(*b*) Labitur hic Auctor, cui non certo admodum explorata fuit adventus ſui dies. Nono Calendas Martias ad Specianum Carolus ſcribit, quando huc advenerit, & qua animorum lætitia fuerit exceptus: „ Mediolanum veni feria VI. occidente jam ſole: „ Atque mihi viſus eſt univerſus hic populus ad„ ventu meo recreatus, cum ingens eſſet poſt diu„ turnam abſentiam meam omnium expectatio, at„ que extra ordinem oblata ſint advenienti mihi pu„ blicæ lætitiæ teſtimonia. Etenim pedeſtri itinere „ multi extra portas longius provecti, reditum meum „ opperiebantur; quacumque autem Urbem ingreſ„ ſus incederem, effuſa multitudine viæ redunda„ bant. Exinde me domi convênit Gubernator, „ Arci Præfectus, Senatorius Ordo univerſus, & „ Urbis Decurionum Collegium; ut omittam in„ gentem Patriciorum numerum, qui humanita„ tis, & benevolentiæ ſignificationes omnes mihi de„ tulerunt. Dominicam in capite Quadrageſimæ ſanctiorem effecit populi infiniti in Templum ma„ ximum confluentis Synaxis. Nam quamvis admi„ niſtri plurimi ad minores Baſilicæ Aras plebem „ SS. Chriſti Corpore reficerent; imo frequentior „ ſolito eſſet ad Parœcias numerus Civium ad Sa„ crum Convivium aſpirantium: tamen ſub lucis „ ortum me Sacro huic miniſterio intentum uſque „ ad horam XXI. nova ſemper advenientium multi„ tudo ad Aræ Maximæ cancellos tenuit; imo for„ taſſe totidem jejuni integram famem, & inexpleta „ vota ad ædes ſuas retulere, cum tantæ multitudi„ nis deſiderio plurimorum Sacerdotum numerus par „ certe non eſſet; quare ampla hæc Baſilica totam „ ferme eam diem, donec veſpertinæ preces com„ plerentur, referta populo fuit. Voluptatem meam „ deinde cumulavit quod certo excepi: Summam „ ſcilicet Deo favente rerum tranquillitatem toto „ hoc, quod abfui, tempore in Urbe ſemper fuiſſe. „ Etenim ſi demas celebrata haſtiludia ſub Legato„ rum diſceſſum, feſti reliqui dies vacui ſemper „ profanis ſpectaculis fuere. Renovatum eſt ante „ adventum meum, quemadmodum per hoſce annos „ uſitatum fuit, de Quadrageſimali abſtinentia Edi„ ctum, neque illud quiſquam imminuit, præſertim „ cum lanii omnino abſterſerint macella biduo ante „ Dominicam in capite Quadrageſimæ; Quare unum „ dumtaxat deſignatum in Urbe eſt macellum, in „ quo carnes infirmis venales de more proſtant, „ (viget præclarum hoc inſtitutum etiam in hodier„ num diem). Exinde cauponas omnes, & propo„ larum tabernas omnes excuti juſſi; nec quidquam „ ullibi repertum eſt, quod jejunium Quadrageſima„ le non redoleret.

(*c*) Secundam hanc a Caroli adventu diem fuiſſe docet luculenter initium literarum, quas nota ſuperiore reddidimus.

Digitized by Google

ludis celebrare decreverat Gubernator; utque conſpectior rei fœditas eſſet, præjacentem Palatio ſuo aream ſpectaculo deſtinaverat. Hac maxime ratione, ſcripſerant Oratores Romæ agentes, finiri cauſam poſſe, abrogarique legem, quæ diem illam publicæ hilaritati eripuiſſet [a]: Decretorum vim timendo, obſequendoque invaleſcere, nec ullum jubendi, ſanciendique finem Archiepiſcopo fore, quandiu faciles ad parendum animos inveniret: Lenta, & incerta Romæ judicia eſſe, quibus proinde certa, & antiqua Mediolanenſium privilegia committi, neque prudentiæ, neque juſtitiæ conſentaneum videri. Accenſus his literis Gubernator, Centurioni mandaverat, ut turmales ſuos Ticino ex hibernis accerſeret, paratoſque ad ludicros decurſus haberet. Rem gratam Populi, ac Nobilium oculis ſe exhibiturum putabat, quos propterea publico edicto ad ejus ſcænæ pompam, imo ad ſocietatem ejus flagitii invitaverat. Sed Divino quodam conſilio accidit, ut ſe non modo a nobilioribus Civium, verum etiam ab Uxore ipſa, Liberiſque ſuis deſtitutum videret [b]. Tam piis tamen exemplis nihilo mitior factus, inter adulatorum illecebras, & rudis plebeculæ plauſus per ſpetioſa equeſtris pugnæ ſimulacra atrox adverſus Eccleſiæ decreta bellum ciebat. Eodem tempore Carolus poſt abſoluta Sacrorum ſolemnia ſuggeſtum conſcenderat, ut Pontificiæ Benedictionis munus Roma nuper allatum Populo impertiret. Tum vero equites non procul a Templi valvis acrius obſtrepere: majore impetu renovari certamen; diſſoniſque clamoribus, & clangore tubarum omnia permiſceri. Nonnullos auditorum timor inceſſerat, ne perturbatus ſtrepitu, aut perculſus injuriæ dolore Cardinalis, labente memoria, dicendi finem faceret. Ille ſublatis ad Cælum oculis paulum

(a) Interruptam Epiſtolæ ſuperioris ſeriem hic appoſite reteximus, quæ turbatam lætiſſimæ illius diei voluptatem, & rei hujus cauſam aperte docet. Sic itaque Borromeus proſequitur: „ Verumtamen ali „ quam tam ſolemnis diei partem humani generis „ hoſtis decerpere voluit, qui lucis illius ſerenitatem omnino tandem fœdavit. Dum enim ſumma „ populi religione Divina in Templo Officia veſpere obirem, inter affluentem plebis multitudinem „ auditi ſunt perſonati levis armaturæ equites elatis inter ſe lanceis procurrere. Aderat, ut reſcivi, Ayamontius ipſe ſpectaculo, atque illius filii; „ licet religioſiſſima ejuſdem Uxor præter morem „ ex palatio digreſſa eſſet, ne triſti admodum intereſſet ſcænæ. Vulgatum populari ſermone eſt, „ tragœdiam hanc omnem Ayamontii conſiliis concinnatam, qui etiam dicitur aliquorum animos „ interpoſitis minis tentaſſe, ut cibos vetitos proponere palam venales vellent. Audio etiam id „ factum ab adverſariis, ne a veteri ſua celebrandorum ſpectaculorum poſſeſſione excidant; cum „ miſſis Roma literis moneantur, ut jus ſuum mordicus retineant; quo retento futurum erit, ut „ Pontifex Legatorum votis conſuetudine etiam „ confirmatis indulgeat. Itaque novo ſe inobedientiæ crimine obſtrinxere, quod Civitatis univerſæ „ religionem offendit, præſertim ſi tempus ipſum „ attente expendamus. Non enim hoc conſilio feſtæ „ dumtaxat diei violata ſanctitas eſt, ſed primæ Quadrageſimalis Dominicæ, dum ego ex vetuſtiſſimo „ Eccleſiæ hujus Inſtituto Pontificali ritu Sacra peragerem, imo inter Divinarum precum ſolemnia, „ primum ad populum verba facerem poſt diuturnam „ abſentiam meam; in quo quidem Civium etiam „ omnium pietatem irridere viſi ſunt, qui eo tempore ab hujuſmodi ſpectaculis abhorrebant quam „ maxime, quin etiam eodem die frequentiſſimi ad „ Aras acceſſerant, ut de Sacri Convivii ſuavitate „ perciperent &c.

(b) Habita ſuper hoc deinde quæſtione, Carolus iterum rem totam, prout acta erat, explanat, & deſcribit Speciano his verbis: „ Divino certe Numine permittente effectum eſt, ut Ayamontius haſtiludia celebraret, quo teſtatum magis Summo Pontifici fieret, quantum Mediolanenſis populus Decreta mea amplecti paratus ſit, atque hujuſmodi „ inania ſpectacula averſetur. Etenim nemo Civium „ particeps equeſtrium ludorum fuit, licet prehenſati „ plures, & infra dignitatem ſuam ab Ayamontio ipſo, „ & Filiis pellecti ad eos videndos fuiſſent. Vacua decurrentibus arena erat futura, niſi exteri milites „ Ticino huc fuiſſent evocati, qui quemadmodum „ longe Mediolano aberant, ita magna ex parte „ Decreta mea, & contrarias ſanctiones ignorabant „ & poſtmodum certiores de lege facti, nunquam inducere animum voluerant, ut Demarcho obtemperarent, niſi minæ interveniſſent, quibus coacti „ ſunt arma ſumere, ne vetera ſtipendia amitterent, „ aut ex Militum albo expungerentur. Nullæ huic „ ſpectaculo fœminæ interfuerunt, ſi eas excipias, „ quæ domeſticis officiis in aula addictæ ſunt. Anna „ vero illius Uxor domo egredi mature a prandio „ ſtatuit, ut egreſſu ſuo ludos anteverteret, & in „ Templo Maximo adeſſe precibus veſpertinis optabat, niſi muta tunc, & vacua Baſilica fuiſſet, „ quandoquidem paulo ante populum a Synaxi dimiſeram, quæ ad id temporis fuerat protracta. „ Vetuit tamen pro auctoritate ſua, Filios in equis „ decurrere, quamvis ii intereſſe ſaltem haſtiludiis „ voluerint, eamque ſaltem maternis præceptis reverentiam detulerint, ut rogati, & pene coacti „ cum aliis congredi conſtanter recuſaverint, contrarium Matris imperium ſemper cauſati.

Digitized by Google

lum moratus majore ſpiritu ſermonem recepit, nec ante noctem Divinis Officiis finem impoſuit, quæ oriente die inchoaverat.

Poſtero die, cum de iis, quæ pridie evenerant, conſultationem haberet, omnium ſententia fuit, publicis locis ſchedulas de more affigi oportere, quæ profani ſpectaculi auctores primum, deinde executores, nec non eos, qui interfuerant, pro ut anno priore ſtatutum fuerat, devotos Orco, aut Eccleſiæ ingreſſu prohibitos declararent [a]. Qui terror cum multos ejuſdem culpæ conſcios ad pœnitentiæ tribunal adduceret, adeo nihil Gubernatorem movit, ut nonnullos militum, quos ad conſcientiæ quietem eodem remedio uſos eſſe cognoverat, in carcerem trudi juberet.

Erat eo tempore Mediolani quidam ex ſodalitio Capuccinorum Sacerdos [b], antiquæ ſinceritatis homo, & adulationis neſcius, cujuſmodi in Magnatum aulis plures eſſe oporteret. Hic invento ad Gubernatorem aditu, non deſtitit objurgare licentiam eorum, qui majorem in republica potentiam adepti ſacros Præſules, & Eccleſiæ jura deſpiciunt, eique gravibus verbis oſtendere, quantæ ex illo contemptu Catholicæ Fidei, Regnorumque clades oriantur. Eodem animo, cum die quodam e ſuggeſtu diceret, Sacerdotum ſive avaritiam, ſive mollitiem acerrime reprehendit [c], qui ad moderandam Principum con-

(a) Quam pedetentim, & ſuſpenſo veluti digito vulnus hoc attrectaret, ne nimium dolorem commoveret, habemus ex reliquis nuper recitatæ epiſtolæ verbis: „ Quam proni in Antiſtitis ſui obſequium Mediolanenſes ſint, ex hoc cognoſcas velim. Recitatis „ palam dictis, quas in ejus ſcænæ ſpectatores, nullo tamen indicato, pronunciaverat: turmatim venêre complures tam funeſtis vinculis abſolvi poſtulantes. Ex iis autem erant, qui vel caſu in „ ſpectaculum incurrerant, vel quadam, ut aſſolet, „ videndi cupidine ſtimulati ad ſtrepitum & clamores convolaverant, magis alieni criminis explorandi, „ quam perpetrandi ſtudio incenſi. Et quamquam vix „ certæ inobedientiæ ſibi conſcii videbantur, ad Sacra Tribunalia venêre, ut quemcumque animo infixum ſcrupulum evellerent. Item hujuſmodi interdicti laqueis liberavere ſe alii ex aulicis, & Ayamontii „ domeſticis, inter quos fuit illius Conſanguineus. „ Omnes tamen fatebantur, ſe caſu dumtaxat illinc „ tranſeuntes ignaros oculos in ludicrum certamen „ convertiſſe. Non me fugit, Legatos Romæ magnificis verbis id mihi crimini daturos. Objicient „ enim, infinitam hominum multitudinem tam levi de „ cauſa gravibus vinculis fuiſſe conſtrictam. Ego „ tamen nominatim nullum irretivi, ſed generatim „ denunciari juſſi, Sacris interdictum eſſe iis omnibus, „ qui haſtiludium celebraſſent, atque vidiſſent: neque „ idcirco eorum conſuetudine reliqui abſtinere debent, cum nullus ſingillatim hac pœna fuerit damnatus. Sane certa hæc in incertum pronunciata „ ſententia omnibus terrori fuit; atque efficiet profecto, ne quis in poſterum Eccleſiaſticis Edictis „ audeat debitum honorem detrahere. Nihilo tamen „ minus inſtituta quæſtio eſt in ſpectaculi authores, „ ut publicè anathema in eos pronunciem. Horum „ ducem audio fuiſſe Joannem Baptiſtam Reynam. „ Sed in hac quæſtione ab Ayamontio, ejuſque Filiis „ abſtinebitur; videor enim mihi ſatis Paſtoralis officii auctoritatem firmaſſe, & populo ſalubre exemplum conſtituiſſe; immo prævideo, ſi hac in re „ aliquid iterum moliri Demarchus velit, neminem „ fore ſpectatorem ludi tam execrati, quin etiam „ nullum omnino ludum fore; quandoquidem ſi perditiſſimos quoſdam excipiam, milites ipſi Ayamontio obſequi potius recuſabunt, quam Eccleſiæ; cum „ Hiſpani, qui maxime illi ſtudent, vehementer ſe „ hac injuria commotos eſſe teſtentur. Quare itérum affirmo, utilem admodum ad ſtabiliendam „ Paſtoralem dignitatem fuiſſe, & fore hanc occaſionem, ſi ſapientiſſimi ſuffragii ſui momentum „ Sanctiſſimus Pontifex huic cauſæ adjiciat. ' Ceterum ne tanti ſceletis diſſimulatio arguere aliquem timorem videretur, voluit Carolus ſchedam, qua Interdicto mulctati certaminis ſpectatores denunciabantur, palam in Sancti Fidelis Æde legi, quo tempore Orationi Sacræ audiendæ Ayamontius intererat, ut ex Senecæ teſtimonio habemus.

(b) Pater Alphonſus Lupus hic eſt natione Hiſpanus ex Capuccinorum Cœtu propter eximiam in dicendo vim, ac facundiam Carolo probatiſſimus. Eum obtinuerat Borromeus jam ab anno ſuperiore per Cardinalem Sanctæ Severinæ ſui Ordinis Protectorem. In annos vero ſequentes cum rogatus a Speciano eſſet, ut altetius cujuſdam Epiſcopi precibus optimum eum Oratorem vellet concedere, reſpondit per literas: „ Permiſſa mihi a Cardinali „ Sanctæ Severinæ hujus Concionatoris poteſtate „ tum decedam, cum aut Lupus, aut Borromeus „ ex hoc mundo excedet; quare eum mihi habere „ volo, nec unquam mihi in mentem veniet illius „ dimittendi minima opinio. Nimium ille Medio„ lanenſibus acceptus eſt, & mihi. " Tamen cum nihil adeo perfectæ ſuum Carolus haberet, cujus poſſeſſionem abdicare non eſſet etiam paratiſſimus, aliquot poſt annis, ut Marci Antonii Columnæ votis indulgeret, Panormum ad Sacras Conciones dimiſit. Hujus eximii Concionatoris laudes uberiore ſtylo perſecutus eſt Federicus Cardinalis Borromeus Libro II. Egregii Opuſculi, quod de Sacris ſuorum temporum Oratoribus inſcripſit.

(c) Cave tibi in mentem veniat, emptam hanc Apoſtolicæ vocis libertatem Caroli officiis fuiſſe. Nihil Iſte magis in Concionibus verebatur, quam inutilem auditorum offenſionem. Revera cum Romæ eſſet paulo ante, atque per Vicarii ſui literas intellexiſſet, Patrem Lupum liberius oratione ſua in Regis

conſcientiam adſciti blandiri potius, quam mederi eorum pravis cupiditatibus ſtudent, *magiſtri*, ut Apoſtolus ait, *prurientes auribus*, ſuarumque magis utilitatum, quam ſanæ doctrinæ ſectatores. Ita innocentiæ ſpeciem improbis etiam deſideriis affingentes viam innumeris flagitiis ſternunt, in quæ facilius itur, ubi peccandi pudorem, quo uno contineri Principum animi poſſunt, Sacerdotum indulgentia ſuſtulerit. Flexo deinde ad temporis conditionem ſermone, deplorare aliorum amentiam cœpit, qui anathematum vinculis obſtricti, quieti tamen, ac timoris expertes miſeriis ſuis indormiunt, neque æternos ignes, quibus tam proximi ſunt, ſentire ſe oſtendunt. Quo animi, & eloquentiæ vigore adeo profecit, ut Gubernator ipſe milites, quos in cuſtodiam tradiderat, extemplo dimitteret, pluresque alii execrationum, quibus notati erant, paulo ante immemores conſcientiæ ſuæ ſalutari dolore conſulerent. Ingentem vero terrorem contumacibus addidit Centurionis exemplum, qui ad violanda Quadrageſimæ initia equites ſuos Mediolanum acciverat. Cum enim profugus e vinculis, in quibus detinebatur, Luganum Helvetiæ ditionis oppidum ſe ſe recepiſſet, atque adeo tuta omnia circa ſe crederet, inimicorum telis confoſſus miſerrime occubuit.

Legati interim, qui Bacchanalium cauſam Romæ tuebantur, poſt attrita nequicquam Tribunalium omnium limina, fatigataſque Cardinalium aures [*a*], hoc denique reſponſum, quod ad ſuos referrent, a Pontifice accepere.

GREGORIUS XIII.

Dilecti Filii ſalutem.

„ EX veſtris literis, quas ternas [*b*] „ diverſis temporibus accepimus, atque ex ſermone Oratorum veſtrorum cognovimus ea, quæ de decretis dilecti Filii noſtri Caroli Cardinalis S. Praxedis, ejuſdemque Paſtoris veſtri Nos ſcire voluiſtis, quæque exponi veſtræ Civitatis, ac Provinciæ multum intereſſe exiſtimatis. Quod illius innocentiam, integritatem, vigilantiam, Dei gloriæ, atque animarum ſalutis zelum in Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda, & tuenda agnoſcitis, recte, ſapienterque facitis. Sic enim debitum virtuti teſtimonium tribuitis, dumque talibus factis lætamini, veſtram quoque pietatem, ac Dei timorem

Regis Adminiſtros fuiſſe invectum, reſpondit: „ Apprime nota eſt mihi ſancta Patris Lupi in dicendo libertas, & pia voluntas. Attamen invitus audivi, illum in habita nuper Oratione nimium manifeſte ad carpendos adverſarios ſermonem flexiſſe, præſertim cum illi abeſſent; quandoquidem hujuſmodi objurgationes aut parum, aut nimium auditoribus placent; & offenſionem non raro potius pariunt, quam utilitatem. Quare hac ſuper re contrariam mentem meam velim leniter illi aperias &c.

(*a*) Ab omnium ſubſelliis repulſos, & ſtomachi plenos Roma abiiſſe Legatos teſtatur Specianus, qui Carolo IV. Idus Martias hæc ſcribit: „ Tandem Mediolanenſes Legati hinc abſceſſere, atque, ut intellexi, iniquiſſimo animo. Nihil ab iis eblanditum ultra eſt, præter ea, quæ ultro antea conceſſa fuerant. At neque Breves literas aliter efferri, ut poſtulaverant, aut mitius concipi impetravere; quare ad ſuos maluerunt redire ſine reſponſo: ego tamen curabo, ut illud ad manus tuas perveniat, quo facilius ad Decurionum aures permanet. Ante diſceſſum poſtremas machinas Cardinali Sfortiæ admovêre, quem impenſe orarunt, ut ſub legationis ſuæ exitum nonnulla ſaltem ſibi parum utilia cum Sanctiſſimo Domino Noſtro tranſigeret, & minus triſte ſaltem reſponſum daret; ſed inanem omnino luſerunt operam, quandoquidem nihil ex jam datis literis Gregorius voluit imminui. Ita dimiſſi confugêre ad fraudes, atque calumnias; nam optimam Summi Pontificis in preces ſuas propenſi voluntatem agnoſcere ſe callide dictitarunt; unam dumtaxat Cardinalis Novocomenſis in te benevolentiam eam fuiſſe, quæ Sanctiſſimi Patris mentem, & ſana conſilia turbaſſet. Adjecere minas, & clamitarunt, ſe, cum Mediolanum redierint, ſcituros, quid optimum ſit facto &c. Ultimo cum viderent machinas ſuas omnes eludi, poſtularunt ſaltem, ut qui haſtiludio Quadrageſima ineunte celebrato interfuerant, poſſent Pontificia auctoritate pœnarum vinculis liberari. Verumtamen neque hoc a conſtantiſſimo Pontifice impetrare potuerunt, qui tamen, ut eorum periculo conſuleret, paterna caritate commotus, qua ceterum indigni ſunt, dixit ſe Mediolanenſibus *Jubilæi* indulgentiam impertiturum; cujus ope, ſi Borromeus annuiſſet, poſſent nocentes a privatis Sacerdotibus abſolvi.

(*b*) Geminas nimirum literas publico nomine, ſed privatim ſibi a Riccardo oblatas, hoc loco Pontifex innuit; tertias vero ab ipſis Legatis exhibitas.

Digitized by Google

„ rem declaratis. Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, inquit Propheta, idque magno cum fructu; reddit enim hæc lætitia vos ejuſdem cum Paſtore veſtro coronæ participes. Sic enim Abraham pollicitus eſt Dominus: *Benedicentibus tibi benedicam, maledicentibus maledicam*. Et quamquam veſtra, bonorumque omnium opinio non ſinebat nos ſuſpicari, quidquam a Paſtore veſtro gravius, aut ſecus, quam par eſt, decretum fuiſſe; tamen querelas expoſitas bonam in partem accipimus, laudamuſque veſtrum conſilium eas ad Nos deferendi, Noſtroque judicio ſtandi: ſic enim facere decebat filios optimos, atque huic Sanctæ Sedi addictiſſimos, quo nomine ſemper vos amavimus. Ut igitur veſtræ poſtulationi ſatisfaceremus, conſideravimus omnia quam diligentiſſime; & quia rationi maxime conſentanea, vobiſque ad ſervandum ſalutaria, & fructuoſa eſſe judicavimus, hortamur vos, ut ea prompto, atque alacri animo amplectamini: ac non modo nihil obſtetis; ſed veſtris etiam ſtudiis, auctoritate, opera, executionem adjuvetis. Nos enim Cardinali ipſi in omnibus mentem etiam noſtram aperuimus, & declaravimus. Neque vero ignoramus, poſſe decreta ipſa in hoc initio videri nonnullis paulo duriora; ſed evadent ſuavia, ſi bona voluntas acceſſerit, quam debet quiſque a Deo poſtulare, certiſſimeque expectare. Anguſta, atque aſpera via eſt, quæ ducit ad vitam, ſi corruptam ſcilicet naturam ſpectemus: at ſi Dei gratiam, *jugum meum ſuave*. Ubi vero ad obediendi voluntatem uſus etiam acceſſerit, experientur homines, leviſſima eſſe ea, quæ initio ducebant graviſſima. Maxime autem debet omnes conſolari optima Paſtoris voluntas; nihil enim aliud laborat, niſi de gregis ſibi a Deo commiſſi incolumitate, & ſalute, quam etiam ſuæ ipſius vitæ ſemper antepoſuit tanta cum caritate, quantam omnes perſpexiſtis. Committite vos igitur iis manibus, quas veſtris commodis, & ſaluti paratas, & inſervientes graviſſimis temporibus experti eſtis, animumque inducite talis, tamque veſtri amantis Paſtoris Decretis acquieſcere; inque eo gratiſſimum vos Deo facere, veſtroque officio ſatisfacere exiſtimate; ſic enim fruemini ea pace, quam Chriſtus tantopere commendavit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die IX. Martii MDLXXX. Pontificatus noſtri anno VIII.

Hoc reſponſum, quamquam in eo multa erant peramanter, atque honorifice dicta, iniquo animo tulere Legati, acriter queſti Mediolanenſibus imperari, quæ ne Romæ quidem, magiſtra ſcilicet Religionis, ac Fidei urbe, ſervarentur. Quam tamen querimoniam repreſſit illico Pontifex ſublato inani ſpectaculo, quo Saturnalia apud Romanos celebrari mos erat, initâque cum Cardinalibus ſuis ad præcipua Templa ſupplicatione, ut ſe promptiorem ad imitanda, quam corrigenda Caroli Inſtituta profiteretur [*a*]. Apoſtolicæ literæ Mediolanum perlatæ ad multum temporis in urbis tabulario latuere, ne irritæ legationis pudor in vulgus manaret [*b*]. Anno denique

(*a*) Ut facilius dicteria Civium ſeveritatem Carolo objicientium refelleret Pontifex, ſtatuerat lege ſancire, ut haſtiludia, & hujuſmodi ſpectacula ex univerſo Chriſtiano Orbe omnino tollerentur. Deinde attentius rei difficultate conſiderata, *hæc ſalutaria*, inquit, *Mediolanenſibus edicta ſunt, apud quos Cleri diſciplina viget, & publica populi floret religio. Verum, cum alibi diſpar ſit in pietatem hominum propenſio, impar quoque erit obediendi ſtudium*. Hæc Seneca habet in tabulis, teſtaturque ſententiam hanc a Gregorio ipſo ſe præſentem excepiſſe. Porro quanta in hoc eminet Borromei laus, qui tantam religionem in hanc Urbem invexit, quæ Nationum omnium pietatem ſuperare ex Pontificio dicto viſa eſt?

(*b*) Non adeo certum mihi erat quando Decurionibus Urbis iſtæ oblatæ eſſent literæ. Etenim reperi, ipſum Urbis Præfectum conſuluiſſe aliquando Carolum, ut quæ Pontificia de Decretis Ejus voluntas eſſet, ſibi aperiret: eo autem tempore jam Mediolanum Legati redierant; & teſtatus tum erat ipſe Urbis Præfectus, nihil in Decurionum Collegio relatum a Legatis de expeditionis ſuæ exitu. Præterea ad Specianum ſcripſit Carolus, Legatos reverſos ad ſe aliquando veniſſe, & conſtanter affirmaſſe, nullas ſibi Breves literas datas fuiſſe, quas ad

Digitized by Google

que decimo octavo post Caroli mortem, cum de Ejus sanctitate quæstiones haberentur, proditæ sunt inter testimonia virtutis [a], quam antiquo mortalium vitio incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi.

Hunc exitum habuit illa tot artibus instructa, tot humanis patrociniis fulta legatio, ingens sacris Pastoribus documentum, ne in sustinenda pietatis, & Ecclesiæ causa de Divinæ Providentiæ auxilio diffidant [b].

CA-

ad Cives referrent. Cum vero audissent se minitantem, oblatum iri manu sua Pontificias literas, cum earum haberet exemplar, subjecit, Legatos vehementer fuisse commotos, ut oris etiam colorem mutarent. Hæc itaque cum legerem in Ejus Epistolis hærebam animo: cumque viderem nihil redditum Decurionibus; & si quid redditum esset, ab uno Carolo fuisse fortasse offerendum: quomodo, ajebam tacitus, obsignatæ illæ literæ in Tabulario Urbis latebant? Sed tandem lucem attulit Speciani epistola, ex qua intellexi, diu apud Riccardum Romæ eas servatas fuisse, ipsique traditas a Legatis, dum Roma excederent, inani spe ductis fore, ut aliquid ex iis Pontifex mutare posset, unde minus indecora legatio Civibus sua videretur. Quare cum intactæ diu apud Riccardum Romæ latuissent, demum ab eodem perlatæ Mediolanum sunt, & Decurionibus redditæ, eo minori pudore, quo minus ad eum illius legationis dedecus pertinebat. Nemo autem illas resignare unquam voluit, quandoquidem jam certò tenebant Pontificiam voluntatem sibi a Carolo declaratam, qui literarum illarum apographon illis obtulerat. Etenim cum Sanctus Pastor videret incertam de legationis exitu Urbem suspensam esse animo, literarum exemplar ad se transmitti voluit, quod in Decurionum oculis defigeret. Attulit Roma illud Vercellensis Antistes Bonhomius mense Majo; quare ocyus disseminata per Urbem sunt plura earum exemplaria, Borromeo etiam invito; licet opportuna admodum fuerint ad factiones comprimendas. Unum ex his missum a Carolo est ad Philibertum Sabaudiæ Ducem, qui pro suo in Illum studio ingentem animo cepit voluptatem. Rem narrat in Epistola sua Franciscus Linus, tum Duci a Secretis, quam fideliter reddo: „ Dictitatum hìc a „ nonnullis fuit, Urbis istius Oratores Romam „ missos Pontificium responsum retulisse, in quo „ emendabantur leges tuæ, & quidam veluti limites Pastorali potestati definiebantur. Verum sani „ & probi Viri nullam his vocibus fidem unquam „ habuere; imo postquam earum Literarum exemplar Tu ipse huc misisti, rem ex adverso evenisse „ intuemur. Serenissimus Dux, coram quo recitatæ „ illæ sunt, ingenti lætitia affectus est, utpote qui „ propter pietatem ac religionem suam, & præsertim propter summam, quam Tibi defert, obser„ vantiam, jucundissime audit quidquid ad Dei gloriam & Episcopalis dignitatis honorem spectare „ animadvertit. Eadem est Caroli Principis voluntas, qui lectis literis mihi gaudium quoque suum „ impertivit: cumque adeo Tui studiosus sit, imo „ Tibi obsequentissimus, ut re ipsa est, affirmavit „ paratum se fore res tuas non solum verbis de„ fendere, sed etiam contra obtrectatores, & hostes „ tuos se libenter arma sumpturum. Neque præ„ teribo, quemadmodum injecta hastiludii isthic ce„ lebrati mentione, cum aliqui licentius senten„ tiam Tuam in profanos illos spectatores pronun„ ciatam carperent, Dux ipse gravissimo dicto eo„ rum audaciam compressit, atque in hæc verba „ postremo erupit: O beatos Mediolanenses, donec „ tanto Pastore frui illis dabitur!

(a) Hæc integre servatarum Literarum laus tota est Julii Cæsaris Corii nobilissimi J. C., qui Urbis Præfectus fuit, & fide sua Sancti Pastoris gloriam ab interitu vindicavit. Juvat referre ipsius verba, quibus anno MDCIII. in Metropolitano Templo coram Alexandro Mazenta ejus Basilicæ Canonico Ordinario ad quæstionem pro Apotheosi habendam delegato, ille productus teitis rem totam aperuit. Recito autem latina ejusdem verba, prout consignata sunt Tabulis in Archivo Sancti Sepulcri existentibus pag. 3179 „ Quis non recordatur missum fuisse ad im„ pugnanda Decreta tanti Præsulis Comitem Luini „ Petrum Antonium N. & Camillum N. Ii Viri, „ quamquam missi fuerint ad impugnanda tanti Viri „ Decreta, coacti tamen fuerunt fateri, quod per „ Eum emendati fuerunt mores tum Cleri tum po„ puli, & restituta in pristinum Christiana disciplina tum exemplo vitæ, tum optimis Institutis. „ Quare non mirum, si postmodum emanarint Literæ illæ Pontificiæ, quibus nihil potest esse illu„ strius ad testificationem tantæ virtutis. Hæ Literæ „ quidem mihi tum Præfecto Urbis fuere præsentatæ, non tamen in Actis, ut debuit, positæ fue„ runt, quia prohibuerunt illi, qui summam rei „ tenebant. Quare illas obsignatas, ut erant, ha„ ctenus servavi, quas nunc coram vobis resigno, „ ut recitentur, earumque verba testimonio meo „ inserantur &c.

(b) Suum etiam exitum habuere geminæ legationes, quibus Riccardus Urbis nomine functus est, licet ex publicæ non fuerint, sed illi dumtaxat privata auctoritate demandatæ. Jam alibi adnotavimus, ejus manu oblatum Pontifici supplicem libellum, in quo infinitæ congerebantur querelæ contra Borromei sanctiones. Alium insuper obtulerat ejusdem notæ paulo ante, quam Carolus Romam proficisceretur. Ne itaque vacuas responso has querimonias dimitteret, opportunas literas Gregorius dedit, de quibus frequenter vidi injectam mentionem in Caroli literis, licet nullibi exemplar nancisci possem. Venit tandem ad manus in Volumine Epistolarum latinarum, quas Joannes Baptista Amaltheus conscripsit, dum Borromeo a Secretis esset, nunc inter MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ asservato. Placuit autem hujusmodi Literas integras recitare, utpote ad historiæ integritatem pertinentes, & novitate ipsa legendi fastidium fortasse solaturas.

GRE-

Digitized by Google

GREGORIUS PP. XIII.

„ Dilecti Filii ſalutem & Apoſtolicam Benedi-
„ ctionem. Cùm ex Literis, quas binas di-
„ verſo tempore ſcriptas a Vobis accepimus, tum
„ ex iis, quæ præterea uberius Civitatis iſtius no-
„ mine Jacobus Riccardus coram expoſuit, dili-
„ genter cognovimus quæcumque Nobis de Cardi-
„ nale Sanctæ Praxedis veſtro Archiepiſcopo ſigni-
„ ficare voluiſtis. Quo in officii genere primum
„ quidem, quod Illius & Paſtoralibus laboribus, &
„ vitæ innocentia Eccleſiaſticam diſciplinam olim
„ perturbatam, ac plane laborantem iſthic magna
„ ex parte reſtitutam eſſe dicitis: hoc Nos vehe-
„ menter, intimeque in Domino gaudemus; non
„ enim ſolum Archiepiſcopalis erga vos Caritatis
„ officium, ſed beneficium etiam, quod ex pia,
„ neceſſariaque Illius cura jam accepiſtis, ita agno-
„ ſcere videmini, ut quam Paſtori de vobis præſer-
„ tim bene merito debetis, animi etiam pietatem
„ oſtendatis ſane non minimam. At vero illud non
„ poſſumus pro eo ſane, quod vos unice in Chri-
„ ſto diligimus, non vehementer dolere, quia ex
„ veſtris ipſis literis, atque ex iis, quæ Riccardus
„ quoque retulit, in dubitationem aliquam veni-
„ mus, ne in ſalutis veſtræ curſu id quodammo-
„ do adumbrare videamini, quod Divinæ Scripturæ
„ monimentis de populo Iſraëlitico proditum eſt.
„ Nam is duce Moyſe e tetra illa Ægyptiacæ ſer-
„ vitutis caligine divinitus liberatus in via cum eſ-
„ ſet, parum memor divini beneficii, & oblitus
„ terræ promiſſionis, quò ducebatur, nec vero ſtu-
„ dium, ſolicitudinemque agnoſcens, quam pro ejus
„ ſalute Moyſes ſuſcipiebat, ſæpe de illo, vel po-
„ tius de Domino conquerebatur, ac murmurabat,
„ cum modo hoc, modo illud contumaciter, in-
„ gratoque animo expeteret: Imo in recordatione
„ dum aliquando eſſet cucumerum, & aliorum
„ etiam ciborum, quibus vilius in Ægypto veſce-
„ batur, præ eorum appetitione mannam cæleſtem
„ divino munere ſibi datam faſtidiebat, præque deſi-
„ derio non modo cogitabat, ſed ſermonem etiam
„ inibat de reditu in Ægyptum. Quo tandem
„ factum eſt, ut in ſe ira Dei concitata, malis
„ graviſſimis, & teterrimis plagis varie affectus
„ ſit. Videte igitur, ne quod de eo commemora-
„ tum eſt, ne ulla quidem facti ſpecie imitemini:
„ Nos certe pro paternæ dilectionis zelo valde ve-
„ remur Jam enim Dei munere, ac miſericordia
„ inſigni e quibuſdam morum tenebris duce Ar-
„ chiepiſcopo educti vos, in via veſtræ ſalutis,
„ quam monitis, conſiliis, diſciplinæque legibus
„ ille communivit, non ſolum quaſi immemores
„ ſalutarium progreſſionum, beneficiique ſimul,
„ quod illius miniſterio vobis, atque adeo univerſæ
„ Provinciæ divinitus quidem factum eſt; ſed tam-
„ quam memoriam abjeceritis cæleſtis illius patriæ,
„ & ſempiternæ beatitudinis, ad quam procreati
„ jam inde a Baptiſmi tempore iter ſuſcepiſtis, &
„ progreſſi eſtis non ſine laude virtutum veſtrarum
„ ſpiritualium: nunc retrorſum ad laxiores vias
„ converti, quaſique in Ægyptum, ad priſtinam
„ ſcilicet noctem, redire aliquo pacto velle vide-
„ mini. Et vere cum jam ſpiritualium ciborum,
„ quos vobis in dies prope ſingulos Paſtor veſter
„ tam ingenti ſolicitudine apparare ſtudet, faſtidium
„ vos tenere incipiat; ſubverendum Nobis eſt, qui
„ ſalutaris veſtri progreſſus cupidi ſumus, ne illos
„ parum ſalutaris diſciplinæ uſus rurſus appetatis,
„ quibus olim iſtam Provinciam paſci, vos optime
„ omnium meminiſſe poteſtis. Atque hoc quidem
„ fortaſſe illud eſt, quod non ſine quadam expo-
„ ſtulatione, quodamque murmure, quem contra
„ ducem veſtrum ſpiritualem modo adhibetis, Il-
„ lius decreta objicitis, utpote cum nova illa qui-
„ dem inuſitata, atque adeo aſperiora & putetis
„ & plane nominetis. At ſi vos pro veſtra ſapien-
„ tia, conſtantique opinione, quæ ab Archiepiſcopo
„ ſancita ſunt, recta via, id quod de vobis non
„ ſolum ſperamus, ſed certo pollicemur, aliquan-
„ do reputabitis: conſentientibus ſenſibus in eo
„ plane perpetuo eritis, ut exiſtimetis, quemadmo-
„ dum initio literarum veſtrarum profeſſi eſtis, Il-
„ lius ſanctionibus iſtius Diœceſis, Provinciæque
„ jam plane fluxam diſciplinam ad priſtinum ſtatum
„ multis partibus revocatam eſſe. Quod ſi ita eſt,
„ ſicut certe eſſe notiſſimum omnibus eſt, veſtriſ-
„ que etiam literis ſignificatum; tantum abeſt, ut
„ Decreta, quæ ad morum inſtaurationem tantum
„ roboris habuerunt, vitio detis, ut non modo
„ præclare in Domino laudare, ſed ſumma obe-
„ dientia, ſingularique ſtudio obſervare debeatis.
„ Atque idipſum quidem vos, quibus pro bono pu-
„ blico ſumma conſenſione magnopere curandum
„ eſt, ut Majorum veſtrorum pietate, virtute,
„ dignitate in omnes partes iſtius Civitatis uſus
„ conformetur, tanto conſtantius par eſt efficiatis;
„ quanto certior, atque exploratior vobis eſſe po-
„ teſt illorum Decretorum ratio, cum ſpiritualibus
„ commodis, fructuque ſalutari conjuncta. Sunt
„ enim ea, quæ objicitis, partim vel Sacrarum Li-
„ terarum fide, vel antiquiſſimarum Traditionum
„ auctoritate, vel Patrum teſtimonio, doctriniſque
„ communita: partim vero Sacrorum Canonum ju-
„ dicio comprobata, ut Pontificum Prædeceſſorum
„ noſtrorum Conſtitutionibus corroborata, aut anti-
„ quorum Conciliorum Canonibus, & Tridentini
„ Sacroſanctis Decretis, & rationibus conſentanea,
„ aut certe cum veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſu
„ congruentia: quæque denique non aliò plane
„ ſpectant, quam ut dierum Feſtorum ſanctificatio
„ debito cultu, veneratioque celebretur; & reli-
„ gioſa conſuetudo cùm in Eccleſiis, tum in viis,
„ quo tempore ad ſacras Stationes, ſanctaſque ce-
„ lebritates concurſus fit, ea ſervetur, quam Divi-
„ næ pietatis officium poſtulat, & inſtitutum; Ri-
„ tuſque priſtinus Quadrageſimalis temporis ad uſum
„ revocetur, & veſtrorum Beatiſſimorum Martyrum
„ præſertim Gervaſii & Protaſii, quos apud cæle-
„ ſtem Dominum Patronos in omni temporum va-
„ rietate Majores veſtri pie, religioſeque adhibue-
„ runt, dies feſtus ad ſolemniorem cultum reſti-
„ tuatur: & iſtius Eccleſiæ jam ſanctiſſimis Inſtitu-
„ tis florentiſſimæ Rituum diſciplina ad Divinorum
„ Officiorum rationem, uſumque recte, ut olim,
„ adhibeatur. Hæc porro omnia, cum ad Chriſti
„ Jeſu gloriam, ad Religionis ſtudium, ad virtu-
„ tum Chriſtianarum exercitationem, & ad ſempi-
„ ternam pietatis veſtræ memoriam pertineant,
„ qualia plane exiſtimanda ſint, vos ipſi facile
„ intelligitis. Neque vero jam eſt, cur de Paſto-
„ re veſtro, qui omnium opinione, ut eſt Sancti
„ Ambroſii, Patris, Patronique veſtri, pietatis ac
„ virtutum ſtudioſus, ita ejus Rituum, quos iſta

„ Ec-

„ Eccleſia colit, pius Conſervator, & Defenſor, „ judicetis id, quod ſcribitis, de illis immutaſſe, „ præſertim qui ad Sanctiſſimum Sacrificium, Di„ vinaque Officia pertinent. Ab hoc ſane judicio „ abeſſe debetis quam longiſſime, tum quia con„ tra apparet, tum quia veſtrum non eſt. Quod „ autem Quadrageſimalis temporis initium fieri ille „ ſtatuit a Dominica, quæ Ritu Ambroſiano *in* „ *Capite Quadrageſimæ* dicitur; id ita plane eſſe cum „ ex argumentis certiſſimis, & teſtimoniis Patrum „ graviſſimis, & doctrinis Beati Ambroſii, & iſtius „ Eccleſiæ monimentis, Nos, re diligenter conſi„ derata, cognoverimus; Archiepiſcopale Decretum „ eo de genere jam pridem promulgatum, recte, „ riteque factum ſtatuimus, & Apoſtolica auctorita„ te ratum habuimus, confirmavimus, & commu„ nivimus; neque vero quidquam, ne conſuetudi„ nem quidem licet immemorabilem, obſtare ſan„ cimus, & declaramus. De Feſtorum autem die„ rum, quos ab Archiepiſcopo decretos eſſe ſcri„ bitis, multitudine, non ita ſe habere ex eo plane „ nos cognovimus; quod cum iſta Eccleſia ſingula„ ri Dei dono ac munere complures Martyres, & „ Archiepiſcopos triginta ſex in numerum Sanctorum „ relatos habeat, eorum, præterquam Sancti Bar„ nabæ, ut iſtius Eccleſiæ perpetuæ traditionis eſt, „ primi Epiſcopi Mediolanenſis, & Sancti Ambro„ ſii, diem feſtum nullum ſanctificetis, neque co„ latis; Quod ſic quidem eſſe vos teſtes eſtis, qui „ non tantum ex Divinorum Officiorum Ritibus, „ ſed ex religioſis Eccleſiarum ædificationibus cul„ tum perſpicitis, qui omni celebritate ſolemnis „ admodum Beatiſſimis veſtris Martyribus Gervaſio, „ Protaſio, Nazario, Celſo, Victori, Nabori, Fe„ lici, a veſtris Majoribus olim adhibitus eſt. Recte „ igitur, & cum Religionis pietate congruenter „ Archiepiſcopus fecit, qui in horum Martyrum „ aliquo numero, his temporibus, quibus iſtam „ Civitatem peſte, & aliis incommodis, calamita„ tibuſque aliquando afflictam vidit, feſti ſaltem „ diei, qui fortiſſimis Chriſti Martyribus Gervaſio, „ & Protaſio Civibus veſtris dicatus eſt, rationem „ habere voluit, decreto promulgato, quod ſane „ Nos auctoritate Apoſtolica tunc ſancivimus & „ corroboravimus; hocque libentius fecimus, quo„ niam eorum die ipſo Natali Italiæ pace conciliata, „ Sanctiſſimus Gregorius Primus Prædeceſſor no„ ſter aliquam Divini Officii partem de illis inſtituit „ ad ſempiternam rei memoriam, quæ, eorum in„ tercedentibus meritis, bene, proſpereque ſucceſ„ ſit. Id Pontificiæ pietatis officium erga Martyres „ Mediolanenſes cùm animos veſtros ad feſti eorum „ diei ſanctificationem religioſe incitare debet; tum „ illud etiam, quod Beatiſſimus Ambroſius perpe„ tuus iſtius Civitatis Patronus, quo primum tem„ pore Sacra illorum Corpora, Dei admonitu, in„ vênit, in ipſorum meritis, atque interceſſionibus „ tam fidenter ſuam, populique ſui conſtituit de„ fenſionem: quam ob cauſam æquiſſimum eſt, „ eoſdem a vobis ut Patronos omni ſtudio coli, „ illorumque diem feſtum rite ſanctificari, ut quo„ rum memoria jam uſque ab eorum Martyrii tem„ pore ubique terrarum in omni Eccleſia celebris „ fuit: perpetuo debita veneratione, ſolemniterque „ apud vos in iſta Diœceſi, & Urbe potiſſimum „ colatur, ubi nati ſunt, ubi diu Fidei Chriſtianæ „ doctrinam tradiderunt, ubi in teterrima Neronis „ perſecutione Martyrium præclaris confeſſionibus „ ſubierunt, ubi tot miraculis præluxerunt, ubi „ monimenta extant divinorum beneficiorum, quæ „ illorum precibus Clerus, populuſque Mediola„ nenſis perpetuo a Dei miſericordia accepit, ubi „ Sacra eorum Corpora pie, religioſeque in Baſili„ ca Ambroſiana ab eodem Beatiſſimo Ambroſio „ ſumma populi Mediolanenſis lætitia, incredibili„ que finitimarum etiam gentium concurſu, & ce„ lebritate recondita ſunt. Quod vero de Archie„ piſcopi Decretis, Edictiſque iis ſcribitis, quibus „ haſtiludia, choreæ, & id generis alia, Domini„ co, feſtoque die vetantur, ac interdicuntur, „ idque ferre videmini non æquo plane animo; „ iſtud profecto valde alienum eſt a pietate, & „ religione, quam adhibendam ſacris illis diebus „ cenſemus, qui Divino cultui, Divinis myſteriis, „ Sanctorum venerationi, ſanctitatiſque operibus ex „ Spiritus Sancti doctrina dicati ſunt; quam ob rem „ Apoſtolicis noſtris literis ad perpetuam memo„ riam editis, Archiepiſcopo veſtro mandavimus, „ totis in Chriſto viſceribus ad id incumbere, ut „ non modo, quæ mox ſupra commemorata ſunt, „ ſed quaſcumque umbratiles certaminum exercita„ tiones, choreas, tripudia, ſaltationes, ludos ſce„ nicos, ludicraque cujuſvis generis ſpectacula, tam „ equeſtria, quam pedeſtria, atque alias hujuſmodi „ exercitationes, quales quales ſint, circulatoriam „ item artem, perſonataſque actiones fieri, edive, „ noſtra etiam Apoſtolica auctoritate propoſitis, „ ſancitiſque iis pœnis, & cenſuris prohibeat, & „ interdicat, quas arbitratu ſuo proponi, ſancirique „ licere ſtatuimus, & conceſſimus. Vobis autem, „ quorum non ignota eſt Nobis pietas, jam per„ ſuaſum eſſe debet, illud cum omni æquitate, „ omnique ratione conjunctiſſimum eſſe: quos dies „ ſibi Deus reſervavit, totos Divinæ pietatis offi„ ciis, caritatiſque operibus conſumi. Itaque unuſ„ quiſque veſtrum pro diligenti ſalutis ſuæ ſtudio, „ quo nihil potius habere debet, explosis ac repu„ diatis rerum inanium ſpectaculis, abjectis Mundi „ operibus, feſto die hæc ſtudeat, primum ſolem„ nis Miſſæ Sacrificio, ac Divinis Officiis intereſſe, & „ præterea Sacras audire Conciones, Lectiones, in „ Chriſtianæ Doctrinæ Scholis diutius verſari, ora„ tioni inſtare, ſupplicationes publicas obire, Ec„ cleſias frequentare, peccata confiteri, Sacram „ Euchariſtiam religioſe ſumere, in iis denique of„ ficiis ſe ſe exercere, quæ caritatem continent, „ pauperibus & egenis pro facultatum modo elee„ moſynam tribuendo, ægros homines viſitando, „ mœrentes pie conſolando. Hæc porro officia, & „ alia hujuſmodi ut præſtare quiſque poſſit, vos „ videtis, quam procul profanæ illæ, voluptuariæ„ que actiones, & occupationes arcendæ, atque „ exterminandæ ſint; eoque diligentius, quo ma„ gis perſpicue manifeſtum jam nunc eſt, non „ modo tot, tamque nefanda flagitia, & ſcelera, „ ſed multiplicem peccandi occaſionem, & materiam, „ innumerabilium malorum ſeminarium, totque de„ nique Divinarum offenſionum radices inde exori„ ri omnino. De ordine præterea & diſtinctione „ Eccleſiarum, & religioſa conſuetudine, quam in „ Eccleſiis Archiepiſcopus præfinivit, id cum recta „ Chriſtianaque diſciplina cohærens, cùm Patrum„ que rationibus conſentaneum eſt, tum a Nobis „ comprobatur; tantoque a vobis diligentius ſer-

„ van-

„ vandum esse censemus, quanto magis cum ho-
„ nestate, & religione convenit. Quod ad cetera
„ pertinet, quæ ab Archiepiscopo de Metropolitanæ
„ suæ Ecclesiæ, aliarumque Fabricæ modo, & orna-
„ tu vel acta, vel constituta, vel deliberata, vel
„ decreta detulistis, in iis ipsis nihil sane quidquam
„ ab eo actum esse exponitis, quod Nos non com-
„ probemus. Imo vero omnis hæc cura, quæ ad
„ Divinum, Ecclesiasticumque cultum ulla ratione
„ spectat, per Nos Ei, Archiepiscopisque Successo-
„ ribus relinquitur, atque adeo committitur, ut
„ quod Is, vel Illi hoc de genere deliberarint,
„ statuerint, decreverint, in executionisque usum
„ perduxerint, id a vobis præstandum censeamus.
„ Reliquum est, ut omnia quæcumque ab Illo vel
„ gesta, vel decreta ad Nos retulistis, sciatis non
„ modo salutaritet excogitata fuisse; verum etiam
„ ab animo illius Pastoris profecta, qui ardet in-
„ credibili zelo salutis vestræ, quique tanta erga
„ vos caritate accenditur, ut cogitationes, consi-
„ lia, actiones, opes, studia vitæ, atque adeo
„ vitam in communem vestram utilitatem, spiritua-
„ liaque commoda perpetuo conferat. Id sane ve-
„ ro cùm alias semper, tum afflictissimo pestilentiæ
„ tempore vos ex ejus periculo cognovistis. Itaque
„ causas habetis, easque justissimas, ut non modo
„ a Decretorum sanctionibus Archiepiscopi non re-
„ fugiatis; sed, quemadmodum certe debetis, illis
„ omnino pareatis: hocque diligentius quod, si
„ justitiæ, pietatis, religionis Patrum vestrorum
„ monimenta recolitis, & tantarum virtutum im-
„ pressa in illis vestigia animadvertitis, id vobis
„ persuadebitis, fore utilitati, & saluti, & gloriæ
„ etiam sempiternæ. Sic ille Constantinus Magnus,
„ sic Theodosius, sic Ludovicus Rex, sic innume-
„ rabiles alii Principes, & populi, qui rerum ge-
„ starum gloria floruerunt, cum ubique terrarum
„ nomen propagassent, ita erant Episcoporum jussis
„ obsequentes, ut non tam ceterarum virtutum
„ fama, quam illa obedientia gloriati viderentur.
„ Tantum igitur abest, ut Archiepiscopi ulla dili-
„ gentia in Ecclesiastica disciplina apud vos vel
„ tuenda, vel augenda, vel certe restituenda aliquam
„ vobis notam inurat, ut etiam si studiose parea-
„ tis, magna inde vestræ Civitati laus, & gloria
„ comparetur: quemadmodum contra nihil fere
„ magis gloriæ vestræ splendorem obscurare potest,
„ quam si Pastori vestro omni solicitudine vestram
„ salutem procuranti, ulla in re desit prompta vo-
„ luntas vestra, obsequium, & obedientia. Jam vero
„ quod scribitis de nonnullorum hominum indi-
„ gnatione, & patrato ob eam causam facinore,
„ non est propterea, cur abrogentur Episcoporum
„ Decreta, aut recte facta minus probentur; sed
„ improbitas eorum, qui cum carnis opera mo-
„ liantur, carnisque spiritu cuncta metiantur, ad
„ nefaria quæque impelluntur, acerrime coërcenda
„ est; neque istorum projecta temeritas timenda.
„ Si enim ita res est, inquit Beatissimus Martyr
„ Cyprianus, ut nequissimorum timeatur audacia,
„ ut quod mali jure, & æquitate non possunt, te-
„ meritate, atque desperatione perficiant: actum est
„ de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ guberna-
„ dæ sublimi ac divina potestate. De illa autem
„ Decretorum multitudine, quam objicitis, Nos ita
„ sentimus: nullum scilicet in illis sanciendis mo-
„ dum Pastoribus præfiniri oportere, qui sicut non
„ habent definitum in bene, sancteque agendo pro-
„ grediendi terminum; ita Cleri, populique institu-
„ tionem, prout tempora postulant, multiplici sa-
„ lutarium legum ratione ad majora semper, adju-
„ trice Divina gratia, perducere debent.

„ Atque hæc quidem sunt, quæ vobis rescriben-
„ da statuimus, eademque uberius, & alia etiam
„ ex literis ad perpetuam memoriam editis, & ad
„ eumdem Archiepiscopum per Nos datis, cogno-
„ scetis. Vestrum est, cum jam Dei beneficio a
„ via, quæ ducit ad interitum, deflexeritis, rectæ,
„ salutarisque disciplinæ semitas sequi: utque, dum
„ bene curritis, nemo vos impediat Archiepiscopi
„ vestri Pastoralibus præceptis obedire. Amplectimi-
„ ni monita, & consilia Ejus, cujus Caritas jam-
„ diu nota vobis est. Nec vero vestri jam dissimi-
„ les vos sitis, quibus, Deo bene juvante, quasi
„ hæreditario jure modestia, morumque probitas,
„ & obedientiæ virtus relicta est a Majoribus ve-
„ stris, quorum in bene agendo studium Beatissi-
„ mus Ambrosius in Concionibus eximie aliquando
„ commendavit. Idem de vobis Carolus Cardinalis
„ & Archiepiscopus sæpe Nobiscum locutus est, &
„ literis etiam significavit, non sine testificatione
„ ardentis erga vos dilectionis suæ. Est constantiæ,
„ sapientiæque vestræ ita agere, ut respondeatis &
„ Majorum vestrorum laudi, & Archiepiscopi vestri
„ testimonio, & Nostræ, peneque omnium de vobis
„ expectationi. Facite igitur vos omnia, quemad-
„ modum his literis pietatem Vestram summopere
„ requirimus, sine ulla recusatione, sine ulla hæsi-
„ tatione, ut sitis sine querela simplices filii Dei;
„ & tales vos ostendite, quales literis vestris vos
„ esse profitemini, filios Ecclesiæ scilicet, & hu-
„ jus Sanctæ Sedis observantissimos: sicque demum
„ stabiles estote, & immobiles, abundantes in om-
„ ni opere Domini semper, ut disciplinam Chri-
„ stianæ vitæ, jam isthic aliqua ex parte floresscen-
„ tem, quo nobiliores estis, eo splendidius orne-
„ tis in omnibus: sicque de progressionibus vestris
„ gratias perpetuo agamus Deo. Hæc opinio No-
„ stra de vobis est: hæc sane spes, atque expecta-
„ tio. Datum Romæ &c.

Digitized by Google

CAPUT V.

Brixianam Diœceſim luſtrare aggreſſus propere ad Urbem revertitur, ut morienti Provinciæ Inſubricæ Adminiſtratori ultimam opem præſtet; cui deinde defuncto juſta perſolvit. Poſtmodum Clero congregato, & confirmatis in Concilio Decretis ſuis, Cenomanos reviſit.

1580. SEquentem annum, qui octogeſimus ſupra milleſimum quingenteſimum fuit, totum fere Carolus finitimarum gentium deſideriis, aut neceſſitatibus dedit. Brixienſes primi venientem ad ſe iis apparatibus excepere, quibus deſcribendis immorari poſt tot allata publicæ exiſtimationis, & benevolentiæ erga Ipſum exempla inanis ſolicitudo fuerit [*a*]. Sed neque illa repetere aggrediar, quæ uſitata Illi omni tempore fuerunt: crebros videlicet ad Populum de rebus æternis ſermones, & omiſſam pene reficiendi corporis curam, & continuatos in Templis ad multum diei labores, ne partem ullam innumeræ multitudinis ad cæleſte convivium confluentis jejunam dimitteret. Trigeſimo quinto poſtquam abierat die Mediolanum rediit [*b*] ſanctioris Hebdomadæ myſteria, & Reſurrectionis Dominicæ diem cum Populo ſuo celebraturus. Eadem occaſione Gubernatorem adire ſtatuit [*c*] ſi forte mitiores ſenſus infigere illius animo poſſet. Præoccupatum opinione illa invênit, quam ab iniquis conſiliariis hauſerat: exigi nimirum a Mediolanenſi populo, quæ nemo hactenus a ceteris Italiæ civitatibus exegiſſet. Comiter tamen auditus, & cum actione gratiarum honorifice dimiſſus hujus remunerandæ humanitatis paratam paulo poſt occaſionem habuit. Cum enim nuncium de lethali ejus morbo Brixiæ accepiſſet (*d*), propero curſu

(*a*) Triumphales arcus extructos, & regiam plane pompam ubique lego venienti Borromeo deſtinatam fuiſſe. Sane tanta fuit amoris Brixienſium in Carolo ipſo opinio, ut Romam paulo poſt ſcripſerit: „ infinitas fuiſſe populi illius lætitiæ ſignificationes, „ & vere ſplendidas, quamquam omnes infra Ci„ vium illorum voluntatem eſſent; quandoquidem „ breve nimium temporis ſpatium illis ad concin„ nandum hujuſmodi apparatum conceſſerat, & ma„ jora ſibi exhibenda obſervantiæ ſuæ teſtimonia „ animo illi præconceperant. " Laudavit inſuper in iis luſtrationis exordiis ferventia Brixienſis religionis ſtudia, ex quibus affirmavit, nunquam ſe uberiorem colligendum fructum alias ſperaſſe.

(*b*) Tempus hoc omne impendit in collocanda veluti baſe luſtrationis ſuæ, in cujus initio cum occurriſſent multa in Cleri jure, atque diſciplina, & etiam in Sacrarum Virginum Aſceteriis neceſſario emendanda, timens, ne quid tumultus cieretur, ſingula dumtaxat vitia diligenter adnotavit, & Pontificium expectans oraculum a Decretis abſtinuit, ut Ipſemet ſcripſit. Non optime autem calculos iniit Gluſſianus, etiamſi in tempus hujus expeditionis dies eos, quibus iter ſuſcepit, conjiceremus; & annus ille intercalaris eſſet. Siquidem certa documenta indicant quidem, Eum in Urbe noſtra vix primum Quadrageſimæ diem tranſegiſſe, & nocte inſequente habuiſſe quæſtionem de iis, qui haſtiludio interfuerant. Imo teneo Illius epiſtolam Brixiæ ſcriptam VIII. Calen. Martias, ideſt die XXII. Februarii, quo Brixiam pervênit. Verùm quod ad reditum ſpectat, alia mihi occurrit Ipſius Epiſtola, quam Brixiæ ad Viſitatores ſuos Mediolanum dedit pridie Idus Martias, in qua eos monet: *Statuum ſibi eſſe ad ſequentis Hebdomadæ feriam V.* (*diem ſcilicet XXIV. Martii*) *Brixia diſcedere, & Mediolani Sabbato* (*ſcilicet XXVI.*) *eſſe, ut Sacerdotes inaugu raret: neque ſe Brixiam reverſurum, niſi Paſchate celebrato.* Quare vere ad XXXV. dies hæc Borromei abſentia non poteſt extendi; cum alias literas Caroli teneam Mediolani datas IX. Cal. Aprilis, ex quibus patet, quo die Brixia diſceſſit Cardinalis, eodem ad noſtram Urbem fuiſſe regreſſum.

(*c*) Forte per id tempus alia aliquot inciderant Eccleſiaſticæ poteſtati maxime incommoda. Nimirum ad quemdam aquarum alveum excitatæ aliquot machinæ fuerant, quæ impedimentum objiciebant, quominus ex profluenti aquæ derivarentur in Eccleſiaſtica prædia ſecus eam oram ſita. Inſuper Typographus, qui in Ædibus Seminarii erat, a ſatellitibus repente nocturno tempore circumventus, traditus etiam in cuſtodiam fuerat; cumque imprimendis Conciliis Provincialibus vacaret, ablata ab iiſdem fuerant, & diſtracta folia authographa aliquot, quibus Typographus ad perficiendam editionem utebatur. Et ſane niſi Pater Carolus a Baſilica Petri apographa alia, quæ penes ſe erant, ſuppeditaſſet, periculum erat, ne tardius ea Concilia in lucem venirent.

(*d*) Sub Solis ortum die XX. Aprilis triſte nuncium Carolus accepit, & dum omnia ad iter ſuſcipiendum neceſſaria compararet, interim Speciano ſcripſit in hæc verba: „ Nunc audio perditam adeo „ Gubernatoris valetudinem eſſe, ut hodie exceſſu„ rus videatur e vita. Cenſeo injectam mihi divi„ nitus in poſtremo, quod cum ipſo habui, collo„ quio eam mentem, ut de præteritis leniter illum „ objurgarem, quo aliquis eidem daretur reſipiſcen„ di locus. Citatiſſimis veredis Mediolanum advo„ laturus ſum, ut in tempore adſim, & poſtrema „ caritatis officia aut viventi, aut morienti, ut de„ cet, perſolvam. " Die autem poſtero ad eumdem

ſu inde reverſus eo, quo erat, viatorio habitu ægrotantem adiit, ſedatiſque non ſine adſtantium admiratione doloribus, quibus acerrime torquebatur, tamdiu lectulo aſſedit, quoad inter pia hortamenta leniſſime expiraret. Cadaver deinde ad ſepulcrum proſecutus, & ſolemni Sacrificio pro ejus ſalute peracto, uxorem, ac liberos omnibus officiis conſolari non deſtitit humaniſſime, ac ſæpe pollicitus ſe, quoties rogaretur, nulla in re eorum deſideriis defuturum.

Per idem temporis intervallum ſeptimam Dœceſanam Synodum habuit, in qua nullo alio Decreto condito, quatuor ipſe orationibus decreta omnia, quæ ſuperioribus annis ediderat, diſerte commemoravit: tum duo poſtrema Concilia, nuper Pontificis auctoritate firmata legi, ac promulgari juſſit. Quotquot inſuper aderant hortatus eſt, ut Philippo Hiſpaniarum Regi ad Avita jura vindicanda in Luſitaniam proficiſcenti proſperum belli exitum precarentur. Tot rebus, tam brevi tempore, ac veluti per occaſionem peractis, in Cenomanos rediit [*a*]; ut cœptam ejus Provinciæ viſitationem continuaret. S. Dominatoris, ac trium aliorum Præſulum corpora

---

dem reſcribens dicit, ſe ſub veſperum ſuperioris diei Mediolanum advenisſe: Gubernatorem vero, ſe præſente, horas adhuc quatuor vixiſſe quidem; ſed ſenſibus, & linguæ uſu deſtitutum: totum tamen illud tempus ſe morienti adſtitiſſe, atque ea auxilia ſuppeditaſſe, quæ tempori accommodata videbantur, donec animam exhalavit. Equidem lego in diariis nonnullis MSS., Gubernatoris ipſius precibus Brixia Carolam fuiſſe evocatum ea de cauſa, ut veniam præteritorum religioſe admodum poſtularet; cujus ego petitionis literas licet non repererim, Principis tamen illius pietas facit, ut miſſas credam. Duo præcipue in hoc Caroli officio eminuere: amor nimirum, quo Principem illum proſecutus eſt, & vaticinium quoddam, quod circumſtantes morientis lectum ſalici omnes teſtati ſunt. Primo enim ad Ayamontium accedens, qui in ſupremo agone ægre trahebat luctantem ſpiritum, officioſiſſime allocutus eſt, & ſuaviſſimis verbis metum omnem abſtergens, atque ad Cæleſtium fiduciam excitans vinculis omnibus, ſiquibus irretitus fuiſſet, abſolvit: quo facto, admirati ſunt omnes ſingultum illum difficile reciprocantis anhelitus ſtatim fuiſſe compreſſum. Deinde cum inſtare mortem videret, Chriſti Domini Paſſionem elata voce juſſit Cardinalis recitari; eumque ad Sacræ Hiſtoriæ exitum ventum ferme eſſet, ad circumſtantes repente converſus „ nunc „ (inquit) inſtandum vehementius precibus, quan„ doquidem certe animam exhalabit ad ea verba „ *inclinato capite emiſit ſpiritum*. " Equidem res ipſa vaticinium hoc fuiſſe comprobavit; nam eo temporis momento ſpiritum Ayamontius emiſit, quo Chriſtus a legente narrabatur occubuiſſe. Hæc omnia ex Cæſaris Guidi teſtimonio deprompſimus.

(*a*) Mediolanum reverſus die XX. Aprilis moram hic traxit uſque ad IV. Calend. Quintiles. Morbus fuit in cauſa, ut diutius illuc redire ſuperſederet. Sub Maji exitum eryſipellate laborans decubuit; ſed corporis imbecillitatem animi conſtantia vincens, poſtridie Calen. Junii, die ſcilicet SS. Chriſti Corpori ſacra, Pontificali Ritu voluit ſupplicabundus de more Urbem obire. Hoc Caroli morbo intellecto Specianus Roma ad Eum ſcripſit III. Idus Junii: „ Provido certe Dei conſilio id „ eveniſſe, ut aliquo tandem modo quietem, quam „ tantopere refugiebat, invitus etiam caperet: imo „ hoc ſe a Superis precari, ut in ejuſmodi morbos „ ſæpius incidat; cum nihil, præter corporis infir„ mitatem, poſſet modum laboribus ſuis aliquem „ imponere. " Morbum hunc ſubſecuta eſt pertinax febricula X. Calen. Quintiles, ex qua Borromeus brevi ſe liberandum affirmabat; contra tamen Medici diuturniorem eam fore ominabantur. Hinc quamvis ſtatuiſſet Brixiam verſus iterum ſe in viam dare ante diem Sancti Joannis Baptiſtæ Nativitati dedicatum, tamen aliquot dies fidei Medicorum ſe committere coactus eſt. Verum cum hæc cura medentium ſibi parum arrideret, Gropellum divertere voluit, inſidente adhuc venis febri. Quo cum perveniſſet, die poſtero levi uſus equitatione, ad menſam ficubus, atque eſculentis, quæ ſanum decerent, veſci reclamitantibus illis voluit, ut jam ad poſtremum Libri II. Caput adnotavimus. Itaque his remediis confirmato corpore, & febri depulſa IV. Cal. Quintil. mane Soncini in agro Cremonenſi pranſus, ſub veſperum ad Brixienſe Oppidum, quod Urceas Novas appellant, divertit. Cum adhuc Gropelli eſſet, intellexerat per literas, ſplendidas cupedias ſibi venturo ab ejus loci Archipresbytero præparari; cui Ille luxum omnem menſæ interdixit, data hac brevi epiſtola: „ Invitus audio magnifico „ ſumptu inſtrui mihi iſthic hoſpitaturo cœnam. „ Quare ſtatui per has literas, inanem hanc cu„ ram tuam prævertere, atque admonere, ne meos „ de menſa Archiepiſcopi canones imminuas: ſcili„ cet nequid apponatur præter dapem, pulmentum, „ & poma. Alioquin coges me ſalubre ceteris „ exemplum pœna tua conſtituere. Vale. " Itaque eo profectus ſe confirmari ſemper in dies ſenſit; quare Specianum de reſtituta ſibi valetudine commonens, ſcribit: „ Optimè factum, ut aliquantu„ lum ex ea febri decumberet, quandoquidem pro„ pter multorum preces, qui Deo pro ſe ſupplica„ verant, videbat ſibi firmiorem conceſſam fuiſſe „ valetudinem, atque expeditionis ſuæ curſum vix ad „ quinque, aut ſex dies interruptum. " Imo adeo athletice valuit, ut unus ferme incolumis inter ceteros ejus expeditionis comites eſſet; quandoquidem, antequam æſtas exiret, adminiſtrorum operam ſerpens quidam morbus intercepit adeo, ut nova Mediolano contrahere auxilia coactus fuerit.

Digitized by Google

pora in arce Brixienſi aſſervari cognoverat [a], qui ob multa in ejus Eccleſiæ adminiſtratione mirabiliter geſta jamdudum inter Superos numerari meruerant: Sed impedito ob militares cuſtodias acceſſu, major ſacrorum pignorum fama, quam cultus erat. Itaque ut ea inde transferre liceret, quamquam ſententiæ variabant, ea tamen, quam ſibi apud Senatum conciliaverat, æſtimatione impetravit. Translata in Templum maximum ſunt eo plane apparatu, quem & clariſſimorum Antiſtitum merita, & Urbis nobilitas, & Caroli conſuetudo in excolendis Sanctorum Reliquiis poſtulabant. Inceſſerat etiam animo deſiderium explorandi, quo in loco Sanctorum Martyrum Fauſtini, & Jovitæ cineres laterent, quos ſibi duo religioſorum hominum Ordines petitis undique conjecturis, argumentiſque vindicabant. Sed cum gravior cauſa videretur, quam ut curſim abſolvi tam brevi temporis ſpatio poſſet, quæſtione infecta, ad luſtrandas Provinciæ partes proceſſit.

Regio tota, qua ſeptentrionem ſpectat, ſinuoſas, abruptaſque aperit valles, quarum alteram, quæ longitudine, & hominum numero ceteris præſtat, Camonicam vocant. Inculta, & aſpera incolarum ingenia erant; & quo remotius ab urbe diſtarent, eo longius ab urbium humanitate, & nitore receſſerant. Sacrorum pene immemores, ſin minus inſana dogmata, morum certe licentiam ex mendacibus ſectis Rhæticarum Alpium contraxerant, quibus locorum affinitate junguntur. Præcipua vero malorum cauſa erant fœdæ Sacerdotum libidines [b], quorum utcumque peſſimis exemplis inſiſtere pronum in deteriora vulgus vix criminis loco habet. Hæc ſatis nota Venetiarum Senatui timorem Patribus incuſſerant, ne inveteratos in vitiis animos ipſa medendi cura irritaret; literaſque ad Summum Pontificem dederant, ut Cardinali ſuaderet, ne tam periculoſæ viſitationi ſemetipſum committeret, quin potius ad ea, quæ paraverat, Venetæ ditionis [c] miniſtris uteretur. Permiſſa tamen Ca-

(a) Translatio hæc quatuor Sanctorum Brixiæ Antiſtitum rejicienda eſt in annum MDLXXXI. ad Cal. Novembris, quo tempore Brixiæ verſabatur Carolus poſt exceptam Laude Pompeja Mariam Auſtriacam, ibique Decretis ſuis, peracta ejus Diœceſis luſtratione, extremam apponebat manum. Rem totam anno proximo deſcribemus ex literis ad Specianum datis, in quibus effuſe laudavit Senatus Veneti benevolentiam, qui facile ſuis precibus aſſenſus eſt, ſivitque, ut ex arce ſacræ illæ exuviæ efferrentur.

(b) Idcirco opus fuit, ut multæ ſibi ab Apoſtolica Sede facultates concederentur. Eas autem ampliſſimas impetravit pro Hæreticis Eccleſiæ reconciliandis, pro transfugis Religioſorum Ordinum omni pœnarum vinculo abſolvendis; demum ſibi ut liceret præſtare quidquid placitum eſſet, & ad Dei honorem conducere cognoſceret. Extant Cardinalis Maphei literæ Apoſtolica ferme auctoritate Eum cumulantes.

(c) Septem jam ex ſuis Viſitatoribus per diverſas ejus Diœceſeos partes initio luſtrationis per Quadrageſimam habitæ legaverat, atque octavum etiam addere in animo habebat, ſi res poſtulaſſet, ut idemmet ſcribit; tamen ut prudentius rem gereret, Viſitatores juſſerat dumtaxat ſingula obire, excutere, perpendere, ſed res adhuc integras ad ſe unum rejicere. Hinc illis tamquam manibus utebatur; Ipſe autem conſilio, & legibus rei univerſæ ſummam moderabatur. Si quid decerni ad ura Eccleſiarum tuenda contigiſſet, Pontifici omnia aperiebat, ut ex ejus conſilio & oraculo implicitis in ea provincia rebus adhiberet remedium. Ipſe autem in urbanas curas intentus Brixiæ ſemper apud Sancti Dominici Patres verſabatur. Verumtamen hoc tempore luſtratam jam a Viſitatoribus Diœceſim aggreſſus eſt præſens obire; atque ea ratione curas partitus eſt ſuas, qua luſtrationis ſeriem Epiſcopo Brixiæ per literas deſcripſit in hæc verba, antequam illuc Mediolano proficiſceretur: „ Statui totam Diœceſim tuam circuire prius, quam „ in iſtam iterum Urbem me recipiam. Ad ſequen„ tem hebdomadam iter ſuſcipiam Urceas-novas „ verſus, quod oppidum Pontificali ritu ingrediar, „ & ſtatim die poſtero Synaxim celebrabo, & ple„ bis illius Clerum congregabo. Idcirco vellem „ ingens illic eſſet Sacerdotum numerus, qui acce„ dentium Confeſſiones excipientes, opportune po„ pulum ad Synaxim compararent. Inde diſcedem„ tem me agri Brixienſis planities excipiet, qua „ peragrata in adjacentes Benaco Lacui oras deſle„ ctam: montana demum loca, atque aſpera in „ luſtrationis exitum reſervabo.“ Quamquam ut exactius ſingula defigamus in oculis, rei totius ordinem, & viarum preſſius placet exponere. Itaque ab Urceis-novis digreſſus pridie Calendas Julias Quintianum profectus eſt, ibique quatriduum ſubſtitit. Virolas V. Nonas perrexit, ubi plura cum Comite Lucretio de Gambara de ſuſcipienda filiorum ſuorum cura tranſegit; cumque die poſtero Manervii Carolus eſſet, ad eumdem literas dedit, pro Turcis duobus ejus mancipiis Fide Orthodoxa imbuendis.

Cum

Digitized by Google

Cum triduum Manervii fuiſſet, Pontivicum, deinde Pratumalboinum, Canetum, Aquamnigram obivit, ex quibus locis venientem Aſula excepit IV. Idus ejuſdem menſis. Diuturnior Aſulæ mora fuit, ubi octiduum ſuſceptæ ejus Eccleſiæ curæ tenuerunt. Cum videret male inſtructum ejus loci Templum, quod in Abbatis Lipomani jure erat, acribus cum literis ad curandum ejuſdem ornatum excitavit. Ibi etiam plura, quæ ad Caneti, Pontivici, & Virolarum Eccleſias pertinebant, expediit. Deinde accepto Comitis Lucretii de Gambara inopinatæ mortis nuncio, cum videret ſe adeſſe in tempore non poſſe, conſolatorias ad Comitem Nicolaum fratrem, & defuncti Uxorem Epiſtolas per domeſticum ſuum dedit, atque ejus filiorum educationi ſtuduit, ut conſuleretur: Sed manifeſtiora ex his aliqua faciet Caroli ipſius epiſtola ad Specianum ſcripta XI. Cal. Aug. in hæc verba: „ Octiduum Aſulæ fui, cum „ refertum incolarum multitudine illud Oppidum „ eſſet, & opera mea valde indigeret. Ibidem re„ crearunt me plura depoſitis inimicitiis ſancita fœ„ dera, & Cleri ardor, qui recitandi in Odeo „ horas Canonicas ritum me hortante amplexus „ eſt; nec recuſavit Collegium illud Canonicorum „ quotidie Sacro intereſſe, quod feſtis dumtaxat „ diebus audire antea ſolebat. Septem ex iis, qui„ bus animarum regendarum cura incumbit, am„ plexi ſunt decretum Provincialis Concilii, ut „ omnes eidem muneri vacent, cum ante deman„ datam hanc provinciam obirent eâ dumtaxat, „ quæ ſingulis præſtituta ſe circumagebat, hebdo„ mada. Itaque omnium conjunctis viribus, ingens „ conſequetur animarum fructus, ut ſpero. Cete„ rum hoc Collegium non reſtituere, ſed funditus „ ferme inſtituere conatus ſum (extant autem aliæ „ literæ, in quibus Summum Pontificem rogavit, „ ut Aſulæ Archipresbytero violacea inſignia decer„ nerentur). Intra paucos dies Salodium proficiſcar „ in Benaci lacus ora primarium oppidum; atque has „ regiones obeo hoc ordine, ut luſtratas ab ad„ miniſtris meis oras egomet iterum luſtrem, & „ diuturniorem moram in nobilioribus locis traham. „ Sic adnotata jam a Viſitatoribus ipſe perpendo, „ & in rem præſentem Decreta condo, dum in„ ſpecta locorum neceſſitas, & recenter infixa hæ„ ret memoriæ; quare adhibitis opportunis conſul„ tationibus, nihil oculos, & cogitationem effugit. „ Deme tamen aliqua difficiliora, quæ in aliud tem„ pus rejicio, & Brixiæ convento Epiſcopo, decer„ nam tutius, aut felicius, inſpectis tabulis, aliiſque „ documentis, expediam. “ Itaque Aſulæ negotiis expeditus in Ferdinandi Gonzagæ Principis ditionem deflexit, ubi quinque dies tranſegit. Die Sanctæ Mariæ Magdalenæ ſacro Caſtillione Stiverorum Sermonem ad populum habuit in Templo ejus Oppidi primario, & humaniſſime a Principibus illis exceptus, eorum tamen hoſpitio uti noluit, cum ſolemne Illi eſſet Diœceſes luſtranti in Eccleſiaſticorum ædibus verſari. Quid inibi Illi res fuerit cum puero Aloyſio Gonzaga, licet hujus loci ſit referre, tamen ut Gluſſiani veſtigiis inſiſtamus, alibi exponemus.

Ad XXIV. diem Salodium ingreſſus eſt, ibique ad VII. uſque Auguſti diem moram extraxit. Hæc Specianum docuit in literis ad hunc datis die XVIII. Auguſti: „ Hebdomada elapſa in remotiora hujus „ Diœceſeos loca penetravi ſecus Benacum, eaque „ etiam, quæ Tridentinæ ditioni contermina ſunt. „ Fueram ante ad quindecim circiter dies Salodii, „ ubi jam inchoatas ab aliis adminiſtris res per„ feci, & pluribus præſidiis illud Oppidum muni„ vi, quod quinque incolarum millia numerat. „ Fallax fama hos Oppidanos ingenio eſſe indomi„ to ferebat; Ego ſane obſequentiſſimos habui. “ Ibidem Sancti cujuſdam Sacras Exuvias nobili celebritate detulit, augentibus pompæ ſplendorem Feltrenſi, & Caſtrenſi Epiſcopis, ut narrat Seneca in tabulis, in quibus tradidit tanto labore ſupplicationem hanc perfectam a Carolo eſſe, ut extimæ etiam Pontificales Ejus veſtes ſudore madidæ apparerent. Et ſane mirum dictu eſt, quantum voluptatis ex Salodienſium religione perceperit; hoc unum dicam, ejus Eccleſiæ dignitatem tantum ſibi cordi fuiſſe, ut, Delphino Brixienſi Epiſcopo extincto, non recuſaverit officiis ſuis corroborare petitionem eorum incolarum, poſtulantium ut Epiſcopali Sede tam inſigne Oppidum a Summo Pontifice ornaretur. Audi quid hac ſuper re ad Specianum ſcripſerit Idibus Junii MDLXXXIV. „ Inſtant Salo„ dienſes, ut Epiſcopi nova dignitas Oppido ſuo ad„ datur, ut clarius etiam ex ſupplice eorum li„ bello, quem mitto, intelliges. Mihi ſane non „ videtur intempeſtiva eorum poſtulatio, ſi nimiam „ Brixienſis Diœceſeos amplitudinem, atque alia, „ quæ in hanc rem faciunt, attente conſideremus. „ Etenim Oppidani id oneris in ſe recipiunt, ut „ ære ſuo certos reditus pro Canonicorum Colle„ gio excitando deſignent, præter alia, quæ in „ hoc opus expedient. Nollem tamen malum il„ lud Cremenſium renovetur exemplum: ſcilicet ut „ novus Epiſcopus ab hac Provincia, & Metropoli „ diſtrahatur; quandoquidem Salodienſis populus „ adeo in mei obedientiam propenſus eſt, ut in ejus „ loci luſtratione ſibi gloriæ duxerit Decreta mea „ immani etiam ſumptu executioni mandare; imo „ etiam expectationem meam vicere illi Oppidani, „ cum multo plura perfecerint, quam ipſemet „ præſcripſiſſem. Quod certe novæ obedientiæ teſti„ monium fuit. “ Salodio Tuſculanum divertit, atque omnes Benaci Lacus oras breviter quidem, non tamen indiligenter peragravit; unde redux per Vallem Sabii Gardonum deflexit: mox feſtinato per Trompiam itinere, Camonicam Vallem ingreſſus eſt, ex qua revertens, ut Mediolani poſt Nonas Septembris eſſet, Brennum appulit III. Cal. Septembris, unde Luerum venit ad finem Sebini Lacus, ubi biduum etiam ſubſtitit. Hinc Mediolanum feſtinans, Bergomenſis Epiſcopi colloquio frui breviter voluit, ut Ipſe ſcripſit. Hæc in unum locum conjecimus, ut liquidius totius itineris ordo conſtaret, licet ſæpius recurſura ſit hujuſmodi rerum commemoratio, quandoquidem turbata præpoſtere rerum ſeries apud Gluſſianum occurrit.

Digitized by Google

Caroli arbitrio res eſt, quem gravitas ipſa morborum, quibus populum laborare cognoverat, ad ferenda per ſemetipſum remedia vehementius ſolicitabat.

Itaque ad interiora Vallis incunctanter progreſſus brevi oſtendit nullos eſſe tam truces animos, quos virtutis æſtimatio non flectat. Penetraverat in eos quoque receſſus rerum ab Ipſo geſtarum fama, nunc ea, quæ ab aliis audierant, ſubjecta oculis habentes, reluctari mandatis Ejus, conſiliiſque non poterant. Perſpicua illa reverentiæ ſignificatio fuit, quod veluti metuentes, ne fatigatus difficultate itineris ab incœpto deſiſteret, explanatas ſummis laboribus vias odoriferis etiam herbis, ac floribus ſternerent. Hæc obſequentis animi indicia ſequebantur, reſtitutus altaribus nitor, frequens ad Sacramenta concurſus, fletus, & clamor pœnitentiæ index, quoties Divini verbi oracula ex Ejus ore perciperent. Inſignia vero ad memoriam fuere exempla ſimul, & reſponſa Sacerdotum, quorum multi ad Cardinalis genua provoluti, ac veniam petentes occultas etiam ſordes denudabant (*a*); rogatique quo præſertim impulſu ad tam ſana conſilia rediiſſent, aperte fatebantur, ea ſe maxime ratione permotos, quod omni alia utilitate poſtpoſita, nihil ab Ipſo peti præter animarum ſalutem viderent. Sed neque parum ad ea conſequenda contulerant ſermonis ſuavitas, & æqua erga omnes conſuetudo, qua nihil magis in Rectoribus animarum ad demerendam populi gratiam valet. Eam tamen exuere aliquantulum viſus eſt, cum in Planenſes, poſitam intra Vallis confinia gentem, perveniſſet. Eccleſiæ ingreſſu prohibitos eſſe intellexerat, quod Epiſcopo ſuo decumas ſolvere recuſarent. Itaque cum in occurſum effuſi ſalutare ſignum ex Ejus manu peterent, ne uno quidem obtutu eorum preces dignatus, adducto in ſpeciem indignationis ſupercilio, tacitus præteribat. Perculſi hac ſeveritate agreſtes metu primum, ſeu pudore attoniti hæſere: mox cognita indignationis cauſa, ſublatis ad Cælum vocibus miſericordiam implorantes abeuntem proſequebantur. Tunc enimvero Joannem Baptiſtam Centurionum, Mariani in Corſica Epiſcopum (*b*), qui ad perdiſcenda paſtoralis diſciplinæ præcepta comes eſſe Viſitationis ejus voluerat, retro ad illos remiſit, qui nomine ſuo polliceretur: ſe, quoties imperata facerent, omnia paterni amoris officia, quæ illis in præſentia denegaverat, in reditu præſtiturum. Tantum apud pervicaces animos Caroli auctoritas valuit, ut cum antea repulſi a Sacris in contumacia tamen ſua perſtarent, nunc ab Eo rejecti extemplo reſipiſcerent. Haud ultra dubitavere, quominus debitum vectigal Epiſcopo penderent: multo deinde benignius habiti, ut intelligerent, nihil in ipſis præter culpam diſplicuiſſe.

CA-

(*a*) Narrat Seneca in Tabulis, repertum inibi Eccleſiaſticum Virum, qui pluribus Sacerdotiis vitio ornatus contra Tridentini præſcriptum, diu in ſordibus ſuis contabuerat, cum male perceptos eorum fructus reddere nimium gravaretur. Hic itaque divinitus commotus ad Cardinalem venit, rem totam expoſuit, ſeque Illius arbitrio totum permittens dixit: paratum ſe titulos omnes, ſi opus fuiſſet, ad ſalutis ſuæ remedium repudiare. Re intellecta, Sanctus Paſtor probe cognoſcens, diſſentire quandoque verbis facta, & ſplendidius quædam promitti, quam perfici, accepto ſupplice illius libello Sacerdotem humaniſſime dimiſit. Poſt tres hebdomadas cum Româ Cardinalis accepiſſet Diploma Pontificium, quo Sacerdos ille reddendorum fructuum onere liberabatur, & nobiliori etiam alio ornabatur titulo: illum ad ſe ocyus evocavit, & pœnæ loco opulentiorem reddidit. Tanto beneficio veluti obrutus diu ſtupuit Sacerdos, & exinde ad plures dies converſus ad obvios quoſque attonito ſimilis exclamabat: *O divinam Borromei pietatem! o inauditam Caroli munificentiam!*

(*b*) Hic Epiſcopus nobilis Alexandri Saulii amicitia fuit. Multa jam conſtanti animo adverſa a Corſis tulerat; ſed cum grave valetudini ſuæ Inſulæ illius cælum pati non poſſet, Genuam prius, deinde Mediolanum a Carolo evocatus ſeceſſerat. Cum eximiam illius in agendo dexteritatem, & virtutem egregiam admiraretur Borromeus, comitem in hac expeditione habere voluit, & cum eo tranſigere nonnulla ad Genuenſem Archiepiſcopatum ſpectantia. Nimirum cum ætate gravis Cyprianus Fallavicinus Genuenſis Antiſtes non admodum aptus ei Eccleſiæ regendæ videretur, ſtatuerat Cardinalis ex Pontificio etiam nutu Centurionem in illius locum ſubſtituere. Sæpius rem hanc Caroli officiis curatam lego; ſed cum ægre Genuenſis ad ſe abdicandum Infula induceret animum, eventu optima negotiatio caruit.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Ex Brixienſibus finibus Tiranum deflectit in Vulturenis: ibi celeberrimam Deiparæ Ædem viſit, atque Concione habita, pios excitat animorum motus.

1580. CUm ad ſuprema Vallis confinia perveniſſet, ipſa locorum affinitas Carolum invitavit, ut dicatum Deiparæ Templum, quod apud Tiranum in Vulturenis magno incolarum, atque exterorum concurſu colitur, viſitaret. Suberat aliud conſilium procurandæ Hæreticorum ſalutis, quorum non pauci in eos montes irrepſerant: impetrandæque a Rhæticis Magiſtratibus facultatis, qua liber Comenſi Epiſcopo acceſſus pateret, quoties id Populi neceſſitas poſtularet (*a*). Per Aurigæ montis abrupta pedibus iter ingreſſus tanto animi ardore ferebatur, ut nullus eorum, qui ſequebantur, curſum Ejus æquaret. At ubi in montanos gregatim aliquando occurrentes incideret, inter eos humaniſſime conſidebat, ſingulos de veræ fidei Myſteriis interrogans, tum ſæpe atque iterum admonens, ne ſe ab ea dimoveri ullis furioſorum hominum artibus paterentur. Et occurrebant paſſim ſemiruta altaria, deformatæque Superûm imagines, funeſtaque alia impietatis veſtigia, quæ cum Ipſe ſilveſtres vicos præteriens aſpiceret, tanto mœrore angebatur, ut vix a lacrymis temperaret. Superatis denique Aurigæ anfractibus, cum ad Tiranum ſub veſperam conſtitiſſet, nulla mora facta, quin illico ad magnæ Matris Delubrum properaret. Ibi ante Aram genibus nixus (*b*) magnam noctis partem orando, meditandoque conſumpſit; idque diurni laboris ſolatium fuit.

Sole orto, cum Sacrum pararet, adfuit Provinciæ Prætor, vir cetera honeſtus, nec tamen ab erroribus, qui per ea loca in religionis cultu vagabantur, immunis. Ægre idcirco, nec niſi poſt multas Catholicorum preces admiſſus, cum populi, ac Principum ſuorum obſequia Cardinali offerre non deſineret, ſeque in primis ad omnia Ejus deſideria paratiſſimum exhiberet, arrepta Carolus opportunitate, reſpondit: nihil ſe præter ſalutem ejus æternam deſiderare. Sive tanta conſcientiæ vis, ſive reſponſi fuerit: conſtat Prætorem, ſecreto colloquio impetrato, ad Ejus genua accidiſſe fatentem errores ſuos, quos ultro ejurare paratus eſſet, niſi Magiſtratuum metu retineretur. Carolus, laudato Prætore, monitoque, ut ſalubriter deſtinata quamprimum perficeret, rogatuſque tamen, ut eum Divino Sacrificio præſentem eſſe pateretur, præciſe negavit: poteſtate tantum facta, ut concioni, quam habiturus in Templo erat, cum ceteris intereſſet. Conceperat animo aptiſſimam loco, ac tempori

(*a*) Joannis Antonii Vulpii Novocomenſis Epiſcopi opera ad id conſilium Carolus adductus eſt. Severa, & graviſſima Rhætorum Edicta eum Antiſtitem ab omni ferme illius Vallis jure depulerant. Idcirco ut afflictæ Regionis neceſſitati conſuleret Cardinalis, Bonhomium Vercellenſem Epiſcopum excitaverat, ut Pontifici optanti ſtrenue ſe offerret, & in eam expeditionem prompte accingeret. Et ſane Caroli votis non defuit Vir ille vigilantiſſimus; & inter præſentiſſima vitæ pericula conſtitutus, opem, quam potuit, opportunam tulit, licet Cardinali ſignificaret, potentius præſidium tot calamitatibus deſiderari. Qua de re nunc Ipſe ad eos deflexit, ut ſartam tectamque Epiſcopi dignitatem aliquo modo ſervaret.

(*b*) Templum illud unicum ferme ea nocte Caroli hoſpitium fuit. Nam cum plures ibi horas evigilaſſet, paulo ante lucis ortum in ejus ædes receſſit, qui Loci illius Sacris præerat. Ut hanc perpetuam Sacro hoſpitio utendi conſuetudinem retineret, repudiaverat humaniſſimas Nobilis cujuſdam ex Lambertengorum familia preces. Hic effuſis lacrymis, & genibus flexis id unum impetrare conabatur, ut domum ſuam tanto hoſpite ornaret. Non exoravit tamen; atque illud vix obtinuit, ut ſibi Cardinalis benediceret; quod benedictionis officium gravate etiam Carolus impertitus eſt, cauſatus, ſe extra Provinciæ ſuæ fines conſtitutum jure benedicendi uti non debere. (Novocomenſis ſcilicet Diœceſis eo tempore, ut etiam noſtra ætate, Patriarchatus Aquileenſis ditione erat comprehenſa). Vinci ſe tamen Borromei conſtantia Lambertengus non ſivit, & inſtaurato luctu palam conquerebatur, ſe hoc beneficio fraudatum, adverſum aliquid ominari familiæ ſuæ, in quam præſentia ſua Carolus invehere nollet felicitatem. Quare Marianenſis Epiſcopus adſtans, ut illius lacrymas abſtergeret, ſpopondit fore, ut poſtero die Cardinalem convivam domi haberet. Revera ut Centurionis precibus indulgeret, datam ab hoc fidem humaniſſime Carolus præſtitit, atque inſequente die cum Lambertengo accubuit. Neque enim credo profana illa domus videri poterat, quam adventu ſuo ſacram facturus erat Borromeus.

Digitized by Google

pori orationem, qua ſimul Romanæ Fidei veritatem confirmaret, ſimul inventas a contumacibus ingeniis opiniones refelleret [a]. Cumque graviter, ac ſubtiliter ab Eo dicta Hæreticis aliquando objicerentur, mœſti, ac ſilentes ex amicorum conciliis abibant, quod neque ſe victos fateri vellent, neque adverſari tanti Viri ſententiis auderent. Qua inclinatione animorum cognita, Vultureni, quorum ingens numerus ex finitimis montibus, pagiſque confluxerat, ſuppliciter poſtulabant, ut aliquanto diutius apud ipſos moraretur: tamquam pro certo habentes, multos eorum, qui a recta Religione deſciverant, Ejus opera ad obſequium redituros [b]. Ipſe enimvero excuſatis gravibus curis, quæ Illum in Brixienſibus, ac deinde Mediolani [c] expectabant, retro, unde venerat, eſt regreſſus.

CAPUT VII.

In Cenomanorum Valles regreditur: In Aloyſii Gonzagæ, & Federici Borromei animis futuræ jacit Religionis & Sanctitatis ſemina. Ex Ejus Viſitatione uberrimos Brixienſis Eccleſia fructus capit.

CAmonica egrediens, Trompiam, ac Sabbiam Valles adiit [d], nullo magis titulo, quam loci, atque ingeniorum aſpe-

(a) Egregiam hanc ad Tiranenſes Orationem habuit V. Calend. Septembris, die nimirum Sancto Auguſtino ſacra. Nec incolæ illi revixiſſe parem veluti Eccleſiæ Doctorem negare audebant; quandoquidem poſt eam Concionem Hæretici a Catholicis ſæpe arguebantur, quod ea amplecti dogmata recuſarent, quæ Carolus dictis ſuis confirmaſſet. Quamquam etiam ſine dictis Borromei auctoritas tantum apud Heterodoxos ſæpe valuit, ut Religionem, quam Ille profiteretur, venerari cogerentur. Ut vero Novocomenſis Epiſcopi iis in locis poteſtatem corroboraret, in hæc verba Orationem exorſus eſt: *Petita ab Epiſcopo veſtro facultate, hunc locum dicturi aſcendimus* &c. ſcilicet ne quis in poſterum illi deferre obſequium recuſaret, cui tantus Cardinalis ſuum detuliſſet. Si tamen altius exquirere hujus itineris cauſas velimus, Borromeum ipſum audiamus in hæc verba Speciano ſcribentem: „ Te „ hactenus reſponſionis expertem omiſi, quando„ quidem ad ſexaginta amplius milliaria in has Val„ les proceſſi ad opem aliquam ferendam iis popu„ lis, qui Tridentinis, & Rhætis contermini ſunt. „ Hac occaſione in Vulturenos dilapſus, celebrem „ Deiparæ in eorum Valle Ædem inviſere volui, „ ut regionis ejus incolas Orthodoxos inflammarem „ quantum poſſem; jacent enim intolerando Hæ„ reticorum jugo pene oppreſſi; & maximam pe„ riculi contagionem affert ipſum Fidei noſtræ ho„ ſtium cum ipſis quotidianum contubernium. Eo „ in Templo Sermonem habui, ut populo illi con„ ſolationem aliquam adhiberem, qui vocem meam „ audire ſummopere deſiderabat. Atque hoc officium „ libenter perſolvi, accedente potiſſimum Novoco„ menſis Antiſtitis conceſſa mihi facultate. “ In aliis deinde literis ad Pontificium Internuncium apud Venetos dicit „ ſibi demandatam hac occaſione a „ Vulturenis provinciam, ut curaret in ea Valle „ excitandum Patrum Capuccinorum Aſceterium, & „ Patrum Societatis Jeſu Collegium.

(b) Cui hoc mirum non videatur, repertos homines, qui in Eccleſiæ gremium redire vellent, & ſe totos Caroli arbitrio permitterent in ea Valle, in qua publico Edicto ſancitum erat, ne quis Eccleſiaſticus Vir ad illam Regionem accederet! Hinc puto ortum illud, quo Carolus ante obitum conflagrabat, deſiderium, ut totam Germaniam obiret, & late ibi emanans hæreticæ pravitatis virus extingueret, quemadmodum teſtimonio Patris Achillis Galiardi luculentiſſimo teſtatum in Tabulis eſt, & ipſe etiam Cardinalis indicavit in literis, quibus aliquando ad Bonhomium ſcribens de Guillelmi Bavariæ Ducis religione, affirmavit, ſperare ſe fore, ut aliquando illum eximium Principem coram alloqueretur.

(c) Redire in Eccleſiæ ſuæ amplexus moliebatur, inſtante Natalitio Deiparæ die, cujus auſpiciis & nomine cum Metropolitanum Mediolani Templum gaudeat, obire ibidem Sacra Pontificali Ritu decreverat.

(d) Veritus Gluſſianus ne luſtrationis hujus deſcriptio, interrupta rerum ſerie, hiaret, omnia in unum locum congeſſit. Certum eſt tamen diverſis temporibus Brixiam Urbem, ejuſque agrum fuiſſe a Carolo peragratum. Quadrageſima ineunte cum ad eam Urbem profectus eſſet, miſſis per Regionem Viſitatoribus, ibidem ſemper ſe tenuit, uſque dum Mediolanum reverteretur, ut vidimus. Idibus vero Aprilis eodem regreſſus, ſeptem dumtaxat dies illic ſubſtitit, funeſto morientis Ayamontii nuncio revocatus. Poſtmodum rebus ſuis Mediolani compoſitis IV. Calen. Quintil. luſtrare Brixienſem Diœceſim aggreſſus eſt eo viarum ordine, quem Capite ſuperiore deſcripſimus. Ultimo a Brixienſibus digreſſus poſt Nonas Septemb., reverſus ad eos non eſt, niſi ineunte Octobri, quo exeunte, Brixiam iterum rediit, eamque Urbem reliquit ſtatim poſt Idus Decembris. Neque tamen toto hoc tempore univerſa perfecit, cum ſcripſerit, nonnulla etiam ad aliquod inſequentis anni dies perficienda ſe reſervaſſe, quæ etiam perfecit, ut deinde exponemus. Etenim quod ad Valles ſpectat, omnes videtur obiiſſe ante Nonas Septembris; quandoquidem in ſecunda ſuſcepta in Agrum Brixienſem expeditione lego, ſub initium Octobris Carolum primo Iſeum, deinde Colonias deflexiſſe: Idibus vero ejuſdem menſis Claras, mox Rhoatum luſtraſſe, ubi tres hebdo-

Digitized by Google

aſperitate inſignes. Joſeph Ripamontius ubi ad hanc Trompiam Vallem narrationem perduxit, adeo rudes incolas ejus fuiſſe tradit, ut ferreos plane mores ex fodinis ſuis hauſiſſe viderentur (*a*). Homines fornacibus, & malleis addictos in tanti Viri adventu, ne caput quidem attollere ex incudibus ſuis voluiſſe; eo nimirum contemptu, quo hæreſum lue contacti Romanarum dignitatum vocabula averſantur. Miſſis deinde monitoribus, qui indignationem Senatus, & alia, quæ Principum indignationem ſequuntur, contumacibus denunciarent, cum ad Concionem denique conveniſſent, tantam vim Caroli verbis divinitus inditam fuiſſe, ut perfuſi lacrymis præteritorum veniam, & remedia ſalutis impoſterum flagitarent. Satisfactum demum genti eſſe relicto ad conſtituendam ibi diſciplinam Epiſcopo Marianenſi, & datis e Societate Jeſu Patribus [*b*], qui prædicatione Divini verbi, omnique alio pa-

hebdomadas inſumpſit. Motis ultimo caſtris, brevi expeditione ad VIII. Cal. Novemb. Balneolum, Gaidum, poſtmodum Caſtenetulum, inde Gavardum, ultimo Gardonum iterum divertit, unde ad ultimum Octobris diem Brixiam reverſus eſt. Non omittam tamen, quod Mediolanum veniens poſt Nonas Septemb. itineris ſui comites habuit Veronenſem, & Marianenſem Epiſcopos, quemadmodum Caymo Metropolitani majoris Collegii Canonico in hæc verba præſcripſerat: „ Huc veniens habebo ſocios Va„ lerium, & Centurionem. Quare ſummopere vel„ lem, ut ea interim expleas, quæ deſunt in Ob„ latorum Inſtitutionibus concinnanda; quando„ quidem eas ſimul expendemus ex Veronenſis „ Epiſcopi judicio, qui optime in hanc Sacerdotum „ Sodalitatem eſt animatus, ejuſque leges recogno„ ſcere vehementer cupit; cum ſibi etiam Veronæ „ ſit non admodum diſſimilis Presbyterorum cœtus. „ Quoniam vero ambo mecum Sancti Sepulcri „ Ædes inviſent, maxime optarem, ut ea occaſio„ ne Franciſcus Curionus Orationem latinam texe„ ret de hujus Congregationis Inſtituto, quam „ deinde ibidem nobis menſæ accumbentibus reci„ tabit.

(*a*) Luculentius incolarum illorum ingenium, & vitia Carolus deſcribit in literis ad Specianum datis. „ In tota Brixienſi Diœceſi obeunda nullum „ inveni locum adeo Chriſtianis Inſtitutionibus in„ digentem, quam Gardonum Vallis Trompiæ Op„ pidum, in quo vix decem paſſuum millia ab „ Urbe diſſito minus viget Orthodoxæ Religionis „ amor, quam in remotioribus partibus, iiſque „ etiam, qui modico a Rhætis, & Germanis diſtant „ intervallo. Quinquageſimo hujus Seculi anno in„ colis hiſce gravis inuſta eſt hæreſis nota, cujus „ etiam primordium fuit inita cum iis conſuetudo, qui „ in Germania diu verſati Hæreticorum libros huc „ tranſtulere, & pernicioſas apud populum diſſe„ minare cœperunt opiniones, quæ altas adeo dein„ de radices egerunt, ut Hæreticos Concionatores „ huc inducerent, qui palam ſermones ad popu„ lum de impiis dogmatis haberent; quamobrem „ præceps univerſus populus ad interitum feſtina„ bat. Ut graviſſimo occurreretur malo, a Fidei „ Quæſitoribus miſſi poſtmodum ſunt adminiſtri qui„ dam Brixienſes, qui officiis ſuis pervicere, ut „ peſſima dogmata ejurarent complures: alios autem „ aut exilio, aut capite damnarunt. Sed nondum „ reſederat concepti incendii vis; quare Nobilis „ quidam ex Martinengorum gente Dux cum vali„ da militum cohorte a Venetis eo miſſus eſt, qui „ ſalutaria quædam per vim dedit documenta; ſed „ geminis Hæreticorum inflammatis Ædibus ingen„ tem eorum fugam fecit. Exinde inſita vicinis „ populis ſemper opinio fuit, latère in hoc Oppi„ do abditos Hæreticos; quod certe adeo ſibi per„ ſuadent omnes, ut ipſum Gardoni nomen animo, „ atque auribus averſentur. Ipſi etiam hujus loci „ incolæ hoc idem taciti verentur, ne hæreſi in„ fecti credantur, atque conantur verbis ſemper a „ ſe mali hujus ſuſpicionem depellere. Tamen hoc „ certo affirmare poſſum nullibi a me repertum „ populum, qui adeo ad pietatis ſtudia frigeret &c.

(*b*) Geminos Catholicæ Fidei, & diſciplinæ Magiſtros ex hac Societate, præter Antonium Senecam, & Marianenſem Epiſcopum, attribuit, antequam Ipſe Mediolanum reverti Decembri ineunte meditaretur. Rem totam exponit, Romam ſcribens ad Cardinalem Sabellum Nonis Decembris: „ Gardo„ no redux Epiſcopus Centurio ad me venit, qui „ adjecta aliorum Patrum Soc. Jeſu opera odi„ dum hic fuit, ut validis quibuſcumque præſidiis „ Sacramentorum, atque Concionum populum eum „ corroboraret. Et quamquam, ut retulit, aliquis „ conſequutus eſt animorum motus, & frequentio„ res ad verbum Dei excipiendum, & aperiendas „ per Confeſſionem noxas Oppidani convenere; ni„ hilominus quoad cetera paulo uberiorem fructum „ retulit, quam Ipſe præſens illo in Oppido colle„ geram. Statui ad Natalitias Chriſti Domini ferias „ eoſdem Patres illuc legare, & incolis illis nova „ pietatis officia admovere. “ Certe feliciſſimum exitum poſtremum hoc Caroli conſilium habuit. Anno enim inſequente VI. Calen. Febr. cum ad Vicum Boldonum ſe recepiſſet Cardinalis, a loci Conſulibus literas accepit, quibus mutata omnia, & publicæ ſalutis ſpem affulgere teſtabantur. Utque eos in propoſito conſtantes Borromeus haberet, ad Oppidanos has literas miſit: „ Cariſſimi Filii. Sum„ mopere gaviſi in Domino ſumus, certiores ab „ aliis, & vobis facti, quemadmodum magnam vo„ bis voluptatem, atque utilitatem attulerint illi „ Societatis Jeſu Patres, qui in vineam iſtam a no„ bis miſſi, diligenter opera ſua, & Sacerdotali „ munere eam excoluerunt. Quoniam vero videmus, „ paria iterum a vobis auxilia expeti, & ſolicitari, „ ut magis divina gratia abunderis, uberiorem „ etiam gaudii ſenſum percepimus; imo diligentio„ rem veſtrum omnium curam ſuſcipere compel„ limur, quam Chriſtiana in primis caritas, de„ inde

Digitized by Google

paſtorali munere populos illos intra paucos dies ita excoluerunt, ut agreſtes antea, & feri, & hæretice contumaces, cuilibet non Catholicæ tantum, ſed etiam bene moratæ Civitati compararentur [a].

Feſſum montanis hiſce itineribus Cardinalem excepere circumjecta Benaco lacui loca, quibus per omnia Paſtoralis Curæ officia peragratis, cum finem Viſitationis adeſſe crederet, audit Populum unum Tridentinis Alpibus clauſum ſupereſſe, qui Epiſcopi ſui, nec vultum unquam viderit, nec fortaſſe nomen audierit. Adeo ſcilicet impervios montes eſſe, præcipites ſaltus, inhoſpita tecta incolarum, ut operæ pretium non ſit, damnatam a natura ipſa tam infelici exilio gentem tanto labore adiri. Hæc ipſa, quæ ad terrorem afferebantur, ut opem miſeris ferret, ſtimulos addidere. Vix fides montanis facta Cardinalem, & Mediolani Archiepiſcopum eſſe, quem ſudore manantem reptare inter antra, rupeſque ſuas viderent. Sed enim ſudor, & labor pro nihilo erant conſideranti animarum ſalutem, quam Ipſe quæreret, Crucis dolore, & Divini Sanguinis pretio ſtetiſſe.

Ad hunc locum ſpectat nonnulla referri, ex quibus creditum eſt ſuperno Spiritu Carolum afflari, quo non occulta modo cognoſceret, verumetiam futura proſpiceret. Apud Lianum ignobilem vicum arca marmorea oſtendebatur, in qua ſancti alicujus viri oſſa aſſervari pro certo incolæ habebant. Argumento erat ſcaturiens ex oſſibus humor, quem & ægris prodeſſe, & nunquam deficere vulgo affirmabant. Et quamquam communi opinione firmata res erat, ſuſpicari tamen Carolus cœpit, fraudem aliquam ſubeſſe, qua fucus publicæ pietati fieret. Itaque ſolerter inquirens, an aliquid de veritate miraculi inter monumenta vetuſtatis extaret, poſtquam nihil certi apparebat, recludi arcam jubet, exſiccatoque quidquid humoris ſupererat, tres expertæ fidei Sacerdotes tota nocte ad cuſtodiam excubare. Ea plane nox erat [b], qua humorem largius exundare indigenæ ajebant. Sed ubi illuxit, cognitum eſt perennem illum aquæ fontem, qui hactenus in ſecreto manaverat, nunc inter Sacerdotum excubias aruiſſe. Defoſſa ſub terram arca finem ludibrio fecit.

Caſtilionum inde perventum eſt, quod hominum frequentia, & amœnitate regionis nobile Oppidum Gonzaga gens nobilius Principatus honore, & ſplendore generis facit. Duodennis puer, Aloyſius nomine, in ea familia erat, in cujus vultu cum Cardinalis oculos defixiſſet, lineamenta quædam,

„ inde munus Epiſcopale noſtrum, ultimo pater-
„ nus, quo vos proſequimur, amor poſtulare jure
„ optimo videntur. Quo circa ut votis veſtris in-
„ dulgeremus, juſſimus iſthuc Patres eoſdem ad
„ Quadrageſimale tempus reverti ad eam meſſem
„ colligendam, cujus ſpem eorum ſolertia, & veſtra
„ voluntas facit, ut Divinum primo honorem,
„ deinde animarum veſtrarum ſalutem pro virili
„ curemus. Interim benedictionem vobis noſtram
„ peramanter impertimur. Ex Vico Boldono XXVII.
„ Jan. MDLXXXI.

(a) Non leve tot exantlatis laboribus ſolatium fuit, quod ex probatiſſima Virgunculæ cujuſdam conſtantia percepit Borromeus. Hæc patre in Vulturenis exulante ab Avo diutius pellecta officiis eſt, ut apud Genitorem inter Hæreticos commode viventem eſſe mallet. Verum cum illa conſtanter oblatum commodius domicilium, ſed cum amittendæ Religionis periculo conjunctum repudiaſſet: indignatus Avus eam domo præcipitem exturbavit. Quare inops puella, & omnibus deſtituta præſidiis ſe apud probam, & tenuis fortunæ mulierem recepit: feliciorem ſe rata, ſi expers felicitatis, ſalva tamen Religione, fuiſſet. Poſtmodum Avo defuncto, adfuit ex Vulturenis ferocior extincto frater, qui per vim abductam Virginem ad Patris communis ſedem transferre meditabatur. Jamque patria avulſam, & a piæ mulieris amplexibus diſtractam ſororem veluti prædam ſecum cuſtodiens, ad aliquot paſſuum millia procul Gardono aberat; cum repente velocior puella, dum ſaltum quemdam præterveheretur, in nemus dilapſa ibidem occulte ſe tenuit, donec ira, & deſperatio vacuum præda raptorem in Vulturenos iterum compulit. Interim per devia, & aſpera poſt aliquot temporis intervallum redux in Patriam Virgo, ſe ac religionem ſuam contubernalis mulieris præſidio rurſus commiſit. Tandem cum illuc Cardinalis veniſſet, melius, & tutius nacta perfugium apud Ejuſdem pietatem fuit: Ille enim admiratus primo tenetæ ætatis conſtantiam, deinde periculo conſulturus, curavit, ut in Brixienſe aliquod Monaſterium reciperetur. Venêre mihi ad manus literæ Ipſius aliquot hac ſuper re ad Brixienſes nonnullos datæ in ea luſtratione; atque aliæ inſuper Mediolano ad eoſdem conſcriptæ, quæ Patris amantiſſimi ſolicitudinem dilucide indicant.

(b) Nox ſcilicet antecedens Calendas Auguſti, ſive diem Sancti Petri Vinculis ſacrum, quo id prodigii accidere quotannis ferebatur.

Digitized by Google

dam, ſive præludia futuræ ſanctitatis ſtatim in ipſo deprehendit. Itaque facultatem cum eo colloquendi ſine arbitris nactus, cum ex omnibus ejus reſponſis magnæ indolis indicia eluceſcerent, non ceſſabat docilem animum præceptis imbuere, quibus ad ſanctitatis apicem facilius perveniret. Hortabatur in primis, ut Euchariſtiæ Sacramentum, cui nondum matura credebatur ætas, quantocyus, ac ſæpe ſumeret: hoc præſertim alimento nutriri animi vires docens, menteſque hominum inter hæc tanta mortalis vitæ pericula confirmari. Quæ documenta tantam in Principe puero vim habuere, ut quoties ad hoc cæleſte convivium accederet totus in lacrymas ſolveretur [a]. Atque hic ille Aloyſius eſt, cui ob vitæ innocentiam, & crebra poſt mortem miracula Superum honores decerni noſtra ætas vidit. Cum enim ardentius in dies divinarum rerum deſiderio flagraret, abdicato paterni Principatus jure, ad Societatem Jeſu convolavit, ut, quæ a ſanctiſſimo Viro didicerat, inter ſanctiſſimi Ordinis exempla perficeret. Quod feliciter aſſecutus, ne impar actæ per omnia virtutum genera vitæ mortis nobilitas eſſet, cum peſte infectis ſumma carirate inſerviret, eadem lue correptus in ipſo juventutis flore Romæ deceſſit.

Alia quædam divinatio futuri Cardinalem in Cenomanis adhuc agentem impulit, ut Federicum Borromeum Patruelem ſuum, ex Bononienſi Academia evocaret. Notaverat in eo prona ad religionem ſtudia, ſingularem ingenii vim, & perſpicua alia excelſi animi ſigna, quibus ſpem de ſe magnam Reipublicæ faceret [b]. Haud ob-

(a) Ut enucleatius expendamus quid cum *Angelico* Adoleſcente Aloyſio Carolus tranſegerit, utpote in re tam celebrata, præſtat dumtaxat audire quid in quæſtione habita pro ejuſdem Apotheoſi curanda teſtatus eſt Caſtellione Clemens Ghizonus vir gravis juratus, & oculatus teſtis anno MDCVIII., cujus verba ex Conrado Janningo in Actis Sanctorum menſis Junii deprompſimus: „ Memini item Aloyſium „ Mantua poſtliminio rediiſſe Caſtellionem, ubi „ eum Beatus Carolus Borromeus Cardinalis, dum „ illam Provinciæ ſuæ partem luſtrabat Viſitator „ Apoſtolicus, docuit modum utiliter ſumendi Sacroſanctam Euchariſtiam; & primum ei illam communicavit manu ſua; exhortatuſque eſt, ut præ„ cipuo ſtudio legeret Cathechiſmum Romanum. „ Id vero non ſolum præſtitit ſedulo, & crebro „ Aloyſius; verum alios quoque excitabat, ut idem „ præſtarent: progreſſum interim quotidie faciens in „ orando, jejunando, & frequentando Sacram Com„ munionem cum ſumma ſpectantium approbatione, „ ac pietatis ſenſu. " Hæc Ghizonus, ex quibus conſtat quam feliciter ſemel jacta a Borromeo pietatis ſemina excreſcerent; unus enim Ille viſus eſt ſapiens Agricola, qui optimum oblatum campum ſolerter excoleret; nam conſtat venientem ad ſe Adoleſcentulum ſuaviſſime excepiſſe, & per plures horas producto colloquio, quod nunquam fere ſolebat inter Paſtorales curas, optimum illius animum ad omnem ſanctitatem formaſſe.

(b) Hoc tempore Brutum Guarinum eximiæ literaturæ Virum & Fanenſem Civem una cum Flaminio Papazonio inſtitutores habebat Bononiæ Federicus ſextum ſupra decimum annum ætatis agens. Gaudebat inibi tutela Gabrielis Cardinalis Paleotti Bononienſis Epiſcopi, qui optimi Adoleſcentis exoſculabatur ingenium. Carolus ipſe dum Romam anno ſuperiore feſtinaret, audiretque magnas illius, & quotidianas in literis progreſſiones, conſcius inſuper Patruelem ſuum miro amore inviſendæ Sacræ Ædis Lauretanæ inflammari, faſſus eſt in literis ſuis, parum abfuiſſe, quin ſecum illuc duceret. Sed veritus ne amori erga Federicum ſuo nimium indulgeret, eo conſilio tum abſtinuit, & per alium illius religioni ſatisfacere maluit. Quantum ibi in ſtudia ſe abdidiſſet Federicus, facile eſt intelligere ex Epiſtola, quam Bononia ad Carolum dedit XX. Februarii die MDLXXX. „ Si quæris de meis ſtudiis, „ in illis ita hæreo, ut nihil ſit tanti, quo inde „ divelli queam: quorum ſuavitatem, ac fructum „ præcipue ſi pietati conjungatur, omnium rerum „ deliciis, Regumque theſauris facile antepoſuerim. " Itaque Cardinalis aurea Juvenis indole delectatus, quo tempore Rhoati in Brixienſi Agro verſabatur, audiens, ſolicitari acriter Bononiæ Federicum, ut Religioſæ cuidam familiæ nomen daret, & veritus ne detrimentum aliquod Mediolanenſis Eccleſia ex hoc conſilio caperet, cum Divino afflatus Spiritu prænoſceret, ut teſtatur Carolus a Baſilica-Petri, illum in magnam ejuſdem ſpem adoleſcere: Patrem Adurnum illuc miſit cum mandatis, ut diligenter Patruelis ſui conſilia, ac voluntatem exploraret. Sed poſtmodum ab Adurno monitus, fuiſſe conceptam eam a Federico flammam per imprudentis cujuſdam Juvenis colloquium, qui inani ſanctitatis ſpecie, ſed magis propter ingenii levitatem quibuſdam illum ſponſionis eblanditæ vinculis irretiverat, ocyus ad ſe evocatum Patruelem per Bernardinum Roſignolium primum rogavit, quodnam vitæ genus inire vellet. Cum vero ille Eccleſiaſtice vivendi diſciplinam amplexurum ſe affirmaret, quamvis tentari a pluribus animum ſuum candide fateretur, ut ſe Religioſis potius Clauſtris addiceret: Cardinalis primum juſſit, ut fuſis ad Deum precibus totum ſe illi moderandum, atque regendum permitteret. Interea Margaritæ Trivultiæ Matris animum tentavit; remque totam aperiens per literas rogaverat, an filii conſilio calculum inſuper ſuum vellet adjicere. Verum ſtatim ejus redditæ ſunt literæ dolentis, alterum

obſcure dixiſſe fertur latere in illo adoleſcente magnarum virtutum ſemina, quæ Mediolanenſi præſertim Eccleſiæ uberes aliquando fructus allaturi eſſent. Eum itaque literis accerſitum, poſtquam clericali veſte, ac tonſura inſigniverat, probatæ integritatis, ac doctrinæ Sacerdoti tradidit, ut eum in Ticinenſi Collegio ab ſe condito idoneis ad futuram viri magnitudinem ſtudiis educaret. Nec ſane Federicus ſanctiſſimi Patruelis vaticinia fefellit. Theologiæ ſiquidem facultate, græciſque, & hæbraicis literis eruditus poſtquam Romam pervenerat primum a Xiſto V. Cardinalium cœtui adſcribitur, mox a Clemente VIII. Mediolani Archiepiſcopus renunciatur. Quo Archiepiſcopi nomine audito adeo territus eſt, ut neque amicorum precibus, neque Philippi Nerii ſanctitate, & miraculis celeberrimi viri conſiliis ad capeſſendum tanti oneris munus adduci potuerit. Verum ita Divinæ Beneficentiæ decreto conſtitutum erat, ut Ambroſianæ Eccleſiæ reformatæ, ornatæque decus Borromeorum nomini deberetur. Poſt multa enim inſuperabilis modeſtiæ reſponſa, ad ultimum Summi Pontificis auctoritate compulſus antiquorum quorumdam Antiſtitum exempla renovare viſus eſt, qui cum catenis vincti ad Epiſcopatum acceſſiſſent, populorum denique laudibus coronati ex hac vita deceſſere.

Nunc Carolus peragrata omni Brixienſis Provinciæ parte, eum Tuſculani ad conſcribenda decreta conſediſſet, minime tamen quieto illo laboris genere (*a*) con-

---

rum ſibi ex geminis familiæ fulcris eripi, & objicientis, pari infortunio deſiiſſe Caroli ſtirpem, quæ antea unici fratris Federici vita ſuſtentata ipſius deinde Cardinalis conſilio interierat. Has querelarum plenas literas Adoleſcenti Carolus legendas dedit: interim a legentis vultu nuſquam dimovebat oculos, ratus aliquas animi notas in ejus vultu poſſe deprehendi. Sed lectis tranquille literis, Federicus ſubridens: *mentem*, inquit, *mutabit Mater, ſi me mutatis veſtibus viderit*. Patruelis conſtantiam Ille admiratus, Clericali habitu indutum die X. Octobris remiſit ad Matrem, quæ utpote *prudentiſſima, & Chriſtianis reliquis virtutibus divinitus ornata* (his enim nominibus eam magnifice laudavit in ſua Epiſtola ad Federicum Cardinalem Borromeum data, & apud nos ſervata æquiſſimus rerum æſtimator Sanctus Philippus Nerius) mutata ſtatim voluntate Caroli ſimul & filii conſilia commendavit. Poſtmodum adhibitis in conſilium Moneta, Seneca, & Griffidio in Ticinenſe Borromeum Collegium ſub Octobris exitum transferendum Federicum curavit. Magiſtros deinde in Juris ſtudiis Flaminium Papazonium, & in Theologica facultate Dominicum Ferrum attribuit: ad ſacras Inſtitutiones addidit Julium Cæſarem Bonhomium, cujus religioni multum deferebat Cardinalis; animi verò cauſa ſocium, imo affinem Federici ferme æqualem Comitem Luchinum a Verme adjunxit. Brixiæ adhuc hoc anno erat Borromeus ad perficienda luſtrationis decreta, atque ad Idus Novembris has paterni amoris plenas literas ad patruelem dedit: „ Ticinum te incolumem perve„ niſſe, ut ex tuis literis, & ex Moneta cognovi, „ ſane gaudeo; nec dubito quin te jam ad ſtudia „ tua acri animo retuleris, quorum fructus ut uberes „ ſint, & expectationi de te concitatæ reſpondeant, „ curabis. Nam ſi unquam elaborare debuiſti, „ ut animum pietate munires, bonarumque artium „ cognitione excoleres: nunc certe in eam ratio„ nem multo quam antea majore cura, & diligen„ tia decet incumbere, cum Clericales veſtes, Cle„ ricalemque animum induiſti. Siquidem magnum „ onus hujuſmodi vitæ genus hominibus imponit; „ quod ſi ipſe animo aſſidue cogitabis, & ex digni„ tate te gerere conaberis, næ tu familiam tuam, „ meque in primis, qui te paterna caritate com„ plector, lætitia incredibili perfundes." Paulo poſt iterum Ticino revocatum Sacra Tonſura initiavit, & in ædibus ſuis per Natalitias Chriſti Domini ferias penes ſe habere voluit: ut ad omnem ſanctitatem conſuetudine ſua, & colloquiis erudiret.

(*a*) Quietum hoc laboris genus habuit Borromeus menſe Sextili antequam Brixienſis Regionis Valles ingrederetur. Nam Salodii aliqua concinnavit Decreta, quorum ſeriem ad Plebium Vicarios miſit cum latinis encyclicis literis Tuſculani deinde datis XVIII. Calen. Septembris. Verumtamen perfecta luſtratione Brixiana ſe contulit, reliquas alias leges conſcripturus. Sed hoc certe non admodum tranquillum genus laboris fuit, quod licet expendere ex literis, quas ad Specianum dedit ex ea Urbe X. Calen. Decembris: „ Luſtrationis hujus univerſæ, „ Deo bene juvante, perfectum eſt opus: ſed mea „ ad XII. circiter dies adhuc mora protrahetur, qui„ bus conficiendis quibuſdam tabulis, & nondum per„ fectis nonnullis quæſtionibus extremam manum „ apponam; itemque impeditora alia in ordinem „ redigam, quæ idcirco tamquam laboris finem, „ aut cumulum reſervavi. Hujuſmodi ſunt: expen„ dendæ adhuc rationes cenſuum ſacrorum: plura „ componenda in Cathedrali Baſilica, & alia conſ„ tituenda in altero ex inſignioribus hujus Urbis „ Canonicorum Collegio: ultimo Sacrarum Deo Vir„ ginum Inſtitutiones reficiendæ aut certe moderandæ. „ Nunc video adverſus clamores, & dicteria animum „ mihi eſſe muniendum. Superant enim opinionem „ omnem, quas Clerus mihi præcipue indicet, inimici„ tiæ; nam reliquorum Civium obedientia pacata mihi „ omnia, & tranquilla denunciat, niſi Eccleſiaſtici „ Viri ſuo Cives etiam illigabunt bello. Superſunt „ adhuc edenda in lucem Decreta, quæ ad omne „ Chri-

Digitized by Google

contentus parabat eodem tempore insignem pompam, qua S. Herculani ejusdem Provinciæ Episcopi Corpus circumtulit, atque in proxima Maderni Villa, ubi jamdudum asservabatur, honorifice reposuit. Peracta supplicatio est, præmissis jejunio, & vigiliis, & quanta fieri poterat magnificentia; quemadmodum ab Ipso celebrari Sanctorum memoria consueverat.

Ultimus ejus visitationis, ac fortasse maximus labor fuit tollere inimicitias facinorosorum hominum, qui inter se capitalibus odiis dissidentes, ad universæ regionis perniciem grassabantur. Bertazolus, Sala, de Advocatis, & Clericus capita factionum erant, quacumque irent, latronum, atque exulum agmen secum trahentes. Hos alloqui Carolus summopere cupiebat; nec illi recusavere, quominus benigne invitati obsequentissime convenirent. Invitantis auctoritas, & suavissima de pace colloquia nonnihil ad mitigandas iras profuere. Id sane mirum fuit, efferatos assiduis certaminibus homines, rapinisque, & cædibus assuetos adeo leniri potuisse, ut sese non Cardinali modo, verumetiam familiaribus Ejus reverenter, obedienterque submitterent. Nam ab ipsis moniti, neque cum armis ad colloquium accedere, nec Templum ingredi audebant (*a*). Forte accidit, ut Mediolanum rediens Cardinalis, cum Martinengum noctu perveniisset,

---

„ Christianæ disciplinæ genus pertinent: Verum „ hæc Mediolani expedienda sunt; & inde trasmittenda curabo. Equidem sic statuo: lustrationem, „ si fructum ab ea aliquem expectemus, non ita „ perfunctorie, & levi veluti brachio esse obeundam; sed apprime necessarium duco, singula diligenter introspicere: cum plane intelligam, nullo „ prius temporis spatio posse definiri quæ agenda sunt, „ nisi illud in re ipsa agenda definiamus. Hinc „ tamdiu in hujus Diœceseos finibus hæsi: si quis „ autem norit Regionis ambitum, & spatia (cum „ dempta Mediolanensi Diœcesi, reliquas in Italia „ amplitudine sua superet Brixiensis), is non mirabitur, credo, a me tanto tempore peragratam fuisse „ universam. Nos contra prætervolasse tot Valles „ tam brevi spatio nobis videmur, & opinione citius laborem hunc sane exhausimus. Fateor tamen, multas me noctes hactenus in hac Urbe „ cum administris meis ad secundæ usque vigiliæ exitum tot rebus digerendis incœnatum vacasse: & „ die clausis Ædium januis accedentes quosque excludi, ne importuna officia munus nostrum perturbent: imo necessaria dumtaxat persequimur, & „ leviora alia in commodius tempus reservamus." Utque specimen aliquod hujusmodi laboris exhibeamus, excipe unum dumtaxat ex plurimis malis, quibus in Virginum monasteriis erat consulendum. Hæc Carolus IX. Cal. Decemb. ad eumdem Specianum habet: „ Urget me inter cetera remedii „ præsentissimi necessitas, quod Collegia Virginum „ postulare quamprimum videntur. Negligitur in iis „ claustrorum custodia; eumque facultas a defuncto „ nuper Episcopo concessa aliquibus sit, certis tamen legibus concepta, ut aliquando ex iis egrediantur: hujus facultatis ansam arripiunt aliæ „ etiam, quæ in iis Literis non continentur. Hæc „ deinde potestate abuntur nonnullæ, ut ad suos „ divertant: Aliquæ officia familiaria Confessario suo „ deferunt, cujus domesticas res curant, & lectum „ etiam insternunt. Procedunt sæpe ad prædia, & „ fundos, & Monasterii negotia cum exteris, quos „ conveniant, perlubenter expediunt. Minimum putant Templi supellectilem extra sepia curare. Hæc „ certe omnia concessæ a Bollano facultatis limites excedunt. Quid si aliæ etiam hac venia utantur ab iis, quarum nomen Literis inscriptum non „ legitur? Quamobrem infinitis miseræ Virgines se „ criminibus, & pœnarum vinculis alligant; ne „ dicam, hac libertate muniri aditum ad execranda „ quælibet, & Dei gloriæ admodum adversantia, „ ut multi testati sunt mihi. Quam male hæc ilarum libertas audiat, probe ex adnexa Brixiensis „ Vicarii scheda intelliges &c." Mirum tamen in modum Virginalf Brixiensium continentiæ Carolus consuluit, quam florere incredibiliter ea in Urbe voluit. Primo enim lilia purissima spinis septurus, ad castitatis tutelam austerum vivendi genus in sacras Deo Virgines induxit, dum illic Capuccinarum Asceterium excitandum curavit. Deinde ad Virginitatis amorem profanas etiam fœminas adduxit, ex quibus nobilem etiam conflavit S. Ursulæ sacram Societatem, & datis ad Mediolanensis Sodalitii normam certis legibus firmavit, quas deinde auctas iterum, & emendatas scio editas in lucem Brixiæ anno MDLXXXII.; primas enim iisdem Virginibus indixerat anno superiore ad diem XXVIII. mensis Octobris ex Brixiensi S Dominici Monasterio, ubi tunc Carolus versabatur. Hæc aliquanto enucleatius fortasse persecuti sumus, ut omnes intelligant, quod Brixienses etiam religiosissimi Cives fatentur, Carolo scilicet auctore in eum, quo hodie gaudent, Religionis splendorem, & pietatis apicem eos cives perveniisse.

(*a*) Octavius de Advocatis tanti Viri fama illectus ad Eum aliquando veniens rogaverat, sibi ut liceret ejusdem Sacro interesse: facile id exoravit, conditione tamen adjecta, ne quis ex comitatu armatus Templum ingrederetur; ipsique uni permisit Cardinalis, ut tubum, humi tamen abjectum, ad sui tutelam teneret. Armata hæc veluti Borromei vox fuit: quare jussis satellitibus suis ad Sacræ Ædis vestibulum subsistere, unus Octavius ingressus est, tubumque permissum pede terens ad obsequii significationem, noluit ab eo ullum corporis præsidium mutuari. Hæc Seneca in tabulis.

Digitized by Google

niſſet, clauſas ob incurſiones exulum Oppidi portas inveniret. Itaque retro abire coactus, ad agreſte hoſpitium divertit, quod plane exules ipſi clauſa loca more ſuo vitantes inſederant. Ægre aliquis credat ea, quæ inde ſecuta ſunt, caſu eveniſſe. Ferox illa ſatellitum cohors, tanti hoſpitis nomine audito, tota in obſequium Ejus effunditur, tamquam ſalutem ſuam cum Ipſo veniſſe intelligeret. Dux ipſe primum, deinde ceteri ſingulatim vocati, poſitis armis in genua procumbunt, miſerrimam vitæ conditionem, in qua ob inopiam ſuam detinebantur, ingenue confitentes. Orabant proinde, ut neceſſitatibus ſuis ea, qua erga omnes uti ſolebat, caritate conſuleret. Ille opportunitate temporis capta, pronos ad pœnitentiam animos vehementius impellere: funeſta pericula, in quibus verſarentur, oſtendere: & quoties ſerio emergere ex anteactæ vitæ miſeriis vellent, promptiſſima illis auxilia polliceri (*a*). Nec vero conficta in ſpeciem promiſſa erant. Miſertus enim infeliciſſimorum hominum multa de eorum ſalute conſilia agitaſſe animo traditur, ut ſimul ipſos latrocinandi neceſſitate, ſimul regionem univerſam latrociniorum metu liberaret.

Ceterum quantæ utilitatis illa Brixienſis Eccleſiæ viſitatio fuerit, nullo luculentius teſtimonio probari poteſt, quam Marini Georgii verbis, qui de Caroli laudibus ad Federicum Borromeum Cardinalem Mediolani Archiepiſcopum ſcribens, „ Hæc Brixienſis Eccleſia, inquit, fuit „ Sanctiſſimi illius Viri laboribus ad me„ liorem diſciplinæ ſtatum redacta, ac „ optimis legibus, & decretis communi„ ta; quæ ego cum mihi creditam regio„ nem perluſtrarem, quaſi ſidera perlucen„ tia adhibui, & quaſi loco columnæ ignis, „ quæ Iſraëlitico Populo noctu anteibat, „ comites habui. “ Haud ſecus Cardinalis Maurocenus, qui eidem Eccleſiæ præfuit, diſerte affirmavit (*b*) populum ſuum univerſum non aliis, quam Caroli legibus gubernari, eaſque adeo ſanctas a Brixienſibus haberi, ut ſine ingenti flagitio violari non poſſe crederent (*c*).

C A-

(*a*) Ut narrationem hanc ex puriore fonte hauſirem, Tabulas excuſſi, in quibus teſtis hujus rei productus eſt Octavianus Abbiatus de Foreriis, eodem cum Carolo hoſpitio exceptus. Factum ille his verbis explanat: „ Extra Martinengi mœnia in di„ verſorium cum deflexiſſemus, exulum cohortem „ ibidem invenimus, quibus hæc divinitus injecta „ mens fuit, ut criminum ſuorum remedium a „ Cardinali petere ea nocte deliberarent. Micantes „ inter ſe digitis ſortiti ſunt, quis primus eorum co„ ram Borromeo ſe ſiſteret; & ſorte electus eſt ex iis „ ſenior, qui recta ad Illius cubiculum perrexit. „ Erat tum genibus flexis Carolus, reliquas de mo„ re Sacerdotibus præſcriptas preces expediens. „ Admiratus exul ſubſtitit; cumque Illum immo„ tum aſpiceret, ipſe etiam genibus nixus expecta„ vit patientiſſime, quoad preces abſolveret. His „ abſolutis, mentem ſuam Cardinali aperuit, itemque „ ſociorum vota, qui ſordes conſcientiæ apud Ip„ ſum deponere ſummopere expetebant. Carolus „ ceteros etiam ad colloquium venire voluit; quare „ ſinguli ad Eum ſeorſim accedentes, amantiſſimi „ animi, & paternæ benevolentiæ ſignificationes re„ tulerunt, ut conjicere potui. Sane die poſtero „ omnes in Patrum Sancti Franciſci Templo con„ venere, & interfuere Sacro, quod ibi peregit Car„ dinalis. Cum vero Hic ex eo loco diſcederet, „ literas ad Præpoſitum, & Archidiaconum Cre„ menſis Urbis ab iis deferendas dedit, quibus „ enixe exules commendavit, ut illos in propoſito „ ſuſcepto retinerent.

(*b*) Ne unquam excidiſſe luſtrationis hujus fructum exiſtimemus, placet apponere ſapientiſſimi Viri Angeli Mariæ Cardinalis Quirini Brixienſis Epiſcopi nobile teſtimonium, quod hac ſuper re in quibuſdam ſuis privatis literis ad eruditione celebrem Scriptorem Servilianum Latuadam dedit in hæc verba: „ De uberrima, quam Diœceſis hæc mea ex „ S. Caroli Apoſtolica luſtratione retulit, utilitate „ hoc unum dicam: adſtipulari me Anteceſſorum „ meorum ſplendidæ teſtificationi jamdudum a Gluſ„ ſiano in lucem editæ. Acta omnia ejus Viſita„ tionis adjecto S. Caroli nomine confirmata nos „ omnes in hanc etiam ætatem colimus, & vene„ ramur, veluti conſecratum amoris ſui pignus. „ Ego autem, quotieſcumque ea conſulo, quod „ frequenter facio, ſive aperiens, ſive claudens „ venerandum illud Volumen, obſequii plenum oſcu„ lum ſemper infigo.

(*c*) Poſtridie Idus Decembris ab hac glorioſiſſima expeditione reverſus Borromeus Mediolanum rediit, ut ex Epiſtolis die poſtero datis conjicere potui, & clarius ex aliis ad Federicum Patruelem datis Brixia, in quibus pollicetur ſe IV. Temporum hyemalium feria Mediolani fore. Poſtulat autem hic locus, ne taciti prætereamus Nobilium Brixienſium Luciagorum delatam Borromeo obſervantiam, quæ adeo celebrata deinde omnium præconiis fuit. Ex hac Gente Hieronymus, & Alexander, parens ille, hic filius, inſignia obſequii teſtimonia Carolo exhibuere. Pater indiviſus comes in Urbe, & Diœceſi obeun-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Ex Societate Jesu, & Capuccinorum Ordine Patres in Helvetios, impetratis Ædibus, inducit.

1580. IDem annus, qui tantas utilitates Brixiensibus attulit, Helvetiorum quoque genti saluberrimus fuit. Jam dudum in animo habebat Carolus aliquot Cœnobia condere in eorum Alpibus, quæ circumventæ hostium insidiis Religioni pro arcibus essent. Præsidiarios, quibus ejusmodi arces muniret, ex sanctissimo Capuccinorum Ordine petere destinaverat, ut ipsa exterioris cultus, & disciplinæ severitate luxuriem suam, & execrabilem vitæ licentiam finitimorum montium hæreticis exprobrarent. Nunc omnibus Romæ impetratis, summa etiam Catholicæ Helvetiæ voluntate, quæ in idipsum preces Pontifici dederat, Patrem Bormium spectabili probitate, & sententia virum cum socio misit, ut domicilia in locis, quæ opportuniora viderentur, Instituti sui hominibus præpararet. Profecti Patres amica omnia, & facilia invenere, favore præsertim clarissimorum hominum Lussii, & Rollii, quorum uterque legionem suæ Nationis militum duxerat (*a*). Horum opibus, & exem-

---

obeunda certavit semper officiis suis, ut ex supellectili domestica Cardinalis quidpiam semper in itinere gestaret, tamquam perhonorificam sibi provinciam vindicans: insuper panis & aquæ quidquid ex Illius mensa superesset, religiose quotidie, veluti cariissimum pignus, reservabat. Antequam vero Brixiam adveniret, dux, atque auctor deposcendæ, & ineundæ lustrationis illius Carolo fuerat. Plurima extant in ejusdem literis intimi amoris erga Eumdem significationes, qui adeo deinde eminuit, ut filium a se divellere non gravaretur, quò Theologicis studiis daturus operam, in ejusdem patrocinio Mediolani lateret. Itaque felicissima Hieronymi soboles Alexander triennium in hac Urbe fuit, ubi Sancti Pastoris tutela, & institutis gavisus summopere est, & fundamenta jecit eximiæ morum religionis, quam certe maximam in illo fuisse, indicant luculenter res ab eo gestæ, & typis editæ Brixiæ anno MDCVIII. ab Octavio Hermanno familiari suo. Vicissim aureis adolescentis moribus Borromeus etiam delectabatur, eorumque mutua officia pluribus ultro citroque missis utriusque literis testatissima nobis sunt. Hoc unum innuam Caroli beneficium, quod æternæ felicitatis arrha Alexandro fuisse videtur. Cum enim de ejusdem Apotheosi pro virili ageretur anno MDCII., jamque concessi Sacri honores Cardinalis memoriæ essent, Mediolanum inire festinavit pius Vir, ut se tumuli illius felicissimi bearet aspectu. Utebatur tum adversa valetudine, quæ tamen religionis suæ studia retardare non potuit. Quare cum huc venisset, hospitio a Societatis Jesu Patribus in Sancti Fidelis Domo Professa exceptus, recta ad Beati Caroli sepulcrum tetendit, a quo vix tandem avulsus, & in hospitium reversus, eximium hoc pietatis suæ præmium tulit, ut quatriduo post ad cœlestem, ut credendum est, Patriam evocatus, sempiternæ gloriæ consors cum Carolo fieret. Animam itaque Sancto commendavit, & Federico Cardinali Borromeo Archiepiscopo mortales exuvias, qui deinde extincti oculos clausit, & magnifica pompa funus duxit. Ut aliquod de Alexandri obsequio monumentum asseramus, brevem dumtaxat epistolæ unius partem placet adjungere, quam ad Sanctum Cardinalem dedit die XXI. Martii anno MDLXXXIII. quod simul erit virtutis suæ, & observantiæ testimonium. In ea epistola, cum Carolum edocuisset de perfecto tandem juxta Cardinalis præscriptum Bassanensis Templi ædificio, & strenuam in hoc Barbisonii Præsulis operam laudasset, hæc subdit: „ De me autem, qui nihil sum, nihil dicam. Tamen ego, „ ut sum, nullus homo, Te revereor, & admiror, atque reverebor, & admirabor semper, sincero, intimo, & humillimo eo obsequio, quod „ deferre unquam inter natos homines quilibet „ potest. Hoc ipsum de Patre meo censeas velim. Ceterum ego Brixiæ versor, atque, ut candide fatear, unius obedientiæ causa, qua cum „ maxime Deo me gratificari intelligam, idcirco „ patienter hanc moram fero, & omnia præsto libentissime. Domesticæ res, ut scientiis diu vacem, non sinunt. Attamen negotia ejusmodi „ sunt, quæ ad Dei gloriam certe pertineant, & „ aliorum beneficium hæc autem una cogitatio recreat, & sustentat. Eodem tenore persequar, donec ea perficiantur, quæ Deo debentur. Moderor autem universa, eorum Virorum consilio, ex „ quorum sententia pendere me unice jussisti. Brevior sum, ne tibi gravior, & molestus videar. „ Jamdiu cognitum mihi est, Te assiduas fundere „ ad Deum preces pro iis, qui pari officio pro Te „ supplicant Deo, aut precibus se commendant „ Tuis. Ego sane utrumque præsto: quo autem animo, Deus testis est. Quare gestio gaudio, & „ mirum in modum reficior obsecrationum pro me „ Tuarum conscius, cum incredibilem caritatem, „ & intimum vigorem ex precibus, & suspiriis tuis „ certe hauriam. Pater meus obsequia Tibi quam „ humillima defert: Nos item omnes pari reverentia, & animo, quam nunc supplices poscimus, „ quotidie etiam sacram benedictionem Tuam postulamus.

(*a*) Amicissimus uterque Carolo fuit: utrumque autem Carolus honoribus, & gratia sua ornandum curavit: cum alteri Pontificiarum Excubiarum præfecturam, alteri Equestrem dignitatem a Gregorio impetraverit. Nimirum illis tamquam Atlantibus nixi Orthodoxam Fidem in Helvetiis Regionibus semper puta-

Digitized by Google

exemplo primum apud Uranienſes Monaſterium ejuſdem Ordinis conditum : alia deinde multa ſparſim in Alpibus erecta; quippecum paribus incrementis Cœnobitarum pietas, & populorum beneficentia proficeret. Cumque aliorum Sacerdotum paucitas confluentibus ad Pœnitentiæ Tribunal ægre conſuleret, egit cum Summo Pontifice Carolus, ut legem, qua ab eo munere arcentur, Patribus relaxaret.

Eadem caritate, nec diſſimili proventu curavit, ut Patres Societatis Luceriam, ac Friburgum (*a*) primaria ſcilicet totius Helvetiæ Oppida mitterentur. Per eos inſtaurata Sacrorum majeſtas: propagata latius Divini verbi oracula: &, quæ maxima in omni republica cura eſſe debet, conſtituta gymnaſia juventuti, in quibus non tam elementa ſcientiarum, quam veræ Religionis documenta perdiſceret. Hæc ſub anni finem in Helvetiis geſta ſapientiſſimo ſane conſilio, ut eo validiora auxilia verterentur, unde graviora pericula imminebant.

CAPUT IX.

Carolum a Baſilica-Petri in Hiſpanias mittit, qui Regem de rerum Mediolanenſium perturbatione coram edoceat, ejuſque opem imploret. Aliquæ iterum Mediolani ſervent ſuper Eccleſiæ juribus diſſidia.

1581. SEquitur annus memorabilis, miſſa in Hiſpaniam legatione (*b*), qua demum parta Mediolanenſi Eccleſiæ tranquillitas eſt. Noverat optime Carolus, quanta Catholici Regis erga Deum, hominesque pietas eſſet, & quanta illi cura, ne intra imperii ſui fines Chriſtianæ Doctrinæ cultus aliquod detrimenti caperet. Id ſatis declarabant ſuſcepta in Belgio contra hoſtes Eccleſiæ bella, perpetuus in admittendis Tridentini Concilii legibus favor; & etiamſi alia argumenta defuiſſent (*c*), miſſæ

putavit. Neque in tot ad eos datis literis ullum unquam mihi occurrit dictum, quod ſummam humanitatem, & voluntatem admodum in eos propenſam non redoleat. Deſtinatus ad iſtos fuit Legatus deducendorum Patrum Capuccinorum cauſa Ambroſius Fornerius, natione & ipſe Helvetius, & Caroli familiaris.

(*a*) Ut illuc doctiſſimos hoſce Patres induceret, & teterrimam, qua Regio illa premebatur, caliginem diſſiparet, Joannem Franciſcum Bonhomium Legationem iis in partibus obeuntem rogaverat Carolus, ut gentis illius animos tentaret propoſito hujus Collegii extruendi conſilio. Feliciter autem res ceſſit; imo extant euchariſticæ Senatus Friburgenſis literæ, qui maximas pro perfecto opere Borromeo gratias habuit. Carolus tamen ſe imo illis obſtrictum profeſſus eſt, ejuſque Nationis aliquot Romam paulo poſt feſtinantes ad Sacra viſenda Limina literis proſecutus ſuis, enixe Summo Pontifici commendavit in hæc verba:

Sanctiſſime, & Beatiſſime Pater.

„ HElvetii iſti Viri ex Friburgenſi Provincia ad „ Romana Apoſtolorum Limina, & Sanctita„ tis Veſtræ deoſculandos pedes aſpirant. Inter eos „ cum nonnulli Proceres ex gente ſint, omnes „ tamen videntur Sanctitatis Veſtræ gratia digniſſi„ mi; quandoquidem inter Hæreticos omni ex par„ te verſantur, & ceteros obſervantia, & propenſi „ animi ſignificationibus ſuperaverunt, dum Bonho„ mius Regiones ſuas ultimo obiret. Quapropter „ digni certe ſunt, qui humanitatis S. Veſtræ, & con„ ſuetæ lenitatis beneficio fruantur, & iis amoris „ teſtimoniis cumulentur, quæ ſemper Summi Pon„ tifices optimis ejus Nationis Viris deferre con„ ſueverunt. Id certe non ſolum erit Friburgenſi„ bus præmium obſequii ſui, quod præ ceteris „ Sanctæ Apoſtolicæ Sedi deferunt; ſed etiam „ non leviter excitabit, atque accendet eorum vo„ luntatem, qua vitam etiam, ſi opus ſit, ad „ Sanctæ Eccleſiæ gloriam profundere ſe paratos „ teſtantur. Interim poſt Beatiſſimorum pedum oſcu„ lum Deum enixe precor, ut S. V. donis ſuis „ abunde cumulet. Mediolani &c.

In aliis deinde ad Cardinalem Novocomenſem datis eodem tempore literis votum ſuum clarius exponit; nimirum, ut apud Gregorium, curaret cives eos Equites auratos creari.

(*b*) Miror in hunc annum octogeſimum primum ſupra ſeſquimilleſimum rejectam hanc legationem; cum meridiana clarius luce conſtet anno ſuperiore miſſam fuiſſe, imo & perfectam. Plures legi, quin fortaſſe omnes, Caroli a Baſilica-Petri literas ad eam pertinentes, quas vidi datas eſſe anno hujus Seculi LXXX.; imo aliquæ venerunt ad manus, quas Borromeus, dum Brixiæ eſſet, conſcripſit. Adde Cardinali Riario legationem in Luſitaniam ad Regem Philippum eodem anno demandatam: præterea etiam Luſitanicum bellum eodem tempore a Philippo Rege ſuſceptum in id conſpirare, ut probent, vel Gluſſianum deceptum, vel aliquem Typographi errorem in hunc locum irrepſiſſe.

(*c*) Deſiderari Regiæ voluntatis in Carolum pronæ indicia non poterant. Alibi retulimus Philippi reſponſum datum Speciano, cum Regis animum in Cardinalis Alexandrini legatione exploraſſet: quo ſane nihil luculentius eſſe potuit. Inſuper Regem optime animatum declaraverat Demarchus *de las Naos*, cum Mediolani eſſet, antequam Romam proficiſ-

Digitized by Google

missæ biennio ante ad Provinciarum Gubernatores literæ, quibus nihil severius imperabat, quàm ut vivendi formulam Catholico nomini consentaneam in sua quisque Provincia tueretur. Difficile itaque ad fidem erat, tot artes, & studia, quæ ad impedienda populi vitia ab Archiepiscopo adhibebantur, posse tam pio Regi displicere. Quid vero tam absonum, atque a recta ratione alienum, quam unice inventa ad Religionis incrementum Decreta ab ejus Magistratibus oppugnari, qui tam gravia bella pro Religione susciperet. Hæc intra se reputans, cessatura illico certamina existimavit, si quis actiones, & consilia sua sincere, ac fideliter Regi præsentaret (*a*). Dissidia enim, quæ hactenus sustinuisset, non aliunde orta; quam aut ex mendaciis malevolorum, qui se in officio contineri ægre ferrent; aut ex figmentis superborum hominum, qui Regia jura violari simularent, ut defensionis obtentu regia plusquam potestate dominarentur. Re mature discussa, Carolus Bescaperius (*b*) ex inclyta Barnabitarum familia deligitur, qui Regem ipsum occultissime adeat, eique cum fide exponat, quam multa ab ejus desideriis, imo mandatis aliena Mediolani eveniant (*c*). Commode accidit, ut Cardinalis Riarius per idem tempus de rebus gravissimis in Hispanias a Summo Pontifice mitteretur (*d*). Huic igitur

---

ficiscereturs; neque Alcanisius ipse per hæc tempora cum Speciano Romæ amice colloquens dissimulaverat. Certe non desunt Cardinalis Granvelani, Ormaneti, aliorumque literæ famam de Carolo maximam apud omnes Hispaniæ aulicos aperte testificantium. Ipse etiam Albertus Cardinalis Austriacus Philippo Regi apprime carus, & ejusdem consuetudine Madriti fruens, Borromeo dolenti per literas de Ferdinandi Principis Hispaniarum, & Wenceslai Archiducis interitu indicavit, quo loco Ille in aula esset, cum in hæc verba responderet Cal. Aprilis MDLXXIX. „ Ut intelligat Dominatio Tua „ non modo consolationem mihi suam gratam esse; „ sed me judicium suum quoque magni facere, do „ operam, ut ita feram hanc molestiam, quemadmodum Ipsa, cujus vitæ sanctitatem, atque virtutes mirifice amo, ferendam censet. Non enim „ possum non obtemperare Ipsius monitis, & ratio„ nibus, quibus tam officiose, tamque amanter ani„ mum meum erigit. De cetero verba non fa„ ciam; habeo enim jamdudum persuasum, Domi„ nationem Tuam mihi bene cupere: cui ut meam „ quoque egregiam erga se voluntatem declarem, „ data occasione diligenter a me curabitur. " Quid plura? Rex ipse demandaverat Carolo Belgii tutelam, quo tempore, extincto Avunculo, Pius V. ad Supremam Ecclesiæ Sedem evectus fuerat a Carolo contra Regis apertam voluntatem. Tantum siquidem Illius integritati deferebat Rex prudentissimus, ut tam insigni beneficio contemptum desiderium suum splendide ulciscereturs. Legi egomet Authographum ipsum Diplomatis dati postridie Cal. Martii MDLXVI.

(*a*) Non admodum obscuris argumentis in eam sententiam adducor, ut credam, vel Pontificem ipsum, vel Cardinalem quempiam Romæ id suasisse, ut secretiore aliquo Internuncio apud Regem Carolus uteretur. Lego enim deliberatum fuisse de hujusmodi legatione mittenda, cum Carolus ibidem anno superiore versaretur. Specianus etiam de eadem sæpe per literas egit, tanquam de re jamdiu stabilita. Tres etiam arcani impetrandi cum Rege colloquii vias Specianus idem iniri posse suaserat: Primam nimirum, si causatus Religionem Cardinalis in Hispaniam proficisci vellet, ibique celeberrimum aliquod ex iis, quibus illa Regio abundat, Templis invisere; qua opportunitate, remotis arbitris, Borromeus tutò posset cum Philippo res suas præsens transigere: altera ostendebatur multo facilior, scilicet ut Capuccinorum Ordinis aliquos, qui Regi Ordo erat acceptissimus, illuc legaret, cum ii optime provincia hac functuri viderentur; indicaverat idcirco Specianus P. F. Matthiam Belintanum Salodiensem tanquam arcani custodem fidissimum, & susceptо consilio valde opportunum: Ultimo monitus fuerat, ut Cardinali Riario se ad Lusitanicam legationem accingenti omnia vellet committere. Verumtamen nullam ex his sententiam amplexus est Carolus. Prima displicebat ratio; quandoquidem nimium videbatur hoc modo colloquium protrahendum. Sed neque secunda arrisit; cum majorem in Legato mittendo humanatum etiam rerum experientiam requireret. Postremo nec tertia; quandoquidem tutius videbatur Toletano Cardinali omnia concredere, cui facilius, & diutius Regiæ aures patuissent, quam Cardinali Riario legatione perfecta Romam ocyus redituro.

(*b*) Is potissimum a Carolo delectus est contra Speciani sententiam, utpote Juris scientia cumprimis eruditus; nam Toga deposita, in qua scientiæ suæ ingentem laudem retulit, quinquennio ante se in Ecclesiæ castra conjecerat. Nimirum committenda illi erat Legatio, in qua agebatur causa Archiepiscopi cum Regio jure implicita; neque eam felicius expedire quisquam, nisi Jurisconsultus poterat, ut ipse Bortomeus Speciano rescripsit.

(*c*) Ea legatio unice in hoc versabatur, ut mala, & incommoda, quæ Mediolanensem Ecclesiam premerent, & quibus Rex per Administros suos mederi facile poterat, in Regiis oculis defigerentur. De vetustis controversiis tamen, quæ jam ad Pontificis Tribunal rejectæ erant, nihil omnino actum; cum Sanctæ Sedis oraculo eas unice dirimendas cognosceret.

(*d*) Cardinalem Riarium Roma discessisse ad hanc Legationem obeundam die XXVI. Aprilis anno MDLXXX.

Digitized by Google

igitur per Insubres transeunti Bescaperius comes adjungitur veluti familiarium unus, ac longe aliam a provincia sibi commissa personam gerens (*a*). Id maxime fieri oportebat, ne si aliquod legationis indicium emanaret, occupatas adversariorum calumniis regias aures veritas inveniret.

Hæc pro pace suscepta consilia quam necessaria tempori forent, non præteritæ modo contentiones; verum etiam recens exortum inter ipsa consilia certamen ostendit (*b*). Joanni Fontanæ Vicario suo, qui deinde Ferrariæ Episcopus fuit, negotium dederat Cardinalis, ut Xenodochium inter cetera Urbis opera celeberrimum rite suo nomine (*c*) visitaret. Hanc potestatem præter Tridentini Concilii sanctiones, multa alia, eaque perspicua argumenta Archiepiscopo afferebant. Nam & in omni conventu, cum de Xenodochii proventibus agitur, bini semper ex Ecclesiastici Ordinis primoribus sedent: & loci Procuratores a ceteris Piorum Locorum administratoribus nominati ab Archiepiscopo deliguntur: & nihil absque ejus consensu in eo negotio transigi, agique posse in confesso erat. Inventus est tamen, qui tam dilucidæ rei tenebras obtrudere conaretur (*d*), juberetque libros, quibus dati, & accepti rationes continebatur, occultari, tamquam in eorum cognitione nulla prorsus Archiepiscopi auctoritas esset. Vicarius Fontana, ubi se arceri ab officio vidit, seditionis auctorem arcet communione Sacrorum: qui tamen nihil ea sententia perculsus Militaris Ordinis obtentu, cui se adscriptum ferebat, provocatione interposita, nihilo modestius in incepto perseverabat. Id sane decuit, ut quo

MDLXXX. testatum habemus ex Speciani literis. Missus autem erat ille Legatus ad Philippum Regem pro sedandis controversiis excitatis de successore Henrici Cardinalis Lusitaniæ Regis eligendo, de quibus multa sincere exponit Doctor Geddes.

(*a*) Injiciebat festinationem suminam Legato periculum illud, ne interim Ayamontio defuncto Successor a Rege daretur, qui rerum ignarus ad hujus Provinciæ administrationem capessendam veniret. Hoc præcavere maxime studebat Borromeus, cum legationis totius fructum ab ipsa Gubernatoris electione pendere arbitraretur. Itaque post Idus Majas celeriter instructum Legatum suum, quem etiam ante Ayamontii obitum hisce rebus erudierat aliquantulum, ocyus misit in Transpadanam Regionem, unde transiturum Cardinalem Riarium intellexerat. Irrita tamen initio fuit tanta celeritas; nam pridie Cal. Jun. ipse a Basilica-Petri Avenione scribit, se quidem esse in Riarii comitatu; sed vix assecutum fuisse ejus vestigia ad radices Alpium trans Augustam Taurinorum. Tam caute, & tanto silentio expedita hæc legatio est, ut neque Cardinalis Riarius, neque Pontificius apud Regem Internuncius initio quidquam de hac expeditione intelligerent; imo Cornelius Carnagus Caroli in Hispania Procurator, qui Legatum hunc suppeditatis ex Domini nutu pecuniis alebat, negotium tamen ipsum ignoraret. Quare ad neminem hujus rei notitia permanavit, si hos excipiamus: Regem nimirum, a quo remedia expectabantur: Patrem F. Didacum Clavesium, qui Regiæ voluntatis interpres erat: Borromeum qui miserat: Pontificem, & Specianum, qui consilium vel dederant, vel approbaverant.

(*b*) Præter hoc, quod Auctor subdit, incommodum, alia hoc anno MDLXXX. exorta erant cum Proceribus dissidia. Vetiti scilicet fuerant Curiæ suæ administri ex Concilii Provincialis lege agere, & quæstionem exercere in profanos homines symphoniacos, qui festis diebus intempestivo concentu Sacra turbassent, & populum a Templis avertissent. Deinde cum piarum Sodalitatum Confratres Sacco operti, & tecto vultu sacris exercitationibus, atque Supplicationibus vacarent, jussi sunt caput aperire; quibusdam vero in permisso jam ritu permanentibus, minitati sunt primores aliqui carcerem, & vincula, nisi ab hac consuetudine abstinerent. Præterea Lanius quidam, qui usque a Requesenii in eandem rem assentientis temporibus in Canonicæ ædibus jussus a Carolo fuerat, carnes venales, & omni vectigali immunes Clero exponere, sub hoc tempus traditus in custodiam fuerat; neque, nisi magna pecuniæ summa imperata, absolutus. Hæc omnia Pontifici per literas exposuit Cardinalis, quæ maxime Ecclesiæ suæ libertatem lædebant. Unam tamen dissimulavit privatam injuriam, sibi illatam ab Equite illo, qui contra promulgata Caroli Edicta Legatus Romam fuerat ab Ayamontio. Hic enim cum eligere hyberna Militibus in hac Provincia degentibus deberet, curavit, ut ingens eorum numerus Aronensi Oppido attribueretur, ulturus Borromeæ familiæ incommodo irritæ Legationis suæ pudorem.

(*c*) Paucis ante annis munus hoc Ipse Carolus obierat, ut alibi adnotavimus, neque ullam administro suo imponendam injuriam suspicabatur ea præsertim in causa, quam jure suo persequi poterat; cum in Eam luculentissima haberet potestatis suæ documenta, quæ deinde Romam, & in Hispaniam misit, dum præsens controversia ferveret. Et sane nisi Brixiensibus curis fuisset implicitus, Ipse per se Cardinalis provinciam hanc obire erat paratissimus.

(*d*) Hic erat alter ex geminis Legatis Romam missis, ut Borromei decreta convelleret: Civis item in Urbe primarius, atque Equitum Ordini, qui ab Alcantara nomen habent, adscriptus. Nihil intentatum hoc anno omisit, ut Borromei patientiam lacesseret, eo quod Pontificias literas, quas ipse Roma referre noluerat, intellexerat jam a Carolo Decurionum Urbis Concilio fuisse oblatas.

Digitized by Google

quo altius ſeſe efferebat, eo gravius caderet. Nam Romanæ quoque Curiæ judicio damnatus, non modo quos occultaverat libros depromere coactus eſt; verum etiam ceteris documento fuit, ne quis humanis patrociniis fretus in vetitum niti, ac vim inferre legibus audeat (*a*). Non ego certe is ſum, qui ad tutanda Eccleſiæ jura miraculorum terrores fingere, & inuſitatos eventus ſurripere naturæ viribus velim. Sed cum hoc culpæ genere neminem adhuc in hujus hiſtoriæ decurſu peccaſſe videam: cum duos Gubernatores immatura morte ſublatos; alterum ex Senatoribus inſanabili furore correptum: cum Scalenſis tumultus auctorem Calabrum miſerabili exitu extinctum, capitalium rerum Præfectum inter oblectamenta nuptiarum ſubitanea morte oppreſſum: cum Ductorem equitum, qui Quadrageſimæ ſolemnia haſtiludiis violaverat, inimicorum armis peremptum inveniam; credere cogor, ſingulari Dei judicio præter naturæ ordinem eveniſſe, ut qui in hujus Eccleſiæ regimine certamen aliquod Carolo intentarent, contumaciæ ſuæ pœnas luerent. Hunc certe ſeditioſum hominem, qui in Xenodochii cauſa tot turbas concitare auſus erat, ſatis conſtat ad eas miſerias redactum, ut veniam prius, & opem ab Archiepiſcopo petere cogeretur: mox linquente ſpiritu in publica via prolapſum, paucas poſt horas diem ſuum obiiſſe (*b*).

C A-

(*a*) Laxare paululum narrationem hanc brevibus animis comprehenſam, operæ pretium videtur, ut lucem rei univerſæ afferamus. Brixienſibus curis diſtentus erat Cardinalis, cum Fontana adverſarium ſuum Anathematis vinculo illigaſſet. Re intellecta, dum poſt Nonas Septembris Mediolanum remeaſſet, tranſigere cœpit cum Sanctio Ghevara Arcis Præfecto, penes quem interim ſumma rerum erat, de Noſocomii luſtrandi jure ſuo retinendo. Ceterum ratam Fontanæ ſententiam habuit. Rem explicat Borromeus ipſe in data ad Specianum Epiſtola die VIII. Septembris: „ Nihil in Sanctio fallaciæ, aut artificii certe deprehendo. Pronus ille in Religionem conſervandam eſt; verumtamen inani quodam timore perculſus hæret, ac nollet benevolentiæ erga me ſuæ, & nimiæ Religionis reus videri. In quo quidem maxime illius miſereor: ceterum pectus mihi nudum aperuit, & obligata prius fide mea, præſidenter literas mihi aliquot oſtendit, ex quibus neceſſitas magis diſſimulationis ſuæ, quam ulla ipſius diſſimulatio patuit. Oravit me, ut aliquantulum ſuperſederem, quoadusque certi aliquid de hoc meo jure Roma aferatur: quod quidem haud gravate conceſſi. Verum quod ad Petrum Antonium N. ſpectat, nondum palam lecta eſt pronunciata in illum Anathematis ſententia; dandum enim aliquid vidébatur celebritati hodiernæ. Nunc ſinam, ut publicè hujuſmodi pœnæ reus denuncietur, præſertim cum per Diœceſim miſſæ jam fuerint, me inconſulto, ſchedæ pronunciandæ ſententiæ, editumque ſit, ut evulgentur. " Recitata igitur palam ſententia eſt; & mox turbæ cieri cœptæ, atque in ſui præſidium damnatus Eques cauſari cœpit, ſe Epiſcopi poteſtati non eſſe ſubjectum, utpote qui gauderet juribus Equeſtris Ordinis Alcantaræ. Hinc ad Vicarium Ticinenſem confugiens, qui Ordinis illius Apoſtolicus Conſervator erat, effecit, ut ex novo illius decreto, Fontana ipſe Anathematis reus declararetur. Revera hujus Anathematis pronunciati teſtes tabellæ geminæ præfixæ ſunt foribus Regii Palatii Mediolani, & ne quis eas refigere auderet, plures ad valvas ipſas circumfuſi Satellites excubabant. Triumphabat itaque impune Petrus Antonius N. & aliorum conſortio frui palam geſtiebat. Verum apud Senatum, & populum plus valuit Caroli auctoritas. Nam licet ille tanto fulmine ictus libere volitaret in Foro, omniumque conſuetudine etiam intentatis minis uti vellet; tamen cum aliquando in Senatum iſſet, atque intereſſe cum invitis Senatoribus Sacro vellet, denunciavit Sacerdos, ſe ab Ara receſſurum, niſi ille ex Sacello faceſſeret; quare, Patrum Conſcriptorum monito accedente, digredi inde coactus eſt. Id ipſum minitatus eſt alias Monaſterii Præſes in Sancti Marci Æde, quo Sacrum auditurus perrexerat, cum inde etiam juſſus fuerit voti impos diſcedere. Sanctius ipſe Ghevara, cum ſibi aliquando eo conſulto opus eſſet, veniam prius a Carolo poſtulare voluit. Attamen cum Mediolani omnes illum refugerent, fautores plures Romæ habebat ex Hiſpanis Magnatibus; ſed eorum voces repreſſit Pontificis ſententia, qua ſanxit, ad jus Archiepiſcopi Noſocomii luſtrandi poteſtatem pertinere. Igitur tandem redditi Carolo libri ſunt, & vinculis omnibus abſolutus eſt Eques. Claudere autem debebat hoc drama Vicarius ille Ticinenſis, qui falcem in alienam meſſem immiſerat; & ſane Borromeus ipſe pœnas ab eo exigere videbatur. Verum cum Novocomenſis Cardinalis Carolo ſcripſiſſet, ut *vellet tandem veniam ſe dignum ei Vicario impertire*, Ille e ſententia ſua diſceſſit ſtatim, maluitque poſteris continentiæ ſuæ, quam juris nimium tenaciter retinendi exemplum relinquere. Hæc omnia in annum MDLXXX. rejicienda ſunt diſſidia, quæ menſe præſertim Septembri ferbuerunt, & fuere in cauſa, ut Carolus in hac Urbe, interrupta Brixienſi luſtratione, uſque ad illius exitum ſubſiſteret.

(*b*) Miſſo in hanc Provinciam Gubernatore Carolo Aragonio ſupervenere Philippi Regis literæ, quibus hic Eques in Hiſpaniam evocabatur. Perculſus hoc Nuncio ad Aragonium ſtatim confugit, a quo

Digitized by Google

CAPUT X.

Quid Internuncius cum Hiſpaniarum Rege egerit; & felix tandem legationis exitus ſummatim exponitur.

1581. SExtili menſe ineunte (*a*) Carolus Beſcaperius ad ulteriora Hiſpaniæ confinia progreſſus, quamquam implicitum gravi bello Regem invenerat, tertio tamen, poſtquam pervenerat, die in colloquium admiſſus, legationem ſuam expoſuit. Ex primo illo congreſſu nihil tamen ulterius retulit, quam ut capita legationis ſingulatim deſcripta afferre juberetur (*b*). Sed cum multa habere ſe diceret, quæ verbis potius, quam literis explicari ad ſummam rei intereſſet, nulla mora per clementiſſimum Regem facta, quin dato iterum acceſſu (*c*), omnia quæ vellet diſerte ac libere proferret. Sermo ejus fuit, qualis debuit eſſe Oratoris, qui ſanctiſſimi Archiepiſcopi cauſam coram Judice ſapientiſſimo ageret. Miſſum ſe a remotiſſimis Italiæ finibus, non ut quæſtiones, quæ utriuſque partis conſenſu ex Romani Pontificis definitione penderent, moleſte repeteret; verum ut Religionis cultum, & Divini nominis gloriam ab factioſorum hominum injuriis vindicaret. Idcirco ſe orare, ut cauſæ judicium non civilis juris, ac forenſium negotiorum, ſed Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritis committeret. Cardinalem Borromeum, ex quo Paſtorale munus Mediolani ſuſceperit, nihil unquam in animo habuiſſe, niſi ut Sacrorum curam anteriorum temporum negligentia collapſam reſtitueret; idque facilius aſſecuturum fuiſſe, niſi quidam ex Regiis Magiſtratibus, aut vanis ſuſpicionibus, aut ipſis vitiorum ſuorum remediis irritati, nova ſemper impedimenta ſaluberrimis legibus ab Eo conditis objeciſſent. Toleraſſe Illum in ſananda republica quidquid adverſi timeri ab hoſte infenſiſſimo reipublicæ poſſet: exutum avitis opibus, militum ſtationibus domi obſeſſum, Romam ad refellendas malevolorum calumnias deſerto

---

a quo reſponſum accepit: *Nullum præſidium, niſi in Borromæi patrocinio, apparere.* Hoc tamen ſummopere refugiebat Eques; Verum neceſſitate cogente, curavit Caroli animum per amicos explorare. Qui cum Illius verbis retuliſſent, paratum ſibi auxilium fore, ſi a publicis, quibus abundabat, vitiis revocaſſet animum, repente confirmatus animo Cardinalem adiit, certumque teſtimonium obtulit, quo aliam, eamque meliorem a ſe initam vivendi rationem comprobavit. Neque falſa dicebat, cum Gubernator juxta Philippi mandatum paulo ante juſſiſſet condi in Monaſteria fœminas quaſdam, quarum conſuetudine, non ſine hominum offenſione, ille delectabatur. Meliorem hanc vivendi rationem ſive ſua, ſive Regis voluntate ſuſceptam laudavit Cardinalis; datiſque in Hiſpanias literis, amicis hominem pluribus commendavit, quorum cauſa placabilem Philippum haberet; inſuper etiam Procuratoris ſui titulo ornatum peramanter dimiſit. Verum cum eò appuliſſet, repentina mors Caroli beneficia omnia, quibus indignus certe erat, intercepit.

(*a*) Idibus Junii ſcribit Carolus a Baſilica-Petri ſe Barcinonem perveniſſe, & pridie Nonas Auguſti Badajocium, ſive Pacem Auguſtam, ſe ingreſſum; poſtridie autem ſtatim fuiſſe ad Regem introductum. Erat eo tempore in hac Urbe Philippus in Luſitaniæ poſſeſſionem imminens, & belli exitum expectans, ad quod perficiendum Albanum Ducem Ferdinandum præmiſerat. Ex quo facile apparet, in quem annum hujuſmodi Legatio inciderit, cum ſtatim copias ad illius Regni fines Philippus admoverit poſt Henrici Cardinalis Regis interitum, qui pridie Calen. Febr. anni MDLXXX. diem obiit ſupremum.

(*b*) Quid in primo illo colloquio actum ſit, docet Legatus in literis ad Cardinalem datis die VIII. Auguſti: „ Luce Redemptoris noſtri Transfigurationi „ ſacra mihi Regis aures patuere. Breviter expoſui „ a quo miſſus eſſem, de quo eſſet agendum: po„ ſtulavi, ut ſine arbitris me Rex ipſe audiret, an„ tequam tamen de Gubernatore mittendo quidquam „ ſtatueretur. Mitiſſime excepit me, atque audivit; „ ſed adjecit, velle ſe ut conſignata omnia ſcriptis „ ſibi traderentur. Sacra Lypſana obtuli (medium „ ſcilicet Infantis corpus Herodis juſſu in cæde In„ nocentium interempti), atque acceptiſſimum ſibi „ id muneris eſſe affirmavit. Cum vero arculam „ menſæ vellem imponere, rogavit, num videndi „ copiam eſſem facturus. Ego, remotis involucris, „ eam nudam coram expoſui; ille autem nudato „ capite, genua flexit, & oſculum religioſe infixit. „ Aliqua deinde ſubjecit, quibus teſtabatur, probari „ ſibi hoc donum, præſertim cum, quid eſſet, ex „ me audiret. Demum maximas ſe habere tibi gra„ tias teſtatus eſt, ſuiſque verbis ut agerem, im„ peravit.

(*c*) Triduo poſt pluribus, quæ in rem facerent, conſcriptis, iterum a Rege admiſſus in colloquium eſt, cui plura enucleate expoſuit, facta ab eodem libera dicendi poteſtate. Tantam certe Philippi humanitatem nemo non admiretur, cum eo tempore clauſi omnes ad illum aditus ceteris eſſent, & graviſſimi belli moles eum urgeret; niſi velimus id amoris adſcribere obſequio illi, quod maximum Borromei nomini deferebat.

Digitized by Google

ſerto grege ire coactum: & cum omnia ſua in pauperum ſubſidium effudiſſet, pro raptore Principatus, & dominationis cupido habitum. In his rerum anguſtiis nihil opportunius duxiſſe, quam ad Regis ſui patrocinium confugere: conſcium videlicet, quam longe Ejus mens ab ea, qua Mediolanenſes Magiſtratus uterentur, agendi ratione diſſentiret (*a*).

Humaniſſima reſponſa, quæ ex eo ſermone retulerat, ſpem Beſcaperio fecere, haud irritos fore labores, quos in obeunda legatione ſuſceperat. Eaque ſpes multo firmior fuit, accepto deinde mandato, ut omnia, de quibus acturus venerat, cum Patre Didaco Claveſio communicaret. Erat Claveſius præclariſſimus Dominicani Ordinis alumnus ob eximiam pietatis, & ſapientiæ famam conſcientiæ moderator a Rege, atque hujus controverſiæ definitor aſſumptus. Is ubi omnia cauſæ momenta diligenter expendit, haud diu cunctatus eſt, quin Cardinalis poſtulata Juri, ac Religioni conſentanea judicaret. Adverſa Regis valetudo, & Reginæ mors ex immaturo fœtu ſecuta Legati reditum in Italiam diſtulere. Sedato denique luctu, atque impetrato benigne commeatu, ex Aula diſceſſit, Regias literas ferens, quæ pacatiora omnia impoſterum fore pollicebantur. Eadem ferme Claveſius in Epiſtola ad Carolum ſcripta fuſius ſignificabat: deſignatum videlicet Mediolani Gubernatorem cum iis mandatis, ut agenti rem ſuam Archiepiſcopo non modo nihil impedimenti afferret; verum etiam omnibus auxiliis præſto eſſet. Erigeret proinde animum, certus nihil adverſi fore, quo minus laudabiliter cœpta in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione perficeret (*b*). Quam vera hæc eſſent, novi Gu-

(*a*) **Orationem**, quam ad Philippum Legatus habuit, idem fuſe exponit ſub finem Libri V. in ſua, quam de Caroli rebus geſtis concinnavit, hiſtoria. Omnia uno verbo complectar, ſi dixerim: expoſuiſſe eum rerum omnium ſeriem, quæ immerito Sancto Antiſtiti adverſæ contigerant. Obtulit deinde plures conſcriptas tabulas, & quæſtiones habitas in acerbiſſimis, quæ inciderant, diſſidiis, ut certiora omnia, & teſtata in Regis oculis defigerentur. Tamen non exhibitæ ſunt ab eo Breves Pontificiæ Literæ, quibus Gregorius Mediolanenſibus Legatis reſponderat; neque ſententia a Romanis judicibus pronunciata in maledicum eum Concionatorem, qui Cardinalem publice contumeliis oneraverat. Neque demum Gregorii reſponſum, quo luſtrandi Noſocomii jus Mediolanenſis Archiepiſcopi eſſe certo ſtatuebatur. Hæc tamen omnia ad Legatum, cum adhuc in Legatione eſſet, miſſa ſunt; ſed cum dumtaxat Madriti reddita fuiſſent, quando a Regis colloquio reverſus eſt, deinde per Pontificis Internuncium ad Philippi manus pervenere.

(*b*) Habemus item ex Legati literis, quæ illi poſt Regis colloquium evenere. Nam perfecta legatione, cum Pace-Auguſta reverſurus eſſet, hæc ſcribit die XX. Novembris: „ Poſtquam Regi Philippo „ dilucide omnia, quæ ad legationem ſpectabant, „ expoſui, & quidquid ſcripto obtuleram, ſumma„ tim per capita proſecutus ſum: tandem juſſus ſui „ ſingula cum Claveſio privatim diſcutere. Hic mihi „ viſus eſt, humaniſſime & ſtudioſe provinciam hanc „ ingredi; cum affirmaret, optimam hanc a Te excogitatam rationem, ut ſecreto omnia tranſigerentur, atque aſſereret, maxime ad rem pertinere, „ ſi certa, & teſtata ſingula afferrem. Quare ſtatim „ juſſit me bono animo eſſe, ſpondens Legationem „ hanc magna fore cum utilitate conjunctam. Monuit, ut pedetentim ſingula evolverem, ne quid „ oculos ſubterfugeret, & cautius conſuleretur. „ Ceterum paratiſſimum ſe ad audiendum obtulit, „ licet graviores eum curæ obruerent. Hinc certos præſtituebat dies, quibus nec oſcitanter, nec „ præpropere quidquid exponerem excipiebat. Veterum diſſidiorum ſeriem retexui, in quibus, ſi „ quid videretur opportunum, conſignari ſcripto „ mandabat; nec quidquam ex allatis documentis „ fuit, quod illi non aperirem, & offerrem. Cur„ ſim aliqua innui de juris Tui controverſiis, quo„ rum nonnulla putavit eſſe levioris momenti, quam „ ut tam acriter ab Adverſariis convellerentur. Plura „ mihi teſtatus eſt de ſincera Regis voluntate, de „ qua certe nullus eſt ambigendi locus. Cum age„ retur de piorum hominum Sodalitatibus, quibus „ convenire, & operto capite incedere vetitum olim „ fuit, viſus eſt curioſius, & longa indagine explo„ rare artes, quibus Requeſenius id prohibere cona„ tus eſt. Demum auditis omnibus, prædixit ſe ad „ certam diem omnia, conſulto Rege, expediturum. „ Attamen qua die Regem convenire ſtatuerat, „ Philippus morbo correptus decubuit; quo non„ dum convaleſcente, Claveſius ipſe æger eſt factus: „ quare bimeſtri ſpatio intercepta legatio eſt ..... „ Tandem cum Didacus convaluiſſet, mihi ad ſe evoca„ to Regias literas dedit Tibi reddendas, quibus opti„ me conſultum iri incidentibus calamitatibus affir„ mabat ..... Interea immaturo fœtu excuſſo, „ Philippi Uxor exceſſit e vita; ſed elapſis deſtina„ tis ad Inferias perſolvendas diebus, ad Regem „ non ſine multorum admiratione introductus ſum, „ qui adhuc Aulicorum conſpectu abſtinebat, & „ præcipue ſe in belli Luſitanici curas totum abdi„ derat. Admiſſus egi, ut par erat, gratias pro „ impetrato colloquio, & præſertim pro conceſſo „ ad poſtulata reſponſo. Reddidit Ille, ſe imo „ gratiam Borromeo habere pro hac ad ſe miſſa „ le-

Gubernatoris adventus illico oſtendit. Nam & Aronenſem arcem Borromeæ Genti jampridem ereptam reſtituit (*a*), & quod Caroli pluris intererat, provocantibus ad regium Tribunal inauditum antea reſponſum a Magiſtratibus reddebatur: *parendum Archiepiſcopo eſſe* (*b*). Si quis ejus legationis acta fuſius videre voluerit, extant plene

„ legatione; ſeque demum precibus enixe commendavit Tuis. Equidem nihil ſive initio, ſive extu legationis eſt deprehenſum in Rege, quod eximiam in te humanitatem non redoleret. Certe ſingulare extitit Illius beneficium, quod tot curis obrutus me tamen prompte exceperit, atque eo tempore, quo clauſus omnibus ad eum aditus erat, aut nonniſi ad breviſſimum tempus patebat. Præterquamquod cum æger decumberet, mei non eſt oblitus, & ſæpius de me rogans, caveri voluit, ne quid mihi commodi deeſſet. Par in Claveſio amor fuit, quem non obſcuris ſignificationibus ſæpe teſtatum fecit. Idem ſæpius monuit, ut ſi quid in poſterum adverſi incidat, aut verbis tuis, aut etiam meis ſibi aperiantur omnia, quo liberius gregis tui ſanctitati, ac diſciplinæ conſulatur. Quantum conjicere potui, id ut moneret, a Rege in mandatis habuit: imo addidit, tantam venturi Gubernatoris pietatem, atque eam erga Te benevolentiam fore, ut ipſius etiam opera uti libere poſſis ad omnia fideliter Regi exponenda.“ Hæc a Baſilica-Petri, qui alibi ſcripſit, ſe in hac legatione ſummopere ſuſtentatum favore Ducum Albæ, & Methymnæ Aſidoniæ, quorum hic tum deſtinatus Inſubriæ Moderator credebatur. Quare Cardinalis ad eum dedit literas pietatis, & fiduciæ plenas, quas hoc capite inferius recitabimus. Celebris iſta in Hiſpanias legatio perfecta eſt ſub Idus Novembris anni MDLXXX. Quare ſub ejuſdem menſis finem Pace-Auguſta reverſus Mantuam Carpetanorum Legatus, ibidem ſubſtitit uſque ad IX. Januarii diem anni inſequentis; ibi interim, cum res Pontificio Internuncio ſuboluiſſet, cum eodem nonnulla egit ad legationis totius complementum; Madrito Barcinonem regreſſus, inde in Italiam remeavit. Quandoquidem vero huc opportune cadit, aliud ea occaſione demandatum Legato negotium referendum cenſeo. Cum Patris F. Ludovici Granatenſis doctrinâ delectaretur mirifice Borromeus optavit, ut Carolus a Baſilica-Petri aliqua verbis ſuis coram Ludovico tranſigeret, qui tunc Ulyſſipone erat. Quid tranſigendum cum eo eſſet, habemus ex ſequenti epiſtola.

„ Reverende admodum Pater. Proficiſcenti iſthuc „ Religioſo Sacerdoti Carolo Clerico Regulari, quem „ ob ipſius pietatem in primis diligo, carumque habeo, „ dedi negotium, ut te conveniret, plurimamque „ ſalutem meis verbis tibi nunciaret; hoc enim offi„ cium a me poſtulare, atque adeo exigere videbatur ſumma benevolentia, & obſervantia, qua te „ jamdiu proſequor; quippe quem non ſolum mei „ peramantem, & ſtudioſum, ſed etiam de Republica Chriſtiana optime meritum agnoſco. Illud autem abs te etiam atque etiam peto, ut reliquam „ partem Concionum tuarum in Euangelia Dominicarum diutius nobis deberi non patiaris; futurum „ enim ſpero, ut omnes inde eos fructus percipiant, quos eximia pietas, & doctrina tua quotidie afferre ſolet. Sed de hoc genere toto idem „ Sacerdos tecum uberius colloquetur. Interim „ Deum precor, ut te uberrimo gratiæ ſuæ mu„ nere cumulet.

Sane uberius etiam cum eo colloqui juſſus fuerat Legatus; reperio enim in aliis literis huic impetratum, ut aliud opus a Ludovico poſtularet: nimirum Sermones aliquot, in quibus Sacros Eccleſiæ Ritus præcipuis Chriſti Domini Myſteriis, quorum commemoratio per annum celebratur, accommodaret, & eloquentia ſua digeſtos evolveret. Verum ſors conſiliis obſtitit; ſiquidem bellici, qui increpabant undique in Luſitania, tumultus Legatum Ulyſſipone abſtinuere.

(*a*) Si Carolo ipſi fides habenda eſt, reddita jam fuerat Borromeorum familiæ Arx Aronenſis anno MDLXXVIII. quo ad Specianum ex Vico Decimo hæc ſcripſit X. Cal. Aug. „ Agebat nuper per Procu„ ratorem ſuum in Hiſpania Comes Renatus (Caroli „ ſcilicet Patruelis) de reſtituenda ſibi Aroneuſi Arce. „ Neque adverſari Regis voluntatem huic conſilio fe„ rebatur. Verum ejus Adminiſtri nihil unquam de „ hoc Mediolani deliberavere. Solus Ayamontius in„ terim ſpe omni dejicere Renatum conabatur ve„ hementiſſime, & permutationem aliquam coeperat „ artificioſe proponere. Verum ille inſtitit acrius „ Arcem ſuam repetere; quare tandem Regium re„ ſponſum venit, quo jubebatur, intactam Arcem, „ & eodem militari apparatu, qui antea fuerat, cum „ intercepta eſt, inſtructam reddere.“ Itaque hæc biennio ante evenere.

(*b*) Alia hujus legationis utilitas fuit, debilitatum admodum Romæ de Juris inſtituta quæſtione patrocinium. Non enim exinde lego Alcaniſium adeo aſperum in promovenda ea cauſa fuiſſe, nec tam amplis, ut antea, ſpiraſſe tibiis. Mutata omnia in melius deſcribit Specianus Cardinali paulo poſt tam cum Philippo tranſactam: „ Nuper cum Alcaniſio fui, qui „ ſemper de Te ſumma cum laude multa dixit, & „ ſæpius hæc inculcavit: Cardinali Borromeo ſcribe, „ in Illius poteſtate collocatum iri totam profanarum „ etiam rerum adminiſtrationem, ſi velit; maximam enim Rex, aliique omnes de Ejus virtute „ opinionem animo imbiberunt. Quod vero ad con„ troverſias ſpectat, addidit: ad ipſam utilitatem Re„ gis maxime pertinere, ſi integra Eccleſiæ relinquatur poteſtas; imo certe ſe optimum Regis reſpon„ ſum, Tibique favens ab Hiſpaniis expectare.“ Tamen utrum reſponſum hoc expectaret, an jam accepiſſet Alcaniſius, certe ambigo. Audi etiam luculentius aliud Regii favoris teſtimonium in Speciani literis ad Carolum datis anno MDLXXXI. XVI. Cal. Jun. „ Alcaniſius mihi teſtatus eſt, ſe jam pro certo „ habere fore, ut omnia in Mediolanenſi Provincia „ a Tuo pendeant arbitrio: neque in Mediolanenſi „ ſolum; verum etiam in Neapolitana, & Sicula; „ imo fore, ut Regis Adminiſtri magis Te unum „ revereantur, quam Philippum ipſum; quandoqui„ dem Tibi majorem Rex habiturus eſt fidem, quàm „ ceteris univerſis. Tam honorificam autem dicis „ inſe-

Digitized by Google

plene deſcripta in libris, quos idem Legatus de Caroli vita compoſuit.

Hinc dilucide patet, quam aliena ab Regis animo eſſent plena illa terroris, minarumque dicteria, quæ de ejus erga Carolum indignatione malevoli homines Populo venditabant (*a*). Sed enim iſta magnorum Principum conditio eſt, ut dignitatis ſuæ partem in miniſtris ſuis repoſitam habeant; quos niſi juſtos, ac prudentes elegerint, ipſi plerumque iniquitatis, & inſipientiæ notam apud Populos incurrant (*b*).

C A-

„ inſediſſe Regis animo de Te uno ſententiam, ut „ nullum in Italia Epiſcopum nominare paratus ſit, „ niſi audito prius Tuo conſilio. " Qua de cauſa repente mutata Legati illius voluntas eſſet, qui paulo ante Noſocomii luſtrandi jus eripere Carolo tentaverat, nunc autem illius jura in Siciliam uſque transferebat, jam per ſe quiſque intelligit. Breviter adeo hæc Legatio valuit, ut exinde ſilentium ferme indicatum ſit inſtitutis de Mediolanenſis Archiepiſcopi auctoritate diſputationibus; neque opus Carolo fuerit, quoad vixit, jura ſua defendere. Quare ut controverſiæ omnes dirimerentur, quæ Ambroſianæ Eccleſiæ tranquillitatem turbare poſſent, ſeculo dumtaxat inſequente, Federico Cardinali Borromeo incubuit hæc cura, ut poſt immenſos labores, & immanes ſumptus certa inter Regium, & Eccleſiaſticum Forum pax, & concordia tandem iniretur.

(*a*) Patuit certe prona admodum in Carolum Philippi Regis voluntas ex ipſa Adverſariorum confeſſione. Nam cum paulo poſt luſtrandum Mediolani eſſet pium quoddam contubernium, ejuſque Præſides ad nonnullos Borromeo infenſos Judices provocaſſent, qui antea rerum arbitri videbantur; horum aliquis, re intellecta, tergiverſatus reſpondit: *Tempus elapſum eſſe, quo liceret cum Cardinali de jure diſceptare*. Alii item Regis Adminiſtri, cum de ſacra Æde luſtranda alias ageretur, a qua Ragazzonius ipſe Apoſtolicus Viſitator, inſcius tamen abſtinuerat, conquerentibus quibuſdam reposuerunt: *Regiam teſtatam voluntatem eſſe, ne quid impedimenti Cardinalis unquam in obeundis Eccleſiaſticis rebus haberet*. Sane Carolus, lecta Epiſtola Regia, quam Legatus attulerat, ad Gluſſianum Hiſtoriæ hujus primum Scriptorem converſus, *Felix tibi*, ait, *nuncium offero, quo accepto gratias Deo maximas referes, ut decet. Exinde tranquilla erunt omnia; quandoquidem Rex Gubernatorem alium eſt miſſurus cum mandatis, ne a me diſſentiat*. Itaque Philippus putavit ad Provinciæ hujus felicitatem pertinere, ne Eccleſiæ jura turbarentur, ut Specianus ſcripſit; atque id ipſum pollicitus eſt etiam Carolus, dum ad Methymnæ Aſidoniæ Ducem, quem huc putabat cum ſummo imperio eſſe venturum, in hæc verba ſcriberet: „ Tenet me vehemens de„ ſiderium tui, cujus adventum in dies opperior. „ Plura undique mihi afferuntur de ſingulari tua „ religione; quare ſpero fore, ut eximiæ Regis pie„ tati ipſe reſpondeas optime, atque, rerum ſum„ mam te adminiſtrante, Dei cultus augeatur; præ„ cipue vero firmum comparetur præſidium pro gre„ gis mihi concrediti incolumitate. Certe mutua „ officiorum noſtrorum conſpiratio in publicam etiam „ quietem, atque adeo in Regis ipſius commodum „ vertet, cum ſacrarum rerum tuta poſſeſſio „ nunquam a Regia utilitate poſſit eſſe ſejuncta. „ Ego viciſſim tibi obſervantiam meam ad mutuam „ paratam, atque expoſitam ſemper offero; & ver„ ba mea etiam ipſe rerum exitus comprobabit. „ Deus interim Optimus Maximus iter tuum fortunet.

(*b*) Ad chronotaxim reſtituendam advertendum eſt hoc loco, quidquid a Capite III. hujus Libri hactenus deſcriptum eſt, referendum eſſe ad annum MDLXXX. ſi unam quatuor Sanctorum Brixienſium Antiſtitum Translationem excipiamus. Jamvero alias hoc item anno Borromei res geſtas juvat ſummatim complecti. Itaque Ille Roma redux cum ex Galliis literas accepiſſet a Cardinali Vademontio datas, quibus rogabatur, ut opportunis illum præceptis informaret pro digne ſuſtinenda impoſita ſibi Cardinalis perſona, mox reddidit epiſtolam optimarum legum plenam, & ſanctitatis magiſtram, quam alibi opportunius recitabimus. Interim Summum Pontificem per Specianum monitum voluit, ut Romanorum Cardinalium mores ſanctiſſime, ſi fieri poſſet, efformaret, ut Romam venturo Vademontio Sanctitatis exemplar in illis proponeretur. Cameracenſem Archidiaconum ab Urbe ſua expulſum, & Romæ degentem, ad ſe evocavit Ludovicum Audoënum, ut aliquam in Curia ſua operam ſibi navaret, eumque dimiſſo Nicolao Galerio Vicarium ſubſtituit. Ejus deinde cauſa effectum eſt, ut Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ in Anglia captivæ amicitia, & literis Carolus frueretur, data occaſione epiſtolæ ad Audoënum ab eadem ſcriptæ, in qua ſe Caroli precibus commendaverat. Excitavit inſuper Cardinalem Borbonium Rhotomagenſem Epiſcopum, ut quantocyus Concilium Provinciale cogeret, & promulgandas Tridentini Sanctiones in Galliis curaret. Alia item admovit officia Abbati Speciano Cæſaris fratri, ut in Ædes Sancti Petri ad Ulmum Vallumbroſani Monachi inducerentur: Deinde conſulturus Baſilianorum Monachorum in Urbe degentium diſciplinæ, paulo poſt Idus Aprilis Pontificium Diploma obtinuit, quo ſibi deferebatur facultas luſtrandi eorum Monaſterii ad SS. Coſmam, & Damianum in Monteforti, cum multæ de iis querelæ Romam fuiſſent delatæ. Comicos ſceleſtum hominum genus iterum a Mediolanenſi theatro ablegandos impetravit a Sancto Ghevara. Videbat interim multa in Carnagi Plebe turbari, quod in oppidum decennio ante Sacrorum ſubrii Præfecturam tranſtulerat. Solicitus itaque Bernardinum Taurufium illuc miſit ad res componendas. Sub anni finem Ticinenſe Borromeorum Collegium optimis Moderatoribus inſtruxit, & pervium Nobilibus Adoleſcentibus primùm fecit. Hactenus enim Lycæi illius reditus in ædificio ſtrenue urgendo collocati ſemper fuerant; imo etiam in annos ſequentes ejuſdem cenſus abſumpti ſunt operarum multitudine; quare contubernales juvenes ſuo ipſorum ære in illis initiis alebantur. Comperio etiam actas Borromeo gratias Regis Poloniæ nomine per Pontificium in eo Regno Internun-

nuncium, quod ſe adeo precibus ſuis ſuſtentaſſet, ut præclaram a Moſchis victoriam referret. Demum cum in hunc annum Philiberti Ducis Sabaudiæ mors incidiſſet, monitus Roma fuerat, ut cereum Principis Caroli Emmanuelis indolem conſiliis ſuis firmaret; caveretque, ne quid in ejus Provinciæ perniciem Hæretici molirentur. Monito hoc per Specianum accepto reſpondit Cardinalis X. Cal. Octobris: „ Jam hoc mearum partium eſſe cenſueram, imo ſummopere neceſſarium, adoleſcentem hunc Ducem „ plura præmonere, nequi fluctus in hac tempeſtate illi objicerentur. Sed verebar, ne adverſariis „ conſilium hoc meum illuc proficiſcendi opportunitatem obtrectandi daret; aut etiam timebam, „ ne minus efficax eſſet legatione oratio mea; nimis enim diſplicet Principibus Viris ſe videri aliorum magiſterio indigentes. Idcirco quod ipſe præſens præſtitiſſem, abſens per Patrem Adurnum perfeci; neque felici exitu hæc legatio caruit, cum mea „ conſilia ſibi fore præceptorum inſtar teſtatus ſit „ Princeps. “ Quamquam Emmanuelis animum clarius exponent ejuſdem literæ ad Borromeum datæ poſtridie Idus Septembris in hæc verba:

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ MAximo dolore orbitatis meæ affecto mihi „ nullum aliud adhiberi opportunius ſolatium „ poterat, quam quod mihi oblatum eſt humaniſſimis „ literis Dominationis Tuæ Illuſtriſſimæ, & præſertim prudentiſſimis, ac religioſis monitis, quæ verbis Ejuſdem mihi Pater Adurnus expoſuit. Hæc „ ſane eo acceptiora fuere, quo D. T. ardentius „ diligo, & in honore habeo: de Ipſius autem erga me voluntate ita certus ſum, ut nihil magis. „ Itaque D. T. gratias, quas poſſum, maximas ago „ pro hac amantiſſimi animi teſtificatione. Oro inſuper, ut certo ſibi perſuadeat, nullum omnino „ mihi offerri impedimentum poſſe, quominus D. T. „ monita adamuſſim impleam: Par enim beneficium „ nulli impertiri poterat, qui melius in Ipſam animatus eſſet, aut pluribus nominibus obſtrictus. „ Quandoquidem vero nullo unquam tempore benevolentiam in me ſuam imminutum iri confido, „ id etiam rogo, ut cœptum opus conſtanter urgeat. „ Sed non vacat diutius meis hiſce literis inſtare; „ quapropter ſacris manibus infigens oſculum, Deum „ obteſtor, ut ſumma D. T. augeat felicitate.

„ Auguſtæ Taurinorum poſtridie Idus Septembris „ MDLXXX.

Servus
C. Emmanuel.

Tanta novi Ducis humanitate delectatus Carolus nunquam paternum erga illum animum exuit. Hinc menſe Novembri alias ad eum literas dedit præclariſſimis monitis refertas, atque alibi a nobis reddendas, quibus item ſua dignum pietate reſponſum Dux dedit, quod ad auream Principis indolem dignoſcendam, indicandumque quo apud eum loco Cardinalis eſſet, libentiſſime ſubjicio:

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ PAterna, & amorem eximium redolentia mo„ nita, quibus me informare Dominatio Tua „ Illuſtriſſima dignata eſt per literas pridie Idus „ Novembris datas, ego tanti facio, ut plane ne„ ſciam, quibus verbis gratias agam, ut decet. „ Quare cum pares videam a me haberi admodum „ difficulter poſſe; imo omnino non poſſe: ſtatui „ novis me potius nominibus obſtringere, & alia „ iterum ab humanitate Ipſius ſubſidia poſtulare. „ Enixe itaque rogo, ut quam mihi pollicita eſt be„ nevolentiam ſuam, teſtatam inſuper, atque per„ ſpectam faciat. Faciet autem, ſi humaniſſimum, „ & caritatis plenum, quod mihi nuper detulit, „ monendi officium nunquam intermittet. Quod „ ſi nulla alia de cauſa id D. Tua præſtabit, dabit „ ſaltem, credo, meæ erga Ipſam obſervantiæ, quæ „ hoc beneficio ſuo certe digna eſt: neque eam hoc „ indignam D. Tua judicabit. Candide fateor, me „ Ipſius ductu, atque auſpicio indigere ſummopere; „ cum maxime cupiam grave populorum regendo„ rum pondus, quod optime D. T. humeris meis „ impoſitum ad Dei honorem & gloriam dicit, „ quantum fas eſt, digne ſuſtinere. Probe intel„ ligo, nullum mihi labendi periculum fore, ſi Di„ vini favoris auxilium acceſſerit; hoc vero ut im„ petrem, preces D. Tuæ, & monita maxime præ„ ſtabunt. Quare, quam poſſum obſequentiſſime, ob„ teſtor, ut precibus primum me ſuſtentet ſuis, de„ inde ne unquam monere deſinat: demum ut me„ minerit illius, qui D. Tuam ut Patrem diligit, & „ colit. Manus interim deoſculor, utque Deus ſuis „ Illam donis juxta votum meum cumulet, precor. „ Auguſtæ Taurinorum die XVI. Decemb. MDLXXX.

Servus
C. Emmanuel.

Itaque mirum non fuit, ſi præclara adoleſcentis Ducis indole captus Sanctus Antiſtes frequentiſſimas deinde ad eumdem literas dederit; imo geminas ſtatim anni inſequentis initio, quibus amantiſſimi Principis religionem, & regnum ſolerter corroboravit. Equidem tanti ſemper fecit, ut Romæ degens biennio poſt ad Nonas Novembris Emmanueli quidpiam a ſe petenti reſponderit: „ Quod Celſitudo „ Tua a me poſtulat, eo libentius faciam, quod ul„ lo unquam tempore nec poſſum, nec debeo „ quidquam Ipſi denegare. “ Nullum profecto hactenus legi, qui arcte adeo ſibi Borromei animum devinxerit, ut parem ab Eo vocem referret.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Annua de more congregata Synodo, in Sancti Stephani Æde latentia SS. Ossa splendide transfert. Mariæ Austriacæ in Lusitaniam proficiscenti officii causa Soncini obviam procedit: mox Laude Pompeja eamdem omni honoris genere prosequitur.

1581. LIber jam hinc ab omni controversia Carolus pergebat Ecclesiam suam novis quotidie legibus, ac virtutum exemplis excolere, perinde ac pastoralem curam tunc primum iniret. Me certe ad exitum hujus historiæ properantem subita quædam admiratio tenuit, quod cum Ejus mortem jam prope instare viderem, tot tamen egregie gesta mihi adhuc memoranda remanerent, quæ Pontificatum nobilitare cujuslibet magni viri possent. Octava Diœcesana Synodus hoc anno (*a*) habita commemoratio quædam Decretorum omnium fuit, quæ promulgata in præteritis Conciliis erant. Quorum aliqua de psal-

(*a*) Per Synopsim placet hic congerere quæcumque octavam hanc Synodum præcessere. Anno igitur LXXXI. supra sesquimillesimum ineunte, literas ad Summum Pontificem dedit rogans, ut optimum Moderatorem, ac Præsidem a Societatis Jesu Patribus eligendum curaret; quandoquidem eo tempore habenda erant Romæ universi Ordinis Comitia pro P. Everardi Mercuriani paulo ante defuncti Successore constituendo. Idcirco plura coram Pontifice transigenda Patri Adurno illuc proficiscenti commiserat. Tantum nimirum deferebat eximiæ Societati, in qua constitui posse præsidium Ecclesiæ firmissimum intelligebat. Accipe literarum suarum exordium: „ Instantibus jam Patrum Societatis Jesu „ Comitiis, in quibus Supremus Ordini Præses da„ bitur, quod quidem maximum, & gravissimum per „ se est, non alienum a me putavi Sanctitatem „ Tuam per literas commonefacere, ut opportu„ na quælibet remedia adhibeat, quò tam illustris „ famæ Societas uberrimos in Ecclesia Dei fructus af„ ferat, quibus hactenus certe abundavit. Quando„ quidem vero superioribus annis singularis Pii V. „ Pontificis laus fuit, ac gloria, quod optime San„ cti Dominici Ordini consuluerit, dum illi integer„ rimum Præsidem (Seraphim Caballum) Divino „ certe Afflatu daret; Imo non impar etiam San„ ctitatis Tuæ decus fuerit Successorem (Paulum „ Constabilem) Caballo defuncto substituere virtu„ te, & sapientia cum Decessore comparandum: Hinc „ est, quod Divino iterum Spiritu indicante Mo„ deratorem optimum, & Societate Jesu dignum „ Sanctitatis Tuæ auspiciis datum iri hoc tempore „ confidam &c. " Exposuit deinde in reliqua Epistola, quem maxime ipse Præsidem optaret; indicavitque parem huic provinciæ Patrem Adurnum videri. Et sane Gregorius Carolo gratificari paratissimus, eumdem electurus per Breves literas videbatur, nisi Adurni ipsius moderatio obstitisset. Cum enim iste Pontificis sententiam audiret, qui pro potestate sua supremum Præsidem, inexploratis Patrum suffragiis, Societati attribuere constituerat, enixis precibus institit, ut liberum ferendi suffragii jus suis relinqueret. Hæc permissa libertas fuit in causa, ut alius ab Adurno Societatis Præses eligeretur. Sed ut ad Carolum redeamus, IV. Idus Januarias missa ad Eum publico nomine legatio a Bergomensibus fuit, rogantibus, ut Patrem F. Mathiam Salodiensem, quem Mediolanensibus sacrum Oratorem dare subsequentis Quadragesimæ tempore optabat, illis Civibus ne eriperet. Dimiserat enim paulo ante in Siciliam Patrem Lupum, cujus eloquentiâ mirifice delectabatur, instante Marco Antonio Columna ejus Insulæ Protege; qua de causa nullum habebat Oratorem in promptu. Verum Borromei amor suis æque, ac alienis Civibus consuluit. Exitum nimirum legationis habemus ex literis ad Specianum datis: „ Bergomenses Civitas tot concita„ vit turbas, atque adeo commota est propter evo„ catum inde P. F. Mathiam Salodiensem, ut Or„ dinum omnium Concilium coegerit, & legatum „ publice ad me pro illo retinendo miserit. Ego „ certe nolui eos Cives causa mea tristes esse, at„ que universam Urbem illam, quæ me impense „ diligit, e possessione sua dejicere; præsertim cum „ facilis in eorum preces voluntas mea possit san„ ctionibus olim in ea lustratione factis multum „ præsidii, atque utilitatis adjungere. Quare libens „ optatum Bergomensibus Oratorem concessi, & ro„ gavi, ut saltem antequam Quadragesima exeat, „ frui mihi illius voce liceat. Id autem nisi eve„ nerit, certe Divinæ providentiæ consilium puta„ bo, quo in eam necessitatem adducar, ut hunc „ concionandi laborem in me recipiam, mihique „ ipse meum onus imponam in Euangelicæ prædi„ cationis ministerio, quod quidem peculiare Epi„ scoporum est, imo maximum, licet hactenus Epi„ scopis ferme ignotum. " Plura etiam hoc tempore statuit de Sancti Michaëlis *sub Domo* destruenda Ædę; eumque, qui Sacris in illo Templo præerat, in Metropolitanam Basilicam transtulit, ubi omnia Parochi munera obiret. Interea constitutis rebus suis, ad Vicum-Boldonum post Idus Januarias diverterat, adjecturus animum ad exponenda Brixienſis lustrationis Decreta. Quindecim ibi dies in curam hanc abditus se circiter tenuit. Sed instante Sacro Purificatæ Deiparæ die, in Urbem reversus Supplicationem consuetam peregit, neque redire in solitudinem suam potuit; quandoquidem jam Quinquagesimæ dies appropinquabat. Hoc enim anno novum ritum invexit, ut populi universi Synaxim in hanc Dominicam indiceret, quam superioribus annis Dominica *in Capite Quadragesimæ* celebrare consueverat. Sic effectum est, ut quemadmodum antea Quadragesimalis diei religioni caverat, nunc Bacchanalium etiam sanctitati consuleret. Ineunte Quadragesima sartamtectamque Parthenonum custodiam esse

pſallendi ratione, & decoro veſtium uſu cum parum accurate ſervari audiret, Vicariis ſuis ſeverius mandavit, ut in eorum violatores diligentius inſpicerent. Feſtos etiam dies reverenter, ſancteque coli iterum juſſit, ut ipſa repetitione Decreti rei gravitatem oſtenderet (*a*). Sacerdotum multitudo, qui ad Synodi acta convenerant, incitamentum fuit ad transferenda Leonis, Marini, & Arſacii corpora, quorum primi duo victrices palmas de Catholicæ Fidei hoſtibus moriendo retulerant; tertius paſtoralem infulam præclaris virtutum exemplis ornaverat. In majore Prothomartyris Templo, quo antiquitus delata fuerant, triumphali ſupplicatione repoſita ſunt, Magiſtratibus agmen ſequentibus, & effuſa in obſequium Nobilitate (*b*). Cumulavere Caroli gaudium inventæ paulo poſt Sanctorum Martyrum

eſſe voluit, vetans ne quis addictus excipiendis Virginum confeſſionibus iis in Monaſteriis, quæ ſub Regularium regimine erant, poſſet in exteriore illarum hoſpitio aut cibi, aut ſomni capiendi cauſa commorari. Nihil tamen laborioſius Borromeo, quam tempus Quadrageſimale fuit. Cum nullum haberet, quem Patri Lupo in Siciliam, ut diximus, miſſo Sacrum Oratorem ſufficeret, Ipſemet illius ſibi partes ſumpſit; neque ſatis oneris impoſitum concionando putans, Urbem univerſam Mediolanenſem luſtrare per partes quotidie voluit, cujus Templa omnia diligentiſſime excuſſit. Idcirco ab ordinandis, quæ ad Brixienſes ſpectabant, Decretis ſupersedere coactus eſt; quare cunctationem ſuam apud ejus Civitatis Epiſcopum excuſans, hæc ſcribit: „ Pluri„ ma adhuc de ſanctionibus Brixienſis luſtrationis „ redigenda in ordinem mihi ſuperſunt; quando„ quidem cum ſacri Oratoris voce Metropolitanum „ Templum hac Quadrageſima careret, compulit „ me Paſtorale, quo fungor, munus, ut quater in „ ſingulas hebdomadas Dei verbo oves meas paſce„ rem, & aliquando etiam frequentius; præterquam„ quod meam hanc Urbem luſtravi, atque hæc ſo„ licitudo me quotidie diſtractum per hoc tempus „ tenuit.“ Interea longius etiam ab Urbe cogitationes ſuas convertit. Romæ plura in Sanctæ Praxedis Templo partim ſarcienda, partim extruenda magnifice curavit, expensâ MD. aureorum ſummâ. Specianus autem retulit, adeo illius Ædis ornamenta placuiſſe Gregorio Pontifici, ut propoſitum a Borromeo exemplum ſequi Ipſe non dubitaverit, ſtatimque juſſerit pro reficiendo Sanctæ Pudentianæ Templo ſumptus ex Pontificio ærario ſuppeditari; Brixienſem Epiſcopum Romam ire feſtinantem monuit; ne pedem ſua ex Urbe efferret, antequam veniam peteret; hortatuſque etiam eſt vehementer, ut Brixienſis Diœceſis Synodum quamprimum indiceret. Menſe Majo perhonorifica ad Illum ex Luſitania legatio eſt miſſa, per quam ſuis precibus ad Deum fundendis Regni illius Proceres afflictas regionum ſuarum res poſt Cardinalis Henrici obitum commendarunt enixe. In Modoëtienſi agro novis Parœciarum titulis incolarum neceſſitati ſubvênit: Leucenſibus, ad quorum finem aliqua adhuc ſuboriebantur peſtilentiæ indicia, ut conſuleretur, ſolerter ſtuduit: Vulturenos propter nuptias vitio contractas Eccleſiæ pœnis implicitos curavit expediendos, impetrato diplomate, quo ſibi quemcumque ex ea Valle iis laqueis liberandi poteſtas deferebatur, Ultimo Guillelmi Bavariæ Ducis poſtulatis ut indulgeret, Pontificem rogavit, ut declararet quibus limitibus contineri fœnebris quæſtus poſſet: Inſuper ut geminos Sacerdotes in Ritibus ſacris, & Cantu apprime verſatos eligeret, qui ad eumdem Ducem mitterentur; quæ res controverſiæ cuidam inter Borromeum, & Philippum Nerium cauſam dedit. Nam cum a Speciano Pontificis interprete monitus fuiſſet Carolus, miſſum iri quantocyus Roma par Sacerdotum eorum, qui in Sancti Hieronymi Caritatis Ædibus degebant, atque exiſtimaſſet, eos eſſe ex Oratorii Patribus, qui antea illic domicilium fixerant, optime ſibi, & Duci conſultum fuiſſe gaudebat. Sed poſtmodum Sacerdotes deſignati cum gravarentur ire in Bavariam, ſeque fide data exſolviſſent, Borromeus Philippum Nerium per literas increpavit, Patres Oratorii inobedientiæ libere accuſans. Errore cognito, Philippus reſcripſit: nullum ſibi eſſe ſocietatis vinculum cum Sancti Hieronymi Sacerdotibus, præter alias modeſtiæ, & demiſſionis animi plenas ſententias, quæ extant in ejuſdem Epiſtola expoſita a P. Dominico Sonzoneo Presbytero Oratorii Lib. I. Cap. X. num. IV. in Vita Sancti Philippi Nerii. Verumtamen Cardinalis non admodum huic reſponſo acquievit: quare Philippus publicum inſuper teſtimonium obtulit, in quo Sacerdotes Sancti Hieronymi nullam ſibi cum Nerii ſodalitate communionem eſſe, ſeque, eodem inconſulto, noluiſſe in Bavariam proficiſci, aperte affirmarunt. Exitum deinde hujus controverſiæ videbimus ad annum MDLXXXII., ubi exponemus quid Romæ Carolus egerit.

(*a*) Sub id tempus filius ex fratre Cardinalis Senonenſis Mediolanum ex Gallia Patrui juſſu diverterat, Romanum iter ingreſſurus. Hic ille fuerat, qui Senonenſis idem rogaverat Carolum ut benedictionem impertiret, antequam in Gallias proficiſceretur. Nunc optimis imbutus monitis, & ad Eccleſiaſticam retinendam diſciplinam incitatus a Borromeo eſt, dum Ejuſdem hoſpitio frueretur. Scripſit hæc Speciano Carolus die XVIII. Aprilis hoc anno: „ Libentiſſime hoſpitio excepi Præſulem il„ lum ex fratre Cardinalis Senonenſis filium. De„ lectavit mirifice me illius conſuetudo per eos dies, „ quibus mecum fuit. Pium, & religioſum certe vi„ rum deprehendi, Divinæ autem gloriæ ſtudioſiſ„ mum. Ut videbis in adnexo folio, magnæ ſpei „ adoleſcentem pluribus eruditi per me, atque alios. „ Cras ſe itineri accinget, ut dicit; quamquam non „ parum anceps adhuc hæreat, an moram ad quin„ decim dies hic rurſum protrahat.“

(*b*) Nihil niſi ſplendidum in hujuſmodi celebritatibus Cardinalis moliebatur. *Reddita autem ſua San-*

Digitized by Google

tyrum Basilidis, Cyrini, ac Naboris reliquiæ, quæ apud Canonicos Regulares Sancti Celsi Ædem tenentes arca marmorea conditæ in subterraneo specu diu latuerant. Has Cardinalis coram Vercellensi, ac Novariensi Episcopis diligenter recognitas in ejusdem Ædis sacello collocavit, solemni pompa eas civibus ostensurus, cum primum Ara, quæ recenter Martyrum nomini struebatur, ad fastigium perveniisset (*a*).

Inter hæc (*b*) nuncium affertur, Mariam Austriacam in Hispanias proficiscentem jam Insubriæ finibus imminere. Caroli V. Cæsaris filia erat, Maximiliani II. uxor, Rodulphi II. mater, a Philippo Fratre Hispaniarum Rege delecta, ut ancipites Lusitanorum animos, quos nuper armis subegerat, tantorum nominum majestate in fide contineret. Cardinalis, postquam de ejus Mediolanum adventu amissa spes erat, in Laudensem agrum progressus (*c*), præmissis qui Templum quam splendide ornari juberent, sacrificales apparatus secum attulerat, si forte Pontificio ritu litandi occasio

---

Sanctorum istorum Lypsana eidem loco, sed ad honorem decentius, & ad diuturnam conservationem cautius, ut scribit a Basilica-Petri.

(*a*) Postridie Idus Aprilis in Basilica Sancti Stephani, Martyrum Sacras exuvias, & Sancti Arsatii corpus collocaverat. Has vero recognovit die XIX. ejusdem mensis. Rem narrat Puricellus ex MSS. Archivi Canonicalium Sancti Celsi Ædium: „ Lustrante Mediolanensem Urbem Ragazzonio decretum „ fuerat, ut geminæ ex Sancti Celsi Templo Aræ tollerentur, quæ quidem eodem anno (MDLXXVI.) „ eversæ sunt. Mense autem Aprili anno MDLXXXI. „ dum humus effoderetur pro sepulcro quodam extruendo, vas marmoreum in conchæ speciem apparuit. Monitus de arca reperta Archiepiscopus, „ die postero ad locum venit, geminis Episcopis, „ Præsulibus aliquot, & ingenti Cleri, ac populi multitudine Eumdem deducentibus. Recitatis precibus, jussit Cardinalis arcam aperiri; atque illico „ patefacta sunt latentia Sanctorum ossa, inter Organi concentum, Musicorumque plausus, nec sine „ popularis gaudii testificatione. Ea collecta, & translata in Sacrarium sunt, & sigillis rite munita. „ Die Aprilis XX. publicæ confectæ sunt Inventionis „ tabulæ, adstantibus testibus quatuor ejusdem Templi Canonicis. Hic interim in Sacrario destinatus „ est locus, donec decens Ara in Templo excitetur, „ in quam inferantur." Hactenus ex citato MS. Sacellum deinde consecratum Sanctis Martyribus fuit: postea anno MDCVIII. a Cæsare Marino Patritio Genuensi ornatum est Sacerdotio, ut docet extans ad nostram usque ætatem ad Sacelli latus Epigraphe.

(*b*) Inter hasce celebritates, & Mariæ Austriacæ adventum quinque mensium spatium effluxit: nimirum postridie Calendas Octobris Brixiam Maria ingressa est, qua in Urbe primùm eam Carolus convênit.

(*c*) Quantum ex MSS. schedis, & Caroli literis conjicere potui, ter cum Maria Cardinalem collocutum esse comperio. Primò Brixiæ, quandoquidem ad III. Octobris diem Carolus ad Specianum hæc scribit: „ In Brixiensem agrum veni, & cursim in itinere aliquot ad lustrationem factam spectantia expedivi. Brixiam hesterno vespere ingressus sum, quo tempore alia ex parte Augusta ipsa „ ingrediebatur. Mihi itineris causam dedit necessitas officii eidem deferendi. Equidem hoc mane eam conveni. Moliebar Laude Pompeja illi „ occurrere, eamque magnifice excipere; sed nunc „ prædixit mihi, velle se pompam omnem repudiare cum Laudem ingredietur, quamvis, ut votis „ meis indulgeret, enixe rogaverim. Sua Religio, & „ ingens animi demissio ut renuat facit. Inverso „ ordine hæc fieri dicit: se curru, aut lectica sublimem vehi; Clerum interim supplicabundum procedere, præsertim cum hactenus nullibi sacram hanc „ pompam viderit. Nimirum alia apud Venetos illius excipiendæ ratio fuit: illi in Venetorum urbibus perhonorifice itum obviam est a Patriciis, „ & effusa populi multitudine; cumque deduceretur, „ equester Ordo eam aurata umbella protegebat. „ Sermo illius pietatem eximiam, & religionem sapit: demissa animo, mitis omnino, & comis erga „ omnes videtur; mihi vero summæ lenitatis, & „ benevolentiæ certissimas significationes exhibuit. „ Audio eamdem semel in singulas hebdomadas Angelorum Pane refici consuesse. Spopondi me, cum „ Laude aderit, coram ea Sacris operaturum: idipsum ut Brixiæ facerem, me antea rogaverat; verum ego magis decere censui, si Brixiensis Episcopus sua in Urbe id officii præstaret. Ubi Augusta Laudem venerit, seque in viam dederit, Brixiam revertar; qua ex Urbe ad XV. diem me rediturum spero. Hac data colloquii occasione, de „ quibusdam ad me ipsum pertinentibus, quæ faciles potes conjicere, cum Augusta disserui &c." Secundò eam Soncini convênit, quem primum Mediolanensis ditionis locum illa attigerat; quo cum processisset occursurus Cardinalis, deinde statim Laudem diverso itinere regressus est. Tertiò Laude Pompeja, qua in Urbe conditum jam erat, ut coram Maria rem Divinam faceret. Neque hoc loco omittendum est, quod cum Brixiam iviſſet postridie Calen. Octob. Borromeus, Hieronymi Luciagi hospitio delectatus est. Causam consilii hujus, & hospitis lætitiam describit in sua Historia Carolus a Basilica Petri: „ Quoniam visitationis leges tunc non „ impediebant, ad Luciagum improvisò divertit. Homo incredibili gaudio perfusus, idque in felicitatis loco ponens, cubiculum, quo Carolus usus fuerat cum lecto apparato, ea lege conclusit; nunque (anno scilicet MDXCII.) conclusum habet, „ ut eo posthac unquam sit usurus nemo. Beatum „ se honestissimi vir ordinis dicebat, si per suorum necessarias rationes licuisset in Caroli domo, „ vel ipsius stabuli sordibus exportandis operam dare.

Digitized by Google

ſio ſe daret (*a*). Eccleſiaſticos etiam Ordines quotquot in illa Urbe erant in longum agmen rite diſpoſitos in occurſum emittere deſtinaverat, quo venientem magnificentius exciperet. Quem illa honorem digno vere Auſtriacæ Domus ſobole animo recuſavit: irreligioſum inquiens ſe in rheda conſpici, cum ſacri homines pedibus irent. Mox dato cum Auguſta colloquio, expoſitiſque adverſitatibus, quas hactenus in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione pertulerat, ehixe orabat, ut cum in Hiſpaniam perveniſſet, tranquilliora ſibi tempora ab Rege fratre impetraret. Sequenti denique die poſt rem Divinam in privato ſacello factam (*b*) lypſanothecæ auro cælatæ Auſtriacæ primum, & Maximiliano Filio, tum alia ejuſdem generis dona ceteris Aulæ Principibus data, eo cariora accipientibus, quod ab Ipſo acciperentur. Quanto enim in honore ſanctitas Ejus apud omnes eſſet, argumento eſſe potuit, neminem fere ex tanto nobilium virorum, ac mulierum comitatu, inter tot itinerum incommoda, in ſumma inopia temporis, inde abſcedere voluiſſe, quin altaris Myſteria ex Ejus manu perciperet (*c*).

CAPUT XII.

Vercellis Sancti Euſebii cineres; Sacrum Linteum Auguſtæ Taurinorum inviſit: Demum luſtratis Helvetiorum Vallibus, Deſertinenſe uſque Cœnobium per invia penetrat, alia SS. Corpora viſurus.

1581. DEfunctus erga Auſtriacam conſentaneis reverentiæ, & pietatis officiis Carolus, reliquam ejuſdem anni partem religioſis peregrinationibus totam fere conſumpſit (*d*). Joannes Franciſcus Bonhomius Vercellarum Epiſcopus, cum primarii Templi parietes vetuſtate fatiſcentes reficeret, jamdudum abditas Sancti Euſebii prædeceſſoris ſui reliquias magno totius Italiæ gaudio repererat (*e*). Obver-

(*a*) Præmiſerat ad eam Urbem paucis ante diebus Cæremoniarum Magiſtrum Jo. Paulum de Clericis, cui comitem dederat Canonicum Mediolanenſis Baſilicæ Hieronymum Caſtilionæum, ut ſplendide Templum Laudenſe inſtrui curarent. Quidquid in Metropolitana Mediolani Baſilica auri, argentive, aut etiam aulæorum fuit, illuc Cardinalis ſumptu translatum eſt. Attalica ipſa auro intexta peripetaſmata, quæ antea dono dederat eidem Templo, nunc Laudenſis ſplendorem auxere. Pegma etiam in Odeo inferiori extructum eſt, in quo Auguſta ſederet. Ingens ultimo evocatus Cantorum numerus: Derthonenſis inſuper, & Vercellenſis Epiſcopi invitati per literas ſunt, ut ſibi adjuncti comites Mariæ occurrerent. Digna omnia videbantur Auguſtæ dignitate, & Borromei religione.

(*b*) Creditum eo tempore fuit, quemdam Carolo infenſiſſimum, qui ad deducendam Auguſtam Mediolano venerat, huic perſuaſiſſe, ut a Cathedrali Templo abſtineret. Rem Divinam itaque in illa ipſa, ubi hoſpitabatur, domo coram Maria fecit Borromeus, eaque occaſione etiam Sermonem habuit, in quo excuſavit ſe, quod in loco rite non dedicato Sacrum perageret; ſibique id non admodum probari, modeſtiſſime indicavit. Rebus perfectis, quæ Matrona Auguſtæ a cubiculo erat, itemque nobiliſſimæ aliæ fœminæ, quæ adſtabant, Borromeum rogavere, ut divinum Panem manu ſua porrigere ſibi dignaretur; neque id grave Cardinali viſum eſt præſtare; ſed in Laude iſi Baſilica, quo evocatas omnes poſtmodum Euchariſtica menſa refecit.

(*c*) Carolo a Baſilica-Petri imperavit Cardinalis, ut abeuntem Auguſtam proſequeretur Genuam uſque. Cum enim in privato cum illa colloquio per inopiam temporis vix ſummatim rerum ſuarum capita attigiſſet, opportunum putavit eamdem plenius de ſingulis edocere per vocem Legati illius, qui paulo ante cum Philippo Hiſpaniarum Rege tranſegerat.

(*d*) Præpoſtero ordine rerum ſeriem Auctor miſcet hoc loco. Sub Nonas Octobris Laudem Pompejam venit Maria Auguſta; Vercellas autem profectus eſt poſt Idus Junias Borromeus; utrumque tamen itèr ad annum MDLXXXI. eſt referendum. Sane quo Carolus contenderit poſt Auguſtæ diſceſſum, indicat in literis Speciano datis pridie Idus Octobris: „ Hebdomadâ elapſâ, Laude cum eſſem, breves ad „ te literas dedi. Ad eam Urbem diverteram, ut „ abeunti Auguſtæ obſervantiæ meæ officia deſer„ rem. Coram ipſa Sacrum illic feci privata in „ Ædę; & religionis fovendæ cauſa, nonnulla dona„ ria obtuli, quæ certe mirifice ſibi placere ſignifi„ cavit. Laude digreſſus ſtatim Brixiam veni, ut „ quæ ad luſtrationem hujus Diœceſis perficiendam „ pertinent, tandem abſolvam. Decreta Diœceſa„ norum evulgata ſunt omnia; reliquum eſt, ut Ur„ bana expediam.

(*e*) Paulo ante Calendas Martias acceptiſſimum hoc Carolo nuncium dederat Vercellenſium Canonicorum Collegium, cum Bonhomius eo tempore adhuc Helvetiæ, & Rhætiæ luſtrandæ curis implicitus eſſet. Supervenere poſtmodum aliæ in hanc ipſam rem Civitatis, & Bonhomii ipſius literæ, quibus omnibus humaniſſime reſpondit, ſuumque acceptum gaudium invicem impertivit. Præſtat tamen exponere literas ad Bonhomium datas in hæc verba:

„ Reverendiſſime Domine. Egi Deo bonorum om„ nium

Obverſabantur memoriæ præclariſſimi Antiſtitis tot Scriptorum laudibus celebratæ virtutes, oppugnata ſummis conatibus Arrianorum hæreſis, Dionyſii Mediolanenſis Archiepiſcopi vindicatus (*a*) ab impiorum fraudibus honos, carcer, exilium, & ultima pro Catholicæ Fidei defenſione ſupplicia, quibus ferme præmiis ſacrorum Præſulum fortitudinem munerari primæva Eccleſiæ ætas conſuevit. Major erat erga Sanctorum merita Caroli veneratio, quam ut illo itineris incommodo contineri ab inviſendis tanti Viri Reliquiis poſſet. Vercellas profectus (*b*), poſtquam pia deſideria lacrymis, ac vigiliis expleverat, alienum ab mutua caritate putavit, inſalutato

„ nium Auctori maximas gratias, cujus ingenti mi„ ſericordia, & beneficentia factum eſt, ut Sacrum „ Beati Euſebii Epiſcopi Vercellenſis Corpus iſthic „ nuper inventum fuerit. Nec enim iſti ſolum Ci„ vitati, quæ perpetuo Illius patrocinio gaudet, ma„ ximum inde ornamentum accedit; verum etiam „ univerſæ noſtræ Provinciæ, atque adeo Italiæ, quæ „ olim ob Illius exilium pene in luctu jacens, in „ reditu veſtes lugubres mutavit, nova quædam, & „ clariſſima lux oborta eſſe videtur. Quapropter cum „ dies Sancti illius Corporis transferendi advenerit, „ Vercellas ſtatim accurram, ut tanto, tamque di„ vino iſtius Civitatis Advocato, & Patrono, Reli„ gioniſque Catholicæ egregio defenſori debita offi„ cia perſolvamus. Equidem ingenti ſum cupidita„ te incenſus illius Beatiſſimi Martyris, tantopere a „ Patre noſtro Sanctiſſimo Ambroſio laudati, cine„ res, & oſſa videndi, atque oſculandi, quem ſem„ per præcipua veneratione colui. Elucent namque „ mirifice Ejus præclara beneficia cùm in Eccleſiam „ univerſam, tùm maxime in hanc noſtram Medio„ lanenſem: quippecum Sanctiſſimus Archiepiſcopus „ Arrianis temporibus vehementer exagitatus Diony„ ſius, in officio Catholicæ Religionis, pia Illius „ ſolertia ſe continuerit. Illud autem interea ne„ quaquam ſilentio præteribo, hanc Translationem „ menſe Aprili mea quidem ſententia celebrandam „ non eſſe: etenim aliquando in idem tempus Heb„ domada Major, aut Paſchæ Octava incideret; qui„ bus diebus, Officiorum ratio, Eccleſiæque ritus „ non patitur, ut aliæ ſolemnitates celebrentur. „ Cetera, quæ ad Amplitudinem Tuam perferri cu„ pio, ex Protonotario Belviſio cognoſces, quocum „ uberius locutus ſum.

(*a*) Quam ingenioſo commento indemnem hic Sanctus Antiſtes ſervaverit Sancti Dionyſii Epiſcopi noſtri famam in Mediolanenſi Concilio habito anno Chriſti CCCLV., narrat Baronius ad eumdem annum ex Authore Sermonis XV. de Sanctis, quem nunc habemus in Appendice Operum Sancti Ambroſii, cujus olim fuiſſe falſo putabatur; quemadmodum perperam etiam alii Sancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi eſſe cenſuerunt, Gennadii auctoritate decepti. Itaque narrat ille Scriptor, quod cum Arriani ſimplicitatem Sancti Dionyſii circumveniſſent ita, ut ſubſcriptionis ejus vinculum retinerent, S. Euſebii ſapientiâ ab eorum manibus liberatus eſt. Hic enim intuens Dionyſium in errorem inductum ſero Arrianorum fraudem agnoviſſe, dolo eos cepit; atque Hæreticis ſe eſſe Hæreticum mentitus eſt, ut de Hæreſi liberaret filium (Filii nomine vocabat Dionyſium Euſebius, ſive quod illum ſacro tinxiſſet Baptiſmate; ſive quod antea ſub Euſebii diſciplina vixiſſet; ſive demum ætate primus eſſet Euſebius inter Comprovinciales Epiſcopos, qui Dionyſio manus impoſuerant, dum illum inaugurarent Pontificem, ut obſervavit Pater Daniel Papebrochius). Dixit enim Arrianis: ſe eorum conſenſurum perfidiæ, ſed nimis moleſte ferre, quod filium ſibi in ſubſcribendo antepoſuiſſent. Hac illi ratione permoti, cum obligatam jam ſibi Dionyſii fidem crederent, ejus nomen ex Chirographo obliteravere, ut ſubſcribenti Euſebio primas deferrent. Sed deleto illius nomine, Arrianos increpans, & irridens ait Vercellenſis: *Neque ego me veſtris ſcelaribus polluo; neque filium meum vobiſcum participare permitto.*

(*b*) Quemadmodum commonitus per literas fuerat, certum nuncium expectabat Borromeus, ut ſe in viam Vercellas verſus daret. Equidem intor ipſum, & Bonhomium conditum erat, ut ad XVIII. Junii diem S. Euſebii exuviæ transferrentur. Idcirco Vercellenſis Antiſtes a Curienſi Urbe, ubi tum degebat, Nonis ejuſdem menſis ad ſuam Sedem feſtinaverat; & pridie Idus Vercellis item erat Dux Sabaudiæ Carolus Emmanuel tantam celebritatem præſentia ſua ornaturus. Cardinalis interim incredibili labore pedibus Plebem Vici-Martis luſtrabat; ſed jam ritus omnes, & cæremonias in illud tempus utendas diligenter concinnari juſſerat a Joanne Paulo de Clericis, ne quid celebritati deeſſet. Verùm poſtridie Idus cum de Cleri, & Aulicorum Ducis dignitate improviſo orta eſſet Vercellis atrox controverſia: ad hanc dirimendam accitus quidem eſt a Bonhomio Cardinalis, qui paulo ante ſe in viam dederat; ſed cum Novariæ biduum ſubſtitiſſet, adveniens XV. Calen. Quintiles, reperit eo uſque diſſidia ferbuiſſe, ut inde jam Dux abſceſſiſſet, & Maſinum in Vicum regreſſus eſſet, Eporediam verſus. Primò conventum erat, ut ſedatis controverſiis in XXV. Junii diem hæc Translatio rejiceretur; ſed mutato conſilio paulo poſt, amplius temporis ſpatium ad eamdem celebritatem præſtitutum fuit. Bonhomius, quamquam maximo transferendi Sancti Corporis deſiderio tenebatur, alterum tamen menſem patienter expectavit, quo tranquilliora tempora apparerent. Sed cum Calendis Sextilibus (die nimirum, quo ejus Sancti Antiſtitis memoria recurrit) vidiſſet Sacrorum Veſpertinorum tempore improviſo & violento turbine Cathedralis Baſilicæ Aram everti, & nimbo irruente, fugam adſtantium Civium factam, ominatus eo prodigio cæleſtem veluti iram denunciari, III. Nonas Auguſti Taurinum contendit, ut certum reſponſum a Duce referret, ad quam diem indicenda ea Translatio videretur. Neque infeliciter ceſſerat Bonhomio illud cum Emmanuele colloquium, a quo præfinitæ fuerant in eam celebritatem Idus Octobris. Sed cum ante id temporis nova impoſita fuiſſet Bonhomio Germaniæ legatio,

Digitized by Google

tato Sabaudiæ Duce, quem in proxima villa (*a*) ruſticari audiebat, inde diſcedere. Carolus Emmanuel hic erat, cui Philibertus pater mandaverat, ut Cardinalem alterius veluti patris loco haberet. Itaque humaniſſime exceptus primo quidem dolorem ſuum ex Philiberti, qui paulo ante deceſſerat, morte conceptum ſignificavit: mox documenta, & conſilia ſubjecit, quæ maxime Juveni profutura inter ætatis, & Principatus pericula exiſtimabat (*b*). Delectatus ſane his officiis Sabaudus Hoſpitem ſuum Taurini habere optabat, ut Ejus colloquio diutius frueretur. Nec voti compotem fieri difficile fuit. Pollicitus enim videndæ iterum Sanctiſſimæ Syndonis copiam fore, hac illecebra captum in ſententiam ſuam illico adduxit. Simul ambo profecti (*c*) exhibuere Taurinenſibus triennio ante viſa ſanctitatis, & læ-

gatio, atque in mandatis datum, ut eò quamprimum feſtinaret, totum conſilium irritum cecidit; & re infecta Vercellis abſceſſit. Sed ut ad Carolum redeamus, Vercellas Ille feſtinavit poſtridie Idus Junias; cumque biduum Novariæ moratus eſſet, eò demum pervenit, ut licuit ex Epiſtolis eruere, XV. Cal. Jul. & S. Euſebii cineres ſumma cum voluptate ibi veneratus eſt, & ſæpius; verùm poſt quatriduum inde re infecta diſceſſit. Scio univerſæ huic narrationi meæ adverſari libellum, quem eodem anno in lucem edidit Bonhomius ipſe, & brevem Epitomen de S. Euſebii vita comprehendit. In ea narratur facta Translatio, & decorata Caroli præſentiâ fuiſſe. Sed certis argumentis adducor, ut credam, falſa hæc omnia eſſe, licet nihil fictum a Scriptore fuerit. Siquidem eum libellum concinnaverat Bonhomius, cum indicta eſſet, non autem perfecta ea celebritas; & deſcripſit rem nondum factam, ſed ex opinione ſua certo certius perficiendam. Hinc eidem libello adjecerat literas ſuas Paſtorales, datas die X. Aprilis ejuſdem anni; attamen certum eſt Translationem curatam fuiſſe dumtaxat menſe Junio. Imo Bonhomius ſe ipſum mendacii in Epiſtolis convinceret, ſi rem ut factam in libello deſcripſiſſet. Nam plures mihi ad manus venerunt illius literæ, quibus Carolum anno MDLXXXII. & ſeqq. rogavit, ut cum Sabaudiæ Duce de hac Tranſlatione tandem perficienda aliquid conſtitueret. Semper autem lego commotum maxime illum Antiſtitem propter dilatam hanc celebritatem, cujus deſiderium ægerrime, quoad vixit, ſemper tulit.

(*a*) Maſini tum erat Dux Emmanuel, qui venienti Carolo obviam ex Vico proceſſit ferme ad duo ſtadia. Ad eum inviſendum contendit Cardinalis die XXI. Menſis Junii, ut docent Ejuſdem literæ ad Epiſcopum Vintimilienſem datæ: „ Novariam primò, deinde Vercellas veni, & hac die, „ quæ XXI. menſis eſt, hinc proficiſcor Sabaudiæ „ Ducem conventurus, qui vicies circiter mille „ paſſus hinc abeſt. Poſt illius colloquium ad lu„ ſtrandam Diœceſim animum convertam.

(*b*) Nullum hoc tempore Ducis dolorem abſterſit Carolus, cui jam conſolationem adhibuerat per Patrem Adurnum, & literas ſuas, ut jam vidimus ad annum ſuperiorem. Quibus de rebus collocutus cum Emmanuele fuerit, habemus ex iis, quæ ad Pontificium apud Ducem Internuncium paulo poſt ſcripſit: „ Emmanuelem Maſini degentem adivi, & plu„ rima cum eo firmavi. Primò omnium humaniſſime „ ſpopondit, a ſe ſalutaria aliquot decretum mox „ iri contra Soſpitelli Hæreticos, nequid in Deum „ aut in ſuam ipſius dignitatem moliantur: Dein„ de omni ope ſua, & præſidio Vintimilienſis Epiſco„ pi auctoritatem ſuſtentatum iri, ut rite a Soſpi„ telli Incolis decumas poſſit exigere, atque ad tri„ bunal ſuum ejus Regionis Eccleſiaſticos Viros „ compellere. Rogavi deinde, ne Sancti Chriſto„ phori Ædem in præſens dirui ſinat, neque aliud „ in Vercellenſi Urbe Templum, licet munimenta „ recenter muris adjicienda aliter exigere videantur. „ Certum inſuper conſtitutum eſt tempus, quo San„ cti Euſebii cineres transferantur; quare affirmavit „ mihi, ſe cum ex Sabaudia (quam Provinciam ob„ ire propediem deſtinat) regreſſus fuerit, tum Ver„ cellis Translationis celebritati interfuturum. Ta„ men ille viciſſim fidem obligavit meam, ut Au„ guſtam Taurinorum irem ad Sacram Syndo„ nem reviſendam; neque datam fidem exſolvere „ gravabor, tùm ut Ducem illum alloquar iterum, „ cùm etiam ut animum meum paſcam ſuaviſſimo „ aſpectu pretioſiſſimi illius, & magnifici teſtimo„ nii, quod Chriſtus Redemptor nobis omnibus ca„ ritatis, Sereniſſimæ vero Familiæ patrocinii, & tu„ telæ pignus reliquit. Interea fateor me recrea„ tum Principis præſentia; neque in eo dumtaxat „ admiratus ſum benevolentiam, quam mihi inte„ gram clementiſſime conſervat; ſed ſinceritatem „ etiam eximiam, candorem animi ſingularem, „ virtutem demum cum Religione conjunctam: di„ gna omnia eo gradu, quem tenet, & ad rem „ Catholicam valde adjuvandam aptiſſima.“ In literis autem ad Annam Columnam Sororem datis ex Oppido Beſutio paucis poſt diebus, reperio alia quædam cum Duce in hoc colloquio tranſacta, ex quibus recito, quæ in rem faciunt: „ Superioribus „ diebus Novariæ, & Vercellis fui: inde ad Saban„ diæ Ducem viginti circiter paſſuum millia diſtan„ tem contendi. Cum eo egi de rebus ad Neptes „ Camillæ Borromeæ extinctæ pertinentibus. Multa „ ſuper his agitata ſunt; ſed novus inſtituetur ite„ rum ſermo, quando eumdem Vercellis rurſus al„ loquar; quod colloquium ad menſes aliquot dif„ feretur; nimirum quando illuc Sancti Euſebii ci„ nerum transferendorum cauſâ Emmanuel reverte„ tur, poſtquam res in Sabaudia compoſuerit, quod „ nunc facit. Eodem tempore etiam meam datam „ fidem de veneranda Taurini Sacra Syndone ex„ ſolvam.

(*c*) Peregrinatio me, atque diu ſolicitum habuit hic Gluſſiani locus; neque enim credebam, me tantum auctoritatis afferre legentibus poſſe, ut rem a tanto Scriptore, & tam dilucide aſſertam expungere ab Hi-

Digitized by Google

& lætitiæ argumenta; nisi quod Caroli commoratio aliquanto brevior fuit. Urgebatur desiderio quantocyus adeundi Helveticas valles, quas nunquam satis munitas adversus Hæreticorum insidias putabat.

Post mutua benevolentiæ signa ab Duce digressus, cum ad oram Verbani perveniisset (*a*), Ambrosium Fornerium familiarem

---

Historia valerem. Evolvi solerter libros concinnatos a Basilica-Petri de Caroli rebus, ut viderem, an ejus etiam auctoritas Glussiani narrationem firmaret; At ejusdem verba non ita invictum testimonium obtulere de secundo hoc a Carolo suscepto Taurinum versus itinere, ut alium sensum illius narratio præferre non queat. Tamen licèt idem uterque sentiret, candide fateor, me narrationi huic subscribere omnino non debere. Etenim præterquamquod nullam injectam de hoc mentionem video in Borromei Epistolis, qui omnia aperire amicis consueverat, neque unquam dissimulavit quidpiam de aliis suis initis ad visendum Sacrum Linteum peregrinationibus; complures habeo datas paulo post Epistolas, ex quibus patet, Eum non potuisse tam brevi spatio Taurinum convolare, atque inde reverti; & præterea obstant etiam ipsa Caroli dicta, quominus huic facto assentiar. Literæ in superiore nota relatæ, & ab Ipso datæ ab Annam Sororem, & Pontificium Internuncium, aperte probant fidem suam obligatam Emmanueli fuisse non in hoc tempus, sed ad reditum ejusdem ex Sabaudia. Cum vero regressus a Sabaudia Emmanuel non revisisset Vercellas, quandoquidem huc erat venturus propter Sancti Eusebii Translationem, quæ neque hoc anno, neque sequentibus perfecta est; hinc Augustam Taurinorum non potuisse Carolum hoc anno proficisci manifestum est. Accipe etiam literas ad Speciánum datas die XXX. Junii, ut doceamur, eo tempore nondum hoc iter a Cardinali susceptum, licet illud perfectum esse debuisset, cum nonus jam numeraretur dies, ex quo Masinum contenderat: „ Prout alias scripsi, Novariam, & Vercellas Me„ diolano profectus sum. Inde diverti ad invisendum „ Sabaudiæ Ducem, qui tum Masini erat. Ex ejus „ colloquio comperi, illum non solum optime in „ me, ut semper fuit, animatum; sed summæ Re„ ligionis, ejusque indolis, ut certam egregii Prin„ cipis spem concitaverit. Me nunquam dimisit, nisi „ postquam officiis suis promissionem meam extorsit „ fore, ut Taurinum redeam ad Sacram Synodum „ iterum invisendam, quo nimirum tempore Trans„ lationis habendæ causa Vercellas ille revertetur. „ Munera interim omnia implevi, quæ opportuna „ esse censui ad Religionem Catholicam sua in Di„ tione tuendam; atque ea libertate id præstiti, „ quam amor in me suus dabat, & illa animi fidu„ cia, quam semper item in me Philibertus Pater „ humanissime collocaverat. Neque vereor, ne of„ ficia mea irrita recidant, cum monita benevolo „ ille animo exceperit. Insuper cum eodem tem„ pus Translationis Sancti Eusebii præstitui: dixit „ autem, eo tempore transferendas Sacras eas exu„ vias, postquam redux e Sabaudia fuerit. Celebri„ tatem hanc in aliud tempus rejectam, & omis„ sa nunc causam ex Bonhomii literis jam intel„ lexeris puto. “ Itaque ad probandam dicti sui veritatem, debuisset Glussianus saltem differre Caroli iter ad mensem Octobrem, ad quem ex Sabaudia reversurus Dux fuerat: deinde expectanda erat Sancti Eusebii Translatio; Octobri autem mense videbimus Carolum diverso omnino itinere Brixiam invisse. Translationem vero jam constitutam ipsemet Glussianus dicit exitu caruisse. Præterea invictum aliud pro mea sententia testimonium suppeditat Ducis ipsius Emmanuelis Epistola ad Cardinalem data mense Junio anni insequentis, scilicet MDLXXXII., in qua Dux gratias agens Borromeo propter acceptum Nuncium de proximo Illius, & Cardinalis Paleotti adventu, addit: „ Gaudere se, quod Carolus me„ mor datæ sibi olim fidei cum Masini esset, tunc „ tandem se promisso liberare velit. “ An quisquam credat posse Borromeum anno postero datæ fidei reum teneri, si eam hoc anno exsolvisset? Ultimò Borromei literas teneo ad Protonotarium Lunatum scriptas, in quibus eum monet, se ad diem XXIII. Junii Aronæ fore; & alias etiam habeo, quas ex eodem Aronensi Oppido ad Lueri in Brixiensi Diœcesi Parochum die postero dedit. Cum autem utraque ex iis epistolis statim data sit post colloquium habitum cum Duce Emmanuele, apud quem die XXII. ejusdem mensis fuit, aperte colligitur nullum Carolo intermedii temporis spatium fuisse, quo pergere Augustam Taurinorum posset.

(*a*) A Duce digressus Aronam ocyus contendit, ut mox adnotavimus. Suspicor quidem Arona Varallum divertisse. Et quamquam nulla mihi suffragetur Epistola Varalli scripta, cum aliunde sciam Eum rebus divinis contemplandis intentum perraro dare literas consuevisse, nisi peculiaris aliqua urgeret causa; hinc facile admodum videtur votum hoc illuc proficiscendi suum implere voluisse. Revera desiderium hujusmodi indicaverat Speciano Novariæ subsistens, antequam se Vercellensi itineri accingeret. Hæc itaque ex ea Urbe ad eum scribit: „ Li„ cet indictam Sancti Eusebii Translationem non„ nulla quæ inciderunt incommoda suaserint in „ aliud tempus rejiciendam; nihilominus Novariam „ veni, ubi biduum cum Bossio Episcopo fui “ (egit hic nonnulla ad Genuensis Urbis, & Diœcesis lustrationem spectantia, quæ provincia modeste a Borromeo repudiata, fuerat a Pontifice Novariensi Episcopo imposita). „ Biduum item Vercellis cum Bon„ homio subsistam (quatriduum tamen postea sub„ stitit) quam in Urbem hodie proficiscar. Deinde „ cum Duce colloquar, qui non multum inde abest; „ cumque propinquitas ipsa locorum opportune sa„ cri ad Varallum Montis visendi commodum offe„ rat, illuc deflectam, ut jamdiu statueram. Inde „ Diœcesim meam obire instituam. “ Nullum mihi cognitum hactenus documentum est aliud, quo probem Borromeum in eam se solitudinem recepisse. Hoc unum scio, nullas extare penes nos Ejus literas a XXIV. Junii die, qua Eum Aronæ jam fuisse comperio, usque ad XXVIII., ad quam Tainum, mox Angleriam profectus est. Quare si sufficiens hæc habeatur, ad firmandam sententiam meam ratio, quantulacumque ipsa sit, lector accipiat.

Digitized by Google

liarem ſuum præmiſit, qui decem jumentis Magadini relictis (pagus eſt ad initia lacus) Belitionem adventus ſui nuncius præcederet, ne noctu iter agens clauſas a cuſtodibus portas inveniret. Ipſe navigio vectus, cum haud procul a litore abeſſet, novo repente fulgore coruſcare tecta, & crebram nimbo volitare favillam mediis in tenebris videt. Ratus id, quod erat, incendium eſſe, propere in terram deſcendit, atque implorata divini Numinis ope, ceream Agni cæleſtis imaginem in medium ignem conjecit. Mirabile dictu! ſubſedit illico flammarum vis, nec ultra in proximas domos tetendit. Unus Ipſe, qui a ceteris cladem averterat, ruinas incendii tulit. Nam & jumenta (*a*), quibus uſurus in montanis itineribus erat, flammarum vapore correpta defecerant; & ſtabulario, cujus ædes arſerant, centum aureos nummos numerari mandavit, ne memoriam adventus ſui recordatio damni fœdaret (*b*).

Pedibus deinde iter ingreſſus (*c*), nihil

---

piat. Sane poſtquam Angleriæ fuit, Mediolano Patrem Adurnum evocavit, cui fortaſſe conſcientiæ ſuæ arcana detegere optabat; ſcribit enim ſibi ejus colloquio opus eſſe, remotis arbitris. Non diſſimulabo tamen, ex aliis Caroli literis conſtare, invitatum ab eodem Adurno Borromeum per id tempus, ut Pedemontii provincias luſtrandas vellet ſuſcipere; quo Cardinalis onere ſe liberavit, cauſatus tum Diœceſeos ſuæ incommodis utilius medendum videri. Itaque cum Angleriæ quatriduum circiter ſubſtitiſſet, & Viſitatores ad ſe evocaſſet, eorum partem in Mezanæ, Summæ, atque Arſagi plebes legavit; partem retinuit ſecum, cumque iis Beſutii, mox Legioduni, ultimo Travaleæ-Vallis regiones obivit. Moleſtiſſima omnium Illi fuit poſtremæ hujus Vallis luſtratio, quam dum circuiret, eriſypelate in crure altero affectus, nunquam decumbere voluit, imo nunquam ſe laborioſius exercuit. Labores ſuos Bonhomio deſcripſit poſt Nonas Sextiles: „ Moleſtiâ me aliquâ affecit eriſypelas, non eâ tamen, quæ me a rebus agendis retardaret. In hac „ Travalea-Valle conor aliquid, ut oves meas ſalutaribus inſtitutis informem; ſed tot mihi ſuperſunt Altarium, & Sacrarum Ædium perficiendæ „ Conſecrationes, ut non niſi poſt XV. dies aditurus ſim Helvetiorum Valles, ad quas enixe aſpiro.

(*a*) Inter hanc pernicioſi incendii cladem eminebat mulæ ſuæ diſpendium, quam quingentis nummis æſtimatam eſſe, ſcribit Fornerius. Illius celeritatem maximi faciebat Cardinalis, quipote ſumma feſtinatione iter ſuſcipere ſemper conſueverat, cum putaret tantum ſibi temporis ad agendum intercipi, quantum in itinere perficiendo collocaret. Opportune huc cadit celebratum in Urbe Mediolanenſi de hac Borromei mula adagium: *Agens Carolus omnes homines; Ejus mula currens equos omnes defatigat.*

(*b*) Balthaſſar Cæpolius tum præſens, & Cardinali a cubiculo refert in Tabulis, hoc unum fuiſſe Cauponis incommodum in gravi illo incendio, quod Mediolanum illico contendere coactus eſt, ut oblata Borromei ſyngrapha, numerandam ſibi pecuniam a rei domeſticæ adminiſtratore curaret; qua perſoluta, facile abſterſæ ſunt Uxoris muliebriter ejulantis lacrymæ; & Caupo ipſe calamitatis ſuæ ſtatim oblitus eſt. Cauponi cauſa itineris fuit difficultas rei nummariæ, qua Cardinalis premebatur, cum Hic vix neceſſaria itineri ſubſidia ſecum haberet. Quamquam Mediolani fortaſſe non minus inops argenti erat Borromeus, cum ſtatim ad Eum ſcripſerit Galeſinius XI. Cal. Septembris in hæc verba: „ Fatalis incendii caſus optimam Tibi occaſionem „ declarandæ virtutis Tuæ obtulit; Epiſcopis autem „ Provinciæ Tuæ opportunitatem dedit implendi il„ lius Decreti, quod in Concilio Provinciali ſanci„ tum eſt: nimirum eos lege teneri, collatis auxi„ liis Metropolitano ſuo inopia laboranti præſto „ eſſe." Revera partibus ſuis non defuit Bonhomius Vercellenſis Antiſtes, qui audito infortunio, jumenta Illi aliquot poſtmodum ſuppeditavit. Quam laudem occupaverat jam Cardinalis Ferrerius, qui equos item ex ſuis aliquot dono miſit; imo præſentiſſimo auxilio Comes Eraſmus de Abdua egregiam mulam ſtatim obtulerat dono, quam illico Carolus repudiavit; & vix ultimo officiis victus ea dumtaxat de cauſa ſe accipere teſtatus eſt: *ne tantum Virum, & adeo ſibi cognita liberalitatis contriſtaret*, quemadmodum ad Vicarium ſuum ſcripſit.

(*c*) Neque deerat opportunum a Fornerio comparatum equorum commodum. Hæc enim habet idem teſtis in Tabulis: „ Audivi cerea Sacri Agni imagine „ in flammas injecta ocyus reſediſſe, imo compreſ„ ſam fuiſſe omnino vim late ſerpentis incendii. „ Tum ego Belitione eram Cardinalem opperiens; „ cumque illuc rei fama permanaſſet, ſtatim cum „ Oppidi Gubernatore obviam venienti proceſſi. „ Carolum medio jam confecto itinere, pedibus „ properantem invenimus; atque hilarior ſolito frons „ videbatur. Habebam mecum recentium equorum „ opportunum ſubſidium, quorum unum Illi appo„ ſite ſtraveram, reliquos reſervaveram familiæ, li„ cet impares numero domeſticorum; quare aliqui„ bus iter pedibus proſequi neceſſe erat. Videns „ Cardinalis jumenta aliquibus deeſſe, pertinere ad „ ſe maxime pedeſtris itineris incommodum voluit, „ & recuſavit conſtanter equum ſibi inſtratum aſcen„ dere; quamobrem Ille, cujus commodo maxime „ cavebatur, eodem carere præ ceteris conſtituit." Itaque Belitionem cum perveniſſent omnes, aliam liberalitatis exercendæ occaſionem Borromeus non dimiſit, ut narravit Octavianus de Foreriis: „ Cum „ redditi Dominis fuiſſent, quos raptim Fornerius „ equos comparaverat, alii denuo erant pretio con„ ducendi, ut iter ad Alpes ſummas proſequeretur. „ Belitionenſes equiſones rati, utilitatem ſuam ex „ Cardinalis calamitate facile petendam, cum ne„ ceſſitas equos conducendi inſtaret: hos locare,

„ non

hil ab imis ad ſumma Alpium, quæ Italiam a Germania dirimunt, inexploratum reliquit. Joannes Baſſus ſumma integritate Sacerdos, qui Vallibus iis Vicaria poteſtate magno Sacrorum proventu præfuit, juratus teſtis affirmat: agentem in Lepontiis Cardinalem, cum debilitatum æſtu, & labore corpus ægre ſuſtineret, ab ſe tamen rogatum, ut paulum quietis domi ſuæ caperet, nullis precibus retineri potuiſſe, quin continuato aſcenſu, Bidrettum uſque diſtantem quatuor paſſuum millibus vicum perveniret. Ibi quoque labantem omnibus membris, ac ſudore fluentem, non antea ſediſſe, quam ſolemnia Viſitationis officia peregiſſet. Adiſſe Ipſum loca nullius fortaſſe exteri hominis ſignata veſtigiis, alia calore, alia frigore torrida, quin ullum deficientis, aut turbati animi ſignum daret (*a*).

Non ego inficior, hæc utcumque firmiſſimis munita teſtimoniis, humani corporis infirmitatem conſideranti incredibilia videri poſſe. Sed multo altius petenda ſunt initia rerum, quas a Carolo geſtas audivimus. Nam, ut illum inter tot voluptatum illecebras pudicitiæ candorem, illam in tantis adverſitatibus fortitudinem, illam in ſummis honoribus animi moderationem inter mirabilia Divinæ gratiæ dona recenſeri æquum fuerit; ita difficile ad fidem eſt, tam duros, atque perpetuos in tanta cibi, ſomnique parcitate labores mortalis naturæ viribus ſuſtineri potuiſſe. Cui enim ex omnibus, qui recolere hæc monumenta rerum voluerint, in mentem veniret fractum tot laboribus, jejuniis, vigiliis Cardinalem tantum animi, nedum virium habiturum, ut nullo interpoſito quietis ſpatio, peregrinationem aliam longe fortaſſe difficiliorem ſuſciperet?

Templum S. Martino ſacrum intra Rhætiæ fines Benedictini Patres habent, Sigiberti Confeſſoris, & Placidi Martyris mortalibus exuviis celeberrimum (*b*); nec aliquid fortaſſe ſanctius in miſera illa terrarum

„ non niſi immani propoſito pretio, contendebant. „ Vehemens familiarium indignatio erat ex calli„ do eorum conſilio; & lis propemodum cum equi„ ſonibus orta. Intellectâ autem diſſidii causâ, Car„ dinalis leniter ſubridens, *date*, inquit, *quod petitur pretium: occaſionem neceſſitatis noſtræ, & lucri ſui „ cauſæ admodum illi retinent: nunc tam tenui de cauſa „ remittenda eſt nobis itineris feſtinatio?*

(*a*) Non abs re fuerit ipſa Baſſi verba fideliter ex tabulis reddere, quæ habemus ad pag. 3521. „ Anno MDLXXXI. cum ad Lepontios veniret luſtratu„ rus (Carolus) eas regiones, dum Magadini de„ ſcenderet navi, vidit irreparabili incendio jumen„ ta omnia, quæ præmiſerat, abſumi; quare pretio „ equos conduxit, quibus uſque ad Alpes ſummas „ uteretur. Ad Montium juga cum conſtitiſſet, „ avari equiſones cum trans Montes proficiſci vel„ lent, nulla habita Cardinalis ratione, regredi „ Eum pedeſtri itinere coëgerunt; hinc neceſſe fuit, „ ut ex præruptis illis ſalebris, continuato per quin„ que milliaria deſcenſu gradiens, Airolum tandem „ viæ contentione fractus perveniret, ubi paterna „ mihi erat ſedes. Pervia itaque Illi mea erat do„ mus, qua uti jure ſuo poterat; quare neque ul„ lum Illi hoſpitium obtuli, neque admotis precibus „ ſuaſi, ut ibi ſubſiſteret. Nolens Cardinalis mo„ leſtus fortaſſe hoſpes videri, nullam ibi moram „ extrahere voluit; licet feſſus adeo ex aſpero „ Montis deſcenſu videretur, ut identidem admo„ tis muro manibus paulo poſt ſucciduos poplites „ ſuſtentaret. Tum intellexi opportuniſſimum fati„ gato Antiſtiti futurum fuiſſe hoſpitium meum; „ ſed moderationem ſuam fuiſſe in cauſa, ut non „ invitatus re ſua uti nollet. Sic Bidrettum uſque „ profecutus eſt cœptum iter quatuor inde paſſuum „ millia diſtans, pedes ſemper, quin ullam neque „ impatientiæ, neque fracti animi ſpeciem præfer„ ret. Imo illuc adveniens paſtoralia ſtatim ag„ greſſus eſt munia, atque ad populum Concionem „ de more habuit; neque unquam eo veſpere uti „ cibo voluit, ex laſſitudine credo, quamvis do„ meſticorum miſeratus inediam ſumendi cibi illis „ poteſtatem fecerit. Sane die poſtero dum digre„ deretur, vidi ſuperioris diei incommodis adhuc „ affectum; quandoquidem dum ægra ſaxis veſti„ gia infigeret, dolorem diſſimulare non poterat.

(*b*) Mabillonius Tomo I. Annalium Benedictinorum ad annum Chriſti DCXV. exponit originem celeberrimi hujus Monaſterii, quam adjudicat conditori Sigisberto Abbati, eumque Scoto-Hibernum, & Sancti Columbani in Bancorenſi Aſceterio primum, tum in Gallicana peregrinatione, & expulſione ſocium fuiſſe tradit. Hic aſſumpto Placido in comitem, & adjutorem, qui in Tremiſii Caſtro haud procul ab ejus cella habitabat, & ad Chriſti ſigna fuerat evocatus Sigisberti ipſius prædicatione, Sacellum in honorem Beati Martini ædificavit; cumque novi ſe in dies diſcipuli adjungerent, Cellulas quaſdam exciavit per circuitum: atque hæc fuit prima Monaſterii ſpecies. Poſtmodum Cœnobio ab Hunnis combuſto ad annum DCLXX., quinquaginta poſt annis refectum aliud eſt, Urſicini beneficentia, atque exinde ſemper celebre illius nomen fuit. Loci religionem ornavit, atque auxit Sancti Placidi Martyris corpus, & ipſius Conditoris Sigisberti. *Deſertinenſe* vocat Mabillonius, eo quod deſerto in loco excitatum ſit; incolæ autem *Diſentinenſe* appellant, ex Germano vocabulo *Diſentis*, quod latinè ſolitudinem ſonat.

Digitized by Google

rarum parte Hæreticorum licentia reliquerat. Longum, atque arduum ab Helveticis vallibus ad Templum iter eſt; interpoſito ſcilicet prærupto, atque altiſſimo monte, quem ab Deiparæ nomine religioſa antiquitas nuncupavit. Sed quæ unquam difficultas ab excolendis Sanctorum Reliquiis Carolum retardavit (*a*)? Bacillo innixus ſcandere montem aggreditur, quem difficile quiſpiam ab longa quiete recens equitando trajiceret. Cumque miſera, & incerta hoſpitia eſſent, caſtaneis, & lacte eſurientibus famem depellere; ſomno oppreſſis fœno incubare neceſſe fuit. At ubi a ſummo jugo in vallem deſcenſum eſt, prope periculum fuit, ne a familiaribus, quos itineris ſocios aſſumpſerat, relinqueretur. Repercuſſi a circumjectis rupibus ſolis radii multiplicato calore corpora urebant; & ſiquid umbræ, aut auræ lenioris occurreret, membra humi ſternere, atque ægre meantem ſpiritum crebro anhelitu recipere conabantur. Ipſe languentes erigere, mœrentes ſolari, hortamenta ſingulis, & ſtimulos adhibere, ne tot laborum antea victores, nunc vinci ſeſe, ac frangi modici itineris difficultatibus paterentur. Jam ſol ad multum ultra meridiem proceſſerat, cum jejuni, & veſtigia ægre molientes ad Oppidum pervenere (*b*). Necdum portas ingreſſi perſonare omnia hymnorum cantu audiunt: tum ingentem hominum multitudinem ſupplicantium ritu in occurſum effuſam aſpiciunt. Poſt hanc Cœnobitæ alii ordinatim compoſiti, alii Sanctorum Corpora humeris ferentes veniebant: ſequebatur Cœnobii Abbas fulgentem auro, & gemmis infulam gerens. Verum omni gemmarum fulgore longe ſpecioſior Caroli aſpectus intuentium obtutibus erat. Converterant in ſe omnium oculos mixtæ ſudore lacrymæ, pallor, & macies, & nova quædam ex ipſa oris deformitate majeſtas. Ita ut erat pulvere obſitus, & inedia fere ſemianimis ſupplicationem ad Templum proſecutus (*c*), veſperarum Solemniis interfuit, quæ nonniſi cum diurna luce finem habuere. Modico deinde cibo, ac ſomno refectus, dimiſſis ad quietem familiaribus, Ipſe in Templum rediit, ut inter pia meditamenta more ſuo reliquam noctem abſumeret. Poſtero die publico nomine ab Oratore laudatur, quod ſeptum tot inviis ſaltibus populum adventu ſuo recreare voluiſſet (*d*); donatuſque Reli-

(*a*) Acuerat prona in Religionem Caroli ſtudia Legatio a Monaſterii Abbate, & loci Principe Chriſtiano Caſtelbergio præmiſſa, qui ſummo viſendi celeberrimi Cardinalis ſtudio accenſus ad Eum in Lepontiis agentem miſerat Sacerdotem familiarem ſuum Jacobum Nazarium, ut Sanctum Antiſtitem verbis ſuis ad hoc iter ſuſcipiendum inflammaret. Jornici Carolum Legatus convenit; & quamvis facile Caſtelbergii votis aſſenſurum ſe oſtenderet Cardinalis, nullam tamen præſtituere diem voluit, quo pias occurſuri obviam cum pompa Abbatis inſidias eluderet. Itaque dimiſſo Legato, poſtmodum ſilentio in Blenii vallem deflexit, unde decem comitibus viæ aſſumptis, montem, qui Rhætiam ab ea Valle dividit, aſcendit; in cujus ſummo jugo cum ſub meridiem reſediſſet, caſtaneis unice obſonavit famem.

(*b*) Narrat Joannes Saccus, qui iter hoc Caroli enucleate deſcriptum in lucem edidit anno MDCV., Cardinalem ad Deſertinenſe oppidum ſub horam XX. ſole ferventiſſimo appropinquaſſe. Quod ubi Abbati renunciatm eſt, doluit iſte, ſe pia Borromei fraude circumventum, & deprehenſum eſſe omnino imparatum. Tamen ut advenientis dignitati ſerviret, propere Carolo in via occurrit, coacto raptim agmine Nobilium, & populi ſupplicabundi. Viæ autem quatuor viæ, ſtadia emenſus Cardinalem obvium habuit.

(*c*) Antequam ad Monaſterium proficiſceretur, honorifice primum in via ipſa exceptus eſt. Cumque ad Deſertinenſis Parochi Ædes quatuor item ſtadiis a Monaſterio longe diſſitas pateret ingens area: ibi collocata ſunt Sanctorum Lypſana, quæ vir Borromeus aſpexit, ſtatim provolutus in genua ſumma, & publica Religionis teſtificatione coluit. Interea ſecundus ab Abbate Monaſterii Præſes advenienti gratulaturus Antiphonam cecinit in hæc verba: *Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Bene Paſtor in populo, qui placuiſti Domino, ora pro nobis Deum.* Fatetur idem Saccus, qui hæc ſcripſit, ad tam ingenui, & liberalis occurſus ſignificationem commotum eſſe vehementer animo Carolum, & lætitiæ teſtes lacrymas coram populo ubertim effudiſſe. Inter publicos plauſus itaque deductus in proximam Ædem S. Joanni Baptiſtæ ſacram deflexit Cardinalis, ubi Sanctiſſimum Chriſti Corpus veneratus ad ſingulas Aras divertit curſim, eaſque retegens exploravit, an nitida in Templo eſſent omnia, & quis eſſet ſacræ ſupellectilis curandæ in iis regionibus tenor. Hiſce perfectis, ſupplicatio indicta ad Monaſterii Templum fuit, quam Cardinalis ipſe eſt ſublecutus.

(*d*) Orationem hanc, quo tempore ingreſſus Monaſterium fuit, poſt veſpertinas preces diei ſuperioris, ad Eum habuit publico nomine Nobilis Centurio

Digitized by Google

Reliquiarum parte (*a*), quarum cauſa venerat, ne beneficio vinceretur, tres ex indigenis adoleſcentes delegit, quorum alterum in Helvetico Collegio, duos in Seminario ſuo Mediolani educaret. Cognito ad ultimum dolore, quem ex propero Ejus diſceſſu incolæ ceperant, non ante abire ſuſtinuit, quàm benigne polliceretur: ſe, cum primum per officia ſua liceret, ad ipſos rediturum (*b*).

CAPUT XIII.

Parentalia in defunctæ Hiſpaniarum Reginæ opem inſtituta celebrat: in Seronenſi Oppido inferendam novo Templo Deiparæ imaginem ſolemniter curat. Epiſcopos Provinciæ ſuæ finibus comprehenſos ſextùm congregat.

1581. CUm hæc ad Rhætos Carolus ageret, Joanna Auſtriaca Philippi

---

tucio Paulus Florinus. Die autem poſtero ab ornatiſſimis quibuſque Regionis Viris ad Templum deductus eſt. Ibi perlitavit circumſtante immenſa populi turba, qui, licet meſſis inſtaret, & ruſticæ operæ eum ad agros evocarent, (nam diuturno frigore conſtricta Regio fructus vix exeunte Sextili affert) *viventem Sanctum inter alios extinctos videre*, ut Scriptor ait, *ſummopere deſiderabat*. Poſt Sacrum luſtrata omnia ejus viciniæ loca ſunt, quæ Sanctorum Sigisberti, & Placidi vita, & mors celebriora fecit. (extant ſcilicet eorum Sepulcro conſecrata loca, multis divinitus prodigiis illuſtrata; quorum illud memorandum maxime ab ejus Oppidi incolis celebratur: quod cum Gallici exercitus turma militari licentia nocte quadam ex ſemiruti tum ejus Templi reliquiis auſa eſſet ſtabulandi opportunitatem petere; mane poſtero hoc ſceleris ſui retulit ſupplicium, ut nullo certo cædis auctore, repentina morte abſumpti equi omnes apparerent. Hoc cum cæleſtem illis iram oſtentum denunciaſſet, fuit in cauſa, ut loci religio ſuppeditatis abunde pecuniis, & novo excitato Monaſterio augeretur.) Illa dum obiret, frequens Caroli ſermo ad circumſtantes erat, docentis Deum *mirabilem in Sanctis ſuis*, hortantiſque, ut Sanctorum exemplo fluxa, & caduca mundi omnia deſpicerent, quaſcumque animi labes refugerent, ſacris Myſteriis frequentes intereſſent, Orthodoxam fidem, etiam propoſito mortis periculo, firmiter retinerent: quæ omnia cùm Ipſe dicebat amantiſſime, tùm illi attentiſſime audiebant. Ultimo poſt meridiem Eques Sebaſtianus Caſtelbergius Abbatis frater Eum lauto convivio excepit, in quo non tam invitantis ſplendor, quàm convivæ Cardinalis ſobrietas triumphavit.

(*a*) Optionem Cardinali Abbas fecerat eligendi quas vellet: hanc Ille tamen ſibi factam poteſtatem modeſtiſſime repudiavit. Ea itaque accepit, quæ Caſtelbergius ipſe dona obtulit; Cumque acciperet, gaudio geſtiens ait: ſe ſplendidius ab eo donatum Sanctorum Lypſanis, quam ſi theſauro ſe ingenti cumulaſſet. Hiſce igitur auctus donis diſceſſit: Sacris SS. Sigisberti, & Placidi reliquiis, & S. Emeritæ Virginis, & Mart. cineribus. Interim deſcribi voluit eorum Sanctorum Acta, & adnotari, quo die illorum memoria anniverſaria recurreret. Demum ut loci conſuetudini ſerviret, vini paululum Sancti Placidi capitis contactu conſecratum delibavit e patera: reliquum deinde Abbati primum, mox familiaribus ſuis, ultimo Monachis propinavit.

(*b*) Liquido conſtabunt omnia, ſi Saccum iterum audiamus. Hæc ille in exitu narrationis ſuæ habet: „ A prandio primum gratiis actis, diſceſſum indixit „ ſuis. Ingens ex hoc repentino conſilio eminebat „ in omnium vultu dolor; ſed Cardinalis cauſatus „ ſibi feſtine Mediolanum eſſe regrediendum ad No„ nas Septembris, ſpopondit ſe rediturum, ut diu„ turniorem ibi moram extraheret, & reducem Pon„ tificiæ indulgentiæ munus aliquod Monaſterio illi „ allaturum. Antequam tamen diſcederet, plura ſa„ lutaria in animarum utilitatem ſanxit, quibus „ ſincere, & ſtatim aſſenſi ſunt omnes. Circumfu„ ſos ſibi univerſæ Regionis ordines dimiſit aman„ tiſſime, gratulatus iis etiam publice de Orthodoxa „ fide, quam ex animo colerent, hortatuſque ut „ tenaciſſime cuſtodirent. Rogatus poſtmodum, ut „ in clientelam, & patrocinium ſuum Monachos, „ populumque Deſertinenſes acciperet, reſpondit: „ paratam ſemper, ac promptam ad eorum omnium „ commoda ſuam operam fore; mox ſubdidit: *nunc „ imo voluntatis erga vos meæ certum habebitis pignus*. Hinc converſus ad Vincentium Albanum „ Brippii Sacris Præpoſitum, qui ad latus hærebat co„ mes, imperavit, ut facto ingenii periculo geminos „ ejus Regionis pueros eligeret, qui Eccleſiaſticam „ vivendi normam ſequi vellent; Quare oblatis ſibi „ Donato Contio, & Joanni Sacco, (atque hic ille eſt, „ qui deinde Deſertinenſis Parochus electus hoc Bor„ romei iter deſcripſit, & typis vulgavit) idoneiſque „ habitis, qui in Seminaria ſua reciperentur, edixit, ut „ ſe ad Idus Octobris Mediolani ſiſterent alendos in „ locis, ad quos ſubinde viderentur tranſmittendi. „ Deinde ingenti pecuniæ ſumma Monaſterio relicta, „ & ſacris munuſculis in populum diſtributis, bene„ dixit univerſis, atque omnibus mœrentibus abſceſ„ ſit.“ Geminos eos Clericos Celanam miſit Grammaticis inſtitutionibus erudiendos gratis; præter eos paulo poſt duos item alios evocavit in Orphanotrophium Mediolanenſe Sancti Martini, ſuis expenſis ibidem educandos; iterumque ex ea regione geminos adoleſcentes in Seminario Sanctæ Mariæ ad Nucem pari liberalitate enutriri voluit. Quibus beneficiis novum aliud inſuper adjecit, cum puerum ejuſdem loci, cui ſuſtentando imparem ſe ejus pater teſtabatur, in Alumnorum Helvetiorum numerum juſſit cooptari: qua ratione parentis primùm neceſſitati conſuluit; deinde filii piis deſideriis indulſit: cum ille levare ſe impenſa gravi; hic in Chriſti Redemptoris caſtra ſe recipere ſummopere optaret.

Digitized by Google

lippi III. Hiſpaniarum Regis Mater ex hac vita migraverat (*a*). Itaque Mediolanum rediens cum mœſtam funeſto nuncio Civitatem inveniſſet, Ipſe præ ceteris particeps publicæ triſtitiæ fuit. Augebant dolorem Ejus ſingularis erga Reginæ virtutes amor, & perpetua erga Auſtriacam Familiam veneratio (*b*), quam propterea ut apertius teſtaretur, certare cum Urbis magnificentia exequiarum majeſtate conſtituit. Ingens in Templi umbilico Cenotaphium quadrifariam conſtructis ad aſcenſum gradibus eminebat, in cujus vertice flammam ex jacentis Reginæ cadavere in ſublime prodeuntem plaſticæ artis periti adumbraverant; regiæ ſcilicet animæ typum ex mortalitatis anguſtiis ad Superos evolantis. Columnæ circum, & fictitiæ pyramides diſpoſitis eleganter facibus collucebant, ſtatuæque ſubditarum Metropoli Urbium imaginem referentes Populorum lacrymas imitari figulorum ingenio didicerant (*c*). Haud diſpari pompa Cardinalis Sacrorum Ordinem ad expiandos mortuæ Manes inſtruxerat. Ipſe primum ornatus Inſignibus non ſine ſplendore mœſtiſſimis poſtquam ſalutarem Hoſtiam ad Altare obtulerat ſuggeſtum aſcendit, ut memoriam virtutum, quæ ſola funeri, & ſepulcro ſupererat, celebraret. Et multa ſane Reginæ geſta fuerant egregia, & illuſtria, & vere laudatore Carolo digna. Inter quæ illud præcipue memoratur, quod cum Regem filium periculoſe ægrotantem videret, vitam ſuam pro ejus ſalute devoverat, aſſiduis precibus a Deo poſtulans, ut ſi quid Regiæ Domui triſte immineret, in caput ſuum recideret. Ex eo maxime exemplo magnam vim ad ſuadendum ceperat Orator; nec difficile erat oſtendere, quantum honoris, & gratiæ Auguſtiſſimæ Fœminæ caritas exigeret, cui tanti Regis incolumitas deberetur (*d*).

Lugubrem hanc publici mœroris pompam

(*a*) Ereptam fato quartam hanc Philippi Regis Uxorem anno dumtaxat ſuperiore fuiſſe conſtat; imo luculenter jam teſtatum fecimus ex relata ſuperius Caroli a Baſilica-Petri epiſtola, qui ejuſdem mortem eveniſſe dicit, quo tempore ille in Hiſpaniis legatione fungebatur, & Rex Philippus in Luſitaniæ poſſeſſionem imminebat. Imo egomet legi Regiam ipſam epiſtolam datam menſe Majo anni de quo ſcribimus MDLXXXI., atque in ea humaniſſime Philippus pietati Cardinalis, ac religioni ſe gratias agere, & habere teſtatur, quod publicis precibus indictis ad poſtulandam ſempiternam Defunctæ requiem, optimi vere Paſtoris partes impleviſſet.

(*b*) Non vulgari Auguſtam hanc familiam ſtudio proſecutus eſt Carolus, ea potiſſimum de cauſa, quod ſitum in illa firmiſſimum Catholicæ Fidei præſidium intelligeret. Nimirum hoc eodem anno cum literas a Rodulpho Imperatore accepiſſet benevolentiæ plenas, quibus Cardinalis patrocinio Aloyſium de Magnis commendabat, reſpondens in hæc verba exorſus eſt: „ Summopere ſemper optavi occaſionem „ mihi dari, in qua extaret aliqua teſtificatio meæ „ erga Majeſtatem Veſtram Cæſaream obſervantiæ, & „ pietatis; quæ tanta certe eſt, ut qui eam magis „ colat, & veneretur, plane concedam nemini. Et „ id quidem pluribus de cauſis, juſtiſſimiſque; ne„ que enim ſolum in altiſſimo dignitatis gradu Ma„ jeſtas Veſtra divinitus conſtituta eſt; ſed tam gra„ ve Imperii pondus tanta animi magnitudine, tan„ taque religione ſuſtentat, quanta Imperatorem de„ cet ex Auguſtiſſima familia Auſtriaca natum, cujus „ innumerabilibus ornamentis, & laudibus ad am„ pliſſima quæque, & præclariſſima excitatur &c. “ Sane nihil dicere Carolus obſervantius poterat, nihil magnificentius, nihil verius.

(*c*) Machina hæc nobiliſſima Architecti Peregrini de Peregrinis ſingulari artificio commendata fuit. Cura autem Galeſinio a Carolo demandata eſt, ut caveret quam maxime, nequid ſymboli in ea notaretur, quod profanam Ethnicorum ſuperſtitionem redoleret. Scripſit deinde Galeſinius idem, ſe ab Cenotaphii illius Iconographia expunxiſſe complura hujuſmodi, quæ oculis magis, quam Religioni ſervirent.

(*d*) Orationem hanc funebrem concinnavit in via dum Mediolanum ab Helvetiis rediret. Occurrit enim mihi Caroli Epiſtola Teſſeredi ad Cereſium Lacum data Calen. Septemb. in qua Caymum Canonicum ex majore Collegii Metropolitani Ordine rogat, ut quam citiſſime ſibi tranſmittendam curet vitam Parmenſis Principis religioſiſſimæ typis ante editam, & ſi qua alia ad manus veniret funebrium orationum ſupellex, ex quibus ſuccum aliquem exprimeret ad hunc, quem moliebatur, Sermonem texendum. Revera paulo poſt, ideſt poſtridie Non. Septemb., ſumma cum laude eum habuit ad Mediolanenſem populum, & univerſos Civitatis Ordines, dum nobili celebritate Inferias Reginæ Defunctæ perſolveret; & mox tanta Orationis ejus fama ſubſecuta eſt, ut typis edita ſtatim fuerit, & deinde ipſis Mediolanenſis Eccleſiæ Actis conſignata; ultimò etiam a Sebaſtiano Fagæo latine olim reddita, recenter ex Ambroſianæ Bibliothecæ pluteis extracta adnexa ſit S. Caroli Homiliis dum in lucem nuper ederentur, ad ſaturanda ſcilicet poſtulantium vota. Inſuper lego in Pannoniam uſque, atque Auſtriam diſſeminatam hujus Sermonis famam adeo, ut Bonhomius anno MDLXXXII. Poſſonii degens ſcripſerit XI. Cal. Febr.: enixas preces ſibi ab Erneſto Auſtriæ Archiduce admotas, quo ejuſdem exemplar ſibi quamprimum Mediolano tranſmittendum curaret, Auſtriacæ deinde in Germania familiæ, quæ ſummis votis illud poſtulaverat, offerendum.

Digitized by Google

pam lætior alius publicæ religionis triumphus excepit. Inter multa Mediolanenſis agri Oppida Seronum eſt ubertate telluris, nundinarum quæſtu, & Cæli ſalubritate notiſſimum. Præcipuam tamen loco celebritatem dicata Deiparæ Virgini Ædes facit, cujus imaginem beneficiis inclytam cum loco moveri, & aptius collocari neceſſe eſſet, id quam apparatiſſime fieri Carolus cupiebat. Non enim facile dictu eſt, quam ingens Ejus ſolicitudo fuerit, ut quantum Cælitum imaginibus, reliquiiſque eo maxime ſeculo Hæreticorum nequitia detraxerat, tantumdem Ipſe venerationis, & gloriæ in Eccleſia ſua reponeret. Editis itaque literis (*a*), univerſæ Provinciæ populos hortabatur, ut ad Translationis ſolemnia frequentes convenirent, præter Magnæ Matris patrocinium Apoſtolicæ Indulgentiæ theſanros lucraturi, quos idcirco a Summo Pontifice impetrarat (*b*). Crevit ex eo tempore loco honos finitimorum concurſu, & piorum hominum largitionibus, quibus ſacra Ædes in eum denique ſplendorem venit, ut niſi cæleſtis gratiæ ſpes peregrinandi incommoda abunde penſaret, ipſa Templi venuſtas pretium facere itineri poſſit. Quarto idus Septembris celebrata hæc ſolemnia erant, quibus abſolutis reliquum anni tempus extirpandis Cleri, populique vitiis impendit, quorum radices numquam fere exareſcunt (*c*).

Eadem

(*a*) Paſtorales haſce literas, quas die VI. Septembris ad populum dedit pro ſolemni ſupplicatione ad diem X. indicenda, habemus in parte VII. Actorum noſtræ Eccleſiæ. Cautum in iis fuit, ut quam maximus huic actioni ſplendor, & ſanctitas accederet. Docuit primò quantum Sacris Imaginibus, & Deiparæ præſertim tota ſemper antiquitas obſequii detulerit, quantaque ex hoc inſuper utilitas redundaverit. Deinde flexo ad populum ſermone, eximiam in ſupplicatione habenda pompam, & venerationem commendavit. Ultimò ſuaſit ampla in Templi nitorem eroganda pecuniæ ſubſidia, frequentem accolarum conventum ad augendam Translationis magnificentiam, demum ex precibus, atque jejunio petenda eſſe auſpicia celebritatis.

(*b*) Eminuit hac occaſione ſummum in Carolo contemplandi ſtudium. Etenim in ejuſdem Templi Tabulario ſcriptis conſignata ſunt hujus Translationis acta, inter quæ illud notatu dignum eſt: quod cum Altare noctis unius ſpatio loco moveri, atque alibi collocari oporteret; ideoque Deiparæ imago panno tecta in alia ejuſdem Templi parte repoſita eſſet: Sanctus Carolus, inſciis omnibus, ſub eodem panno ſe abſcondit, ibique totam noctem cæleſti contemplatione ab omni externo ſenſu alienatus inſumpſit. Luce equidem orta, a Fabricæ Præfecto ibi repertus cum rogaretur, ut noctis illius ſtrepitum præſentiam Ejus ignorantibus condonaret, firmiter, ac diſerte reſpondit: ſe neque ullum mallei ſonitum, neque ullius fabri vocem ea nocte audiviſſe.

(*c*) Laborare admodum Gluſſiani fides mihi videtur in ſtatuendo rerum ordine ſpectante ad hanc Hiſtoriæ partem. Etenim quid reliquos hoſce menſes Paſtoralem Caroli ſolicitudinem abſorbuerit, breviter expono ex ejuſdem literis XII. Calen. Octobris ad Specianum datis. Scribit, ſe demum ferme expediiſſe quidquid ad Decreta Brixienſia in ordinem redigenda pertineret; & ſubjicit: iiſdem perfectis ſe Brixiam velle contendere poſt celebrata Autumni tempora: in ea autem Urbe moraturum ad XV. dies, ut omnia præſens inibi confirmaret. Verum res aliter vertit. Perlata Mediolanum Mariæ Auguſtæ in Agrum Laudenſem feſtinantis fama, raptim apparari Cathedralem Laudenſem Baſilicam ſplendore omni, ac pompa juſſit, conſultavitque diu, quibus ritibus ea eſſet excipienda. Poſtmodum de illius Brixiam adventu certior factus, in illa Urbe primùm eam convênit III Nonas Octobris, unde Laudem Pompejam regreſſus eſt; ubi nec obſervantiæ ſuæ erga Auguſtam, nec Religioni defuit, ut ſuperius explicavimus. Defunctus hac cura Brixiam tandem convolavit. Id Speciano indicavit IV. Idus Octobris, literis ex eadem Civitate datis, in quibus ait: ſe jam ea Decreta vulgaſſe, quæ ad Diœceſim Brixienſem pertinerent: una tamen ſupereſſe Urbana edenda in lucem. Verùm ejuſdem menſis die XXIII., ad quam perficienda jam omnia rebatur, ad eumdem ſcribens ita modeſte conqueritur: „ Me adhuc „ Brixienſia tenent Decreta in hac Urbe, licet iiſdem „ ſummo conatu extremam manum ſtudeam appo„ nere. Equidem quod ad me attinet, nihil agen„ dum ſupereſt; verumtamen tot reclamitantium, „ qui me pene obruunt, querelæ audiendæ ſunt, ut „ aures dumtaxat hactenus defatigaverint; plures „ ſcilicet ſpe hac inani ſe lactant fore, ut votis „ ſuis accommodem ſanctiones meas. Ceterùm ſpero „ hæc omnia, quæ agenda reſtant, ad XII. diem „ expedienda. Quemadmodum nunc eduntur in lu„ cem moleſtiora quibuſdam Decreta; hinc eſt, ut „ plures a meo Tribunali ad Romanum provocent, „ quorum tamen voces conſtanter repudiavi. Ita„ que tuum eſt Romæ degentis curare, ut firma „ ſtet mea Legislatoris auctoritas, ne ulla aliis de„ tur reclamitandi occaſio, ſi iſthic mitius in provo„ cantes agatur. “ Brixiâ itaque diſceſſit, nonniſi pridie Nonas Novembris; cum teſtetur in quadam Epiſtola, ſe illic degentem die Sanctorum omnium memoriæ ſacro Brixienſium quatuor SS. Epiſcoporum corpora ex Arce in Baſilicam Maximam ſumma cum celebritate tranſtuliſſe, eâque perfectâ biduo adhuc illic ſubſtitiſſe. Quo demum Brixiâ regrediens contenderit, docet novis literis ad Specianum Gropello datis poſtridie Nonas Novembris: „ Diutius opinione Bri„ xiæ verſatus ſum; verum Deo auſpice, atque ad„ jutore expedii me tandem die hujus menſis III. „ Quo tempore illic fui graviora ferme omnia con„ feci, eaque univerſa, quæ præſentiam poſtulare „ meam

Digitized by Google

„ meam videbantur. Nunc me Gropellum recepi, „ ut quidquid ſcriptis eſt conſignandum, in tabulas „ redigam; exinde reliquum Decretorum exponam. „ Sancienda adhuc ſuperſunt aliqua ſuper Cathedrali „ Canonicorum Collegio; aliqua enim hactenus de „ ejus rebus, licet difficulter admodum, ſtatui." Pridie vero Idus Decemb. declarat: ſe in ea adhuc Villa totum abditum in Brixienſia digerenda negotia, quæ omnia ſperat ſub natalitias Chriſti Domini ferias ad umbilicum perducenda. Revera nitide anno inſequente, atque enucleate typis edidit Decreta ad Brixienſes. Hæc igitur anno MDLXXXI. geſta, atque illo quo deſcripſimus ordine. Nunc pauca alia liceat addere nondum commemorata: neque enim omittenda puto Borromei officia apud Summum Pontificem, & Cardinalem Novocomenſem, quibus Decembri menſe curavit ſanctiorem diſciplinam reſtituendam in Ordine Hieroſolymitanorum Equitum; qua de cauſa Patrem Hieronymum Malettam Sancti Pauli Decollati Clericum ex Pontificio nutu Melitam libens legaverat. Vere ipſemet Carolus Romæ depoſcebatur præſens ad id conſilium perficiendum, ut Specianus ſcripſit; ſed cum illuc proficiſci hoc tempore non poſſet, operam ſuam in hac re collocavit ſub finem anni inſequentis, cum illic degeret. Septembri menſe ſplendidam in Civium oculis pompam defixit, dum Turcam quemdam Chriſtianæ Religionis myſteriis imbutum Baptiſmo perfunderet: quem Neophytum deinde Philippo Regi per literas enixe commendavit. Tertio Idus Junii addixit Sanctæ Praxedis Aſceterio Sacras Virgines, quæ jam tyrocinium ſanctitatis per annum rite poſuerant: & poſtmodum vetitos novo Edicto piarum Sodalitatum Confratres operto vultu prodire in publicum, hac lege curavit liberandos, efficacibus literis ad Patrem Didacum Claveſium datis, qui juxta monita in legatione accepta rem hanc coram Rege, remotis Conſiliariis, tranſigeret. Eodem menſe Vicum Martis, ejuſque Plebem pedeſtri, & laborioſo itinere obivit, ibique etiam PP. Capuccinorum Aſceterium, inſtantibus incolis, excitare contendit. Ibi Eum convenere Alerienſis, & Vintimilienſis Epiſcopi, quibuſcum de eorum Diœceſeon temporibus plura egit. Sub Aprilis exitum, & menſe Majo totam item Seveſi Plebem luſtraverat diligentiſſime; licet aliquantulum laborem ſuum intercepiſſet Caſtelli Ariminenſis Epiſcopi adventus, qui huc deflexerat die XXVIII. Aprilis antequam legationem Gallicam ſibi demandatam ingrederetur; quamobrem Mediolanum veniens, Ejus conſuetudine ſuaviſſime delectatus eſt, & conſilia audivit. Omitto Ferdinandum Tabernam, deinde S. R. E Cardinalem in Scalenſi Templo Sacris Ordinibus initiatum: firmatam Legibus dum Gropelli eſſet, Congregationem mulierum, quam jamptidem excitaverat ſub Titulo Aſſumptionis B. V. M., & adverſa complura oblata Cardinali per Cives quoſdam primarios contendentes, ne dirueretur Sancti Michaëlis Ædes *ſub Domo*, quæ omnia patientiſſime tulit. Recenſebo potius exceptos hoſpitio ad Natalitios Chriſti Domini dies Hieronymum & Alexandrum Luciagos, quos idcirco Brixiâ evocaverat, ut eorum contubernio frueretur. Narrat autem Bernardinus Tauruſius in tabulis: impetratum utrique illorum novum beneficium in hæc verba: „ Cum in Cardinalis domo verſa„ rentur, ſub anni MDLXXXI. exitum, Luciagi „ Pater & Filius, nocte quadam Hieronymus me, „ qui æger decumbebam, convênit, dicens: ſe eo „ tempore beneficium quoddam a Cardinali optare. „ Cum in elucubrandam orationem habendam die „ poſtero ad populum Borromeus incumberet, ne„ ſciebam, quo tandem modo Illius alloquendi „ poteſtatem facerem; quare dixi, ut ſcripto con„ ſignaret votum ſuum. Itaque conſcriptam ſchedam „ ad Carolum miſi, qui matutinis tandem abſolu„ tis precibus, utrumque ad ſe evocavit: & jun„ ctim omnes in ſubterraneam Metropolitanæ Baſi„ licæ Confeſſionem perrexere, ubi intenti precibus „ fuere quoadusque propter rem ſacram auroræ ini„ tio peragendam Cardinalis in ſuperiorem Baſili„ cam regreſſus eſt. Cum Luciagi in Ædes veniſ„ ſent, rogavi num eorum vota impleta eſſent? at„ que ab utroque hoc reſponſum tuli: ſperare ſe, „ ut interpoſitis Sancti Viri illius precibus, quod „ optabant, facile a Deo impetrarent. Aliquanto „ poſt cum Brixiæ eſſent, & amice ſciſcitatus fo„ rem, quid tandem eo tempore a Cardinali poſtu„ laſſent? Intellexi tum commendatam enixe Ejus „ precibus fuiſſe a Hieronymo Patre filiam ſuam, „ quam jamdiu Dæmon inſederat; & ſane ab ea „ nocte inpoſterum omne ab ea inveterati mali in„ dicium abfuiſſe." Præterea neque diſſimulabo turbulentis Galliæ temporibus conſuluiſſe per literas ad Regem Henricum datas, interpoſitâ operâ Caſtelli Ariminenſis Epiſcopi, qui apud eum Pontificis nomine legationem obibat. Audi quid ad hunc anno iſto ſcripſerit: „ Placuit admodum quod ex te audi„ vi: Regem, apud quem degis, ſcilicet optime in „ Religionem animatum eſſe: Sane Henricus, cum „ illum Modoëtiæ officii cauſa convenirem, multas „ mihi humanitatis, & benevolentiæ ſignificationes „ exhibuit; imo aliquoties, & præcipue per P. F. „ Mathiam Salodienſem mihi votum aperuit ſuum, „ obteſtatus, ut publicas preces indicerem propter „ difficillima Regni ſui tempora; quare cum tu „ iſthic verſareris, quocum tanta mihi eſt amicitiæ „ neceſſitudo, meditabar num literis meis aliquam „ ex ipſo Eccleſiæ utilitatem comparare poſſem; „ idcirco adnexam Epiſtolam mitto &c." Ultimò dimittendum non eſt eximiæ benevolentiæ teſtimonium, quod Emmanuelis Sabaudiæ Ducis religioni detulit. Tanto enim illius Principis fovendi, & ſuſtentandi ſtudio flagrabat, ut cum opportunam tuendæ Catholicæ Religioni ejuſdem operam fore cogno-ſceret, illius collocandi etiam in Matrimonium provinciam ſibi demandatam ſuſciperet. Hoc novum certe in Borromeo benevolentiæ genus placet expendere ex literis ipſis, quas hac ſuper re ad Specianum miſit anno MDLXXXI.: „ Sabaudiæ Dux mentem „ ſuam de nuptiis Bonhomio Vercellenſi Epiſcopo „ aperuit, eoque interprete voluntatis ſuæ uſus „ mecum, enixe optat, ut Sponſæ delectum quam„ primum ego in me recipiam. Res itaque ſic ſe „ habet: Duceret Emmanuel libens uxorem filiam „ Mantuæ Ducis, & dotale munus poſtulat Mon„ tisferrati partem, quam ad ſuum pertinere jus „ ceteroquin aſſerit. Præoptat autem hanc filiam „ Hiſpanicæ, aut Gallicæ Principi, quandoquidem „ hæc ſecum conſiderat: alterius ex his nuptias ſibi „ valde incommodas fore ſemper, niſi aker ex iis „ Regibus, cui ſe addixerit, tantam ſibi Ditionis, „ & Provinciarum acceſſionem faciat, quæ vires „ augeat ad alterius offenſi furorem præcavendum.

„ Hinc

Digitized by Google

Eadem fere ſtudia ſequentis anni initium, nec ſine magno proventu tenuere (*a*). Ceſſere tamdem ex Urbe illa tot decretis, & execrationibus appetita ludibria ſcænarum, illa tot obnoxia periculis chorearum libido, totque alia deliramenta popu-

„ Hinc ſignificat: facile ſe Hiſpaniarum Regi adhæ-
„ ſurum, ſi Montisferrati partem ſibi adjudicet, &
„ Mantuæ Ducis damnum deinde in Mediolanenſi
„ Provincia reſarciat; verum a Philippo quidquam
„ Ditionis ſuæ imminutum unquam iri deſperat.
„ Affulget itaque alia nuptiarum ſpes ex Gallia;
„ Nimirum, ni fallor, deſpondetur Virgo ex Na-
„ varræ Regis familia; affirmant ſponſores: opulen-
„ tiſſimum hoc Matrimonium fore, & facilem hoc
„ pacto munitum iri viam ad Salutienſem agrum
„ Pedemontio adjiciendum, ſi aliquæ Henrico offe-
„ rantur tranſalpinæ Emmanuelis Regiones permu-
„ tandæ. Sane domeſtici ipſi Ducem ad id conſilii
„ amplectendum inflammabunt, inter quos horta-
„ tor, atque auctor eminebit Ferdinandus Vitel-
„ lius vir, cujus morum pravitas, & averſus a
„ Catholica Religione animus omnium, & Summi
„ Pontificis etiam conſcientia tenetur. Hic una cum
„ Præſule Cadurcenſi rerum omnium in Aula arbi-
„ ter videtur, & facile pellicere in hoc Matrimo-
„ nium Principem poſſet; ſtudet enim Gallicis par-
„ tibus Vitellius. Præterquamquod ipſa morum,
„ qua inſigniter laborat, corruptela ſuaderet, ut con-
„ ſanguinitatis vinculis, & ſectæ Ducem irretiret. Ve-
„ rum quam perniciosum hoc futurum conſilium ſit,
„ facile per ſe quiſque intelliget, eoqs certius, quo
„ deſponſam Virginem dicunt aut hæretica jam lue
„ infectam, aut hæreticis ſaltem moribus imbutam;
„ quamquam addunt eamdem nuptam iis inſtitutis
„ victuram, quibus Emmanuel voluerit. Quapro-
„ pter remis, veliſque contendendum arbitror, ut
„ Adoleſcentem hunc Principem, tanta virtute, &
„ animi candore præditum, & in Religionem Ortho-
„ doxam optime animatum arceamus ab his pericu-
„ lis, quæ certe tam arctum fœdus conſequentur.
„ Nuptiæ cum Mantuæ Ducis filia cùm omnem pe-
„ riculi ſuſpicionem avertent, tùm omnes diſſen-
„ ſiones, atque odia obliterabunt, quæ hactenus in-
„ ter utrumque Principem exarſere, atque adhuc for-
„ taſſe fervent propter dubiam Montisferrati poſſeſ-
„ ſionem; imo omne belli, & jurgii occaſionem in
„ poſterum intercipient. Itaque, cum mihi petitio-
„ nem Mantuanæ Principis demandaverit Emmanuel,
„ ſuamque in me fiduciam omnem collocaverit;
„ ratus parem item Mantuani Ducis erga me ani-
„ mum eſſe: ego diutius hæſi incertus conſilii,
„ atque anceps, num hujuſmodi negotium agerem,
„ quod ab inſtitutis meis, & voluntate alienum ma-
„ xime fateor; ut nonnulla alia impedimenta præ-
„ teream, quæ ab hoc ſuſcipiendo conſilio me deji-
„ cere videbantur. Nihilo tamen ſecius expoſitis de
„ cauſis, & ne alienarem Emmanuelis animum,
„ qui conferre officia ſua opportuniſſime in Reli-
„ gionem tuendam poteſt, fruſtrari illius vota no-
„ lui; ſed aliqua jam jeci rudimenta hujus operis,
„ adhibito apud Mantuæ Ducem interprete commu-
„ nis voluntatis Comite Camillo Gonzaga religioſo
„ Viro, quocum mihi item, ac Duce cognatio ſan-
„ guinis eſt. Non ita tamen fidem de hoc perfi-
„ ciendo meam obſtrinxi, ut ceſſare omnino nequeam,
„ quotieſcumque Summus Pontifex abnuat. Interim
„ aperire tibi omnia ſtatui, ut in ejuſdem oculis
„ omnia, remotis arbitris, defigas; atque ab illo ora-
„ culum expectes, quo cœpta aut urgeam, aut in
„ medio relinquam, prout juſſerit. Caveas vero, ne
„ ad aliorum aures permânet quidquam; idcirco
„ Cryptographia utêris in poſterum, cujus ſchema
„ mitto." Itaque paululum huic curæ intentus fuit;
quandoquidem irrito Camilli officio res in vado
hæſit. Hinc poſtmodum Cardinalis optima de nu-
ptiis ineundis conſilia Emmanueli dedit, quæ facile
amplexus eſt religioſus Princeps. Imo facile ad-
ducor, ut credam, ex Borromei hortatu inclinatum
deinde Ducem, ut cum Philippi Regis filia matri-
monio jungeretur. Rem totam aperirent Caroli lite-
ræ, ſi nobis ſuperfuiſſent; aliquod tamen rei ve-
ſtigium reperio in reſponſione Emmanuelis, quæ
extat ad diem XV. Novembris anno MDLXXXIII.
& manu ſua integre exarata de more in hæc verba:

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ QUemadmodum mihi in dies Paternam Domi-
„ nationis Tuæ Illuſtriſſimæ benevolentiam res
„ ipſa comprobat; ita tot me nominibus D. Tuæ
„ obſtrictum ſentio, ut verbis aſſequi non valeam.
„ Inter ceteras eminet præſens amoris teſtificatio
„ propter pia monita, atque conſilia de nuptiis meis
„ eximiâ prudentiâ, & caritate referta, quæ ſequi
„ conſtanter deliberavi. Si forte irritæ ex ea parte
„ futuræ ſint res, ego in eam potius inclino, in
„ quam D. Tua digitum intendit. Citius monitam
„ D. Tuam faciam, ſi qua ſpes hinc affulgebit: in-
„ terim rogo, ut me ſemper patrocinio ſuo tegat;
„ atque ſactam oſculatus manum, omnem a Deo
„ Opt. Max. felicitatem precor. Auguſtæ Taurino-
„ rum XV. Novembris.

D. Tuæ Illuſtriſs. & Reverendiſs.

Servus
C. Emmanuel.

Ex hac Epiſtola haud dubie eruitur aliquid a Cardinali tranſactum de Hiſpaniæ Infantis nuptiis fuiſſe; quandoquidem ad inſequentem annum mutuas reperio Ducis, & Borromei gratulationes propter Philippi Regis filiam Emmanueli deſponſam.

(*a*) Laborioſiſſimus hic Carolo annus fuit, de quo loquens in Tabulis Marcus Antonius Bellinus Metropolitani Collegii Canonicus hæc habet: „ O an-
„ num ſacris laboribus vere conſumptum! Quid a-
„ liud menſes Majum, & Junium abſorbuit, præter
„ ſummarum rerum continuatam ſeriem ex Provin-
„ ciali Concilio, Diœceſana Synodo, Translationi-
„ bus Sacrorum Corporum, Congregationibus, Con-
„ ſultationibus, Supplicationibus, itineribus demum
„ conflatam adeo, ut cum pene omnes confecti eſ-
„ ſent laboribus, Ille unus expeditior videretur ad
„ nova ſuſcipienda, & promptior; quamquam tam
„ exacta in ſingulis erat diſciplina, ut ex tot rebus
„ nullam meliorem diceres, cum optima univerſa
„ appa-

Digitized by Google

„ appareret. " Quod Bellinus de gemini menſis laboribus teſtatus eſt, id vere de totius anni contentionibus dicam. Sane ineunte anno, totus in eo fuit, ut ſummo labore digeſta Brixienſis Diœceſeos & Civitatis *Decreta generalia* typis mandari curaret. Continet aureus ille libellus diſciplinæ Eccleſiaſticæ florem, & in capita diviſus primò Epiſcopum docet de muneribus ſuis in Eccleſiæ adminiſtratione: Agit deinde de ejus Foro; Cancellariæ taxas indicit ſingulatim, pro cauſis, judiciis, aut ſcriptis quibuſcumque: Deſcendit inſuper ad erudiendum, & formandum Clerum cujuſcumque Ordinis: Præſcribit Templorum ſupellectilem, eorumque cultum: Agit præterea de populo, de Locis piis, de Regularibus, de Monialibus: Ultimò alia edocet ad vitam communem, & reliquum regimen ſpectantia. Præter Brixienſes has curas additum eſt Carolo onus redigendi in ordinem quidquid pertineret ad factam jamdiu Bergomenſis, & Viglevanenſis Diœceſeon luſtrationem, quarum Decreta Romæ poſtulabantur. Adde Variſienſium S. Antonini Monialium vota, quibus ut indulgeret, Variſium irrito labore contendit: Præterea Genuenſis Diœceſeos negotia, quæ omnia ſibi maxime comperta, tranſigenda erant cum Boſſio Novarienſi Epiſcopo, quem, Carolo poſcente, Pontifex ad Genuenſem regionem obeundam paulo ante legaverat. Hinc ut tot rerum molem digereret diligentius, ad Februarii initium per aliquot dies Cardinalis ſe Creſcentiacum recepit. Poſtmodum licet aſpera adhuc hyems eſſet, poſt Idus ejuſdem menſis partem Mediolanenſis agri luſtravit. Totam primo Plebem Olgiati ad Olonam obivit quam diligentiſſime; cumque in illius jure Buſtum Arſitium celebre Oppidum contineretur, in hoc ad majorem Religionis ſplendorem transferri Plebis univerſæ Moderatorem opportunius duxit. Ut id perficeret, aliquot Buſti dies verſatus eſt; cumque Borromei lateri ſemper hæreret religioſiſſimus comes Paulus Camillus de Marlianis ejus Loci Dynaſta, quadam die in Sanctæ Mariæ Templo, dum in Caroli Divinam rem facientis vultu oculos defigeret, repente vidit cæleſti veluti fulgore coruſcantem Ejus faciem, ut ipſemet juratus Tabulis conſignavit. Hoc tempore Hyppolitum Setam Piſanum Civem, Olgiati antea Præpoſitum, Buſti Sacris præfecit, qui in hoc Oppidum adveniens cum Cardinalem docuiſſet de Cleri moribus profligatis, imo literarum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rudibus omnino, & moneret inſuper, impeditum ſe ab oppidanis, quominus ibi domicilium figeret, ocyus Carolus curavit, ut ære ſuo alendus Dominicus Ferrus ex Ticinenſi Borromeo Collegio evocaretur, qui Quadrageſimali tempore ſacris Concionibus aſpera ea ingenia emollienda ſuſciperet; quod etiam ſumma cum laude perfecit. Quidquid tamen eo in campo collegit fructus Dominicus Ferrus, totum ſe Borromeo debere fatetur. Etenim præterquamquod Cardinalis ipſe concionandi methodum, & leges dederat, indicans ut crebros ad eum Populum haberet de Chriſti paſſione ſermones, jam victos verbis ſuis oppidanos eidem tradiderat informandos. Ecce tibi quid illic degens Ferrus Carolo latine ſcripſerit: „ Ego his meæ con-
„ cionis initiis nonniſi gratias Deo Opt. Max. vel
„ ingentiſſimas agere debeo, Tibique, Cardinalis
„ Ampliſſime, qui mihi hanc provinciam partitus fue-
„ ris; magna enim animarum utilitatis ſpes in om-
„ nes partes ſeſe oſtendit. Non eſt quod exordii le-
„ ges, quibus audientium animi dociles, benevo-
„ li, attentique reddi ſolent, pro meis concionibus
„ vel addiſcam, vel obſervem; jam inde ab Illu-
„ ſtriſſimi Paſtoris diſceſſu Ejuſdem ſtudio pietatis ad
„ omnia maxime omnium facti ſunt: diligentiam
„ meam tantum hac in re deſiderant, ut argumen-
„ ta, quibus ad Chriſti paſſionis amorem excitari poſ-
„ ſunt, pie, ſancteque ſuppeditem; faces deinde pia-
„ rum affectionum ſe ſe ita accendunt, ut ſedari vix,
„ aut ne vix quidem quamprimum poſſint, nedum
„ extingui. Atque id eo animarum ſaluti utilius
„ duco, quo populus frequentior quotidie confluit &c."
Interim Sanctus Antiſtes ad alia Dairagi Plebis inviſenda Templa intentus, dum plura provideret, parum abfuit, ut Viglevanum convolaret ad pia officia morienti ejus Urbis Epiſcopo deferenda; Sed ab eo itinere ſupersedit, quoniam mortis nuncium fuit oblatum, quo tempore per Novarienſem Epiſcopum juſta jam perſoluta fuerant, licet interceptam hanc officii ſui teſtificationem vehementer doleat in literis ſuis.

Quadrageſimæ tempore P. F. Mathiam Salodienſem, anno ſuperiore fruſtra expetitum, cum Metropolitano Templo Concionatorem impetraſſet, ſacrum laborem ita cum eo pactus eſt, ut IV. quamcumque Feriam & VI. atque omnes Feſtos dies ſibi uni reſervaret, quibus Sermonem ad populum haberet. Præterea eodem tempore Curiæ ſuæ diſciplinam tertium jam reſtituere ſtuduit; hæc enim ſcribit ad IV. Idus Martias: „ Curiam meam exploravi, atque
„ omnes Jus reddentes diligenter excuſſi. Ut exactius
„ ſcrutari eorum vitia poſſem, palam affigi volui
„ monita, quibus ſinguli docerentur, licere priva-
„ tim apud me liberam vocem emittere, & ſingu-
„ lorum crimina deferre. Hinc effectum eſt, ut
„ unum aliquem ex Vicariis meis (navabat autem
„ hic Carolo utilem admodum operam) omni mu-
„ nere privarem, cum intellexerim ab eſculentis
„ aliquot muneribus cupiditatem ſuam, & manus
„ non abſtinuiſſe. Hoc quidem criminis loco non
„ habent Canones; ſed peculiares meæ latæ in do-
„ meſticos leges certe vetant." Hæc tamen cum Carolus ageret, quot interim aliæ Eum curæ circumſidebant? Commendata ſibi erat Laudenſis Eccleſia, in quam intentus veluti e ſpecula erat propter Epiſcopi abſentiam, qui Legatus in Hiſpaniam fuerat. Eamdem tutelam Vercellenſis ſuſceperat, in qua retinendum erat Epiſcopale jus, & Bonhomio abſente, plura erant componenda in eorum Canonicorum Collegio: cumque per eos dies indigna cædes Fratris cujuſdam Bugellenſis facta eſſet, opus fuit, ut multis officiis Epiſcopalem auctoritatem ſartamtectamque contra Laicos aliquot apud Ducem ſervaret. Alias inſuper Provinciæ ſuæ ornavit Eccleſias: Brixienſem, in qua Pontis-Vici Templum funditus excitari ſtuduit: Novarienſem, in cujus ditione cum diſſidia aliquot exorta eſſent propter Varallenſium Incolarum jura, afflicta a S. Franciſci Patribus pro adminiſtrandis Sacri Montis rationibus, tranſegit cum Legato Cauſidico Draghetto, ut remedium iis aliquod adhiberet: Etenim anno ſuperiore ex Pontificiis literis demandatum erat, ut iis jurgiis finem imponeret. Ultimò etiam Bergomenſem, dum libellum *Inſtructionum Prædicationis Verbi Dei* ad Ragazzonium Epiſcopum mitteret, qui in hæc verba utiliſſimum Urbi ſuæ hoc conſilium fore teſtatus eſt: „ Hæc utiliſſima, reique ipſi accommoda-
„ tiſſima præcepta eo accuratius enitar ut exequar,

„ quo

Digitized by Google

popularis insaniæ, quam Bacchanalium studiosi publicæ lætitiæ nomine appellant (*a*). Imminente deinde Resurrectionis Dominicæ die, mandatum Rectoribus animarum, ut publice criminosos, atque in sceleribus suis turpiter senescentes, quorum nomina Archiepiscopus diligentissime conquisiverat, a Sacrorum communione repellerent. Multis equidem id mandatum saluti fuit; ac maxime Nobilium nonnullis, quos ut semper parata inter divitias occasio peccandi præcipites in vitia egerat, ita ignominiæ

„ quo majori adjumento ea in facultate sentio me „ indigere: Et expressam hanc, eamdemque puram „ & castam Ecclesiastici Concionatoris imaginem an„ te mentis meæ oculos frequenter ponam, ut inde „ semper aliquid sumam, quod imiter. Tibi vero, „ Amplissime Præsul, qui tantum laboris, & indu„ striæ in communem hujus Provinciæ usum quoti„ die confers, magnæ a nobis gratiæ agendæ sunt, „ Eidemque vires in dies majores, uberiusque au„ xilium a Summo Deo petendum, quod idem ego „ facio, faciamque assidue.

Age jam: alia excutiamus, quæ trimestre hoc spatium tenuere. Urgebat per id tempus Carolus strenue ædificationem Canobienfis Templi, quod Christo e Cruce depositi dedicaverat, atque ex Architecti Peregrini schemate præscripserat extruendum: Aliud insuper erat Luini exædificandum: utrinque autem pecuniæ subsidia postulabantur; sibi vero angusta admodum res erat, præsertim cum in Sancti Sepulcri Templum quadringentos jam aureos contulisset. In Subsilvaniam rogabatur ut Capuccinos Fratres induceret, quod jam antea Uraniæ perfecerat: Præterea per Catharinæ Reginæ Galliarum literas commonitus, ut patrocinio suo Medicææ familiæ jura nonnulla in Romana Curia tueretur, auctoritate sua causæ illius felicem exitum procuravit. Interim plura alia firmanda in Diœcesi sua occurrebant. Sanctæ Mariæ Monasterium Canturiense, sub Cluniacensis in Gallia Abbatis tutela positum, cum præsentem adjutricem manum postularet: Carolus Breves a Summo Pontifice literas obtinuit, ut in sua Archiepiscopi jura transferretur. Alia item erant expedienda pro recta Templi Maximi Fabricæ administratione, cum multas de ejusdem Præfectis querelas audisset; quare suarum partium esse credidit, ut diligenter singula inspiceret, & pro jure suo emendaret. Eligenda etiam erat opportunior sedes mendicis in alium locum transferendis, eosque per hos menses constituerat in Ædes Sancti Spiritus traducere, cum inde Helvetici Alumni essent amovendi. Imponendum insuper summum fastigium Sancti Sebastiani Templo occurrebat ad solvendam religione Civitatem; cumque ad conferendam majorem pecuniæ summam publicus extrahendarum sortium ludus esset propositus, noluit malis hisce artibus ad religionis incrementum abuti. Adde domesticum dolorem conceptum ex obitu Comitis Francisci Borromei Patrui sibi ob morum probitatem carissimi: & exorta inter Patrueles suos, ac Mantuæ Ducem dissidia propter turbata Borromeorum jura in Mantuana Provincia ex Cesularum ditione; licèt sibi major res esset pro mitigandis eorum animis, quàm pro retinenda possessione. Insuper medendum erat Fidei Catholicæ periculo propter typis impressa Basileæ Hispanicâ Linguâ Sacra Biblia, ex qua editione cum plura metueret incommoda, statim monuit Gregorium, ut tacite serpenti occurreret malo. Ultimò in Urbe nostra Monialium nonnullarum res prope seditionem spectabant; nam quatuor Parthenones, Regularium jure comprehensi, obstabant conjunctis viribus Borromeo volenti easdem in Archiepiscopi jura transferre; Neque videbantur quietiora Monachorum consilia, a quibus illa Monasteria erant abstrahenda; nam eo tandem erupere, ut pro veteri possessione retinenda contra Cardinalem Romam Legati nomine Hortensium a Castro-Sancti-Petri Nobilissimum Civem mitterent, cujus etiam legationis exitum suo loco videbimus.

(*a*) Adeo cessere hoc anno profana spectacula ex Urbe Mediolanensi, ut quod antea per leges etiam licebat, exinde vetitum sit, Carolo novum Decretum ferente in personatos homines, & populo universo approbante. Exponit rem totam, & consilia sua Borromeus in literis ad Specianum datis in hæc verba: „ Superioribus diebus afflaverat rumor, fervere ope„ ras, & comparari nonnulla propter hastiludia, & „ hujusmodi spectacula ad insequentes dies festos ce„ lebranda. Ego ut impendenti occurrerem malo, „ renovavi vetus edictum, quod imminuere ausus est „ nemo; itàque festorum dierum sanctitati omnino „ consultum fuit. Exinde solemnibus diebus nulla „ etiam personatorum hominum concursatio visa est. „ Attamen XIII. Calend. Feb. nonnulli personati oc„ currêre in viis; quod ideo factum intellexi, quia „ cum nonnulli Vicarios meos consuluissent, utrum „ eadem lege interdictum esset personis, atque ha„ stiludiis; responsum est: diversa hæc admodum es„ se, & sententiam meam in spectacula dumtaxat „ fuisse pronunciatam. Quamobrem intuens pronum „ admodum in Legum observantiam populum, qui „ antea religiose Edictum coluerat meum; & reco„ lens animo, Mediolanenses ex meo unice penden„ tes arbitrio, facili negotio abstineri ab iis posse, „ quæ vetuissem; nuper novum Edictum evulgavi con„ tra personatos homines, ita ut voluntatem solum „ meam declararem, qua vellem eos a profano hujus„ modi ritu abstinere. Causa Edicti fuit, quod per„ sonarum usus vetitus nominatim est in primo Pro„ vinciali Concilio; deinde cum concurrarent ali„ quando personati homines turmatim in spectaculi „ morem; eadem timebantur incommoda, quæ ab „ hastiludiis, propter adjectum ingentem symphonia„ corum, & servorum numerum. Deo favente, po„ puli mei religio nihil reverentiæ huic novo Edi„ cto detraxit; imo ne asperum quidem auditum est „ ullius verbum. Te interim præmoneo, ut certior „ de hac Lege factus respondere prudenter possis, „ siquid isthic objicietur; quamquam cum pacata „ omnia videam, dissimulari omnia facile posse con„ fido. Verum, etsi aliqua intentabitur Actio, re„ liqui interim Saturnalium exibunt dies; atque in„ terim id lucri nobis adjicietur, & maximus insu„ per Deo honos, ut dum fervet controversia, ces„ sent interim spectacula, & exeuntibus Saturnali„ bus, cessatura etiam sit expostulandi causa.

Digitized by Google

miniæ metus ad ſaniora conſilia reduxit (*a*).

Sexto Idus Maji convenere Mediolanum Epiſcopi ſextum Provinciale Concilium celebraturi, cujus præcipua pars ad eorum mores pertinuit: Moniti in primis, ut divitiarum amorem, & ſolatia alia, quæ divitias ſequuntur, omnino repellerent, & quod ſignum paterni vere animi eſt, alienam paupertatem moleſtius, quam ſuam ferrent. Meminiſſent Chriſti Domini verba, qui Apoſtolos ſuos ad prædicanda Euangelicæ Legis oracula ſine pera, & pecunia, & unica contentos tunica ire voluiſſet. Proinde domeſtica commoda obliti ſtudium omne ſuum in publicam ſalutem intenderent, ſeque idcirco populis datos intelligerent, ut eorum infirmitatibus mederentur. Quæ ut facilius agerent, ſingulos rogabat Archiepiſcopus, ut peracta jampridem Concilia ſæpius mente recolerent, nec dilabi memoriam Decretorum ſinerent, quæ ipſi condidiſſent. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* Hæc deſumpta ex ſacris literis verba tanto ardore animi repetebat, ut ſentire videretur ſe non ultra de his rebus in Concilio locuturum (*b*).

C A-

(*a*) Sic reſtituta in Urbe, & firmata religione, ante Majum menſem ſe plures dies in comparandam Concilii futuri ſupellectilem collegit, atque in Vicum-Boldonum profectus eſt.

(*b*) Revera ultimum illud fuit a Carolo congregatum Epiſcoporum ſuorum Concilium, in quo ad ſummum ſanctitatis apicem eos aſpirare voluit, cum ſapientiſſima monita ſua illis proponeret. Præter jam commemorata reperio in hoc Concilio actum, ut effreni Feudatariorum S. R. Imperii licentiæ modus tandem aliquis in Provincia ſua imponeretur. Siquidem paulo poſt peregrinationem Taurinenſem ab Epiſcopo Derthonenſi percontari ſtuduit, quibus hac in parte malis Diœceſis ſua laboraret hiſce literis: „ In proximo Concilio Provinciali VI. habitus „ eſt ſermo inter Reverendiſſimos Patres de impe„ dimentis, quæ aliqui Provinciæ noſtræ Epiſcopi „ in Eccleſiæ adminiſtratione ab Imperii Feudatariis „ aliquando patiuntur. Quamobrem Amplitudini Tuæ „ Reverendiſſimæ, quæ hujuſmodi Feudatarios plures „ in Diœceſi ſua habet, ſignificandum duxi, ut quid„ quid eſt ejuſmodi ad me quamprimum, quamque „ diligentiſſime perſcribendum curet; dabo enim ope„ ram diligenter pro meo erga Provinciæ noſtræ Ec„ cleſias Archiepiſcopali ſtudio, ut remedium illis „ impedimentis adhibeatur; cujus rei ex ſententia „ conficiendæ opportuna ſe nobis occaſio offerre vi„ detur, quod in præſens Comitia Imperialia Augu„ ſtæ Vindelicorum habentur, neque deerit Reve„ rendiſſimi Epiſcopi Vercellenſis Comprovincialis no„ ſtri, & apud Rodulphum Imperatorem Apoſtolici „ Internucii egregia fides, & ſolicitudo &c. “ Itaque cum has literas accepiſſet Derthonenſis longam malorum ſuorum iliadem recitavit, cujus partem dumtaxat ad ſpecimen decerpo: „ Hinc fit, ut Ju„ riſdictio Eccleſiaſtica in his Regionibus male ex„ erceri poſſit, & non ſolum mandata Epiſcopi au„ ctoritate contemnantur; ſed etiam, quæ ex Sum„ mi Pontificis juſſu conceduntur, minime admit„ tantur, Nuncios plerumque male mulctando. Sa„ cerdotes malos tuentur, bonos vero oderunt, per„ ſequuntur, injuriis afficiunt, cædunt, vulnerant, „ & impune interficiunt; unde ſicarius, & ſacrilegus „ inſignis tutiſſimam in iis locis ſtationem habeus, „ egregiam ſibi laudem dari putabat, quod XXXIII. „ Sacerdotum interemptor prædicaretur &c. “ Quare ocyus his, aliiſque malis conſulturus Carolus publico Epiſcoporum Comprovincialium nomine ad Imperatorem Rodulphum ſcripſit has literas.

Sacra Cæſarea Majeſtas.

„ CÆſareæ Majeſtatis Tuæ pietas, & religio ubique „ terrarum ita elucet, ut in Ea Eccleſiæ Dei, ip„ ſiuſque miniſtris plurimum præſidii jure optimo „ conſtitutum eſſe videatur. Quamobrem ego, & „ Provinciæ meæ Epiſcopi fidenter ad eam confugi„ mus, ut nonnullis incommodis, quæ ab aliqui„ bus Sacri Imperii minoribus Feudatariis, Eccleſiis „ noſtris, noſtræque adminiſtrationi inferri ſolent, „ Ipſius auctoritate proſpiciatur. Qua de re, quoniam „ ad Reverendiſſimum Epiſcopum Vercellenſem In„ ternuncium Apoſtolicum virum ſumma pietate, „ & prudentia præditum, mecumque benevolentia, „ & neceſſitudine conjunctiſſimum literas Synodales „ dedimus, ut cum Majeſtate Tua agat; Ego tan„ tummodo Ipſam etiam atque etiam rogabo, ut hanc „ cauſam eo religionis ſtudio complectatur, quod ad „ reliquas Dei res quotidie ſumma cum laude, & „ merito conferre ſolet. Faciet enim quod eſt pro„ prium, præcipuumque Imperatoris, ut Eccleſiam, „ ipſiuſque jura tueatur: Faciet quod ſemper ab Au„ guſtiſſima Auſtria Familia obſervatum fuit; quæ „ cum ſemper eximio pietatis ſtudio exarſerit, ſum„ maque in Eccleſiam obſervantia, ſideque extite„ rit, merito quidem tot ornamentis, decoribuſque „ a Divina Beneficentia cumulata cernitur: Ac præ„ terea Divino cultui, & honori maxime conſulet; „ noſque & multis moleſtiis liberabit, & ſibi ſum„ mo beneficio in perpetuum devinciet. Interim „ Deum precamur, ut eam perpetuis gratiæ ſuæ „ muneribus augeat. Mediolani &c.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Splendidus apparatus, & pompa deſcribitur, qua Sancti Simpliciani, aliorumque Sanctorum Corpora in lucem extracta per Urbem detulit.

1582. VIdeo nonnullos eorum, qui ad hanc Hiſtoriæ partem pervenerint, mente repetituros, quod per ea tempora in ore Mediolanenſium fuit: eum videlicet fuiſſe Carolum, qui nec vivos quieſcere, nec mortuos ſineret. Quod ita intelligi jus, faſque erat; noluiſſe illum aut improborum animas vitiis ſuis turpiter indormire, aut Sanctorum Reliquias ignotis in tumulis indecore deliteſcere. Sed neque inficior, tot ejuſdem generis repetita ſolemnia faſtidium creare legentibus poſſe. Verum, ut Livii verbis utar, quiſnam ſit ille, quem pigeat multitudinem rerum præclare geſtarum ſcribendo, legendoque perſequi, quæ nec illas gerentes fatigaverunt? Aram maximam renovaturi Caſſinenſes, Comenſi portæ proximiores, cum veterem dejeciſſent, loculi apparuere Simpliciani primùm, nec non Benigni, Ampellii, ac Geruntii (*a*) Mediolanenſium Anti-

(*a*) Ex his Sanctis Archiepiſcopis Ampellius Ambroſianam rexit Eccleſiam magna cum ſanctitatis fama ante exitum Seculi VII. Sed SS. Geruntii, & Benigni adminiſtratio in Seculum V. eſt rejicienda: & utriuſque memoria extat apud Ennodium Epiſcopum Ticinenſem. Multa extant hujus poſtremi merita in Urbem Mediolanenſem; præſertim cum regimini admotus fœdata omnia Barbarorum cladibus, & funeſtata invenerit. Gluſſianus eumdem Sanctum Benignum familiæ Bentiæ adjudicavit, quod mihi mirum certe accidit, cum ad manus venerit Sancti Caroli ipſius teſtimonium, qui eum Nobiliſſimæ Boſſiorum familiæ adſcribendum luculentiſſime judicavit. Vacat teſtificationis hujus cauſam referre, & teſtificationem ipſam integram reddere, quæ ad hanc etiam Translationem, de qua agimus, ſpectat. Itaque cum latentia in S. Simpliciani Templo Sanctorum Oſſa erueret Cardinalis, & diligenter recognoſceret, reperit ſtemma quoddam, ſeu ſigillum parvum antiquiſſimum, in cujus extremo limbo inſignia Boſſiæ Gentis, imo (quod miremur magis) cognomen, & dignitatis index Mitra apparebat. In hunc modum concepta legebantur verba:

* BEN : : : VS . BOSS. EPIS. MED.

Repertum ſigillum hoc Novarienſi Epiſcopo ex Boſſiorum item Familia dono miſit, quod cum Ægidius Boſſius ex Defuncti fratre filius reperiſſet inter Sanctorum Lypſana, quæ a Patruo aſſervabantur, enixe rogavit Borromeum, ut rem totam, prout acta erat, ſcripto, & auctoritate ſua confirmaret. Annuit Cardinalis, & ſequentes literas dedit pergamena charta exaratas.

Illuſtri, & Egregio Viro Ægidio Boſſio ex Collegio Judicum Mediol. J. P. & in Civitate Cremona Fiſci Patrono, Affini Dilecto,

Carolus Cardinalis Borromeus Mediol. Archiepiſcop. S. D.

„ NOvariam venimus, ut Epiſcopo Fratri dileciſ-
„ ſimo ultima caritatis, & amoris obſequia, exe-
„ quiaſque præſtaremus. Quod debebamus amico, &
„ affini libenter perſolvimus. Petis nunc tu, ut antequam recedamus, velimus aliquo documento profiteri ad Familiæ tuæ decus, Sigillum ſignatorium ferreum Sancti Benigni Archiepiſcopi, ſeu tunc Epiſcopi Mediolanenſis, quod tu inter Reliquias Sanctorum, quæ a dicto Patruo tuo aſſervabantur, reperiſti, fuiſſe a nobis penes Corpus Sancti Benigni adinventum, &, quod ipſe Patruus tuus aſſeverabat, illi a nobis donatum. Nos igitur nunc hiſce noſtris literis, donec firmius documentum concedere poterimus, atteſtari non recuſamus, Sigillum hoc a te ſic repertum, & nobis nunc exhibitum; quod eſt Sigillum ferreum, parvum, vetuſtiſſimum, in quo inſignia Familiæ Boſſiæ cum Mitra Epiſcopali illæſa adhuc, & nomen Sancti Benigni (licet illud ex rubigine tribus in literis deficiat) cognomen, & dignitatis titulus conſpiciuntur, fuiſſe a nobis inventum in capſula, in qua prædictum Corpus Sancti Benigni erat reconditum, tempore, quo in Eccleſia Sancti Simpliciani Mediolani aliqua Sanctorum Corpora, poſt devotam ſupplicationem a nobis ordinatam, fuerunt translata, & digniori in loco collocata. Quod Sigillum, a nobis ſic acceptum, poſtea Franciſco Boſſio Epiſcopo Novarienſi (cui Deus gloriam largiatur) Patruo tuo, & affini noſtro dilectiſſimo, ex antiquiori, & nobiliori ſtipite Familiæ Viris, tunc dignitate, virtute, & probitate digniori meritò donandum cenſuimus, prout illud per Sacerdotem familiarem noſtrum ad illum miſimus; Quod ut inter cariores res, devotionis pignus, & nobilitatis Familiæ tuæ documentum colere, ac venerari perpetuo debes. Vale.

Novariæ MDLXXXIV. XII. Kalend. Octobris.

Carolus Card. Borromeus
Archiepiſc. Mediol.

Sed in hac ſubſcriptione vereor ne aliquod mendum irrepſerit; Unum ego apographon legi typis editum a Nob. Fabricio Boſſio. At ſe Carolus eo tempore Cardinalem S. Praxedis, non vero Borromeum ſubſcribebat, ut jam alibi ad annum MDLXXV. adnotavimus. Scio plura alia ab Eruditis poſſe in controver-

Digitized by Google

Antiſtitum oſſa continentes. Proximi erant Siſinii, Martyrii, & Alexandri (*a*) cineres, qui a Vigilio Epiſcopo ad prædicandum Euangelium dimiſſi, Tridentinas Alpes ſuo ſanguine conſecrarant. Nunquam alias in celebrandis Sanctorum honoribus, quorum Corpora recenter inventa erant, tanta Caroli ſolicitudo, & Civium magnificentia fuit. Inclytum erat Simpliciani nomen ſplendore virtutum, & magni Ambroſii familiaritate (*b*), cujus ſententia dignus Mediolanenſi Pontificatu fuerat judicatus. Augebant famam Carthaginienſis Synodi ad ipſum de graviſſimis rebus miſſa legatio, &, præter alia multa, Victorinus Rhetor ab Idolorum ſuperſtitione ad Catholicæ Fidei cultum redactus, cujus maxime exemplo Auguſtinus Manichæorum errores, in quibus antea verſabatur, abjecerat. Haud ſecus commoverat Mediolanenſium animos Siſinii, Sociorumque memoria, non ob martyrii modo celebritatem, verum etiam ob eximia beneficia, quæ illorum patrocinio accepta referebantur. Quæ vero hæc beneficia fuerint paucis referre gratum fore legentibus arbitror.

Diruta Urbe, Federicus Ænobarbus cum excidio Patriæ irritatos magis, quam fractos civium animos intelligeret, infeſto exercitu rediens prope Legnanum conſederat, eodem prorſus furore hominibus minitans, quo paulo ante adverſus mœnia uſus erat. Modico ab hoſte intervallo ſtativa habebant Mediolanenſes, quorum multi, juramento interpoſito, fidem dederant, ſe nonniſi victores ex acie receſſuros. Quarto Calendas Junii, quæ plane dies dicata his Martyribus erat, cum ad eorum Aram Sacra

troverſiam vocari de hac narratione. Verum jam ante objecta fuere Marchioni Fabricio Boſſio temporibus Urbani VIII., cum excitata inter Boſſios, & Bentios controverſia eſſet; qui libello typis edito diluere conatus eſt ſingula. Quare Nobiliſſima Boſſiorum Gens tanta Caroli ornata beneficio multis ſe Eidem obſtrictam nominibus olim teſtata eſt, & novis ſemper obſequii teſtificationibus parem Sancto Affini ſuo honorem rependere ſtuduit: ut qui in eam familiam ſanctitatis laudem intulit, maximam etiam ab eadem nobilioris cultus gloriam referret. Per hos enim ipſos dies, quibus hæc ſcribimus, Excellentiſſimus Marchio D. Galeaz Boſſius Urbis noſtræ Præfectus decrevit beate Civitatem noſtram pulcherrimo ſpectaculo, excitans etiam Decurionum Cœtum Ampliſſimum, ut admoverent efficaces preces vigilantiſſimo Paſtori noſtro Joſepho Cardinali Puteobonello pro Sacris Borromei Exuviis quam magnificentiſſima Supplicatione per Urbem circumferendis, antequam ſuo luculentius ornato ſepulcrali Sacello reſtituerentur, quò potentiſſimis tanti Patroni præſidiis atque auſpiciis Auguſtiſſimæ Auſtriacæ Familiæ dignitas, & majeſtas amplificetur, & Urbis item, ac Provinciæ Mediolanenſis felicitas vigeat, atque augeatur.

(*a*) Horum SS. Reliquias penes nos eſſe vix quiſpiam dubitaverit, teſtante Paulino in Vita S. Ambroſii, ſuis temporibus eas eſſe Mediolanum translatas in hæc verba: „ Siſinii, & Alexandri Martyrum, „ qui noſtris temporibus, hoc eſt poſt obitum S. Am„ broſii, in Anauniæ partibus, perſequentibus Gen„ tilibus, Martyrii coronam adepti ſunt, cum Re„ liquias Mediolani ſumma cum devotione ſuſcipe„ remus, adveniente quodam cæco, & referente „ cognovimus, qui eodem die tacto loculo, in quo „ Sanctorum Reliquiæ portabantur, lumen recepit.“ An vero integra hic eorum corpora aſſerventur, ægre ſtatuerem; cum Carolus a Baſilica-Petri, qui huic Inventioni interfuit, capita, & nonnulla oſſa minime reperta affirmet. Hæc probabiliter Tridenti remanſere, unde ad nos reliqua pervenerunt; quare querela aliqua audita eſt Tridento, cum hæc Tranſlatio fieret; cum Cardinalis Madrucius ejus Urbis Princeps, & Epiſcopus conatus ſit per Epiſtolam a Paulo Gerardino conſcriptam, leniter apud Borromeum dolere de adempta ſibi horum Martyrum poſſeſſione, quam levibus tamen rationibus ſibi adjudicare tentavit. Luculentius etiam, quam Gluſſianus, & a Baſilica-Petri, imo enucleatius exponit, quid de his Sanctis Martyribus repertum hac occaſione ſit, D. Placidus Pucinellus Caſſinenſis Decanus poſt vitam Sancti Simpliciani a ſe Italico ſtylo conſcriptam. Narrat idem Scriptor: Tridentinum Epiſcopum Madrucium ſeniorem, quando Mediolanenſi Provinciæ Gubernator præerat, quotannis ad Eccleſiam S. Simpliciani accedere conſueviſſe die ſacro prædictis Martyribus, & Pontificali Ritu Sacrum ibidem peragere. Hoc certe ſi Madrucius junior reſciviſſet, nullam movere poterat de poſſeſſione noſtra controverſiam.

(*b*) Hanc cum Ambroſio Simpliciani conſuetudinem tanti fecit Carolus, ut in literis invitatoriis ad Cardinalem Paleottum datis Sanctum hunc alterum ab Ambroſio Mediolanenſis Eccleſiæ Patrem, ac Magiſtrum appellare non dubitaverit. Audi etiam quàm magnifice de illo ſenſerit in Epigrammate, quod affixum pendenti Tabulæ legebatur, dum hæc celebritas ageretur.

Mihi eſt Ambroſius Pater Patronus:
Illi tu Pater, & mihi quoque idem.
Te in primis igitur colam ut Parentem;
Tamquam deinde Patris Patrem & Patroni.
Ita ſi aſpiciam Paterna jura;
Eris bis Pater, & jemel Patronus.

Exactiora etiam S. Simpliciani ſanctitatis teſtimonia commemorantur in Paſtoralibus ad populum Literis de hac Tranſlatione datis, & relatis in Acta Mediol. Eccleſiæ.

Digitized by Google

Sacra agerentur (*a*), tres inde Columbas in Mediolanenſium caſtra evolaſſe traditur, atque in Prætorii Vexilli apice conſediſſe: Erectos eo portento milites conclamaſſe ad arma; & tamquam certo victoriæ omine accepto, non ultro inhiberi potuiſſe, quo minus in prælium provolarent. Poſtquam ancipiti marte aliquandiu pugnatum erat, additur, Cæſarem ipſum ſubfoſſo equo prope in acie captum: mox amiſſo exercitu fugam trans Alpes arripuiſſe, nec ultra auſum Inſubrum arma tentare (*b*). Hæc nota Urbi, ac renovata literis monimenta beneficiorum Civium animos excitarere, ut Clariſſimorum Præſulum, & Martyrum reliquiis, quorum illi Rempublicam a vitiorum incurſu; hi ab hoſtium furore defenderant, pares meritis honores perſolverent. Cardinalem in primis ſumma cœperat cura, ut ſacra pignora, quanta maxime poterat, pompa in publicam lucem prodirent. Non enim contentus Epiſcoporum numero, qui nuper Provinciali Concilio interfuerant, Hyppolitum Rubeum, & Cardinalem Paleottum, illum Ticini, hunc Bononiæ Antiſtitem amice rogavit, ut honores, quos tutelaribus Eccleſiæ ſuæ Luminibus parabat, interventu ſuo cumulare dignarentur (*c*). Etiam ad circumjectas Metropoli Urbes Paſtorales literæ miſſæ, quæ illarum Populos in partem lætitiæ invitarent, & cæleſtium donorum, quæ Summus Pontifex large conceſſerat (*d*). Ad VI. Calendas Junii indicta ſupplicatio eſt, deſignato in ipſam ad quatuor milliaria viarum circuitu, quo latius explicandis ordinibus, & confluenti ad ſpectaculum multitudini ſpatium foret.

At ubi deſtinatus dies illuxit, tunc denique compertum eſt totius Urbis ambitum ægre advenarum frequentiæ ſufficere. Sacerdotes quotquot intra duodecimum ab Urbe lapidem numerabantur edicto invitati, popularium ſuorum agmen trahebant; adeoque vicos omnes impleverant, ut vix egreſſus in publicum Civibus ipſis pateret (*e*). Multos quoque ab ultimis Provinciæ finibus adduxerat non modo religio,

(*a*) Ceterum, ut Puricellus ſcribit in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 550., ante congreſſum exercituum, Columbæ tres ab ipſorum Martyrum Altari avolavere, atque ſublimes in malo ipſius Currus Prætorii, vulgo *Carroccii*, conſedere. Felici omine accepto, Mediolanenſes rati devolaturam divinitus in ſinum victoriam, incredibili ſtudio atque alacriter prælium inierunt, & caſtris hoſtium captis nobiliſſimam victoriam reportarunt. Hoc ipſum teſtatur, præter Puricellum, Sigonius, Galvaneus Flamma, Donatus Boſſius, & Georgius Merula, ex quibus ſe hauſiſſe fatetur Puricellus. Perſeverat feliciſſimi augurii, & victoriæ memoria in Columbis tribus, & palmis in ejus Monaſterii ſtemmate ad noſtram uſque ætatem impreſſis.

(*b*) In ejus victoriæ memoriam retinetur adhuc mos inductus anno MDXCVI., ut quo die horum Martyrum memoria colitur, Urbis noſtræ Ædiles cum Artificum comitatu ad eam Baſilicam ſolemni pompa procedant, & rei Divinæ interſint.

(*c*) Paleottum cum rogaret, ut huic celebritati intereſſet, propoſuit imitandum Sancti Ambroſii exemplum, qui Bononiam iverat, dum SS. Vitalis & Agricolæ corpora transferrentur: Scripſit inſuper: *decere admodum Epiſcopos inter ſe frequentius convenire; quemadmodum primi Eccleſiæ Patres paribus de cauſis conſueverant.* Honorifice deinde venientem excepit, procedens in ejus occurſum ad quartum ab Urbe lapidem. Narrat autem Seneca in Tabulis: Carolum, cum extra Portam Romanam venturum Paleottum opperiretur, interim de ſacris quibuſdam rebus ſermones cum ſuis domeſticis inſtituiſſe ad ruſticum mapale ligneo ſcamno inſidentem. Præter Paleottum officia ſua admovit Veronenſi, & Patavino Epiſcopis, imo ipſi Cardinali Ghislerio, tum in Alexandrino agro degenti, ut ſcilicet venire Mediolanum hac occaſione non gravarentur. Luciagorum quoque Brixienſium religionis memor, Hieronymum & Alexandrum ex ea familia ſibi perquam caros, ut celebritati huic intereſſent, per literas excitavit. Hi tamen omnes, ſi unum Paleottum excipias, variis de cauſis adeſſe non potuere; quin etiam Concilium Ravennæ indictum ademiſſet Paleottum, niſi ab illo regrediens, citatiſſimo itinere huc convolaſſet. Comes etiam Federicus Borromeus Ticino evocatus adfuit, a Sancto Patruele documenta pietatis hauſturus, atque erudiendus hac pompa, quo ſplendore ſibi poſtmodum in Ambroſiana Eccleſia ſedenti paria eſſent exhibenda religionis ſpectacula.

(*d*) Extant hæ literæ, quas primo ad Mediolanenſem populum dedit, typis editæ inter Acta Eccleſiæ noſtræ. Verum ad pompæ cumulum Sanctium Ghevaræm Inſubriæ Præfectum permovere conatus eſt, ut Regiis expenſis magnifico Arcu extructo, augere Sanctorum gloriam contenderet; juberetque feſtivo tormentorum bellicorum fragore ex Arce plaudi. Nullum tamen ad vota paratiorem habuit Borromeus, quam Monaſterii illius Præſidem Seraphim Fontanam, qui XVI. Abbatum & CC. circiter Monachorum ſuorum coacto agmine, eam celebritatem liberalitate, & præſentia ornarunt.

(*e*) *Tanta convenit hominum multitudo*, ſcribit Carolus a Baſilica-Petri, *ut viæ circiter millia paſſuum decem ab Urbe plena conſpicerentur.*

Digitized by Google

gio, verum etiam cupiditas ſpectandi apparatus, cui nunquam parem Mediolani fuiſſe fama vulgaverat (*a*). Et is ſane erat rerum omnium aſpectus, qui neminem pœnitere ſuſcepti itineris ſineret. Tapetes, & aulæa auro fulgentia, & cuſtodita alia in nobilium penetralibus oblectamenta ſuperbiæ, nunc ornamenta viarum erant; quin pauperes ipſi, dato in conſpectum, ſi quid in domeſtica ſupellectile ſpecioſius apparebat, divitum ſtudia æmulari conabantur. Multa paſſim Altaria elegantер inſtructa occurrebant, quorum omnium pompam longe ſuperabat Ara in propatulo ante Braydenſes Ædes poſita, quæ omni magnificentiæ genere pietatem ſimul, & opulentiam Collegii teſtaretur. Qua publici Conſilii ſedes in meditullio Urbis erigitur, nihil aptius cenſuere Decuriones, quam ſi partam de Ænobarbo victoriam oculis exhiberent. Profugus Cæſar, & vix multo ſuorum ſanguine vitæ periculo ereptus, ſtrata Germanorum cadaveribus arva, terribileſque aliæ pugnantium formæ pictorum artibus affabre expreſſæ inter incitamenta publicæ hilaritatis acceſſerant; imo inter grati animi argumenta erga Cælites, qui hanc Patriam ab hoſte infenſiſſimo liberaverant. Sed nullibi auguſtius majeſtas, & gloria Civitatis, quam circa Archiepiſcopi Palatium eminebat. Diſpoſitæ in ordinem tabulæ nomina, & ora Præſulum omnium referebant, qui a Sancto Barnaba ad eam uſque ætatem Mediolanenſi Eccleſiæ præfuere [*b*]. Cives plerique noſtri erant; multique eorum radiato capite inſignes in ſe omnium oculos, laudeſque converterant. Hanc fortaſſe Prædeceſſoribus ſuis gratiam referre Carolus voluerat, ut uno eodemque die aliorum cineres, aliorum imagines triumpharent.

Inter hæc tanta venerationis, & gaudii teſtimonia ab Simpliciani ad Templum maximum ſupplicatio proceſſit. Neque ego aut ſplendorem Ordinum, qui ſupplicationi interfuere, aut utriuſque Templi ornamenta explicare aggrediar, quæ ut relatu difficillima ſunt, ita facile ex reliquo Urbis apparatu conjicere quilibet poteſt. Quam enim magnificentiam in ſacrorum cultu fuiſſe credendum eſt, cum tanta in foro, triviiſque fuerit? Per opaca penſilibus linteis compita, & triumphales arcus laicorum primum Sodalitia ſuis unaquæque diſtincta Vexillis anteibant; hos Cœnobitæ univerſi, quos inter ducenti Caſſinenſes Monachi, mox Canonicorum Collegia, præmiſſa agreſtis Cleri multitudine, ſequebantur. Proxime veniebant Epiſcopi ſacra Lypſana humeris ferentes, ſuccedentibus invicem oneri Abbatibus, quorum ſexdecim ex aliis Caſſinenſium Monaſteriis permoti Archiepiſcopi precibus, & ipſa rei celebritate convenerant. Poſtremi omnium Cardinales reſervaverant humeris ſuis incluſum argentea theca Simpliciani caput, quod pene intactum infenſa marmoribus ipſis ævi injuria reliquerat. Gubernator, & Senatores, ceterique Magiſtratus clauſerant agmen: collato in unum quidquid gloriæ, ac ſplendoris afferre miniſterii, aut generis nobilitas poterat. Ceterum nihil in tanta pulcherrimarum rerum multitudine ſpectabilius Caroli patientiâ fuit. Sacris enim Cineribus in priſtinam Ædem relatis: cum Epiſcopi, & Abbates clanculum e Templo in Monaſterii ſepta ſecederent labentem ſpiritum modica dape, aut quiete revocaturi; Ipſe Divinis

(*a*) Videtur ſolemni hac pompa Carolus Translationum omnium ſuperiorum ſplendorem viciſſe; imo etiam Romanam celebritatem ſuperaſſe, quæ anno MDLXXX. habita fuerat, dum S. Gregorii Nazianzeni Corpus in Alma Urbe circumferretur. Lego enim in Ejus Epiſtolis ſummo ſtudio poſtulatam a Speciano illius pompæ deſcriptionem, quam fortaſſe ſibi vincendam propoſuit animo, aut ſaltem imitandam, ut teſtatus eſt in Paſtoralibus literis; quandoquidem religionis magnificentiâ nulli certe Bor-romeus concedebat.

(*b*) Omnia nimirum ſuperiorum Antiſtitum decora ſemper præ oculis Carolus habebat, ut imitaretur univerſos. Equidem Patrum ſuorum parem imitationem Provincialibus etiam Epiſcopis paulo ante in Synodo propoſuerat; quandoquidem quo in loco illi congregabantur ad Seſſiones habendas, eorum SS. imagines, qui tamquam Patroni colantur in ſingulis Provinciæ Eccleſiis, præfigi juſſerat.

Digitized by Google

nis Pontificali ritu operatus, & sermone ad Populum habito, non antea mensæ cum ceteris accubuit, quam duodecim pauperes ministerio suo, & epulis refectos dimisisset (*a*). Tertio denique die ad reponendas in Ara maxima Sanctorum Reliquias rediit, in quarum adoratione Pius Camutius tunc sacelli custos jurejurando affirmavit: Eum quinquaginta horas intra tam breve temporis spatium in Sancti Simpliciani Templo perstitisse (*b*).

CAPUT XV.

Sancti Joannis Boni Ossa in nova a se extructa Ara honorifice collocat: deinde Clero, qui Concilii causa convenerat, dimisso, Augustam Taurinorum pergit cum Paleotto Cardinali itineris Socio assumpto, ut Sacri Lintei conspectu oculos, & animum pascat.

1582. POstridie ejus tridui, de quo antea dictum est, sacrum aliud institutum ab Attilæ usque temporibus in Ambrosiana Ecclesia triduum sequebatur. Vix credibile erat, post gravissimos hesternæ supplicationis labores satis virium tot aliis supplicationibus obeundis, quas ejus instituti ratio postulat, Archiepiscopo superesse. At Ille, duabus horis somno datis, media nocte in Templo adfuit: tum Matutinis precibus absolutis, peractaque cinerum distribuendorum cæremonia (*c*), Templa omnia adire non destitit, quibus mos est Superum opem ad Urbis custodiam invocari. Et quamquam longitudo viæ per se ipsam gravis in fesso corpore erat; nullum tamen diem præterire passus est, quin e suggesto diceret, & Altaris Mysteria eâ, qua solebat, majestate perficeret. Domum inde reversus, haud aliter afflictas matutinis exercitationibus vires, quam curarum mutatione recreavit. Redîtum ad Sancti Simpliciani Ædem est: parata ad proximam Synodum quæstionum capita: Joannis Boni sanctissimi Urbis nostræ Archiepiscopi compositæ in arca Reliquiæ, quas subsequente Litaniarum solemnia die ex semiruta Sancti Michaëlis Æde in Templum maximum transtulit (*d*), atque in Ara ejus nomini extructa honorifice collocavit. Hæc ejus tridui

(*a*) Exitum hunc Supplicationis habemus ex Carolo a Basilica Petri, qui rem descriptam sic deinde concludit: „ In Ædibus Monachorum, ut commo„ditatis gratia constitutum erat, Præsules mansere; sed priusquam ipsi accumberent, duodecim „ pauperibus accumbentibus stantes ministrarunt; „ interim eos salutaribus verbis cohortantes, spi„ ritualemque cibum corporeo adjungentes. Cum „ denique ipsi quoque cibum caperent, eumque „ minore, quam pauperibus suppeditatus fuerat, co„ pia ex Provincialis Decreti moderatione: *venia*, „ Carolus inquit, *dari potest inopum gratia, si „ præcipuum cibi modum transivimus; nostri verò „ causa non item.*“ Addo etiam ex MS. Diario Joannis Pauli de Clericis, Cardinalis manu post convivium singulos ex iis pauperes nummo aureo donatos hilariter discessisse.

(*b*) Publico nimirum cultui exposuerat prostantia in Templi Ara maxima SS. Corpora ad XL. oras, quo tempore oculos, atque animum eorum aspectu continenter saturavit Sanctus Antistes. Certe ambigo, utrum plus Sanctorum, quorum Lypsana ferebantur, an Caroli sanctitas in hac celebritate triumphaverit. Refert enim idem Camutius juratus testis, filium quemdam a Dæmone jamdiu vexatum, pro cujus salute diuturnam ipse etiam operam perdiderat, hoc tempore teterrima illa peste liberatum propter unum Cardinalis benedicentis occursum. Adeo magis timenda inferis erat in Sanctorum aliorum conspectu Caroli sanctitas; quemadmodum, Paulino teste, dum ad Basilicam Apostolorum Sancti Nazarii Corpus translatum esset, quidam de populo repletus spiritu immundo clamavit: *se torqueri ab Ambrosio.*

(*c*) Intellige Rogationes Triduanas, quas Ambrosiana Ecclesia per Sacrorum Cinerum distributionem auspicatur.

(*d*) Geminas Sancto Michaëli dedicatas Ædes, & vetustate fatiscentes everti Carolus jussit. Aliam S. Michaelis *ad Murum ruptum* jam a Pontificatus sui initio; alteram S. Michaelis *sub Domo*, idest ad Campum, qui Sanctus appellatur, hoc tempore. Equidem jam anno superiore jus omne Parœciæ hujus in Metropolitanum Templum transtulerat, in quo Parocho etiam Sacrorum administrationem, pluribus contra nitentibus, imperaverat. Causam consilii hujus habemus ex Epistola ad Specianum data anno MDLXXXI. pridie Idus Januarias: „ Habebis Epi„ stolæ adjuncta documenta quædam, quæ, dum „ Brixiæ essem, Cardinali Maphæo transmittenda „ spoponderam. Ea spectant ad causas, propter „ quas dirui præstat S. Michaëlis Templum Jam„ diu molior ejus Ædis Sacra in Metropolitanam „ transferre, & reditibus illius Præfecturæ conflare „ census, quibus tertia Parochi dignitate hæc „ Basilica augeatur. Huc pariter transferentur S. „ Joannis Boni exuviæ, cum illic in miserrimo „ sarcophago consepulta etiam ejus memoria deli„ te-

tridui ſpatio (*a*) geſta: quodque mirabilius eſt, vim tot rebus agendis nocturnæ vigiliæ, prandiaque, & cœnæ arcto pane, & aqua inſtructa præbuere.

Morabatur interim adhuc Mediolani Cardinalis Paleottus captus, ut reor, tot Paſtoralis diligentiæ exemplis, cujus etiam imitandæ ſtudioſiſſimus fuit. Eum Carolus ad Pontificii muneris curas multoties adhibitum (*b*) Diœceſano Concilio, quod ad nonas Junii indixerat, intereſſe voluerat, rogaveratque, ut ſacris hominibus ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium excitandis dignum aliquid eloquentia ſua depromeret. Ille ex ſuggeſto de Sacerdotalis officii dignitate, & oneribus pauca præfatus, ad Caroli laudes paulatim deflexit: & quamquam omnes humanæ gloriæ illecebras moleſte ab Ipſo accipi ſciret; maluit tamen oneroſus modeſtiæ, quam parum æquus virtuti Ejus videri. Nec tamen hanc ſpecioſiſſimæ fraudis moleſtiam inultam abire Carolus voluit. Quin poſtero die Dominicum Ferrum (*c*) Metropolitani Collegii Theologum ex eodem ſuggeſto dicere juſſit; ac tantumdem laudis Paleotto rependere, quantum ab ipſo pridie accepiſſet. Jucundiſſimum ſane id urbanitatis certamen inter duos Clariſſimos Cardinales auditoribus fuit; quippe cum nulla adulatio ſubeſſe in tam perſpicuis virtutibus poſſet: & maxima quidem de utriuſque erga Rempublicam meritis, ſed vera dici viderent.

Inter hæc iterum ſuborta cupiditas inviſendæ Sanctiſſimæ Syndonis, cujus imaginem, ex quo primum Taurino redierat, ſemper infixam animo geſſerat. Diuturnæ patientiæ in tot oneribus ſuſtinendis id plane ſolatium fuit; atque eo jucundius, quod Paleottum ipſum benevolentia, & morum ſimilitudine conjunctiſſimum itineris ſocium habuit (*d*). Ambo ſimul profecti editis, quacumque irent, Apoſtolicæ ſanctitatis exemplis (*e*), ut Principem Pedemontii

„ teſcat. Aliquot jam menſes aguntur, ex quo Pa„ rochi miniſteria in mea Baſilica pro poteſtate juſſi „ exerceri. Plures id facile paſſi ſunt; licet non„ nulli adhuc pro virili obſiſtant. Ego ne quem„ piam læderem, ſtatui Sacrum quotidie peragi in „ minore illius Ara, quæ ceteris minus indecora „ videtur, quoad Templum hoc ſtabit; ſed, illo „ everſo, molior aliam ad illud Sacrum peragendum „ Ædem ſubſtituere ad Civium, & Captivorum com„ modum, qui in carcerem *Maleſtallæ* nuncupa„ tum conjiciuntur.

(*a*) Feria V., ſubſequente nimirum Rogationum dies, perhonorifica Supplicatione S. Joannis Boni oſſa in Metropolitanam Baſilicam tranſtulit, quæ in Ara S. Michaëli paulo ante dedicata repoſuit, uno dempto capite, quod argento tegendum reſervavit.

(*b*) Nulla Paleotto Mediolani degenti dies fuit ſine linea. Suadente Carolo, pueros Sacro Chriſmate munire, Oblatos inviſere, obire Seminaria, Societatis Doctrinæ Chriſtianæ Inſtituta recognoſcere, ad Templa nobiliora pergere, Sermones habere ad populum, hæc illi oblectamenta fuere. Mens præterea erat Borromeo, cum eodem ad Varalli Montem divertere, & celebriora Diœceſeos loca obire, ut Ipſe ſcripſit; ſed major Sacræ Syndonis inviſendæ cura, atque inſtans ſacer SS. Petro & Paulo dies, ad quem Bononiæ eſſe Paleottus ſtatuerat, percipiendam ab utroque piam hujuſmodi voluptate n ademere.

(*c*) Hic ille Dominicus Ferrus Viterbienſis eſt, cujus opera paratiſſima uſus eſt Carolus ſemper. Illum vix inter Oblatos cooptatum ſtudiis Seminarienſibus præfecit, juſſitque aliquot ejus Lycæi alumnos Græcis & Hebraicis literis inſtituere, atque inſuper Typographiæ inibi excitatæ præeſſe. Tot licet curis diſtentum, Concionatorem tamen Urbi dedit in Sancti Nazarii Templo, atque alibi; deinde etiam Buſtum Arſitium & Modoetiam miſit, ut aptis concionibus frigentes ad pietatis ſtudia inflammaret. Poſtmodum Metropolitanæ Baſilicæ Canonicum Ordinarium renunciavit, non autem Theologi dignitate inſignivit, ut Auctor ſcripſit; hoc enim titulo tunc gaudebat Robertus Griffidius Anglus. Fuit quidem Ferrus Theologiæ ſcientia celeberrimus, atque hac de cauſa anno MDLXXXIII. eumdem Inſtitutorem Comiti Federico Patrueli Carolus dedit in Collegio Ticinenſi, in quo etiam rerum ſummam habuit. Sed anno ſubſequente Cardinali Andreæ Bathorio Roma in Poloniam reverſuro datus eſt comes itineris, & virtutis magiſter; unde regreſſus Mediolani obiit, & nobilem Bibliothecam S. Sepulcri Collegio ſupremis tabulis legavit.

(*d*) Sub Maji exitum literas dederat Carolus ad Vincentium Laurum Montis Regalis Epiſcopum, & Pontificium apud Sabaudiæ Ducem Internuncium. In his poſtulaverat, ut Emmanuelem rogaret verbis ſuis, num viſendæ ſacræ Syndonis beneficio ſe, ac Paleottum dignaturus eſſet? Cui humaniſſime Dux reſpondit: Gratulari ſe, quod Carolum fidei ſibi Maſini datæ memorem videret, & jucundiſſimum utriuſque adventum fore; imo in eorum occurſum miſſum iri legatum Præſulem Sanfredi. Laurus autem in ſuis literis addidit, Ducem lectis literis dixiſſe: Opportunam ſibi eam occaſionem fore, ut ex Borromei manu Sanctiſſimum Chriſti Corpus perciperet.

(*e*) Novariæ nobiliſſimi hoſpites diei unius moram traxere, cum Dominica dies incidiſſet, qua, niſi graviſſima de cauſa, iter facere Carolo religioſum erat. Quid inibi actum ſit, ſcripſit ad ejuſdem Urbis Epiſcopum, qui tum Genuenſis luſtrationis curis

Digitized by Google

montii Urbem attigere, animadvertit illico Carolus mortui jampridem Philiberti Ducis magnificentiam, & pietatem in filio superesse. Quotquot enim amoris, & reverentiæ significationes quatuor ante annis acceperat, nunc sibi, & Collegæ paratas invênit. Non pompa militaris, non obsequia Procerum, non hospitalis Palatii majestas, non alia demum Regii splendoris insignia defuere (*a*), quibus in aliena dignitate honoranda suam ostentare magni Principes solent. Sed sacri Lintei aspectus ita occupaverat piorum hospitum mentes, ut vix lætitiam tantæ magnificentiæ sentirent. Divinis cogitationibus pleni in id omnes intenderant curas, ut partem earum Juvenis Principis animo infigerent, cujus prona ad religionem indoles ampliorem consiliis locum fecerat (*b*). Id cùm ex ceteris ejus virtutibus, tùm etiam ex eo apparuit: quod recurrente per eos dies Dominici Corporis Festo, Templa, viasque exquisitissime ornari, & ejusdem Corporis communione Caroli manu refici ipse voluerat, quo scilicet sciret, nihil aut Deo acceptius, aut Carolo ipsi esse jucundius. Gratiis denique actis, ac petita humanissime venia, Cardinales Pado amne devecti Casalem appulere. Haud procul hac Urbe aberat Fraxinetum, qui locus in Mantuano Principatu Mediolanensi Archiepiscopo paret. Huc igitur ad componendum Sacrorum regimen Carolus divertit: dimisso inter mutuos amplexus Paleotto, qui Bononiam reversus ea, quæ in Carolo viderat, non modo assiduis laudibus extulit; verumetiam moribus suis diligenter expressit (*c*).

C A-

curis erat implicitus. „ Novariam cum venissem, „ ad ædes tuas diverti cum Paleotto. Ibi ambo „ pransi (Dominica enim dies inciderat) pomeridia„ nas horas omnes alternis sermonibus in Templo „ Maximo transegimus.

(*a*) Idem etiam Ordo Rituum in explicanda populo Sacra Syndone fuit. Par deinde indicta XL. horarum statio: par populorum, & viciniæ frequentia: par demum Caroli, & efficacissima ad animos permovendos oratio.

(*b*) Præcipue agitatum in his colloquiis comperio de Geneva recuperanda; atque hujus dati consilii tam certa apud exteros manarunt indicia, ut dictum Romæ deinde sit: Borromeum ingentem auri summam Sabaudiæ Duci spopondisse, quo res ad exitum perduceretur. Testatur id Specianus, qui Cardinalem de fama hac dissæminata monuit. Verum tam splendidi facti tentandi animus par Carolo utique erat; sed impar dumtaxat pecunia. Quod tamen animo potuit, id certe totum præstitit. Audi quid hac super re Speciano rescripserit: „ Multum abest a „ vero, quod isthic jactatur: me nimirum Sabaudiæ „ Duci pecunias suppeditasse, quibus ad Genevam „ in potestatem redigendam copias contraheret. „ Non hoc Cardinalis S. Præsodis tenuis fortuna „ patitur; sed magnifica hujusmodi esse debent Po„ tentiorum auxilia. Par certe hisce conatibus San„ ctissimus Pontifex videretur, cui etiam animus „ in hanc rem moliendam deesse non debet; præ„ sertim cum ardens Catholicæ Fidei propagandæ „ studium in Carolo Emmanuele necessarium hujus„ modi præsidium jure veluti suo mereatur. Quod „ si aliorum Principum in hoc cessaret opera, aut „ remissior esset; ad Summum Pontificem certe „ pertineret, cujus maxime interesse debet, pestife„ rum semen ibidem extinguere, hoc præcipue tem„ pore, quo rem factam Sabaudus putat: cum per „ suos fines Regis Philippi copiæ in Belgium nunc „ magnis itineribus contendant, quæ si paululum in „ his Regionibus subsistant, nec refrigeretur Catho„ licorum, qui præfertur, ardor, & paratum insu„ per Pontificli ærarii subsidium accedat: non om„ nino difficilis fore rei exitus prudentibus Viris „ creditur. De his omnibus sane mecum Dux, & „ cum Paleotto egit. Itaque hoc unum cavendum „ est, ne felix nunc oblata occasio improvide di„ mittatur e manibus; neque enim fortasse aliàs „ opportunior objicietur. Sed funditus rem agno„ sces, si caput epistolæ, quam ad me ex Helvetia „ Chiliarca Lussius dedit, & nunc tibi transmitto, „ attentius leges. " Neque in præsens dumtaxat ista Borromei animo hæsit cogitatio; nam cum postmodum omissis violentis consiliis, rejecta essent Emmanuelis in Genevensem Urbem jura expendenda in Bernensium consultatione, & paulo post in Helvetiæ universæ Badensibus Comitiis, Carolus quantum in se fuit, conatus est pro virili Ducis partes tueri; licet irrito semper conatu.

(*c*) Sacris donis auctus, cumulatusque a Borromeo discessit Paleottus. Retulit nimirum hinc digitum S. Simpliciani, Lypsana SS. Joannis Boni, Monæ, Galdini Archiepiscoporum Mediolanensium, Henrici Higudstanni Abbatis, Naboris, & Felicis Martyrum, nonnullos Sancti Eusebii cineres, imo & partem Dalmaticæ S Ambrosii; quæ sacra Pignora in Bononiensem deinde Cathedralem Basilicam magnificentissime intulit. Verum majora se vidisse, quam domum retulisse testatus est; cum enim Bononiam reversus a pluribus rogaretur, quæ sibi de Borromeo opinio esset? hisce verbis usum accepimus: *Multa audivi: majora vidi*: RELIQUIAM VIVENTEM.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Conterminas Lucano, & Lario Lacubus Diœceſis ſuæ Montanas Regiones pedibus, ut plurimum, nec ſine vitæ periculo obit.

1582. INter innumeras paſtoralis officii curas nulla fortaſſe altius Cardinalis animo inſederat, quam ne ullam populi ſui partem neceſſariis ad ſalutem auxiliis deſtitutam relinqueret (*a*). Nec pauci ſane in finitimis Lario, Lucanoque Lacui (*b*) montibus erant, quos ſive indolis, ſive patrii ſoli aſperitas egenos ejus auxilii fecerat. Ad honeſta rudes, ad cædes, & latrocinia promptiſſimi, ſpecubus ſuis incluſi, quo remotius ab hominum oculis aberant, eo longius ab omni ſimul humanitate receſſerant. Cavarnionum præſertim, quo nomine ab ea,

(*a*) Antequam ad Diœceſim obeundam Carolum deducamus, prius ſequi Eum placet Mediolanum die XX. Junii redeuntem, unde literas acceperat a Juſtina Trivultia Eſtenſi cum precibus, ut quantocyus ad Philippum filium ſuum ægrotantem diverteret. Adeo ſibi perſuaſerat hæc nobilis Matrona ſalutarem filio hunc Borromei adventum fore, ut non poſtulaverit in epiſtola ſua, quam legi, ut Mediolanum veniret; ſed ut priſtinam valetudinem languenti præſentia ſua redderet. Facile votis indulſit pius Cardinalis, & uno ad Philippum decumbentem ſermone habito, incolumem matri filium dedit. Revera IV. Calen. Quintil. recreatus ex morbo filius ad Cardinalem euchariſticas literas dedit, quas latine hìc redderem, niſi creare legentibus moleſtiam nimia verborum copia vereret. In iis luculenter valetudinem ſuam uni Carolo refert acceptam, ſeque non minus animo, quam corpore confirmatum fatetur, poſtquam Ejuſdem monitorum medicinam ſaluberrimam accepit, dulciſſimis inſuper caritatis fructibus reſperſam. Ultimo aſſeverat: hærere adhuc menti ſuæ defixa clavo trabali Illius præcepta; neque ullum tempus fore, quo a præſcripta ſibi ſemita deflectat. Sanato Philippo Eſtenſi, nonnulla alia in Urbe breviter expediit. Decimo Calend. Quintil. ad S. Praxedis Aſceterium profectus eſt, Capuccinas Virgines verbis ſuis in Inſtituto confirmaturus, quo tempore novam etiam inter eas contubernalem cooptavit. Octavo Calend. ejuſdem ſignum S. Crucis ante S. Joannis Itolani Ædem erexit, ac rite dedicavit; excitavitque Sodalitatem Confratrum S. Marthæ in Romanæ Portæ regione. Calendis ipſis Quintilibus Orphanis pueris, atque virginibus ſub SS. Martini, & Catharinæ auſpiciis congregatis leges dedit opportuniſſimas, & XXIX. capitibus, ut patet ex Authographo ipſo, comprehenſas.

(*b*) Videntur dirimenda hoc loco appoſite jurgia inter Cll. PP. D. Aloyſium Tattum, & D. Joſeph Mariam Stampam excitata acrius ſuper hoc Borromei Porletiam verſus itinere. Hic ad Lib. X. Decadis III. Annalium Novocomenſium Tatto vigilanti ſuum objecit ſomnium; negavitque, potuiſſe Carolum hoc tempore Novocomum deflectere, cauſatus abſtinere pedem conſueviſſe ab aliena Diœceſi, quoties S. Cardinalis ſuas regiones obiret, cum gravem ſuis æque, atque exteris adventum ſuum prænoſceret. Hæc ego facile P. Stampæ concederem, niſi alia obſtarent exempla ejus ſententiæ adverſantia quammaxime. Quis enim neget, Carolum Derthonam feſtinaturum Ticino tranſire voluiſſe, aut Tiranum uſque proceſſiſſe, ac Veronam, nulla hujuſmodi itineris injecta neceſſitate? Neque vereor, ne gravis hoſpitibus Ejuſdem ſobrietas eſſe poſſet. Revera moleſtus in hac ipſa, de qua agimus, expeditione Sonvici Parocho viſus non eſt, neque Luganenſibus, apud quos fuit. Cetera autem, quæ allegat, ipſa rerum narratione diluentur. Itaque ſomniare cum Tatto malim, quam cum Stampa vigilare. Sentio enim multum ad rei veritatem accedere opinionem ſcribentium, hac occaſione ad Urbem Novocomenſem Carolum divertiſſe. Equidem conſtat, Illum ſub Nonas Quintiles Modoëtiæ ſubſtitiſſe ad biduum: poſtmodum item certum eſt ex apographo *Erectionis Præfecturæ Canturii* a me diligenter lecto, Eumdem VI. Idus Quintil. in eo Oppido fuiſſe, ubi ſtabilivit Collegium Canonicorum aliquot jam ante annis illuc translatum *per modum proviſionis*, & penitus delevit Titulum Præpoſituræ S. Vincentii Galliani. Ad diem XVI. deinde a S. Cardinali rite conſecratam Aram maximam in Templo Porletiæ primario doceor ex ipſis autographis Conſecrationis Tabulis extantibus penes Sacrorum eo in loco degentem Præſidem. Retexat jam, quæſo, Stampa ex ordine harum actionum ſeriem; mox addat, quod Gluſſianus ſcripſit, ſcilicet Carolum per Menaſii vallem nocte intempeſta Porletiam veniſſe; & facile videbit, non potuiſſe aliam iniri hujus conficiendi itineris rationem, niſi Novocomum Borromeus appulerit. Hoc item adjiciat velim, multa per id tempus facile cum Novocomenſi Epiſcopo coram agere voluiſſe pro afferendo Vultrenis, & Ciſalpinis Rhætis remedio aliquo, ut moliebatur, & exitus ipſe rerum comprobavit; nihil enim, inconſultis Epiſcopis, Carolus de alienæ Diœceſeos negotiis ſtatuebat. Præterea recolat alia documenta, quæ mihi ſuppetunt, & non obſcure indicant, Cardinalem eadem opportunitate Bellaſium digreſſum eſſe in Ædes Nobiliſſimæ Sfondratæ Familiæ, ex qua adoleſcentem Abbatem Camillum inaugurare Subdiaconum Porletiæ ſtatuerat, ut mox dicemus. Hæc omnia mihi ſaltem veriorem Tatti opinionem probant. Fateor tamen, me omnino non ſubſcribere iis, quæ Tattus narravit. Video enim, eum Carolo Novocomi apud Epiſcopum Vulpium accumbenti appoſuiſſe novas dapes, tubera ſcil., quæ certe Cardinalis non deguſtavit. Neque enim vera narrat ſcribens: „ Vulpium perſuaſiſſe convivæ Carolo, ut tuberibus veſci „ vellet; quandoquidem par donum a S. Felice prædeceſſore ſuo S. Ambroſius item acceperat. " Secutus eſt in hoc rei famam Tattus, ſed rem ipſam non eſt conſequutus. Licet enim multum veritatis in hac narratione lateat; tamen video eam male huic loco, & tempori adſcribi. Habeo præ oculis Epiſtolam

ea, quam incolunt, Valle appellantur, infame genus erat ob pravas artes, & impia commenta, quibus ad depellendam domesticæ rei inopiam utebantur. Ægre aliquis credat natos in silvis homines, post actam in sordibus paterni tecti pueritiam, viros inter armenta factos adeo proficere fingendi studio potuisse, ut etiam in Principum aulis, ubi tanta explorandis ingeniis calliditas est, locum mendaciis suis invenirent. Delecto enim ex sui similibus famulatu, assumptoque nobilissimæ alicujus legationis, aut familiæ nomine, diversa semper loca peragrantes ludum sibi ex aliena credulitate fecerant, splendido aliquoties apparatu, opulentisque conviviis excepti, & dominorum loco habiti ab iis, quibus ne servire quidem merebantur. Fuere etiam, qui Ecclesiasticæ dignitatis insigni aliquo amicti missos se a Summo Pontifice ob magna negotia dicerent, & multa sibi concessa jura simulantes vana privilegia, & inanes titulos sacrilego quæstu venditarent. Hisce tam pravis ingeniis remedia allaturus (*a*) Cardinalis, cum gentis ejus caput Porletiam perveniisset, primas inibi cogitationes componendis Ecclesiæ rebus adjecit (*b*). Nonnulla siquidem vectigalia, quæ antiquitus in pios usus relicta, nunc in occasionem luxuriæ cesserant, Capuccinorum Cœnobio attribuit, quo cœpta Ejus jussu ædificia, quantocyus absolverentur. Aliorum præterea proventuum, quibus inania sine officio Canonicorum nomina nitebantur, partem loci Præposito attribuit, partem in duorum Sacerdotum alimenta convertit, quorum alter in animarum cura operam Præposito ferret; alter grammaticæ præceptis, & Christianæ doctrinæ elementis pueros erudiret.

Fervebant eo tempore inter ejus gentis Potentiores capitales inimicitiæ, atque, ut dura plerumque, & difficilia sunt montano-

---

ham ipsam Novocomensis Episcopi, ex qua facile patebit Tatti error simul, & fides. Data ea est anno MDLXV. VII. Idus Octobris in hæc verba: „ Nun„ quam ausus essem Tibi hæc tubera dono mitte„ re; nam tacite considerans me sacrum virum esse, „ Te vero Sanctitatem ipsam; & præterea recolens „ ea gulæ potius delicias videri posse: idcirco puta„ bam, hoc dono mihi simul defuturum, & Tibi. „ Cum vero in mentem venerit, S Ambrosio præde„ cessori Tuo, ut ipsemet refert Epistola L. libri „ septimi, par munus non displicuisse, quod S. Fe„ lix prædecessor meus eidem dono obtulerat; tan„ to exemplo commonitus pudorem meum vici, & „ hoc tuberum munusculum ad Te mittere statui.

(*a*) Miseranda multa, & fœda de perfido hoc hominum genere sæpe audierat Cardinalis; imo edictis etiam aliquod remedium adhibere contenderat. Sed altius securim inflixit pullulanti semper malo, dum Romæ ante hujus anni finem degeret, ubi per Pontificiam auctoritatem damnati anathemate voluit impostores hujusmodi, & Sycophantas, qui technas alienæ pietati struerent. Quare deinde ad Provinciales Episcopos singillatim encyclicas literas dedit, quibus monuit: „ ex Plebe Porletiæ vagos homi„ nes per dolum ripem corradentes contra Tridenti„ ni Concilii Decreta, & confictis Diplomatis muni„ tos; eliminandos penitus ex Provincia esse: addidit„ que hanc Cavarnionum fallaciam esse originem vi„ tiorum, & nefariorum scelerum fontem, impostori„ bus ipsis, sacris Ædibus, & piorum largitati summo„ pere pernicio sum. " Ut vero hujusmodi hominum indolem perspectius teneamus, appono literas ad Carolum datas a Placentino Episcopo XXII. Martii MDLXXXIII., qui cum non accenseretur Provincialibus Episcopis, Decreta a Carolo facta in Cavarniones ignoraverat. „ Sunt ex Diœcesi tua non„ nulli præsertim Carlatio, Corido, & Cavarnia „ oriundi homines, qui stipem ex instituto suo ro„ gant, operamque suam locant Xenodochiis, aliis„ que piis Ædibus; hoc autem quæritandi institu„ tum hæreditario veluti jure accipiunt, & nefa„ riè in hac Diœcesi mea, atque in Insubria, ut „ audio, universa exercent. Quod autem pessimum „ est: obtento Religionis velo pessimas artes tegunt, „ simulque superstitiones, ac falsa nonnulla, & a „ fide Catholica aliena disseminant; quandoquidem „ confictas Indulgentiæ Pontificiæ literas evulgant, „ *Agni Dei* imagines profanas partiuntur simplici„ bus, anulosque simulata Religione commenda„ tos: ut diversa alia philacteria, & fallacias omit„ tam, quibus remissas noxas, ex Purgatorii igne „ liberatas animas comminiscentes, aut comparan„ dam a morbis certam valetudinem, ignaros & „ plebejos ut plurimum circumveniunt, qui hujus„ modi sponsionibus inanium bonorum decepti, exen„ terari interim marsupia sinunt; quare hypocritæ „ illi aliorum ære, suisque noxis saginantur.

(*b*) Altero post adventum suum die Subdiaconum inauguravit Porletiæ Abbatem Paulum Camillum Sfondratum filium ex fratre Cremonensis Episcopi Nicolai, qui postmodum ad Romanam Sedem evectus insignis fuit nomine Gregorii XIV. Degebat Nobilis hic Adolescens in Borromeo Ticinensi Collegio, unde ad Carolum scripserat se voti reum velle ad Sacros Ordines promoveri. Tam religioso desiderio assensus est perfacile Cardinalis, atque eo evocatum voti sui compotem humanissime dimisit. Idem Abbas postmodum Cardinalis Sanctæ Cæciliæ renunciatus egregiam Ecclesiæ navavit operam.

Digitized by Google

tanorum ingenia, vix ulla ſpes erat mitiora conſilia, & mutuam injuriarum veniam ab ipſis poſſe impetrari. Pervicit tamen Carolus manſuetudine ſimul, & gravitate ſermonis, ut vetera odia prorſus exuerent (*a*), magno incolarum gaudio, quos cincti ſatellitum manu cædibus, ac minis antea territabant. Cavarnionibus etiam diræ atroces indictæ, niſi illa vagandi, mentiendique licentia inpoſterum abſtinerent. Et cum ſeſe nonnulli paupertatis obtentu adverſus judicii ſeveritatem tuerentur, pecunias a Cardinali accepere, quibus interim ſeſe ad procuranda vitæ ſubſidia honeſtioribus ſtudiis compararent.

Eſt in vertice montis, qui Cavarniæ imminet, dicata antiquitus S. Lucio Ædes denſo undique nemore, & arduis rupibus obſita; qualia ſæpe Sacella, ſive ad nobilitandam locorum ſolitudinem, ſive ad exercendam piorum hominum patientiam majores noſtri poſuere. Mirum ſane erat, ſi ulla itineris difficultas diligentiſſimum ſacrorum omnium inſpectorem Carolum ab ejus Ædis viſitatione retineret. Verum id magis mirum, quod incolumis ab ea viſitatione redierit. Cum enim Capriaſcam Vallem poſtero die aditurus ex adverſa montis parte deſcenderet, inter præcipites ſalebras, & abrupta ſaxa cæca nocte deprehenſus, Sonvicum uſque pervênit (*b*), admirante utique pagi Rectore, tutum inde mediis in tenebris evadere potuiſſe, ubi vix tutum media luce iter eſſet. Per confragoſa, & aſpera retro verſo itinere in Vallem Saxinam denique ventum eſt (*c*), quo illum conſecratio Ædis Sancto Martino recenter erectæ, ac multo magis incolarum deſideria invitabant. Vix enim credere eſt, quanto in montanis illis hominibus cupiditas, & cura fuerit videndi, honorandique Pontificis, de quo tot, ac tanta ſanctitatis miracula prædicari audierant. Multoque amplius amor, & æſtimatio crevit, poſtquam plura eorum, quæ auribus perceperant, ſubjecta oculis habuere. Facile

(*a*) Publicarum inimicitiarum cauſa fuerat mors paulo ante cuidam Rocho de Canutis per armatos agreſtes intentata. Eoque longe difficilior apparebat conciliandorum animorum ratio, quod, cum occiſi filius Andreas Veronæ eſſet, abſentia ſua impedimentum veluti obtendebat, quominus ad exitum perductum fœdus inter utriuſque factionis hoſtes firmaretur. Quare petitæ ab iis ſunt, & impetratæ primum bimeſtres induciæ: interim excitatus Borromei officiis Valerius in ſe recepit, ut publicum veniæ teſtimonium, & ab Andrea ipſo ſcriptis conſignatum ad Carolum mitteret, ſine quo nullam ſanciri poſſe pacem truculenta illa capita affirmabant. Tandem accepto teſtimonio, & venia impetrata per Borromei & Valerii operam, poſt diuturna officia finis diſcordiarum fuit.

(*b*) In Vico hoc ad Novocomenſem Diœceſim pertinente Rectoris officiis victus ſubſtitit Cardinalis. Cum enim intempeſta nocte deprehenſi in illis ſalebris itineris comites ad ejus ædes deflexiſſent, faces ſumpturi, ut viæ reliquum conficerent: domo egreſſus Rector vetuit Borromeum ultra progredi, exponens incommodæ regionis difficultatem, atque diſcrimina vix clara luce a peritis regionis adeundæ. Paruit Borromeus conſilio, & mirum ſane videtur, quomodo ardori ſuo frenum injecerit; urgebat ſiquidem perficiendæ illius luſtrationis cura: & ego vix legens animum inducere potui ut crederem, quomodo tot Villas, atque Oppida X. dierum ſpatio pedeſtri ferme ſemper itinere circumierit. Numeravi enim XXVI. loca, quæ præſens Ipſe inſpicere & rimari in hac luſtratione voluit. Par ſubit etiam admiratio legentem, quæ duodecim ante annis in eadem luſtratione præſtitit Cardinalis. Teſtatur enim qui hodie Porletiæ Sacris præeſt, & nonnulla ad me de ejus Viſitationis monumentis rogatus tranſmiſit: *ſe quodam veluti ſtupore defixum hærere, dum recolit animo, Carolum una die tot disjunctiſſimas Villas obiiſſe, Seghebbiam nimirum, Butiolum, quatuor Coridi Sacella, & Sancti Mammetis vicum, præter alias itineris circumſtantias, qua indicant potius eum Angelorum ope in eas rupes evolantem fuiſſe transvectum.*

(*c*) Ex Porletiæ Plebe digreſſus cum per montes Sonvicum deſcendiſſet in Capriaſcam Vallem deflexit. Illic Teſſeredum, & adjacentia luſtravit loca; ubi dum verſaretur, ab Helvetiis aliquot trium Vallium incolis invitatus Gnoſcam ad Ticini oram profectus eſt die XXVII. Julii, ubi die poſtero Aram conſecravit, & Sacram Synaxim frequentiſſimo populo indixit. Sabbato inſequente IV. ſcilicet Cal. Sextil. Jornicum in Lepontiis progreſſus eſt, & Dominica die, III. nimirum Calend. ejuſdem menſis, Sacris Ritibus nolas conſecravit, alia item populi Synaxi coacta. Hiſce expeditus curis, videtur Luganum deſcendiſſe, & per Cereſium Lacum Porletiam regreſſus, unde remenſus Menaſii Vallem ad Larium Lacum pervênit. Hoc lintribus tranſmiſſo per aſperas montium fauces aſcendens Dervium, Bellanum, Perledum obivit; poſtmodum Vallem Saxinam ingreſſus Taëgii, & Tortam Valles penetravit, & Averariam uſque proceſſit, quibus in locis ad menſem integrum Paſtoralis ſolicitudinis monumenta impreſſa reliquit ad poſterorum memoriam ſempiternam. Hæc qui attente conſideret, & tot locorum naturam norit, næ ille cum Philippo Nerio exclamet: O SANCTUM VERE FERREUM!

Digitized by Google

le erat rudibus etiam ingeniis conjicere divinum aliquid ineſſe homini, quem non viarum difficultas, non aſſidua parcitas cibi, non æſtus, non frigoris, non vigiliarum incommoda retardarent, quominus ſingulas paſtoralis officii curas diligentiſſime exequeretur. Acceſſerant duo illa conciliandis hominum animis potentiſſima; æqualis ſcilicet erga omnes comitas, & effuſa erga egenos liberalitas, quæ tanta in illo fuit, ut pecunia omni ad pauperum levamen conſumpta, Pontificias veſtes, quas Sacris faciundis ſecum attulerat, ad exornanda Altaria agreſtis illius Eccleſiæ diſpenſaret (*a*). Manſit deinde incolis tanta erga Paſtorem amantiſſimum veneratio, ut quidquid Ille inter quotidianæ vitæ officia contigerat, in profanos uſus vertere irreligioſum putarent (*b*). Ita demum luſtrata per ſummum laborem illa parte Diœceſis ad Urbem rediit (*c*), tunc maxime lætitia geſtientem ob inſignem victoriam, quam Hiſpanica arma de Luſitanis retulerant. Cujus Ipſe lætitiæ cum

(*a*) Pagnonæ Templo addicta eſt Sacra Veſtis, pluvialem vocant, auro intexta, quam ſecum Sacrorum cauſa Cardinalis attulerat. Inaudito deinde beneficentiæ exemplo annuum cenſum ſibi, utpote Mediolanenſi Archiepiſcopo, pendendum ab Vallis ejus incolis condonavit, dummodo in ejus regionis Templorum ornamentum cederet.

(*b*) Introtii incolæ ad S. Martinum plura viderunt hoc tempore Caroli Sanctitatis indicia. Teſtatum in Tabulis fuit: *in pagi ejus Templo infinitas, & diſſonas clamantium Dæmonum voces fuiſſe auditas, quoties in eo Cardinalis verſaretur. Cumque perſæpe nonnulli, quos malus inſederat genius, ad Synaxim venirent cum ceteris: uno audito Borromei imperio, ut os aperirent, libere ſtatum eorum labia patuiſſe; quamvis alias Parochus diuturnam operam perderet diris, & imperiis, ut Dæmonis eorum labia claudentis audaciam frangeret.* Ibidem rogatus Carolus a Marco Aurelio Grattarola loci Rectore, ut Templum rite conſecraret, annuit libentiſſime; ſeptemque horas eo munere diſtentus inſumpſit tolleranter adeo & laborioſe, ut totus ſudore diffluereret. Itaque cæremoniis ad meridiem peractis, antequam ſacras Veſtes deponeret, forte audiit nolis iis, quæ in proxima Templi turri erant, nondum ſaeram benedictionem fuiſſe impertitam. Hoc audito, Carolus e veſtigio juſſit eas ex Turri detrahi, ut omnia ad cæremoniam eam peragendam ex præſcripto ſervaret. Verum improviſum imperium circumſtantes perculit, cum machinæ nullæ, ac moles ſuppeterent ad nolas ſolvendas, atque in Templo collocandas. Hærentibus omnibus, Ipſe, ut erat Pontificalibus indumentis ornatus, quò dirimeret controverſiam omnem, ſcalas intra Turris ſinum juſſit apponi, quas per varia tabulata identidem applicitas incredibili contentione aſcendens, ſed nihil imminuta oris majeſtate, in ſummam tamdem Turrim enixus eſt, ubi rite expiationem inclinato jam Sole perfecit. Scalas haſce deinde Caroli pedibus conſecratas tanti fecit pia ejuſdem loci mulier, ut ſibi eas depoſcens, religioſe ſemper ſervaverit: imitata nimirum incolarum ceterorum exemplum, qui Sancti Paſtoris virtute capti, cultros, baculos, & quidquid in Borromei manus venerat, veluti Sanctitatis ſuæ pignus, & ſalutis arrham ſolertiſſime cuſtodiebant. Quamquam hujuſmodi devotionis exemplis ſæpe etiam Urbs noſtra abundavit, cum crebro legam in Tabulis, ex quibus hæc omnia decerpſi: plurima, quæ in Borromei uſum ceſſerant, a Mediolanenſibus Civibus pio quodam furto intercepta. Etenim repetio geminas Sfondrati Cremonenſis Epiſcopi Sorores S. Pauli Monaſterio Mediolanenſi addictas rogaſſe aliquando fratrem ſuum, cum Mediolani eſſet, & domi ſuæ convivio Cardinalem excepiſſet; ut ſibi panis ſaltem micas reſervaret, quæ frangenti Carolo excidiſſent. Inſuper ibidem conſtat, mulieres S. Mariæ *ad Succurſum* purgandis S. Cardinalis induſiis deſtinatas, hoc honore fuiſſe privatas eo, quod Carolus comperiſſet, novas aliquot pro attritis taniis ab illis fuiſſe ſubſtitutas, quoniam ſurreptas eas dono aliquibus dederant, qui enixe poſtulaverant. Licet enim infinita veræ Sanctitatis teſtimonia ubique Carolus ederet; tamen pro virili ejus opinionem alte nimium in omnium animis infixam evellere conabatur.

(*c*) Convocato prius univerſæ Vallis Clero, plura ſtatuit in Religionis incrementum, & publicam utilitatem. Mens erat Leucum deinde luſtrare, ſed conſilium ſuum perficere propter temporis anguſtias non potuit. Inſtabat enim Sacer Deiparæ Naſcenti dies, quem ſolemniter celebrare Mediolani de more præſtituerat. Verumtamen Ejus Leuco tranſitus Paſtoralis curæ expers non fuit. Nimirum e Valle Saxina antequam diſcederet, Literas ad Sacrorum Præfidem dederat cum hiſce monitis: „ Leucum luſtrare, „ antequam Mediolanum reverterer, plane decreve„ ram; ſed plura me impedimenta præter opinionem „ in hiſce Vallibus retinuere. Nihilominus iſthinc „ tranſire mens eſt, populumque congregatum Sa„ cro Pane reficere, & ſi opus fuerit Chriſmate „ etiam confirmare. Hæc autem præſtabo ad Feriam „ IV. (Nonis ſcilicet Septembris) ſi Deus conſiliis „ meis annuat, cum proxima jam Deiparæ Naſcen„ tis Solemnia reditum meum ad Urbem urgeant, „ ubi die poſtero eſſe jam ſtatui. Itaque ſub veſpe„ ram Feriæ III. opperieris adventum meum; qui „ ſi in diem ſequentem rejicietur fortaſſe, quandoqui„ dem indicta ad III. Feriam Cleri hujus univerſi con„ gregatio alicujus moræ neceſſitatem injiciet, cer„ te die poſtero, & quidem ſummo mane iſthic Sa„ crum faciam, & reliqua exequar, ut præſcripſi. “ Itaque Leuco digreſſus poſtrid. Non. per Brianteos colles, ut teſtatur Hieronymus Caſtanus, ad Urbem regrediebatur; ſed in via dum eſſet, nuncium accepit de Sororis deſperata jam ſalute; quare Mediolanum citatiori itinere pergens, ſub primæ vigiliæ finem Urbem ſilentio ingreſſus eſt.

Digitized by Google

cum magnam partem pro eo, quo erga Catholicum Regem ferebatur, amore sentiret, supplicationem habuit cum Populo (*a*), ut Deo, ad quem prosperos rerum omnium eventus referri par est, solemnes gratias ageret (*b*).

LIBRI SEXTI FINIS.

DE

(*a*) Noctu, antequam illucesceret, Vaticallam versus iter instituit ante diem scil. VII. Septembris. Nam vix equo desiliens, raptimque salutatis, & visis Hortensiæ Sororis Altempsiæ filiis, quos per Taurusium deducendos huc paulo ante curaverat, ut Literarum, & Disciplinæ Christianæ tyrocinium in Nobilium Convictorum Collegio ponerent: multa statim cum Ragazzonio Bergomensi Episcopo in conclavi sine arbitris egit, quandoquidem ille adventum suum in hac Urbe opperiebatur. Postmodum subscripsit Pastoralibus literis ad Clerum dandis pro nova *Breviarii* emendati juxta Ritum nostrum editione, cujus curam corrigendi multis ante annis Ipsemet cum Galesinio susceperat. Sic incœnatus, nulla quiete capta, aut somno, equum ascendit, & summo mane Laudem Pompejam adveniens, ibidem perlitavit, & inpransus Parmam sub noctem diei ipsius ingressus est. Quare non video, quomodo supplicabundus Urbem obierit, gratias Deo pro Classis Hispanicæ victoria relata a Sanctacrucio actarus. Præ manibus habeo adversaria Jo. Pauli de Clericis eo tempore in Metropolitana Basilica Cæremoniarum Didascali, quæ ab interitu vindicata mihi humanissime obtulit R. D. Bernardinus Cassinus Rituum ibidem hoc tempore Magister. Itaque in iis lego indictam hujus victoriæ causa supplicationem ad S. Ambrosii Basilicam die XXIII. Septembris; quare absens tum ab Urbe Borromeus certe illi interesse non poterat; præsertim cum eadem Manuscripta diserte testentur, Archipresbyterum Templi Max. ad S. Ambrosii supplicabundum processisse; atque ad VII. Septembris diem adnotatum legam: Propter Archiepiscopi absentiam in Deiparæ solemnitate pontificali ritu Sacra omnia peracta fuisse ab Episcopo Bergomensi, & proximis Temporibus Autumnalibus inauguratos Sacerdotes ab Episcopo Cittadino in Mirasolis suburbano Templo. Hos enim sibi substituerat administros, & Vicarios absens Cardinalis. Sed clarius aperiunt rem Caroli literæ Sabulonetæ scriptæ, quibus supplicationem hanc indicendam a Vicario jussit.

(*b*) Licet multa congesserimus ad hujus anni initium, omissa a Giussiano: iterum alia supersunt evolvenda, antequam ad Romanum Caroli iter stylum convertamus. Occurrit in primis recepta in se a Borromeo cura, ut P. F. Ludovici Granatensis doctrina Pontificio præconio commendaretur. Incredibile dictu est quanti egregium illum Virum faceret; quare infinita me circumstant optimæ in illum Caroli voluntatis testimonia; quibus brevitatis ergo omissis, unam reddo Epistolæ partem, quam ad Hieronymum Mantichium Ulyssipone degentem dedit hoc anno, dum Cavarniæ esset: „ Gratissimum ac„ cepi per literas tuas nuncium, ex quibus intellexi, „ auditam a te præsente P. F. Ludovici Granatensis „ Orationem fuisse. Sane felicitati invideo tuæ; me„ tior autem voluptatem tuam audientis vivam vocem „ doctissimi illius, & religiosissimi Patris ex maxima ea „ jucunditate, qua ipse perfundor, ejusdem Opera per„ legens, quod frequentissime, & suavissime facio." Itaque hoc item anno mire captus Cardinalis tanta dicendi ubertate, ac vi, quam excitare etiam sæpius per literas contendit, ad novam Concionum digerendam seriem Ludovicum cohortatus: re cum Paleotto communicata, studuit Gregorium ipsum summum Pontificem permovere, ut Brevibus literis ad eumdem datis illius doctrinam commendare, & studium acuere contenderet. Operæ pretium est audire, quam vehementer id Gregorio persuaderet; quare fideliter epistolam eamdem reddo:

Sanctissime, & Beatissime Pater.

„ EOs inter, qui hac ætate nostra utiliter admodum „ de rebus Sacris scripsere, haud falso affirmave„ rim, puto, nullum extitisse, qui aut uberius, aut „ cum majore delectu, aut fructuosius egerit, præter „ Ludovicum Granatensem. Quotidiana experientia „ ut id asseram facit; Video enim eos, qui hujus „ Auctoris Italice redditi sunt Libri, atque ad cujus„ cumque ordinis homines spectant, mirifice ad Ec„ clesiæ meæ sanctitatem conferre; cum in iis cer„ ta, quæ ad Deum ducit, & illustris pateat via; „ modusque insuper addatur, quo ad eamdem per„ currendam Christifideles incitentur. Si vero de „ Latinis ejusdem Operibus loquar, video in iis ha„ bendarum Concionum normam, & documentum„ rum seriem ita appositam comprehendi, ut di„ cere audeam, in hoc præsertim genere nullam „ magis de Sancta Dei Ecclesia meritum, nullum„ que videri aptiorem, qui valde opportunam ope„ ram eidem possit adjungere reliquo, & brevi hoc, „ quod deget, vitæ tempore, cum octogesimum „ jam ab eo ætatis annum agi intelligam. Tanta, „ quæ in Ecclesiam ab uno homine redundavit, „ & redundatura creditur, utilitas me permovet, ut „ ejusdem merita in Sanctitatis Tuæ oculis defige„ rem; quæ si approbare sapientissimo suffragio suo „ sententiam meam velit, rogarem insuper, ut Bre„ ves Literas ad eumdem daret, in quibus cum si„ gnificaret placere sibi egregiam navatam scriptis „ suis Ecclesiæ operam; tum etiam stimulos adde„ ret, ne susceptum laborem intermitteret; quan„ doquidem jam ab eo conscripta audio imperfecta „ nonnulla aliorum Operum rudimenta. Hinc fiet, „ ut ceteri curiosi ut plurimum Scriptores elabi e „ manibus sinant profanam, & inutilem rerum, de „ quibus agunt, supellectilem, splendidæ hujus lau„ dis æmulatione accensi; convertantque stylum suum „ ad salutaria potius conscribenda, eamque viam „ ineundam, quam Granatensis summa cum laude „ iniri docuit posse. Id autem officii ut tanto Vi„ ro deferrem, compulit etiam Cardinalis Paleotti au„ cto-

„ ctoritas ; quocum ſermonem de Ludovico cum „ ſererem, in eadem opinione fuit ; ſenſitque, quam„ cumque honoris ſignificationem in eo non im„ merito collocatum iri. Accedit, quod ab illuſtri„ bus ſæpe Viris Hiſpanis accepi: Summam in iis „ regionibus eſſe Viri exiſtimationem, ac famam, „ ejuſque facta luculenter dictis conſentire. Prædi„ cant omnes eximiam Patris religionem, & ſan„ ctitatem conſonam omnino concitatæ per ſcripta „ expectationi. Neque publicum hoc teſtimonium „ latère Sanctitatem Tuam poterit, cui certius pa„ tebunt omnia per Internunciorum ſuorum teſti„ ficationem ; quare una dumtaxat Literarum com„ mendatio vix Granatenſis merita videbitur adæqua„ re. Certe par a Pio V. præconium retulit Lau„ rentius Surius ; neque deſunt aliorum Pontificum „ erga Scriptores alios honoris plenæ ſignificatio„ nes. Verumtamen an vota hæc mea valere de„ beant, ſapientiſſime Sanctitas Tua decernet, at„ que eam, qua pollet, prudentiam unice in con„ ſilium adhibebit. Interim cum Sanctiſſimorum pe„ dum oſculo humillime Sanctitatem Tuam veneror. „ Mediolani Nonis Martii MDLXXXII.

Annuit paulo poſt Borromei votis Summus Pontifex, ut Specianus teſtatur, & luculentius etiam indicant. euchariſticæ literæ a S. Dominici Patribus nomine univerſæ Hiſpanicæ Provinciæ datæ, quibus ad ſummam Granatenſis laudem in hæc verba Cardinalis Româ reſpondit menſe Octobri: „ Quas in P. „ Ludovici laudem Breves a Pontifice Literas impe„ travi, iis minus officium tanti Viri ſapientiæ de„ tuli, quam ut deberi eidem egomet ſentiam. „ Tanta enim ejus merita in Eccleſiam exiſtere au„ tumo, ut quemadmodum ille longe ampliori præ„ mio dignus videtur ; ita nihil futurum ſit, in quo „ paratiſſimo animo eidem non ſim gratificaturus. “ Hinc Carolus a Baſilica-Petri aſſeverare non dubitavit, hanc Borromei mentem, & votum fuiſſe, ut in Cardinalium numerum cooptaretur. Attamen Hiſpaniæ non hac una in re Borromeus utilis hoc anno fuit. Scilicet Cardinalem Toletanum permovit, ut Concilium in Provincia ſua cogeret ; utque maxime fructuoſum haberetur, lego in Cornelii Carnagi ſui in Hiſpania Procuratoris Epiſtolis, eum Cardinalem ante habendam Synodum, totum ſe in Mediolanenſium Conciliorum lectionem abdidiſſe, ut ex Caroli doctrinæ fonte optimum informandæ Eccleſiæ ſuæ documentum ſumeret. Ex Hiſpania dimotis oculis, in Galliæ religionem augendam deinde Carolus incubuit. Extant Ejus Literæ ad Cardinalem Vademontium pro Tullenſi luſtratione ineunda, & paulo poſt de eadem inita gratulatio. Gallia ornatâ, Germaniam etiam labe aliqua Religionis liberavit ; nam cum anno ſuperiore accepiſſet a Baſileenſi Epiſcopo, edita typis fuiſſe, & maligne vitiata Biblia Sacra Hiſpanico ſtylo impreſſa: nunquam conquievit, niſi poſtquam hoc anno impetravit, ne eorum complura exemplaria, jam Francofurto tranſmiſſa Bruxellas, quo vitioſa merx erat deſtinata, interciperentur. Neque tamen ſegnis in Italia ejuſdem opera fuit. Plura per Bernardinum Taurufium Legatum ſuum pro Ciſalpinis Helvetiorum ditioni ſubditis populis ſtabilivit ; utque eodem Religionis, & diſciplinæ vinculo Tranſalpini etiam hærerent cum Italis, per eumdem Taurufium curavit huc traduci Comitis Altempſii filios in Nobilium Collegio educandos ; alioſque item Germanos invitari, ut linguæ commercio inito, aliqua etiam fieret morum probitatis communio. Deinde Epiſcopos ſuos ſolicitavit, ne prædicationis Euangelicæ munus negligerent, diſtributa per Provinciam, quam elucubraverat, de modo concionandi Inſtructione. Quod idem ſtudium extra Provinciam ſuam extendit ; nam Valerium Veronenſem lego Caroli officiis victum hoc anno tandem decreviſſe ſuggeſtum aſcendere, & populum Divino verbo paſcere ; ut idem ſcribit III. Calend. Junias in hæc verba: „ Die Aſcenſioni Do„ minicæ ſacra, & Dominica item ſubſequente ora„ tionem ad populum habere cœpi, quod præſtare „ etiam die Pentecoſtes meditor. Ago tibi immorta„ les gratias, quod mihi tandem perſuaſeris, ut „ crebro id officii ſuſciperem. *Vere hoc eſt Patris, „ hoc Paſtoris, hoc Epiſcopi.* „ Neque ultimo deſtitit Urbem ſuam beneficiis pluribus cumulare. Refrigeſcente civium pietate, mendici antea in unum locum congregati pluribus vitæ ſubſidiis deſtituebantur ; quare Carolus beneficentia eos ſua magna ex parte ſuſtentavit. Pari liberalitate Monialibus S. Mariæ a Valle, quibus ſumma annonæ inopia erat, ſuppetias tulit. Xenodochio Maximo palatium *Victoriæ*, in quod peſtilenti anno inopes coëgerat, dono dedit ; & donationis ipſius tabulas hoc tempore confecit, ut ex Epiſtola Joannis Arcimboldi clariſſimi Equitis conſtat. Ultimo ad tuenda Pontificiæ poteſtatis jura Sanctium Ghevaram Inſubriæ Præfectum, qui Calendaria juxta emendationem Gregorianam exponi venalia vetuerat, utpote ſine ipſius venia proſtantia, vehementi Epiſtola libere commonefecit, ne Pontificiarum Literarum executioni impedimentum aliquod afferret ; ex quo turbæ ſtatim omnes exortæ conquievere.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

Poſtremum Caroli ad Limina Apoſtolorum iter, & cæleſtis quodammodo vitæ ſpecimen, quam Romæ ſervavit, exhibetur.

ELAPSO triennio, ex quo Româ redierat, non tam notæ leges ad viſitanda Apoſtolorum Limina, quam ſingulares curæ ad aperiendas Summo Pontifici Eccleſiæ ſuæ neceſſitates (*a*) Carolum invitabant. Quin etiam ab ipſo Pontifice advētus Ejus ſummopere expetebatur ob exortas

(*a*) Nulla urgens Eccleſiæ ſuæ neceſſitas Carolum incitabat, ut Romam proficiſceretur, licet plurima illuc contendenti oblata fuerint in ejuſdem utilitatem cum Pontifice tranſigenda. Aliena magis Eum Romam evocabant negotia. Nimius ſim, ſi univerſa evolvam ſingulatim; quare aliqua curſim ſufficiet attingere. Eminet in primis Sabaudiæ Ducis Epiſtola, in qua optavit ſibi a Pontifice Decumas impetrari; atque ut Carolum ad poſtulata faciliorem haberet, ſuam fidem obligavit *fore, ut ea dumtaxat in Eccleſia ipſius bonorem, & utilitatem cederent*. Præterea Novocomenſis Epiſcopus rogavit, ut Cleri ſui inopiæ conſulturus, emendare Mediolani poſſet per Borromeum ipſum, aut quempiam ab Eodem electum, Preces Diurnas, Nocturnaſque Sacerdotibus ex Patriarchino Ritu recitandas; verebatur enim ne magno ſumptu id Romæ perficiendum eſſet. Salutiarum item Antiſtes, interpoſito Sabaudiæ Ducis officio, ſe Cardinali commendavit, ut opulentiores Sedi ſuæ cenſus adjungeret. Demum Borromeus ipſe ac ſi vereretur, ne inutile hoc iter futurum eſſet, niſi aliis ſe inſuper negotiis obrueret, in Hiſpaniam ad Toletanum Cardinalem, itemque ad Granvelanum ſcripſit, conſilii ſui rationem aperiens, & enixe poſtulans, ut ſiquis ſui uſus Romæ futurus eſſet, libere operâ ſuâ uterentur. Quid plura? Philippo ipſi Hiſpaniarum Regi ſtudia ſua omnia, ſiquid haberet cum Pontifice tranſigendum, humillime obtulit, dum Sabulonetæ eſſet, & operæ pretium videtur Literas ipſas latine reddere:

S. C. R. M.

Digitized by Google

tas quasdam in Republica perturbationes (*a*), quas Ejus consiliis sedari posse credebat. Discess-

S. C. R. M.

„ SIngularis observantia, qua me C. T. Majesta-
„ ti obstrictum, ac plane devotum profiteor,
„ quemadmodum meum semper desiderium acuit,
„ ut quidquid possem, id omne libentissime quocun-
„ que tempore Ipsi deferrem; ita nunc etiam hor-
„ tatur, ut primò obsequii mei testimonium hisce
„ Literis exhibeam: deinde commonefaciam de meo
„ citius Romam versus suscipiendo itinere, quo actu-
„ rus de sacris aliquot Ecclesiæ meæ negotiis, &
„ Sanctissimos Pontificis pedes osculaturus statui pro-
„ ficisci. Siqua interim Majestatis T. imperia ope-
„ ram meam, quantulacumque sit, postulare illic
„ poterunt, jure hanc suo exigent. Hoc interim
„ pro certo habeat, nullam pro iisdem exequendis
„ aut voluntatem mihi, aut amorem esse defuturum;
„ cum tot, tantisque me Illi nominibus obstrictum
„ videam; præterquamquod omnia officia mea uni
„ pietati, ac religioni, quæ in M. T. adeo emi-
„ nent, necessario essent deferenda. Audivi Maje-
„ statem T. gravi morbo vexatam fuisse; & quem-
„ admodum moleste admodum Regiam afflictam va-
„ letudinem tuli; ita jucundius confirmatam accepi,
„ & gratias Deo habui maximas, quod paternam
„ Illius curam gerens favere etiam universæ Ortho-
„ doxæ reipublicæ visus est, cujus tranquillitas,
„ & quies cum Majestatis T. incolumitate, ac vi-
„ ta adeo videntur esse conjuncta. Auxit voluptā-
„ tem meam Supremi Numinis erga Regiam Fami-
„ liam favor, cujus præsidio dissipata hostium clas-
„ se, ejusdem gloria adeo cumulata est. Hisce omni-
„ bus de causis publicæ in Ecclesia mea gratiarum
„ actiones celebrantur, & Sacris indictis, vota pro
„ Ejusdem incolumitate offeruntur. Regiæ inte-
„ rim dexteræ osculum infigo &c.

Hactenus tamen versata est Caroli solertia extra Provinciam suam. Sed aliæ mox Eidem Romam contendenti impositæ a suis curæ fuerunt. Plura demandavit primùm Episcopus Novariensis pro sanctè, & libere perficienda Genuensi, quam obibat, lustratione. Accessere alia postulata Cremonensium, ex quibus generale Urbis Concilium instituit primò, ut Hebræi, perfidum hominum genus, ex ea Urbe pellerentur; Cathedrale deinde Collegium oravit, ut plura sibi percommoda, & ad Ecclesiæ suæ jus spectantia a Summo Pontifice per Cardinalem impetrarentur. Bergomenses Sanctæ Gratæ Moniales retinere quædam jura optabant in Tertii Monasterium olim Parthenoni suo a Carolo conjunctum; atque adeo necessarium Ipsius præsidium credebatur. Breviter: solicitaverat Epistola sua encyclica singulos Provinciæ suæ Antistites, ut sibi deferrent, quæcumque a Romano Pontifice optare possent. Hic autem tenor hujusmodi Literarum fuit:

Reverendissime Domine.

„ JAm appropinquat tempus, quo me Romam pro-
„ fecturum esse in proximo Provinciali Concilio
„ dixi. Ineunte enim mense Octobri, me itineri,
„ Deo adjuvante, committere cogito. Id ego Am-
„ plitudini T. Reverendiss. significare volui, ut
„ quidquid habet, in quo illi Romæ usui esse pos-
„ sim, me de omnibus rebus certiorem faciat;
„ nihil enim mihi prius erit, nihil optatius, quam
„ ut ei adjumentum aliquod afferam: Ad eamque
„ rem omnem operam, omneque studium meum
„ libentissime conferam, ut a me caritas, qua si-
„ mul conjuncti sumus, efflagitat. Interim Deum
„ precor, ut Amplitudinem T. Reverendiss. gratiæ
„ suæ muneribus augeat.

„ Morteroni in Diœcesi mea V. Calendas Sept.
„ MDLXXXII.

Omitto plurima alia, quæ Ecclesiæ suæ commodum respiciebant; præcipue autem petitionem Modoëtiensium pro Insignibus Pontificalibus Archipresbytero reddendis: quæ dignitas quemadmodum minus debita petentibus propter recentes injurias videbatur; ita postulata a Carolo luculentius lenitatis suæ testimonium exhibuit. Hoc unum dicam, visas a me schedas petitionum suarum sexaginta & amplius capita continentes.

(*a*) Quatuor præcipue causas fuisse Carolo video, propter quas Romam a Pontifice vocaretur. Primò urgebant afflictæ, & perditæ ferme res Fratrum S. Francisci, quos strictioris Observantiæ nuncupamus. Idcirco jam sub anni superioris finem solicite admodum a Speciano rogabatur, ut in ea Urbe adesset, finem præsentia sua facturus inimicitiis, quas in eos Observantes susceperant. Tamen tum utcumque jurgia compescuit Carolus operâ multorum Cardinalium, quibus naviter ejus Ordinis res commendaverat; deinde hoc anno præsens omnino diremit. Secundò exortæ controversiæ aliquot Bononiæ fuerant de Paleotti Episcopi jure; quibus ut imponeretur finis, Carolus Romæ deinde egit, ut Paleottus Archiepiscopus renunciaretur. Tertiò restituenda erat Equestris Jerosolymitani Ordinis disciplina, quæ ruebat in præceps; multa idcirco officia ex Pontificis mandato Carolo admoverat Speciānus, ut adventum suum maturaret; imo preces etiam interposuerat ejusdem Ordinis Eques Catellianus Casatus Mediolanensis, cujus Literis religionem summam redolentibus sic respondet Borromeus: „ Su-
„ scepta a te hæc cura restituendæ Jerosolymitano
„ Ordini tuo disciplinæ me recreavit mirifice; & spe-
„ ro fore, ut tam piis votis favore suo Deus in-
„ dulgeat. Ego autem, quantum in me est, statim
„ ac Romam advenero, in id solicitudinem omnem
„ meam, atque operam conferam.“ Erat nobilissimus ille Ordo jam ab Anno MDLX. sub Caroli patrocinio, ac tutela, qua nunquam se abdicavit. Egomet legi authographum ipsum Diplomatis pendente plumbo obsignatum, quod ad Cardinalem dedit eodem anno Joannes de Valetta Summus eorum Equitum Magister ad diem XXIX. Julii. Quare primâ acceptâ labentis Instituti famâ, convenerat cum Gregorio, anno MDLXXX. quemadmodum jam attigimus, ut Melitam legaretur P. Hieronymus Malettâ ex clarissima Clericorum S. Pauli Congregatione; qui perfectiorem vivendi normam illuc induxit, ut legi in ejusdem Patris Literis ad Carolum datis: Præterea, ut pro quibusdam inter Magistrum, & Melitenses Equites exortis dissidiis mitteretur S. R. Rotæ Auditor Gaspar Vicecomes. Quid

deinde

Diſceſſum paranti (*a*) nuncium affertur Camillam ſororem, quæ Cæſari Gonzagæ nupta fuerat, modico temporis intervallo a vitæ exitu abeſſe. Id in cauſa fuit, cur maturius, quam decreverat, ex Urbe proficiſcens Vaſtallam verſus citato, quantum poterat, curſu contenderet; ut extremos morientis anhelitus fraterna benevolentia, & profuturis ad æterna gaudia hortamentis exciperet. Sed celerior opinione mors nullum Ejus pietati locum reliquerat, niſi ut mortuæ juſta perſolveret (*b*). Hoc officio

deinde Romam adveniens Cardinalis ſuper hoc perfecerit, me latet; ſed certe fide Catelliano Caſato data ſe omnino abſolverit. Ultimò gravius negotium Ejus prudentiæ committendum erat; De nuptiis nimirum dirimendis inter Principem Parmenſem Margaritam ex Farneſia Familia, itemque Mantuæ Ducis filium propter intercedens impedimentum. Hoc autem admirabili conſilio ad exitum perduxit, ut videbimus.

(*a*) Nihil minus, quam de Romano itinere tum cogitabat Borromeus; Scripſerat enim paulo ante ad Specianum, ſe Romæ adfuturum ad Calendas Novembris, & Provinciæ ſuæ Epiſcopos præmonuerat, ut vidimus, fore, ut in viam ſe daret Octobri menſe; imo Epiſcopum Laudenſem eo tempore Pontificis in Hiſpania Internuncium commonefecerat, ſe ocyus ejuſdem votis indulgere velle, & Laudenſem Diœceſim univerſam ad Idus Sept. obire. Sed clarius rem totam evolvet alia ad Specianum data Epiſtola, in qua itineris ſui properati cauſam exponit: „ Nos ſæpe plura colloquendo, & conſul-
„ tando ſtatuimus; Sed Deus Opt. Max. rerum ar-
„ biter conſilia humana omnia pro poteſtate ſua mi-
„ ſcet præter opinionem noſtram. Scripſeram jam-
„ diu me Romam non cogitaturum, niſi poſt Ca-
„ lendas Octob.; Sed allatum repente nuncium im-
„ pendentis Sorori Camillæ interitus, compulit
„ me Vaſtallam verſus iter ſuſcipere citatiſſimum no-
„ cte ipſa, quæ iniit poſtridie Nonas Sept., ut ali-
„ quam eidem ſacræ conſolationis partem in extremo
„ vitæ articulo offerrem. Verumtamen feſtinatum ad-
„ ventum meum Camillæ mors prævertit. Quare cum
„ eò jam me proceſſiſſe videam, ut ſatius ſit progre-
„ di, quam regredi; abjecto revertendi conſilio,
„ hic ſubſtiti, ut poſt aliquot dies reliquum Ro-
„ manæ viæ conficiam. Interim plura ad Eccle-
„ ſiam meam pertinentia perficio, quæ mea ve-
„ nientis feſtinatio Mediolani imperfecta reliquerat.
„ Navi Anconem ire cogitabam, ſed mentem hanc
„ ferme depoſui; nam cum impeditior hæc itineris
„ faciendi ratio, ſi omnia conſiderem, videatur;
„ tenue etiam cognoſco fieri quietis compendium:
„ quandoquidem ubi illuc appulerim, multum adhuc
„ terreſtris viæ ſupereſſe video. Itaque lectica potius
„ vehi cogito: qui faciendi itineris modus multum
„ ad colligendum animum, & Divina contemplan-
„ da confert; ſacris enim cogitationibus vacare
„ hoc tempore conſtitui. Nunc Sabulonetæ degens
„ inter Capuccinos Patres ſolitudine fruor, & res
„ meas tranquille expedio. Si Mantuam perrexe-
„ ro, agam de iis, quæ mihi Card. Maphæus de-
„ mandavit. Altempſio autem dicas velim, ſuum
„ fore quidquid illi pecuniæ debebatur ex Miraſolis
„ eenſibus, antequam ea ſe Præpoſitura abdicaret;
„ nam olim memini in controverſia pari, cum pe-
„ cuniæ ſummam aliquam hujuſmodi a Cardinali
„ Ferrarienſi repeterem, Vicarium meum Caſtellum
„ judicem contra me ſententiam pronunciaſſe &c.

(*b*) Tertium jam Caroli conſtantia tentabatur hoc anno. Præter Camillam Sororem menſe Septembri ſibi ereptam, Januario e vivis exceſſerat Comes Franciſcus Borromeus Patruus, quem præ conſanguineis omnibus ex animo diligebat. Præterea Borromeam Familiam funeſtaverat etiam Annæ Columnæ Sororis alterius mors, quam paucis ante menſibus, exeunte ſcilicet Majo, Panormi fato defunctam lego. Hæc Fratris ſui ſanctitati tantum deferebat, ut arcana animi omnia Eidem aperiret; imo quadriennio ante Epiſtolam ſuam ad Cardinalem dederat, quam teſtamenti loco eſſe voluit; neminem ſcilicet alium arcanorum ſuorum arbitrum admiſit. In hac a me lecta legavit Philippo Nerio trecentos aureos ex ejuſdem nutu expendendos; ſiquidem cum illum maximi faceret, utpote ſibi a Confeſſionibus, dum Romæ fuerat, digna viſa deinde eſt, ut eum etiam virtutis ſuæ præconem haberet, ut docet P. Baccius in Nerii Vita. Verumtamen tot domeſticis afflictus calamitatibus nunquam e gradu dejectus eſt ſuo Carolus, qui minus graviter hæc ſentire infortunia videbatur, quam ii ipſi, qui per literas illacrymabantur. Romanos præcipue Cardinales tam frequentibus Conſanguineorum ſuorum funeribus magis commotos lego; quam Ipſum, ad quem præcipue dolor pertinebat. Juſta tamen ſuberat cauſa, propter quam levare animum in Annæ præſertim morte poſſet. Poſtridie Nonas Junii Literas acceperat a P. Mario Fabritio Societatis Jeſu cum fauſtiſſimo ejus mortis nuncio, quas recenſere juvat, ut abundare ſanctitatis exemplis Borromeam Familiam intelligamus. „ De Annæ ſororis mor-
„ te hoc unum dicam, quod ea quemadmodum
„ vivens omni ex parte incontaminatæ integritatis
„ argumenta exhibuit; ita laudabilem vitam optimo
„ fine clauſit, admirandam, & perpetuam ſolidæ vir-
„ tutis memoriam relinquens. Moriens nullum exte-
„ rius dedit nec dicto, nec facto indicium, quod Chri-
„ ſtianam perfectionem omnino non ſaperet; Ego
„ tamen novum hoc teſtimonium adjicio: majori
„ eam interius virtutum ſplendore fuiſſe ornatam;
„ quoniam omni veluti contagione corporis libe-
„ rata, ſcrupulorum omnium, qui viventem adeo
„ pupugerant, expers, egregie de Divinis ſentiens,
„ & ſuperni Spiritus luminibus illuſtrata, nullis
„ corporis doloribus conflictata, ut admirati omnes
„ ſumus, maximo eum ſuo, atque eorum, qui
„ illam intime noverant, gaudio, animum ſancte
„ dejiciens, ſibi uni diffiſa, licet Divino maxime
„ freta auxilio, cujus arbitrio voluntatem ſemper,
„ & tum præcipue ſuam accommodavit, XI. Cal.
„ Majas, Sabbato ſcilicet, quod *in Albis* dicimus,
„ hora XX. extincta eſt; *in Albis* nimirum itura
„ obviam Cæleſti Sponſo, & iis accenſenda, qui

Digitized by Google

officio defunctus, Sabulonetam illico ad severiores Franciscanos deflexit, quorum utcumque asperrimum vitæ genus comparatione severitatis, quam Ipse sibi indixerat, delicatum, ac molle videri potuit (*a*). Ibi ad concilianda Superum patrocinia paulum moratus (*b*), non antea viæ se tradidit, quam Cæsarem Gambaram Derthonensem Episcopum, qui ceteris Provinciæ Episcopis Pontificatus diuturnitate anteibat,

„ *in Agni sanguine stolas suas dealbaverunt*. Hoc „ mihi unum reliquum est, ut moneam: gratias „ primùm agendas Deo, quod tam felici exitu So„ rorem D. T. Illustrissimæ ad se vocaverit: dein„ de admovendas eidem preces, ut mihi quoque „ parem impertiatur vitæ finem; & quemadmodum „ testis ego luculentissimus ejusdem virtutis sum, „ fieri etiam valeam imitator: quique cæcus ferme „ dux Annæ viventi prævi; morientem discipulus, „ & socius subsequar &c." Quare mirum non accidit, si forti, & constanti animo calamitatem hanc tulerit Carolus, qui etiam consolationem veluti suam dolentibus hac de causa aliis impertivit. Comitem Nicolaum de Gambara officiosis hisce literis consolatus scilicet est, quas subjicio: „ Intellexeris, puto, aliun„ de, ereptam nobis fato Sororem Annam, cui be„ ne faustèque sit. Nunc cum Panormo venerit „ Abbas de Augustinis, qui morientis spiritum ul„ timum excepit, eodem uti Internuncio volui, ut „ tibi ex ordine omnia aperiret. Ejus narrationi „ hoc unum addendum esset, posse quidem jactu„ ram hujusmodi gravem aliquantulum humanis „ sensibus videri; nihilominus nostrum esse omni„ no Divinæ voluntati acquiescere. Verumtamen „ scio te, si exacte omnia perpenderis, maximas „ Deo habiturum grates, quod sic *in conspectu suo* „ *placitum fuerit* de proba hac ejus Ancilla, quæ „ dedit ea sui experimenta, ut in certam erigi spem „ possimus fore, ut in Cælestis gloriæ partem ve„ nerit, quemadmodum ex eodem de Augustinis cla„ rius intelliges.

(*a*) Revera hoc anno non dumtaxat asperrimam initam a quocumque alio vivendi rationem æmulari, sed longo intervallo superare Cardinalis visus est. Mirum abstinentiæ genus admiratus Gregorius ipse Pontifex, per Theopompum Ferrum in S. Ambrosii Basilica Canonicum, qui Roma per eos dies reversus fuerat, leniter conqueri apud Carolum voluit, cui tamen Hic egregia Epistola, quam alibi reddemus, austerum suum vivendi genus luculenter purgavit. Cardinalis item Cæsius Bononiæ Legatus XI. Cal. Februarii manu sua scripserat in hæc verba: „ Ex pluribus, qui Mediolano adve„ nerunt, audio Te abstinere vino penitus cœpisse, „ & aquæ potu unice uti: Præterea duriorem a Te „ susceptam decumbendi rationem; nam ubi antea „ stramentis saltem noctu solebas incumbere, nunc „ vestibus nunquam depositis, brevem, ac durum „ somnum sedens in sella capere consuescis, hu„ merisque uno pallio involutis: qua de causa gran„ di macie torridum extabuisse Tibi corpus dictitant, „ totumque vultum pallore insolito suffusum. Hæc „ autem omnia certis ab auctoribus accepi; quare ne „ obsequentissimæ servituti meæ deesse videar, Imo „ etiam publicæ utilitati, oro, obtestorque, ut præ„ claris tuis exemplis, & vita labis omnis experte „ pergas quidem Christianam rempublicam confir„ mare, ut facis; verum hoc etiam recogites ve„ lim, non posse te abstemium, & insomnem tam „ præclara edere virtutis documenta. Qui enim fieri „ potest, ut cibo, & quiete destitutum mortale cor„ pus par sit tot laboribus tolerandis? Tot egregia „ Ecclesiæ lumina, & Sanctos Patres hujusmodi vi„ giliis, & jejuniis confectos nullibi lego. Veniat, „ quæso, in mentem tantâ abstinentiâ vim quamdam „ Deo inferri, & præverti vitæ finem contra Omni„ potentis decreta. Cur illud vivendi spatium cor„ ripias, quod tibi rerum Arbiter præstituit? ne„ que enim ex voluntate tua illud est præfinien„ dum. Imitare, obsecro, S. Martini promptam, „ facilemque ad Divinos nutus obedientiam, qui „ *nec vivere timuit, nec mori recusavit*: & vive ex „ Patrum veterum, atque Doctorum exemplo sal„ tem quoadusque vitam Deus impertitur. Fidem „ mihi habe, amabo te; quandoquidem probe scio „ quanti Ecclesiæ interfit Carolum vivere. Me mul„ tis criminibus obstrictum fateor; & cæcus certe „ sum, qui adversus Solem loquor. Nimium mihi „ arrogo, si hæc magistrum doceam; tamen ista „ mihi scribere videor, Divino quodam afflatu com„ monitus &c.

(*b*) Diuturnior fuit hæc mora, quam Glussianus existimavit. Etenim cum Sabulonetæ esset ad Idus Sept., ibidem versatum Carolum constat ex certis documentis usque ad mensis finem. Meditabatur quidem ad Deiparæ Lauretanam Ædem inde proficisci, ubi piis contemplationibus vacare cogitaverat; in eamque rem petita P. Benedicti Palmii venia Novellarâ evocaverat P. Antonium Valentinum Soc. Jesu, cujus institutionibus uti in sacris iis exercitationibus moliebatur. Sed cum, mutatâ sententiâ, omisisset Lauretanæ viæ ineundæ consilium; statuissetque per Etruriam Romam tendere, hic aliquantulum substitit, & magister aliis meditandi fieri voluit, qui paulo ante P. Valentini discipulum se profitebatur. Siquidem in ea solitudine quasdam Silvas, seu Synopses contexuit *de Arte Meditandi*, quas deinde in tabulas dilucide redegit Augustinus Valerius, qui Sabulonetæ die XIX. Sept. Cardinalem convênit tam religiosa cura distentum, & præclaram hanc Caroli doctrinæ supellectilem secum Veronam transtulit. Libellum hunc deinde Congregationi Oblatorum Valerius nuncupavit, qui in Præfatione sua nos docuit, deberi Caroli ingenio nobile hoc Opusculum, & in hoc itinere fuisse elucubratum. Illud servat nunc Ambrosiana Bibliotheca, Valerii ipsius manu conscriptum, atque si Superis placet in lucem aliquando edendum. Attamen quis credat totum in meditationes rerum Cælestium abditum Borromeum aliis etiam vacare rebus potuisse? Vacavit tamen; & Sabulonetæ degens plura ad Mediolanensis Urbis, & Diœcesis religionem fovendam sanxit: Infinita, quæ sibi imponebantur per absentes, onera rerum cum Pontifice transigendarum alacriter in se recepit: in Genuensem Lustrationem intentus multa Novariensem Episcopum Visitatorem docuit: Celanæ Seminarium

Digitized by Google

bat, de profectione ſua ad præſcriptum Tridentini Concilii præmoneret (*a*).

Non ego aut ſummis honoribus, quos in eo itinere retulit immorabor [*b*], aut illuſtribus virtutum exemplis, quæ ſemper pediſſequa Ejus fuere, quoties alienas terras peragraret. Digniora notatu ſunt, quæ Pater Lucianus a Florentia rite interrogatus de Cardinalis ſtudiis, & vitæ ratione, quamdiu Romæ in Sanctæ Praxedis Ædi-

rium cenſibus auxit, pro quibus impetrandis permoleſta ſibi negotiatio cum Veneto Senatu fuit: cum Palcotto plura ſtabilivit, præcipue de rebus ſuis poſtmodum Romæ componendis: Pontificium Viſitatorem abunde erudivit pro Pedemontii luſtratione inunda. Interim comparanda multa erant ad Romanum iter perficiendum; & faſſus eſt in Literis ſuis, maximam ſibi fuiſſe eo tempore rei nummariæ difficultatem; immo reſpondendum erat Principum, Nobilium virorum, & Cardinalium officiis, illum obruentium pene, & undique diſtrahentium. Itaque cum Sabulonetâ diſceſſit, Mantuam divertit biduo ante diem ſacrum S. Michaëlis Baſilicæ Dedicationi: Cauſa autem hujus itineris fuit indicta in ea Urbe ſplendida ad III. Calen. Octobris celebritas propter transferenda, ſeu reponenda, ut Carolus ſcribit, Sanctæ Barbaræ Lypſana, Mantuæ Duci a Venetis donata.

(*a*) Has literas non Sabulonetæ dedit, ſed in agro Mediolanenſi, antequam ex Luſtratione rediret, ut patebit ex ipſis, quas tibi integras appono:

Perilluſtris, ac Reverendiſſime Domine.

„ DIxi in proximo Concilio Provinciali, me poſt „ paucos menſes Romam cogitare. Nunc jam „ prope inſtat dies, ut hoc iter ſuſcipiam: niſi „ quid ſecus acciderit, me ineunte menſe Octobri, „ Deo adjuvante, in viam dare conſtitui. Quo„ niam autem tam ſerò Mediolano diſcedam, tam„ que multis occupationibus Romæ diſtentus ero, „ ut Adventu, & celebritate in Natalem Domi„ ni Noſtri Jeſu Chriſti me in Eccleſia mea „ adeſſe vix poſſe videam; peto ab Ampl. T. Re„ verendiſſima, quæ eſt Provinciæ noſtræ antiquior „ Epiſcopus, ut cauſam & profectionis, & commo„ rationis meæ extra meam Eccleſiam per aliquot „ menſes comprobare ſcripto ex Decreto Triden„ no velit. Cauſæ verò ſunt, ut ex præſcripto „ juramenti, quod nos Epiſcopi in conſecratione „ præſtitimus, Limina Sanctorum Apoſtolorum invi„ ſere; & præterea cum Summo Pontifice de rebus „ Eccleſiæ, Provinciæque meæ, & præſertim de „ Concilio Provinciali VI. coram agam, quemad„ modum in Concilio uberius locutus ſum. Porro „ ſiquid Ampl. T. Reverendiſſima habet, in quo „ ſibi, Eccleſiæque ſuæ opera mea uſui eſſe poſſit, „ ad me plene, atque explicate ſcribat quamprimum velim; curabo enim pro ea, quam & Amp. „ T., & Eccleſiæ debeo, caritate, ut illi adjumentum „ aliquod offeram; ſtudium quidem certe, & diligentia mea nullo unquam loco deerit Ampl. T. Reverendiſſimæ, cui a D. O. M. omnem gratiæ cumulum precor.

„ Morteroni in Diœceſi mea V. Cal. Septembris.

(*b*) Operæ tamen pretium eſt huic narrationi aliquantulum immorari, ut perſpicuum fiat, quo in loco apud omnes Borromeus eſſet. Itaque dum Sabulonetæ eſſet, honorifica primùm legatio a Metropolitano Mediolanenſi Collegio miſſa eſt, ut Romam abituro fauſtum iter precaretur; in qua præter conſuetam honoris ſignificationem actum lego. Cum vero illic agitaret, utra ineunda eſſet via, num terrâ per Etruriam, quæ brevior videbatur; an navi per Mare Superum Anconem appellens, reliquum itineris terreſtris Romam verſus deinde conficeret: certatum officiis inter Venetos, & Ducem Parmenſem fuit: Hic enim obſtitit, quominus Gabriel Bambaſius novam lecticam inſtruendam juberet, quemadmodum mandatum a Carolo fuerat; ſed ſibi honori vertit ſuam ipſius mittere. Illi contra oravere per Auguſtinum Valerium, ut ſecundo Pado in Mare deſcendens, ornata publico Reipublicæ nomine navi uti vellet. Sane diu Carolus hæſit anceps conſilii, ſubveritus fortaſſe, ne Venetorum, quos impenſe diligebat, amori minus deferre crederetur. Miſerat cum Ducalis Epiſtolæ ipſius authographo officioſiſſimas Literas Veronenſis Epiſcopus in hæc verba: „ Datis „ Illuſtriſs. Decem-Virorum Reipublicæ noſtræ Li„ teris, Rectoribus Veronenſibus demandatum eſt, „ ut me convenirent, quod etiam fecerunt, rogantes „ certum ad Te nuncium mittam, qui ipſorum verbis „ teſtetur, maximum Reipublicæ univerſæ futurum, „ gaudium, ſi Venetias appellas, ubi publicis impen„ ſis comparabitur quadriremis Anconem uſque; „ cum hanc honoris teſtificationem Clariſſimorum „ Virorum amor, & obſervantia jure veluti ſuo exi„ gant Tibi perſolvendam. Itaque Publico parendum „ eſt mandato. Dignaberis me monitum facere, quo „ loco convenire debeam; quandoquidem me Tibi „ comitem dabo, ut meæ ſunt partes. Geſtii gau„ dio, intuens quo obſequio in Te boni illi Patres „ Patriæ ferantur; neque ſpes abeſt, Divinæ volun„ tatis decreto conſtitutum Tibi hoc iter, quod etiam „ vota tua certe fortunabit. Si caſus tulerit, ut tam „ meo, quam omnium voto obſiſtas, quod certe nol„ lem, reſponſum, quod magis arridebit, certum „ dabis; ego ſane partes tuas implebo, prout manda„ bitur. Veronæ IX. Cal. Octobris MDLXXXII.

Tantâ benevolentiâ Venetorum obrutus Cardinalis, deliberare quidquam non potuit, niſi ad XXVII. Sept. diem, qua Mantuam iturus in hæc verba Valerio reſpondit: „ Hactenus familiari tuo diuturnam moram injeci, „ ut cum certo illum reſponſo dimitterem. Itaque „ deliberavi recta Romam proficiſci, & Sacræ Ædis „ Lauretanæ aſpectu me dumtaxat beare in reditu. „ Hinc video ademptam occaſionem utendi compara„ to navis commodo, propter quod admota mihi „ humaniſſima Reipublicæ iſtius nomine officia fue„ rant; quandoquidem maritimi itineris ſuſcipiendi „ conſilium abjeci. Age quas potes maximas Nobi„ liſſimis Rectoribus gratias verbis meis, & omne „ obſervantiæ meæ teſtimonium deferas velim. Ho„ die Mantuæ ero, ubi ad III. Cal. Octob. etiam „ degam, & Sacro alio Venetorum beneficio fruar, „ cum illic S. Barbaræ Lypſana ſeu transferenda ſint,

„ ſeu

Digitized by Google

Ædibus [a] manſerat, in hunc modum expoſuit: „ Delectam ab Eo in domeſtico „ Oratorio ſellulam, in qua, repudiato „ penitus lecto, duas, aut ad ſummum „ tres horas quieti daret. Reliqua noctis „ tempora piis primum meditationibus at- „ tributa, mox inſtitutis in Matutinas „ Horas ab Eccleſia precibus, quas flexis „ genibus, & nudo ſemper capite recita- „ ret. Sæpe etiam eveniſſe, ut effoſsam „ ſub Ara maxima ſpecum introiret, ibi- „ que adorandis Sanctorum cineribus in- „ ſomnes noctes traduceret [b]. Neque „ uliginem loci, neque frigoris acerbita- „ tem

„ ſeu reponenda; hoc enim tam inſigne donum „ Mantuæ Dux ab eorum munificentia retulit &c. " Itaque licet tam ſero de terreſtri itinere deliberaſſet, Parmenſis Dux jam ad diem XIX. Sept. lecticam miſerat Sabulonetam Carolo utendam cum jumentis ſuis; ſed ea uſus cum eſſet Bononiam uſque, Legatus ibi Pontificius Card. Cæſius nova ſaltem jumenta ſubſtituere voluit, quandoquidem ſuam lecticam repudiaverat Carolus. Hoc Ille pacto ſacris exercitationibus, & Lectioni percommode in itinere vacabat; idcirco enim ſcripſit adductum ſe, ut ea opportunitate uteretur. Paulo poſt audito adventus Ejus nuncio, Magnus Etruriæ Dux Equitem Gabrielem Verrum Mediolanenſem Patricium, & cubiculo ſuo Præfectum obviam miſit cum Literis die XVI. Octob. datis (ne quis tanta per Etruriam cunctatione commoveatur, advertendum eſt, decerpendos eſſe ad hunc menſem X. dies ex emendatione Calendarii Gregoriana), monens, ſe ex Podio, ubi ruſticabatur, ocyus Florentiæ affuturum cum fratre Cardinali, ut venientem exciperet; ad eam Villam præſcripſerat Carolus, ſe velle deflectere, ut colloquio utriuſque frueretur. Florentiæ fuit biduo poſt Idus Octob.; ubi cum verſaretur, remiſſa jumenta ſunt ad Bononienſem Legatum; id enim ſibi honoris Magnus Dux depoposcit, ut Romam inveheretur ſuis. In reliquo itinere factos ubique ad Eum concurſus lego, iiſque pares, quibus Almam Urbem triennio ante fuerat ingreſſus. Romam iniit poſt meridiem die XXIV. Octob., ni fallor; nam ad XXII. opperiebatur Eum Bagnajæ Card. de Gambara, ut ad inviſendam Sanctæ Mariæ ad Quercum Ædem deduceret. Dum ad Romanam Portam accederet, narratur in tabulis: Pontificem forte animi cauſa ex edito quodam loco, unde viæ aſpectus patebat, vidiſſe ſublatum pulverem, & circumſtantes rogaſſe, cujus ea lectica eſſet, quæ ad Romana mœnia appropinquaret? Cum vero reſponſum ab Aulicis fuiſſet, Card. Borromeum eo die expectari; ad eos converſum Gregorium dixiſſe: Præſtat hinc ocyus recedere; ne ſi Cardinalis S. Praxedis reſciat, Nos innocuo hoc ſolatio diſtineri, dicat, inaniter tempus teri. In quo quidem utrum laudem neſcio: num tantam in Pontifice animi demiſſionem; an Caroli exiſtimationem.

(a) Colebat eximie hoc Templum, utpote ſacris Pignoribus refertum. Hinc repudiavit ſplendide oblatum ab Altempſio, aliiſque Cardinalibus hoſpitium. Rhedam ſi quando illius uſus erat futurus, ab uno Altempſio accepit; videbatur enim ſibi pecuniæ prodigus, ſi æs in ea inſtruenda collocandum pauperibus, quibus ſua omnia ſervabat, veluti ademiſſet. Quare Specianum præmonentem ſæpius, rogantemque ſuperioribus menſibus, an eam expenſis ſuis comparari vellet, tergiverſatus ſæpe eluſerat, atque reſcripſerat: Otioſi hominis eſſe hanc curam cogitatione antecapere; neque diſſimulavit ſe valde a pecunia imparatum, quod etiam veriſſime dixit. Incredibile autem dictu eſt, quantum in Romanis omnibus excitatum eſſet de Caroli adventu deſiderium; quod cum præcipue eminuerit in Tragurii Epiſcopo, idcirco ejuſdem latinas literas appono.

Carolo Borromeo Cardinali S. Praxedis Archiepiſcopo Mediolani Domino ſuo Colendiſſimo

Antonius Epiſcopus Tragurii
S. D.

„ IN maximis meis tribulationibus, quas pro mea „ Eccleſia, pene ex quo tempore ad illam ac- „ ceſſi, continenter pertuli, & adhuc cum gratia „ Dei patior; nulla fere conſolatio magis animum „ meum levavit, quam adventus Tui in hanc Ur- „ bem expectatio. Quo nuncio hæc Civitas univer- „ ſa, & præcipue omnes boni erecti Tuam præſen- „ tiam mirabiliter concupiſcunt. Nam quocumque „ acceſſeris, tanquam *Chriſti bonus odor* ita omnes „ allicis, ut vere illud de Te dici poſſit: *In odo- „ rem unguentorum tuorum currimus*. Non enim Tu „ triſtem ſanctitatem, quam quivis etiam non op- „ timus facile imitetur; ſed hilarem innocentiam, „ quam nemo niſi bonus aſſequatur, tecum adfers. „ Tum doctrinæ utilitate, atque ubertate ita unum- „ quemque recreas, ac reficis, ut *verba vitæ habere* „ merito exiſtimeris. Idem ceu alter David *pro „ caſtris Domini ſtas*, & *a domo Dei omnem igno- „ miniam, atque omnem vim arcere*, quantum in Te „ eſt, contendis. Denique verus Divini Ambroſii „ imitator, cujus cùm locum, tùm vim, & mo- „ rem obtines, qualem Apoſtolicum Virum eſſe „ oporteat, rebus ipſis oſtendis. Quæ cum ita ſint, „ quid mirum, ſi ego Te unicum rebus meis præ- „ ſidium tam cupide expecto? Sed de Eccleſia qui- „ dem mea tum cum adveneris, quantum Tua „ humanitas, & mea modeſtia patietur, erit Tecum „ coram agendi locus. Interim Hymnum ad San- „ ctum Ambroſium, quem inter ſcripta Fratris mei „ reperi, quia devotus, & non inconcinnus eſt „ viſus, mittere ad Te conſtitui, ut eſſet meæ in „ Te obſervantiæ quoddam quaſi pignus & argumen- „ tum. Tu vero hanc vicem, quæſo, repende Fra- „ tri meo, quem Altiſſimo placuit proximis hiſce „ diebus mihi adimere, & hac plaga recenti me „ afficere, ut ejus animæ pacem, & meæ imbe- „ cillitati robur a Dei bonitate impetres, cui ho- „ nor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Vale. „ VI. Cal. Septembris MDLXXXII. Roma.

(b) Loci hujus ſanctitas fuit in cauſa, ut nunquam ſe Titulo S. Praxedis abdicare voluerit. IX. ante menſibus ſcripſerat Specianus, liberum Ipſi fore optare

Digitized by Google

cum magnam partem pro eo, quo erga Catholicum Regem ferebatur, amore ſentiret, ſupplicationem habuit cum Populo (*a*), ut Deo, ad quem proſperos rerum omnium eventus referri par eſt, ſolemnes gratias ageret (*b*).

LIBRI SEXTI FINIS.

DE

(*a*) Noctu, antequam illuceſceret, Vaſtallam verſus iter inſtituit ante diem ſcil. VII. Septembris. Nam vix equo deſiliens, raptimque ſalutatis, & viſis Hortenſiæ Sororis Altempſiæ filiis, quos per Taurufium deducendos huc paulo ante curaverat, ut Literarum, & Diſciplinæ Chriſtianæ tyrocinium in Nobilium Convictorum Collegio ponerent: multa ſtatim cum Ragazzonio Bergomenſi Epiſcopo in conclavi ſine arbitris egit, quandoquidem ille adventum ſuum in hac Urbe opperiebatur. Poſtmodum ſubſcripſit Paſtoralibus literis ad Clerum dandis pro nova *Breviarii* emendati juxta Ritum noſtrum editione, cujus curam corrigendi multis ante annis Ipſemet cum Galeſinio ſuſceperat. Sic incœnatus, nulla quiete capta, aut ſomno, equum aſcendit, & ſummo mane Laudem Pompejam adveniens, ibidem perlitavit, & inpranſus Parmam ſub noctem diei ipſius ingreſſus eſt. Quare non video, quomodo ſupplicabundus Urbem obierit, gratias Deo pro Claſſis Hiſpanicæ victoria relata a Sanctacrucio acturus. Præ manibus habeo adverſaria Jo. Pauli de Clericis eo tempore in Metropolitana Baſilica Cæremoniarum Didaſcali, quæ ab interitu vindicata mihi humaniſſime obtulit R. D. Bernardinus Caſſianus Rituum ibidem hoc tempore Magiſter. Itaque in iis lego indictam hujus victoriæ cauſa ſupplicationem ad S. Ambroſii Baſilicam die XXIII. Septembris; quare abſens tum ab Urbe Borromeus certe illi intereſſe non poterat; præſertim cum eadem Manuſcripta diſerte teſtentur, Archipresbyterum Templi Max. ad S. Ambroſii ſupplicabundum proceſſiſſe; atque ad VII. Septembris diem adnotatum legam: Propter Archiepiſcopi abſentiam in Deiparæ ſolemnitate pontificali ritu Sacra omnia peracta fuiſſe ab Epiſcopo Bergomenſi, & proximis Temporibus Autumnalibus inauguratos Sacerdotes ab Epiſcopo Cittadino in Miraſolis ſuburbano Templo. Hos enim ſibi ſubſtituerat adminiſtros, & Vicarios abſens Cardinalis. Sed clarius aperiunt rem Caroli literæ Sabulonetæ ſcriptæ, quibus ſupplicationem hanc indicendam a Vicario juſſit.

(*b*) Licet multa congeſſerimus ad hujus anni initium, omiſſa a Gluſſiano: iterum alia ſuperſunt evolvenda, antequam ad Romanum Caroli iter ſtylum convertamus. Occurrit in primis recepta in ſe a Borromeo cura, ut P. F. Ludovici Granatenſis doctrina Pontificio præconio commendaretur. Incredibile dictu eſt quanti egregium illum Virum faceret; quare infinita me circumſtant optimæ in illum Caroli voluntatis teſtimonia; quibus brevitatis ergo omiſſis, unam reddo Epiſtolæ partem, quam ad Hieronymum Mantichium Ulyſſipone degentem dedit hoc anno, dum Cavarniæ eſſet: „ Gratiſſimum ac„ cepi per literas tuas nuncium, ex quibus intellexi, „ auditam a te præſente P. F. Ludovici Granatenſis „ Orationem fuiſſe. Sane felicitati invideo tuæ; me„ tior autem voluptatem tuam audientis vivam vocem „ doctiſſimi illius, & religioſiſſimi Patris ex maxima ea „ jucunditate, qua ipſe perfundor, ejuſdem Opera per„ legens, quod frequentiſſime, & ſuaviſſime facio." Itaque hoc item anno mire captus Cardinalis tanta dicendi ubertate, ac vi, quam excitare etiam ſæpius per literas contendit, ad novam Concionum digerendam ſeriem Ludovicum cohortatus: re cum Paleotto communicata, ſtuduit Gregorium ipſum ſummum Pontificem permovere, ut Brevibus literis ad eumdem datis illius doctrinam commendare, & ſtudium acuere contenderet. Operæ pretium eſt audire, quam vehementer id Gregorio perſuaderet; quare fideliter epiſtolam eamdem reddo:

Sanctiſſime, & Beatiſſime Pater.

„ EOs inter, qui hac ætate noſtra utiliter admodum „ de rebus Sacris ſcripſere, haud falſo affirmave„ rim, puto, nullum extitiſſe, qui aut uberius, aut „ cum majore delectu, aut fructuoſius egerit, præter „ Ludovicum Granatenſem. Quotidiana experientia „ ut id aſſeram facit; Video enim eos, qui hujus „ Auctoris Italice redditi ſunt Libri, atque ad cujuſ„ cumque ordinis homines ſpectant, mirifice ad Ec„ cleſiæ meæ ſanctitatem conferre; cum in iis certa, quæ ad Deum ducit, & illuſtris pateat via; „ moduſque inſuper addatur, quo ad eamdem per„ currendam Chriſtifideles incitentur. Si vero de „ Latinis ejuſdem Operibus loquar, video in iis ha„ bendarum Concionum normam, & documento„ rum ſeriem ita appoſitam comprehendi, ut di„ cere audeam, in hoc præſertim genere nullum „ magis de Sancta Dei Eccleſia meritum, nullum„ que videri aptiorem, qui valde opportunam ope„ ram eidem poſſit adjungere reliquo, & brevi hoc, „ quod deget, vitæ tempore, cum octogeſimum „ jam ab eo ætatis annum agi intelligam. Tanta, „ quæ in Eccleſiam ab uno homine redundavit, „ & redundatura creditur, utilitas me permovit, ut „ ejuſdem merita in Sanctitatis Tuæ oculis defige„ rem; quæ ſi approbare ſapientiſſimo ſuffragio ſuo „ ſententiam meam velit, rogarem inſuper, ut Bre„ ves Literas ad eumdem daret, in quibus cum ſi„ gnificaret placere ſibi egregiam navatam ſcriptis „ ſuis Eccleſiæ operam; tum etiam ſtimulos adde„ ret, ne ſuſceptum laborem intermitteret; quan„ doquidem jam ab eo conſcripta audio impreſſa „ nonnulla aliorum Operum rudimenta. Hinc fiet, „ ut ceteri curioſi ut plurimum Scriptores elabi e „ manibus ſinant profanam, & inutilem rerum, de „ quibus agunt, ſupellectilem, ſplendidæ hujus lau„ dis æmulatione accenſi; convertantque ſtylum ſuum „ ad ſalutaria potius conſcribenda, eamque viam „ ineundam, quam Granatenſis ſumma cum laude „ iniri docuit poſſe. Id autem officii ut tanto Vi„ ro deferrem, compulit etiam Cardinalis Paleotti au-

„ cto-

Digitized by Google

„ ctoritas ; quocum ſermonem de Ludovico cum „ ſererem, in eadem opinione fuit; ſenſitque, quam„ cumque honoris ſignificationem in eo non im„ merito collocatum iri. Accedit, quod ab illuſtri„ bus ſæpe Viris Hiſpanis accepi: Summam in iis „ regionibus eſſe Viri exiſtimationem, ac famam, „ ejuſque facta luculenter dictis conſentire. Præ„ cant omnes eximiam Patris religionem, & ſan„ ctitatem conſonam omnino concitatæ per ſcripta „ expectationi. Neque publicum hoc teſtimonium „ latère Sanctitatem Tuam poterit, cui certius pa„ tebunt omnia per Internunciorum ſuorum teſti„ ficationem; quare una dumtaxat Literarum com„ mendatio vix Granatenſis merita videbitur adæqua„ re. Certe par a Pio V. præconium retulit Lau„ rentius Surius; neque deſunt aliorum Pontificum „ erga Scriptores alios honoris plenæ ſignificatio„ nes. Verumtamen an vota hæc mea valere de„ beant, ſapientiſſime Sanctitas Tua decernet, at„ que eam, qua pollet, prudentiam unice in con„ ſilium adhibebit. Interim cum Sanctiſſimorum pe„ dum oſculo humillime Sanctitatem Tuam veneror. „ Mediolani Nonis Martii MDLXXXII.

Annuit paulo poſt Borromei votis Summus Pontifex, ut Specianus teſtatur, & luculentius etiam indicant. euchariſticæ literæ a S. Dominici Patribus nomine univerſæ Hiſpanicæ Provinciæ datæ, quibus ad ſummam Granatenſis laudem in hæc verba Cardinalis Româ reſpondit menſe Octobri: „ Quas in P. „ Ludovici laudem Breves a Pontifice Literas impe„ travi, iis minus officium tanti Viri ſapientiæ de„ tuli, quam ut deberi eidem egomet ſentiam. „ Tanta enim ejus merita in Eccleſiam exiſtere au„ tumo, ut quemadmodum ille longe ampliori præ„ mio dignus videtur; ita nihil futurum ſit, in quo „ paratiſſimo animo eidem non ſim gratificaturus. “ Hinc Carolus a Baſilica-Petri aſſeverare non dubitavit, hanc Borromei mentem, & votum fuiſſe, ut in Cardinalium numerum cooptaretur. Attamen Hiſpaniæ non hac una in re Borromeus utilis hoc anno fuit. Scilicet Cardinalem Toletanum permovit, ut Concilium in Provincia ſua cogeret; utque maxime fructuoſum haberetur, lego in Cornelii Carnagi ſui in Hiſpania Procuratoris Epiſtolis, eum Cardinalem ante habendam Synodum, totum ſe in Mediolanenſium Conciliorum lectionem abdidiſſe, ut ex Caroli doctrinæ fonte optimum informandæ Eccleſiæ ſuæ documentum ſumeret. Ex Hiſpania dimotis oculis, in Galliæ religionem augendam deinde Carolus incubuit. Extant Ejus Literæ ad Cardinalem Vademontium pro Tullenſi luſtratione ineunda, & paulo poſt de eadem inita gratulatio. Gallia ornatâ, Germaniam etiam labe aliqua Religionis liberavit; nam cum anno ſuperiore accepiſſet a Baſileenſi Epiſcopo, edita typis fuiſſe, & maligne vitiata Biblia Sacra Hiſpanico ſtylo impreſſa: nunquam conquievit, niſi poſtquam hoc anno impetravit, ne eorum complura exemplaria, jam Francofurto tranſmiſſa Bruxellas, quo vitioſa merx erat deſtinata, interciperentur. Neque tamen ſegnis in Italia ejuſdem opera fuit. Plura per Bernardinum Tauruſium Legatum ſuum pro Ciſalpinis Helvetiorum ditioni ſubditis populis ſtabilivit; utque eodem Religionis, & diſciplinæ vinculo Tranſalpini etiam hærerent cum Italis, per eumdem Tauruſium curavit huc traduci Comitis Altempſii filios in Nobilium Collegio educandos; alioſque item Germanos invitari, ut linguæ commercio inito, aliqua etiam fieret morum probitatis communio. Deinde Epiſcopos ſuos ſolicitavit, ne prædicationis Euangelicæ munus negligerent, diſtributa per Provinciam, quam elucubraverat, de modo concionandi Inſtructione. Quod idem ſtudium extra Provinciam ſuam extendit; nam Valerium Veronenſem lego Caroli officiis victum hoc anno tandem decreviſſe ſuggeſtum aſcendere, & populum Divino verbo paſcere; ut idem ſcribit III. Calend. Junias in hæc verba: „ Die Aſcenſioni Do„ minicæ ſacra, & Dominica item ſubſequente ora„ tionem ad populum habere cœpi, quod præſtare „ etiam die Pentecoſtes meditor. Ago tibi immorta„ les gratias, quod mihi tandem perſuaſeris, ut „ crebro id officii ſuſciperem. *Vere hoc eſt Patris*, „ *hoc Paſtoris, hoc Epiſcopi*. „ Neque ultimo deſtitit Urbem ſuam beneficiis pluribus cumulare. Refrigeſcente civium pietate, mendici antea in unum locum congregati pluribus vitæ ſubſidiis deſtituebantur; quare Carolus beneficentia eos ſua magna ex parte ſuſtentavit. Pari liberalitate Monialibus S. Mariæ a Valle, quibus ſumma annonæ inopia erat, ſuppetias tulit. Xenodochio Maximo palatium *Victoriæ*, in quod peſtilenti anno inopes coëgerat, dono dedit; & donationis ipſius tabulas hoc tempore confecit, ut ex Epiſtola Joannis Arcimboldi clariſſimi Equitis conſtat. Ultimo ad tuenda Pontificiæ poteſtatis jura Sanctium Ghevaram Inſubriæ Præfectum, qui Calendaria juxta emendationem Gregorianam exponi venalia vetuerat, utpote ſine ipſius venia proſtantia, vehementi Epiſtola libere commonefecit, ne Pontificiarum Literarum executioni impedimentum aliquod afferret; ex quo turbæ ſtatim omnes exortæ conquievere.

Digitized by Google

DE VITA ET REBUS GESTIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

Poſtremum Caroli ad Limina Apoſtolorum iter, & cæleſtis quodammodo vitæ ſpecimen, quam Romæ ſervavit, exhibetur.

ELAPSO triennio, ex quo Româ redierat, non tam notæ leges ad viſitanda Apoſtolorum Limina, quam ſingulares curæ ad aperiendas Summo Pontifici Eccleſiæ ſuæ neceſſitates (*a*) Carolum invitabant. Quin etiam ab ipſo Pontifice advētus Ejus ſummopere expetebatur ob exortas

(*a*) Nulla urgens Eccleſiæ ſuæ neceſſitas Carolum incitabat, ut Romam proficiſceretur, licet plurima illuc contendenti oblata fuerint in ejuſdem utilitatem cum Pontifice tranſigenda. Aliena magis Eum Romam evocabant negotia. Nimius ſim, ſi univerſa evolvam ſingulatim; quare aliqua curſim ſufficiet attingere. Eminet in primis Sabaudiæ Ducis Epiſtola, in qua optavit ſibi a Pontifice Decumas impetrari; atque ut Carolum ad poſtulata faciliorem haberet, ſuam fidem obligavit *fore, ut ea dumtaxat in Eccleſia ipſius honorem, & utilitatem cederent*. Præterea Novocomenſis Epiſcopus rogavit, ut Cleri ſui inopiæ conſulturus, emendare Mediolani poſſet per Borromeum ipſum, aut quempiam ab Eodem electum, Preces Diurnas, Nocturnaſque Sacerdotibus ex Patriarchino Ritu recitandas; verebatur enim ne magno ſumptu id Romæ perficiendum eſſet. Salutiarum item Antiſtes, interpoſito Sabaudiæ Ducis officio, ſe Cardinali commendavit, ut opulentiores Sedi ſuæ cenſus adjungeret. Demum Borromeus ipſe ac ſi vereretur, ne inutile hoc iter futurum eſſet, niſi aliis ſe inſuper negotiis obrueret, in Hiſpaniam ad Toletanum Cardinalem, itemque ad Granvelanum ſcripſit, conſilii ſui rationem aperiens, & enixe poſtulans, ut ſiquis ſui uſus Romæ futurus eſſet, libere operâ ſuâ uterentur. Quid plura? Philippo ipſi Hiſpaniarum Regi ſtudia ſua omnia, ſiquid haberet cum Pontifice tranſigendum, humillime obtulit, dum Sobulonetæ eſſet, & operæ pretium videtur Literas ipſas latine reddere:

S. C. R. M.

Digitized by Google

tas quasdam in Republica perturbationes (*a*), quas Ejus consiliis sedari posse credebat. Discess-

S. C. R. M.

„ SIngularis observantia, qua me C. T. Majestati obstrictum, ac plane devotum profiteor, „ quemadmodum meum semper desiderium acuit, „ ut quidquid possem, id omne libentissime quocumque tempore Ipsi deferrem; ita nunc etiam hortatur, ut primò obsequii mei testimonium hisce „ Literis exhibeam: deinde commonefaciam de meo „ citius Romam versus suscipiendo itinere, quo actu„ rus de sacris aliquot Ecclesiæ meæ negotiis, & „ Sanctissimos Pontificis pedes osculaturus statui pro„ ficisci. Siqua interim Majestatis T. imperia ope„ ram meam, quantulacumque sit, postulare illic „ poterunt, jure hanc suo exigent. Hoc interim „ pro certo habeat, nullam pro iisdem exequendis „ aut voluntatem mihi, aut amorem esse defuturum; „ cum tot, tantisque me Illi nominibus obstrictum „ videam; præterquamquod omnia officia mea uni „ pietati, ac religioni, quæ in M. T. adeo emi„ nent, necessario essent deferenda. Audivi Maje„ statem T. gravi morbo vexatam fuisse; & quem„ admodum molestè admodum Regiam afflictam va„ letudinem tuli; ita jucundius confirmatam accepi, „ & gratias Deo habui maximas, quod paternam „ Illius curam gerens favere etiam universæ Ortho„ doxæ reipublicæ visus est, cujus tranquillitas, „ & quies cum Majestatis T. incolumitate, ac vi„ ta adeo videntur esse conjuncta. Auxit voluptate„ tem meam Supremi Numinis erga Regiam Fami„ liam favor, cujus præsidio dissipata hostium clas„ se, ejusdem gloria adeo cumulata est. Hisce omni„ bus de causis publicæ in Ecclesia mea gratiarum „ actiones celebrantur, & Sacris indictis, vota pro „ Ejusdem incolumitate offeruntur. Regiæ inte„ rim dexteræ osculum infigo &c.

Hactenus tamen versata est Caroli solertia extra Provinciam suam. Sed aliæ mox Eidem Romam contendenti impositæ a suis curæ fuerunt. Plura demandavit primùm Episcopus Novariensis pro sancte, & libere perficienda Genuensi, quam obibat, lustratione. Accessere alia postulata Cremonensium, ex quibus generale Urbis Concilium instituit primò, ut Hebræi, perfidum hominum genus, ex ea Urbe pellerentur; Cathedrale deinde Collegium oravit, ut plura sibi percommoda, & ad Ecclesiæ suæ jus spectantia a Summo Pontifice per Cardinalem impetrarentur. Bergomenses Sanctæ Gratæ Moniales retinere quædam jura optabant in Tertii Monasterium olim Parthenoni suo a Carolo conjunctum; atque adeo necessarium Ipsius præsidium credebatur. Breviter: solicitaverat Epistola sua encyclica singulos Provinciæ suæ Antistites, ut sibi deferrent, quæcumque a Romano Pontifice optare possent. Hic autem tenor hujusmodi Literarum fuit:

Reverendissime Domine.

„ JAm appropinquat tempus, quo me Romam pro„ fecturum esse in proximo Provinciali Concilio „ dixi. Ineunte enim mense Octobri, me itineri, „ Deo adjuvante, committere cogito. Id ego Am„ plitudini T. Reverendiss. significare volui, ut „ quidquid habet, in quo illi Romæ usui esse pos„ sim, me de omnibus rebus certiorem faciat; „ nihil enim mihi prius erit, nihil optatius, quam „ ut ei adjumentum aliquod afferam: Ad eamque „ rem omnem operam, omneque studium meum „ libentissime conferam, ut a me caritas, qua si„ mul conjuncti sumus, efflagitat. Interim Deum „ precor, ut Amplitudinem T. Reverendiss. gratiæ „ suæ muneribus augeat.

„ Morteroni in Diœcesi mea V. Calendas Sept. „ MDLXXXII.

Omitto plurima alia, quæ Ecclesiæ suæ commodum respiciebant; præcipue autem petitionem Modoëtiensium pro Insignibus Pontificalibus Archipresbytero reddendis: quæ dignitas quemadmodum minus debita petentibus propter recentes injurias videbatur; ita postulata a Carolo luculentius lenitatis suæ testimonium exhibuit. Hoc unum dicam, visas a me schedas petitionum suarum sexaginta & amplius capita continentes.

(*a*) Quatuor præcipue causas fuisse Carolo video, propter quas Romam a Pontifice vocaretur. Primò urgebant afflictæ, & perditæ ferme res Fratrum S. Francisci, quos strictioris Observantiæ nuncupamus. Idcirco jam sub anni superioris finem solicite admodum a Speciano rogabatur, ut in ea Urbe adesset, finem præsentia sua facturus inimicitiis, quas in eos Observantes susceperant. Tamen tum utcumque jurgia compescuit Carolus operâ multorum Cardinalium, quibus naviter ejus Ordinis res commendaverat; deinde hoc anno præsens omnino diremit. Secundò exortæ controversiæ aliquot Bononiæ fuerant de Paleotti Episcopi jure; quibus ut imponeretur finis, Carolus Romæ deinde egit, ut Paleottus Archiepiscopus renunciaretur. Tertiò restituenda erat Equestris Jerosolymitani Ordinis disciplina, quæ ruebat in præceps; multa idcirco officia ex Pontificis mandato Carolo admoverat Speciano, ut adventum suum maturaret; imo preces etiam interposuerat ejusdem Ordinis Eques Catellianus Casatus Mediolanensis, cujus Literis religionem summam redolentibus sic respondebat Borromeus: „ Su„ scepta a te hæc cura restituendæ Jerosolymitano „ Ordini tuo disciplinæ me recreavit mirifice; & spe„ ro fore, ut tam piis votis favore suo Deus in„ dulgeat. Ego autem, quantum in me est, statim „ ac Romam advenero, in id solicitudinem omnem „ meam, atque operam conferam.“ Erat nobilissimus ille Ordo jam ab Anno MDLX. sub Caroli patrocinio, ac tutela, qua nunquam se abdicavit. Egomet legi authographum ipsum Diplomatis pendente plumbo obsignatum, quod ad Cardinalem dedit eodem anno Joannes de Valetta Summus eorum Equitum Magister ad diem XXIX. Julii. Quare primâ acceptâ labentis Instituti famâ, convenerat cum Gregorio, anno MDLXXX. quemadmodum jam attigimus, ut Melitam legaretur P. Hieronymus Maletta ex clarissima Clericorum S. Pauli Congregatione; qui perfectiorem vivendi normam illuc induxit, ut legi in ejusdem Patris Literis ad Carolum datis: Præterea, ut pro quibusdam inter Magistrum, & Melitenses Equites exortis dissidiis mitteretur S. R. Rotæ Auditor Gaspar Vicecomes. Quid

deinde

Diſceſſum paranti (*a*) nuncium affertur Camillam ſororem, quæ Cæſari Gonzagæ nupta fuerat, modico temporis intervallo a vitæ exitu abeſſe. Id in cauſa fuit, cur maturius, quam decreverat, ex Urbe proficiſcens Vaitallam verſus citato, quantum poterat, curſu contenderet; ut extremos morientis anhelitus fraterna benevolentia, & profuturis ad æterna gaudia hortamentis exciperet. Sed celerior opinione mors nullum Ejus pietati locum reliquerat, niſi ut mortuæ juſta perſolveret (*b*). Hoc officio

deinde Romam adveniens Cardinalis ſuper hoc perfecerit, me latet; ſed certe fide Catelliano Caſato data ſe omnino abſolverit. Ultimò gravius negotium Ejus prudentiæ committendum erat; De nuptiis nimirum dirimendis inter Principem Parmenſem Margaritam ex Farneſia Familia, itemque Mantuæ Ducis filium propter intercedens impedimentum. Hoc autem admirabili conſilio ad exitum perduxit, ut videbimus.

(*a*) Nihil minus, quam de Romano itinere tum cogitabat Borromeus; Scripſerat enim paulo ante ad Specianum, ſe Romæ adfuturum ad Calendas Novembris, & Provinciæ ſuæ Epiſcopos præmonuerat, ut vidimus, fore, ut in viam ſe daret Octobri menſe; imo Epiſcopum Laudenſem eo tempore Pontificis in Hiſpania Internuncium commonefecerat, ſe ocyus ejuſdem votis indulgere velle, & Laudenſem Diœceſim univerſam ad Idus Sept. obire. Sed clarius rem totam evolvet alia ad Specianum data Epiſtola, in qua itineris ſui properati cauſam exponit: „ Nos ſæpe plura colloquendo, & conſul„ tando ſtatuimus; Sed Deus Opt. Max. rerum ar„ biter conſilia humana omnia pro poteſtate ſua mi„ ſcet præter opinionem noſtram. Scripſeram jam„ diu me Romam non cogitaturum, niſi poſt Ca„ lendas Octob.; Sed allatum repente nuncium im„ pendentis Sorori Camillæ interitus, compulit „ me Vaſtallam verſus iter ſuſcipere citatiſſimum no„ ſte ipſa, quæ iniit poſtridie Nonas Sept., ut ali„ quam eidem ſacræ conſolationis partem in extremo „ vitæ articulo offerrem. Verumtamen feſtinatum ad„ ventum meum Camillæ mors prævertit. Quare cum „ eò jam me proceſſiſſe videam, ut ſatius ſit progre„ di, quam regredi; abjecto revertendi conſilio, „ hic ſubſtiti, ut poſt aliquot dies reliquum Ro„ manæ viæ conficiam. Interim plura ad Eccle„ ſiam meam pertinentia perficio, quæ mea ve„ nientis feſtinatio Mediolani imperfecta reliquerat. „ Navi Anconem ire cogitabam, ſed mentem hanc „ ferme depoſui; nam cum impeditior hæc itineris „ faciendi ratio, ſi omnia conſiderem, videatur; „ tenue etiam cognoſco fieri quietis compendium: „ quandoquidem ubi illuc appulerim, multum adhuc „ terreſtris viæ ſupereſſe video. Itaque lectica potius „ vehi cogito: qui faciendi itineris modus multum „ ad colligendum animum, & Divina contemplan„ da confert; ſacris enim cogitationibus vacare „ hoc tempore conſtitui. Nunc Sabulonetæ degens „ inter Capuccinos Patres ſolitudine fruor, & res „ meas tranquille expedio. Si Mantuam perrexe„ ro, agam de iis, quæ mihi Card. Maphæus de„ mandavit. Altempſio autem dicas velim, ſuum „ fore quidquid illi pecuniæ debebatur ex Miraſolis „ eenſibus, antequam ea ſe Præpoſitura abdicaret; „ nam olim memini in controverſia pari, cum pe„ cuniæ ſummam aliquam hujuſmodi a Cardinali „ Ferrarienſi repeterem, Vicarium meum Caſtellum „ judicem contra me ſententiam pronunciaſſe &c.

(*b*) Tertium jam Caroli conſtantia tentabatur hoc anno. Præter Camillam Sororem menſe Septembri ſibi ereptam, Januario e vivis exceſſerat Comes Franciſcus Borromeus Patruus, quem præ conſanguineis omnibus ex animo diligebat. Præterea Borromeam Familiam funeſtaverat etiam Annæ Columnæ Sororis alterius mors, quam paucis ante menſibus, exeunte ſcilicet Majo, Panormi fato defunctam lego. Hæc Fratris ſui ſanctitati tantum deferebat, ut arcana animi omnia Eidem aperiret; imo quadriennio ante Epiſtolam ſuam ad Cardinalem dederat, quam teſtamenti loco eſſe voluit; neminem ſcilicet alium arcanorum ſuorum arbitrum admiſit. In hac a me lecta legavit Philippo Nerio trecentos aureos ex ejuſdem nutu expendendos; ſiquidem cum illum maximi faceret, utpote ſibi a Confeſſionibus, dum Romæ fuerat, digna viſa deinde eſt, ut eum etiam virtutis ſuæ præconem haberet, ut docet P. Baccius in Nerii Vita. Verumtamen tot domeſticis afflictus calamitatibus nunquam e gradu dejectus eſt ſuo Carolus, qui minus graviter hæc ſentire infortunia videbatur, quam ii ipſi, qui per literas illacrymabantur. Romanos præcipue Cardinales tam frequentibus Conſanguineorum ſuorum funeribus magis commotos lego; quam Ipſum, ad quem præcipue dolor pertinebat. Juſta tamen ſuberat cauſa, propter quam levare animum in Annæ præſertim morte poſſet. Poſtridie Nonas Junii Literas acceperat a P. Mario Fabritio Societatis Jeſu cum fauſtiſſimo ejus mortis nuncio, quas recenſere juvat, ut abundare ſanctitatis exemplis Borromeam Familiam intelligamus. „ De Annæ ſororis mor„ te hoc unum dicam, quod ea quemadmodum „ vivens omni ex parte incontaminatæ integritatis „ argumenta exhibuit; ita laudabilem vitam optimo „ fine clauſit, admirandam, & perpetuam ſolidæ vir„ tutis memoriam relinquens. Moriens nullum exte„ rius dedit nec dicto, nec facto indicium, quod Chri„ ſtianam perfectionem omnino non ſaperet; Ego „ tamen novum hoc teſtimonium adjicio: majori „ eam interius virtutum ſplendore fuiſſe ornatam; „ quoniam omni veluti contagione corporis libe„ rata, ſcrupulorum omnium, qui viventem adeo „ pupugerant, expers, egregie de Divinis ſentiens, „ & ſuperni Spiritus luminibus illuſtrata, nullis „ corporis doloribus conflictata, ut admirati omnes „ ſumus, maximo cum ſuo, atque eorum, qui „ illam intime noverant, gaudio, animum ſancte „ dejiciens, ſibi uni diffiſa, licet Divino maxime „ freta auxilio, cujus arbitrio voluntatem ſemper, „ & tum præcipue ſuam accommodavit, XI. Cal. „ Majas, Sabbato ſcilicet, quod *in Albis* dicimus, „ hora XX. extincta eſt; *in Albis* nimirum itura „ obviam Cæleſti Sponſo, & iis accenſenda, qui

„ in

officio defunctus, Sabulonetam illico ad severiores Franciscanos deflexit, quorum utcumque asperrimum vitæ genus comparatione severitatis, quam Ipse sibi indixerat, delicatum, ac molle videri potuit (*a*). Ibi ad concilianda Superum patrocinia paulum moratus (*b*), non antea viæ se tradidit, quam Cæsarem Gambaram Derthonensem Episcopum, qui ceteris Provinciæ Episcopis Pontificatus diuturnitate anteibat,

„ *in Agni sanguine stolas suas dealbaverunt*. Hoc „ mihi unum reliquum est, ut moneam: gratias „ primùm agendas Deo, quod tam felici exitu So„ rorem D. T. Illustrissimæ ad se vocaverit: dein„ de admovendas eidem preces, ut mihi quoque „ parem impertiatur vitæ finem; & quemadmodum „ testis ego luculentissimus ejusdem virtutis sum, „ fieri etiam valeam imitator: quique cæcus ferme „ dux Annæ viventi prævi; morientem discipulus, „ & socius subsequar &c. " Quare mirum non accidit, si forti, & constanti animo calamitatem hanc tulerit Carolus, qui etiam consolationem veluti suam dolentibus hac de causa aliis impertivit. Comitem Nicolaum de Gambara officiosis hisce literis consolatus scilicet est, quas subjicio: „ Intellexeris, puto, aliun„ de, ereptam nobis fato Sororem Annam, cui be„ ne faustèque sit. Nunc cum Panormo venerit „ Abbas de Augustinis, qui morientis spiritum ul„ timum excepit, eodem uti Internuncio volui, ut „ tibi ex ordine omnia aperiret. Ejus narrationi „ hoc unum addendum esset, posse quidem jactu„ ram hujusmodi gravem aliquantulum humanis „ sensibus videri; nihilominus nostrum esse omni„ no Divinæ voluntati acquiescere. Verumtamen „ scio te, si exacte omnia perpenderis, maximas „ Deo habituram grates, quod sic *in conspectu suo „ placitum fuerit* de proba hac ejus Ancilla, quæ „ dedit ea sui experimenta, ut in certam erigi spem „ possimus fore, ut in Cælestis gloriæ partem ve„ nerit, quemadmodum ex eodem de Augustinis cla„ rius intelliges.

(*a*) Revera hoc anno non dumtaxat asperrimam initam a quocumque alio vivendi rationem æmulari, sed longo intervallo superare Cardinalis visus est. Mirum abstinentiæ genus admiratus Gregorius ipse Pontifex, per Theopompum Ferrum in S. Ambrosii Basilica Canonicum, qui Roma per eos dies reversus fuerat, leniter conqueri apud Carolum voluit, cui tamen Hic egregia Epistola, quam alibi reddemus, austerum suum vivendi genus luculenter purgavit. Cardinalis item Cæsius Bononiæ Legatus XI. Cal. Februarii manu sua scripserat in hæc verba: „ Ex pluribus, qui Mediolano adve„ nerunt, audio Te abstinere vino penitus cœpisse, „ & aquæ potu unice uti: Præterea duriorem a Te „ susceptam decumbendi rationem; nam ubi antea „ stramentis saltem noctu solebas incumbere, nunc „ vestibus nunquam depositis, brevem, ac durum „ somnum sedens in sella capere consuescis, hu„ meriſque uno pallio involutis: qua de causa gran„ di macie torridum extabuisse Tibi corpus dictitant, „ totumque vultum pallore insolito suffusum. Hæc „ autem omnia certis ab auctoribus accepi; quare ne „ obsequentissimæ servituti meæ deesse videar, Imo „ etiam publicæ utilitati, oro, obtestorque, ut præ„ claris tuis exemplis, & vita labis omnis experte „ pergas quidem Christianam rempublicam confir„ mare, ut facis; verum hoc etiam recogites ve„ lim, non posse te abstemium, & insomnem tam „ præclara edere virtutis documenta. Qui enim fieri „ potest, ut cibo, & quiete destitutum mortale cor„ pus par sit tot laboribus tolerandis? Tot egregia „ Ecclesiæ lumina, & Sanctos Patres hujusmodi vi„ giliis, & jejuniis confectos nullibi lego. Veniat, „ quæso, in mentem tantâ abstinentiâ vim quamdam „ Deo inferri, & præverti vitæ finem contra Omni„ potentis decreta. Cur illud vivendi spatium cor„ ripias, quod tibi rerum Arbiter præstituit? ne„ que enim ex voluntate tua illud est præfinien„ dum. Imitare, obsecro, S. Martini promptam, „ facilemque ad Divinos nutus obedientiam, qui „ *nec vivere timuit, nec mori recusavit*: & vive ex „ Patrum veterum, atque Doctorum exemplo sal„ tem quoadusque vitam Deus impertitur. Fidem „ mihi habe, amabo te; quandoquidem probe scio „ quanti Ecclesiæ interfit Carolum vivere. Me mul„ tis criminibus obstrictum fateor; & cæcus certe „ sum, qui adversus Solem loquor. Nimium mihi „ arrogo, si hæc magistrum doceam; tamen ista „ mihi scribere videor, Divino quodam afflatu com„ monitus &c.

(*b*) Diuturnior fuit hæc mora, quam Glussianus existimavit. Etenim cum Sabulonetæ esset ad Idus Sept., ibidem versatum Carolum constat ex certis documentis usque ad mensis finem. Meditabatur quidem ad Deiparæ Lauretanam Ædem inde proficisci, ubi piis contemplationibus vacare cogitaverat; in eamque rem petita P. Benedicti Palmii venia Novellarâ evocaverat P. Antonium Valentinum Soc. Jesu, cujus institutionibus uti in sacris iis exercitationibus moliebatur. Sed cum, mutatâ sententiâ, omisisset Lauretanæ viæ ineundæ consilium; statuissetque per Etruriam Romam tendere, hic aliquantulum substitit, & magister aliis meditandi fieri voluit, qui paulo ante P. Valentini discipulum se profitebatur. Siquidem in ea solitudine quasdam Silvas, seu Synopses contexuit *de Arte Meditandi*, quas deinde in tabulas dilucide redegit Augustinus Valerius, qui Sabulonetæ die XIX. Sept. Cardinalem convênit tam religiosa cura distentum, & præclaram hanc Caroli doctrinæ supellectilem secum Veronam transtulit. Libellum hunc deinde Congregationi Oblatorum Valerius nuncupavit, qui in Præfatione sua nos docuit, deberi Caroli ingenio nobile hoc Opusculum, & in hoc itinere fuisse elucubratum. Illud servat nunc Ambrosiana Bibliotheca, Valerii ipsius manu conscriptum, atque si Superis placet in lucem aliquando edendum. Attamen quis credat totum in meditationes rerum Cælestium abditum Borromeum aliis etiam vacare rebus potuisse? Vacavit tamen; & Sabulonetæ degens plura ad Mediolanensis Urbis, & Diœcesis religionem fovendam sanxit: Infinita, quæ sibi imponebantur per absentes, onera rerum cum Pontifice transigendarum alacriter in se recepit: in Genuensem Lustrationem intentus multa Novariensem Episcopum Visitatorem docuit: Celanæ Seminarium

Digitized by Google

bat, de profectione ſua ad præſcriptum Tridentini Concilii præmoneret (*a*).

Non ego aut ſummis honoribus, quos in eo itinere retulit immorabor [*b*], aut illuſtribus virtutum exemplis, quæ ſemper pediſſequa Ejus fuere, quoties alienas terras peragraret. Digniora notatu ſunt, quæ Pater Lucianus a Florentia rite interrogatus de Cardinalis ſtudiis, & vitæ ratione, quamdiu Romæ in Sanctæ Praxedis Ædi-

rium cenſibus auxit, pro quibus impetrandis permoleſta ſibi negotiatio cum Veneto Senatu fuit: cum Paleotto plura ſtabilivit, præcipue de rebus ſuis poſtmodum Romæ componendis: Pontificium Viſitatorem abunde erudivit pro Pedemontii luſtratione ineunda. Interim comparanda multa erant ad Romanum iter perficiendum; & faſſus eſt in Literis ſuis, maximam ſibi fuiſſe eo tempore rei nummariæ difficultatem; immo reſpondendum erat Principum, Nobilium virorum, & Cardinalium officiis, illum obruentium pene, & undique diſtrahentium. Itaque cum Sabulonetâ diſceſſit, Mantuam divertit biduo ante diem ſacrum S. Michaëlis Baſilicæ Dedicationi: Cauſa autem hujus itineris fuit indicta in ea Urbe ſplendida ad III. Calen. Octobris celebritas propter transferenda, ſeu reponenda, ut Carolus ſcribit, Sanctæ Barbaræ Lypſana, Mantuæ Duci a Venetis donata.

(*a*) Has literas non Sabulonetæ dedit, ſed in agro Mediolanenſi, antequam ex Luſtratione rediret, ut patebit ex ipſis, quas tibi integras appono:

Perilluſtris, ac Reverendiſſime Domine.

„ DIxi in proximo Concilio Provinciali, me poſt „ paucos menſes Romam cogitare. Nunc jam „ prope inſtat dies, ut hoc iter ſuſcipiam: niſi „ quid ſecus acciderit, me ineunte menſe Octobri, „ Deo adjuvante, in viam dare conſtitui. Quo„ niam autem tam ſerò Mediolano diſcedam, tam„ que multis occupationibus Romæ diſtentus ero, „ ut Adventu, & celebritate in Natalem Domi„ ni Noſtri Jeſu Chriſti me in Eccleſia mea „ adeſſe vix poſſe videam; peto ab Ampl. T. Re„ verendiſſima, quæ eſt Provinciæ noſtræ antiquior „ Epiſcopus, ut cauſam & profectionis, & commo„ rationis meæ extra meam Eccleſiam per aliquot „ menſes comprobare ſcripto ex Decreto Tridenti„ no velit. Cauſæ verò ſunt, ut ex præſcripto „ juramenti, quod nos Epiſcopi in conſecratione „ præſtitimus, Limina Sanctorum Apoſtolorum invi„ ſere; & præterea cum Summo Pontifice de rebus „ Eccleſiæ, Provinciæque meæ, & præſertim de „ Concilio Provinciali VI. coram agam, quemad„ modum in Concilio uberius locutus ſum. Porro „ ſiquid Ampl. T. Reverendiſſima habet, in quo „ ſibi, Eccleſiæque ſuæ opera mea uſui eſſe poſſit, „ ad me plene, atque explicate ſcribat quampri„ mum velim; curabo enim pro ea, quam & Amp. „ T., & Eccleſiæ debeo, caritate, ut illi adjumentum „ aliquod offeram; ſtudium quidem certe, & diligen„ tia mea nullo unquam loco deerit Ampl. T. Reve„ rendiſſimæ, cui a D. O. M. omnem gratiæ cumu„ lum precor.

„ Morteroni in Diœceſi mea V. Cal. Septembris.

(*b*) Operæ tamen pretium eſt huic narrationi aliquantulum immorari, ut perſpicuum fiat, quo in loco apud omnes Borromeus eſſet. Itaque dum Sabulonetæ eſſet, honorifica primùm legatio a Metropolitano Mediolanenſi Collegio miſſa eſt, ut Romam abituro fauſtum iter precaretur; in qua præter conſuetam honoris ſignificationem actum lego. Cum vero illic agitaret, utra ineunda eſſet via, num terrâ per Etruriam, quæ brevior videbatur; an navi per Mare Superum Anconem appellens, reliquum itineris terreſtris Romam verſus deinde conficeret: certatum officiis inter Venetos, & Ducem Parmenſem fuit: Hic enim obſtitit, quominus Gabriel Bambaſius novam lecticam inſtruendam juberet, quemadmodum mandatum a Carolo fuerat; ſed ſibi honori vertit ſuam ipſius mittere. Illi contra oravere per Auguſtinum Valerium, ut ſecundo Pado in Mare deſcendens, ornata publico Reipublicæ nomine navi uti vellet. Sane diu Carolus hæſit anceps conſilii, ſubveritus fortaſſe, ne Venetorum, quos impenſe diligebat, amori minus deferre crederetur. Miſerat cum Ducalis Epiſtolæ ipſius authographo officioſiſſimas Literas Veronenſis Epiſcopus in hæc verba: „ Datis „ Illuſtriſs. Decem-Virorum Reipublicæ noſtræ Li„ teris, Rectoribus Veronenſibus demandatum eſt, „ ut me convenirent, quod etiam fecerunt, rogantes „ certum ad Te nuncium mittam, qui ipſorum verbis „ teſtetur, maximum Reipublicæ univerſæ futurum, „ gaudium, ſi Venetias appellas, ubi publicis impen„ ſis comparabitur quadriremis Anconem uſque; „ cum hanc honoris teſtificationem Clariſſimorum „ Virorum amor, & obſervantia jure veluti ſuo exi„ gant Tibi perſolvendam. Itaque Publico parendum „ eſt mandato. Dignaberis me monitum facere, quo „ loco convenire debeam; quandoquidem me Tibi „ comitem dabo, ut meæ ſunt partes. Geſtii gau„ dio, intuens quo obſequio in Te boni illi Patres „ Patriæ ferantur; neque ſpes abeſt, Divinæ volun„ tatis decreto conſtitutum Tibi hoc iter, quod etiam „ vota tua certe fortunabit. Si caſus tulerit, ut tam „ meo, quam omnium voto obſiſtas, quod certe nol„ lem, reſponſum, quod magis arridebit, certum „ dabis; ego ſane partes tuas implebo, prout manda„ bitur. Veronæ IX. Cal. Octobris MDLXXXII.

Tantâ benevolentiâ Venetorum obrutus Cardinalis, deliberare quidquam non potuit, niſi ad XXVII. Sept. diem, qua Mantuam iturus in hæc verba Valerio reſpondit: „ Hactenus familiari tuo diuturnam moram injeci, „ ut cum certo illum reſponſo dimitterem. Itaque „ deliberavi recta Romam proficiſci, & Sacræ Ædis „ Lauretanæ aſpectu me dumtaxat beare in reditu. „ Hinc video ademptam occaſionem utendi comparato navis commodo, propter quod admota mihi „ humaniſſima Reipublicæ iſtius nomine officia fue„ rant; quandoquidem maritimi itineris ſuſcipiendi „ conſilium abjeci. Age quas potes maximas Nobi„ liſſimis Rectoribus gratias verbis meis, & omne „ obſervantiæ meæ teſtimonium deferas velim. Ho„ die Mantuæ ero, ubi ad III. Cal. Octob. etiam „ degam, & Sacro alio Venetorum beneficio fruar, „ cum illic S. Barbaræ Lypſana ſeu transferenda ſint,

„ ſeu

Digitized by Google

Ædibus [a] manſerat, in hunc modum expoſuit: „ Delectam ab Eo in domeſtico „ Oratorio ſellulam, in qua, repudiato „ penitus lecto, duas, aut ad ſummum „ tres horas quieti daret. Reliqua noctis „ tempora piis primum meditationibus at- „ tributa, mox inſtitutis in Matutinas „ Horas ab Eccleſia precibus, quas flexis „ genibus, & nudo ſemper capite recita- „ ret. Sæpe etiam eveniſſe, ut effoſsam „ ſub Ara maxima ſpecum introiret, ibi- „ que adorandis Sanctorum cineribus in- „ ſomnes noctes traduceret [b]. Neque „ uliginem loci, neque frigoris acerbita- „ tem

„ ſeu reponenda; hoc enim tam inſigne donum „ Mantuæ Dux ab eorum munificentia retulit &c. " Itaque licet tam ſero de terreſtri itinere deliberaſſet, Parmenſis Dux jam ad diem XIX. Sept. lecticam miſerat Sabulonetam Carolo utendam cum jumentis ſuis; ſed ea uſus cum eſſet Bononiam uſque, Legatus ibi Pontificius Card. Cæſius nova ſaltem jumenta ſubſtituere voluit, quandoquidem ſuam lecticam repudiaverat Carolus. Hoc Ille pacto ſacris exercitationibus, & Lectioni percommode in itinere vacabat; idcirco enim ſcripſit adductum ſe, ut ea opportunitate uteretur. Paulo poſt audito adventus Ejus nuncio, Magnus Etruriæ Dux Equitem Gabrielem Verrum Mediolanenſem Patricium, & cubiculo ſuo Præfectum obviam miſit cum Literis die XVI. Octob. datis (ne quis tanta per Etruriam cunctatione commoveatur, advertendum eſt, decerpendos eſſe ad hunc menſem X. dies ex emendatione Calendarii Gregoriana), monens, ſe ex Podio, ubi ruſticabatur, ocyus Florentiæ affuturum cum fratre Cardinali, ut venientem exciperet; ad eam Villam præſcripſerat Carolus, ſe velle deflectere, ut colloquio utriuſque frueretur. Florentiæ fuit biduo poſt Idus Octob.; ubi cum verſaretur, remiſſa jumenta ſunt ad Bononienſem Legatum; id enim ſibi honoris Magnus Dux depoſcit, ut Romam inveheretur ſuis. In reliquo itinere factos ubique ad Eum concurſus lego, iiſque pares, quibus Almam Urbem triennio ante fuerat ingreſſus. Romam iniit poſt meridiem die XXIV. Octob., ni fallor; nam ad XXII. opperiebatur Eum Bagnajæ Card. de Gambara, ut ad inviſendam Sanctæ Mariæ ad Quercum Ædem deduceret. Dum ad Romanam Portam accederet, narratur in tabulis: Pontificem ſorte animi cauſa ex edito quodam loco, unde viæ aſpectus patebat, vidiſſe ſublatum pulverem, & circumſtantes rogaſſe, cujus ea lectica eſſet, quæ ad Romana mœnia appropinquaret? Cum vero reſponſum ab Aulicis fuiſſet, Card. Borromeum eo die expectari; ad eos converſum Gregorium dixiſſe: Præſtat hinc ocyus recedere; ne ſi Cardinalis S. Praxedis reſciat, Nos innocuo hoc ſolatio diſtineri, dicat, inaniter tempus teri. In quo quidem utrum laudem neſcio: num tantam in Pontifice animi demiſſionem; an Caroli exiſtimationem.

(a) Colebat eximie hoc Templum, utpote ſacris Pignoribus refertum. Hinc repudiavit ſplendide oblatum ab Altempſio, aliiſque Cardinalibus hoſpitium. Rhedam ſi quando illius uſus erat futurus, ab uno Altempſio accepit; videbatur enim ſibi pecuniæ prodigus, ſi æs in ea inſtruenda collocandum pauperibus, quibus ſua omnia ſervabat, veluti ademiſſet. Quare Specianum præmonentem ſæpius, rogantemque ſuperioribus menſibus, an eam expenſis ſuis comparari vellet, tergiverſatus ſæpe eluſerat, atque reſcripſerat: Otioſi hominis eſſe hanc curam cogitatione antecapere; neque diſſimulavit ſe valde a pecunia imparatum, quod etiam veriſſime dixit. Incredibile autem dictu eſt, quantum in Romanis omnibus excitatum eſſet de Caroli adventu deſiderium; quod cum præcipue eminuerit in Tragurii Epiſcopo, idcirco ejuſdem latinas literas appono.

Carolo Borromeo Cardinali S. Praxedis Archiepiſcopo Mediolani Domino ſuo Colendiſſimo

Antonius Epiſcopus Tragurii
S. D.

„ IN maximis meis tribulationibus, quas pro mea „ Eccleſia, pene ex quo tempore ad illam ac- „ ceſſi, continenter pertuli, & adhuc cum gratia „ Dei patior; nulla fere conſolatio magis animum „ meum levavit, quam adventus Tui in hanc Ur- „ bem expectatio. Quo nuncio hæc Civitas univer- „ ſa, & præcipue omnes boni erecti Tuam præſen- „ tiam mirabiliter concupiſcunt. Nam quocumque „ acceſſeris, tanquam *Chriſti bonus odor* ita omnes „ allicis, ut vere illud de Te dici poſſit: *In odo- „ rem unguentorum tuorum currimus*. Non enim Tu „ triſtem ſanctitatem, quam quivis etiam non op- „ timus facile imitetur; ſed hilarem innocentiam, „ quam nemo niſi bonus aſſequatur, tecum adfers. „ Tum doctrinæ utilitate, atque ubertate ita unum- „ quemque recreas, ac reficis, ut *verba vitæ habere* „ merito exiſtimeris. Idem ceu alter David *pro „ caſtris Domini ſtas*, & *a domo Dei omnem igno- „ miniam, atque omnem vim arcere*, quantum in Te „ eſt, contendis. Denique verus Divini Ambroſii „ imitator, cujus cùm locum, tùm vim, & mo- „ rem obtines, qualem Apoſtolicum Virum eſſe „ oporteat, rebus ipſis oſtendis. Quæ cum ita ſint, „ quid mirum, ſi ego Te unicum rebus meis præ- „ ſidium tam cupide expecto? Sed de Eccleſia qui- „ dem mea tum cum adveneris, quantum Tua „ humanitas, & mea modeſtia patietur, erit Tecum „ coram agendi locus. Interim Hymnum ad San- „ ctum Ambroſium, quem inter ſcripta Fratris mei „ reperi, quia devotus, & non inconcinnus eſt „ viſus, mittere ad Te conſtitui, ut eſſet meæ in „ Te obſervantiæ quoddam quaſi pignus & argumen- „ tum. Tu vero hanc vicem, quæſo, repende Fra- „ tri meo, quem Altiſſimo placuit proximis hiſce „ diebus mihi adimere, & hac plaga recenti me „ afficere, ut ejus animæ pacem, & meæ imbe- „ cillitati robur a Dei bonitate impetres, cui ho- „ nor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Vale. „ VI. Cal. Septembris MDLXXXII. Roma.

(b) Loci hujus ſanctitas fuit in cauſa, ut nunquam ſe Titulo S. Praxedis abdicare voluerit. IX. ante menſibus ſcripſerat Specianus, liberum Ipſi fore optare

Digitized by Google

„ tem obſtitiſſe, quin conſtitutum ab ini-
„ tio hunc cæleſtis verius, quam huma-
„ næ vitæ ordinem accurate ſervaret. Sub
„ lucis ortum rem Divinam quotidie face-
„ re [a] conſueviſſe: pane tantum, &
„ aqua ſuſtinuiſſe corpus: & cum natali-
„ tio Chriſti Domini die in triclinio cum
„ Monachis accubuiſſet, vix ab Eo impe-
„ tratum, ut tam rigidi jejunii patientiam
„ unius aviculæ guſtu temperaret [b]. "
Hæc ſibi inſpecta Pater Florianus teſtabatur: vere ad fidem difficilia, niſi viri gravitas, & juramenti religio rem omni dubitatione eximerent. Pergebat deinde narrare concurſus, & obſequia Principum, ſtipatam ſemper pauperibus domum, ſanctiſſimos cum familia ſermones [c], aliaque magnæ pietatis indicia, tam nota omnibus, ut nullo ad fidem faciendam teſtimonio indigerent.

Et iſta quidem ad Sanctæ Praxedis Ædes privatim agebantur, minime fortaſſe in poſteros manatura, niſi addicti eiſdem Ædibus Monachi res hominum memoria, & æterna luce digniſſimas ab ſolitudinis ſilentio, nocturniſque tenebris vindicaſſent. Nec vero ſolitaria illa cum Superis colloquia, nocturnæque contemplationes ita Cardinalis animum occupabant, ut Reipublicæ curam idcirco intermitteret. Huc pertinebant crebræ cum Summo Pontifice conſultationes, aſſidui cum primoribus Romanorum Patrum congreſſus; huc etiam objurgationes, & monita, ſi qua in re peccari ab aliquibus videret [d]. Et cum uſu ipſo cognoſceret, quanti interſit rem Eccle-

optare Titulum S. Mariæ Trans-Tyberim, quo Altempſius fruebatur. Addebat præterea non leves cauſas: nimirum hujus Tituli Ædes Pontificiæ Curiæ proximas, quas adire frequentiſſime ſibi erat neceſſarium propter ipſius Borromei negotia: Ejuſdem hortos ſatis amplos locari quotannis CC. nummis poſſe: Demum Cælum etiam videri ſalubrius. His tamen auditis, Borromeus reſpondit: Probari ſibi admodum Tituli ſui Ædes propter ſanctitatem loci: ſalubre Cælum quodcumque operoſo homini eſſe: CC. nummos utiles eſſe poſſe etiam Cardinali cuicumque, qui eas Ædes poſſet optare.

(a) Narrat idem P. Lucianus in teſtimonio ſuo: Comitem Olivarium Hiſpaniarum Regis Oratorem hora tam intempeſta frequentiſſime Borromei Sacro intereſſe cum religioſiſſima Conjuge voluiſſe; neque matutini Cæli inclementiam refugiſſe Nobiles alios complures viros, ac matronas, quos idem deſiderium ad hoc Templum primo diluculo evocabat: Eumdem Philippi Regis Legatum mirifice captum exteriori Caroli modeſtiæ ſpecie dicere conſueſſe: Borromeum Angelo ſimillimum ſibi videri.

(b) Abſtinentiæ tutius nunc Romæ ſe dabat, quandoquidem menſe Martio commonitus per Theopompum Ferrum de moderanda vitæ auſteritate, primùm ſe apud Pontificem purgaverat per literas; atque hoc tempore exactam Gregorio rerum, & virium ſuarum rationem reddidit, quemadmodum ſpoponderat; quare judicem ipſum ſibi faventem habuit, qui liberam poteſtatem vivendi, ut vellet, fecerat.

(c) Retinuit Romæ domeſticum, quo Mediolani utebatur, morem: familiares nimirum ſuos poſt primam noctis vigiliam in Sacello congregatos primò rerum ſacrarum meditationi vacare ſimul jubebat: mox novo ſermone a ſe inflammatos audire rerum capita in ſequentem diem mente revolvenda.

(d) Quandoquidem incidit objurgationum mentio, juvat officium quoddam recolere, quod valde credibile eſt hoc tempore a Carolo non fuiſſe prætermiſſum. Illud eſt nimirum, datum conſilium Cardinali Farneſio, ut ex tot, quæ in ejus ditione erant, ædibus unam aliquam expoſitam depulſis a Patria Belgis aperiret. Urebat ſcilicet hæc Borromeum cura jam ab anno MDLXXX., cum Roma reverſus literas ad Cardinalem de Gambara dedit ex Vico S. Laurentii, ut conſtat ex iiſdem, quas ad eum annum recitavimus. Verumtamen hoc certum eſt, commonitum a Cardinali Abbatem Capranicam, ut majorem Canonicorum S. Salvatoris numerum in S Celſi Monaſterium induceret; quandoquidem certo ſcio hoc tempore inter eos conveniſſe, ut XXX. nummos in capita deſignaret, ne ſubſidiorum inopiâ aliò ire cogerentur. Alia item, amoris tamen plena, querela Caroli fuit apud Equitem Hortenſium a Caſtro S. Petri, qui per hoc tempus Romam venerat Legatus a quibuſdam Patribus Mediolanenſibus, quibus Cardinalis ſtatuerat quatuor Parthenonum adminiſtrationem adimere. Clam Borromeo adierat Hortenſius Pontificem, Patrum preces oblaturus; Sed ab eo jejunum reſponſum acceperat, ut rem totam integram Carolo deferret, quandoquidem ibi verſabatur. Gregorii dicto compulſus Orator, vellet, nollet, rem univerſam permittere Paſtoris ſui arbitrio coactus eſt; qui cum multa expoſtulaſſet leniter de frequenti nimium Patrum eorum cum Monialibus conſuetudine, & nocturno in vicinis Ædibus apud eas hoſpitio, tandem rogantis votis indulſit, poſtquam pollicitus eſt eorum verbis, Patres quidquid mandatum eſſet facturos. Imo peramanter Cardinalis in ſe recepit, ut Pontificia auctoritate Parthenonum poſſeſſio iiſdem Patribus confirmaretur. Cumque ultimò Orator patère ſibi Pontificias aures poſtulaſſet, voti compos factus hoc reſponſum tulit: *Age Borromeo gratias, quo inconſulto, nunquam petendum erat, quod impetras: quo diſſentiente, nunquam impetraturus eras, quod petiiſti.* Item ſuaviori alio monito uſus per hoc tempus erga Philippum Nerium fuit. Jam alibi diximus, accuſatum Nerium a Carolo inobedientiæ erga

Eccleſiaſticam a piis, literatiſque Rectoribus gubernari: novam veluti Academiam [a] ad Vaticanarum Noctium ſimilitudinem inſtituit expoliendis moribus, erudiendiſque eorum ingeniis, qui ſe ad ſacras Præfecturas vocatos profiterentur. Oratorias maxime artes coli, exercerique mandaverat, ne concionandi munus omnino obſoleſceret. Et quamquam breve Sodalitii tempus fuerit, viros tamen inde prodiiſſe conſtat, qui perennem inſtituti gloriam facerent [b].

His religionis, & beneficentiæ monimentis Romæ relictis, Mediolanum redibat ingentia munera ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem ſecum ferens, quibus nunquam vacuus ab Principe illa Catholici Imperii Urbe reverti ſolitus fuit. Annuerat enim precibus Ejus Pontifex, ut Caravagii bona ab Humiliatis relicta Clericorum Seminario, & Secedii Sacerdotium in agro Alexandrino Oblatorum Sodalitio perpetuis temporibus addicta remanerent [c]. His donis mandatum adjecerat, ut in Inſubriam ten-

---

erga Pontificem; qua ſe labe egregie Philippus purgavit per literas, addito etiam teſtimonio publico; affirmaveratque, Sacerdotes eos, qui poſtulabantur, non eſſe ex ſua Oratorii Congregatione, nullumque ſibi cum iis initum unquam commercium; quare nimis aliquantulum ſentire de ſuis videbatur, & aliorum dignitatem leviſſime deſpicere. Moleſte hoc tulit Carolus, & libere in hæc verba reſcripſerat: „ Multum Rev. Pater: Certe opus non erat „ publicum teſtimonium mihi offerri de ſegregatis „ a Sodalitate tua geminis iis Sacerdotibus, qui in „ Bavariam mittendi erant; cum mihi tua unius „ teſtificatio abunde ſufficeret, cui maximam fidem „ habeo. Verumtamen nimiam illam erga Sodalitium tuum animi propenſionem licet pluribus „ purgare conetis, nondum tamen ita abſterſiſti, „ ut multa adhuc non ſuperſint mihi dicenda, quæ „ coram libentius aliquando objiciam. Interim tuis „ in precibus habe me Deo commendatiſſimum. „ Mediolani &c. “ Hæc cum anno ſuperiore ſcripta ad Philippum ſint, quidni veriſimile videatur, Caroli promiſſo nunc fidem ſtetiſſe, & aliquod cum Nerio habitum colloquium de leviſſimis quibuſque animi affectionibus moderandis?

(a) Academiam hanc in ſacra primùm S. Ambroſii Æde coëgit Carolus, ubi per pias plures exercitationes formatos Romanos Præſules, præcipue eruditi curavit methodo habendarum ad populum concionum. Flagrabat ſcilicet eximio ſtudio, ut peculiare hoc Epiſcoporum munus in Euangelii prædicatione præſertim ſitum omnibus prorſus perſuaderet; & revera hoc eodem anno ad id ſuſcipiendum adduxerat Veronenſem Epiſcopum, & paulo poſt Parmæ Antiſtitem, dum hanc urbem Romæ reverſus prætergrederetur. Floruit hæc Præſulum Congregatio uſque ad Gregorii Pont. obitum magna cum Eccleſiæ utilitate, cum ex eo cœtu inſignes doctrina, & Paſtorali ſolicitudine Cardinales, atque Epiſcopi prodierint. Lego etiam huc invitatum a Carolo aliquando Philippum Nerium, ut in eo conſeſſu ſermonem aliquem haberet; quem deinde Ipſe etiam a Philippo rogatus habuit. Sic nobile illud Sanctorum Virorum par mutuis ad Religionis utilitatem officiis certabat.

(b) Præter hæc ſtudia, alia fuere Romæ ſuſcepta a Borromeo; ea nimirum de Sacris Ritibus excutiendis diligentiſſime, & ex doctiſſimorum Virorum judicio ſtabiliendis. Jo. Paulus de Clericis Cæremoniarum Magiſter in Metropolitano Mediol. Templo, qui in Caroli comitatu fuit, dum Romæ nunc verſaretur, teſtatum fecit in tabulis: Ven. Congregationem Sacrorum Rituum, ex qua tantum Religionis noſtræ Myſteriis lumen acceſſit, Borromei, & Paleotti Cardinalium operâ hoc tempore primam originem habuiſſe. Nam cum Carolus Paleottum plura rogaret, utpote in Sacra Antiquitate verſatum, de iis, quæ ſæpius reformanda in Ambroſianis Ritibus occurrebant, factum eſt, ut quæſtiones etiam univerſim *de Ritibus* inſtituerentur. Cumque dubia multa inter diſputandum emergerent, præſertim verò in Pontificali, & Cæremoniali Romano in quibus plura deprehendebantur ex profanis potius Cæremoniis hauſta, quam ex ſacris, ut Galeſinius teſtatus eſt: idcirco Pontificem oravit Carolus, ut in hanc quoque Religionis partem mentem intenderet. Poſt Caroli diſceſſum tota hæc deinde cura incubuit Paleotto, & hoc item diſcedente, Cardinali Caraffæ; Utrique tamen, antequam diſcederet, ſubſidiarios reliquerat Borromeus Galeſinium hominem ſacris ſtudiis celeberrimum, & Jo. Paulum de Clericis ex Oblatorum Congregatione apprime in hac materia verſatum. Adjuncti Romæ deinde alii adminiſtri ſunt, inter quos eminuit Didacus Torreſius; ſic conjunctis omnium ſtudiis ſacræ Cæremoniæ in lucem ex antiqua caligine emerſere. Porro teſtatur de Clericis, in rebus iis, quæ in controverſiam ſæpe veniebant, ut plurimum rogare Paleottum conſueviſſe, quonam ritu Borromeus uteretur? ut huic veluti pronunciato oraculo ſententiam accommodaret ſuam; quod, cùm in pluribus accidit, tùm præſertim in ferula Magiſtro Cæremoniarum permittenda. Cave tamen putes, intermiſſam Caroli ſuper Ritibus emendandis operam fuiſſe propter abſentiam. Nam lego miſſitatas ultro citroque frequentiſſimas literas, quibus exacte monebatur de omnibus, quæ ſtatuerentur; imo comperio Galeſinium, qui in ea opinione cum aliis erat, ut Epiſcopus Eccleſiam ingrediens Canonicos antecederet; accepta Caroli Epiſtola, qui viriliter, & docte admodum oppoſitam ſententiam defendit, ſtatim ſubſcripſiſſe cum ceteris Illius dicto, & faſſum fuiſſe: „ ſe nullo uti libentius magiſtro, quam „ Carolo, qui ſupra hominem ſapere videbatur.

(c) Omittenda videntur hoc loco propter multitudinem ipſam plurima, quæ extra Provinciam ſuam Epiſcopis munera a Pontifice impetravit, licet innumera

tendens a communi via paululum declinaret; si forte dirimere duorum Principum controversias posset, quarum inexplicabiles nodi subtiliora hactenus ingenia fefellerant [a]. Cujus occasione mandati, cum Senarum Urbem pertransiret, ejus Archi-

episcopi

meræ appareant in ipso regredientis Caroli itinere literæ ad Umbriæ, Piceni, Romandiolæ Episcopos datæ, in quibus nova semper Pontificiæ erga Eum liberalitatis, & amoris sui erga omnes argumenta apparent. Cesenæ, Ravennæ, Spoleti, Veronæ reliquit impressa memorabilia beneficentiæ suæ vestigia; sed inter cetera occurrit erectum Sabulonetæ Canonicorum Collegium, & geminæ excitatæ Religiosarum Congregationum Ædes: Una quidem pro Patribus Soc. Jesu in Vulturenis, Jo. Petro Stuppano instante, & bona sua offerente Vincentio Quadrio: Altera in urbe Mantuana pro Theatinis Patribus. Vere prætereunda non essent quæ Urbi suæ, & Diœcesi beneficia, & ornamenta detulit, dissimulatis iis omnibus, quibus Provinciam auxit; cum hæc facile colligi possint ex iis, quæ abeunti demandata sunt. XVI. amplissima Diplomata in Ecclesiæ suæ unius, & Cleri sui commodum retulit; sed inter ea unum placet innuere, quod consuetas Pontificiæ indulgentiæ Leges videtur excedere: facultatem scilicet „ Absolvendi a quibuscumque peccatis, & cen-„ suris, etiam in Cœna Domini, & remittendi in „ totum, vel in partem pœnam incursam super Ir-„ regularitatibus in utroque Foro, etiam ex ho-„ micidio voluntario, quoscumque tam Laicos, quam „ Clericos, & Regulares Civitatis, Diœcesis, & „ Provinciæ Mediolan. per se, vel per alium; cum „ eisque dispensandi super qualibet indebita perce-„ ptione fructuum, ac pœnas incursas, & debita re-„ mittendi, & condonandi. " Sed maximus hujus itineris fructus, ea certe legatio videtur, qua designatus Apostolica auctoritate Visitator in Transalpinis, & Cisalpinis Rhætorum, & Helvetiorum partibus Borromeus fuit. Appono elenchum facultatum, quas in eam expeditionem obtinuit:

„ I. Dispensandi cum Helvetiis, & Rhætis in „ Matrimoniis contractis scienter, vel ignoranter „ in secundo, in tertio, & in quarto consanguini-„ tatis, in primo affinitatis in cognatione spiritua-„ li. In contrahendis verò in secundo, tertio, & „ quarto consanguinitatis, & affinitatis, & ratione „ compaternitatis, cum facultate absolvendi a Cen-„ suris propter ea incursis.

„ II. Reconciliandi, & absolvendi Hæreticos ex „ locis Helvetiorum, & Rhætorum ad ipsum con-„ fugientes; necnon absolvendi a quibuscumque „ casibus etiam in Bulla Cœnæ in utroque Foro.

„ III. Visitandi in Constantiensi, Lausanensi, Se-„ dunensi, Curiensi, Comensi, aliisque Helvetio-„ rum, & Rhætorum Civitatibus: Constituendo Eum „ Visitatorem, Reformatorem, Apostolicæ Sedis De-„ legatum generalem, & specialem cum omnibus „ facultatibus expressis in Literis Visitationis Bri-„ xiensis, Cremonensis, & Bergomensis.

„ IV. Absolvendi Regulares Apostatas in Dominio „ Helvetiorum, & Rhætorum.

„ V. Conferendi Beneficia quæcumque, & qua-„ liacumque in Dominiis Helvetiorum.

„ VI. Ut ex Clero Civitatis, & Diœcesis servien-„ tes in partibus Rhætorum, & Helvetiorum per-„ cipiant fructus suorum Beneficiorum, ac quoti-„ dianas distributiones.

„ VII. Dispensandi super incompatibilitate Bene-„ ficiorum in Dominiis Helvetiorum, & Rhæto-„ rum ad biennium.

Verum inter tot, quæ me circumstant, piget præterire silentio firmatam concordiam inter Episcopum, & Canonicos Vercellenses, quæ infinito labore stetit: Et ornatam Mediolanensem Urbem novo Virginum Collegio, quas in Rhaudensi Oppido primum congregatas ex testamento Jo. Petri Missaleæ sub tutela Præsidum Xenodochii Max. Mediolanensis, nunc in S. Catharinæ Ædes ad pontem Fabrorum transtulit: Demum nobilem Sacerdotum, & Clericorum manipulum, quos diligenti conquisitione Romæ, atque alibi collectos partim Oblatorum Congregationi accensuit, partim in Fulcuini, & Canonicæ Ædes Ecclesiastica disciplina imbuendos, & futuros postmodum Ecclesiarum Rectores, amandavit.

(a) Hæ controversiæ eædem fuere, de quibus Romam evocatus fuerat. Nimirum dirimendum erat inter Mantuanum Principem Vincentium, & Margaritam Parmensem conjugium, quod propter impedimentum intercedens irritum videbatur. Periculosæ certe plenum aleæ opus hoc erat, cum non obscure denunciarentur suscipiendæ cum altera ex iis Familiis inimicitiæ. Ad hoc negotii expediendum Borromeus electus est, eæque electionis causæ fuere, quas Pontifex in Brevibus Literis suis datis XV. Januar. MDLXXX. enumeravit in hæc verba: „ In primis occurrit circumspectio tua, „ cujus pietatem, morum modestiam, prudentiam, „ ingenium, doctrinam, integritatem, aliasque in-„ numeras virtutes, & præcipue *timorem* illum *Do-„ mini*, quem *initium Sapientiæ* vocant Sacræ Scri-„ pturæ, in Te Divinâ clementiâ propagatas jam „ pridem non fine gratiarum erga Omnipotentem „ Deum actione cognovimus, & probavimus: Ita-„ que sperantes, ac pro certo quoque habentes, in „ hoc tam gravi negotio similem Tui futurum, & „ nostræ expectationi plene respondurum, Tibi com-„ mittimus, & mandamus &c.

Quare gravem vere modestiæ suæ provinciam ingrediens, auspicia perficiendæ rei primùm a precibus cœpit: Literas dedit ad Mantuæ, & Parmæ Duces, necnon ad Conjugem utrumque; item ad alios ex Gonzaga Gente, plurimosque alios, quos morum probitate insignes noverat, ut fusis ad Deum precibus opem in perdifficili negotio divinitus imploraret. Tot confirmatus præsidiis ubi Parmam venit, indictis ea in urbe denuo publicis precibus, expensa primum a Medicis quæstio est, quorum sententia expectabatur, ut constat ex Literis ad Specianum Pridie Non. Febr. datis, ex quibus seriem itineris, & rerum initia habemus: „ Habitæ a Medicis quæstionis synopsim festinanter „ conscriptam ad te mitto Summo Pontifici offeren-„ dam. Dum in via essem, austerum, ut vocare „ soles, illum meum a Principum convictu absti-„ nendi morem omisi. Mantuæ, & hic Parmæ diem „ unum cum singulis Ducibus fui. Huc veni Calen. „ Februarii sub vesperum. Diem autem posterum, „ utpote Profestum, sacris exercitationibus totum

„ insu-

Digitized by Google

episcopi dignitati dedit, ne diem unum morari apud ipsum recusaret. At ubi ad prandium vocatus epularum numerum cum pretio certare, & secundam insuper mensam ad gulæ irritamentum apponi vidit: quamquam turbato ventis, & imbribus Cælo, inhiberi non potuit, quin illico ad discessum necessaria expediri juberet. Tum etiam, atque etiam rogatus, ne se tam incommodo itineri, imminente præsertim nocte, committeret: „ Absit (inquit) ut pau-„ perum subsidia tam fœde profundi ad gu-„ læ delitias videam; nam si prandio compar „ cœna fuerit, tantum absumet unius pom-„ pa convivii, quantum sufficere multorum „ necessitatibus posset. " Ita castigato Hospitis luxu, perrexit ire (*a*), quo Illum difficillima ea duorum Optimatum, de quibus

„ insumere æquum videbatur. Sic mane insequen-„ te ad S. Joannis Monasterium penes S. Benedicti „ Monachos diverti, ubi meis me alo sumptibus, & „ aliorum incommodum caveo. Ex Principum edi-„ cto publicæ populi supplicationes celebratæ sunt, „ ut propitium Deum in gravi hac causa habeamus. „ Margarita, antequam examini subjiceretur, voluit per „ me Eucharistiam percipere. Idem optabam a Vin-„ centio &c.

Dum itaque consultationibus tempus extraheretur, diutius, quam putabat, ea in urbe versatus est Cardinalis; nam donec Quadragesima appeteret, inibi fuit. Verumtamen inde veluti præsens Ecclesiam suam administrabat, supplicationes decernens, Civium pietati inter Saturnalia consulens, proponens etiam Edictum in Diœcesim suam universam, ut Rectores Sacrorum in Oppidis, & Vicis Sermonem ad populum haberent sextis singulis Feriis, & Dominicis diebus Quadragesimæ ineuntis, licet exterorum Oratorum opera non deesset. Parmæ autem quamdiu fuit, honorificas lego ex conterminis Locis ad Eum legationes missas, inter quas omittendum non videtur, Filios Equitis nobilissimi Uberti Pallavicini ex Varanensi Oppido, itemque Fulvii Rangoni Liberos Mutina ad Eum missos, ut Sancti Cardinalis benedictione muniti ab Eo discederent. Adverte tamen hoc tempore nihil deliberatum de rei summa: scilicet pro dirimendarum Nuptiarum negotio; illius enim exitum ad Octobrem mensem describemus.

(*a*) De facti hujus veritate ambigere non licet; verumtamen de tempore diligentius juvat inquirere. Certe Româ regrediens Borromeus Senas non attigit, per quam Urbem iter quidem fecit, cum Romam festinaret; ibique Ecclesiasticæ hujus continentiæ exemplum fortasse reliquit. Utque fides sententiæ meæ constet, breviter ex Ejus Literis iter suum Roma revertentis expono. Die itaque XIII. Jan. Româ digressus est, cum ex Literæ Dominicalis regula in eam diem Feria V. inciderit; scribit autem Spoleto ad Audoënum Vicarium suum Carolus: „ Se „ Feriâ V. elapsæ nuper hebdomadæ cum familiaribus „ Roma discessisse Ædem Lauretanam versus; eoque „ in itinere multa sibi a Gregorio peragenda fuis-„ se demandata; idcirco crebras esse nectendas mo-„ ras. " Quamobrem non deflexit in Etruriam; imo excusavit se apud Cardinalem Riarium, quòd Perusium diversere non posset. Camerino etiam abstinere coactus est propter festinationem, licet ejus Urbis Antistes plurima admovisset officia; insuper etiam Ferentinum inire meditabatur, quo cum proficisci non posset, saltem voluit per Literas ab ejus Urbis Episcopo ad se transmitti scriptis consignatum quidquid ad illustranda Sancti Ambrosii Martyris Mediolanensis gesta spectare posset. Spoleto recta Lauretum contendit; & postquam beavit se sacræ illius Ædis conspectu, a qua ægre divulsus est, adfuere Anconitani Legati, a publico Urbis Concilio missi, dum Maceratæ esset: cujus votis ut indulgeret, se illuc contulit, ubi honorifice exceptus veteris Legationis suæ felicissimæ memores Cives est nactus. Pisauri aliquantulum substitit, ubi Ducis Urbinatium religionem inflammavit devotissimo Libro oblato, quem anno insequente Urbini Archiepiscopus scripsit assidue teri illius manibus, & uberrimum jam pietatis fructum Duci attulisse. Ad XVIII. Jan. diem a Vercellensi Cardinali Ferrerio rogatus fuerat, ut Faventiam; & a Card. Cæsio, ut Bononiam iret; verum irritæ utriusque reciderunt preces; quare Ferrerius monitus, Carolum Ravennæ citius fore, ad Forum-Livii progressus oravit per literas Borromeum, ut se in Cesenati agro adfuturum opperiretur, quandoquidem se convento opus erat. Antequam tamen cum Ferrerio colloqueretur, integram diem, scilicet XXIII. Jan., substitit Arimini Carolus, ut ad ejus Urbis Episcopum tum in Gallia Pontificis Internuncium, scripsit in hæc verba: „ Integram Dominicam diem „ Arimini fui, & populi tui religio festinationem „ meam retardavit. Quare verba etiam ad popu-„ lum in Templo feci, & auctus ingentibus Sa-„ crorum Lypsanorum muneribus discessi, quæ pri-„ mò mihi ostendit, deinde dono obtulit humanissi-„ me Vicarius tuus (Demophoon Parisanus). " Hoc fortasse singulari sermonis habiti beneficio Cives Ariminenses ornavit, ut mutui amoris vicem iis rependeret, quòd publico Civium nomine missi ad Eum fuerant nobilissimi Patricii Alphonsus Olfi, & Claudius Paci obsecrantes, ut apud se esse dignaretur. Hinc Ariminenses in Urbe sua, & Ferrerium Cesenæ consolatus, biduum, scilicet VIII. & VII. Cal. Febr., Ravennæ fuit; unde navi vectus Ferrariam appulit, deductus Ducis nomine per Equitem N. Pignattam. Ferrariæ V. Cal. Febr. Mantuam ad Ducis colloquium venit; ibique fundamenta Legationis suæ jecit, quæ ad dirimendas Principis Mantuani nuptias spectabat. Mantuâ abeuntem Vastalla excepit, frustra Sabulonetam evocante Vespasiano Gonzaga. Demum Parmæ exceptus a Duce, ut mox vidimus, diu in ea Urbe commoratus est. Inde cum Mediolanum festinaret, obvium habens Hieronymum Cappacellum Placentini Antistitis consanguineum, coactus est Placentiæ noctem unam degere, qua ex Urbe per agrum Laudensem in Urbem tandem suam reversus est; quandoquidem Papiensi agro maxime abstinere consuevit, postquam Pontificatus sui ini-

Digitized by Google

bus dictum est, dissidia vocabant. Vix sane crediderant aulici consuetudinis, & forensium negotiorum periti, tam ancipitem causam inter infensissimos æqualis potentiæ viros, quæ tamdiu Summi Pontificis cogitationes fatigaverat, posse judicio Cardinalis per occasionem itineris definiri. Sed enim multa sunt sanctitatis privilegia, quæ humanæ sapientiæ magistri facile ignorant. Implorato enim Divino auxilio Carolus, cum capita quæstionum diligenter excussisset, omnia felicissime ad concordiam adduxit: sive aliqua Ejus verbis superna vis inerat; seu contumaces animos tenuit pudor, ne tanti Viri consiliis repugnarent.

CAPUT II.

Pro Hispaniarum Regis filio e vivis erepto, & electo recens Insubricæ Provinciæ Præfecto Deo supplicat: Decimum agit Cleri universi conventum.

1583. LÆtam Archiepiscopi reditu Civitatem triste nuncium percu-

lerat, majorem natu ex Regiis Liberis ex hac mortali vita in ipso pueritiæ flore decessisse [a]. Ob id tridui supplicatio decreta, precesque ad Deum effusæ, ut Austriacam Sobolem propagari in Hispaniis ad perennem gloriam Catholici nominis vellet. His Regis voluntas maxime congruebat, qui literis suis ad Provinciarum Præfectos aperte significaverat: placere sibi, ut omissa inani pompa, qua condecorari funera Principum solent, subditorum studium ad impetranda sibi cælestis gratiæ dona converterent. Levavit deinde mœrorem ex Regii Pueri morte conceptum Caroli Arragonii novi Gubernatoris adventus, cujus mite ingenium, & placidi mores pollicebantur cessatura aliquando certamina, quæ rem Ecclesiasticam per tot annorum spatia turbaverant. Venerat insuper cum iis a Rege mandatis, ut amice in omnibus cum Archiepiscopo ageret, atque etiam Ejus consilia in Reipublicæ administratione servaret [b]. Sed cum humana omnia sub expectatione cælestis auxilii pen-

initio Ticinum Urbem elata Cruce ingressus, intentata sibi lis a Ticinensi Episcopo fuerat, tamquam de læso Ecclesiæ suæ jure; quamquam hoc anno MDLXXXIII. videbatur dirimenda ea controversia, nisi graviora alia Carolum obruissent. Imo Judices pro Mediolanensi Metropoli sententiam laturos apparebat; hæc enim scripsit Specianus ad diem X. Dec.: „ Ticinensis Antistes male audiet „ compulsum se fuisse in Cusanarum Virginum cau„ sa tuum Decretum expectare. Nunc tamen a Ju„ risperitis sua illa, in qua adeo sibi blanditur, „ libertas, in controversiam vocatur expendenda, „ ut ab ejus mente ea tandem evellatur opinio, „ qua falso putat, se Mediolanensi Archiepiscopo „ nunquam fuisse subjectum. " Quo demum Mediolanum inierit die, liquidò mihi non constat; suspicor tamen sub Dominicam Quinquagesimæ huc rediisse, cum legerim Ejus Literas Parmâ ad Audoënum datas, quibus monet „ ut solerter caveat: „ ne profana quæcumque celebrentur in Urbe spe„ ctacula: ut ad eam diem Synaxim de more indi„ cat; licet supervacaneum hoc monitum putet, „ cum ipse adesse eam celebraturus meditetur.

(a) Vulneraverat Borromei animum, dum Parmæ esset, acerbissimum hoc nuncium Didaci Regii decennis pueri morte præreptí. Hinc ad Arragonium Ducem, atque ad Audoënum Vicarium scripserat: Opportunius videri tres Supplicationes juxta Philippi mentem celebrandas, potius Bacchanalium tempore anteverti; sic enim, ajebat, consuli Quadragesimæ sanctitati, cujus temporis Sacerdotales preces prolixiores solito, & conciones ad populum habendæ intervenientibus Supplicationibus impediri potuissent; aliunde inter Saturnalia præstare, ardorem populi gaudio debacchantis renovata ejus calamitatis memoria cohibere.

(b) Monitus de his per Cardinalis Granvelani Literas fuerat, quibus acceptis hæc ad Speciannm scripsit: „ Pacata mihi omnia fore Granvelani Li„ teræ pollicentur, si conjunctis viribus cum Ter„ ræ novæ Duce agam. Ego quidem in ancipiti sum, „ quid hisce formulis prudens ille rerum humana„ rum Cardinalis intelligat. Cum enim eum sciam „ omnibus Aulæ artibus a pueritia usque imbutum, „ nollem a me exigeret, ut aulicorum more ma„ nibus officiis cum eo agens abundarem, & actio„ nes omnes meas ad humanæ solum prudentiæ „ amussim moderarer. " Verum meliora sperare jussit ipsa Arragonii indoles in pacis studia, & Religionem maxime propensa; cujus quidem locuples testis Carolus ipse scripsit, *cognitam jam sibi ejus pietatem fuisse, quo tempore antea Mediolani diversabatur*: fuerat autem in hac Urbe Arragonius, cum ex Germanica Legatione rediret anno MDLXXX. Quare cum hic Gubernator Mediolanum venit Provinciæ administrationem inturus, disseminata in Urbe est fama de egregio Philippi Regis dicto, dum eum ex Hispaniis dimitteret: „ Vade, age; non Guber„ natorem Mediolanensis Provinciæ mittimus, sed „ Caroli Administrum; ejus enim Ditionis Borro„ meus defensor est, qui Religionem in populis „ confirmans non sinit, me ad eam tuendam mili„ tum auxilio indigere. " Verba hæc sunt Antonii Senecæ, prout consignata Actis Apotheosis fuere.

Digitized by Google

pendeant; frequenti concursu ad præcipua Templa itum est, rogataque tutelaria Urbis Numina, ut publicæ spei prosperos exitus darent. Neque incassum preces abiere [a]. Vanis siquidem suspicionibus omnino sublatis, quæ tot antea turbas concitaverant, nullum inter duos Carolos nisi humanitatis certamen erat, plane ut essent non tam nominis, quam animorum concordia pares. Id maxime expertus est, quidam ex Regio equitatu miles, quem capitali pœna damnatum, cum ad supplicium duceretur, unico Cardinalis verbo rogatus Gubernator dimitti illico e vinculis jussit [b]. Ita cum utraque potestas ad tollenda vitia unanimiter conspiraret, san-

(a) Monita etiam, & succi plenam Epistolam precibus addidit Carolus. Siquidem cum Romæ degens primum accepit, Arragonium fuisse Insubriæ Moderatorem renunciatum; has ad eum literas statim dedit, quas fideliter redditas accipe: „ Demandatæ Excell. Tuæ in Insubrica Ditione adminis„ strationis nuncium cùm me ad gratias Deo agen„ das excitavit; tum etiam ingenti voluptate per„ fudit. Cur enim bonorum omnium Auctori me „ hoc nomine potissimùm obstrictum non faterer? „ quandoquidem tam piam mentem Philippo Regi „ injecit, ut optimum hujusmodi Præsidem Medio„ lanensi regimini admoveret, in quo Rex ille sa„ pientissimus plures cognitas habebat ut fortitudi„ nis, & consilii, sic etiam pietatis, & virtutis „ testificationes. Quidni autem ingentem inluper „ voluptatem perciperem? cum certo sperarem fir„ missimum Pastorali curæ meæ subsidium, & le„ vamen suavissimum Excell. Tuæ operâ adjunctum „ iri. Nam cum Illa totam regendi summam in „ Religione sitam esse certo statuat, in qua etiam „ Regis potentia, & obsequium omnino consistit; „ necessario video, Excell. Tuam maximo mihi præ„ sidio fore, cum pari ratione munus Pastorale „ meum unice ad Dei honorem, & gloriam per„ tineat. Porro quæ tutior amplificandæ, & con„ servandæ Ditionis Regiæ iniri potest ratio, quam „ pietatis, & Religionis? Iisdem Divinæ, & hu„ manæ Leges vinculis continentur. Etenim si po„ pulum dabis, qui Dei præcepta, & communis „ Domini gloriam imminuere reformidet; necesse „ est, eumdem ut habeas Principi suo fidelem, at„ que obsequentissimum. Siquidem cum hoc sanciat „ Divina Lex. ut Principibus observantia omnis „ deferatur: quam Deus jubet *etiam difficiles* defe„ rendam; quanto magis exiget justissimo Regi, „ & sanctitate præcellenti præstandam? Profecto „ intuemur (idque Excell. Tua non auribus solum „ excepit; sed magistrâ rerum experientiâ docta „ secum tacite potuit expendere) bella, & turbu„ lentas seditiones, quibus Regis nostri Provinciæ „ adhuc flagrant, ex Religionis contemptu unice „ originem habuisse; atque neglecta primum Ec„ clesiæ potestate, viam amplam deinde ad per„ duellionem, & turbas fuisse patefactam. Qui fie„ ri potest, ut Principem colat, qui honorem Deo „ debitum detrahere non reformidat? Aut quid im„ pios ad Regis obsequium alliciat, quos Divina „ præcepta intra juris fines non continuere? Neque „ enim arcibus, aut copiis Urbium, & Provin„ ciarum tutela continetur; sed Dei auxilio: quo si „ destituamur, *in vanum vigilant, qui Civitatem cu„ stodiunt*. Qui tandem erit Divini impetrandi pa„ trocinii modus, nisi animi Christiana demissio, „ moderatio, orandi studium, aliæque virtutis par„ tes, quibus omnibus Religio complectitur? O „ felices eos Principes, quibus hæc nosse contigit! „ O beatos populos, quibus hujusmodi Principes „ obvenere! Porro mihi gratulandum video Medio„ lanensium felicitati, qui, Deo favente, & Rege „ optime providente, Moderatorem nacti sunt, cu„ jus probitatis, & virtutis fama ad plures hactenus „ Nationes permanavit; Mihi vero in oculis etiam „ defixa est, cum Mediolani ex propinquo Excell. „ Tuæ pietate delectatus sum, quam non sine maxi„ ma animi voluptate in privatis etiam colloquiis „ feliciter introspexi. Cumulat deinde gaudium „ meum Philippi etiam Regis imperium, a quo au„ dio pronam jam satis in benevolentiam meam Ex„ cell. Tuæ indolem excitatam fuisse, & Religio„ nem quodammodo corroboratam. Hac certe de „ causa erigor in eam spem, fore, ut Excell. Tuæ „ administratio sanctitatis laude apud omnes celebre„ tur; atque Moderatorem habituri simus Regis vir„ tuti optime consentientem. Utinam Deus Excell. „ Tuam incolumem nobis diu servet, & gratiæ suæ „ donis ubertime in dies augeat! Romæ die XVIII. „ Decembris MDLXXXII. " Quare mirum non est, si exinde summa semper tranquillitas rerum consecuta sit, & tanta utriusque consensio, ut Cardinalis Andreas Austriacus, cum patrocinium Arragonii Ducis Bartholomeo Dinnæ cuidam comparare vellet, Borromeo interprete uti voluerit, quem unice ejus favoris arbitrum cognoverat.

(b) Facti hujus seriem integram tibi ex tabulis Apotheosis sisto. Die XX. Julii MDLXXXIII. dum turmas equestres lustraret Arragonius, quemdam conspicatus militem strigoso equo insidentem, acriter increpuit, quod male illum curatum haberet. Militari audacia eques respondit: Nondum numerata sibi, quæ ja. diu debebantur, stipendia eam maciem equo attulisse. Ira percitus Gubernator, & imminutam Dignitatis suæ majestatem dolens, hominem ocyus corripi, traditumque in vincula, jubet mox palo alligatum explosis glandibus transverberari. Atrox certe consilium circumstantibus visum; quare dilapsi ex Foro nonnulli improvisæ sententiæ fama Urbem complevere; quæ cum ad Cardinalem etiam permanasset; Hic, quandoquidem versabatur in Theologorum jam congregato concilio, Hieronymum Castanum misit, qui verbis suis Gubernatorem obsecraret, & supplicium ultimum a misero deprecaretur. Abnuit tamen indulgere Legati vocibus Arragonius; cum nondum deferbuisset conceptæ iracundiæ æstus. Interim infecta re, Castanus abscedens Borromeum monuit de infelici legationis exitu. Quo audito, sede exurgens sua præpropere Cardinalis, & ad Gubernatorem festinans tentare voluit,

Digitized by Google

ſanctiora ſimul, & feliciora omnia in Urbe erant, approbantibus etiam Superis piorum Principum ſtudia fertilitate agrorum, quæ nunquam tanta ſuperioribus annis fuiſſe dicitur.

Decimam Diœceſanam Synodum idem annus habuit [a], in qua & ſexti Provincialis Concilii decreta, quæ Carolus Romæ agens a Summo Pontifice confirmari curaverat, promulgari juſſit, & Sacerdotes

luit, an quidquam præſentia ſua poſſet proficere. Cognito Caroli ad ſe venientis conſilio, puduit Aragonium vinci debere aliena humanitate ſuam; quare præmiſſis, qui properanti nunciarent, ne ultra tenderet, liberum hominem Borromei votis reddidit.

(a) Synodum hanc ad IV. Maji diem indixit; qua de cauſa Calendis ejuſdem menſis ſolemni Supplicatione Sacrum Clavum Urbe circumtulit, & ſeptennio ante inſtitutam celebritatem contra morem antevertit. Ad eam Supplicationem huc evocaverat Parmenſem, & Placentinum Epiſcopos, qui tamen ne ullam offenſionis cauſam Farneſiæ Familiæ darent, nondum compoſita quæſtione nuptiarum dirimendarum, Mediolano abſtinuerunt. Antequam tamen Concilium cogeret ex Diœceſi, infinitis Eum curis diſtractum comperio. Præterquamquod exactè Paſtorale prædicationis munus Quadrageſimali tempore obiit, quod etiam exemplo ſuo obeundum omnibus ferme conterminis Epiſcopis perſuaſerat: Tria præcipue Ejus diligentiam nunquam defatigandam abſorbebant. Primò enim permoleſta verecundiæ ſuæ provincia Eum obruebat de Principis Farneſiæ ſolvendo Matrimonio. Hac de cauſa Bononienſes, & Ticinenſes audiendi erant Archiatri: præcavenda Principum offenſio: expectandus adhibitæ medicinæ exitus; quæ ſi efficax deinde fuiſſet, ratæ haberi nuptiæ poterant. Hinc omnia Romæ conſultanda per literas erant; licet iterum ſemper in Borromei arbitrium rejicerentur. Secundò nihil Romæ decernebatur de *Pontificali Romano*, aut Ritibus emendandis, quod Caroli oculos ſubterfugeret. Quidquid aut in conſultationem veniſſet, aut ſtatuendum eſſet, uni Ipſi aperiebatur; cum pœna indicta eſſet a Pontifice, ſi quidpiam ad ceteros de iis Sanctionibus emanaſſet, præterquam ad Cardinalem Sanctæ Praxedis. Hinc crebræ ad Cardinales Caraffam, Sanctæ Severinæ, & Sirletum ad eam cauſam diſcutiendam electos, & in hebdomadas ſingulas prolixæ ad Galeſinium Epiſtolæ nocturnam, credo, quietem Carolo intercipiebant. Tertia erat animo altius infixa cogitatio de luſtrandis Rhætiæ Vallibus; Hæc dies, noctesque torquebat. Adveniebant crebro ad Illum Legati clanculum miſſi, quorum alii Eum in Vulturenos, alii in Meſaucos diſtraherent. Ad perficienda, quæ cogitabat, Literas ad Bonhomium dederat, ut apud Cæſarem, alias ad Caſtellum, ut apud Henricum Galliarum Regem curarent Rhætorum Primores excitari. quo nullum in ea Luſtratione impedimentum offerrent. Mox etiam magis ex propinquo conatus viam ſibi aperire, ſub Aprilis initium P. Adurnum, & Jo. Petrum Stuppanum in Vulturenos miſit cum mandatis, ut preſſius incolarum indolem explorarent, Procerum tentarent animos, modumque ſolerter rimarentur, quo afferri perditis ferme Regionibus remedium poſſet. Cum hæc graviſſima curat Carolus, repente domeſtica alia ingruit calamitas. Nunciatur ſiquidem, Octavium Gonzagam conſanguineum ſuum, qui antea Equitum Centurio in Belgio militaverat, ex dolore colico Marignani decumbere. Illuc advolat Cardinalis ad Idus Aprilis; cumque religioſis monitis jacentem ſublevaſſet, ſex, quibus illic fuit, diebus, omnia pietatis officia languenti perſolvit. Recreatus morbo Octavius conſilium dedit Cardinali revertendi. Sed repente graviori morbi vi ingruente, revocatur Marignanum Carolus, & inter ejus amplexus Gonzaga die XXV. Aprilis extinguitur. Reſignatis ſupremis tabulis, demandatur Carolo familiæ adminiſtratio, & rei domeſticæ ſumma. Verum inito calculo, quadragies mille nummi in ære alieno numerabantur. Patris loco, ſeu verius animo, Carolus turbatum, imo everſum Familiæ ſtatum inſpiciens, & collecturus illas veluti naufragii reliquias, triduo poſt a Senatu Mediolanenſi facultatem impetrat exponendi venales ſupellectiles. Jubet haſtæ ſubjici argentea quæque, & equos ad numeranda ſervis ſtipendia, & Octavii nomen diſſolvi apud eos, qui ex tempore magis urgebant. Æs dotale ad X. millia nummûm everſum a Defuncto, Cæciliæ Medicææ Uxori reſtituitur. Demum ut pupillos filios deſtitutos fortunis quo poterat modo ſublevaret, expenſis ſuis Paulum a Cruce in Hiſpanias legat cum Literis ad Regem, & ad Granvelanum Cardinalem, rogans ut primogenitum filium paterna dignitate ornaret; & ſane reſcripſit Granvelanus, futurum fuiſſe, ut nullum pateret perfugium Octavii filiis apud Regem, niſi Borromeus interceſſiſſet. Deſtinato itaque a piiſſimo Rege ſubſidio, in Philippi diplomate poſtulavit Cardinalis, ſi fieri poſſet, hanc conditionem apponi: *ut ſtipendia, quæ filio eſſent obventura, non ad ipſius, ſed creditorum manus pervenirent, ne ullum ſibi detrimentum faceret pecuniam obliguriendo, aut as alienum non ſolvendo patris Manibus dolorem inureret*; ut Ipſemet ſcripſit. Minora alia omitto ante Concilium a Carolo ſuſcepta: perductam ſcilicet feliciter ad exitum Canonicorum Vercellenſium cum Epiſcopo concordiam, a Pontifice deinde confirmandam: inita cum Sabaudiæ Duce conſilia de ejus nuptiis: de Genevæ recuperandæ negotio Helvetiis commiſſo: de Pedemontii Luſtratione utiliter a Pontificio Viſitatore perficienda, ad quam adeo eum verbis ſuis inflammavit, ut in ipſa luſtratione propter ſuſceptos labores Viſitator e vita exceſſerit; quo audito eum Carolus terque quaterque beatum inclamavit. Addi poſſent comparata Romæ ſubſidia pro Collegio Aſconenſi excitando: ſuſtentanda Bonhomii in Germania legatio: dirimendæ controverſiæ aliquot pro libera poſſeſſione Secedienſis Sacerdotii, & Caravagii Præpoſituræ: augendæ Variſii Canonicales Ædes, & ſexcenti alia, minima certe in Borromeo; quæ in ceteris tamen fuiſſent præclariſſima. Bimeſtri ſpatio plures in ſingulas hebdomadas Pontificiæ Breves Literæ tranſmiſſæ ſunt ad ea, quæ optabat, perficienda; & Ipſemet Cardinali Jeſualdo ſcribens ſub Martii exitum dicit: *ſe in cura hac Paſtorali negotiis ferme oppreſſum*; quam vocem vix ulla alia curarum moles a Carolo expreſſit.

Digitized by Google

tes ſuos petito ex ſacris Literis exemplo hortari non deſtitit, ut renaſcentem Eccleſiaſticæ rei dignitatem novis ſemper incrementis illuſtrare conarentur. Quemadmodum enim, Jeroſolymitano Templo poſt excidium reſtituto, Hebræorum juniores lætabantur, flentibus interim, qui prioris Templi ſplendorem, majeſtatemque viderant: ita nunc, Mediolanenſi Eccleſia in aliquam meliorem formam redacta, etſi inde multi lætitiæ argumentum acciperent, manaturas tamen ex eorum oculis lacrymas, ſi antiquos Chriſtiani Populi mores, & primævæ Eccleſiæ ſplendorem reſpexiſſent. Huic quoque Synodo Auguſtinus Valerius Veronenſis Antiſtes adfuit [a], quem numquam pœnituit gregem ſuum deſeruiſſe, ut Caroli actis intereſſet. Imitator enim ex ſpectatore factus, quidquid illuſtrium exemplorum Mediolani didicerat, id omne ad utilitatem Eccleſiæ ſuæ retulit [b].

CA-

(a) Mira mihi accidit hoc tempore Valerii in Carolum benevolentia, cujus lateri hærere ſemper voluit, quando licuit. Dum Româ regrederetur Carolus, Ferrariam Valerius convolaverat, Eum conventurus. Sed voto fruſtratus ſuo eſt, cum jam digreſſus Ferraria Borromeus fuiſſet; ut habemus in Hujus Epiſtola, quam Parmam adveniens ad Eum dedit: „ Quo„ niam licet feſtinato itinere, & gravi ſuſcepto in„ commodo, ut me convenires, caſus mihi moleſtus „ tulit, ut gaudio, quod ex præſentia tua perceptu„ rus fuiſſem, privarer: Id Divinæ providentiæ con„ filio adſcribam, quæ fortaſſe brevem hanc mihi „ voluptatem ademit, ut majorem Mediolani, aut „ alio tempore, & diuturniorem reſervaret. Accepi in„ terim gemini Sermonis a te habiti exemplar, & „ alia identidem ad me mittas, velim." Attamen Caroli deſiderium diutius ferre Valerius non potuit. Intelligens enim fore, ut diutius Cardinalis Parmæ ſubſiſteret, expedito itinere Parmam venit. Quo exemplo commotus cum illuc proficiſci vellet etiam Cremonenſis Epiſcopus, obſtitit Carolus hoc reſponſo: „ Quod ſcribis, te officii cauſa, aut Vicarium „ tuum hic mecum adeſſe velle, neutrum conſilium „ probo, cum utrumque Eccleſiæ tuæ pernicioſum „ videam. Quare in hoc nimiam humanitatem tuam „ accuſo. Contra jucundum mihi fuit idem Vale„ rii inviſentis officium; illius enim major ab Ur„ be mea diſtantia, laudabiliorem Verona diſcedendi cauſam obtulit." Ceterùm Valerium neque major itineris longitudo retardavit, quominus iterum nunc Mediolanum veniret. Ne autem inutiliter veniſſe crederetur, Carolus providit; nam quos hic dies fuit, utilibus, & ſacris negotiis eum ſemper diſtinuit.

(b) Quæ in Urbe Carolus egerit, antequam Aſconam verſus iter ſuſciperet, breviter complector. Propter diſſidia quædam exorta inter Rectorem Eccleſiæ S. Stephani ad Nuxigiam, & Leones Aretinos Equites arte fuſoria celeberrimos viros, qui moles quaſdam æneas Mediolani conſtruebant, mittendas deinde in Hiſpaniam ad ornandum ſumptuoſiſſimum S. Laurentii ædificium prope Mantuam Carpetanorum, non ſine Philippi Regis offenſione interpoſita quædam operis impedimenta fuerant. Carolus auctoritate ſua controverſiam reſtinxit omnem; quare ſummam prudentiæ laudem a Rege ipſo tulit. Hiſce compoſitis, cum Parmenſi nuptæ Principi parata a Medicis remedia parum profuiſſent, & propter verecundiam graviora pati illa recularet; Solicitatus a Romana Curia Cardinalis, ut de rei ſumma tandem deliberaret, neque diutius differendum ratus, ante Idus Majas Parmam contendit, ubi vehementi oratione ſua ita Margaritam permovit, ut ſe Deo dicare, & Mundo penitus valedicere ſtatuerit. Recreavit Carolum ſuſceptum ab ea libere, conſtanterque conſilium; utque abeſſe omnem prehenſationis ſuſpicionem hac in re teſtaretur; aut etiam nova exoriri diſſidia poſſe animadverteret pro Dote repetenda, & Conjugis, quæ timebatur, offenſione: explorare certius Parmenſis mentem ſtatuit. Itaque cum paulo poſt Idus Majas illinc diſceſſiſſet, Veronam obiter digreſſus eſt; ibique die Aſcenſioni Dominicæ ſacra Concionem habuit ad eum populum ſibi cumprimis dilectum, ut ſuſceptum paulo ante a Valerio concionandi conſilium fortaſſe exemplo ſuo corroboraret. Extat typis impreſſa inter Homilias Ejus Oratio. Mediolanum reverſus ſtatim, excipi in Laudenſi Urbe Parmenſem Principem per Mediolanenſes Patricios complures voluit: quandoquidem Mediolanum illa feſtinabat, S. Pauli Monaſterium ingreſſura. Deducta huc fuit VII. Calendas Junias, ut docet Borromei Epiſtola eâdem die ad Novocomenſem Cardinalem data: „ Margarita a „ flore Parmenſis, & Mantuanæ Nobilitatis Laudem „ uſque Pompejam deducta, ibique excepta a pri„ mariis Mediolani Equitibus, ac Matronis a me „ illuc præmiſſis, ſtipata honorifico, ut par erat, ſed „ modeſto comitatu huc venit, & S. Pauli Virgi„ num Monaſterium ingreſſa eſt. Nunc in id dum„ taxat eſt incumbendum, ut ſcilicet ea libere con„ ſilium illud ineat, quod ſibi opportunum ipſa„ met duxerit." Itaque hac re bene inclinata, ad graviora alia convertit animum, nimirum ad componenda aliqua in urbano Patrum S. Ambroſii Monaſterio, & compeſcendam Seronenſium aliquot licentiam in Sacræ Deiparæ Ædis jure illic opprimendo. Priora quidem illa pro auctoritate ſibi demandata a Summo Pontifice, & Cardinali Ateſtino emendavit per ſe, & Antonium Senecam, quem in Monaſterium ad inſtituendas quæſtiones aliquot miſit. Plus tamen faceſſebat negotii aſſerenda Seronenſi Templo libertas. Seronum itaque die VI. Junii convolavit, licet eâdem die Rhaudum in via diverterit, ubi Oppidanorum religionem egregiâ Homiliâ inflammavit erga Deiparæ imaginem, per quam ſuperioribus diebus, ſcil. ad VIII. Cal. Maji, patrata prodigia aliquot nunciata fuerant, quæ expendi per geminos graves legatos voluit; quare ad VII. dumtaxat diem Seronenſe Templum ingreſſus, geminam ad populum mane, & veſpere Orationem habuit. Quid eo in loco

CAPUT III.

Aſconenſis Collegii fundamenta jacit. Graviter ægrotantem Sabaudiæ Ducem Vercellis conſolatur, a quo morbum deinde mirabiliter depellit. Poloniæ Regis ex fratre filium Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis informat.

1583. VIcus eſt in ora Verbani Lacus, quæ Helveticis Magiſtratibus paret, Aſcona nomine, vix antea finitimis notus, nunc etiam apud exteros unius hominis beneficio famam adeptus. Bartholomæus Papius loci indigena, cum paternæ domus anguſtias ferre non poſſet; Romam profectus tantum negotiando profecit, ut inter artis ſuæ homines facile opibus emineret. Illud ejus proſperitati defuit, quod, matrimonio irito, nullam ex eo prolem ſuſceperat, quam bonorum hæredem

---

co turbarum eſſet, quatriduo poſt Speciano expoſuit, cum in Urbem jam eſſet reverſus. „ Deiparæ Ædem „ prope Seronum diebus ſuperioribus luſtravi, & „ vidi inordinata ibi omnia præſentiſſimo remedio „ indigere. Jo. Baptiſta Reyna ex Primariis ejus „ loci, atque illius frater jus quoddam dictatorium „ in illud Templum exercent, cum adminiſtrationi „ rerum Præfectos unice velint a ſuo arbitrio pen„ dere. Cum paulo ante aliquis ex Vicariis meis „ nonnulla ibidem ſanxiſſet, ambo interceſſere, & „ Romam provocaverunt; impetravere imo Literas „ quaſdam a Tribunali iſto, quod Signaturam Juſti„ tiæ appellant, quibus acta Vicarii omnia antiquata „ ſunt. Audio iſthic Sacerdotem quemdam eſſe eo„ rum Procuratorem; quare acri remedio opus eſt, „ ut tyrannica hac poteſtate Templum illud libere„ tur.“ Revera poſtridie Nonas Auguſti lego datas a Pontifice Breves Literas, quibus facultas ampliſſima Cardinali deferebatur *viſitandi Eccleſiam Sanctæ Mariæ Virginis de Serono*. Hæc agenti nunciatur, populum univerſum Olgiati ad Olonam nova moliri, & peſſimo Seronenſium exemplo incitatum conqueri apud Pontificem pro abrogando ſuo Decreto, quo Metrocomiæ nomen, & jura ab eo Pago Buſtum Arſitium biennio ante tranſtulerat. Adeo tamen faventem Pontificem habuit Carolus, ut repudiatos, qui ia poſtulabant, Oratores re infecta juberet a ſe diſcedere. Inſuper audito, publicis odiis plures inter ſe Cremonenſes Cives diſſidere, Epiſcopum ocyus monuit, ut ne inter eos ſequeſter pacis eſſe pro Paſtorali, quo fungebatur, munere dedignaretur; A quo deinde Epiſcopo commonefactus, Cremonæ Gubernatorem etiam fratri ſuo Aloyſio Mantiche de Lara, qui in Hiſpaniis degebat, inviſum eſſe: Ille ſtatim datis in Hiſpaniam Literis Aloyſium ſolicitavit, ut fratri reconciliari vellet. Hæc omnia eximiæ pietatis fuere; illud vero ſummæ conſtantiæ, quod cum Baſilianis Monachis ſuſceptum certamen fuit. Paulo poſt Paſchales dies, ſcilicet XV. Aprilis, non recuſavit grave onus ſubire reſtituendæ illorum diſciplinæ, eoque laboravit menſibus etiam Majo, & Junio. Jamdiu aures vulneraverant ſuas triſtia plura, & fœda de Monachis illis, qui tum Mediolanenſi SS. Coſmæ, & Damiani in Monteforti Monaſterio erant addicti. Confeſſionum audiendarum poteſtatem alicui ex iis ademerat, ne (quod horrendum dictu eſt) verteret in confitentis damnum ipſa ſcelerum confeſſio. Plena inſuper ibi ſeditionum erant omnia; & qui nonnulla Carolo aperuerat, & emendare aliorum peccata optaverat, propter affictam calumniam evocatus Genuam ab Ordinis Supremo Præſide, qui illic degebat, & falſis criminibus obrutus vix a nequiſſimo judicio ſemiuſtulatus evaſerat. Gemini alii, quibus par erat ad priſtinam formam reducendi Inſtituti deſiderium, cum a ſuis id impetrare non poſſent, in alterius Ordinis Familiam translati, imitatores ſanctitatis apud alios fuere, cujus apud ſuos Auctores eſſe cupiebant. Itaque tot medendum malis ratus Borromeus facultatem a Gregorio XIII. Monaſterii ejus viſitandi cum jamdiu accepiſſet, diploma nunc tandem offerri prius Præſidi voluit, ut tranquille omnia tranſigerentur. Metuenda tamen plus illorum officioſa verba fuerunt, quàm vis, ſi fuiſſet intentata. Accipe quid poſtridie Cal. Junias Romam ſcripſit: „ Breves Pontificiæ Literæ pro lu„ ſtrando Armenorum ad S. Damianum Monaſterio „ Monachis oblatæ ſunt; Verum illi humaniſſime „ obſiſtentes, dixere, non eſſe cur legerentur; „ itaque hoc artificio legere illas recuſarunt.“ Sprevit tamen eorum artificium Cardinalis, & Monaſterium luſtravit omne; licet poſtmodum querelis ſuis Baſiliani Romanorum Cardinalium aures impleviſſent, apud quos reclamitarunt, teſte Speciano, qui hæc monuit: „ Luſtratum fuiſſe ſuum Mona„ ſterium abſque Pontificii Decreti denunciatione: Ta„ bularium omne everſum, diſtracta Ordinis Privi„ legia, & vim intentatam: demum ſe Documen„ torum expertes in eas leges compelli, quæ pro „ libito Archiepiſcopi præſcribebantur.“ Vera falſis callide miſcebant; nam cum in eorum Tabulario comperiſſet Carolus, (nulla tamen intentata vi) eos jamdiu eſſe Ordinis S. Dominici legibus obſtrictos, in eam mentem venit, quam Cardinali Alexandrino in hæc verba aperuit: „ Optimum factu „ cenſerem, ſi Baſilianos hoſce Monachos S. Do„ minici Fratribus ex auſteriori Inſtituto accenſe„ res, eorumque Præſidi ſubjiceres; quandoquidem „ ea, quibus nunc reguntur, Inſtituta eadem ſunt, „ imo iis ſe vivere profitentur. Quare poſſent qui „ hic degunt alio transferri, aliique S. Dominici „ Ordinis Fratres in hanc ſedem induci.“ Jamque Caroli cogitata perficere ſatagebat Alexandrinus, aſſentiente etiam Summo Pontifice. Cum repente Baſiliani Monachi Genuenſes interpoſitis Reipublicæ illius univerſæ officiis, in cujus tutela, & præſidio jactère ſe affirmabant, & poſtmodum Libello ſupplice Romam tranſmiſſo, cui CCC. Genuenſes Patricii ſubſcripſerant, tam piæ Borromei petitioni acerbiſſimam ſecurim injecere. Verumtamen hac ſpe dejectus Carolus, oblato illis rurſus, & præfecto Pontificio Diplomate, luſtrare Monaſterium illud, & Decreta condere jure ſuo voluit, nihil tamen mutato

Inſti-

redem [a] relinqueret. Sed ita fortuna, & ingenium Viri tulerunt, ut quemadmodum ex domeſticæ rei inopia ad divitias evaſerat, ita immortalitatem nominis ex conjugii ſterilitate referret. Teſtamento condito, Collegium Aſconæ excitari mandavit [b], in quo incolarum liberi, piſcatoriis retibus, & agelli cultu relictis, in ſpem melioris fortunæ literis operam darent. Venêre hoc anno a Summo Pontifice literæ, quæ tam piæ voluntatis exequendæ curam Archiepiſcopo commendabant. Ipſe Peregrino Architecto ſecum Aſconam ducto, atque explorato diligenter ſitu, prope veterem Deiparæ Ædem locum Collegio delegit [c], relictis, qui ſtrenue opus urge-

Inſtituto; & poſtridie Idus Quintiles hoc eodem anno ſcripſit, ſe eam luſtrationem iterum fuiſſe aggreſſum. Ut verò aliqua ex parte conſuleret religioſæ aliquorum voluntati, Breves deinde alias Literas poſtulavit, quibus concederetur facultas in alium Ordinem tranſmigrandi, cui libuiſſet.

(a) Nullum quidem ex Matrimonio filium ſuſceperat Papius; attamen bonorum ſuorum alium a Collegio Hæredem inſtituit. Habeo præ oculis Teſtamenti ipſius apographon Româ olim miſſum, oblatum mihi humaniſſime ab Antonio Bontio Præpoſito Generali Congregationis Oblatorum, cujus benevolentiæ debeo plura hiſce notis aſperſa, cum pervium mihi fecerit Congregationis Archivum, in quo tabulæ confectæ pro Sancti Caroli Apotheoſi curanda reperiuntur, & pretioſum aliud ſcrinium, ubi plura epiſtolarum millia a Sancto Carolo miſſarum, acceptarumve aſſervantur. In eo Teſtamento condito ad diem XVIII. Auguſti anno MDLXXX. lego: „ Magnificus D. Bartholomeus Papi de Aſcona, & „ Civis Romanus &c. in omnibus aliis bonis ſuis „ mobilibus, & immobilibus, & ſe moventibus, juribus, nominibus, & actionibus quibuſcumque „ ubique exiſtentibus ſuum Hæredem univerſalem „ fecit, inſtituit, ac ore proprio nominavit D. Gothardum ejus Nepotem, cui jure inſtitutionis reliquit omnia &c. cum pactis tamen & conditionibus &c. " (& inferius:) „ Cui quidem Domino Gothardo, quandocumque morienti ſine filiis „ legitimis, & naturalibus maſculis, & ex legitimo matrimonio procreatis, vulgariter, pupillariter, & per Fideicommiſſum & omni meliori modo &c. ſubſtituit proximiorem maſculum legitimum, & naturalem in gradu ex domo, & familia, „ ac linea ipſius Teſtatoris &c. " Ex quibus conſtat legatam quidem Collegio extruendo nobilem pecuniæ ſummam, non vero totam oblatam ex aſſe hæreditatem.

(b) Ex eodem Teſtamento patet, quem cenſum huic Seminario (hoc enim nomine ſemper Carolus & Papius appellaverunt) legaverit Papius, & quo in loco excitari juſſerit. Hæc itaque ibidem habentur: „ Item voluit, & mandavit, quod fieri debeat „ Seminarium in Terra Aſconæ, unde eſt oriundus; „ & ad dictum effectum reliquit Palatium per ipſum „ fabricatum in dicta Terra: & voluit, quod pro „ victu, & veſtitu Scholarium in dicto loco pro tempore exiſtentium, & de bonis, ut infra, vendendis inveſtiantur ſuper tot locis *Montium non vacabilium*, ſeu cenſibus hic in Urbe, ſcuta vigintiquinque millia, & quod de fructibus eorumdem prædicta „ fiant &c. " Neque Summum Pontificem rogavit Papius in ſupremis Tabulis, ut voluntatem hanc ſuam exequi dignaretur, ut Gluſſianus putavit; ſed, ut verbis ipſius Teſtamenti loquar: „ Executorem „ ſuæ ultimæ voluntatis, & bonorum, & hæreditatis „ hujuſmodi protectorem fecit Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Cardinalem Urſinum cum plena, & „ ampla poteſtate in forma, & Magnificum D. Petrum Valentinum, & D. Laurentium Pancaldum „ cum auctoritate, & conſilio dicti Illuſtriſſimi & „ Reverendiſſimi D. Cardinalis. " Verum quidem eſt, ejus excitandi provinciam a Summo Pontifice demandatam Carolo fuiſſe, optante etiam Cardinali Urſino. Hinc in Homilia ad Aſconenſem populum habita Carolus hæc habet: „ Ad hoc (Seminarium „ ſcilicet ſtabiliendum) a Sanctiſſimo D. N. Gregorio „ Papa XIII. miſſi acceſſimus, ut quæ circa hoc a„ genda ſunt, ſtatuamus, & quidquid oportuerit San„ ctitati Suæ per literas ſignificemus. " Præterea in eadem Homilia tradere videtur, quem haberet Seminarii hujus extruendi finem: „ Quot hinc filii „ veſtri Dei ſervi prodibunt, qui & vos poſtea Dei „ legem docebunt, & animas veſtras moderabuntur?

(c) Idibus Junii Mediolano abſceſſit Borromeus; poſtridie autem Domum in Valle Travalea profectus, Aram Templi Maximam, & Cœmeterium rite conſecravit, ubi etiam Sermonem typis recenter inter Homilias editum ad eos Incolas habuit. Inde ad XV. diem Aſconam profectus, diligenter inſpecto, quem deſignaverat in Teſtamento Papius, loco, tunc ab excitando Seminario abſtinuit; ſed Sermone prius ſacro habito ad Aſconenſes, tranſegit cum iis nonnulla, quæ ad opportuniorem ſedem deligendam, & ſtrenue urgendum ædificium pertinebant. Deſcribit profectionis ſuæ exitum Speciano IX. Calend. Quintil. „ Aſconæ diebus ſuperioribus fui, & itineris comites, conſiliorumque participes habui Peregrinum „ Architectum, & Laurentium Pancaldum. Deſtinatum Seminario locum attentius conſideravi; ſed „ quandoquidem multa dubia inciderunt, adnexam „ omnium, quæ agitata ſunt, ſchedam habebis, Aldobrandino Cameræ Apoſtolicæ Auditori offerendam, ut vel de ædificio ſtatuatur aliquid, vel de „ loci commutatione ineunda, aut de opportunis „ facultatibus a Pontifice poſtulandis. " Quoniam vero multum lucis afferent hiſtoriæ huic ea omnia, de quibus Aldobrandinum monuit, ſtatui ſummatim per capita complecti quidquid in ſcheda Romam miſſa adnotatum legi. Itaque animadvertit primò Cardinalis conſtitutum Seminario Papii Palatium inopportunum eſſe; imo ineptum videri omnino, cum brevi admodum ſpatio terminaretur: Ejus Atrium XXV. vix latum palmos in ipſo Verbani litore ſitum eſſe, unde jurgia, & maledicta Nautarum facile exaudiri poſſent, quæ obſtruta nimium Alumnorum diſciplinæ videbantur. Inſuper multum jam æris ab Aſconenſibus in illud Palatium aptandum fuiſſe

urgerent: ſive ut gratiam beneficio celeritas adderet; ſive præſentiens inopiam temporis, quod ſibi ad rem peragendam ſupereſſet.

In reditu admonitus Briſſagi, qui pagus Aſcona quatuor paſſuum millibus abeſt, peſtilentes morbos graſſari, præterire noluit, quin & ægros inviſeret, & quidquid auri, argentique ſecum habebat, egentibus impertiret. Qua erga inopes largitate ſe ipſum, & familiares ſuos, quorum locullos omnes excuſſit, in eam inopiam redegit, ut Cannobium perveniens mutuam petere pecuniam ad reliquas itineris neceſſitates cogeretur [a].

Ineunte Septembri, cum Sabaudiæ Ducem gravi morbo decumbere acceviſſet [b], adeo commotus eſt, ut qualecumque

---

fuiſſe quidem collatum; ſed inani prorſus opera, cum aſſurgens prope clivus impedimento eſſet, quominus loci confinia protenderentur: Nullos præterea adjici hortos poſſe, nec liberum cælum patère, ex quo gravem aërem ſtudentibus fore apparebat. Negavit ſuppetere in ſcopulis illis locum ad excavandam ſubterraneam ſpecum pro vinaria cella, cui extruendæ, licet ſumptu immani expugnari aſperam cautium naturam contingeret, facile deinde redundantis lacus alluvionibus ea obnoxia ſemper fore putabatur. Secundò addidit, ad vici illius fines ſacram Deiparæ Ædem reperiri antiquitus dono Fratribus Ordinis Prædicatorum oblatam; ſed eam vitio factam fuiſſe donationem: conſtare, amplam ibi planitiem eſſe, per quam late aſpectus pateat: adjectos etiam hortos muro munitos, & ædium aliquantum, quæ minori impendio amplificari poſſint percommode: ſolitudinem loci literarum ſtudiis profuturam, nec obfuturam religioni; cum inde nonniſi modico intervallo primarium Pagi Templum diſtet, quo facile poſſint Alumni accedere, Eccleſiaſticis Ritibus imbuendi, ſi hoc legibus cavendum foret: Sedem hanc mirifice etiam Aſconenſibus arridere; imo enixe rogare omnes, ut detur; quæ ſi eorum votis concedatur, paratos eſſe Incolas in hujus ædificii ſubſidium conferre ter mille aureos, per æquas partes tamen in XII. annos numerandos. Ultimò pro his perficiendis rogat nonnulla: commutandam nimirum Pontificia auctoritate Papii voluntatem, ut mutare locum liceat: deinde confirmandam ſibi a Gregorio Templi hujus donationem a populo factam: tertiò, ut Pontifex declaret, retineri poſſe quamdam agri partem a Sodalitate Deiparæ ad Quercum Seminario attributam: quartò facultatem dandam, ut quædam legata ad certum tempus Sacellis B. M. Virginis SS. Roſarii, & ad Quercum, poſſint in ejuſdem Seminarii jure eſſe: Poſtremò ut Papii Palatium cum adjecto ſpatio in publicam Aſconenſium poſſeſſionem tranſeat, quo merces aliqua ſuppeditatæ ab illis pecuniæ rependatur. Tot itaque, & tam exacte uno die Borromeus perfecit. Quamquam adde hoc etiam, quod ferme exciderat: eadem die veniſſe ad ſe Locarni Archipresbyterum, qui pluribus Eccleſiaſticis vinculis adſtrictus propter denegatum Novocomenſi Epiſcopo ſuo obſequium, confugit ad Cardinalis auxilium. Excepit eum amantiſſime Carolus, & longa errorum ſerie humaniſſime intellecta, cum literis ad Epiſcopum remiſit, & conjunctis precibus veniam orans, omnem eidem Antiſtiti poteſtatem conceſſit, ut eum pœnis omnibus poſſet tuto abſolvere.

(a) Minima hæc cauſa fuit, cur Cannobium appellere ſtatueret Carolus. Die XVI. Briſago digreſſus illuc navigavit, & navi deſcendens cum Peregrino, qui Templi illius magnifici nondum exædificati Architectus erat, opus ſolerter conſideravit, vetuitque, ne ullum a Mantello quodam accola impedimentum illi perficiendo objiceretur. Cum vero ea dies VIII. a Feſto SS. Corporis Chriſti recurreret, ſupplicationem antequam inchoaret, populum ad pietatem Sermone accendit, & ſupplicatione perfecta, nonnulla ad ejus Eccleſiæ quietem ſtabilivit. Videtur autem aliquam illic illuſtrationem habuiſſe, cum hæc in eo Sermone legam: „ Erit hæc aliqua„ lis, licet non plena, Loci hujus Viſitatio. “ Die etiam poſtero ibidem ſe tenuit, ubi ut verba iterum faceret, a puerorum multitudine, quæ in Templum confluxerat, aptum ex tempore dicendi argumentum ſumpſit, & deflexit ad laudes SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ, quorum celebritas in eum diem ex Ambroſiano Ritu fuerat translata.

(b) Alia memoratu digniſſima inter Aſconenſe, ac Vercellenſe iter certe interjecta lego, quæ plurimum Caroli facta illuſtrabunt. Mediolanum itaque feſtinato itinere ad XIX. Junii diem reverſus, Sanctiſſimi Sacramenti Societatem in Metropolitana Baſilica excitavit, firmavitque legibus, quas videre eſt in noſtræ Eccleſiæ Actis. Viget adhuc præclariſſimum Inſtitutum in eo, ceteriſque Parochialibus Templis, unde plurimum venerationis SS. Euchariſtiæ acceſſit. Quatriduum ſequens piis Exhortationibus ad populum, ad Canonicos, & Oblatos in Urbe tranſegit; cumque apud ſe eo tempore eſſet Boſſius Novarienſis Epiſcopus, qui morbi cauſa Genuenſem, qua fungebatur, luſtrationem imperfectam reliquerat, primò hortatus eſt ad eam ſtrenue retexendam; ſed cum iis laboribus inſtaurandis imparem ſe profiteretur, perſuaſit, ut Laudenſis ſaltem luſtrandæ Diœceſeos onus non refugeret, quod etiam pervicit; idcirco IV. Idus Sextiles Breves Pontificias literas in hanc rem Boſſio impetratas a Carolo comperio. Mox Cardinalis novam expeditionem aggreſſus in populos Abduæ adjacentes, Olginatum primò, deinde Averariam, Calolcium, Vercuragum, Galbiatum obivit, ubi etiam pridie Calend. Quintil Aram conſecravit. Inde per Matreriam Vallem deſcendens Caſtellum ad Leucum, & Leucum poſtmodum ipſum luſtravit. Hic dies aliquot ſubſtitit, egitque, ut S. Mariæ Magdalenæ Monaſterium injuriis, & infidiis propter ſolitudinem loci obnoxium, tutiorem in locum Leuci ipſius mœnibus, ut Ipſe ſcribit, comprehenſum transferretur. Patefacto conſilio ſuo, duriores vere eas Virgines habuit, & ſalutari ſententiæ omnino adverſantes. Poſtmodum tamen menſe Octobri literas a Leuci Gubernatore accepit, quibus

Digitized by Google

quibus hic obſidem ſe earum obedientiæ offerebat, & præteritorum veniam ipſarum verbis deprecabatur. Reſpondit humaniſſime in hanc ſententiam Cardinalis: „ Gratæ mihi admodum literæ fuere „ abs te nuper redditæ, & maxima cum voluptate „ animi intellexi tua etiam ſtudia in ſacræ admi„ niſtrationis meæ tranquillitatem conſpirare. Quod „ ad Sanctæ Mariæ Magdalenæ Virgines attinet, „ quas mihi ex animo commendas, ingenue teſtor, „ pro muneris mei cura illas eo in loco apud me „ eſſe, quo filiæ apud amantiſſimum Patrem: quid„ quid vero pro transferendo earum domicilio ſta„ tui, ab eadem certe benevolentia proficiſcitur, „ & Paſtorali ſolicitudine, quæ nihil aliud præter „ animarum ſuarum utilitatem ſpectat. Hanc ego „ ſemper humanis omnibus anteponendam duco; „ & quacumque demum loci aut temporis oppor„ tunitate in earum, ut etiam univerſi gregis mei, „ commodum, me decet incumbere. Libentiſſime „ igitur ex te audio, eas in hanc mentem veniſſe, „ ut ſponte obſequantur Decreto meo. Fateor, „ voluntaria hac animi demiſſione adeo amore fuiſ„ ſe me inflammatum, ut omni ope in earum cu„ ram ſuſcipiendam eniti ſtatuerim. Quod vero mo„ nes ultimò de Canonicorum Collegio iſthic con„ gregando, faciam quando Uglonum venero; quo „ ex loco iſthuc digrediar ad conſilium tuum æque „ ac meum perficiendum, & ea tunc ſanciam, „ quæ Divino honori amplificando maxime oppor„ tuna duxero. Parabiagi VIII. Idus Octobris „ MDLXXXIII.

Leuco in Vallium interiora penetrans Balabium uſque pervênit, unde revocatus fuit Conſtantiæ Columnæ literis, quibus die IV. Julii datis, & V. redditis, nunciabatur vitæ finem Demarcho Sfortiæ Caravagii Domino imminere. Præter alias cauſas, ipſa etiam affinitatis ratio Cardinalem compulit, ut illuc præſtaturus extrema morienti officia contenderet. Ibi pridie Nonas Quintiles fuit; cumque prodeſſe Marito non poſſet, quem paulo ante atrox morbi vis oppreſſerat, officia ſua ad viventem conjugem convertit, quam dolore obrutam efficacibus de more verbis ſummopere recreavit: Compoſitis vero ejus familiæ rebus, Cardinali, & Marco Antonio Columnis literas ibidem dedit ad utriuſque mœrorem levandum opportuniſſimas, pollicitus operam ſuam in familiæ tuendis rationibus non defuturam, quantum tamen Paſtoralis cura pateretur. Nonis Quintilibus Mediolanum regreſſus, & a Bonhomio certior per literas factus, nullam ſperari pacem ſtabilem, ac diuturnam turbulentis illis Germaniæ temporibus poſſe, niſi quis legaretur Coloniam Pontificis nomine, qui ſedem ibidem figeret, & pro re nata, tuendis Religionis juribus præſto eſſet; Carolus ſtatim in ſe recepit, ut id beneficii regionibus illis impetraret. Quare Pontificem ſubinde crebro ſolicitavit, ut ſe facilem his votis in Chriſtianæ Reipublicæ commodum præberet: poſtquam vero paratum habuit, edocuit, quis etiam ſibi ad id oneris aptiſſimus videretur, quandoquidem rogatus de ſententia ſua fuerat. In literis ad Pontificem datis monet, imo obſecrat quammaxime, *ne plus nimio humanis artibus, & carnis prudentia imbutus Præſul illuc mittatur; ſed qui morum probitate, & familiæ diſciplina caſtigatiſſimus exemplo magis, & virtute, quam verbis, & officiis Fidei Orthodoxæ inſerviat.* Interea geminis implicitus curis Mediolani verſabatur: Hinc ſæpe ovile ſuum congregans, ac Dei verbo paſcens, populum ad Synaxim invitabat, quatuor una die Sermonibus uſque habitis in propoſitum SS. Euchariſtiæ argumentum: Oblatos ſuos ad ſanctitatem excitabat: Sanctimoniales ad vitæ perfectæ ineundam rationem urgebat: Matronas . . contemnendas Mundi delicias hortabatur, ut patet ex Homiliis in lucem editis. Inde tamen major infixus animo ſcrupulus hærebat, alieni gregis ad ovile Dominicum reducendi. Jamdiu volvebat meditata perficere, & aggredi Rhætiæ luſtrationem ſibi commiſſam. Obverſabantur menti infinitæ difficultates, quæ conceptum ardorem actius excitabant; atque ipſa periculi contemplatio vehementiores ad ſubeundum ſtimulos ſubdebat. Præſternere itaque ad tantum opus viam cœpit Potentiorum ſuffragiis: Rodulphum Cæſarem per Bonhomium, Henricum Galliarum Regem per Caſtellum Ariminenſem Epiſcopum, Philippum Regem Hiſpaniarum per Tabernam Laudenſem Antiſtitem Pontificios omnes Internuncios, & ex Borromei Schola; ultimò Helvetios etiam Catholicos in id conſilii adducere conatus eſt, ut ad Rhætorum Magiſtratuum vim, quæ timebatur, depellendam conjunctis literarum, & Oratorum officiis conſpirarent. Jam clanculum ad Eum plures venerant ex Clavennenſibus, & Vulturenis ſubſidium acciſis prope rebus iterum implorantes. Meſauci ipſi inſtabant, ne ruentem in deteriora regionis incolumitatem perditum ire pateretur. Solabatur omnes humaniſſime Borromeus, & in eorum auxilium tum maxime imminebat, dum ſuperſedere videbatur. Interim cum literarum ſuarum reſponſum a Regibus expectat, novam luſtrationem inchoat. Sepoſita in Abduæ-Glarea Diœceſeos pars Eum incitabat, ut Trivilienſem populum Ambroſianos Ritus non amplexum certis tamen legibus devinciret, quæ Romanis etiam cæremoniis communes eſſent. Nullus in ea regione Sacrorum Præſes erat, cum Pons Aureoli, olim Plebis caput, Moderatorem tunc nullum haberet, quem jamdiu tranſtulerat Carolus in Mediolanenſem S. Stephani Baſilicam. Trivilii igitur, utpote oppido Nobili & celebri, excitare novam Sacrorum Præfecturam moliebatur, in quam ornandam vacuum paulo poſt Sacerdotium ex poſſeſſoris morte, quem Prioratum Incolæ vocabant, ſtudiit a Pontifice impetrare. Idcirco illuc profectus eſt III. Calend. Auguſti; iique Oppidani ſplendido apparatu venientem excipientes, veterum injuriarum memoriam delevere. Obierat tamen Borromeus paulo ante Parœcias aliquot in Bergomenſi agro ſuæ poteſtati ſubjectas, ſcilicet Oſium ſuperiorem, ad diem XXVII. Julii, & XXVIII. Verdellum, ubi alterum item Sacrorum Præſidem inſtituere novis ſtabilitis finibus meditabatur. Hiſce peractis, Mediolanum biduo circiter poſt Nonas Auguſti venit, ubi Jojoſæ Ducem Henrici Galliarum Regis conſanguineum audiens morbo ex itinere contracto decumbere, non veritus eſt infirmi quietem turbare, ut religioni in Gallia laboranti ſuccurreret. Dux ille voti reus ad Lauretanam Deiparæ Ædem, ut ſe promiſſo liberaret, proficiſcebatur. Itaque ad ejuſdem lectulum Cardinalis venit, ratuſque poſſe orationem ſuam in Galliæ utilitatem redundare, ſi ad Henrici aures perveniſſet, plura ad tutelam Orthodoxæ Fidei in eo Regno cum Duce egit; nunciata ſiquidem per Specianum Româ fuerant plura Religionis incommoda,

que ſolatium ægrotanti allaturus, continuato noctem unam, diemque curſu, Vercellas perveniret [a]. Ferunt languentem alto mœrore Principem, & urente intus febri viribus deſtitutum, audito Ejus adventu allevaſſe caput, ac læta voce exclamada, in quæ Borromei auxilium expectabatur. Seriem colloquii habemus breviter ex Epiſtola ad Specianum data pridie Idus Auguſti: „ Mediolanum „ venit Jojoſæ Dux, & multa cum eo collocutus „ ſum de Gallici Regni temporibus, quemadmodum „ me paulo ante monueras. Primo de promulgandis Tridentini Concilii Sanctionibus egi; qua in „ re hominem novi hoſpitem omnino, & tenui re„ rum notitia imbutum. Hinc dilapſus ſum ad deploranda vectigalium onera plane immenſa, quibus Gallos populos pene opprimi ab Henrico „ prædixeras; ſed cum hæc audiret, propenſior „ viſus eſt ad Regis partes tuendas, & pluta cauſari ſtuduit, quibus ejuſdem conſilium defende„ ret. Ultimò rogavi, ut apud Henricum auctor „ eſſet, ut veterem morem ſuum emendaret " (ſcilicet, quemadmodum Amanuenſis ſcripſerat, ſed Carolus delevit: *ne in poſterum Chriſti patrimonium in Aulicorum prædam cederet*) „ & monui, ut cau„ tius Sacerdotia, & honeſtius collocarentur in pro„ bis Viris; non autem, quemadmodum audivi„ mus, diſtraherentur; cui monito facile aſſentien„ tem habui; quamquam pollicitus eſt, ſe ubi in „ Gallias redierit, de his omnibus cum Rege dili„ genter acturum. Rebar eumdem diutius in hac „ Urbe fore; quod ſi accidiſſet, ſtatueram illum „ frequenter ad nobiliora Templa deducere; ſed „ licet decumberet, quando illum conveni; acce„ pto Regis imperio, quo feſtinare Lauretum ju„ betur, & quantocyus in Gallias adeſſe, ſtatim die „ poſtero ſe iterum in viam dedit. Verùm in hiſce „ temporis anguſtiis mirifice delectatus ſum indole „ filii ex fratre Cardinalis Senonenſis, qui in Du„ cis comitatu erat, ſtatueratque mane poſtero An„ gelorum Pane per me refici, niſi Principis feſti„ natio hoc illi, mihique gaudium præripuiſſet. " In aliis literis eadem die Romam ſcriptis addit præterea, *ſe vehementer diſcedentem Ducem obſecraſſe, ut apud Henricum officia ſua interponere pro feliciter perficienda Rhætorum luſtratione dignaretur*. Sub idem tempus Ferrarienſem Epiſcopum incitavit Carolus, ut ſua in Urbe Seminario, quod ædificabatur, extremam manum apponeret, ac nollet Dioœceſim eam tanto ornamento, & præſidio fraudare. Poſtmodum celebratis diebus Deiparæ in Cælos Aſſumptæ, & Sancto Simpliciano Sacris, ad cujus venerationem iterum conatus eſt Cives ſuos impellere, rurſus obire Dioœceſim ſuam aggreſſus eſt, & proximos primùm Rhaudo Vicos inviſens, Leinatum, Vighignolum, Nervianum, & Rovellum: deinde Applani Plebem ingreſſus eſt, ubi Lomatium, Luragum, Caccivium, & remotiora alia in collibus loca ſedulo luſtravit, unde poſtremò Vedanum deflexit. Hæc dum ageret, audità Hiſpanicæ Claſſis victoriâ, juſſit gratias publicas Mediolani agi per Vicarium ſuum, dolens intime, quod in Urbe eſſe non poſſet. Vedanum cum advenìſſet, redditæ Veſpere fuerunt Audoeni Vicarii literæ monentis: „ Regios ad„ miniſtros in Urbe collatis capitibus Concilium „ coegiſſe poſt acceptum improviſum Nuncium de „ periculoſo Sabaudiæ Ducis morbo: Patrem Paniſ garolam Mediolano ægri Emmanuelis precibus „ evocatum jam eſſe ſumma cum feſtinatione, „ ut morienti poſtrema caritatis officia perſolve„ ret. " Perculit funeſtum Nuncium Cardinalem; præſertim cum in ſummam adoleſcentis Ducis expectationem fuiſſet erectus. Paulo ante per literas rogatus ab Emmanuele, ut morum probitate inſignem quem jam Patrem ad ſe mitteret, apud quem animi maculas per Confeſſionem deponeret, egerat jam cum Cardinali de Gambara, quo P. F. Timotheum Bottonium ex S. Dominici Ordine, qui Genuæ in Fidei cauſis Quæſitor erat, ſibi concederet Sacro hoc miniſterio functurum. Partem etiam poſtulatoriæ epiſtolæ reddo, quam ad hunc Cardinalem Carolus dedit III. Idus Auguſti hoc anno, futuram ſui in Emmanuelem ſtudii teſtem: „ Cura, obſecro, „ ut quamprimum Genuenſibus curis P. F. Timo„ theum Bottonium liberes, ut a Confeſſionibus ſit „ Sabaudiæ Duci. Sacrum hoc illius miniſterium u„ tile magis, ac neceſſarium duco quacumque, egre„ gia licet, opera, quam ille apud Ligures Fidei „ Orthodoxæ navare poſſit. Etenim Principem hunc „ unum habemus, firmiſſimum veluti Italiæ propu„ gnaculum, ne huc Hæreticorum peſtis pervadat; „ præterquamquod maximam in ejuſdem pietate „ ſpem colloco fore, ut eo adnitente, Orthodoxæ „ Religionis cultus amplificetur.

(a) Noctu ante diem Septembris III ſub ſecundæ vigiliæ exitum equum conſcendit Vercellas profecturus, poſtquam horam circiter quieviſſet in ſella, & publicas indixiſſet habendas Mediolani preces. Adhuc dubia luce Boffaloram pervênit, ubi dum caput ad Sacram Ædem pertranſiens nudaret, galeri ornamentum aureum in tenebris illis amiſit. Forte repertum, ſibique in via oblatum cum domeſticus aptare iterum pileo vellet, reſpuit modeſtiſſime id obſequii Cardinalis; & manu ſua aſſere iterum voluit, nequid de itineris feſtinatione remitteret. Orto nondum ſole, Novariam ingreſſus eſt, ubi Sacris operatus eſt religioſiſſime, inter quæ univerſa ferme Civitas ad Eum viſendum confluxit, & frequens etiam populi Synaxis fuit. Fatigatis ex nocturno itinere equis, rhedam ſuam Novarienſis Epiſcopus ſuppeditavit, qua reliquum itineris conficeret. Ipſa tamen feſtinatio impedimento fuit, quominus feſtinaret. Nam inæquali, & lutulenta via præceps offendens biga, Cardinalem, qui vehebatur, effudit, & profunde limo infigens, terræ affixit. Turbatis omnibus, unus ſereno vultu tumultum omnem ſedavit Borromeus, qui cœno oblitus minus de ſuo caſu dolebat, quam de familiarium mœrore. Præter veſtium fœditatem inſignes erant galeri ſordes, quem ſibi poſtulavit aliquis ex domeſticis, donec ſiccatum ad ſolis radios cœnum concreſceret. Ipſe interim nudo ſemper capite preces recitare nunquam deſtitit. Ceterum recens caſus ruſticum quemdam monuit, ut alterum hujuſmodi infortunium averteret; nam hic tactus quadam in Cardinalem reverentia, nullo docente, imo ſæpius Carolo obſtante, feſtinato gradu rhedæ antevolanti pediſſequus inſtitit orbitam ſemper terens; & quo-

Digitized by Google

clamaſſe, ſalvum ſe eſſe. Nec vero inane vaticinium fuit [a]. Divinis enim Myſteriis Caroli manu refectus [b], juſſuſque ab Eo ſpem omnem in Cæleſti auxilio reponere, transfuſo velut in corpus vigore animi, citius omni Medicorum opinione convaluit. Id Caroli precibus datum Dux ipſe teſtatus eſt, qui literis Mediolanum ſcriptis, cum valetudinis ſuæ præter expectationem receptæ beneficium recenſeret, hæc plane verba ſubjecit. „ Hanc a Deo „ Optimo Maximo acceptam precibus, & meritis

& quotieſcumque impeditior, aut inæqualis via occurreret, in qua propenderet in alteram partem dubius currus, ruinamque minitaretur, paratus ſemper aderat, humeriſque obnixus lapſum ſolertiſſime præcavebat. Cum vero ſæpius gravate ſe id pati ſignificaſſet Carolus, tandem conſtanter, ut a laborioſo illo officio ceſſaret, imperavit. Verùm moleſtius tulit imperium hoc ruſticus, quam illius incommodum Borromeus. Quare ocyus in genua nixus: *patere*, inquit, *ut te ſequar, Illuſtriſſime, quem ut vere Sanctum veneror*. Hiſce auditis, Ille laudis tam ſinceræ impatiens, abſtinere curſu omnino rhedarium juſſit, ut alter officio abſtineret. Victus tanta humanitate ruſticus, *quandoquidem*, addidit, *nihil tibi deferre viribus meis poſſum, opem ſaltem tuam imploro*. Juſſus quid ſibi incommodi eſſet aperire: faſſus eſt ingenue, privatum ſe uxoris convictu, & dubiam cauſam in Vercellenſis Epiſcopi Curia pendere, donec liquidò conſtaret, an jure ejuſdem conſuetudine poſſet privari. Spopondit Carolus, ſe ad poſterum diem curaturum, ſi Vercellas veniſſet, ut voti compotem faceret; & reapſe ad condictum tempus eidem præſto fuit. Vercellas dum Cardinalis accederet, ab Aulicis, & primario Nobilitatis flore exceptum, & ſplendide ad Ducis Palatium ſtatim deductum lego.

(a) Poſſevinus hujus itineris comes ſcribit: deploratam adeo fuiſſe ante Borromei adventum Emmanuelis ſalutem, ut Vercellas ingreſſus omnia luctus, & deſperationis plena inveniret; imo ab obviis pluribus in itinere monitum fuiſſe Carolum, ne tanta contentione illum adire ſatageret, quem vivum non eſſet inventurus. Quamquam habemus certius publici mœroris, & periculi impendentis teſtimonium ex ipſis Caroli verbis, dum rem totam Mediolanenſi populo exponeret, & abſentiæ ſuæ cauſam redderet in Homilia, quam reverſus ad Cives habuit, & apte ad utilitatem audientium flexit, ut iis mortis timorem incuteret.

„ Hunc ego (Sabaudiæ ducem) in lecto jacentem „ infirmum, ad mortis ferè portas deductum in„ viſi. Mirandum ſpectaculum! Quantus totam ejus „ domum ſqualor invaſerat, quantus luctus, & do„ lor! Videre erat in angulis domus, cubiculorum, „ platearum, & totius denique Civitatis ſuſpiria al„ tiſſima ex intimo corde trahentes Aulicos, annos „ plurimos in ejus obſequio tranſactos deplorantes; „ atque intra ſe amariſſimè dicentes: Miſeri, qui „ totam vitam noſtram, opes omnes noſtras hic „ fruſtra conſumpſimus, ut Principis hujus, qui „ tam cito nobis eripitur, gratiam iniremus; ut „ tebus noſtris eſſet conſultum; ut Magiſtratus ali„ quos, honores, aut prædia conſequeremur! Et ecce „ omnis ſpes noſtra jam corruit. *Flabit Dominus*, „ & omnia in pulverem adducentur. Quanto ſatius „ fuiſſet, ſi nobis ipſi conſuluiſſemus! Eumdem ego „ Ducem, alioqui religioſiſſimum Juvenem, ac ve„ re Catholicum Principem, mihi dicentem hiſce „ auribus audivi: En quid mihi vires meæ, quid „ opes, quid potentia, affinitates, amicitiæ, Arces, „ Urbes, milites, equites, quid demum auri, & „ argenti, ac gemmarum copia proſunt? &c.

Hic itaque rerum ſtatus Vercellis erat. Nihilo tamen minus fiduciæ plenus iis Civibus preces publicas XL. horarum ſpatio habendas ſtatim indixit; quo tempore plures Cardinalis ad populum Sermones habuit, quorum quatuor adhuc ſuperſtites recenter in lucem editi ſunt. Inſtar prodigii omnibus fuit, Ducem ſenſim ab Ejus adventu vires recepiſſe, dum ex Caroli imperio precibus vacarent Cives; atque ita morbo recreatum, ut mortis periculum ex Medicorum ſententia omnino abeſſet. Non diſſimulabo, diverſimode aliquantulum hanc rem deſcriptam a P. F. Franciſco Panigarola fuiſſe; ſed teſtem multo luculentiorem habemus Emmanuelem ipſum Sabaudiæ Ducem in publicis tabulis, quas jurejurando confirmatas hac ſuper re ſcripſit, & Mediolanum miſit, dum de Caroli Apotheoſi ageretur; ejuſque mox teſtimonium audiemus.

(b) Ad diem Septembris V. diſtulit Ducem Euchariſtico Pane reficere, cum videret eum in dies convaleſcere. Juvat recenſere religionis plenum ſpectaculum a Borromeo in Ducis cubiculo exhibitum. Frequentiſſimo Nobilium comitatu illuc deductus Cardinalis, ubi Sacram Pixidem repoſuit, ad decumbentem Principem converſus: „ Sereniſſime „ Dux (ait) intrat ad te Jeſus Chriſtus, Dei Fi„ lius in æternitate; in tempore autem ex Maria „ Virgine natus. Intrat Rex ille Cæli, & terræ, „ adeo dives in miſericordia, & potens, ut præ„ claris munerum largitionibus ſuum in te decoret „ ingreſſum. Iſte te ad mortis fere portas dedu„ ctum, graviſſima, qua laboraſti, infirmitate levans, „ quodammodo reduxit in vitam, jam corporeæ „ ſanitati ſpiritualia dona, ac gratias additurus ac„ cedit, ut miſericordias ſuas majoribus adhuc tibi „ præſtitis cumulet miſericordiis. Æquum ſane fue„ rit, & Nobilitati Tuæ maximè condecens, te „ tantæ occurrere Majeſtati, ac ad ejus pedes devolvi; „ quando tamen corporis greſſibus prodire nondum „ perfecte ſanitas recuperata permittit, opus tibi eſt, „ animo ſaltem, ſpirituque procedere, ac cor tuum „ ad perſolvendas, quantas maximas poteſt, gra„ tiarum actiones excitare, & cum Regio Propheta „ inflammare, dicendo: *Nonne Deo ſubjecta erit ani„ ma mea? ab ipſo enim ſalutare meum.*“ Progrediens deinde explanare initium Pſalmi CII. valde in rem ipſam appoſiti, & poſt alias aggeſtas opportuniſſimas Divinæ Scripturæ ſententias pulcherrima paræneſi ſic Orationem concluſit: „ Eris, Sereniſſime „ Dux, (quoniam te hæc facturum pro religione, „ ac pietate tua, quam in te omnes peſpicue com„ ſpe-

„ meritis illius optimi Cardinalis cogno-
„ vimus, & perpetuo profitebimur [a].

Sub idem tempus (b) Stephani Bathorii Poloniæ Regis nepos Romam proficiscens

„ ſpexerunt, minime dubito) Deo acceptiſſimus:
„ eris Conſtantino illi Magno ſimillimus, qui ob id
„ freno ſuo Sacratiſſimum Crucis Clavum impoſuit:
„ eris populis tuis omnibus, ut es etiam, gratiſſi-
„ mus. Dabit tibi Deus, quoniam non aurum aut
„ argentum, ſed ſapientiam ſolam poſtulaſti" (alludit hic Carolus ad verba Ducis ipſius, quibus religioſe ſibi reſponderat per literas hortanti poſt mortem Patris Philiberti, ut Salomonis exemplo ſolam a Deo ſapientiam poſtularet) „ cetera etiam
„ omnia. Erunt, te gubernante, feliciſſimi Populi
„ tui: Videbimus te *in juſtitia regnantem*; tu *quæ di-*
„ *gna ſunt Principe cogitabis, & ſuper Magiſtratus*
„ *tuos ſtabis*, diligenter inſpiciens, ne cui injuriam inferant. Eris tu pupillis, & viduis, pauperibus,
„ & afflictis, ſicut patens, ac tutus portus, quo ſe
„ recipientes, ventum ac tempeſtates effugiant:
„ ſitientibus, ſicut rivus aquarum dulciſſimus; &
„ præ Solis æſtu calore languentibus, ſicut umbra
„ optatiſſima in terra deſerta. Cum hìc denique
„ regnaveris, tandem etiam regnabis in Cælo.
„ Amen." Interim, ut ſcripſit Valerius, Dux nunquam a Carolo deflexit oculos, ceteris, qui aderant, præ gaudio lacrymantibus. Sermone habito, addit Poſſevinus, Emmanuelem maxima cum pietate *Confeſſionem* integram reddidiſſe, & accepta de more a Cardinali *Abſolutione* ter Centurionis verba: *Domine non ſum dignus* rite recitaſſe. Sacris deinde operatus Borromeus gratias Deo egit, viſuſque eſt publica grati Deo animi ſignificatione valetudinem inexpectatam Ducis miraculi loco habere. Ultimò inter feſtas populi geſtientis acclamationes Urbem eam reliquit poſtridie Nonas Septembris, & Civitatis univerſæ nomine oblata, & haud contemnenda munera juſſit in Vercellenſis S. Euſebii Templi utilitatem expendi. Mediolanum veniens, Viglevanum divertit, ubi ab Epiſcopo exceptus, & pranſus in conclavi pretioſis aulæis ornato, contracto ſupercilio acriter Auriditem increpuit, voluitque, ut fide data polliceretur, nullâ ſe in poſterum hujuſmodi pompâ uſurum. Hæc autem Borromei exhortatio adeo paupertatis amorem, & obedientiæ ſtudium in Epiſcopo accendit, ut eum luxum conſtantiſſime ſemper averſatus exinde fuerit, quemadmodum in Apotheoſis Tabulis Cæſar Pezzanus teſtatur.

(a) Luculentiſſima hæc verba in teſtimonio ſuo ſcriptis conſignato appoſuit Sereniſſimus Dux, cum Mediolanum anno MDCII. nobili artificio elaboratam lampadem in undecim lychnos diſpertitam ad Borromei tumulum exornandum per Legatos ſuos honorificentiſſime tranſmiſit, quo die ſolemnis Caroli depoſitionis memoria recurrebat. Rem totam deſcribit in libro ſuo, quem *de rebus in Sancti Caroli Apotheoſi mirabiliter geſtis* inſcripſit, Marcus Aurelius Grattarola; quare narratione hac omiſſa, potius placet adjungere geminam Borromei ipſius in hanc rem teſtificationem, qua plenius docebimur univerſa. Primam habemus in Epiſtola, quam ad Bonhomium dedit vixdum Mediolanum reverſus die ſcilicet VII. Septembris; (nam pridie huc advenerat, ut Ipſemet fatetur in XI. Sermone quem coram Margarita Farneſia, reliquiſque Sanctimonialibus in S. Pauli Monaſterio Mediolani habuit:) „ Triduum & amplius Vercellis fui. Huc me evocaverat triſte acceptum de lethali Ducis morbo nuncium. Mitifice recreavit me hujus Principis religio: paratum ſe mori aperte is declaravit, eamque ſubire conditionem, quam ſibi Deus obtuliſſet. Commovit etiam Civitatis univerſæ dolor; præcipue autem refecit pietas. Frequentiſſimi adfuere in Templo Cives diu noctuque, dum publicæ continuarentur preces ad Emmanuelis valetudinem impetrandam. Vota exaudiebantur undique, & oblatis donariis cumulabantur Aræ: demum omnia religionis teſtimoniis abundabant. Neque ego deſiti felicem urgere impetum, & conceptum ardorem acrius inflammare; quamobrem ſpero hanc *Domini viſitantis* vocem fructu vacuam non fore. Sereniſſimus Dux ſincere conſilium ſuum aperuit de promovendo ſtrenue Templi ædificio; imo profeſſus eſt, alia in ſe extitura grati animi teſtimonia ad memoriam divinitus accepti beneficii uberius declarandam." Alteram offerunt miſſæ ad Specianum literæ die poſtero: „ Placet ſane, quod ſcribis, Timotheum Bottonium ſolicitari, ut citius Auguſtam Taurinorum proficiſcatur, Duci a Confeſſionibus futurus. Sane ſi illuc ire maturet, in tempore aderit; certam enim ſpem habeo, eum, quo nuper Emmanuel liberatus eſt, morbum maximas allaturum eſſe ad ejuſdem pietatem augendam opportunitates. Hoc tempore cereum omnino habebit Principem, & ad quamlibet recti normam facillime effingendum. Certior de illius periculo factus ſum per literas, dum Dioceſim obirem. Primò benevolentiæ cauſa, deinde peculiaris, quam in me ſemper collocavit Emmanuel, fiducia, ut Vercellis convenirem ægrum, impulerunt. Quatriduum ferme hoc officium tenuit. Temporis hujus partem ſibi vindicarunt publicæ, quibus interfui, preces; partem habita cum Principe colloquia conſumpſere. Curavi, ut in illius utilitatem hic morbus verteret, quemadmodum fore etiam præfido; quandoquidem optime animatum univerſi hoc tempore admirati ſunt Ducem, & teſtata illius futuræ ſanctitatis indicia, quæ recenſere infinitum eſſet. Quid ni autem hæc omnia ſperem, ſi optimi Inſtitutotis confortatio acceſſerit? Præſertim cum aperte affirmet, datam ſibi divinitus hujus lucis uſuram, & velle ſe Deo Auctori vitæ illius fructus reddere, quam ei unice acceptam refert &c.

(b) Andreæ Bathorii Præpoſiti Mikovienſis adventum opperiebatur dumtaxat poſt Idus Octobris; cum enim Parmæ eſſet die hujus menſis XVIII., literas ad Valerium dedit monens, ut audito ejus ad Alpes Tridentinas adventu ſtatim ſe certiorem faceret, quo Legatos ad eumdem mitteret, a quibus honorifice Mediolanum deduceretur. Quare eâ curâ liber per hoc tempus, Mediolani primùm ſubſtitit pro Deiparæ Nativitatis ſolemnibus celebrandis; atque eo die ſolemniter Baptiſmo perfudit Hæbreum quemdam ſibi a Duce Lotharingiæ Chriſtierna, & Caſalenſi Epiſcopo commendatum. Deinde, cum omnia pro Margaritæ Parmenſis dote reddenda compoſita eſſent cum Man-

Digitized by Google

Mantuæ Principe, & affirmasset Farnesia cælestem a se Sponsum humano Principi præoptari, præsertim cum ad perfectiorem vitæ rationem ineundam excitata a Borromeo fuisset crebris Sermonibus, quorum XII. typis impressi extant Tomo V. Homiliarum; tandem ad diem XIV. Septembris amantissime a Cardinali dimissa est. Cujus quidem amoris testimonium præferunt extrema Sermonis verba, quem ad eam pridie, quam discederet, habuit; atque hic lubet attexere: „ Hoc item extremum dicam, quando- „ quidem verissime affirmare possum. Quamvis com- „ plures nacta sis Margarita, qui causa laboraverint „ tua, teque etiam ex animo diligant; nihilominus „ benevolentiam in te meam hactenus vicit nemo; „ cum æternæ salutis tuæ desiderium habeam, ut „ qui maxime. *Nam si decem millia Pædagogorum ha-* „ *beas in Christo, sed non multos Patres.* Nihil alie- „ num a veritate dicam, si asseram, nullum in sa- „ lutis via tibi indicanda ducem extiturum, qui præ „ me impensius amet, atque optet sanctitatem tuam, „ quam utinam tibi Deus Optimus Maximus imper- „ tiatur. " Sane adeo Margaritæ probata fuit, atque accepta Borromei disciplina, ut Mediolani in Sancti Pauli Monasterio Christi inire nuptias statuisset. Hanc Farnesiæ voluntatem aperit Caroli ad Specianum Epistola: „ Arridet maxime Margaritæ Me- „ diolanense S. Pauli Monasterium, & hisce se clau- „ stris vellet addicere, ut certo mihi persuadeo; nisi „ repetita suorum officia illam in Patriam revoca- „ rent. " Itaque ex dictis patet Barelli sphalma in suis Collectaneis asserentis, Margaritam Monasterium hoc incoluisse annum integrum, cum manifestum sit, eam huc venisse ad VIII. Calen. Jun. & discessisse postridie Idus Septembris. Dimissa Principe, Carolus biduo post in Brianteos colles brevem expeditionem indixit; hinc die XVII. Paderni ad Montem-Robium fuit, XVIII. Calchi: mox Brippii diem alteram substitit. Caprinum deinde, & loca aliquot ditionis suæ in Bergomensi agro, usque ad XXIII. diem circuivit; qua etiam Mediolanum rediit, ut die postero Sacerdotes inauguraret. Hinc effectum est, ut die XXV. Homiliam de S. Thecla ad populum in Metropolitano Templo haberet, seque excusaret, quod Orationem eam distulisset, die superiore habendam, utpote eidem Sanctæ Virgini sacra. Expectavit interim ab Urbe Parmensi certum nuncium, ut illuc ad cœpta perficienda convolaret. Interim plura agitabat de Asconensi Collegio, & Rhætica expeditione, pro qua Borsatum Mantuâ accitum V. Non. Octob. Roveredum præmisit, jussum tamen Novocomum prius deflectere ad institutionem, & veniam ab Episcopo petendam. In eamdem rem jam tum Mediolani auxiliariam administrorum manum comparabat. Sed cum Parmense negotium procrastinari videret, quietis unius impatiens, Castellatium primò, ut Alexandro Simonetæ Equiti sibi carissimo gratificaretur, ad VIII. ab Urbe lapidem profectus est, ubi cum diem unum latuisset in Ædibus, eo quod omnino refugeret pulcherrimum consitorum sibi hortorum adspectum, expensis inibi nonnullis pro excitando Rhaudensi Templo, quod moliebatur, & consolatus per literas Savonenses, qui Visitatorem Apostolicum cum lacrymis a se depoposcerant, ocyus dilapsus est, & ad lustrationis institutum rediit. Certum, Parabiagum, Canegratum, Casoretium obivit, Canegrati dum esset die XI. Octobris, ad Malvaliæ populum in Lepontiis literas dedit, pollicitus, in earum Vallium umbilico excitatum a se iri Seminarium, quod Polegii deinde constitutum est, atque perfectum ab egregio Caroli imitatore, ac Patruele Federico Card. Borromeo. Ultra dum meditatur procedere Carolus, literæ afferuntur, nunciantes, Bergomensem Episcopum in Jo. Baptistæ Castelli Pontificii apud Henricum Galliarum Regem Internuncii paulo ante extincti locum suffectum venisse Mediolanum, eique se convento opus esse. Rescripsit ocyus, se die postero in Urbe adfore: Caveret, ne Mediolano pedem efferret se conventurus: Omne ipsius incommodum sibi gravissimum fore. Quare juxta datam fidem IV. Idus Octobris ad vesperum hìc fuit: Ragazzonium plura edocuit, quæ ad legationem optime sustinendam pertinerent; præcipue autem Religionis Catholicæ causam in Galliis commendavit, quæ pessum ire jam videbatur: Addidit postremò preces, ut suis apud Regem officiis pervinceret, ne ullum sibi impedimentum in Rhætica legatione offerretur. Dimisso Ragazzonio, ad Episcopum Brixiensem transmisit Decreta, quæ ad Sacrarum Virginum disciplinam spectabant; Hanc enim condendorum Decretorum partem ex ea lustratione ultimò sibi reservaverat. Eodem die, quo Pontificium Internuncium dimiserat, scilicet XIII. Octobris Parmam contendit, ut Matrimonii vinculis liberatam Margaritam Christo novo Sponso tandem assereret. Verùm alia prævertendi hujus itineris suberat causa: instans nimirum Margaritæ Octavii Farnesii uxoris adventus, quæ e Belgio redux ad Aquilanam Civitatem festinabat. Cum enim sciret, alieno eam animo esse jamdiu a conjuge Octavio, in se recepit, ut concordiæ vinculo utriusque animum sociaret; quod etiam reapse impetravit, pervicitque, ut illa adveniens communi mensa, & thoro cum Octavio uteretur. Mox extremam apposuit manum dirimendi Matrimonii gravissimo negotio; pro quo dum plura transiguntur, & Mantuanæ Aulæ Decreta expectantur, interim Carolus Asconensis Seminarii ædificio consulturus, curat ab hærede Papii pecuniarum summam Romæ exigendam, & Peregrinum de Peregrinis Augustam Taurinorum mittit ad delineandum schema Nobilissimi Sacelli, in quo Sacra Syndon esset collocanda; Architectum tamen prius plura per literas docuit ad eam Iconographiam ita concinnandam, ut majestati ædificii simul, & religioni populi accedentis prospiceretur. Mox audiens, Camillum, & Fabricium fratres de Corrigio diuturnas cum Nobili Brixiensi Alexandro de Gambara inimicitias fovere, utrinque sequestrum se fœderis offert, & officia sua Parmensis etiam Ducis auctoritate corroborat. Sed jam Margarita Cœnobium Parmense S. Pauli ingressa (non autem S. Alexandri, ut falso asseruit Barellus, cum in hoc translata dumtaxat fuerit ex Pontificia venia novennio post) Monasticis vestibus indui a S. Cardinali optabat. Indulsit Ille pio voto, & die XVIII. detractis veteris fortunæ insignibus, religioso ornatu nobiliorem Margaritam fecit, quam mutato nomine Mauram Luceniam deinde appellavit. In proximam Dominicam diem scripserat Borromeus fore, ut Religionis etiam votis se Farnesia obstringeret, cum Breves a Pontifice literas habuisset exeunte Septembri Tusculi datas, quibus illa absolvebatur *Interstitiorum, & ætatis* legibus, eo quod annum integrum non fuisset in tyrocinio versata, neque XVI. ætatis annum attigisset juxta Concilii Tridentini Decreta. Verumtamen cum videretur aliquantulum Mantuanus Princeps

ſcens [a] Patrui juſſu ad Carolum venerat, ut multa cum Eo de Eccleſiaſticæ vitæ ratione, aliiſque graviſſimis rebus conſilia conferret. Id quoque inter Caroli mirabilia enumerari par eſt, quod in tanta ſubmiſſione animi, tantaque erga ſe ipſum parcitate, tan-

ceps tantæ feſtinationi diſſentiri, tandem impetratum eſt, ut conſilium perficeretur ad diem XXX. Octobris, quo Farneſia palam profeſſa eſt ex Monaſtico inſtituto ſe deinde victuram. Geſtiit gaudio præſens Cardinalis, qui nobilem Sermonem ad eamdem Parmæ habuit hac occaſione, & apte in hæc verba concluſit: „ Scio Domine Deus meus, quod probes corda, & ſimplicitatem diligas; unde hæc filia, & ſponſa tua hodie in ſimplicitate cordis ſui læta obtulit univerſa, quæ habuit, corpus, voluntatem, & animam ſuam, ſe ipſam denique totam, & hanc ego indignus famulus tuus cum ingenti gaudio vidi tibi offerre donaria hæc. “ Re perfecta, euchariſticas a Mantuano Duce, & Cardinalibus Gonzaga, ac Farneſio literas accepit, quibus mirifice ſingularis Borromei prudentia, & amor in hac cauſa commendata ſunt. Inde Mediolanum ſtatim reverſus eſt pridie Calen. Novembris, quo gemina Eum graviſſima negotia evocabant. Monitus paulo ante fuerat in hanc Urbem adveniſſe P. F. Timotheum Bottonium ja: deſignatum a Confeſſionibus Sabaudiæ Ducis. Juſſerat ſumptibus ſuis in Archiepiſcopali Palatio ali, & tamdiu detineri, quamdiu redux Ipſe Parmâ adveniſſet. Itaque reverſus optime inſtructum de omnibus, quæ ad onus impoſitum bene gerendum ſpectarent, ocyus ad Sabaudum cum Taruſio familiari ſuo miſit, ut crebris ſuper hoc Emmanuelis poſtulatis ſatisfaceret. Extat luculentum de hoc Patre teſtimonium in ſuis literis, in quibus eum laudat, utpote *Virum ex Sanctis Dominici Ordine, qui cum gravi ætate conjunctam habeat probitatis, religionis, & ſcientiæ maximam apud omnes opinionem*. Sane Vincentius Laurus Montis-Regalis Epiſcopus, & paulo poſt Cardinalis Borromeo reſcripſit: „ Non a Carolo dumtaxat optimum eum Inſtitutorem miſſum fuiſſe; ſed a Spiritu Sancto ipſo ad eam provinciam deſtinatum; “ Imo Dux ipſe maximam idcirco ſe habere Borromeo gratiam profeſſus eſt. Neque deeſſe concitatæ expectationi ullo modo poterat Bottonius; cum ſua omnia Carolo aperiret conſilia, & ab eodem gravibus in rebus reſponſum ſemper expectaret, ut luculenter docent miſſitatæ ipſius literæ. Altera Mediolani ſuſcepta ſtatim a Carolo cura acrius urebat, & diutius anxium tenuit. Erat Mediolani Anna de Mannis Cremonenſis Virgo ditiſſima, quæ ſummis votis ad Sanctimonialium clauſtra adſpirabat. Multi tamen illam ambiebant proci, quos dotis opulentia mirifice inflammabat. Unus auctoritate ſua tutam ab inſidiis omnibus Virginem jamdiu ſervaverat Cardinalis, cum vetuiſſet ulli patère ad eam aditum, niſi per conceſſam a ſe, & ſcriptis conſignatam facultatem; Infiniti enim eam pellicere omnibus artibus conabantur ad nuptias amatores, qui deinde cum nihil proficerent inſidiis, ad apertam vim poſtmodum devenère. Actionem illi nefarie intentarunt in Mediolanenſi Senatu nonnulli, Patruo etiam inſtante, aut non admodum reluctante, quandoquidem ad amplam Neptis hæreditatem adhinniebant; auſique ſunt ſpuriam eam vocare, & tamquam ſuppoſitam Patri filiam, quo facilius eam e patrimonio exturbarent. In tanta rerum deſperatione unum Anna habuit, in quo lateret, Caroli patrocinium. Hic propulſatâ virilitet calumniâ, in Mediolanenſi S. Marthæ Monaſterio, utpote fama Sanctimonialium, dignitate, multiſque aliis de cauſis, ex Caroli ipſius ſententia hujus Urbis facile primo, ſeptem circiter menſes caute cuſtoditam piis exercitationibus, & vitæ religioſæ inſtitutis optime imbuerat; mox per ſe, & alios in ejus voluntatem inquiſivit diligentiſſime; Cumque illa in propoſito conſtantiſſime perſtaret, inde extractam in S. Agathæ Ædes tranſtulit, ubi juxta Decreta deliberare facilius de ineundo vitæ genere poſſet, commendata interim probis quibuſdam fœminis, quæ educandarum Nobilium puellarum inſtitutum illic profitebantur. Cum menſem ibi delituiſſet, & ſemper inſtaret, ne remitteretur ad ſuos; imo S. Marthæ Monaſterium iterum avidiſſime depoſceret, huc rurſum deducta eſt, ubi quinque menſium ſpatio cum certiſſima dediſſet conſtantiæ ſuæ argumenta, tandem hoc anno Calend. Novemb. ſummo cum Borromei gaudio amicta religioſis veſtibus fuit, & nomen Pudentianæ aſſumpſit. Paulo poſt urgentibus denuo adverſariis, literæ Româ ſupervenere, quibus vetabatur Carolus Annam in eo Monaſterio includere; ſero tamen, cum jam perfecta res eſſet. Quare prolixam rei totius ſeriem Cardinali Vaſtavillano deſcripſit, ex qua narrationem etiam hanc noſtram decerpſimus. In ea invictis rationibus probavit, rem hanc diuturna ante conſideratione diligenter expenſam, & optime ultimò perfectam; cauſaſque aperuit, unde tot turbæ in piam Virgunculam fuiſſent excitatæ. Quare in Ejus ſententiam ivere Romani Patres, conſiliumque laudarunt, quod tamen perficere anno inſequente per ſe Carolus non potuit; quo enim tempore optabat Cardinalis Annam cæleſti Agno jungere, Ipſe contra ad Divini Sponſi nuptias convolavit.

(a) Monitus de Andreæ Bathorii adventu fuerat Carolus ab Alberto Bolognetto Maſſæ Epiſcopo tum Pontificio apud Poloniæ Regem Internuncio, qui VI. Idus Septembris in hanc ſententiam ſcripſerat: „ Veniet ad Te, Illuſtriſſimus Andreas ex Regis „ fratre filius iis de cauſis, quas mihi Rex ipſe aperuit, & Tibi per literas ſignificabit, non ſine ingenti animi mei voluptate. Diu inter nos collocuti ſumus de maximo animi fructu, quem ſperare poteſt quiſquis Sanctiſſimo Tuo exemplo et propinquo fruitur. Fructum hunc certe egomet retuliſſem paucis iis diebus, quibus Tecum Venetiis fui; niſi infirmitate mea ego extenuaſſem utilitatem in me redundaturam ex eo beneficio, quo me Deus auxerat, dum ſineret præſentiâ Tuâ uti. Nihilominus quod ego in Te vidi, & de Te ab aliis accepi, memorem adhuc ſæpe animum accendit inter has legationis meæ curas; atque ingenue fateor, magno mihi adjumento eſſe. Jamvero parem, imo multo majorem fructum propter meliorem indolem ſuam ex colloquio Tuo ſperat Andreas &c.

Digitized by Google

tantam tamen erga Principes viros magnificentiæ curam habuerit. Regius certe Juvenis adeo honorifice exceptus eſt [a], ut vix a Patrui aula ſe abeſſe ſentiret [b]. Sed æſtimabilia præ ceteris fuere documenta, quibus inſtructus ita Summum Pontifi-

(a) Quo die Mediolanum hic Princeps advenerit mihi hactenus inexploratum fuit. Certum tamen eſt, poſt Calend. Novemb. huc veniſſe, atque digreſſum ante IX. ejuſdem menſis diem. Nullum ſuppetit rei hujus teſtimonium, præter Epiſtolas ad Maffæ Epiſcopum, & Regem ipſum Poloniæ miſſas a Carolo in Meſaucis degente in quibus Ille rem deſcribit jam perfectam. Die autem XVIII. Octobris dum Parmæ eſſet, ad Valerium ſcripſerat, quemadmodum ſupra diximus, ut monitum ſe ſtatim faceret, cum Andreas ad Alpes accederet. Ecce tibi quid Bolognetto ſcribat die XXIII Novemb.; nam antea legationis ſuæ negotiis implicitus nullas fortaſſe citius ad eum literas dare potuerat: „ Illuſtriſſimus Andreas Bathorius Sereniſſimi iſtius Regis ex Fratre filius jam Mediolani fuit, ubi aliquot dies magna cum animi voluptate familiari ejus conſuetudine delectatus ſum. Cognovi diligenter admodum brevi eo tempore, quo mecum vixit, quod tute ipſe prænunciaveras, egregiam ſcilicet indolem, & magnam, quam de ſe concitat, expectationem. Sapuere nimirum ejus mores ſingularem modeſtiam, & maximam in convictu humanitatem. Quantum in me fuit, monitis iis omnibus abunde inſtruxi, quæ in præſens opportuna Viro duxeram; & juvat etiam præfidere, petutile ſibi fore colloquium meum, dummodo prælaræ indoli non abſit ſolers cuſtodia; neque deſiderentur, qui ad latus hærentes cereum ejus animum optime effingant. Sed hæc omnia uberius perſecutus ſum in datis ad Regem ipſum literis." Quare ne animo Bathorii exciderent, quæ hic dederat inſtituta Carolus, Specianum ſtatim monuit, ut integerrimos famulos, & Sacerdotes aliquot eligeret, ex quibus Andreæ familia, dum Romæ degeret, conflaretur. Cura hæc pariter demandata Borromeo fuerat ex Regis nutu; Idcirco lego a Stanislao Reſcio, dum Mediolanum Andream deduceret, rogatum Carolum, ut Bathorium in Virgilii Creſcentii Romani diſciplinam traderet; cui voto nedum ſatisfecit, verum etiam Ven. Patrem Juvenalem Ancinam ex Oratorii Congregatione morum magiſtrum addidit; hinc moneri etiam ſæpius ab utroque voluit de quotidianis alumni ſui progreſſionibus. Præterea Specianum ipſum Procuratorem ſuum juſſit ſæpius cum eodem Bathorio agere, & in privatis colloquiis crebro eum ad ſanctitatem formare. Neque ſane imparem inſtitutorem Andreæ addiderat, dum Specianum daret; Fuit enim Specianus ex teſtimonio Galeſinii, qui perraro alios præ ſe laudare conſuevit: „ Vir integerrimis moribus, „ Romanæ Aulæ exemplar, in publicis Eccleſiæ rebus indefeſſus adminiſter, vera demum Borromei „ imago." Tot Caroli curis optime reſpondit Bathorius; reſcripſit enim Stanislaus Reſcius Cal. Martii anno inſequente in hæc verba: „ Princeps „ Illuſtriſſimus (Andreas), Divinis tuis Inſtitutis „ inflammatus, ad ſummas laudes iis contendit iti„ neribus, quibus eunt, qui perveniunt: hanc enim „ in Urbe vitæ rationem inſtituit, quam voluiſti, „ quamque expedit: nil ut addi poſſe videatur, „ quam ut hæc illi Deus eſſe perpetua velit. Quantam autem ex illis plane Apoſtolicis literis Tuis „ conſolationem acceperit, quos animos ad arduas „ ſuperandas virtutis vias ſumpſerit, ex reſponſo, „ quod dedit, cognoviſti.

(b) Cœtum ſæpius prudentiſſimorum Virorum congregavit Carolus, ut decerneret, quibus Andreas excipi honoribus fas eſſet. Longius ab Urbe legatos præmiſit, qui verbis ſuis eum ad hoſpitium ſuum invitarent, & magnificentiori comitatu ad Urbis portas exceptum deducerent. Domi eum ſuæ, quamdiu hic fuit, tenuit, quo tempore ſplendide admodum illum, & comiter habuit. Aliquando in maximum Templum perhonorifice invitavit, ubi Ambroſianos Ritus omnes ſervari inter Sacra ſolitos in ejus oculis defixit, quo altius religionem, & cultum animo ſpectantis infigeret. Sed luculentior pompa omni ea inſtructio fuit, qua illum apprime inſtituit, & poſtmodum ſcriptis conſignata eumdem Romæ degentem validius confirmare ſtuduit. In ea comprehenſa fuit totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſumma; cumque illam vulgaverit Ciacconius, nos referre ſuperſedebimus. Nunc dumtaxat vacat commemorare, quo animo illam Bathorius acceperit, ex gratulatorio Borromei ad eum reſponſo in hæc verba;

Andreæ Bathorio Præpoſito Mirbovia.

„ QUæ de vitæ Eccleſiaſticæ ratione ego ad te „ perſcripſi, grata tibi accidiſſe, mihi gratiſſimum fuit. Id enim mihi argumento eſt, ea tibi „ cordi eſſe, quæ ad eam vitæ viam ſpectant, quam „ es ingreſſus. Qui quidem animi affectus plurimum valet, ad quam maximos progreſſus in via „ Domini, omnique virtute faciendos. Neque enim „ parum protectum eſt, iis cum rebus delectamur, „ quæ ad officii perfectionem referuntur. Nam delectatio rerum difficultates tollit: iis autem ſublatis, virtutis curſum tenêre, & in ejus ſtudio „ perſeverare nullius negotii eſt. Quocirca præclare facies, ſi in eam curam penitus incumbas, „ nihil ut in pretio habeas, præter ea, quæ ad inſtitutam vitæ rationem vel conformandam, vel dirigendam, vel quacumque ratione adjuvandam, & confirmandam valent. Quod ad me ſpectat, „ licet longiſſimè abſim a Sanctiſſimorum Virorum, „ quos tu commemoras, in omni doctrina & virtute, præſentia; fateor tamen, me id omnino conari, ut ſin minus eos conſequor, eorum tamen „ veſtigiis inſiſtam. Quod vero rogas me, ut adoleſcentiæ tuæ curſum Deo commendem, id ego „ & feci jam, & faciam perlibenter. Tuum erit ejus „ Majeſtatem obſecrare, me ut exaudiat.

Inſtructionem eamdem miſit ad Poloniæ Regem Carolus, ut plenius edoceret, quibus legibus Bathorium inſtituiſſet; præterea ſequentes literas adjungens,

Stephano Regi Poloniæ.

„ BInas a Tua Majeſtate literas accepi, alteras „ datas X. Cal. Jan., ſed mihi ſero admodum „ reddi-

Digitized by Google

tificem, Romanoſque Patres ſibi conciliavit [a], ut Cardinalium Collegio, quam primum aſcriberetur. Juvat hoc loco memorari gratulatoriæ epiſtolæ partem, quam Carolus ad eum dedit, non adulatoriis, ut plerumque fit, verborum illecebris, ſed gravibus ſententiis refertam, ex quibus non tam decora, quam onera dignitatis agnoſceret [b]. Nonnulla enim de lætitia præfatus, quam ex collato eidem Purpuræ honore perceperat. „ Hac (inquit) „ dignitate factum eſt, ut ne, ſi velis quidem, hominum oculos latère poſſis. Poſita eſt virtus tua in excelſo quodam loco, unde lampas quædam clariſſima errantibus viam monſtrare, rectam viam te-

„ redditas; alteras VIII. Cal. Aug. ab Illuſtriſſimo „ D. Andrea ad me perlatas: utriſque nunc unis „ meis reſpondebo. Ac primùm quidem Majeſtati „ Veſtræ gratulor de iſta mente, ſtudioque plane „ eximio in Catholicam Religionem. Non enim „ tam glorioſum eſt, Ipſam regnare, quam cæleſti „ Regi ſeſe vere, & ex animo obedientem præſtare; neque tam præclarum eſt, & egregium „ maximis longe lateque gentibus imperare, quam „ imperium ſuum, genteſque ſubjectas ſub Dei legem, ditionemque non armorum terrore, ſed „ Evangelii propagatione ſubjungere; his præſertim temporibus, quibus Dei cultus, religioque „ tantum improborum hominum contentione oppugnatur. Quod vero M. V. Illuſtriſſimum D. „ Andream juſſit, in hoc Romano itinere, ad me „ divertere; eumque literis amantiſſime ſcriptis mihi „ commendat: primum quidem magnopere me ſibi „ devinxit, atque obligavit tanta meæ in ipſam, „ nepotemque ſuum benevolentiæ, vel potius amoris, atque caritatis (quæ non minor opinione „ ſua eſt) fiducia. Deinde M. V. illud ſibi perſuadere velim, me & in præſentia D. Andream, „ propter egregiam ejus indolem, animique candorem, omnibus, quibus debui, ſtudiis eſſe complexum; & in poſterum, nullo loco, operam ipſi „ meam defuturam ad ſpirituales ejus progreſſiones adjuvandas. Atque ut Majeſtas V. intelligat, „ quam ex animo eum exceperim, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ præceptis imbuere ſtuduerim, mitto ad Eam ea capita, quæ ad rectam inſtitutionem, vitæque conformationem ipſi coram expoſui: tum Romam profecto literis etiam repetenda „ duxi; ut M. V. ſi ita expedire judicaverit, auctoritate etiam ſua, ad ea obſervanda, in uſumque „ traducenda, eum cohortetur, atque acuat. Ita „ enim ſperandum eſt, ut iis inſtitutionibus teneri „ ac tractabilis ejus animus imbutus, & conformatus, vehementer ad omnem virtutis præſtantiam „ accendatur.

(a) Nihil unquam benevolentiæ ſuæ in Bathorium imminuit Borromeus, dum Romæ eſſet, quem frequentiſſimis literis ſibi habuit, & aliis fecit commendatiſſimum. Neque omittam hoc loco Poloniæ Regis nobile teſtimonium de Caroli literis ad Andream miſſis, quarum unæ celebratiſſimæ in Polonia univerſa fuere. Audi rem totam ab Alberto tum Cardinali Bolognetto, qui hæc Grodno ſcripſit die XIV. Junii anno MDLXXXIV. „ Superioribus „ diebus Sereniſſimus Rex obtulit mihi literas Tuas „ ad Andream Cardinalem Bathorium datas, ex „ quibus Majeſtas Sua tantum voluptatis percepit, „ ut verbis percenſere non poſſim. Jure autem optimo, cum in iis eſſet clariſſima, & abſolutiſſima „ ſynopſis eorum omnium, quæ Sacrorum Anti„ ſtitem decent, ut ad Chriſtianæ perfectionis apicem, ad quem aſpirare debet, certè aſcendat. „ Equidem ſpero, eas uberem in dies patituras fructum; & ſane facit, ut id certius ſperem, ipſum „ Cardinalis Andreæ reſponſum; hoc enim mihi „ item Sereniſſimus Rex legendum dedit. Accepi „ etiam literas tuas ad me datas pridie Idus Januarii, ſero tamen redditas, quæ ad eadem videntur alludere. Hæ meam vere opinionem confirmant, cum dicas: mirifice tibi placuiſſe Andreæ „ indolem, quam cum tecum eſſet ſolerter introſpexiſti. Ego item affirmare poſſum veriſſime, „ mirifice etiam captum Andream fuiſſe eximia tua „ humanitate, eumque ſimul cum Aulicis ſuis univerſis tua omnia admiratum eſſe adeo, ut cum „ literis eorum deſcripta rerum Mediolani geſtarum „ notitia huc perveniſſet, laudes tuæ frequentiſſimæ „ in omnium ore fuerint; nihilque tum eſſet, & „ nunc etiam ſit, quod præter Borromeum frequentius Polonorum ſermonibus quotidianis uſurpetur. „ Faxint Superi, ut parem ego percipiam fructum, „ & ſinant me in Italiam redeuntem poſſe Mediolanum divertere; Quamquam vereor, ne æſtivum tempus, & itineris protrahendi difficultas „ tantum mihi beneficium intercipiat. Verum ſi „ hoc frui citius non liceat, diuturnum deſiderium „ meum patiar, quòad propitius Deus concedat, „ ut Romæ ſaltem tecum ſim, quod ſpero &c.

(b) Die XIX. Julii cum Mediolani eſſet Carolus, acceperat a Cardinali Bathorio literas, quibus delatum ſibi Romanæ purpuræ decus Andreas denunciabat. Superſedit tamen aliquantulum gratulatoriam Epiſtolam reddere Borromeus; cauſaſque cunctationis ſuæ habemus ex iis, quæ eodem die ad Specianum ſcripſit: „ Polonus, qui iſthic degit, Prin„ ceps, nuper Cardinalis renunciatus ad me literas „ dedit; verum ego reſponſum nonniſi in ſequentem hebdomadam dabo. Tu interim verbis meis „ reſponde officiis ſuis; atque explicabis votum item „ meum de inſtitutis vitæ ſuæ ſanctius ſemper perficiendis; quandoquidem ipſemet in Epiſtola ſua ſignificat, ſe ad majorem adhuc ſanctitatem adſpirare. „ Gratulaberis itaque illi, ſed ex conſueto more „ meo, quem tibi alias aperui. Scis enim ea, quæ „ ab aliis uſurpantur, officioſa nimis & phalerata „ gratulationis teſtimonia mihi minimùm arridere. „ Quamquam autem ea tu approbare videris, cauſatus receptam jamdiu apud omnes hujuſmodi conſuetudinem; ego tamen cenſeo non eſſe ullatenus hæc officia a religione ſejungenda; imo debere majorem Sanctitatem præferre juxta ſcribentium „ gradum, ac dignitatem.

Digitized by Google

„ tenentibus prælucere, atque exemplo „ esse possit. Magnam habet secum au„ ctoritatem Cardinalatus: magnam ha„ bet dignitatis amplitudo vim ad homi„ num mentes a scelere revocandas, vel „ in officio continendas, vel ad studium „ virtutis incitandas. Huic auctoritati, „ si diligentia, ac solicitudo, & ardor „ quidam caritatis, quem zelum vocant „ sacræ literæ, ac studium accedat Divi„ ni nominis illustrandi; difficile dictu est, „ quam magnos, & quam uberes fructus „ afferre soleat." Hæc tanti ponderis verba cum in novi Cardinalis animum alte descendissent, non ante in Poloniam redire sustinuit, quam eâdem, qua prius venerat, viâ Mediolanum diverteret, ac Magistro veluti suo gratias ageret [a]. Sacris deinde Reliquiis ipse donatus, pretiosissimum ex ebore Crucifixi Domini simulacrum, quod ad Patruum deferret, accepit cum literis, quibus Rex præclarissimus monebatur „ ut in tanti Regni periculis „ ipsum semper haberet ante oculos ducem „ belli, moderatorem pacis, perfugium in „ rebus adversis, ornamentum in prosperis: „ in hoc denique signo vincendum esse in„ telligeret, atque ad ejus pedes hostium „ spolia, ac trophæa defigenda.

CAPUT IV.

Rhætiam ex Pontificis nutu obire aggreditur, cujus gravissimis vulneribus medicinam parat, atque affert.

1583. JAm satis compositis Ecclesiæ suæ rebus, maturum tempus Carolo videbatur obeundæ legationis, de qua jampridem cum Summo Pontifice agens amplissimum Apostolici Nuncii nomen, & congruam nomini auctoritatem retulerat. Conceperat animo periculosum, ac difficile sane consilium purgandi Rhæticas Valles, quæ in Italiam vergunt, cùm ut miseræ Genti opem ferret; tùm maxime, ut Lutherianam luem, quæ in eas quoque terras obrepserat, longius ab grege suo repelleret [b]. Ex Mesolcina equidem Valle Oratores venerant nunciantes prope esse,

(a) Sub Augusti exitum anno MDLXXXIV. Mediolanum reversus Cardinalis Andreas Bathorius, ut Carolum conveniret. Sane in utroque itinere eminuit observantia, quam ille Borromeo deferebat, cum centum amplius milliaria e via deflectere is non dubitaverit, ut Ejus consuetudine frueretur. Cognosces vero, quam enixis votis huc redire satageret, ex latina Epistola, quam Mantuâ dedit ad Borromeum.

Illustrissime, & Reverendissime Dominc mi Observandissime.

„ JAm antea significaveram Illustrissimæ Domina„ tioni Vestræ, quod quemadmodum in Italiam „ veniens Mediolanum pro benedictione ab Illustris„ sima D. V. accipienda veneram; ita & nunc di„ scedendum ex Italia non putavi, nisi prius Illu„ strissimam D. V. viserem, & benedictionem ab „ Ea acciperem. Veni heri Mantuam; hodie hinc „ discedo, cras Cremonam iturus, & inde Medio„ lanum recta ad Illustrissimam D. V. vel ubi Eam „ esse didicero. Quamobrem ab Illustrissima D. „ V. majorem in modum peto, ut mihi significare „ velit, quo loco convenire Illam debeam. Mihi „ enim decretum est etiam per medias flammas „ proficisci, ubi Illustrissimam D. V. esse cogno„ vero. Opto Illustrissimam D. V. diutissime, bene, „ feliciterque valere. Mantuæ die XXV. Augusti „ MDLXXXIV.

Servitor, & Filius humillimus
Andreas Cardinalis Bathori.

Per id tempus forte lustrabat Agrum Mediolanensem Cardinalis; tamen hisce literis commonitus, in Urbem statim reversus est, unde inflammatum ad Ecclesiasticam disciplinam firmiter retinendam Bathorium perhonorifice dimisit. Hic deinde cum reversurus in Patriam optasset a Carolo aliquem Sacerdotem in Ejus Schola eruditum, Dominicum Ferrum ex Oblatis accepit, serius tamen aliquanto; nam prægressum Bathorium Venetiis dumtaxat assecutus est Ferrus, qui citatissimo itinere illuc ex Borromei nutu convolavit, ut docent Caroli ipsius epistolæ a Botero in lucem jamdiu editæ. Hunc itaque eximium Theologum secum in Poloniam duxit Andreas; ejusque discessus fuit in causa, ut Carolo a Basilica Petri edendarum in lucem Ludovici Granatensis Concionum postrema cura demandaretur, qua Ferrus fuerat ferme defunctus.

(b) Pro comprimenda hac impune bacchantium ad Diœceseos fines Hæreticorum licentia optavit potentiorum Principum auctoritate, & officiis corroborari. Hispaniarum, & Galliarum Reges, imo ipse etiam Rodulphus Augustus excitati sunt ad hanc legationem sustentandam. Additi stimuli præterea fœderatis Helveticorum Catholicorum provinciis per Pompejum a Cruce Mediolanensem Patricium, & Gubernatoris nomine apud eos Internuncium: Excitatus Curiensis Episcopus, Sabaudiæ Dux; ultimo Veneti etiam ipsi Borromei precibus permoti in hujus laudis partem venire non recusarunt. Hisce omnibus vel per se, vel per Legatos voluntatem aperuit suam;

ſuam; utque ſpecimen aliquod conſilii ſui habeamus, accipe literas ad Caſtellum Ariminenſem Epiſcopum, & in Gallia Pontificis Internuncium ſex ante menſibus datas, ex quibus licet ceteras etiam metiri, quæ in eamdem ferme ſententiam fuere conceptæ. Eas verò reddo libentius, quod animi ſui tenemus certa indicia, imo etiam præſagia quædam eorum omnium, quæ legationis exitum ferme funeſtarunt.

„ Tibi Româ perſcripſerit puto Cardinalis Novo-„ comenſis de Legatione mihi in Rhætorum Regio-„ nes demandata. Qua de re poſtulaverit, credo, of-„ ficia tua apud Henricum Regem, quò literis da-„ tis ad Oratorem ſuum in Rhætia degentem, ju-„ beat ejuſdem operam interponi apud Rhætos Pro-„ ceres, ne mihi trans, aut cis alpes in eorum di-„ tionem, & præſertim in Vulturenorum vallem con-„ tendenti impedimentum ullum offeratur, quomi-„ nus libere ſacris quibuſcumque miniſteriis, & Pa-„ ſtorali cura fungi poſſim, ut meditor ad conſola-„ tionem aliquam miſeris illis regionibus admo-„ vendam, & Dei Opt. Max. gloriam amplifican-„ dam: Atque præterea ut eodem libertatis, pacis, „ & poteſtatis beneficio fruantur, quotquot ſacri ho-„ mines ſuam mihi præſenti, aut abſenti ex imperio „ meo illuc mittendi, operam, aut ſtudium adjun-„ xerint.

„ Attamen præmoneo, ea moderatione in hiſce of-„ ficiis, atque prehenſationibus utendum, ut ne „ Rhæti intelligant, me illuc ex Pontificio manda-„ to eſſe legandum: Una hæc enim Pontificiæ le-„ gationis vox ineluctabilem legationi obicem oppo-„ neret. Quod ſi mitiori utamur privati itineris mei „ vocabulo, facili negotio obſequentes eos Proceres „ habebimus; neque imminuetur luſtrationis fru-„ ctus; nam & afflictos eos populos æque ſolabor; „ & Catholici ipſi ſperant maximæ utilitati adven-„ tum meum fore, licet aliquis poteſtati meæ mo-„ dus ad conſilium occultandum eſſet adhibendus.

„ Quandoquidem igitur optime in luſtrationem a-„ nimatos univerſos eos Catholicos video, ipſique „ me ſummis votis depoſcunt, imo admoverunt jam „ preces Primoribus illis, ut votis indulgerent ſuis, „ quos quidem intelligo annuiſſe jam eorum po-„ ſtulatis; præterquamquod Deus certe Rhætis etiam „ Hæreticis bonam hanc mentem dedit, ut nonnihil „ amoris, & obſervantiæ mihi deferant: idcirco in „ eam ſpem erigor, fore, ut in hujus luſtrationis „ exordiis nulla impedimenta inferantur ea etiam „ ſacra miniſteria obeunti, quæ dixi, & quibus ve-„ titis, mentem hanc meam, atque conſilium certe „ deponerem. Ea itaque me anxium magis habet „ cogitatio, ne Itali ii transfugæ, qui illic perfu-„ gium quærunt, & nanciſcuntur, omnia evertant. „ Ii, ut ſunt ſentina vitiorum omnium, atque non „ Hæretici ſolum ut plurimum, ſed Apoſtatæ, at-„ que aliunde facinoroſi jam homines, profligati „ penitus, ac perditi, cum primum audient, agi „ de ſuſtentanda Catholicorum Religione; & præ-„ ſertim intuebuntur jacta primùm diſciplinæ ſemi-„ na feliciter adoleſcere, atque, quod inde conſe-„ quitur, verebuntur, ne ex hoc regno ſuo præci-„ pites exturbentur, quoniam ſuperat iis in partibus „ Catholicorum numerus: ira certe diſtumpentur, „ frement, & ſeditioſas adeo Primoribus admove-„ bunt faces, ut facile videam retardatum iri cur-„ ſum meum, & interceptum iis Catholicis obla-„ tam utilitatem, imo etiam ademptum offerendæ „ occaſionem. Quamquam de his certiora aliqua „ citius ad te ſcribam; nam illuc ocyus proficiſci „ meditor, & expertus nunciabo. Quare nunc de „ his agere ſuperſedebis, cum intempeſtivum hoc „ fortaſſe officium futurum ſit.

„ Hoc potius a te vellem in præſens, & multo „ utilius, imo neceſſarium magis in tanta eorum „ temporum calamitate; quod remis contendendum „ eſt, & velis, ut impetres; neque impetres ſo-„ lum, ſed efficaciſſime curetur. Verum animadver-„ te, tum utile, ac frugiferum fore conſilium, ſi vi-„ deatur Henricus ſponte id velle, atque diſſimulet „ ſe ad id cùm a Summo Pontifice, tùm a me „ ſolicitari. Nam ſi ſuboleret fortaſſe meam in „ id impetrandum conjunctam operam fuiſſe, ali-„ quod certe Paſtorali adminiſtrationi meæ incom-„ modum verterer &c.

„ Illud itaque præſtandum eſt maxime, ut into-„ lerando Hæreticorum jugo ſubleventur Ciſalpini „ Catholici ſubditi. Nam cum hæretici ut plurimum ſint, qui rerum ſummam tenent (quamquam non deſunt etiam inter eos Catholici, præ-„ ſertim in Griſeorum fœdere, quod cum antiqui-„ tate reliquis fœderibus præſtet, plures etiam Ca-„ tholicos habet ex Proceribus) & promiſcuo utan-„ tur ordine in Prætoribus eligendis; hinc fit, ut „ dati Prætores Hæretici licet nullam apertam vim „ Catholicis inferant, quò ab Orthodoxa fide deſi-„ ciant; tamen id unum videntur curare, ut fan-„ ditus Religionem evellant. Etenim proponunt il-„ lis, & ſinunt proponi peſſima ſceleſtorum homi-„ num, & vere Diaboli adminiſtrorum exempla: „ liberum miſeris jus ſuum non permittunt ſive con-„ quirendi, ſive retinendi Religioſos, ac probos „ Sacerdotes, qui viam ſalutis indicent, ſermones „ habeant, myſteria ſacra adminiſtrent, & pia hu-„ juſmodi obeant; cum vetitum ſit ex eorum De-„ creto exteris, licet optimi ſint, illuc accedere; „ quamquam impiis, & perditis liberam in iiſdem „ regionibus verſandi poteſtatem faciant.

„ Itaque Galliarum Regem oporteret, diſſimulato „ officio meo, a Rhætis id vehementer optare, „ quoniam apud eoſdem adeo viget illius auctori-„ tas. Quandoquidem vero parum valere poteſt Re-„ ligionis cauſa apud eos Proceres, qui Religionis „ expertes ſunt; poſſes Henrici animo opportune „ ſcrupulum infigere, qui eum fortaſſe æque, ac „ Rhætos pungeret. Scilicet aptum erit, objicere per-„ nicioſum, & funeſtum Regum rationibus malum, „ quod facile conſequi poſſet. Quid ſi tot victi ca-„ lamitatibus, & intolerantes, ut fieri poteſt, jugi „ Ciſalpini omnes fere Catholici, impedito Sacrorum „ uſu, & ad gravem ſibi Hæreticorum ſocietatem „ compulſi nova aliquando moliantur, & defectio-„ nem ſpectent? Hac potiſſimum de cauſa, aliiſ-„ que, quas habebis in promptu, facile perſua-„ debis, credo, non eſſe adeo opprimendos eos Ca-„ tholicos, imo juſtis eorum votis indulgendum. „ Geminas autem præſertim partes complectetur hæc „ poſtulatio: Primum ut ne iis in Vallibus perfu-„ gium pateat ſceleratis ab Italia transfugis homi-„ nibus, præſertim Eccleſiaſticis, quibus aliqua in-„ famiæ nota, aut exilii pœna indicta a ſuis Præ-„ ſidibus fuerit. Alterum, ut libera ſit illuc ac-„ cedendi facultas Religioſis, ac probis Sacerdotibus, „ qui ſuam afflictis iis populis operam deferant, „ qui conciones habeant, doceant, & Sacra omnia

„ admi-

esse, ut, nisi mature subveniretur, Christiani nominis memoria apud contribules suos penitus interiret. Perditos ex finitimis Provinciis homines, quos conscientia scelerum, & pœnarum metus urgeret, in ea plerumque antra, & occultos recessus confugere, quam pudenda essent quæ agerent, ipso latendi studio confitentes. Insana dogmata quotidie invalescere, & si qui forte Catholicæ Doctrinæ adhærerent, tamen inter Fidei sanctitatem, & vitæ turpitudinem incerta salute pendere. Super omnia nocturnos mulierum, virorumque conventus in montium specubus agi, ibique cum impuris spiritibus per spectra, & horribiles larvas pacta, arteſque constitui, quibus privata quisque odia, & nocendi libidinem expleat [a]. Hinc nova semper calamitatum genera audiri, dejectos subitaneo impetu ex alpibus greges, enectos lenta, & insanabili tabe infantes, coactos vastandis agris sereno cœlo nimbos, & si quæ alia moliri orta ex æternis inferorum ignibus rabies ad perniciem humani generis solet. Cum flagitiorum, quæ nunciabantur, atrocitas vix locum fidei relinqueret, optimum factu visum est virum aliquem Juris scientia, & forensis negotii præstantem præmittere, qui habita de singulis capitibus quæstione, rei veritatem in apertum educeret. Delectus ad id Franciscus Borsatus, cum ad vallis interiora perveniisset [b], omnia, quæ Mediolani audita erant, minora vero invênit. Præter ingentem virorum numerum centenas mulieres veneficiis, & fascinationibus deditas ita arguendo, rogandoque circumvênit, ut responsis denique suis implicitæ turpitudinem suam aperte faterentur. Quod horribile dictu est, Præpositus ipse Roveredi dux, & magister infandi sodalitii erat, sacrilego fœdere Dæmoni obstrictus, cui im-

„ administrent. Spondebis autem verbis meis, nul-
„ lum ex hoc Rhætis periculum fore; nam a me
„ curabitur, ut mites ingenio, faciles moribus, &
„ ab omni seditionis suspicione alieni illuc mittan-
„ tur viri, qui falcem a rerum publicarum admi-
„ nistratione abstineant, atque ad Sacra unice ani-
„ mum adjiciant.

„ Si difficultas tamen objiciatur aliqua, quominus
„ prima impetretur postulatio: altera saltem impe-
„ trata frugifera satis videretur; atque hæc fortasse
„ viam muniret ad illam quoque obtinendam &c.

Neque dumtaxat vocis præsidio, verumetiam præsentiori ope jamdiu Catholicorum causam tueri in Rhætia Ipse studuerat. Etenim cum aliquot ante annis popularis exorta in illis Regionibus esset seditio, propter quam Conradi a Planta Decani Curiensis pater capite damnatus fuerat, & ingens injectus Catholicis omnibus terror: collegerat Ille nonnullas ejus naufragii reliquias, & Conradum ipsum ad biennium domi suæ aluerat, ut eum Ecclesiasticâ disciplinâ informaret, & Euangelii præconem Urbi illi miserrimæ redderet.

(a) Joannes Petrus Stuppanus in libello suo MS. de Caroli rebus alibi relato, postquam execranda multa de horrendis hisce conventiculis narravit, addit certum audirum fœminarum quarumdam testimonium, affirmantium: „ Se non raro solicitatas a
„ Dæmone fuisse in nocturnis illis congressibus, ut
„ Crucifixi Redemptoris nostri imaginem sceleratis
„ pedibus (horrendum dictu!) audacissime conculca-
„ rent: quod dum illæ cæco agitatæ furore perfice-
„ re conarentur, vidisse vivum erumpentem ex con-
„ temptis illis sacrarum imaginum vulneribus san-
„ guinem.

(b) Juris scientiâ cumprimis celebratus erat hic Mantuanus Civis, atque adeo probatus Carolo est in hac expeditione, ut eumdem optaverit, irrito licet officio, in Mantuani Episcopi defuncti locum paulo post substitui. Præmisit hunc veluti salutis prænuncium in Mesaucos die IV Octobris, antequam scilicet Parmam proficiscereturr. Voluit tamen eumdem prius Novocomum deflectere, ut Episcopi mandata, & benedictionem acciperet. Difficilis certe hæc legatio initio fuit; cum in suspicionem venisset apud eas gentes læsæ popularis libertatis. Hæc ad Carolum Borsatus scripsit die XVII. Octobris, postquam ibidem cœpisset quæstiones de Maleficis instituere: „ Ab adventu meo statim intellexi vigere in hisce
„ regionibus non Democratiam dumtaxat, verum
„ etiam Ochlocratiam. Pluribus reclamitantibus, po-
„ pularium cœtum indixi, ut jam monui: nonnulli
„ tamen intercessere, causati, mea hac inquirendi
„ potestate regionis libertatem, & jura imminui.
„ Addidere lædi Rempublicam, quod alieno, scilicet
„ tuo, non autem eorum nomine huc venissem.
„ Volucre duodecim ex suis semper assidere lateri
„ meo in agendis Hæreticorum causis: quod cum
„ injuriâ postulari viderem, vocavi rursus populi
„ concilium, ut Ecclesiasticas leges edocerem. Sed
„ nihil turbulentius ea concione fuit. Alii alia sen-
„ tiebant, & idiotæ, exleges, atque imperiti ut sunt,
„ plura allegabant absurda; quare incredibili pa-
„ tientia animum muniens nonnulla audivi, plura dis-
„ simulavi, demum comitate, artificio, & rationi-
„ bus pervici, ut more testium interessent quæstio-
„ nibus, non Judicum. Sic compositis utcumque re-
„ bus, cœpta persequor, & quæstiones urgeo de iis,
„ quæ ad Ecclesiasticam potestatem spectant. Unum
„ tamen adventum Tuum summopere necessarium
„ opperior: tuum enim est lustrare, sancire, edi-
„ cere, cum plura occurrant gravissima, quæ ego
„ vix supinis audivi auribus, ut Tibi, qui solus potes
„ perficere, integra omnia reservarem.

implacabile bellum indicere pro muneris ſui ſanctitate debuiſſet [a].

Supervênit deinde Cardinalis doctiſſimorum hominum agmen ſecum trahens, in primis Franciſcum Panigarolam ex Franciſcana Familia, & Achillem Galiardum e Societate Jeſu, quorum illum confutandis Hæreticorum erroribus, hunc explicandis veræ Fidei myſteriis deſtinaverat. Nec tamen Ipſe divini verbi prædicatione unquam abſtinuit; quin ita, ut erat ab difficillimo itinere recens, ſtatim conſcendens ſuggeſtum, ac miſſum ſe inquiens a Summo Pontifice (b), quomodo Joſeph a Genitore ſuo Jacob ad fratres miſſus erat, ut certa de eorum ſalute referret; tantos animorum motus hac paterni amoris ſimilitudine feciſſe dicitur, ut perfuſam lacrymis ſimul, & gaudio concionem dimitteret. Tanta certe rerum mutatio ſecuta eſt, quantam tam brevi tempore fieri poſſe, ne Ipſe quidem fortaſſe crediderat (c). Impar erat tot Sacerdotum numerus hominum multitudini ad Pœnitentiæ Tribunal, & Altaris myſteria confluentium, quorum paulo ante tam turpis aut contemptus, aut negligentia erat. Nec vero ullum tam moleſtum, aut difficile munus fuit, quod pro animarum ſalute Carolus detrectaret. Ingens præ ceteris ad permovendos popularium animos incitamentum fuiſſe narrant, videre clariſſimum Romanæ

(a) Alia invaluerant in Meſaucis mala, quæ fuſe Cardinali Sabello per literas Carolus expoſuit; ſed nos brevitatis gratiâ per ſynopſim hìc digeremus: „ In hac Valle populus Catholicæ Religionis nomen præfert; mores, & inſtituta abjecit. Receptus eſt paſſim carnium uſus in eos dies, quibus vetitæ ab Eccleſia ſunt: diuturna item jamdiu cum Hæreticis viget conſuetudo. Superioribus annis domicilium hìc fixerant impiorum dogmatum famâ celebrati Hæretici Frontanus, Canoſſa, & paulo ante adventum meum hìc obiit Ludovicus Beſutius in Frontani ludo edoctus ſupra Magiſtrum diſcipulus. Fœnebris quæſtus hìc regnat maxime. Mutum hactenus Forum eſt; nam nullus hæreſis nomine defertur, ſed dumtaxat maleficii. Myſteria Sacra obire, & noſcere nunc tandem incipiunt, qui XX. jam annis aras refugerant. Impia Hæreticorum ſecta hæret provinciæ viſceribus etiam propter externæ negotiationis vincula; hinc permanat etiam ad alios accepta morbi contagio; ejuſque ſuſpicio pertinet ad Inſubres nonnullos, imo Italos etiam complures. Ingens eſt ſagarum numerus. Admoti Sacrorum adminiſtrationi erant transfugæ a Religioſis familiis ut plurimum, aut anathemate damnati, aut ab Aris in criminum pœnam prohibiti. Clandeſtinas, aut inceſtas nuptias ægre numerem. In ea verò regionis parte, ubi Meſaucum eſt primarium vallis oppidum, deterior etiam multo eſt Religionis ſtatus. Contraxit nimirum hanc luem infelix locus ex ipſa Hæreticorum vicinia, qui in contermina Rheni valle Calvinianæ ſectæ dogmata palam profitentur. Quare ultimus ad Meſauci agrum ſpectans, & in eam Vallem vergens pagus expers omnino Catholicorum eſt. Suis nimirum erroribus incolas imbuêre prædicti tres hæreſeos magiſtri, ante quorum adventum *vaſtaverat hanc* Domini *vineam ſingularis ferus* Frater N. N. prima hujus incendii fax, & belli tuba. Nunc complures alii ibidem apertas Catholicis omnibus inimicitias denunciant, ſuoque in luto hærent pertinaciſſime; inter quos eminet Franciſcus Luinus XXX. abhinc annis in hoc veluti regno verſatus. „ Duo item, treſve reperiuntur, inter quos Frontani filius cum liberis pluribus, quorum uxores „ vere educta ex inferis monſtra videntur. Omnes „ tamen Luini ductum, & auſpicia ſequuntur. Impudentiſſimæ fœminæ deſtruunt quidquid noſtrâ „ ædificatur operâ. Sedet hoc in loco Sacrorum „ Præſes VI. abhinc annis Ordinis ſui, & Religionis deſertor Frater, trahens ſecum ubique ſcorti „ ſui, & quatuor filiorum infamem comitatum. „ Ceteri etiam Sacerdotes meretriciæ conſuetudinis „ notantur. Sordent Templa, & vacua ſilent. Paria apud iſtos ceterorum omnium vitia; verum „ hic viget majus odium in Eccleſiaſticam poteſtatem. Ceterùm non adeo prorupta eſt in laſciviam audacia, cum ſimplicitatem quamdam præ„ ferat indigenarum indoles &c.

(b) Nihil diligentius diſſimulatum a Carolo in hac expeditione comperio, quàm indictam ſibi a Pontifice fuiſſe eam legationem. Id Gregorius idem præceperat, ut ſæpe Carolus ſcribit; & prudentiſſime captum id conſilii cenſeo, ne incolarum eorum animos offenderet nomen Pontificiæ luſtrationis. Quare in Tabulis extat teſtimonium nonnullorum aſſerentium, Cardinalem dum illuc contenderet, diſſeminaſſe hanc vocem: ſe per Meſaucos velle ad Altæmpſianum Caſtellum proficiſci; quod etiam patebit inferiùs ex literis Epiſcopi Curienſis; ut omittam ea, quæ ſenſiſſe videtur Carolus idem in literis ſuperius expoſitis, datiſque ad Pontificium in Gallia Internuncium.

(c) Pater Achilles Galiardus S. J. horum teſtis, & pars magna Mediolanum ad Societatis in Inſubria Præſidem Patrem ſcribens, hoc iter Caroli, & luſtrationis initia evolvit perquam diligenter; atque idcirco primam ejus Epiſtolæ partem ſubjicere placuit:

Multum Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti.

„ OCtavus dies agitur, ex quo Mediolano profecti hùc ſumus, & quandoquidem opportuna mihi ſe offert occaſio ſervi iſthuc a Domi-

„ no

„ no Cardinali mittendi, ſtatui, juxta Reverentiæ „ Veſtræ mandatum, hujus expeditionis noſtræ ini- „ tia, & progreſſum exponere. IV. Idus hujus men- „ ſis ſummo mane ego, Pater Panigarola, & ex „ Canonicis Ordinariis Octavianus Abbiatus de Fo- „ roriis ad pagum Teſſeredum nomine pervenimus, „ Mediolanenſis Archiepiſcopi Diœceſi quidem com- „ prehenſum, ſed in Helvetiorum ditione poſitum; „ In eadem enim Republica continetur hic locus, „ ac Luganum, ubi V. Idus veſpere a Patribus „ Franciſcanis hoſpitio excepti fueramus, ſecundo „ ſcilicet poſtquam Mediolano diſceſſimus die. Ita- „ que cum Teſſeredum appuliſſemus, ſtatim cum Pa- „ nigarola populi illius confluentis Confeſſiones ex- „ cepimus, qui labor uſque ad ſecundam noctis „ horam fuit productus, ſi Sacrificii, ac prandii „ tempus dematur. Eadem cura nos etiam poſte- „ rum diem Sancto Martino ſacrum tenuit. Quo „ die primum P. Panigarola, deinde Dominus Car- „ dinalis inter Sacra Sermonem habuit; quo habi- „ to, frequentiſſima Synaxis fuit, & poſtmodum „ nonnulli Sacro Chriſmate confirmati ſunt: Tanta „ fuit populi confluentis multitudo ac religio. Ve- „ rum quod maxime mirandum mihi, & Panига- „ rolæ fuit, dum collatis capitibus nonnulla de „ gentis illius pietate, ac moribus diſſereremus: com- „ pertum eſt, nullum ferme ex quingentis, & am- „ plius, qui labes apud nos ſuas depoſuerant, letha- „ lis culpæ reum fuiſſe auditum: inſuper omnes „ ſummam de Chriſtianæ Doctrinæ præceptis erudi- „ tionem, & incontaminatæ conſcientiæ integrita- „ tem præſetuliſſe, & tantam Sacrarum rerum di- „ ſciplinam, ut optimam haberent dignoſcendarum „ tentationum normam: prænoſcerent, quæ citra „ conſenſum fierent; quæ verò voluntate conſentien- „ te patrarentur: quæ ratio repellendarum inſidia- „ rum Dæmonis eſſet: qui modus demum divina „ meditandi, ut nihil exactius in Parthenonibus Vir- „ ginum, aut Virorum Aſceteriis foret optandum. „ Iterum dico: ſtupui intuens tot Sacras Virgines „ legum vinculis Societati Sanctæ Urſulæ obſtrictas; „ complures alias nuptas abſolutas legibus, cujuſcum- „ que labis expertes; homines præterea alios ſer- „ vili quidem conditione, ſed ingenuis moribus; „ demum tam eruditam Sacris gentem, & tanto „ perfectionis ſtudio inflammatam; collocatam de- „ mum inter aſpera Montium, & inopiam rerum „ omnium tantam morum ſanctimoniam. Difficile „ admodum exponam, quantam ex ſuaviſſima hu- „ juſmodi virtutis contemplatione animo perceperi- „ mus voluptatem. Uberrimos hos fructus peperit „ Cardinalis Borromei vigilantia, & Sacerdotis il- „ lius, qui pagi hujus Sacris præeſt, probitas ſingu- „ laris. Veſpere Belitionem uſque proceſſimus, Op- „ pidum in Helvetiorum Ciſalpina ditione ſitum; „ cumque illud verſus progrederemur, obvii Car- „ dinali proceſſere Nobiles ex eo loco univerſi, „ quos Ille deinde ſecum menſæ accumbere voluit, „ & cœnæ juſſit Cathechiſmi lectionem immiſceri. „ Mane poſtero Divinis operatus eſt, & ad Synaxim „ rari Oppidani venêre, quandoquidem inexpectatus „ erat feſtinatus Cardinalis adventus. Eodem die „ nos omnes ad ſe evocavit, & ſermone privato „ adminiſtros ſuos edocuit, & confirmavit, monens „ de ratione ſuſcipiendi Sacri illius Miniſterii: de „ locorum, quæ adeunda erant, natura: de pruden- „ tia, & caritate a nobis exacte ſervanda; quæ „ omnia veluti ex Societatis noſtræ Inſtitutis hauſta „ videbantur. Sanxit deinde, abſtinendum carnibus „ eſſe eo tempore, & Dominici Adventus, qui inſtabat, „ conſuetam rationem habendam. Habuit deinde „ nobiſcum de graviſſimis rebus conſultationem, „ eadem plane ratione, qua Reverentia Veſtra in „ rebus difficilioribus Conſiliarios congregat. Beli- „ tione itaque Roveredum contendimus, cujus di- „ tionis fines cum eſſet ingreſſurus, aderant jam „ Nobiliores Rhæti Eum excepturi. Ad confinia „ perhonorifice Helvetios, qui illuc uſque ſe de- „ duxerant, dimiſit; mox Rhætis adjunctus cum „ ad locum Roveredo mille paſſus diſtantem adve- „ niſſet, equo deſcendit, ſeque in Sacram Ædicu- „ lam recipiens, decenter equum juſſit inſterni, „ & Pontificalibus ornamentis conſpicuus, prælata a „ Nobilibus illis umbella protectus inter confer- „ tiſſimam populi ſupplicabundi multitudinem pro „ ſexus diverſitate religioſe diſtinctam ad Sancti Vi- „ ctoris Oppidum proceſſit, ingreſſuſque eſt cele- „ britate maxima, ac tanta, ut magnificentiam ſpe- „ ctaculi inter miſerrima illa naturæ latibula, & „ gentis obſcuritatem, quæ nihil tale unquam vidit, „ aut meminit, conſideranti mihi, & ſimul expen- „ denti, hinc Religionis iis in locis corruptæ ſor- „ des, inde hominum illorum pietatem, reve- „ rentiam, ac obſequium, nihil magis admiran- „ dum certe poſſet occurrere. Porro Cardinalis tam „ fauſtis auſpiciis, & propenſæ hominum in ſe vo- „ luntatis ſignificatione commotus, præcipue tamen „ Divini Numinis feliciter cœptis annuentis, ad me „ converſus dixit: præ gaudio lacrymas ſe tenere non „ poſſe; neque ipſe certe cum ſociis expers fletus „ eram. Ingreſſus Templum, conſueta peregit cum „ Deo officia; mox ſuggeſtum aſcendens, Oratio- „ nem exorſus, ſe cum Joſepho Patriarcha compara- „ vit, qui a Patre Jacob miſſus, fratres ſuos quæ- „ rere ſatagebat, ut eos conſolaretur, ac ſuſtenta- „ ret. Ajebat nimirum, ſe fratrem eſſe Curiæ Epiſ- „ copi, quæ antiquitus Mediolanenſis Provinciæ ju- „ re continebatur, & aptum in hanc rem afferebat „ Oſimi Curienſis, & Euſebii Mediolanenſis Epiſco- „ porum exemplum. Inculcabat autem vehementer „ ea verba *Quære fratres meos*, atque addebat, ſe „ vereri quammaxime, ne illi in Dothain, quod „ Deſertum ſignificat, profecti eſſent: ſperare ta- „ men fore, ut in Chanaam regrederentur: alia de- „ mum congeſſit hujuſmodi, ut intime ſermone „ ſuo circumſtantium animos pervaſerit, & plane „ de iis triumphaverit. Equidem hac Oratione effi- „ cacitſſima, jacta ſunt præclara ſemina meſſis illius „ uberrimæ, quæ poſtmodum ſemper ſub manus „ luxuriare, atque ad maturitatem exinde perduci „ viſa eſt. Hiſce perfectis, reliquum viæ, quæ ſu- „ pererat, prælatis funalibus cum jam tenebræ eſ- „ ſent, pridie Idus hujus menſis conſecimus Rove- „ redum uſque Oppidum, quod mille inde paſſus „ aberat. Hoc magni nominis in Rhætorum ditio- „ ne bidui iter, & forte amplius Mediolano diſtat. „ Dimiſſis omnibus, qui deduxerant, tres ferme „ horas nobiſcum conſultationem habuit Cardinalis „ agens de adhibendis opportunis ad loci neceſſita- „ tes remediis: deinde Borſatum, Panigarolam, „ meque etiam ſuos veluti Vicarios juſſit, augens „ nos, atque ornans eadem poteſtate, quam Ipſe in „ hanc rem cumulatiſſimam a Pontifice acceperit. „ Addidit deinde Adminiſtros alios quatuor, qui a „ Confeſſionibus populi eſſent, ſed a nobis leges „ acciperent &c.

Digitized by Google

manæ Eccleſiæ Cardinalem, Mediolani Archiepiſcopum inter mulierculas humili loco ſedentem, abſurda ſæpe reſponſa, nec raro contumelias patientiſſime tolerantem, ut vanas ſuperſtitiones, quarum ſexus ille ſtudioſiſſimus eſt, ex earum animis amoveret (*a*). Hac comitate ſimul, & patientia laboris nonnullos etiam primorum perduellibus ſectis addictos ad obſequium revocavit, ex quibus Vallis univerſæ Cancellarius, poſtquam diu repugnaverat, eò denique adductus eſt, ut non impuras modo opiniones abjiceret; verum etiam libros, ex quibus venena fallacis doctrinæ hauſerat, palam incenderet. Præcipuus labor fuit expugnare fœminarum ingenia, quæ ſeſe jamdudum impiis pactionibus Orco devoverant. Pervicere tamen Caroli preces, & invicta ſolicitudo, ut centum ex iis & quinquaginta concepta ſacrilege vota ejurarent. Undecim contumaces vetulæ, cum nefariis promiſſis renunciare noluiſſent, Magiſtratuum juſſu traditæ flammis mercedem fidei, quam accepturæ poſt mortem erant, in ipſo vitæ exitu præcepere (*b*). Eodem ſupplicio damnatus Roveredi Præpoſitus memorabili documento oſtendit, quam præcipiti lapſu humana mens

(*a*) Gemina alia ſibi comparaverat ſubſidia Carolus, quibus incolarum ingenia expugnaret, Divinum unum, humanum alterum, invictum utrumque. Primò enim lego plurimis in locis publicas fuſas ad Deum preces pro felici legationis exitu. Specianus ſcribit, Romæ, & Neapoli ex Pontificio nutu excitatos fuiſſe quotquot morum probitate celebrati eſſent, ut Deum propitium Caroli conſiliis facerent. Ipſe autem Borromeus *Orationem ſine intermiſſione* in Diœceſi ſua indixerat, quod potentiſſimi remedii genus ad Divinam voluntatem flectendam noverat in afflictis quibuſcumque, ac perditis rebus. Sane Europæ ferme univerſæ expectationem ſuſpenſam tenuit ſuſcepta hæc alacriter expeditio, ut ex multorum Principum literis conſtat. Secundò ingentem pecuniarum ſummam ex ſuis tamen cenſibus contraxerat ad defigendam in Meſaucorum oculis digniſſimam Eccleſiaſtico Principe liberalitatem, cum ſciret, preſertim Eccleſiæ opibus Hæreticorum animos offendi. Docuit itaque Borromeus, eſſe opulentos Cardinalium cenſus, ſed quos in miſerorum auxilium vellent, atque optarent profundere. Sane multis impenſis brevis Illi Legatio ſtetit; & conſignatum in Tabulis eſt, duo aureorum millia in ea obeunda fuiſſe collocata. Neque relictus eſt mihi ullus ambigendi locus; cum ſane videam in Epiſtolis ſummam nunc primum in Carolo ſolertiam, ut veteres ſibi nondum numeratas penſiones repeteret; cumque hac occaſione Procuratorem ſuum in Hiſpania ſolicitaverit, ut reliquam pecuniæ ſummam, quæ ex Uritano divendito Principatu jamdiu debebatur, hoc tempore a Demarcho Avenionenſi exigeret: Cardinalem denique Ateſtinum rogaverit, ut non ſolum penſionem ſibi debitam ocyus numeraret; ſed ſi quid in promptu haberet voluntarii etiam ſubſidii, ſuppeditare in hanc rem non gravaretur. Hæc ad eum ſcripſit III. poſt Idus Octobris die: „ Enixe oro, ut ſolvendam cures mihi quamprimum „ MMCCCLXX nummorum ſummam, quæ mihi „ ex Ferrarienſis Epiſcopatus cenſibus pendenda ſupereſt. Equidem in rem præſentem erit opportuniſſima; quapropter moleſtus verboſis precibus „ non ero, cum neceſſitatem hanc meam innuiſſe „ ſufficiat, ut impetrem; quandoquidem ab humanitate, & beneficentia tua non ſolum quod debetur „ acceptum iri præfido, verum etiam voluntarium „ ſubſidium referri poſſe non deſpero. “ Hiſce fultus auxiliis ſpem colligendæ uberrimæ meſſis animo tantam præconceperat, ut ad Supremum Societatis Jeſu Moderatorem eadem die ſcribens teſtetur: „ ſperare ſe paratiores opinione omnium eos incolas ad Divini verbi ſemen excipiendum fore; imo „ fructum a ſe expectari votis ipſis etiam cumulatiorem.

(*b*) Non adeo deſperandum de æterna infelicium ſagarum ſalute docet Pater Carolus N. ex Societate Jeſu, qui tum in Meſaucis agebat: (utinam hujus Patris nomen immortalitate digniſſimum offerret Patrignani Menologium, aut ipſe ſaltem cognomen aperuiſſet, dum epiſtolis ſubſcriberet; nullo enim alio ſe prodit indicio, quam uno Caroli nomine, quo fortaſſe gloriabatur) Hic aperte docet: reſipuiſſe tandem has impuras mulieres, & mortis metu admoto abſterſiſſe, ut pie credi poteſt, inveteratas animi maculas; licet ex Judicum ſententia indignæ viſæ ſint, quæ ad meliora fata reſervarentur. Scripſit itaque Calendis Decembris, ad III. menſis ejuſdem diem quatuor ex iis flammis objectum iri: VI. Idus monuit iterum, quatuor alias rogo impoſitas fuiſſe ad Nonas: tres demum reliquas Idibus igni traditas aperuit in aliis literis datis XVIII. Decembris. Ubique autem docuit, ſummam ſalutis ſpem eas apud populum reliquiſſe, depoſitaſque apud ſe ab iis culpas omnes per Confeſſionem. Reddo integram ſecundam ex his epiſtolam, ut dicto fides conſtet.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, & Pater noſter benigniſſime.

„ ADveniens Bernardinus Mora ea tandem perfecit, quæ optabamus, ejuſque opera populariſbus hiſce & nobis omnibus grata admodum „ fuit, expendentibus uberrimum in hanc Vallem „ redundaturum fructum, in qua Deus Optimus Maximus propter feliciſſimam, & benedictione plenam luſtrationem a Dominatione Tua Illuſtriſſ. „ perfectam tantum inflammavit gloriæ ſuæ augendæ ardorem, & ſalutis animarum ſtudium, ut „ univerſi manus ad liberatores Superos extollant, „ &

mens ruat, ubi ſemel pravis affectibus fræna laxaverit (*a*).

Ceterum illud pro certo conſtat, nihil magis ad ejus expeditionis felicitatem, quam Caroli exempla profuiſſe. Humanis enim viribus in tanta rerum difficultate diffidens, curam omnem in eo poſuerat, ut orationis ſtudio, & perpetuo corporis cruciatu Divina ſibi auxilia compararet. Hinc terga flagellis cædere, attenuare membra jejuniis, nudis plerumque incubare tabulis, & in ſummo rigore hyemis trita tantum, & unica veſte uti, quæ nuditati magis, quam neceſſitati conſuleret. Ingentem interim pecuniæ vim Mediolano afferri juſſerat ſolitus dicere, nulla re Paſtora-

„ & pro accepto beneficio gratias ſe habere Deo „ fateantur ſempiternas. Feriâ II. nuper elapsâ quatuor ex captivis fœminis extremo affectæ ſupplicio fuere. Hic autem pœnæ infligendæ ordo fuit „ & modus. Ingens eminebat in amplo campo conſtructus rogus; ſingulæ autem ex maleficis illis „ in tabula diſtentæ a Carnifice, & illigatæ funibus fuere. Eas deinde ita rogo ſuperimpoſuit „ Tortor, ut vultum in lignorum ſtruem obverterent. Statim ſuccenſa pyra ad latera eſt; quare „ ingentes flammarum globi efferebantur, tantaque „ vis fervebat incendii, ut poſtmodum abſumpta „ membra omnia apparerent; neque oſſium dumtaxat ſolutæ compages, ſed oſſa ipſa inſuper redacta in cinerem. Cum eas tabulis illigaſſet „ Carnifex, ſingulis noxas confitentibus ultimò impertivi veniam: Stuppanus vero, geminique alii Sacerdotes conſolationem ſimul conati ſunt admovere morituris, & Divinam Indulgentiam polliceri. Same impar ſum explicando, quo cordis dolore intimo, & quam parato animo ſubierint horrendam hanc pœnam. Antequam ducerentur ad „ ſupplicium, depoſuerant omnes per Confeſſionem „ maculas, & SS. Chriſti Corpori communicaverant. „ Se a Deo ſcelerum ſuorum vindice pœnam hanc „ libenter accipere teſtabantur; & datis certe pœnitentiæ indiciis Supremo rerum Arbitro ſpiritum, „ corpuſque devoverant. Redundabat ampla illa plaenities prope infinitâ incolarum multitudine, qui ſublatis vocibus Jeſum identidem inclamabant; itemque „ miſerrimæ illæ rogo impoſitæ fœminæ idem SS. „ nomen reddere audiebantur inter æſtuantis incendii flammas; pignus autem ſalutis præſens habebant, implicitas collo Marianas *Coronas*. „ Teſtata, & ab iis exhibita doloris animi argumenta faciunt, ut in æternæ earum ſalutis ſpem „ firmam erigar. Hæc omnia D. Tuæ Illuſtriſs. „ enucleatius aperire viſum eſt, quò Deo habere „ gratias poſſit, & laudes perſolvere propter pretioſos hujuſmodi collectos ex hac meſſe manipulos. „ Divina, quam nuper D. Tua hic perfecit, luſtratio novas has filias peperit Chriſto: Hæc collecta ſeges ex vivo illo, & cæleſti ſemine, quod a D. T. „ inſigni providentia, vigilantia, caritate in hæc „ *petroſa* felicitſſime injectum eſt. Utinam Deus in D.T. „ capaciſſimum cor effundat eum amoris ſui torrentem, qui reliquos conterminos populos impleat, „ purget, & renovet. Interim rogo, ut ſanctæ „ benedictionis ſuæ donum mihi partiatur, & ſervum „ hunc ſuum inutilem inter preces & hoſtias ante „ oculos habeat.

„ Roveredi VIII. Decembris die MDLXXXIII.

Servus, & filius indignus
Carolus ex Societate Jeſu.

(*a*) Hoc unum juſtiſſimæ ſeveritatis ſuæ in iis regionibus exemplum ſtatuit; nam in reliquas fœminas non ex Caroli judicio, ſed patriis legibus animadverſum fuit. Incredibile autem dictu eſt, quantam pietati ſuæ intulerit vim, dum Sacerdotali dignitate ſpoliaret improbum, & pertinaciſſimum caput. Teſtatus eſt effuſis lacrymis dolorem ſuum, & vehementiſſimis verbis purgavit injectam ſibi duriſſimam pronunciandæ ſententiæ neceſſitatem. „ Animadvertite (inquit, dum ea occaſione verba ad „ populum faceret) dilectiſſimi filii, quàm ſevere „ Eccleſia in eos ſtatuat, qui Sacerdotali munere indigni, ab ejus ſuaviſſimis, & maxime verendis „ legibus deſciſcunt. Illos exterminat *mortis pabulum*, „ & dolens licet, ab amantiſſimo tamen ſinu juſte „ exturbat &c. " Itaque fas eſt admirari hoc loco Borromei amorem ſimul, atque conſtantiam. Flevit enim amiſſum filium; ſed ne ceteros amitteret liberos, uno privari ſe patienter tulit. Accipe Epiſtolæ partem, quam Bernardino Moræ ad Curienſes Legato hac ſuper re ſcripſit, ut ex ea nomen, & mores conſtent monſtri hujus orco devoti & furiis. Hæc igitur eumdem monuit IV. Calend. Decemb. „ Curienſem inſuper docebis Epiſcopum, quemadmodum multis de cauſis, iiſque graviſſimis, Dominicus Quattrinus Sacrorum Præſes in S. Victoris Templo, partim aliorum teſtimonio, partim ſua ipſius confeſſione convictus, hodie damnabitur, & ſecularium Judicum poteſtati permittendus ab Eccleſiaſtico gradu, & dignitate dejicietur. „ Orabis verbis meis, ne ulla ratione Epiſcopus „ illi ſuffragetur, aut faveat; neve ſinat juſtam hanc „ ſententiam irritam fieri, quoniam hactenus peſtis, „ & deteſtabilis pernicies in hiſce regionibus fuit. „ Adde, multo deteriora timeri poſſe mala, ſi ultimi ſupplicii, aut pœnæ expers ab hoc judicio „ evadat. Mone inter cetera XI. oculatos teſtes „ invictis argumentis coram illi objeciſſe: quemadmodum execrandis cum Dæmone ſaltationibus „ interfuerit; neque deſunt, qui affirment (honor „ ſit religioſis auribus) eum ſacrificantis veſte indutum, & manu tenentem Sacrum Chriſma impuriſſime ſaltaſſe. Sacris operabatur quotidie, aferens ad Aram impudicas ex nocturnis domeſtici ſcorti complexibus manus. Nulla munitus „ auctoritate, profanos calices in uſum Sacrorum „ adhibuit; atque per plures annos, aliis etiam in „ eadem miniſteria utendos obtulit. Neque ipſemet „ diſſimulat, ſe contra Eccleſiæ Canones Sabbato „ carnibus nunquam abſtinuiſſe. Demum omnis abeſt ab eo pœnitentiæ & doloris ſignificatio; imo „ vetera crimina, nova atque horrenda cumulat „ pervicacia.

Digitized by Google

ſtoralibus officiis faciliorem viam, quam liberalitate erga pauperes fieri. Statuerat tollere ex animis rancida illa, atque ad conflandam invidiam maligne inventa Hæreticorum dicteria: Romanas ſcilicet dignitates non alio, quam divitiis, & faſtu, & vano Purpuræ fulgore conſtare. Ita conciliatâ benignitatis, & munificentiæ famâ, multi quotidie ad Ipſum, quos aut domeſtica egeſtas, aut delictorum conſcientia premeret, de remedio certi confluebant. Duo inter eos fuere, qui cum ejuraſſent Sacri Ordinis, cui nomen dederant, Inſtituta, ſuſceptâ per ſcelus prole impune ibidem verſabantur. Ad Cardinalis genua cum lacrymis procumbentes ſimul orabant, ut ſibi primum, deinde filiis, quos relicturi erant, paterna caritate proſpiceret. Utrumque facile impetravere. Ipſi in priſtina clauſtra reducti: filii cum eorum matribus Mediolanum miſſi, atque in pia Collegia diſtributi. Jam polluta Templa expiare, irrita conjugia, ſublatis impedimentis, reficere, anathematum vinculis irretitos diſſolvere, non tam curæ, quam ſolatia curarum erant. Gravioris momenti negotium fuit emendare Sacerdotum mores, ex quorum turpi vita pleraque, ut fere ſemper, Populi vitia proceſſerant. Eorum igitur alios idoneis magiſtris erudiendos tradidit, alios, quoad ſinceræ pœnitentiæ ſpecimen darent, Sacrorum adminiſtratione interdixit; alios demum, quorum inſanabilia ingenia videbantur, exilio mulctavit. Eorum loco delectos quoſdam e Societate Jeſu ſubſtituit, nonnullos etiam ex Sodalitio Oblatorum, ex quibus Petrum Stuppanum Roveredo præpoſuit, ut ignominiæ labem, quam ſacro nomini anteceſſor adſperſerat, virtutibus ſuis detergeret (*a*). Contermina Meſolcinis Calanca Vallis eſt perpetuis obſita rupibus:

(*a*) Ut preſſius perſequamur quidquid in Meſaucorum utilitatem ſanxit Borromeus, juvabit expedire reliquum Epiſtolæ ſuperius relatæ, & a Patre Galiardo Mediolanum miſſæ. In hæc verba ille igitur proſequitur, exponens Caroli res geſtas, antequam Roveredo diſcederet:

„ Jamvero ut debitam Reverentiæ Veſtræ voluptatem impertiar exponens uberrimum, quem per hoc quatriduum collegimus fructum, ſingillatim omnia aperiam. Regebant miſeram hanc Provinciam pro arbitrio, Religioſorum Ordinum homines, qui a Fide defecerant; atque ovium cuſtodes lupi erant. Hinc impia evulgabantur ab aliquibus dogmata; alii verò peſſimæ vitæ exemplo, & perditis moribus, ſibi primùm, deinde aliis ultimam perniciem afferebant. Qua de re occulto ſemine, & malo invaleſcente videbatur jam brevi eruptura hæreſis maturitas. Impiæ ſectæ dux erat Sacrorum Præſes ipſe, ſagarum nimirum, & maleficarum magiſter, quarum ingens hic copia graſſabatur. Nec ſuæ deerant, & plures ſedes, in quibus ſua noctu habere conventicula, & abominanda quæque, Dæmone docente, patrare conſueverant. Sua etiam illis horrenda erant Sacra, in quibus belluarum, atque hominum, ſed præſertim puerorum nece litabatur, ſed citra ſanguinem; quare mors afferebatur pluribus per pulverem quemdam ex attritis bufonibus, & mortuorum oſſibus conflatum, ut infinita alia præteream, quæ animus refugit perſenſere. Implicita erat fœnebri quæſtu univerſa Provincia: inceſtis vetitarum nuptiarum vinculis irretiti erant plures: pluſquam Vatiniano odio inter ſe diffidebant Proceres; atque odia infandæ conſecutæ ſunt cædes. Univerſi certe in ſumma Chriſti dogmatum ignoratione verſabantur; neque inter tot tenebras ulla affulgebat a ſanis inſtitutoribus doctrinæ lux; nam ablegatis literarum ſtudiis, imo ne a limine quidem ſalutatis, in crapulæ, & deliciarum ſordibus volutabantur. Hæc erat miſerrimæ Regionis conditio, quam luſtrationis hujus beneficio ex tam cæca caligine divinitus liberavimus. Itaque cum tot miſeriarum remedia aliquot compararentur, in primis Cardinalis in ſe ipſo exempla ſanctitatis conſtituit; nam quotidie pane & aqua Ipſe vivit, ut conſueta auſteritatis ſuæ ratione ſacrum hoc tempus Dominici Adventus juxta Sancti Ambroſii Ritum tranſigat: reliquos ex domeſticis abſtinere carnibus juſſit. Hæc abſtinentia ad me etiam ſpectare debuiſſet, ut aliquam apud ceteros notam effugerem; itaque paratus communem legem ſequi, nihil detrectaveram. Sed me Deus tanto dignari honore noluit, & meæ imbecillitati conſulens, alterius hoſpitii opportunitatem obtulit, in quo a reliquis ſeorſum verſans cum Borſato, qui infirma valetudine utitur, minus abſtinenter viverem. Id commodi amplexus libenter ſum, ut Paternitatis Tuæ parêrem imperio. Attamen jejunii me lege abſolvere nolui in ſingulas IV. & VI. Ferias, ac Sabbatum. Neque hæc abſtinentia ullatenus minuit valetudinem meam; imo tenue admodum hoc videtur incommodum, quoties in auſteræ vitæ exemplum mihi a Cardinali propoſitum oculos intendo. Tempus certe ad quietem vix ſuppetit, quæ ægre ad VI. horas protrahi poteſt propter aſſiduas curas, quæ duplo longiorem poſtularent diem: Verùm tantus labor cum tanta eſt voluptate conjunctus, vix ut laborare nobis videamur. Hæc autem eſt actionum noſtrarum ſeries. Primo mane Sermonem habet P. Panigarola; quo perfecto, Sacris operatur

„ ratur Cardinalis: deinde nova Ipſe Oratione po-
„ pulum reficit: mox Synaxim convocat. Interim
„ ego cum adminiſtris aliis accedentium Confeſſio-
„ nes audio, cui exercitationi etiam bonus Pani-
„ garola fractas concionandi contentione vires affe-
„ rens, diligenter tamen vacat; neque circa nos
„ ſolitudo conſitentium fit, niſi ad horam XIX. A
„ prandio per geminas horas de gravioribus rebus
„ agitur, cum plures dirimendæ controverſiæ ſint,
„ & ſolvendæ ambages, de irritis contractibus, il-
„ licitis nuptiis, aliiſque tam ad Reipublicæ admi-
„ niſtrationem, quàm ad Eccleſiaſticam poteſtatem
„ ſpectantibus. Ad horam XXII. Cardinalis iterum
„ Templum ingreſſus, Litaniarum modulatione captis
„ auſpiciis, Doctrinæ Chriſtianæ dogmata exponit,
„ plura ex Cathecheſis Inſtitutis pueros rogans de
„ Divinæ Fidei, & Legis elementis, adjunctâ meâ
„ & Panigarolæ operâ; deinde a Cantoribus per
„ antiphonam celebratis Deiparæ laudibus, & implo-
„ rato auxilio, Cathedram aſcendo, unde inſtitu-
„ tiones Chriſtianæ Religionis breviter explano, &
„ digero, ea tamen ſermonis moderatione, ut nun-
„ quam ad exagitandas hæreſes digrediar, aut ad
„ contumelias deflectam; hanc enim moderationem
„ a nobis poſtulat Liberæ Nationis indoles. Refer-
„ tum tamen ſemper populo Templum videtur; &
„ ſumma dicentem reficit auditorum attentio. Sane
„ tantam verbis noſtris Deus virtutem indidit, ut
„ plurimi, qui nutabant in Fide, confirmati, & ad
„ eam retinendam ſint paratiſſimi. Veſpere autem
„ collatis ſimul capitibus, ad ſecundam uſque vigi-
„ liam longa conſultatio protrahitur; quare nonniſi
„ paulo ante ejuſdem exitum ſit cibi copia. Prima
„ die quingenti ex hiſce Oppidanis ad Synaxim ve-
„ nêre, altera quadringenti; quamvis loci hujus
„ incolæ mille circiter & quingentorum hominum
„ ſummam conflent. Loci procetes tres, aut qua-
„ tuor privatas fovebant non ſine multorum peri-
„ culo inimicitias, & me hortante eas depoſuere,
„ profeſſi ſe, quas leges Cardinalis vere *Angelus*
„ *pacis* præſcripſerit, prompte amplexuros. Igitur
„ quæ antea vitio initæ fuerant nuptiæ, poſtmodum
„ aut conceſſa Apoſtolica facultate, aut alia ratio-
„ ne firmatæ valuerunt: nonnulla etiam Matrimo-
„ nia dirempta, quæ per leges non licebant. Fre-
„ quens eſt conſultantium hiſce de cauſis multi-
„ tudo; & mea unius opera decem aut undecim
„ maritis utilis fuit, neque a minori numero deſi-
„ derata eſt opera aliorum. Deinde ad diſſolvendum
„ fœnebrem quæſtum, quo plures illigati erant, nihil
„ aliud ſtatutum eſt, quam ut in eas leges, quas da-
„ turus Cardinalis erat, univerſi jurarent, tùm de da-
„ tis, cùm de dandis mutuo pecuniis. Sane ut in po-
„ ſterum certa extet ratio æris mutuandi, in ta-
„ bella proponentur leges ſervandæ, quæ deinde
„ coacto gentis Concilio in publicas tabulas refe-
„ rentur. Sic ſtatutum eſt, ut infinitis laqueis ab-
„ ſolverentur fontes, quibus nunc utilis eſt ad de-
„ ponendum conſcientiæ onus ſincera promiſſio,
„ atque utilior erit in poſterum fidelitas in legibus
„ implendis. Quod ad Hæreticos ſpectat: plures re-
„ vocati in Catholicæ Eccleſiæ gremium ſunt, in-
„ ter quos duo ex hac Valle Proceres plures an-
„ nos in errorum tenebris verſati ex ludo Verge-
„ rii & Petri Martyris fallaciis omnibus imbuti huc
„ venerant. Sex circiter horas plura dubia propo-
„ ſuerunt, quibus feliciter a me diſſolutis, profite-
„ ri ſe velle Orthodoxam fidem teſtati ſunt, & mox
„ depoſitâ per Confeſſionem criminum ſarcinâ, ex Car-
„ dinalis manu Angelorum panem percepere, mi-
„ rantibus univerſis. Præter hos, Contribules plu-
„ rimi, & plebeji, quorum anceps erat in Religio-
„ nem animus, ſalutaria hujuſmodi percepere re-
„ media. Plerique ex iis non ſolum Chriſti legem
„ ſequuntur, ſed exſequuntur diligenter, ut per hos
„ dies frequentiſſimi ad Concionem convenerint,
„ & expertem labis vitam vivant. Sagarum Ante-
„ ſignanus Sacrorum Roveredi Præſes, cum XV.
„ circiter ejuſdem furfuris fœminis traditus in cu-
„ ſtodiam eſt, & igne in omnes animadvertetur ex
„ legibus. Ceterùm complures aliæ, quæ cautius,
„ & occultius peccavere, neque iis criminibus ob-
„ ſtrictæ erant, quæ dignæ ſupplicio ex Judicum
„ Secularium ſententia viderentur, exhibitis emen-
„ datæ vitæ indiciis, abſolutæ criminibus ſunt, &
„ ſupplicii metu liberatæ.

„ Jam vero quod ad Clerum ſpectat, ex Reli-
„ gioſis familiis transfugæ duo reſipuere. Unus Or-
„ dinis ſui veſtibus adhuc indutus, atque abuſus, pa-
„ lam inierat ſceleratas nuptias cum fœmina, ex
„ qua multos etiam ſuſcepit liberos. Alter Reli-
„ gionem item profeſſus hìc latebat, & me uſus
„ apud Cardinalem interprete, nunc Eccleſiæ reſti-
„ tutus affirmat in ſua ſe rediturum caſtra, atque
„ omnes apud me velle inveteratas conſcientiæ ſor-
„ des deponere: Demum dolentis animi præfert
„ ſignificationes; & tantas, ut nos omnes intime
„ dictis ſuis commoveat. Sacrorum Præſes loco mo-
„ vebitur ex Cardinalis Edicto, & Stuppanus eiſdem
„ moderandis admovebitur, ut credo. Pari ratione
„ animadvertetur in geminos Canonicos, qui mul-
„ tis obſtricti criminibus ſunt, aliique inducentur
„ doctrina, & moribus clariores Parochi, qui in hoc
„ ovile regendum aptius excubent. Præterea idem
„ Cardinalis enixis Procerum precibus, & præſer-
„ tim Provinciæ hujus calamitatibus permotus, Col-
„ legium Societatis noſtræ hìc excitare meditatur,
„ cujus Patres obedientiæ vinculo cum Aronenſi, aut
„ Mediolanenſi Moderatore hæreant: in hoc gemini
„ ſaltem ex noſtris vivent, qui aut Euangelicæ præ-
„ dicationis, aut Cathecheſeos curis ſemper impli-
„ citi ſint, & reliqua ex inſtitutis noſtris peragant,
„ atque agrum hunc excolant tam opimum, qui
„ infinitis tamen periculis obnoxius videtur pro-
„ pter neceſſariam Germaniæ affinitatem; quare hinc
„ facile incumbere maxime in Italiam moles peri-
„ culi poteſt, cujus vallum eſt; quo firmato, tuta
„ deinde omnia Italis Provinciis fient. Cras hinc
„ digrediemur, ut in Oppidum aliud proficiſcamur.
„ Quæ hic felicibus auſpiciis perfecta ſunt, alibi
„ etiam Deo juvante obibimus; ſic nullam ſine linea
„ diem tranſigemus. Præcurrunt ſemper in pagos
„ itineris noſtri prænuncii adminiſtri, qui audien-
„ dis Confeſſionibus operam navant, & concioni-
„ bus crebris, ſacriſque exercitationibus commotum
„ populum ſubſequenti Cardinali excolendum tra-
„ dunt; qua de re videat Reverentia Tua, & cal-
„ culos ineat, ut quanta adjungenda ſit Chriſti ca-
„ ſtris hominum multitudo in montanis hiſce Re-
„ gionibus certo cognoſcat. Singula in dies ſequen-
„ tes aperiam per partes, prout acta erunt, quò con-
„ ſolationem aliquam impertiar etiam Brydenſibus
„ mihi cariſſimis Fratribus, qui velim pro certo ha-
„ beant, ex laboribus, qui cum Sancto hoc Viro ad

„ Dei

bus : difficillimæ viæ ſunt, & ſævior, quam alibi, hyems jam omnia gelu obduraverat. Templum Virgini Matri in ſummo vertice montis ſacraverant incolæ, credo ut aliquid viſu dignum in tanta rerum omnium ignobilitate haberent. Cujus pietatis etſi nullam aliam mercedem recepiſſent, non leve præmium videri debuit, quòd Carolum videre in tam miſera Patria mererentur. Pedibus enim ſuperato quatuor milliarium aſcenſu, cum pia erga Deiparam venerationis officia expleviſſet, ad ſingulos pagos deſcendens ſacrarum rerum dignitatem pene collapſam reſtituit (*a*).

Quod

„ Dei gloriam exhauriuntur, cælitus demiſſum abundare ſacrum gaudium, cordis deſideria ardentius ſemper fervere, confirmari validius vires, demum occupari quoddam æternæ voluptatis ſpecimen, & arrham veluti Paradiſi Hæc, Pater mi, flens ſcribo; & levitatem fortaſſe hanc mihi facile condonabit Reverentia Veſtra, quoniam ſic ego ſentio: Ferventiſſima hujus populi vota, plauſus publici, & gratulationes, inflammata in univerſis Divini verbi ſitis, ubertima ultimò, quæ colligitur, meſſis, tanta equidem ſunt, ut redundante in corpus animi gaudio, vix temperare lacrymis quiſpiam poſſet. Quæ verò maxima omnium utilitas percepta ex hac luſtratione fuit: heſterno veſpere congregatis in Concilio XXIV. hujus Vallis Primoribus & nobis etiam accitis, Cardinalis imperravit, aſſentientibus univerſis, (ſuffragii autem commune indicium fuere ex regionis more elatæ omnium in altum dexteræ) ut has in poſterum leges populus ſciſceret. Primò itaque rata ſunto decreta omnia, quæ hac occaſione Cardinalis condidit: idcirco IV. Electi ſunt ex Primoribus (Advocatos dicunt), qui jurejurando affirmarunt id ſibi curæ fore. Secundò Eccleſiaſtici exteri in ea Valle domicilium ne figunto, niſi exaratam literis Epiſcopi ſui facultatem offerant: Transfugis vero, ſi qui advenerint, triduo dumtaxat ibidem ſubſiſtere liceat, quo tamen tempore nullis operari Sacris poſſint. Tertiò geminos ex Proceribus eligunto, quorum auctoritate apertæ ad Chriſtianas Inſtitutiones pueris explicandas Scholæ ſuſtententur, ampliſicenturque. Hac de cauſa evocantur Mediolano Inſtitutores gemini, qui methodum docendi, mores, & leges ad eaſdem ſtabiliendas edoceant. Præterea retinento leges datas pro ſancte, & rite ineundis nuptiis, ſervandis teſtamentariis legibus &c. Inſuper nummi quinquaginta adjiciuntor annuis Sacrorum Præſidis cenſibus, quo addito ſubſidio centum nummorum ſumma in ejuſdem alimenta comparabitur. Ultimò deſtinata eſt Societati noſtræ Sedes, & ex publico ærario coëmentur nobiliſſimæ in hac Valle Ædes, quæ olim inclytæ Trivultiorum familiæ fuerant. Pulcherrimi iis adjecti ſunt horti, piſcina ingens, multa conclavia, facile tenui impenſa ampliſicanda latius. Horum pars nobis deſtinata eſt; pars verò reſervatur Convictorum excitando Collegio. Mirificus omnium conſenſus maximæ admirationi fuit; neque hæc omnia certe peracta videntur ſine manifeſto Superûm numine; præſertim cum rueret jam in præceps regionis hujus Religio, nullis legibus coërcita eſſet incolarum libertas, & in multitudine, ut aſſolet, tot ſint ſententiæ, quot capita. Attamen cum per eos dies firmata eſſent „ tot fœdera, omnes in publicam utilitatem conſpiravere. Præter hæc omnia, inſtituta eſt Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitas, ut vigeret in poſterum „ menſtruæ Synaxis uſus, quod moris tenere policiti ſunt complures. Aliud etiam reſtitutum eſt „ Sancti Petri Martyris auſpiciis dedicatum Sodalitium, „ cui incumbet Catholicæ Religionis tutela. Utinam Deus, quemadmodum ſpero, det egregiis „ cœptis felicem progreſſionem, atque exitum! „ Hac de cauſa Reverentia interim Veſtra preces „ dignetur indicere; & pro certo habeat, Cardinalem Sanctæ Praxedis multo majora etiam agitare „ animo per hos ipſos dies; quæ ſi felicem ſortiantur exitum, Deo annuente, ſingula deinde „ explicabo. Statim ac mea ceſſabit opera, miſſionem petam; ſed quantum video, facilius meſſis „ copia, quàm otio laborabimus. Sacrificiis ſuis ac „ precibus, ut etiam Patrum, ac Fratrum noſtrorum Mediolanenſium, & Patris Rectoris præſertim me habeat quam commendatiſſimum. Roveredi XVI. Cal. Decembris MDLXXXIII.

Præſentiora etiam alia remedia deinde incolis illis comparavit. Nam per Auditorem ſuum Moram monuit Epiſcopum Curienſem, ut quempiam eligeret, qui ejus nomine jus in ea Valle redderet, & præſertim munitus eſſet *delegata*, ut ajunt, *poteſtate*, quò incolarum inopiæ ſimul, & juſtitiæ conſuleretur; quandoquidem Curiam evocati ad cauſas dicendas, vel gravibus nimium impenſis, vel Hæreticorum vi opprimebantur. Verum in ſaluberrima hac legatione nihil mirandum magis occurrit, quàm tot tantaque offerri remedia tam brevi temporis ſpatio potuiſſe. Etenim cum in hanc Vallem veniſſet die XI. Novembris, ad diem XVI. hæc egregia omnia perfecerat. O vere divinam mentem, & manum!

(*a*) Roveredi adhuc erat XIII. Calend. Decemb.; mox Calancam Vallem obiter luſtrans in via, & ſparſas in circuitu villas, Meſaucum deinde regionis caput conceſſit. Triſtiſſima ibi occurrit rerum facies; nam, ut habeo in deſcriptione ad Cardinalem Sabellum tranſmiſſa, quinquaginta ibi comperta ſunt Hæretico dogmate imbutæ familiæ: & ſceleribus pluribus infames delatæ ſunt XXII. maleficæ fœminæ. Verumtamen in agro æque inculto impar fuit collecta meſſis. Dolet de hujus populi pervicacia, & inſidiis Carolus in Epiſtola Roveredo ad Bernardinum Moram data IV. Calend. Decembris: „ Te „ monitum volo, quemadmodum Meſauci, licet aliquis perceptus ſit ex luſtratione mea animarum „ fructus, nihilominus multi adhuc utriuſque ſexus „ ſuis hærent in ſordibus, & perſtant alieno in Fidem Orthodoxam animo. Imo intellexi, privatos, „ & ſeditioſos habitos ab incolarum nonnullis conventus; quare ſi quis fortaſſe Curiam permanaveris in deteriorem partem rumor, qui luſtratio-

„ nis

Digitized by Google

Quod ſi ulterius adire Alpium interiora potuiſſet, nemo non videt, quantas utilitates allaturus miſerrimis illis Regionibus eſſet. Sane incolæ Vallium, quas proximior fontibus ſuis Rhenus alluit, quamquam omnes ab Orthodoxa fide defecerant, auditis tamen rebus ab Eo mirabiliter geſtis, per legatos ſuos orabant, ne ad ipſos ire gravaretur, libera Illi fore omnia Romanæ Religionis officia pollicentes (*a*). Irrita

„ *nis* meæ Acta lædat: poteris de ſingulis Galle-
„ fium edocere, quemadmodum nihil cum iis ege-
„ rim, niſi humaniter, & amantiſſime; imo ex-
„ pones, omnem ſemper a verbis meis offenſionis
„ cauſam abfuiſſe. De rei hujus veritate ad eorum
„ provoco teſtimonium, qui regionem hanc mode-
„ rantur, & quorum libera vox in proximo conci-
„ lio audietur. " Hæc præmonuit Carolus prudenter, quandoquidem intonabant jam perniciosæ voces, quas diſſeminare cœperant Hæreticorum Magiſtri, & poſtmodum in publicam perniciem erumpentes VI. Capite hujus Libri videbimus. Ceterùm non admodum utilis huic regionis parti Caroli adventus fuit ex eo etiam, quod medio ex curſu revocatus Roveredum fuit, ubi plura ad exitum erant perducenda.

(*a*) Nulla ex iis regionibus liberam Sacra omnia obeundi poteſtatem Carolo detulit, præter Meſaucos. Non diſſimulabo, Curienſem Epiſcopum, & Clerum enixis precibus poſtulaſſe, ut in Urbem ſuam veniret Cardinalis; ſed quidam veluti limites poteſtati ſuæ præfiniebantur. Ne ulli maculam imponere videar, expono latinas literas ipſas a Curienſi Epiſcopo datas IX. Cal. Decemb., in quibus Carolo hortanti reſpondit officioſe; ſed per ambages quædam veluti impedimenta objecit.

Cardinalis Illuſtriſſime.

„ LIteris, atque præſentia Celſitudinis Veſtræ Il-
„ luſtriſſimæ nihil mihi hoc tempore accidere
„ potuit gratius; nunciat ſiquidem Cel V. Illuſtriſs.,
„ ſe, Deo bene propitio, in Valle Meſolcina, plu-
„ res jam dies, jucundiſſimo animo, & haud vul-
„ gari fructu curandis rebus ſpiritualibus inſumpſiſ-
„ ſe: quæ res animum quoque meum adeo affecit
„ mirabiliter, quod lætitiam conceptam, nonniſi
„ vivis, & vultu, & verbis (ut brevi futurum
„ ſpero) ſignificare me poſſe veriſſime intelligam.
„ Itaque cum Cel. Veſtram Illuſtriſs. zelo anima-
„ rum adeo vehementer inflammatam, ſuccenſam-
„ que ſciam, ut nullos labores, pericula, mole-
„ ſtias, incommoda nulla refugiat; verum præſen-
„ ti, fortique animo rebus omnibus adſit: inſanus
„ ſim, ſi Cel. Veſtræ Illuſtriſs. operam, induſtriam,
„ & quæ in me nulla propemodum ſunt, conſi-
„ lium, auctoritatemque meam negavero. Video &
„ ipſe, ſi quiſquam alius, qualia illos in alia vita
„ ſupplicia maneant, qui poſthabitâ, neglectâque
„ ovium commiſſarum curâ, ludicris mundi nego-
„ tiis ultro ſe ingerunt; econtra illos, *qui ad ju-*
„ *ſtitiam erudiunt multos, inſtar ſtellarum ad perpe-*
„ *tuas in firmamento ſulſuros æternitates*. Placet mo-
„ do ad ea quoque, quæ Auditor Cel. Veſtræ Il-
„ luſtriſs. verbis expoſuit, paucis reſpondere. Et
„ quod caput eſt: ſi Cel. Veſtra Illuſtriſs. ad Ca-
„ ſtrum generoſiſſimi Comitis ab Altaëmps iter Cu-
„ ria habere velit, ſcio, Cives noſtri Curienſes om-
„ nes Cel. Veſtram Illuſtriſs. maximo honore ex-
„ cipient accedentem, & non minori proſequentur
„ diſcedentem: viſitationem etiam Eccleſiæ meæ
„ minime impedient: Sermonem verò ad populum
„ nullum fieri volent; &, ſi vellent, certe ipſe, qui
„ ſtatum Patriæ, menteſque noſtratum utcumque
„ jam perſpectas habeo, diſſuaderem; rem namque
„ hanc plerique ruſticorum in hac præſertim tem-
„ porum pernicie, novam, & ſeditioni proximam
„ (licet immeritò) ſuſpicarentur tamen; ſed de hac
„ re alias. Clerus meus univerſus Cel. Veſtræ Il-
„ luſtriſs. una mecum amice, obnixeque ſupplicat,
„ quatenus dignetur Diœceſim hanc noſtram inviſe-
„ re; eſſet ſiquidem de plurimis maximi momenti
„ negotiis cum Cel. Veſtra Illuſtriſs. conferendum,
„ quæ literis committi commode non poſſunt. Deus
„ Opt. Max. Cel. Veſtram Illuſtriſs. nobis diu ſer-
„ vet incolumem. Dat. Curiæ in Caſtro meo Epi-
„ ſcopali Idibus Novemb. ad rationem Calendarii
„ veteris Anno MDLXXXIII.

Cel. Veſtræ Illuſtriſs.

Addictiſs. Capellanus
Petrus Epiſcopus Curienſis.

Durum hoc reſponſum Borromeo viſum eſt, & prima fortaſſe cauſa fuit, propter quam ulterius progredi recuſaret, ut expendemus etiam Capite ſequenti. Revera mihi conſtat, in animo Eum habuiſſe ultra procedere; quamquam hiſce literis acceptis, in officii ſpeciem egit gratias, & alia cauſatus progrediendo abſtinuit. Facile id conjicere poteris, ſi Borromei reſponſum attentè expenderis, quod appono.

Epiſcopo Curienſi

Carolus Cardinalis Sanctæ Praxedis.

„ NOveram Amplitudinis Tuæ erga me benevolen-
„ tiam, noveram pietatem, caritatem & Chriſtia-
„ nam; ſed hæc omnia, quaſi præterita harum rerum
„ teſtimonia non ſufficerent, literis etiam proxime
„ ad me datis Amplitudo Tua confirmare voluit, at-
„ que eodem, quo ego, ſpiritualis progreſſus deſiderio
„ ſuccendi ſe ſcribit, mihique ut illius compos ef-
„ ficiar operam, induſtriam, conſilium, auctorita-
„ temque ſuam libenter offert. Quamobrem Am-
„ plitudini Tuæ admodum gratulor, & quod me ad
„ Caſtrum Altaemps proficiſci volentem, non ſolum
„ Amplitudinem Tuam, verùm etiam totam iſtam
„ Civitatem per ſua loca benigne, atque honorifice
„ excepturam eſſe ſignificat. Eidem gratias ago,
„ quin etiam illius pium deſiderium valde commen-
„ do, quo Eccleſiæ, ac Diœceſis ſuæ viſitationem a
„ me expoſcit; Ego vero non renuo tam liberaliter
„ oblatæ humanitatis officia, neque refugio laborem
„ inviſendæ Diœceſis Amplitudinis Tuæ; ejuſque

„ Eccle-

Irrita tamen legatio fuit, ſive graves cauſæ Cardinalem aliò vocabant, ſive in divinæ juſtitiæ conſpectu fœdior eorum defectio fuerat, quam ut tanto munere digni haberentur (*a*).

C A-

„ Eccleſiæ, & Clero omnem in Domino conſola-
„ tionem, omnemque opem afferre maxime cupio.
„ Sed hæc coram præſtare hoc tempore minime poſ-
„ ſum; Res enim hujus Vallis Meſulcinæ longius
„ protractæ ſunt, quam putaram; atque ex iis die-
„ bus, quos inviſendæ Amplitudini Tuæ, & Comi-
„ ti Annibali tribuere cogitabam, multos conſum-
„ pſerunt. Accedunt præterea plurimæ Eccleſiæ meæ
„ occupationes, inter quas potiſſimum jam urget
„ Sanctiſſimi Patris Ambroſii Mediolanenſis Archie-
„ piſcopi, & Patroni ſolemnis dies: urgent ſacræ
„ Ordinationes: urgent Feſta Natalitia, quæ omnia
„ in mea Metropolitana Eccleſia mihi tranſigenda
„ ſunt, cum præſertim duos adhuc dies hìc me com-
„ moraturum credam, dum cauſæ huic maleficarum
„ finis imponatur. Solatio, quod ex mutuo collo-
„ quio, & congreſſu percepturi eramus, privari
„ me doleo; ſed quæ etiam majoris momenti negotia
„ Amplitudini Tuæ mecum pertractanda erant,
„ illa meo iſti Auditori committere tuto poterit, qui
„ referet. Ego vero quodcumque in me eſt vi-
„ rium ad Amplitudinis Tuæ, atque iſtius Eccleſiæ
„ utilitatem, incrementumque adhibebo. Interim ſpe-
„ ro fore, ut diutius atque utilius aliquando illâ
„ mihi perfrui liceat: quod faxit Deus, omneſque
„ noſtras actiones ad ſui Sanctiſſimi Nominis gloriam
„ dirigat, atque Amplitudinem Tuam gratiæ ſuæ
„ theſauris accumulet. Roveredi IV. Calend. De-
„ cemb. MDLXXXIII.

(*a*) Gemina feſtinati reditus cauſa; ea fuit primum, ut inſtitutæ de maleficis quæſtioni extremam apponeret manum, præſertim cum Magiſter ſcelerum exauthorandus eſſet ab Sancto Antiſtite Dominicus Quattrinus. Altera, ut Belitionem contenderet, quo publica Oppidanorum vota Eum evocabant. Sed hanc puto mentem injectam dumtaxat, poſtquam triſtia de perficienda Rhætorum Ciſalpinorum luſtratione reſponſa acceperat. Revera quo die (ſcilicet XVII. Novemb.) Moram ad Epiſcopum miſit, Curiam item ſcripſerat ad Galleſium in hæc verba: „ Nunc tan-
„ dem conſtitui ſub Feriam IV. venturæ hebdomadæ
„ nimirum XXIII. Novembris, Deo adjuvante, proce-
„ dere in Clavennæ Vallem, atque inde in Vultu-
„ renos, ex quibus deinde digreſſus Mediolanum
„ revertar. Hac occaſione gratiſſimum mihi eſſet
„ tuo frui aſpectu, eoque in loco, qui tibi maxi-
„ me arrideret. Quoniam vero huc venit Auditor
„ meus cum Epiſcopo iſto plura acturus, deman-
„ davi præterea, ut te conveniret, & fuſius de hoc
„ itinere meo tecum loqueretur. “ Mutata itaque ocyus conſilia ſunt, poſtquam Epiſcopi reſponſum accepit. Quare Meſaico regreſſus eſt Roveredum die XXVII. Novemb, ut docet in Epiſtolis, & præſertim in Homilia ad ejus populi Oppidum habita, in qua teſtatur, ſe eo reverſum prima Dominici Adventus die juxta Ritum Romanum, quemadmodum ad primam Dominici Adventus diem ex Ambroſiano inſtituto illuc primùm venerat. Quod idem eſt ac dicere: primò Roveredum veniſſe XIII. Novemb., & deinde reverſum XXVII. Ceterùm maximum ubique conceptum eſt gaudium de glorioſiſſima hac Borromei, licet breviſſima, expeditione. Sane voluptatem ſuam Cardinalis etiam impertivit paulo poſt Belitionenſibus, dum pro concione eos alloqueretur, & collectum fructum commemoraret in hæc verba: „ *Ex-*
„ *celſus Dominus de Cælo reſpexit, & humilia a longe*
„ *cognovit*. Per nos illos viſitavit; & ecce ſtatim;
„ quia ad Fidem fere omnes, eorumque præcipui
„ redierunt, & ad Sanctæ Matris Eccleſiæ ſunt ovi-
„ le reducti: deſtructi maleficorum conventus, ſub-
„ verſi Diaboli ludi, ſtrygimagis purgata regio, fre-
„ quentiſſimus ad ſacram Menſam acceſſus, plurima
„ pietatis inſtituta introducta: *mutarunt* denique
„ *Æthiopes pellem ſuam, & candidi facti ſunt Naza-*
„ *rei*.“ Quod etiam non diſſimulavit Valerio paulo poſt ſcribens: „ Quod ad peregrinationem meam,
„ iterque in Rhætos pertinet, non inficior, non-
„ nihil (Dei adjutrice gratia) profectum eſſe; ali-
„ quis certe aditus patefactus eſt ad Jeſu Chriſti no-
„ men illis in locis propagandum, atque illuſtran-
„ dum. Sed præter ceteras difficultates, ea quidem
„ non minima eſt, *quod meſſis quidem multa; opera-*
„ *rii autem pauci*. Qua de cauſa *rogandus eſt Domi-*
„ *nus, ut mittat operarios in vineam ſuam*.“ Neque hìc vacat exponere, quæ amicis ſuis, ac præſertim Cardinali Paleotto per literas ſignificavit; quandoquidem prolixe nimium concepta ſunt, & paulum a Galiardi narratione differunt. Unum innuam Sylvii Antoniani teſtimonium ſcribentis XVII. Decemb. MDLXXXIII. cumulatum Eccleſiæ univerſæ gaudium a Pontifice nova electione Cardinalium, ut patet ex ejuſdem verbis, quæ latine, & fideliter reddo: „ Dum Tu Divinæ caritatis igne ſuccenſus
„ non hyemis, non nivium incommoda refugis;
„ ſed invia quæque, & valles obis venaturus eo ve-
„ nationis genere, de quo Jeremias ſcripſit: *Mittam*
„ *venatores, & venabuntur eos de omni monte, &*
„ *de omni colle, & de cavernis petrarum*: Interim
„ Romæ Sanctiſſimus Pontifex Divino certe afflatu
„ novos *in vineam Domini Operarios* conduxit, mul-
„ tos accenſens Purpuratorum Patrum Collegio,
„ quemadmodum Te jam aliunde monitum exiſti-
„ mo. Quamvis verò ingens Tibi ex hoc Collega-
„ rum delectu lætitiæ ſeges oborta fuerit, puto,
„ intuenti plures excelſo *Candelabro impoſitas luce-*
„ *nas*, ut in *Dei domo* ſplendidius *luceant*; nihilo ta-
„ men minus uberius certe perceperis gaudium,
„ eos tam ſublimi dignitate ornatos cognoſcens,
„ qui cum *intimo* amoris, & obſervantiæ vinculo
„ Tibi hærerent, Tu tamquam filios exoſculabaris
„ tuos, & veluti fidiſſimam virtutis tuæ imaginem
„ ad omnem laudem, atque egregium opus effin-
„ xeras: Valerium ſcilicet, & Lancellottum dico
„ &c.“ Ultimò concludit, ſperans datos hac ratione optimos Eccleſiæ Adminiſtros, qui propoſito Borromei exemplo Dei gloriam unice, & ſublevandas Eccleſiæ neceſſitates ſpectent: Mox agit Deo gratias de tam felici legationis ſuæ exitu, cujus notitia Romam beavit univerſam: Demum vires animi, corporiſque cælitus Carolo implorat, ut felicem ſequatur impetum, & *conſummet curſum, & miniſte-*
rium, quod accepit a Domino.

Digitized by Google

CAPUT V.

Salubriter conſtituta ut confirmet, ad generale Rhætiæ Concilium Bernardinum Moram legatum deſtinat: ipſe interim Belitione, ejuſque in agro ſalutaria multa decernit.

1583. QUo tempore iſta in ciſalpinis Rhætiæ confiniis agebantur, Curiam primariam totius Rhętiæ Urbem Principes Gentis convenerant, acturi de iis, quæ ad reipublicæ ſuæ ſtatum pertinebant (*a*). Æquum proinde Carolo videbatur aliquem ad Concilium mittere, non tam honoris cauſâ, quam ut ea, quæ ad animarum regimen conſtituerat, Magiſtratuum conſenſu, & auctoritate firmaret (*b*). Ex florentiſſimo comitatu Bernardinus Mora ad id munus deligitur, quem non niſi peculiari Divinæ Providentiæ dono, Decembri maxime menſe, ex eo itinere incolumem evaſiſſe, locorum periti facile credent [*c*]. Nix alta lateribus

(*a*) Indictum erat hoc gentis concilium in Urbe Curienſi (indigenæ Pitaccum vocant) exeunte Novembri, atque ad primum Decembris diem ſe coram congregato populo præſentem ſtitit Bernardinus Mora, ut ex Epiſtolis conſtat. Septuaginta circiter in eo ſedebant concilio; advertendum eſt, autem in aliam diem a Rhætis fuiſſe deſtinata hæc Comitia; quia cum apud eos adhuc in uſu eſſet vetus Calendarium, & repudiata Gregoriana emendatio, apud eos dicuntur hæc Comitia paulo poſt Idus Novembris; quandoquidem nondum decem eos dies ademerant anno, quos Summus Pontifex juſſerat expungi.

(*b*) Altius repetendæ videntur hujus Legationis cauſæ, quas ex plurimis literis tandem expiſcari licuit. Atque ut in bono rem lumine collocemus, præmittendum videtur, quibus legibus, & Provinciis Rhætica Reſpublica conſtet. Ea itaque tribus præſertim conjunctis invicem populis conflatur, quos *Tria Fœdera* patrio vocabulo appellant indigenæ. Nomen uni *Fœderis Griſei*, alteri *Domus Dei*, ultimo *Octo Dracturarum*. Præter hos accenſentur Rhætis etiam Ciſalpinæ aliæ Nationes, quarum tamen duplex eſt genus; nam aliæ appellantur *fœderatæ*, quæ legibus ſuis vivunt, ut Meſauci, qui etiam ſub unius Fœderis Griſei patrocinio latent. Aliæ vocantur *ſubditæ*, quæ leges a Republica Rhætorum accipiunt. Atque hujuſmodi ſunt Clavennenſes, & Vultureni. Itaque Carolus fuerat a Meſaucis evocatus, ut aliquod afflictis Religionis, imo etiam Reipublicæ rebus auxilium afferret. Neque recuſavit Cardinalis hanc provinciam ſubire; quandoquidem jure ſuo ad Meſauci poſtulare poterant, neque ullæ videbantur ex hac Caroli legatione ſuſcipiendæ cum Rhætis Hæreticis inimicitiæ. Prudenter quidem texerat Cardinalis conſilium ſuum diſſeminata ea voce, velle ſe per eam vallem ad Caſtrum Altempſianum, ſeu ad Altum-Amiſum contendere, ne audito luſtrationis nomine Tranſalpinorum aures offenderentur. Inde moliebatur primò per Curienſem Urbem illuc procedere; deinde mutato conſilio, ut videmus, cum impervium illud iter appareret, deflectere ad Clavennenſes, & Vulturenos conſtituerat. Jamdiu cum lacrymis hi populi Borromei opem ad ſuas res ſuis implorabant. Sæpius uſque ab Avunculi Pontificis temporibus, cum Romæ verſaretur, invalescentibus Provinciæ illius malis præſto eſſe pro virili ſtuduerat: crebro deſtinaverat Evangelii Præcones indigenas, quoniam duriſſima Rhætorum lege cautum iis in Vallibus erat, ne quis de externis ibidem Sacra obire auderet. Plures mihi venerunt ad manus Clavennenſium præſertim literæ, ſe cum lacrymis ejus tutelæ commendantium; publico autem nomine ſe *Clavennenſes Catholicos* ſubſcribere in iis ſolebant. Quare Borromeus, nunc officiis ſuis, nunc optimis ex ea gente miſſis Concionatoribus, modo Bonhomii luſtratione, modo Alumnis in Seminario aut Collegio, educatis, utcumque labentes eorum res ſuſtentaverat. Verum hoc anno cum affulgeret certior ſpes propter demandatam a Summo Pontifice provinciam ſublevandæ præſentiâ ſuâ perditæ, aut ſaltem perdendæ regionis, jam a menſe Junio, dum aliud cogeretur Curiæ Concilium, patronum Catholicæ Religionis, itemque ſui obſervantiſſimum inter Rhætorum Proceres Galleſium de Monte in ea Urbe Prætorem, ſeu ut incolæ appellant *Landrechter*, ſolicitaverat, ut in Religionis ſubſidium veniret. Hic Hæreticis curantibus, ut ab iis regionibus Carolus prohiberetur, conſtanter obſtiterat, imo curaverat impetrandam venturo in Vulturenos, & Clavennenſes liberam Sacra exercendi poteſtatem. Una dumtaxat dempta facultas fuerat, populi Sacro Chriſmate confirmandi, aut pœnæ Eccleſiaſticis Viris irrogandæ. Verumtamen nullum conſignatum publicis Tabulis extabat de hac impetrata facultate plebiſcitum. Quare nunc cum offenſos Hæreticorum animos præſenſiſſet propter ſuſceptam in Meſaucos expeditionem, Bernardinum Moram Curiam præmiſit, ut exploraret quomodo in ſe animati Rhæti eſſent: deinde ut impetratam jam ſuperioribus Comitiis a Galleſio facultatem ſcriptis exaratam referret: ultimò exponeret, quid hactenus in Meſaucis actum eſſet, & gratias ageret pro humaniſſimis exhibitis officiis ſibi per Curienſem ditionem ad Altum-Amiſum profecturo.

(*c*) Viarum aſperitatem, & pericula Mora deſcribit in literis ſuis, ex quibus patet primò, eum Curiam miſſum a Borromeo fuiſſe, dum Roveredi eſſet die XVIII. Novemb.: ſecundò datum illi comitem Ambroſium Fornerium peritum regionis, & datas præterea commendatitias literas reddendas Abbati Deſertinenſi ejus fratri, aliiſque item Rhætorum Proceribus, præſertim vero Gallorum Regis Oratori in Rhætia N. de Fleury, in cujus officiis ſpei plurimum Carolus collocaverat. Die XX. ſub auroræ diluculum hæc ſcripſit Mora: „ Deo auſpice & du-

„ ce

ribus tenus vias omnes obſtruxerat, & fuit aliquando, cum incertus quò tenderet, aut ubi terrarum eſſet, frigore, & fame ſemianimis vix refovendo corpori neceſſaria inveniret. Inter hæc vitæ diſcrimina Tuſcianam [a] primo, deinde Curiam pervênit. Ibi dato Senatu, nonnulla conciliandis animis apta præfatus mandata, quæ a Carolo habebat, expoſuit [b]. Rogabat in primis, ut Sacrorum Ordinum deſertores,

„ ce heri ad multam noctem veni ad Sancti Bernardini vicum in umbilico Montis ſitum: difficillimam viam obtulere nivibus oppleti calles, adeo, „ ut ſæpius equo deſcendere opus fuerit. Ante externam diem nulla patebat ſemita, cum omnia „ occupaſſet nix ventorum vi ex Montium lateribus in vias disjecta. Utinam reliquum viæ per „ hunc Montem fortunent Superi! Præeuntes jam „ equiſones aliqui faciunt ut ſperem; nam, cum „ iter præverterint meum, notiorem facile præbebunt ſequentibus callem. Ceterùm audio, obſtructum aliquoties ad octiduum iter patêre hyeme „ equitantibus non poſſe. Rari admodum huc penetrant; neque eſt jumentorum copia, quorum „ ungulis aut vi ſive tabeſcere, ſive converri præalta nix queat. Hinc onerat formidinem meam „ præconceptus de reditus mei difficultate timor. „ Ceterum *qui cæpit opus bonum, ipſe perficiet.*“ Die autem poſtero in hæc verba exponit alteram itineris partem antequam in Rheni Vallem deſcenderet: „ Heri cum ſumma Montis teneremus, improviſo coorta vis ingens venti omnia viæ veſtigia turbavit; cumque in deſcenſu vix ſummo „ labore ter aut quater expediviſſemus jumenta ſepulta ferme in nivium cumulis, ea tandem onuſta, ut erant, deſperatione ſolvendi deſernimus, „ ne eadem nos calamitas obrueret. Unum igitur „ ſecuti Deum ducem, tranſverberante oculos nive ac vento, incerti viarum per infinitos errores „ progreſſi ſæpius, & egreſſi, umbilico tenus frequenter merſi & fluctuantes, cum nullam pedibus tellurem premeremus, poſt ſeptem horarum „ ſpatium tandem in Rheni Vallem appulimus. Ibi „ recreavit nos incolarum humanitas, qui ſex obtulere ſtatim adjutores, ut deſerta jumenta redimerentur. Etenim illi reverſi dum nox ingrueret, integra nobis omnia reddidere. Quamobrem „ vitam, quam Deo acceptam refero poſt tot pericula, ſtatui in ejuſdem obſequium alacriter profundere, quoties eam a me inſigni certe beneficio Deus repetat. Hoſpitamur hìc apud primarium gentis Virum, qui me perquam comiter „ excepit, & teſtatus eſt, ſuperioribus diebus indictum horum incolarum Concilium cauſâ adventus tui, quem impatienter expectant: Addidit, „ conſtitutum jam eſſe, ut publico occurſu Te venientem excipiant, imo & viam commodiorem deterſis nivibus præparent: Præterea filium mihi obtulit ſuum in diſciplinam tuam tradendum, „ eumque pollicitus ſum Tibi commendatiſſimum „ fore. Ego tamen nihil certi de tuo itinere retuli, cum iiſdem anxie interrogantibus reſpondem.“ Ultimò narrat: quemadmodum die XXI. ſub veſperum Tuſcianam venerit, ubi item audivit, accepto futuri Caroli adventus nuncio univerſum eum populum conſpiraſſe jam, ut publice obviam procederent: in aliis vero literis aſſerit, ſe ad XXII. diem Curiam perveniſſe.

(a) Cum Mora ad hunc locum veniſſet, narravit factum Gluſſianus, quod allbi erat deſcribendum; quandoquidem Tuſcianam Mora venit ad feriam II., non autem VI.; quare videtur illud contigiſſe trans Meſaucum, antequam Montem, quo ad Rheni Vallem itur, aſcenderet. Affirmavit itaque ille Scriptor, tantâm extitiſſe apud Rhætos Borromei nominis exiſtimationem, ut cum Mora in hoc itinere fuiſſet publico diverſorio exceptus feria VI., & menſæ accumberet cum nonnullis Hæreticis, iſti oblatas a Caupone carnes deguſtare recuſarent, tacti illius reverentiâ, quem Cardinalis Caroli Legatum intellexerant. Cum vero Caupo ipſe familiariter multa de Borromei laudibus diſſereret cum Legato, gloriatus eſt inter cetera, benedictionem ſibi aliquando impertitam a Cardinali fuiſſe. Admiratus Mora tantam in Hæretico homine religionem: *quid tibi hanc*, inquit, *profuturam ſperas hereſeos labè pollutò?* Cui Caupo: *Attamen alias mihi melioremfore puto, ſi iterum dabitur accipere.* Quibus verbis non obſcura dedit animi in Catholicam fidem propenſi indicia, quam certe Sanctiſſimam noverat, quoniam eam tanta cum ſanctitatis fama Carolus profitebatur.

(b) Nihil ab eo in Comitiis eſt actum, antequam populi indolem, & conſilia introſpiceret. Brevem ejus literarum epitomen recito: Scribit „ ſe benevolo animo exceptum a Curienſi Epiſcopo, „ Gallefio, Proceribus, & præſertim a Regis Galliarum Oratore: Videri paratiſſimos univerſos ſibi „ venturo omnem honoris ſignificationem deferre: „ Citius celebratum iri Comitia; ſed timere, ne „ cum triſti reſponſo dimittatur, ſi mentionem aliquam de luſtrandis Eccleſiis injiciat: Hanc etiam „ eſſe amicorum omnium certam opinionem; imo „ non ſuſpicioſum dumtaxat iter ſuum fore, ſed „ exitiale propter nimiam Hæreticorum potentiam, „ & furorem conſultantium: Funeſtum aliquot ante „ annis fuiſſe pluribus par initum conſilium; & „ fruſtra unius Cleri emendandi facultatem poſtulari, de cujus criminibus populares Hæretici „ triumphabant: Obrui metu Catholicorum vocem: „ in Vulturenis vix conceſſum iri litandi veniam: „ præter hoc nihil unquam fuiſſe conceſſum. Poſſe quidem aliquos prehenſari a Galliæ Regis Oratore; ſed officiorum fructum ferme nullum fore: „ In ipſa Epiſcopi Baſilica nullam concionantium vocem audiri licere, & ſermones ad populum habere vix permiſſum eſſe indigenis in Catholicorum villis.“ Hæc Mora præmonuit, qui primùm Curiam advenerat die. Sequentibus autem diebus hæc inſuper adjecit: „ Borromei conſilia „ ingenue a ſe expoſita Galliarum Regis Oratori, „ ex cujus opera ſperare meliora inciperet propter „ eximiam Viri fidem, & religionem. Tentatum jam „ a Novocomenſi Epiſcopo, ut aditum ſibi ad Vulturênos luſtrandos aperiret iis etiam artibus, „ quæ maxime avaræ genti arriderent; verum iritos

„ ritos

res, aliique ejuſdem generis transfugæ totius Rhætiæ finibus arcerentur: deinde, ut Epiſcopo libera viſitandi, corrigendique poteſtas fieret: poſtremò, ut, quoniam nihil auxilii expectari ab indigenis Sacerdotibus poſſet, alienigenis ſaltem ad paſtoralia munia obeunda locus pateret [a]. Quamquam averſi ab Romanæ Eccleſiæ inſtitutis plerique Judicum erant, auditum tamen Caroli nomen effecit, ut omnibus fere

„ ritos cecidiſſe conatus omnes. Suâ quidem ſen-
„ tentiâ expedire potius, ut ipſe Curienſis Epiſco-
„ pus eas Regiones obiret, quas Carolus luſtrare
„ vellet, addito tamen adminiſtro aliquo, qui ſibi
„ opportunior videretur. Quatriduo ante ſancitum
„ in publico Curienſium Concilio fuiſſe, ne quis
„ Sacris intereſſet, pœnâ inſuper in eos conſtitutâ,
„ qui adeſſe vellent. Timere ſe admodum alienos
„ ab Archiepiſcopo indigenarum animos propter
„ habitam Mediolani quæſtionem, & propter hæ-
„ reſeos ſuſpicionem datum in cuſtodiam fratrem
„ Curienſis Epiſcopi. Interim ſe publico abſtinere,
„ & Fornerio uti interprete ad Civium voluntatem
„ explorandam. Præterea auditas eſſe nonnullorum
„ voces minantium, ſe par pari reddituros. Certe
„ Dæmonis artibus importune turbati omnia; ne-
„ que ſe tutum omnino, & expertem periculi in
„ iis Regionibus ſibi videri. Ceterùm animum ad
„ fortiter toleranda omnia non deeſſe. Ratam ha-
„ buiſſe Epiſcopum pronunciatam in Dominicum
„ Quattrinum ſententiam. Demum ſe felicia omnia
„ ſperare, ſi Borromei precibus ſuſtentetur.

(a) Quantum eruere ex dictis licet, neque tanta poſtulare, neque ſperare auſus eſſet Legatus. Adde etiam: vetitum fuiſſe a Borromeo ea petere, quæ non impetranda facile præneſciret. Sane Carolus dum legationem hanc per literas Cardinali Sabello exponit, docet: „ Juſſum a ſe Moram aperire in
„ Rhætorum Comitiis ea dumtaxat, quæ feliciter
„ in Meſaucis peracta erant. Diſſimulare autem ini-
„ tum de Vulturenorum, & Curienſium luſtratione
„ conſilium. Deinde gratias agere congregatis de
„ optima in ſe voluntate: Nunc enim ſatius vide-
„ ri in aliud tempus rejicere iter Curienſe; atque
„ nova oblata occaſione, polliceri ſe libentiſſime
„ ſuſcepturum quidquid ad eorum utilitatem ſpecta-
„ ret. “ Addit deinde in eadem Epiſtola: „ re-
„ ſponſa hæc Rhætorum fuiſſe: liberam ſemper
„ Cardinali per eas regiones tranſeundi poteſtatem
„ fore: Verumtamen quod alias ab eo peti audie-
„ rant de Vulturenis luſtrandis, hanc deliberatio-
„ nem a ſe non pendere, cum ea conſultatio ad
„ ſingula Reipublicæ membra pertineret. Sed Mo-
„ ram hiſce auditis repoſuiſſe: id alienum nunc eſ-
„ ſe a Cardinalis voluntate; & ſi quando tranſire
„ illac deliberaſſet, rem ſibi unice cum Catholicis
„ futuram fuiſſe, ut privatis ſermonibus plura apud
„ eos ſalubria conſtitueret. “ Clarius tamen conſtabat univerſa ex literis, quas Legato ſuo miſit, antequam Concilium ingrederetur. Hæc itaque Roveredi degens præmonuit Carolus V. & IV. Calend. Decemb. „ Legi quæ caute monuiſti de ancipiti ad-
„ modum initi conſilii exitu. Idcirco literas mitto
„ offerendas Curienſi Epiſcopo, in quibus mutatam
„ meam ſententiam expono. Ages illi verbis meis
„ gratias propter ſuum in luſtratione tentanda ſtu-
„ dium, atque ſignificabis conceptum dolorem meum
„ ex intercepto itinere, quod ſane rebus ſuis ſum-
„ mo adjumento fore ſperabam. Cauſaberis appro-
„ pinquantes Natales Chriſti Domini Ferias, & in-
„ ſtantem præſertim ſacrum Patrono Eccleſiæ meæ
„ Ambroſio diem, ad quem neceſſarium videtur
„ me adeſſe Mediolani. Aſpera inſuper tempeſtas,
„ Cæli, & viarum injuriæ diuturniorem opinione
„ mea injicerent moram, ut video; præſertim cum
„ alterum adhuc diem hic verſari me opus ſit, ut
„ omnia, quæ ad maleficarum cauſam ſpectant, ex-
„ pediam. Hac defunctus cura Belitionem conten-
„ dam, quò evocavit me Oppidi Prætor, imo po-
„ puli univerſi vota, cum Oppidani omnes me im-
„ patienter expectent, & luſtrationem enixe depo-
„ ſcant. Iiſdem de cauſis video nullam mihi ſu-
„ ſcipiendi in Clavennenſes, & Vulturenos itineris
„ facultatem fore; idcirco omitte, comparare no-
„ bis ea libertatis adminicula, qua uti me, & meos
„ in ea Provincia oporteret. Euchariſticas meas
„ accipies ad Gallorum Oratorem literas, quem
„ etiam ad tuendam in poſterum hanc cauſam in-
„ flammabis, miſeris iis regionibus ſalutarem futu-
„ ram. Ceterùm noli ullum prehenſare in hiſce
„ Comitiis, propter periculum, ne cum triſti dimit-
„ taris reſponſo, quemadmodum præſentis. Etenim
„ præſtat integris rebus expeditionem hanc alias ten-
„ tare, quàm deinde perditis rebus remedium afferre;
„ nam cum dicas, ingentem eſſe in Comitiis Hære-
„ ticorum numerum, ſi hunc lapidem moveremus,
„ poſſet præſens rerum ſtatus in Meſaucis turbari,
„ & adimi ſpes omnis fructus alias in Vulturenis
„ colligendi.

„ Quod addis: timide iſthic agi etiam a Catholicis
„ Proceribus, vera narras; atque hanc prudenter
„ iniri viam ſcio a Galleſio, ut eum, quem obtinet,
„ auctoritatis gradum minus periculoſe, & ſalubrius
„ retineat. Verum falſa omnino jactant, qui dicunt,
„ elapſis Comitiis vetitum me fuiſſe, ſi iviſſem in
„ Vulturenos, omni ſacro miniſterio palam uti,
„ Sacrificio excepto; nam licet eo tempore hære-
„ tici acriter obſtreperent; edictum tamen eſt, ut
„ libera mihi omnia permitterentur; atque una in-
„ tercepta poteſtas confirmandorum Fidelium, qui
„ ſacro Chriſmate muniti cuperent, atque Cleri
„ mulctandi. Quamquam in publicas Tabulas de-
„ inde relatum non fuit hoc plebiſcitum .....
„ Hoc unum doleo, uſurpatum licenter nimis invi-
„ dioſum hoc luſtrationis nomen; Hoc enim dum-
„ taxat poſtulandum erat, ut obire Sacra cum ad-
„ miniſtris poſſem, & conciones habere; nam ſi
„ confirmari Chriſmate Catholicos vetuiſſent, feren-
„ dum facile hoc Decretum videretur. Animadver-
„ te dumtaxat, monendum eſſe Galleſium, ut ſi hu-
„ juſmodi facultas impetretur, curet referendum in
„ Acta ſumptibus meis hoc plebiſcitum; nam quam-
„ vis mihi hoc beneficio uti non liceat per hæc
„ tempora; tamen firmum idem, ratumque habe-
„ retur Decretum, quando eam luſtrationem aggre-
„ di ſtatuerem. Quod ultimò meminiſti: poſſe ad
„ eas

Digitized by Google

fere poſtulatis annuerent [a]. Id unum mordicus tenuere, ne quis, niſi Rhætici, aut Helvetici nominis intra Reipublicæ ſuæ terminos Sacra exerceret. Cum his reſponſis a Concilio dimiſſus Epiſcopum adiit [b], literas ei, quas a Carolo acceperat, traditurus. Multa iis literis inerant ſevere, & graviter dicta, quibus arguebatur, quod adeo fœdam Gregis ſui cladem ex Alpium ſuarum vertice, quietus ipſe, ac veluti per otium aſpiceret. Perſpicua eſſe Chriſti Domini verba, Paſtoris ſcilicet nomine dignum non eſſe, qui mortem ipſam, nedum incommoda, & labores ſubire pro ovibus recuſaret. Repeteret proinde animo dignitatem nominis ſui, nec ſatis conſultum ſaluti ſuæ crederet, niſi diligentius alienæ proſpiceret [c].

Antequam Curienſis Concilii reſponſa legatus referret jam Cardinalis Belitionem deſcenderat, non tam ut Populi deſideriis ſatisfaceret [d], quam ut ejus neceſſitatibus ſubveniret. Oppidum eſt modico ab Alpium radicibus intervallo. Ticino flumini imminens, Mediolanenſis olim Provinciæ, nunc pars Helvetici dominatus, adeo variæ, ſicut aliarum rerum, ita &

„ eas regiones luſtrandas legari Curienſem Epiſco-
„ pum; id nequaquam probo, niſi fortaſſe ille mihi
„ daretur comes, & concederetur optata in Sacris
„ adminiſtrandis libertas. Quare noli quidpiam ul-
„ terius de hoc agere &c.

Non itaque videtur credibile, Legatum tot inſtructum monitis, & concitatæ tempeſtatis conſcium in iis Comitiis potuiſſe ea petere, quæ Gluſſianus narrat. Certe etiam ſi hæc poſtulaſſet, nihil impetravit, ut videbimus pag. 718. nota (d) & ſeq.

(a) Tenemus liquidò exitum legationis, & Rhætorum reſponſum ex literis Petri Curienſis Epiſcopi, ex quibus cognoſcimus: non ſolum nihil novi impetratum, verum etiam antiquatum fuiſſe quidquid in Meſaucis actum fuerat. Eas hic fideliter ſubjicimus; quamquam ſcio, nonnulla in iis poſſe a Grammaticis notari: ſed alienæ exponenti facilis erit venia.

„ Quod juſtæ petitioni Celſitudinis Veſtræ Illuſtriſ-
„ ſimæ per Nuncium Ejus Dominum Bernardinum
„ factæ, in omnibus reſpondere (prout decuiſſet)
„ non poſſum, a me non ſtetiſſe, Deum Omnipo-
„ tentem, qui eſt ſcrutator cordium, teſtor; nam
„ quibus ſubinde periculis, & anguſtiis in tanta re-
„ rum viciſſitudine, hiſce iniquis tempeſtatibus, &
„ perverſo rerum Eccleſiaſticarum ſtatu ſim expo-
„ ſitus, novit, & expertus eſt idem Dominus Ber-
„ nardinus; Facta enim ab ipſo nomine Cel. Veſtræ
„ Illuſtriſſ. coram Senatu Rhætorum plane benigna
„ ſalutatione, & promptiſſima explanatione, inſtabant
„ equidem boni, & Catholici eam integre admitti; e
„ contra novum ſchiſma ſectantes in nos fulgurabant.
„ Sic inter malleum, & incudem conſtitutus,
„ tandem major pars in deliberando meliorem vin-
„ cit. Per Senatus Conſultum conceditur Cel. Ve-
„ ſtræ Illuſtriſſ. cum ſuo comitatu liberos tranſ-
„ itus per hanc noſtram Regionem: mandatur e-
„ tiam, uti Primates eamdem Cel. Veſtram Illu-
„ ſtriſſ. ſummo, & digno honore excipiant, & proſe-
„ quantur. Reliqua in præfati Domini Bernardini
„ enarratione contenta reſcinduntur, prout Cel. Ve-
„ ſtra Illuſtriſſ. latius de iis, atque aliis omnibus hinc
„ inde agitatis, nec non de multis Eccleſiæ meæ
„ ærumnis a dicto Domino Bernardino informabi-
„ tur &c.

(b) Semper cum Epiſcopo, atque in ejuſdem ædibus verſatus eſt Mora, antequam in Comitia introduceretur. Idemmet ſcribit, ſe caute admodum per plures dies in publicum conſpectum non veniſſe, & in Arce, ſeu Epiſcopali Palatio collatis capitibus cum eodem Epiſcopo, Galleſio, & Gallorum Oratore deliberaſſe de iis, quæ in Concilio eſſent aperienda.

(c) Equidem non inficias iverim, voluiſſe facile Epiſcopi ſtudia per literas acuere Borromeum, ut Religioni conſuleret. Imo ex ipſo Curienſis reſponſo ſuperius expoſito, videtur Carolus æterna illi minatus ſupplicia, ſi commiſſarum ſibi ovium curam neglexiſſet. Verumtamen fateor ignotas mihi hactenus has literas, quas licet æternitati conſecrandas, fatalis fortaſſe caſus aliquis eripuit. Hoc certe ſcio, in aliis ad eumdem datis Epiſtolis, ex quibus unam paulo ante citavimus, mitiore uſum ſtylo Cardinalem fuiſſe. Ceterùm tanta moderatio videtur prudentiæ Caroli laus fuiſſe; non enim diſſimulabo lectas a me in aliis Borromei Epiſtolis ad amicos datis aliquas de hujus Epiſcopi aut metu, aut diſſimulatione querimonias. Unum offero teſtimonium, literas ſcilicet, quas ad Bonhomium dedit anno MDLXXXIV. poſtridie Idus Septembris: „ Hæret
„ menti maxima de Curienſis Epiſcopi animo, & conſi-
„ liis dubitatio. Etenim frequentium literarum occa-
„ ſionem obtuli ſæpius, atque invitavi, ut ſaltem
„ mecum colloqui vellet, quando ex ſuis regioni-
„ bus facilis ad me tranſitus eſſet: Verum ille
„ etiam cum ferme teneretur, ſemper mihi elapſus
„ eſt veluti de manibus, & quamcumque ſalutarem
„ ſermonis mei utilitatem vitavit. Nihilominus me-
„ ditor iterum eas regiones verſus divertere, & aper-
„ te ad me evocare; atque ſi alloquendi illius mihi
„ copia dabitur, muneri certe meo non deero,
„ & de iis commonebo, quæ neceſſaria illius tem-
„ poribus videbuntur “. Adde hoc etiam, quod ad Specianum ſcripſit, dum in Meſaucis eſſet, ſcilicet: „ ſe nihil impedimenti timere, niſi a Curienſi Epi-
„ ſcopo, quem certe cognoſcebat animum habere
„ ab hac luſtratione alienum.

(d) Conſtat Carolum huc evocatum fuiſſe officioſis Oppidanorum, & Prætoris precibus; quemadmodum Ipſemet ſuperius declaravit in literis ad Moram datis, ubi cauſas expoſuit, propter quas Curiam progredi non poſſet.

Digitized by Google

& Imperiorum viciſſitudines ſunt. Sacrorum tamen cura Novocomenſi Epiſcopo manſit, quin & divino beneficio evenerat, *ut* in ea Hæreſum contagione, quæ tot Helvetiæ loca pervaſerat, intactam ab omni labe fidem Oppidani ſervarent. Verum ita in animis prævaluerant prava finitimorum exempla, ut ab Fidei ſanctitate cómmunis vitæ ratio penitus diſſentiret. Adveniens certe Carolus [*a*] eadem pene vitia reperit, quæ in Meſolcinis invenerat, inceſtos ſub nomine Matrimonii concubitus, peſſumdata Eccleſiæ jura, fœnerandi æſtus, quæſita malis artibus Sacerdotia, quæque alia voluptatum, divitiarumque libidinem ſequi ſolent. Paribus igitur morbis paria remedia adhibita, par in concionibus ardor, par erga omnes humanitas, erga inopes munificentia, erga ſe ipſum ſeveritas, nec ulla pœnarum mentio, niſi cum pervicacia peccandi locum omnem clementiæ tolleret (*b*). Memor deinde quantam vim ad formandos hominum mores pueritiæ cultus habeat, perpetuum vectigal Magiſtro conſtituit, a quo literarum, & Chriſtianæ vitæ inſtituta tenera illa, & in utramque partem flecti æque facilis ætas acciperet (*c*). Eodem auxilio

(*a*) Huc venit exeunte Novembri, antequam in Meſaucis extremo ſupplicio afficerentur maleficæ. Quamvis vero paucos ibidem dies ſubſiſtere cogitaret, diuturniorem tamen trahere coactus eſt moram, ut inveteratis occurreret malis. Habemus hoc ex Homiliis, quas ibidem habuit; nam, cum ad populum verba illic faceret die IV. Decemb. in ſermonis exordio affirmavit: *adeſſe jam viſitationis finem*. Verumtamen in alia, quam habuit die VII., aperte declaravit, ſe *propter eorum viſitationem complendam Mediolanum ire neglexiſſe*. Revera cum in eam diem incideret de more S. Ambroſii ſolemnitas, Oppidanos effuſe laudavit, quod ſibi gratificaturi diem illum vacuum operis, ac ſolemnem celebrarent, licet in Mediolanenſi provincia non comprehendentur. In quod ejuſdem Homiliam conſule. Ceterùm ex literis comperio, illum eo in Oppido conſtitiſſe uſque ad diem XV. Decembris.

(*b*) Triennio ante Legatus ad eam regionem luſtrandam fuerat Bonhomius, qui tamen inveteratam in iis peccandi licentiam vix compreſſerat; Caroli nimirum ſanctitati reſervabatur hoc decus, ut funditus illam deleret. Video Eum præcipuam operam collocaſſe in tuendo Eccleſiaſtico jure, quod facile admodum in iis Helvetiorum regionibus imminuebatur. Eos accendit incolas vehementiſſime ad ſacræ poteſtatis reverentiam, propoſito S. Ambroſii exemplo in hæc verba: „ Quod ſi loco, quem in „ Sacris obeundis muneribus Sacerdotes occupent, „ tanta debeatur reverentia, quantam ab Imperatore potentiſſimo adhiberi voluit Ambroſius, quàm „ ſedulo ipſos Dei Miniſtros revereri opus erit; Quis „ eos ad ſeculare Forum præſumet attrahere? Quis „ ſuadente Diabolo violentas in illos manus audebit injicere? Vere ipſorum dignitas, atque auctoritas omni eſt veneratione colenda; ſolet quippe Dominus Deus, qui ſe illorum Patrem dicit, „ acerrimus eſſe vindex eorumdem libertatis, acerbiſſimè quandoque illatas illis injurias ulciſcens. „ *Iratus Oziæ tenens in manu thuribulum, ut adoleret „ incenſum, minabatur Sacerdotibus; ſtatimque orta eſt „ lepra in fronte ejus &c.* Cavete igitur filii, cujuſcumque gradus, aut officii eſtis: Caveant Magiſtratus: Dei pupilli ſunt Sacerdotes: Qui tetigerit eos, oculi Dei tanget pupillam. Divinam „ ultionem pertimeſcite. " Verum curavit etiam, ne ulla ex parte Clerus laboraret, amotis ſcilicet inde Sacerdotibus, quorum mores male audirent. Imo cum anno inſequente ad Idus Januarias accepiſſet nobilis cujuſdam Urantenſis literas orantis, ut Belitionenſibus redderet Canonicum quemdam, quem Cardinalis Mediolanum duxerat, conſtanter Ille, prudenterque ſic reſpondit: „ Belitionenſem „ Canonicum dum Mediolanum ducerem, ejuſdem „ præſertim utilitatem ſpectavi; nam in hac Urbe „ facilius vacare literis poterit, ubi optimos Inſti„ tutores dabo, atque inſuper facile imbui Eccleſia„ ſtico homine dignis; præterquamquod aliæ ſub„ ſunt conſilio meo cauſæ, propter quas illum Be„ litione verſari adhuc non expediebat, ut honori „ conſultum eſſet ſuo; neque enim omnia ulterius „ indaganda videntur &c. " Reliqua autem, quæ ſalubriter in illud Oppidum induxit Carolus inſtituta, extant in Homiliis ibidem habitis, neque hic referre vacat. Certe uberrimum ibidem fructum tulit, præſertim ex Decretis, quæ Mediolanum veniens ſtatim juſſit in ordinem redigi, & poſtridie Nonas Januarii pollicitus ejus loci Archipresbytero ſcribens, digeſta ea omnia ocyus in promptu fore. Acceptiſſimus inſuper Helvetiis omnibus fuit ſuſceptus hic pro Belitionenſibus a Borromeo labor, atque Uranienſibus præſertim, qui maximas ſe habere hoc nomine gratias publice profeſſi ſunt; quare Amani, ut vocant, Tannerii officioſis Epiſtoſis ſic reſpondit: „ Magnæ mihi voluptati eſt, acceptam „ fuiſſe iſtis Proceribus meam, quam Belitione per„ feci luſtrationem. Id ego, cum eam regionem „ obirem, ſpectavi maxime, quemadmodum etiam „ curabo ſemper, ut gratam Uranienſibus operam „ collocarem iis in rebus, quæ tamen neque de„ bitum Deo honorem detrahant, neque animarum „ utilitatem impediant.

(*c*) Quàm efficaciter ſuaderet amplectendum id conſilii pro recte inſtituendis pueris, audi Eum in Homilia ad illos habita vehementius hortantem: „ Jam nos, Deo dante, invigilamus, ut media inve„ niamus, unde Magiſtros, quos vobis dare diſpo„ nimus, alere poſſitis. Sed eſto: Nulla ob id implen„ dum ſuppetat ratio; nonne cibis veſtris, victui „ veſtro, & corpori pars eſſet demenda, ac veſtris „ etiam

Digitized by Google

lio consulere Mesolcinorum ingeniis parabat, assignato Præceptoribus Palatio, ex quo olim Trivultii Principes jura reddebant, nisi immatura mors his, aliisque pulcherrimarum rerum initiis interveniſſet (*a*).

CAPUT VI.

Concitatis seditiosorum turbis Rhæti decreta omnia refigere conantur. Tantam tempestatem Carolus, intercedentibus piis Helvetiorum officiis, sedat; iterum deinde commoti fluctus suorum constantia, & sanctitate componuntur.

HÆc tot impensis, laboribus, consiliis constituta paucorum hominum nequitia pene subvertit. Hæreticorum magistri, quorum omnis ex aliena cæcitate auctoritas est, cum errorum tenebras paulatim discuti ex Populorum oculis Caroli opera, & studio viderent, ultimum rebus suis adesse excidium credidere, nisi vias omnes

„ etiam necessitatibus quidpiam subtrahendum, quo iis „ provideretur, quibus profecto magis opus habetis, „ quàm ulla re alia? Indignissimi Patrum & Matrum „ nomine, qui & viventes, & decedentes Filios suos „ Christo commendare non student. " Itaque dedit Belitionensibus adolescentibus Institutorem optimum Lazarum de Christianis, qui ab eodem Novocomum præmissus, ut ab ejus Urbis Episcopo veniam acciperet, & coram eo conceptis verbis Fidem Catholicam profiteretur, postmodum de commissorum sibi puerorum progressionibus frequentissime Carolum commonere consuevit, & ab absente salutaria monita postulare, ut cœptum opus in ejus loci utilitatem verteret.

(*a*) Non importuna dumtaxat mors, sed consecuta paulo post Rhætorum seditio gloriam cœptæ feliciter rei invidit Carolo, & regioni illi utilitatem perfectæ ademit; nulla enim ex parte, quoad vixit, suam desiderari operam passus est Borromeus pro hoc firmando Collegio. Primò cum ad Summi Pontificis confugisset auxilium, CD. aureos ex Pontificio ærario retulit, opportunum certe subsidium liberalitati suæ, quam in ea expeditione exhauserat. Deinde ab eodem Gregorio postulaverat enixe, ut Præceptoriæ cujusdam Canturiensis reditus in ejusdem Collegii usum cederent; jamque fidem in hoc obligaverat suam Pontifex victus hac Borromei ratione: præstare nimirum, ut Collegii illius reditus in agro Mediolanensi essent, ne si in Rhætorum potestate forent, omnia pro eorum arbitrio distraherentur. Imo optaverat jam a Cardinali Altempsio Sacerdotium aliud ad corroboranda nascentis Lycæi illius initia. Verùm cum post bimestre circiter spatium ex Curiensium Decreto edictum esset, ut Societatis Jesu Patres, quibus ejusdem regendi demandata erat Provincia, se Curiæ coram Episcopo sisterent; licet paulo post inde dimissi incolumes fuerint, remissa tamen sunt aliquantulum operis urgendi studia, atque minus aperte res visa est procedere ad offensionem minuendam. Sic pedetentim consumpto anno insequente inter consultationes, & officia undique ad mitigandos, aut vincendos Curienses admota, interveniens deinde Caroli mors utilissimum consilium oppressit. Ceterùm quantum florerent ejus Collegii initia audiamus ex P. Carolo Societatis Jesu, scribente die XVIII. Decembris in hæc verba: „ Pater Ambrosius (Morescus) ludum jam pueris „ aperuit in amplis, & percommodis ædibus, & „ sperat præterea multos ex iis, qui Christo nomen „ nuper dedere, facile ad se confluxuros. Audio, „ ex Mesaucis dumtaxat centum admodum Disci„ pulorum summam esse conflatam; jamque ex con„ terminis vallibus plures ad eamdem disciplinam ad„ spirare. Tibi subinde mittemus nomenclaturam „ omnium; interim recreant me Alumni isti sum„ ma morum facilitate, obedientia, atque ingenii „ acie præditi &c.

Jamvero juvat prosequi Carolum Belitione digressum, ut novum pastoralis Ejus curæ argumentum teneamus. Itaque cum ad Verbanum perveniſſet, Asconam navigavit, ubi quid egerit, Speciano exposuit die XXIX. Decembris cum Mediolani degeret: „ Ab legatione mea regrediens Asconam diverti obi„ ter. Inii possessionem ædis ad Seminarium sta„ tuendum designatæ, imo Seminarium ipsum rite „ erexi. Unum supereſt, ut illuc Sacerdotem, & „ Ludimagistrum mittam, ut supremæ Pancaldi vo„ luntati paream. Interim ædificatur strenue, atque „ aptæ ad Alumnorum contubernium ædes excita„ tur." Advertendum est enim, quod cum destinatus a Papio locus Carolo non arrideret, ut superius explicavimus, postulatæ a Carolo fuerant Pontificiæ literæ, quibus antiquaretur sancita ab eodem lex, ut in suo Palatio Seminarium excitaretur, & in opportuniorem transferretur locum. Nunc itaque cum opportuna munitus potestate Borromeus esset, ut ea perficeret, quæ expedire in rem viderentur, manum operi admovit. Accesserat autem novum pecuniæ subsidium, propter Laurentii Pancaldi interitum. Hic anno superiore Asconam cum Carolo contenderat, & viderat ineptum admodum destinatum a Papio Seminario locum. Cum vero paulo post Romam rediisset ad exigendas pecunias ab eodem Papio relictas, ibidem diem supremum obierat Sextili hujus anni mense; cumque ingenti flagraret Seminarii perficiendi in Patriæ commodum desiderio, moriens legavit duo aureorum millia in idem opus, adjecta tamen conditione: *Si, & in eventum, in quem, & quatenus dictum Seminarium cum beneplacito S. D. N. Papæ ad S. Mariam erigatur, & intra tempus duorum annorum extruatur.* Gratum fuit novum hoc subsidium Carolo, licet minus fuisset expectatione Speciani, qui scripsit: Pancaldum sua omnia ei Seminario legaturum fuisse, nisi domestici admoviſſent importunas morienti preces. Itaque re intellecta Cardinalis superioribus men-

omnes ulterioribus ejus officiis intercluderent. Concilio itaque inter se inito, Curiam caput reipublicæ convolant, perdita omnia Magistratibus nunciantes, nisi in Mesolcinos memorabili aliquo severitatis exemplo animadvertant (*a*). Quod enim gravius flagitium ab ipsis perpetrari potuisse, quam ut inconsultis iis, quorum imperio reguntur, exterum Cardinalem, & cum eo Fidei Quæsitorem admitterent, qui inusitatis contra quam Rhætiæ leges ferant de religione judiciis, incendiisque humanorum corporum omnia nominis sui terrore repleverit (*b*). Majorem proinde curam tutandis Rhætiæ confiniis intenderent, atque in primis caverent, ne ejusmodi Visitatoribus Hispano nomini addictis plus nimio faventes Galliarum Regem ab inito jampridem fœdere alienarent (*c*). Hæc in curia, hæc in foro vociferantes multorum jam animos concitaverant, & plures insuper amicos in Senatu habebant, quorum ingentem numerum licentioris vitæ laudatores facile inveniunt. Ita simul minitando, simul orando tenuere, ut primores Mesolcinorum, quibus ipsi perduellionis crimen affinxerant, ad Tribunal citati in carcerem truderentur (*d*). Nec vero in hoc pro-

mensibus Petrum Franciscum Cattaneum in Mediolanensi S. Nazarii Basiliça Canonicum, qui aliis de causis Romam erat iturus, jusserat suscipere hanc curam, ut pecunias a Papio, & Pancaldo legatas exigeret: Negotium hoc præterea Hyppolito Aldobrandino Cameræ Apostolicæ Auditori enixe commendaverat, atque ad Ascouenses literas dederat amoris plenas, quibus paternam omnem solicitudinem, atque opem suam spoponderat. Nunc tandem, ut fides promissis staret, quantocyus potuit ædificium inchoari se præsente voluit; quare Asconenses deinde tot victi benevoli animi significationibus, totos se Ejus arbitrio regendos permiserunt, id unum orantes, ne Filios suos in Religioni cujusdam Ordinis disciplinam traderet.

(*a*) Qui Curiam convolavere, ii quidem ex more ad Gentis concilium venêre, quod indictum fuerat. Attamen, cum parvi momenti agendæ res essent, plures abstinuere. Septuaginta admodum in eo conveniisse scribit Mora, qui universi ferme erant ex hæreticis; cum maxime illos ad conveniendum urgeret firmatum inter se fœdus, ut salubriter a Carolo institura convellerent.

(*b*) Falsa tamen jactabant, cum Mesauci essent ex iis, qui patriis legibus vivunt, & fœderati dumtaxat Rhætorum dicuntur, non subditi.

(*c*) Hoc unum vere dicebant; nam per id tempus importune transmissa ad annuas pensiones de more solvendas Rhætis fuerat ex Gallia ad Henrici Regis Oratorem ingens auri summa. Hinc timebant, ne pecuniæ, cui inhiabant, parte fraudarentur. Sed de his clarius paulo post.

(*d*) Primò ab iis impetratum in comitiis est, ne rata haberentur Caroli acta, ut ex ultima, quam exposuimus, Curiensis epistola facile constat; *In ea* enim dicuntur, antiquata esse omnia, quæ continebantur in Moræ enarratione; Jussus autem fuerat Mora, agere gratias Rhætis, & exponere, quæ Cardinalis in Mesaucis egisset, ut fusius supra persecuti sumus. Secundò sævitum etiam in corpora fuit. Nam ad diem XVIII. Decembris Roveredo hæc scripsit P. Carolus: „ Apparitore huc superioribus diebus a Grisеis misso imperatum fuit XXX. „ hominibus, & Vallis Consulibus, ut ad Idus hujus mensis se coram Prætore sisterent in oppido, „ quod Jant nuncupant. Vallis tamen Primores inter se convenere, ut IV. dumtaxat mitterentur, „ scilicet Ministralis Joannes Baptista Saccus, Ministralis Joannes Carlettus, Locumtenens Sebastianus Fosoconus ex oppido Mesauco, & Antonius de Cam, qui tamen nondum ad nos hactenus rediere. Interea etiam Fœderati ex *Domo Dei*, & *Octo Districturis* geminos item apparitores huc misêre, jubentes, ocyus rationem reddi a „ Ministralibus, aliisque XII., quos nominatim citavere, eorum, quæ hic acta essent. Innuêre, „ eos reos esse læsæ Reipublicæ propter evocatum „ huc Cardinalem; præsertim vero Joannem Baptistam Saccum crimine teneri, quòd Mediolanum venerit ad Eumdem invitandum, & auctor „ fuerit excitandi Collegii nostri; dicunt enim, „ indictum jamdiu Societatis Jesu Patribus esse publico edicto exilium a Rhætorum ditione. Respondsum est: eos jam Griseorum subiisse judicium, & statim Patriæ redditos, eorum dicto obedientes fore. " Paulo post tamen auditum est, eos in custodiam datos esse; sed ea captivitas illis, & Mesaucis saluti fuit. Nam ocyus Carolus datis efficacissimis literis ad Gallesium de Monte, & Helvetios Catholicos, omnem lapidem movit, ut illi citius e custodia dimitterentur. Neque id difficulter admodum impetratum, cum Helvetii, & Gallesius artificiose Rhætos monuissent: Caverent quid de Mesaucis statuerent; Fœderatos enim eos esse, non subditos: Posse eorum animos a Curiensibus facilius, quam a Religione alienari; quod si evenisset, paratum illis semper patêre Helvetiorum perfugium, qui Rhætis procul dubio potentiores essent. Sic demum victi metu Rhæti satius duxere dissimulare sectæ suæ Impositam, ut ipsi dicebant, injuriam, ne quid de ditione sibi detraherent. Et sane devorare hanc molestiam coacti Hæretici sunt, licet affictæ Mesaucis indignæ calumniæ forent, quæ si veræ fuissent, non leve in eos incommodum redundasset. Producti siquidem falsi in eos testes fuerant, qui affirmarent: Eorum Primores consilium agitasse de ineundo fœdere cum Hispaniarum Rege. Addiderant: Belitione contulisse capita ad id perficiendum cum P. Achille Galiardo. Atque ad id confirmandum, emptum pecunia fuerat testimonium cujus-

Digitized by Google

prospero fraudum suarum successu nequissimorum hominum ira conquievit. Acrius bellum exarsit, ubi non modo Mesolcinos Caroli patrocinio pristinæ libertati restitutos, verum etiam in subditas Rhætiæ Regiones missos ab eo Sacerdotes accepere, qui nutantem inter tot sectarum mendacia Populi fidem sustinerent (*a*). Tunc enim

---

cujusdam Hieronymi de Burgis, qui asseverabat prehensatum se idcirco fuisse a Patre Galiardo. Improbissimæ istæ calumniantium voces obrutæ Cardinalis operâ sunt, qui ad Stuppanum scripsit, ut curaret palinodiam Hieronymi, & impium ab eo dictum retractandum. Sic absterſa omnis ferme suspicio fuit, quæ tamen hæsit adhuc aliquantulum Gallici Oratoris animo, qui exinde cautius agere, & minus strenue tueri Mesaucorum partes studuit. Itaque liberati vinculis sunt captivi Mesauci paulo post Idus Januarias; atque exinde per bimestre spatium tranquillitas rerum major fuit. Verùm paulo post evocati Curiam sunt, qui Sacra in Mesaucis curabant, inter quos PP. Joannes Constantius, & Ambrosius Morescus ex Societate Jesu. Hi tamen scripsere, utile potius Religioni Orthodoxæ fuisse hoc suum Curiam versus iter; quare Carolus accepto eorum reditus felici nuncio in hæc verba rescripsit P. Constantio XXVII. Aprilis: „ Magnæ „ mihi voluptati fuerunt literæ tuæ docentes, isthuc „ te incolumem cum sociis rediisse. Atque voluptatem certe auxerunt ea, quæ subdidisti: maximæ „ scilicet utilitati fore eam, quæ per viam oblata „ est, novi referendi fructus opportunitatem. Utinam Deus tam pia consoletur vota, & nostrâ uti „ dignetur operâ ad nominis sui gloriam, animarumque utilitatem augendam! Spero Deum Opt. „ Max. certe nobis præsto fore, ut enixe quotidie „ obsecro, teque etiam postulare scio; Quare hortor, ut cœptum sequaris impetum, & ardorem, „ quo flagras, acrius inflammes, nullo omisso „ unquam labore, quem isti regioni fructuosum „ speres. Non hæc eò dico, quò stimulum addam „ sponte currenti; sed ne muneri desim meo. „ Deus interim vires augeat tuas, & precibus in„ dulgeat, quibus me etiam commendatum volo." Neque hìc justa laus detrahenda est Præposito Curiensi, cujus præsertim operâ effectum est, ut liberi illi Patres in Mesaucos remitterentur, ut docuit Carolus hæc scribens: „ Mihi vero rem gra„ tam fecit Dominatio Tua duos illos Religiosos „ Viros, quod ad illam attinebat, expeditos, ad „ opus spirituale in Valle Mesolcina exercendum „ quamprimum remittens, quemadmodum ego ex „ Dominationis T., & ipsorum literis accepi. Reliquum est, ut eadem, cum Reverendissimus „ Episcopus Curiensis reversus fuerit, integram alio„ rum etiam expeditionem procuret; Id enim erit „ mihi tam gratum, quam quod gratissimum, ut „ in vinea Domini nostri Jesu Christi, omni sublato impedimento, liberius, & alacrius elaborare „ possint, & *seminent, & metant, in exultatione portantes manipulos suos*, sicut huc usque Divina fa„ vente elementia illis concessum est. Bene valeat „ in Domino." Sic sedata tandem illa tempestas est; & tanta semper in ea Valle Religionis tuendæ studia viguere, ut incredibile dictu sit. Abundant monumenta nostra infinitis Mesaucorum pietatis testimoniis, quæ aliquando spero edenda in lucem, ut certo constet, nihil a Carolo susceptum, quod perpetuum etiam non fuerit. Unum dumtaxat affero a Borromeo ipso exhibitum Cardinali Sabello, quod hìc expono: „ Quo magis Curienses a *Prædicantibus* inflammati tentant vexare Vallis hujus inco„ las, & uberrimum ex iis perceptum fructum ever„ tere: eo magis videtur Deus Opt. Max. eorum „ constantiam augere, eosque Fidei amore multo „ acriori accendere ..... Palam affirmant, citius „ profundendam animam, quàm Religionem. Di„ vina certe Bonitas videtur majorem utilitatis se„ getem ferre, quo crudelius excitatur bellum; „ ideoque eos urgeri sinit, quò constantiores sint. „ Sacra instituta adhuc florent, imo ardor viget: „ Non cessant erudiendi confluere: Animi vigent, „ neque est, qui terrorem audeat admovere &c.

(*a*) Formidolosior certe hac ex parte oblata Catholicis tempestas est, cum minus inde periculi timerent Curienses, & res sibi esset cum subditis Nationibus. In Vulturenis omnia ferme per vim gesta, & ex summa injuria. Non negaverim illos etiam *ea libertate* peragere semper universa voluisse, *qua eos Christus liberaverat*; Nam contra edicta Rhætorum Mediolanum miserant, qui Sacerdotum exterorum auxilia a Carolo peterent; imo ipsi in regiones suas P. Adurnum, & P. Boverium dedurerant: Insuper majori animo ut afflictam, & prope perditam Religionem sustentarent, CD. armatorum militum subsidium ab Arragonio Insubriæ Gubernatore postulaverant, quibus Vallis caput, atque exitum munirent, nequid Rhæti contra Religionis libertatem molirentur. Sed cum hæc fortasse subolussent Curiensibus, missi extemplo sunt, qui in eos tamquam in perduellionis suspicionem vocatos agerent. Quamquam majus visum est indictum ab iis in Religionem Catholicam, quàm in seditiosos bellum. Nam violento consilio jussere in ea Valle Hæreticorum Collegium excitari, & postmodum Archipresbyterum Sondrii, qui Catholicorum Atlas, & Antesignanus credebatur, crudeliter vexatum in carcerem detrusere, causati eum esse seditionis facem; quandoquidem Vultureni non ferentes Hæreticorum Collegium ad arma decurrerant, male multatis Hæreticis, & vulneratis nonnullis; Posclavienses vero vim Hæreticis intentaverant, ut Boverium retinerent, testati, paratos se vitæ potius, quàm religionis dispendium pati. Neque apud Clavennenses tranquillior erat rerum status, inter quos quotidiana fervebant cum Hæreticis jurgia Religionis causâ; tantaque vis animorum fuit, ut Hæretici mitius cum iis agere exinde coeperint. Hæc inter, Sondrii Archipresbyterum dire tortum, sed semper constantem, cum durissimæ quæstioni subjecissent, tandem dimiserunt post Idus Junias, data tamen per vadem sponsione fore, ut citatus, se iterum coram Judicibus sisteret. Paulo post indicto de more Gentis concilio, Curiam Helvetiorum Catholicorum Legati solicitati Summi Pontificis, & Caroli literis contendêre, ut miseris Cisalpinis

enim vero furore perciti conclamare ad arma, opem a factionis ſuæ hominibus undique petere, Principum Tribunalia circumſiſtere, nec jam precibus, monitiſque, ſed querelis, & objurgationibus agere: Jam ſcilicet in manus Archiepiſcopi Mediolanenſis traditam eſſe Rempublicam: exploratores ab eo miſſos nulla Magiſtratuum cura impune vagari, ut opportuna Hiſpanorum inſidiis loca arbitratu ſuo perſpiciant. Profecto non adeo negligenter acturos, ſi Cardinalem Borromeum Jacobi Medicei ſorore genitum cogitarent, qui paucis ante annis Clavennenſem arcem dolo, Morbenium Vallis-tellinæ Oppidum aperta vi occupaverit. Nunc per Patrui veſtigia Nepotem ingredi, ut quod ille belli artibus fruſtra tentaverat, Hic Religionis obtentu perficiat.

Hæc, atque alia frementes omnia terroribus implent, Senatum vocari jubent, Populum ad arma vocant, perinde ac inſtructi hoſtium exercitus in confiniis adeſſent. Tres omnino innocentiſſimi Sacerdotes erant, quos Carolus ad Clavennenſes, ac Vulturenos id enixe petentes miſerat, Franciſcus Adurnus e Societate Jeſu, Dominicus Boverius ex Barnabitarum Ordine, Marcus Aurelius Grattarola ex Sodalitio Oblatorum, ille ſcilicet divina poſtmodum providentia delectus, ut ſuâ præcipue operâ Carolus ipſe Cælitum numero aſcriberetur. Ex iis Adurnus, cum ſtrepitum armorum ex propinquo irruentium audiret, fugâ ſibi conſuluit; Boverius in vincula conjectus, nec alia pœna damnatus, quam ut Rhæticis terris excederet; Grattarola quindecim Judicum ſententiâ abſolutus non modo nullo ſupplicio mulctatus eſt, verum etiam Plurium remiſſus, ut cœpta pietatis opera continuaret [a]. Atque huc denique evaſit illa tot irarum moles, & conſternatio animorum, quam maligni delatores exciverant, magno quidem ipſorum ſcelere, qui ſic publicæ fidei illuderent, ſed neque minori eorum dedecore, qui ſe circumagi tam levium accuſatorum arbitrio paterentur. Quod ſi æterno cæleſti decreto ſtatutum eſſet, ut diutius Carolus in terris maneret, haud dubium videbatur, quin Gentem univerſam ad priſtinam fidem revocaret. Jam enim Helvetios, qui in Romanæ Sedis obſequio permanſerant, auctoritate, & officiis ſuis adduxerat, ut ſe a fœdere receſſuros Rhætis denunciarent, niſi mitius, ac ſanctius in poſterum cum Catholicæ Fidei ſectatoribus agerent. Sed enim altius divina judicia latent,

---

pinis præſidio eſſent. Maximam in hac legatione ſpem Carolus collocaverat; quare per eos dies ad Amicos etiam ſcripſit, facile retexendam eſſe in iis partibus Apoſtolicam ſibi demandatam luſtrationem. Verum conatu dejectus eſt ſuo; Nam in Concilio ipſo acriter Hæretici obſtitere, & licet officioſis verbis eorum animos mitigare viderentur, interim ſubdole Helvetiorum hæreticorum patrocinium imploravere. Sic ferme inteſtinum inter Helvetios inflammantes maligne bellum, ne tot contra ſe conjunctis viribus obruerentur, callide dixerunt: ſe hoc unum velle, ne Calendarii Gregoriani uſus in eas Valles induceretur. Hoc artificioſe tentabant; nam cum ſcirent, Italos Sacerdotes teneri jam Pontificiis de eo Calendario latis legibus, putabant eos ſponte ab iis regionibus digreſſuros, ſi cum Eccleſiaſticarum pœnarum periculo ibi eſſet ſubſiſtendum. Tot anxius curis Cardinalis iterum ad Hiſpaniæ, ac Galliæ Reges, & Venetos confûgit opem poſtulaturus; neque ullus piis Ejus votis defuit. Quare mitigatis aliquantulum Hæreticorum animis, inita deinde ſunt ad edomandam Curienſium ferociam ſecretiora alia conſilia ex Regis Hiſpaniarum nutu, quæ hic referre non vacat. Hoc unum dicam: Octobri menſe Borromeum viſum fuiſſe imminere in eam luſtrationem, ut mihi ex Ejus epiſtolis conſtat; ſed paulo poſt extinctus eſt. Hæc omnia ex plurimis collecta monumentis ſunt, ut ſeriem quamdam hujus a Curienſibus ſuſcepti pertinaciter belli exhiberem; nam quæ peracta in regionis illius utilitatem a Borromeo fuere, opportunius ſuis locis in annum inſequentem attingam.

(a) Ex MS. Grattarolæ ipſius teſtimonio habemus, quemadmodum ad Paſchales dies anni inſequentis legatus eſt Plurium a Cardinali, quo in oppido impune bacchabantur Hæretici duce Fratre quodam transfuga, & in Templo quodam Deiparæ antea conſecrato apertus erat impiorum dogmatum ludus. Illic magno cum animarum fructu, & tranquille admodum menſes aliquot traduxit; ſed Hæretici ſuſpicati aliquid ab eo moveri bellum contra *Prædicantes*, quo tempore Sondrii Archipresbyter in cuſtodiam datus eſt, ipſe etiam poſtulatus apud Judices fuit. Sed Prætoris Plurienſis favore ſuſtentatus, cum primos eorum impetus eluſiſſet, iterum coram Judicibus deinde evocatus hæc ab iis ſibi objecta audivit: Primò eum exploratorem eſſe Cardinalis Borromei: Secundò egiſſe contra leges, quod alienigena in eas regiones veniſſet: Tertiò falſas ab eo ſeri opiniones: Quartò Calendarii Gregoriani uſum promoveri: Quintò

latent, quam ut dignoſci humani ingenii viribus poſſint.

CAPUT VII.

Aliqua impendentem mortem prævenientis Caroli ſignificantur indicia. Ultimos ille in Bacchanalium ſpectacula profliganda conatus exerit.

1584. JAm annus a Virginis partu octogeſimus quartus ſupra milleſimum quingenteſimum agebatur, non tam rebus a Carolo geſtis, quam ejus ex hac mortali vita deceſſu memorabilis. Hujus ipſe inexpectati interitus haud obſcura præſagia dederat, quæ tamen nonniſi poſt rei eventum homines notavere. Illud in primis perſpicuum fuit, quod cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, utcumque tot antea Conciliis, & ſanctionibus conſtitutæ, nonnulla rurſus adjicere decreviſſet, & cum vegeta adhuc ætas ſatis, & abunde temporis fore ad omnia polliceretur, tanta tamen ſolicitudine deſtimata exequi properaret. Vicariis ſiquidem omnibus Mediolanum accitis, atque hoſpitio receptis [a], qui mores hominum eſſent, quam accurate Decreta hactenus edita ſervarentur, adeo diligenter a ſingulis requirebat, ut moram omnem

---

tò ſolicitari clandeſtinis illius conſiliis populum contra Hæreticos: Ultimò nocturnos celebrari eò præſente conventus. Facili negotio diſſolvit objecta Aurelius; cumque diluere ſecundum illud crimen de imminuta Rhætorum lege vix poſſet, humaniſſimis reſponſis pervicit tamen, ut nihil gravius in eum ſtatueretur. Coactus deinde eſt vadimonium dare, & tam ſplendidus accuſationis apparatus eo tandem erupit, ut XV., qui in caupona (hìc enim ſedebant pro Tribunali) ſententiam pronunciaturi erant, Judices aureo inſignes torque, ut Grattarola deſcribit, mulctæ loco imponerent onus cœnæ ſumptibus ſuis laute omnibus curandæ. Sed tanta Judicum pietas fuit, & tot admota ab Amicis officia, ut onere hoc etiam liberatus dimitteretur, obligata tamen prius fide, ne quid ad Cardinalem Borromeum de injuria hac ſcriberet. Exinde libera illi poteſtas fuit, ut Plurii verſaretur; quamquam paulo poſt Mediolanum veniens, & deinde ex Cardinalis nutu ad Plurienſes reverſus, apud eos iterum aliquantulum ſubſtitit, neque ad hanc Urbem regreſſus eſt, niſi ineunte Novembri, quo tempore advenientem funeſtum perculit nuncium Borromei morientis, quæ illi calamitas gravior furore Curienſium fuit.

(a) Plura ante hanc Vicariorum Congregationem expedienda ſunt Caroli geſta, eòque commemoratione digniora, quò majus Illius deſiderium omnibus inuſſere. Itaque triduo poſt Idus Decembris Mediolanum reverſus audiit primum Rhæticæ conjurationis impetum in Meſaucos erupiſſe, ut ſuperius innuimus. Ocyus igitur, & clanculum legavit in Helvetios Fornerium familiarem ſuum, qui ſilentio cum Catholicis Provinciis tranſigeret, ſuſcipiendum viriliter eorum patrocinium, ne hoſtium furori indefenſos objiceret. Hanc Fornerii legationem corroboravit officiis Pompejus a Cruce, qui Gubernatoris nomine in Helvetia degebat de more pro Mediolanenſis Provinciæ negotiis Orator. Jam præviderat animo has turbas Cardinalis; adeoque Belitione diſceſſurus, Galleſium de Monte præmonuerat amice, & conſtanter: „ Viderent Curienſes quid agerent: „ nihil in Meſaucis a ſe contra jus actum: Quæ in „ ea regione decreta eſſent, nec reſcindi per leges „ poſſe, neque niſi ab impiis damnari. Antequam „ acerbius quid in illos ſtatuant, moneri ſe velle, „ ut omnem ab iis aut injuriæ, aut inſidiarum ſuſpicionem abſtergat. In ea expeditione non id curatum dumtaxat, ut Catholicis conſuleretur, quod „ Meſauci, utpote fœderati, & ſui juris, præſtare liberè poterant; ſed cautum inſuper publicæ regionis felicitati, ex quo nullo modo fœdus violetur." Hæc pro Meſaucis acta; ſed interim omiſſa non eſt Mediolanenſium cura. A Natalitio Chriſti Domini die uſque ad IV. Idus Jan. concionem habere ferme in dies ſingulos conſuevit, modò Populum, modò fœminas Virgines ad virtutem accendens; nunc in privato Sacello Canonicos edocens, atque incitans ad rectum pſallendi ordinem; nunc Clero commendans pias, & *Chriſtianas inſtituto-nes*, quarum *theſaurum* paulo antæ Veronæ juſſu ſuo editum eorum manibus aſſidue teri voluit; nunc hortatus Parochos, Confeſſarios, & Concionatores ad ſtudia in ſacris acuenda. Addita hæc exantlatis laboribus concionandi contentio infirmam penitus afflixit valetudinem, ut patuit VII. Idus Jan. cum de S. Baſilio verba fecit, cujus feſtum eo die celebrari juſſerat, ſublata S. Chriſtophori ſolemnitate. Equidem poſtremam hanc ex iis, quos audivit Carolo vivente, Homiliam fuiſſe, Federicus Borromeus expoſuit in libro ſuo, quem *de concionante Epiſcopo* inſcripſit, docuitque, qui habitus dicentis Cardinalis ea in concione fuerit. Hæc itaque habet libro I. cap. VII.: „ Divino, ſicut arbitrari licet, nutu accidit, ut ipſius Concio, quam nos extremam audivimus, incideret in ſacram Baſilio diem, qua Concione laudavit ſummum illum & dicendi Magiſtrum, & Paſtorem animarum, cujus præcipua religione tenebatur. Summa hyems erat, omniaque rigebant gelu, & oppleta nivibus erant adeo, ut „ infrequens admodum eſſet Concio, ipſeque etiam „ in ampliſſimo Templo, tanto magis frigoris incommoda ſentiret, ac ſolito ſqualidior, vix ad „ pronuncianda verba virium ſatis haberet. Ultimo „ tamen conatu Baſilii laudes tentabat explicare dicendo, ac ſuper omnia voluit oſtendere, quem„ admodum Orator ille divinus, cum redactus eſſet „ ad extremam uſque maciem, & præter pellem, „ & oſſa vix quidquam haberet ex humano corpo-

„ re,

Digitized by Google

omnem in re perficienda timere ſe oſtenderet [a]. Tres ea conſultatio hebdomadas tenuit, quo tempore eryſipelate correptus, cum altero crure ſtare non poſſet [b], Cardinalitiis tamen velatus inſignibus in lecto decumbens adeo conſtanter in

„ re, pergebat nihilominus Paſtoralis officii labo„ res exhaurire.“ Sic dum alienam Sanctitatem verbis referret Carolus, verius ipſo vultu, & oris aſpectu exprimebat. Neque unus Ipſe Gregem verbo paſcere conatus eſt, ſed Parmenſem etiam Epiſcopum Ferdinandum Farneſium, qui ſe aliquot ante diebus convenerat, idem caritatis munus Mediolanenſi Populo præſtare officioſe compulit. Idem deinde concionandi ſtudium in Plebium Rectoribus excitare contendit; Cumque Lomatii Sacris Præpoſitus concionatorem in adventantem Quadrageſimam a ſe poſtularet, reſpondit: „ Concionandi munus „ ad Præpoſitum vere pertinere; quare ſe in id mu„ neris obeundum compararet.“ Interim nova andita Meſaucorum calamitate, quorum nonnulli ex Curienſium Decreto conjecti in vincula fuerant, P. Franciſcum Panigarolam Romam ſtatim legavit, qui Pontifici exponeret regionis illius ſtatum, atque paternam opem imploraret. Eadem occaſione Panigarola eodem internuncio uſus eſt, ut ſtuderet emendari diſciplinam Fratrum Minorum S. Franciſci, quos Obſervantes dicimus, & ſuſtentari Pontificia ope Anglam quamdam mulierem, quæ cum Lugdunum in Gallia confugiſſet, enixe ſibi Ragazzonii literis commendata fuerat. Poſtmodum perfuſo Baptiſmalibus aquis in Æde S. Bartholomei Veneti Oratoris Filio, quem e ſacro Fonte Arragonius ſuſcepit, Caravagium profectus eſt, Conſtantiæ Columnæ, quæ colloquium ſuum poſtulaverat, præſto futurus. Inde regreſſus, & obiter inſpectis Trivilii rebus, Gropellum divertit; ſed ſtatim revocatus propter Concionatoris abſentiam, Mediolanum poſtridie Idus ſub veſperum reverſus eſt, ne ad inſtantem Dominicam diem Divino Verbo Populus fraudaretur. Per idem tempus revocandus Clavennâ erat P. Adurnus, quem Societatis Jeſu in Provincia Mediolani Præſes iis oppidanis ex Caroli nutu ad XX. dumtaxat dies dederat; quandoquidem opem Cardinalis lacrymabundi poſtulaverant, ſaltem in Natalitios Redemptoris dies, quos illi ad veteris Calendarii normam celebrabant. Sed antequam revocaretur Adurnus, oblato mortis intentatæ periculo, vitam ex fuga quærere fuerat coactus; Quare VIII. Cal. Febr. P. F. Baſilium ex Capuccinorum Ordine, & ex iiſdem regionibus oriundum cum alio indigena Sacerdote illuc miſit Borromeus; quo conſilio & Rhætorum vim eluſit, & Clavennenſibus conſuluit. Eadem die cum huc gemini Societatis Jeſu Patres Joannes Conſtantius, & Ambroſius Moreſcus Româ adveniſſent, pro ſuſtentanda Rhætorum Religione, e veſtigio in Meſaucos legavit. Interim ineunte Februario, geminos iterum peramanter excepit ad ſe venientes ex Rhætia Religioſi gemini Ordinis transfugas, qui tamen nondum a Fide defecerant, quos pœnis omnibus abſolutos curavit Ordinis eorum gremio reſtituendos. Sed dum alienos matribus aſſereret filios, videbat cum gaudio diſtrahi ſuos. Offerentes operam ſuam nonnullos Sacerdotes Meſaucis, & P. Dominicum Bovetium S. Pauli Decollati Clericum Clavennenſium precibus dedit, & præterea alios, qui ſe ad eam Spartam exornandam ſponte obtulerant, per Rhætorum regiones, nequidquam frementibus hæreticis, diſtribuit. Roveredi Populus, qui Præſidem Sacrorum eligere jure ſuo poterat, teſtatus aperte eſt: nullum a ſe electum iri, ne illum deinde coram Curienſi Epiſcopo approbandum ſiſterent. Et quamvis Carolus inſtaret, ut eligerent, neque adeo Epiſcopo ſuo vellent diffidere; tamen conſtanter illi unum ex Caroli Sacerdotibus ſe velle affirmarunt. Quare Cardinalis, qui utpote legatione defunctus poteſtate hac uti noluit, coactus eſt novas a Summo Pontifice literas impetrare, ſibi ut liceret Sacram Roveredi Præfecturam, inaudito Curienſi Epiſcopo, ei deferre, quem dignitati opportunum duxiſſet. Neque minor erat Romæ concepta de Adminiſtris ſuis opinio, ex quibus unus aliquis a Romana Curia poſtulabatur vacuæ Alexandriæ Sedi admovendus. Sed rogatus Carolus, ut eum deſignaret, quem probaſſet maxime, reſpondit: nullum ſe poſſe ad id honoris deſtinare, cum admodum ſibi opportunos noſceret univerſos. Hæc menſe Januario, & Februario ineunte acta, pro ut ex literis diligenter eruimus.

(a) Congregatus de more hic Vicariorum cœtus fuerat ad XV. Cal. Febr., ut patet etiam ex Homilia eodem die habita, qua videtur Concilium aperuiſſe. Operæ pretium eſt audire, quo amore, & ſolertia eos inflammaret: „ Vos oculi mei eſtis, „ vos aures, vos manus, vos hujus Cathedræ, & „ Eccleſiæ baſes, ac fulcimenta validiora: vos igi„ tur obſecro in viſceribus Jeſu Chriſti, ut nego„ tium hoc tanti momenti Domino Deo commen„ detis. Diligenter, & ſolicite ad haſce Congre„ gationes confluite: non ex uſu, aut conſuetudi„ ne, ſeu perfunctorie; ſed animo ſincero, & pa„ cato huc accedite, ut eum, qui a nobis omni„ bus deſiderari debet, fructum valeamus percipere.“ Sed ne perfunctorie hæc agerentur, Carolus maxime providit; In eo enim Concilio ad trutinam revocans quidquid ſancitum olim in Synodis fuerat, ſciſcitari de ſingulis voluit, an debitum Decretis deferretur obſequium. Ajebat enim de more: Juberi leges facile poſſe; ſed eas inutiliter condi, ſi obſervantia abſit. Hinc effectum eſt, ut longius ſolito protraheretur hic Cœtus; nullum enim præfinire voluit temporis terminum, ut vitiis finem imponeret. Hoc præmonuit Ipſe etiam in citata Homilia: „ Hæc „ Eccleſia ſingulari Dei munere fuit plurimis Con„ ciliis, & legibus adjuta; debet quoque eorum ob„ ſervantia firmari; Id nunc Deo dante curabimus. „ Quod ſi tribus, aut quatuor diebus hoc abſolvi „ non poterit, decem, & quindecim dies tam gra„ vi negotio impendemus, quibus vos hic ſemper „ adeſſe volumus, ac nobiſcum convivere in do„ mo noſtra noſtris expenſis ..... Hoc eſt opus, „ Fratres, inter majora hujus Eccleſiæ præcipuum; „ totus enim fructus in Decretorum executione con„ ſiſtit.

(b) Perlatâ Romam hujus morbi famâ ſcripſit Specianus, metu perculſos propter Borromei periculum trepidaſſe univerſos Purpuratos Patres. Quo audito Carolus reſcripſit: „ Non mirari ſe, quod tan„ tus de hoc morbo pavor Romanos Amicos in„ ceſ-

in incœpto perſeveravit, ut ne noctu quidem audiendi, conſulendique curam intermitteret. Reputans deinde ex ea temporum corruptela, quæ jam olim præceperat, quempiam ex Sacerdotibus ſuis crimine aliquo poſſe teneri, propter quod ſacrorum uſu arceretur, judices regionatim in Urbe, atque agris pro conceſſa ſibi a Summo Pontifice facultate deſignavit, qui rite confeſſis horrenda illa vincula relaxarent.

Vix dimiſſo congreſſu inſtabant Bacchanalia, quo nomine audito, haud ſecus afficiebatur, quam ſi exilium virtutibus indici, ac fœdam ſolitudinem imminere templis, atque aris audiret (*a*). Obverſabantur ante oculos nocturnæ ſaltationes, epularum, vinique luxuries, totque alia incitamenta libidinum, quibus mos eſt inventa illa, non tam ad Populi ſolatium, quam ad pudoris excidium ſolemnia celebrari. Jamdudum Interdictis, & execrationibus egerat, ne quis feſtos dies ludicro quopiam ſpectaculo violaret (*b*). Nunc in reliquos dies nobiliora ſpectacula excogi-

„ ceſſerat; cum eos ſciret tenera nimium in ſe „ benevolentia ardere. “ Cumque alias item ſcriptum ab Amico eſſet: *Mirum videri, quod in literis ſuis nullam de hoc morbo mentionem injeciſſet*; reſpondit: *Leviorem illum viſum eſſe, quàm ut commemorari deberet*. Ceterùm non levi affectus videtur valetudinis incommodo; quandoquidem in Tabulis jurati teſtes affirmant, diuturna contentione debilitatam adeo Ejus vocem fuiſſe, ut vix a proximis exaudiri poſſet; Quare opus fuit, ut per interpretem loqueretur. Inſuper diuturnior hic morbus fuit, quandoquidem dumtaxat ad Idus Martias ſcripſit ſe convaleſcere. Meſaucos etiam acerbe commovit infauſta hujus morbi notitia; ſcribit ſiquidem Roveredo P. Carolus Soc. Jeſu: audito Cardinalis periculo univerſos ejus Vallis incolas precibus, lacrymis, atque ſuſpiriis Deo publica obtuliſſe vota, ut ſin minus valetudinem impetraturi eſſent, gratum ſaltem animum Liberatori ſuo teſtarentur.

(*a*) Prævidens Saturnalium licentiam, detonuerat jam vehementi oratione in S. Bartholomei Templo, cum Bonifacii Antelmi Venetorum Legati Filium Baptiſmate perfunderet, atque adſtaret Suſceptor Dux Arragonius Inſubriæ Gubernator. Explicans enim Eccleſiæ ritum, quo jubentur baptizandi abrenunciare Satanæ, & Mundo, in hæc ſplendida verba erupit: „ Abrenunciavit univerſus hic Populus Sa„ tanæ, & pompis ejus, Mundo, ac ejuſdem cor„ ruptelis, Idolis gentium, & eorum erroribus. Sed „ quid ego miſerrimus per hos dies tam multos lar„ vatos incedentes intueor? Quid omnia crapulis, „ & luxu perverti audio? Quid ſibi volunt immen„ ſi, qui nunc fiunt, ſumptus, iſthæc horrenda „ ſpectacula? Quid innumera graviſſima, & letha„ lia peccata, quæ hinc proficiſcuntur? Hæccine „ Deo promiſit hic Populus, cum baptizaretur? „ Fiunt hæc, Excellentiſſime Princeps; & nos ta„ cemus? Tot Deo injuriæ irrogantur; & *nos zelus „ Domini non comedit*? Heu, heu! quia *per nos blaſ„ phematur nomen Dei*. Accedunt in hanc ampliſſi„ mam Urbem plures, ex iis etiam, qui ultra Mon„ tes conſiſtunt, & a Fide aberrarunt (id experi„ mento comperimus), & vident laſcivientes hos „ Populos intemperantius ſe gerere, quàm ſi Ba„ ptiſmo carerent, Diiſque Gentium immolarent: „ (Annon enim Idoli portio ſunt inſana Bacchana„ lium Feſta?), & recedentes, majora, ac pejora „ ſibi licere arbitrantur, dicentes: Mediolani ſic „ vivitur, in ea nempe Civitate, quæ Regi Hiſpa„ niarum adeo Catholico paret; quæ ab illius Mi„ niſtris tam pie gubernatur; in qua Religionis „ Chriſtianæ tanta viget profeſſio. Quis mihi det, „ Excellentiſſime Princeps, ut ſanguine meo has „ Dei mei injurias propulſem? Cur morte mea re„ medium tot ſceleribus afferre non poſſum? Heu „ me! mater mea cur me genuiſti virum dolorum, „ & *ut quid natus ſum videre contritionem populi mei*? „ Infelices animas curæ meæ commiſſas, quas hu„ mani generis hoſtis turpiter adeo, ac publice exa„ gitat! Et nos, qui præſumus, qui canes Do„ mini ſumus, ne oblatramus quidem, imo dor„ mimus? Quæ nobis erit, Princeps, coram Deo „ excuſatio? An quod neceſſe ſit, ludicris hiſce „ congreſſibus juventutem ad artes, & munera mi„ litaria erudiri, atque exerceri? Eſt quidem lau„ dabilis ars militaris, ſi tamen cum Religionis „ Chriſtianæ norma conveniat: Quæ tamen hoc tem„ pore fiunt, juvenes potius effœminatos, laſcivien„ tes, ac molles efficiunt. Quid enim ad bellicam „ artem prodeſt, hæc mulierum ſpectacula frequen„ tare? Heu! *quæ Deus non irridetur*, vanæ ſunt „ excuſationes iſtæ; nec prodere ſatis erit, quod „ magni fuerimus, atque potentes; quod multa „ nobis licuerint; Attendite enim, quid ad nos Dei „ Spiritus clamet: *Audite ergo Reges, & intelligi„ te: Præbete aures vos, qui continetis multitudi„ nes: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, „ & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera ve„ ſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Horrende, & ci„ to apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum „ his, qui præſunt, fiet*. Audiat Religio veſtra, „ Princeps, audiam ego miſerrimus, quia non „ quodcumque judicium, ſed duriſſimum fiet his, „ qui præſunt.

(*b*) Inflammatus Caroli verbis Arragonius publico edicto caverat hoc anno, ne perſonatorum hominum concurſus fierent; eaque de cauſa aliquos etiam in vincula conjici juſſerat. Veràm extitit peſſimum Saturnalis licentiæ exemplum, unde minus timebatur. Nam in Religioſi cujuſdam Ordinis Monaſterio auſi ſunt Fratres nonnulli fabulam agere in ſannionum, & mimorum ſpeciem. Commendabant inſuper profanis hominibus Dramma adjecta Epiſodia quædam ad morum corruptelam aptiſſima. Re intellecta Carolus tonuit: & dolens offenſas Mediolanenſium ſuorum aures importuno ſpectaculi illius

gitaverat, quibus concurſum hominum a circo, & ganeis, plebejiſque aliis voluptatibus, quas vetus utcumque conſuetudo ægre dementiæ nomine liberat, avocaret. Alibi equidem pia ante aras meditamenta, alibi alternas ad primaria Templa ſupplicationes, alibi graves de mortalium rerum *levitate* ſermones haberi juſſerat, ut quocumque te verteres invitamenta Religionis, & Chriſtianæ diſciplinæ ſpecimen aliquod invenires. Ipſe ſingulas urbis regiones in orbem adire, concionari e ſuggeſto, altaris myſteria manu ſua miniſtrare, nobilium quandoque agmen ſecum trahens, quorum ſcilicet exemplo ignobiliores quoque traherentur (*a*). Non ego diſſimulem, aliquem ex miniſtris ejus fuiſſe, qui iſta paranti conatus omnes inanes fore prædiceret. Nimirum Bacchanalia rem eſſe tot ſeculorum uſu firmatam, Principum patrocinio ſubnixam, omnis denique generis hominibus cariorem, quam ut ullis tolli paſtoralibus officiis poſſet. Sed operæ pretium erit audire, quibus ipſe reſponſis dicti inſolentiam retuderit: Utcumque enim antiqua, & pertinax hæc Bacchanalium conſuetudo ſit, indecorum tamen eſſe ajebat pravos uſus conſtantius a Populo defendi, quam ab Epiſcopis oppugnari. In magna Civitate quemadmodum nunquam deeſſe qui ſalutaribus præceptis diligenter obediant; ita nec defuturos, quos a veſtigiis alienæ pietatis recedere verecundia ipſa prohiberet: Quo tempore vitia latius ſerpant, tunc maxime preces ad Deum multiplicari oportere, quæ aut impiorum mentes a flagitiis, aut vindices iras ab omnium capite avertant. Hæc reſponſa fuere, quæ ut vera, & gravia fuerint, ipſe rei eventus oſtendit (*b*). Tam vario enim ſacrarum rerum apparatu undique circumſepti Mediolanenſes, nunquam fortaſſe modeſtius, quam hoc licentiæ tempore egere, ſive Religionis tanta vis eſt, ſive cœperat ani-

---

lius convicio, literas vehementiſſimas ad Cardinalem ejus Ordinis Patronum dedit; Quare neceſſarium duxere Romani Patres, legari huc extra ordinem Supremum ipſum Fratrum illorum Præſidem, ut hujus Monaſterii diſciplinæ conſuleretur. Acriter etiam de hoc expoſtulaverat cum Gubernatore Aragonio, qui ſive antea prehenſatus a Fratribus, ſive mitius interpretatus rem, amice reſponderat: „ Poſſe hoc crimen impune dimitti; quandoquidem „ per idem tempus Romæ etiam in Cardinalis cujuſ„ dam domo recitatum fuerat Dramma, adſtantibus „ aliis nonnullis Purpuratis Patribus. “ Quare ab ejus colloquio digreſſus Borromeus ocyus ad Speciatum ſcripſit: „ Ere eſſe, Pontificem ſtatim commo„ nere, ut ſcænicis hiſce ludis Romæ interdiceret, „ ne peſſimi exempli res alienam nimium audaciam corroboraret.

(*a*) Vacat ſapientiſſime a Carolo cogitata exponere, quo certius ſumma Illius deſideria de publica ſanctitate teneamus. Primò in feſtos quoſque dies, qui in tres poſtremas Bacchanalium hebdomadas inciderent, publicas, eaſque certas indixerat Populo recitandas in Templis preces; quibus abſolutis, quædam proponebantur coactæ Plebi intenta mentis acie ſedulò meditanda. Secundò in ſex Septuageſimæ Ferias Supplicationem ad ſeptem Stationales Baſilicas ſex Civitatis regionibus præſcripſerat ea lege, ut ſuis regionibus ſingulis dies ſtatueretur, neque ulla Civium Tribus hujus pii Inſtituti expers eſſet. Hac Supplicatione peracta, ſermo ad circumſtantes habebatur; primuſque Ipſe exemplo præluxit ſuo; nam feriâ ſecundâ Orientalis regionis Populum ſupplicabundus deduxit, & nobili oratione ad ſanctitatem inflammavit. Mirum viſum omnibus fuit, pluximos ex Patricio Ordine hiſce Supplicationibus interfuiſſe; neque intermiſſa dumtaxat ſpectacula, ſed negotiationem quoque, atque operas, cum amantiſſimus Paſtoris ſui Grex in ea libentiſſime rueret paſcua, in quæ Ille digitum intenderet. Tertiò diſpertiti item in ſuas Tribus Cives, præſtitutis ſex diebus ad Sacrum Convivium evocati ſunt per Septuageſimæ hebdomadam; neque tamen minus frequens Synaxis fuit Quinquageſimæ Dominica, quæ tanto Borromei labore, & Civium concurſu celebrata eſt, ut anteverti Paſchales dies, & Borromeus unus Parochorum omnium vices ſupplere videretur. Ultimò nequod relinqueretur vacuum ſacris exercitationibus tempus, in tres eaſdem hebdomadas inſtituerat, ut a prandio in S. Sepulcri Templo gemini haberentur quotidie ab eruditis Oratoribus ſermones, quibus Ipſe deinde adjiciebat tertium extempore digeſtum eo artificio, ut quod ab utroque concionatore fuſe antea eſſet expoſitum, per capita validius, & brevius complecteretur, quo Auditorum animis aliorum dicta altius infigeret. Sic conſecratos Bacchanalium dies, mirum deinde non eſt, ſi Cardinalis Valerius in literis ſuis appellaverit *dies genitales Caroli*.

(*b*) Noſtra etiam ætate hiſce inſtituis ferme conſtat eorum dierum ſanctitas. Plures ex iis legibus in noſtræ Eccleſiæ Actis extant, quæ Antiſtitum noſtrorum curâ quotannis renovatæ evulgantur; quare contra ſuorum opinionem adhuc religioſe cuſtodiuntur. Imo legum hujuſmodi obſervantia ipſam Caroli expectationem ſuperavit; cum methodum ſuam plures aliæ amplexæ Eccleſiæ ſint. Hoc ſane videtur in Caroli rebus geſtis admirandum maxime, quod Illo Auctore ſemel ſtabilita, nullâ hactenus temporum injuriâ obliterari potuerint, aut improborum licentiâ convelli.

Digitized by Google

animos pudor, ne tantam in Archiepiſcopo ſuo publicæ ſalutis curam irritam facerent.

CAPUT VIII.

Primum in fundamentis magnificentiſſimi prope Rhaudum Templi lapidem ponit: Xenodochium e morbo convaleſcentibus Mediolani aperit: Omnia jamdiu a ſe inſtituta in ultimo Cleri totius Concilio confirmat.

1584. REcenſenti mihi clariſſima magnificentiæ monumenta, quæ Carolus Italiæ reliquerat, cum ad Rhaudenſe Templum perveniſſem, illico venit in mentem celebre illud Poëtæ effatum, qui poſtquam celeberrima ſuorum temporum ædificia numeraverat, cum ad Cæſaris Amphitheatrum perveniſſet, hoc unum pro cunctis memorari ſatis eſſe affirmabat. Sed cum omnibus Caroli operibus tantum ſplendoris, ac majeſtatis ineſſe videam, libentius hoc genere laudis abſtineo, ne unum altius extollendo cetera depreſſiſſe videar. Itaque ſatius erit pauca de Templi origine dicere, ex qua denique Templo ipſi præcipua pars claritatis acceſſit.

Qua nunc excelſa eminet moles, humile ſacellum antiquitus fuit, quod intactum retineri intra novæ Ædis ambitum placuit, ut plenior rei memoria, & ſuus antiquitati honos maneret. Deiparæ imago exanimem Filium gremio ſuſtinentis in eo Sacello jamdudum colebatur, idque tutiſſimum in publicis, privatiſque neceſſitatibus incolarum perfugium erat. Latius deinde propagari veneratio ſuperiore anno cœperat, cum propter crebra, & inſignia miracula, quæ inibi fieri, tum ob magna, & prompta ſubſidia, quæ humanis infirmitatibus inde referri apparebat (*a*). Cum religione ſimul creverant opes quotidianis fere piorum hominum largitionibus, quos etiam erga ſacra liberaliores propius affulgens ſpes beneficii facit. Sed quantacumque pecuniæ vis eſſet, longe adhuc inferior erat amplitudine, & forma templi, quam Peregrinus de Peregrinis inter ejus temporis architectos nomine ſuo dignus delineaverat. Nihil tamen ex ea delineatione immutari Carolus voluit, profeſſus inſuper, nihil imprudentius eſſe, quam ſacrarum ædium initia deſperatis in futurum auxiliis ex præſentis pecuniæ difficultate metiri: Quæ ad Divini nominis gloriam pertinent ſplendide a nobis inchoari oportere, perficiendi curam poſterorum pietati, ac Divinæ providentiæ relinqui. Hæc veluti certo futura præſentiens deſtinatum ædificio locum ipſe adiit, ac primum lapidem nonis Martii ſolemni ritu in fundamenta conjecit. Procuratores ad ærarii cuſtodiam ex loci nobilibus, aliiſque Eccleſiaſticis viris cum ea lege conſtituit, ut ex donis, quæ ad Deiparæ honorem large offerebantur, perpetuos aliquos, annuoſque proventus conflarent, quibus adnexa ſemper magnis ædificiis onera ſuſtinerent. Templi denique cultum, ac Sacrorum regimen Sacerdotibus Oblatis demandavit (*b*), quorum Colle-

(*a*) Conſtat ex Actis aſſervatis in Archiepiſcopali Archivo, Sacram hanc Deiparæ imaginem VIII. Cal. Majas anno MDLXXXIII. ſanguineis lacrymis manaſſe; atque apud Oblatos ejuſdem Templi cuſtodiæ Præfectos religioſe cuſtoditur adhuc ſudarium abſterſo miro humore perfuſum. Cum, diſſeminatâ prodigii famâ, crebri ad Sacram Ædiculam fierent concurſus piorum hominum, eò convolaverat in confirmandam Religionem excubans Cardinalis, ut ſuperius innuimus. Tum leges datæ pro votivo ære conferendo, ut, quam animo præconceperat, Templi molem miraculo poſteris futuram excitaret. Paucis poſt menſibus eodem anno illuc redierat, dum conterminas regiones luſtraturus eſſet poſt Idus Sextiles. Tertium eòdem contenderat ad Nonas Octobris; neque unquam in crebris hiſce luſtrationibus ulla ex parte refrigeratum Religionis ardorem vidit; Venerunt ſcilicet mihi ad manus Aurelii Grattarolæ literæ teſtantis, veniſſe huc ex longe remotis Vallis Saxinæ finibus infirmos complures, qui perditæ valetudinis auxilium, quod poſtulaverant, domum retulerunt. Ipſe autem optime animatus erat Cardinalis in fovendum publicum erga Sacram Imaginem obſequium; quandoquidem mihi ſæpius in Ejus literis occurrit nocentibus hominibus hæc ab Eo inflicta pœna, ut nudis pedibus peregre ad Eamdem colendam ex diſſitis regionibus accederent.

(*b*) Quantum ex monumentis colligo, videtur potius Carolus deſtinaſſe hanc provinciam Oblatis ſuis, quam demandaſſe. Patet enim ex *Inſtrumento*

legium ibidem ſtatuere in animo habebat, ne quiſquam eorum, qui ad expiandum Divinis myſteriis animum convenirent, beneficii expers ob miniſtrorum paucitatem rediret.

Rhaudo reverſus rem aliam exequi feſtinabat, quæ velut extremum paternæ ejus erga inopes benevolentiæ teſtimonium fuit. Xenodochii Mediolanenſis ea lex eſt, ut ad curanda corpora admiſſi, depulſo morbo, propter quem venerant, illico dimittantur, ne aſſiduos concurſus aliorum eâdem curâ indigentium impediant, neve ingentes ſumptus, quibus hæc pietas conſtat, vix magnis Principibus tolerabiles augeant. Verum humanæ providentiæ non ea vis eſt, ut ſimul conſulere incommodis omnibus poſſit. Crebri eventus docuerant, nonnullos a medicis paulo ante dimiſſos, cum aut labores reſumere, aut quolibet ciborum genere uti ob inopiam cogerentur, in priſtinos morbos recidere, quorum ſæpe reliquias nonniſi moriendo finirent. Huic malo occurrere cupiens Cardinalis Valetudinarium aliud convaleſcentibus parabat, in quo commodiore victu alerentur, quoad receptis de integro viribus, ad miniſteria quiſque ſua redirent (*a*). Jam comparata opportuno loco domus, jam empta multo ære ſupellex, jam cetera fere omnia in promptu erant, cum inopina mors intervênit, quæ tamen illi eventum conſilii, non gloriam eripuit. Egit deinde Gaſpar Vicecomes, qui ei in Archiepiſcopatu ſucceſſit, ne hoc quoque ſubſidium Civitati noſtræ deeſſet, receptis nimirum in Urbem Patribus, quos S. Joannes de Deo in hanc maxime curam inſtituit, ut ægrotantium neceſſitatibus pleniore quadam caritate inſervirent (*b*).

Circa

---

to Decreti recepto per Joannem Petrum Scottum Coadjutorem Cancellariæ Archiepiſcopalis die XXIV. Januarii anno MDLXXXIX., conceſſum Oblatis fuiſſe jus in illud Templum, ejuſque reditus, & proventus a Gaſpare Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo quinquennio poſt obitum S. Caroli, licet eadem Borromei viventis eſſet ſententia. Exinde integrum Oblatis jus illud manſit ſemper, confirmatum præterea biennio poſt Gregorii XIV. Summi Pontificis Oraculo. Sed hoc, quo vivimus, Seculo nobilior additus fuit *Collegiatæ Domus* titulus, atque ornamentum. Nam cum antea pro cenſuum tenuitate tres dumtaxat eo in loco alerentur Sacerdotes Oblati, divino certe Afflatu, ut poſtmodum rerum exitus luculenter comprobavit, Georgius Maria Martinellus eidem adminiſtrationi Præfectus in eam mentem venit, ut illic degerent ii ex Oblatis, qui liberi ceteris ſui Ordinis curis *Sacras Miſſiones per Civitatem, & Diœceſim obirent, & ſpirituales exercitationes domi, foriſque traderent*; quandoquidem antea ex Sodalitii Inſtituto eadem univerſis demandata erat provincia, licet aliis etiam muneribus diſtinerentur. Sic novus electus in Mediolanenſis Eccleſiæ utilitatem ſtrenuorum Adminiſtrorum manipulus fuit, qui religionem publicam foverent, & Sodalium ſuorum onera non detraherent, ſed imminuerent. Salubertimum Georgii conſilium paternâ deinde benevolentiâ, & Principis animo aluit, atque corroboravit immortalis memoriæ Benedictus Cardinalis Odeſcalchus, qui effuſis largitionibus naſcenti Collegio præſto ſemper fuit, eamque Sedem convictu ſuo aliquando, & comitate nobilitavit; & quamvis poſtremis ætatis ſuæ annis apoplexiæ ſtupore correptus parva in ſpe diu animam traheret, nihil unquam de liberalitate ſua in illud remiſit, eamque poſthumâ etiam munificentiâ cumulare voluit.

(*a*) Hæc offerendi convaleſcentibus ſubſidii cura aliquot ante annis Carolum inceſſerat; legi enim Ejus epiſtolas datas ad Pontificium in Gallia Internuncium, in quibus triennio circiter ante eum rogavit, ne gravaretur jugerum aliquot ſpatium ex S. Dionyſii Abbatiæ fundo decerpere, in quo Valetudinarium hoc excitare conſtituerat. Erat autem in Urbe noſtra ille deſignatus convaleſcentibus locus, quem nunc Cæleſtium Annunciatæ Deiparæ Virginum clauſtro nobilitatum ad Orientalem Portam videmus. Præterea jam Adminiſtros elegerat etiam in convaleſcentium commodum; cum anno ſuperiore ad Cardinalem Maphæum ſcripſiſſet poſtridie Idus Octobris: *Deliberatum jam eſſe, atque conditum, ut convaleſcentium curam ſuſciperent S. Rochi Sodales, & SS. Trinitatis Confratres curam gererent Mendicorum*. Iſti autem SS. Trinitatis Confratres ii ſunt, quos *Obedientiæ* Carolus vocari voluit; appellavit autem *SS. Trinitatis*, quod illos Archiconfraternitati SS. Trinitatis Almæ Urbis aggregaſſet. Extant typis editæ conditæ leges huic *Obedientiæ* Societati confirmatæ a Carolo die XX. Septembris MDLXXXIV.

(*b*) Rerum ordo poſtulat, ut antequam de poſtrema Synodo agamus, plura, quæ Gluſſiano excidêre, aut occultiora fortaſſe fuerunt, commemoremus. Itaque in Rhætorum utilitatem præcipue intentus Cardinalis, Februario menſe, excitatis primùm ad Religionem firmiter retinendam Meſaucis, curavit per literas ad Ragazzonium datas, ut Galliarum Rex Henricus remiſſiorem Oratoris ſui operam, & refrigeratum ardorem inflammaret, ne plus ille ceſſando damni afferret, quàm Hæretici minando. Deinde Oratoris ipſius ſuſpicionem conatus depellere, qui latuiſſe quidpiam, præter Religionis cauſam, in ea Legatione ſuſpicabatur, aut ſaltem clanculum aliquid monſtri ab Hiſpanis ali, menſe inſequente Fornerium domeſticum ſuum ad eumdem miſit, enixe obſecrans, ut retinere, quem prius oſtenderat,

derat, animum vellet. Mox Bobiensis Diœceseos tempora turbata, & periculosa persuaserunt, ut Pontificias literas postularet, quibus Bossius Novariensis Episcopus lustratione Laudensi defunctus Bobium eodem munere functurus destinaretur. Neque interim sacrarum Ædium excciderat cogitatio; cum in Mediolanensi Agro Bulgari Templum, Romæ S. Praxedis Sacrarium excitandum impensis suis fere sub idem tempus jussisset. Quadragesimæ autem tempore Populi sui Religioni novo instituto satisfecit. Siquidem licet crebro verba e suggesto, & in domestico Sacello faceret, tamen singulis feriis sextis statuit Ipse semper concionem habere de Passione Domini, quam ad animorum motum vere putabat opportunissimam. Spopondit hoc in Homilia sua, quam initio Quadragesimæ hoc anno habuit: „ Clamabimus igitur his omnibus sextis feriis in posterum, & insonabimus auribus vestris Christi pretiosissimum Sanguinem, & Passionem commemorantes. Sed quid clamores nostri, Animæ benedictæ, nobis proderunt, nisi & vos ipsæ in cordis „ vestri latibulis ad vos ipsas clametis? &c. " Sane fidem præstitit; extant enim inter Homilias in lucem editas, omnes hujusmodi Orationes, atque inter eas doloris simul, & amoris plena eminet, quæ ab Ipso habita fer. VI. in Parasceve, ultra geminas horas certe protracta est. Sed dum Pastorale munus suum impleret concionando, idem exegit etiam a suis eo tempore, & tanta religione, ut vellet, eos sermones, qui a Plebium Præfectis, aut Theologis ex Canonicorum Collegiis haberentur ad Populum, quemadmodum jusserat, transmitti deinde ad se scriptis consignatos, & simul habere specimen eorum laboris, & doctrinæ. Omitto gravissimas de Hæreticis quæstiones habitas, propter quas plurimæ erant cum Romanis Quæsitoribus ineundæ consultationes: Bergomensium, Brixiensium, Vercellensium, & Laudensium controversias sibi dijudicandas, cum quædam hoc anno videatur in Eum ingruisse componendorum dissidiorum tempestas. Adde Transalpina negotia, & exterorum, cum Borromeus ipse, tamquam de otio suo doleret, plures Italiæ Episcopos, & Ragazzonium præsertim per literas solicitasset, ne quidquam Illi de suarum Diœcesium; hic vero de Galliæ rebus se latère sinerent. Einsidelensis ipse Abbas, & Princeps alio uti noluit Pontificiæ voluntatis interprete, quàm Carolo, pro impetrando Pontificalium usu, & Pontificiis insignibus. Sed jam peracta a Bossio Laudensi lustratione, plena omnia seditionum ea in Urbe erant. Has ut comprimeret Archiepiscopus ad Amidanum Vicarium scripserat monens: „ Ut pro virili, quæ „ statuta erant, servaret: Argueret, increparet, moneret, solaretur amice, & *in omni patientia* sedi„ tiosos omnes: Facile in rebus salutaribus exaspe„ rari animos, cum novæ leges feruntur: Semper „ initio statuta salubriter aliquem doloris sensum „ commovere; deinde, si retineantur viriliter, sum„ mum fructum afferre, atque iis sanari inveterá„ tos morbos quosque. " VIII. Cal. Aprilis SS. Rosarii Societatem in Metropolitana Basilica excitavit, ut indicavit in Epistola ad Specianum data die posteria: „ Jamdiu optabam conflare piam in Basilica „ mea hominum Sodalitatem, quam SS. Rosarii ap„ pellant, tùm ad amplificandum Templi hujus de„ cus, cùm ad publicam Civium Religionem fo„ vendam, ac recreandam. Id consilii tandem per„ ficere statui munitus Apostolica facultate (hanc „ obtinuerat per Breves literas datas postrid. Non. „ Jan. MDLXXX.) Itaque hesterna die, scilicet Do„ minica Palmarum, nobili prius celebrata supplica„ tione, & infinita Populi stipante multitudine, „ cum undique affluerent Cives ad Jubilæi donum „ percipiendum, quoniam idem erat etiam sacer „ Deiparæ ab Angelo salutatæ dies, ad Aram S. „ Mariæ de Arbore nuncupatam, hanc Societatem, „ Deo auspice, institui. Extat ad hoc Altare B. V. „ Imago summo apud Cives in honore habita. „ Adscribi Sodalium albo voluere Dux ipse Arra„ gonius, ejusque Liberi, & ex ejus Fratre Filii: „ Ex Patricio Ordine Nobilissimi complures; atque „ subinde majorem semper spero numerum aggre„ gandum. " Hoc die, scripsit Magistratus Præses Simon Bossius in Apotheosis Tabulis, donatum se a Carolo Mariana, ut vocant, Corona, quam juravit se tanti semper feciſſe, ut religiosissime semper asservaverit, tamquam Borromei manu consecratam; & anno MDCIII. dum productus de Illius Sanctitate testis hoc confirmaret dictis suis, Coronam eamdem Judicum oculis obtulit cum maxima reverentiæ, & obsequii significatione. Sed postmodum cum iniret Hebdomada in Authentica, ab humanis curis omnibus animum omnino abstraxit. Meditabatur etiam lupinis unice in id tempus vivere; sed vetitus Pontificiis literis, abstinentiæ rationem mutavit, pane, & aqua usus. Præterea contra morem cœpit etiam scribendo abstinere, quod nunquam antea; hinc redditis sibi Speciani literis responsum hoc laconicum dedit: *Propter sacras hisce diebus occupationes meas, hoc unum monco: fasciculum literarum tuarum a me fuisse acceptum. Deus te suis donis augeat.* Hæc mihi quidem mira videntur expendenti uberem, quæ suppetebat Cardinali, rerum scribendarum segetem, & quotidianum ferme Ejus morem Romam scribendi quidquid in dies accideret. Quemadmodum enim plurimas in hebdomadas singulas Româ accipere literas consueverat; sic perraro illuc suas mittere epistolas solebat, quæ pluribus chartæ foliis non comprehenderentur. Paschali hebdomada Marcum Aurelium Grattarolam Plurium legavit ad Catholicorum res in Cisalpinis fovendas: Deinde cum audisset, ex Pontificio mandato imposita Bononiensi Clero vectigalia, Gregorium, ut hoc onere eum liberaret, rogavit, causatus rem pessimi exempli reliquis Principibus fore. Et sane triennio ante curaverat sublevandos tributis Theatinos Patres in Magni Etruriæ Ducis ditione, permotus scilicet precibus S. Andreæ ab Avellino, cujus ego literas legi; & geminis ante mensibus idem optaverat pro S. Pauli Decollati Clericis. Insequente octiduo demum se Gropellum recepit, ut instantis Concilii supellectilem compararet; quo tempore plura cum Pompejo a Cruce coram egit pro Catholicorum Helvetiorum favore, & gratia concilianda erga Mesaucos, & Vulturenos, & mitiganda in eos Curiensium Hæreticorum ira. Verum ferme exciderat calamo novum Caroli optima in Transalpinos voluntatis testimonium Paschales intra dies exhibitum. Audi quid eorum gratiâ postulaverit a Cardinali Altemps per Specianum Procuratorem suum: „ Maxime vellem, ut novum Col„ legium institueretur ad Helvetios pueros Gram„ maticæ elementis informandos. Etenim optarem, „ qui in Mediolanensi Collegio excipiuntur adole„ scen-

Digitized by Google

Circa Idus Aprilis convenere Mediolanum Diœceſis univerſæ Sacerdotes, extrema Paſtoris amantiſſimi monita audituri. Quatuor in ea Synodo orationes Ejus fuere, quibus primum illud petebat, ut omnes, & ſinguli quocumque titulo Sacris addicti vocatos ſeſe ad Concilium non ſervandæ conſuetudinis, ſed augendæ virtutis cauſa intelligerent: Quem Mediolanenſis Eccleſiæ dolorem fore, ſi documenta, & ſanctiones ſuas jam pene in omnia Regna diffuſas tanti æſtimari ab exteris; negligi vero aut peſſumdari a Sacerdotibus ſuis videret? Conciperent ergo cogitationes miniſterio ſuo dignas, ac mentem omnem ſuam in Deo unice defigerent, ex cujus aſpectu Propheta tantum vigoris, animique perceperat, ut ſtatim operam ſuam ad difficillima quæque obeunda exhiberet. Hæc cum diceret, tantus divinæ caritatis ardor non in verbis modo, verumetiam in Ejus ore, atque oculis eminebat, ut jam majore ſui parte in Cælum raptus, Superiſque ſimilior, quam hominibus videretur. Quo plane ardore adeo multorum animos inflammaverat, ut, ſi Rhæticas Alpes propagandi Euangelii cauſa adiri juberet, prompte ſe ituros pollicerentur (*a*).

Exeunte Aprili cum inventæ Dominicæ Crucis anniverſaria commemoratio immineret, noluit annuere precibus Guillelmi Gonzagæ Mantuæ Ducis, utcumque ſibi amicitia, & affinitate conjunctiſſimi, a quo videlicet rogabatur, ut Principis filii nuptias adventu ſuo condecorare dignaretur. Nec tamen ea ratio impedimento fuit, quominus noctis unius ſpatio Brixiam excurreret, ut Joanni Delphino ejus Urbis Epiſcopo animam agenti ſuprema auxilia ſuppeditaret. Ibi dum morientis lectulo uſque ad ultimos anhelitus aſſidet, dum lugubrem Templi apparatum expectat, dum funeris cæremoniam peragit, dicata ſalutiferæ Crucis Inventioni dies pene inopinanti ſupervênit, quam per ſe ipſum celebrare omnino decreverat, ne Auguſtini Valerii Cardinalis expectationem, quem ad id ſolemne invitaverat, ac Populi undique confluentis deſideria falleret. Veſpere itaque Brixia cum diſceſſiſſet, mutatis ad curſum equis ante ſolis ortum Mediolanum pervênit. Pontificale Sacrum, & graviſſimus ad Populum ſermo, & ſupplicationis labor, quo conſecratum Chriſti ſanguine Clavum per Urbem circumtulit, nocturni itineris ſolatia fuere. Crederes cæleſti Spiritu inſtinctum nullo jam ad agendum cibi, aut quietis beneficio indigere. Id certe jejuniorum, vigiliarumque patientia, & aſſiduitate obtinuerat, ut non tam Ipſe naturæ neceſſitatibus, quam natura ipſa Ejus voluntati ſerviret (*b*).

CA-

„ ſcentes, apti jam ad Philoſophiæ haurienda præce-
„ pta eſſent; aliter cum hìc in Grammaticalibus tri-
„ cis tempus terant, nimium differtur percipienda
„ ex illis Alumnis utilitas. Deinde vereor, ne com-
„ paratum hoc Helvetiis gratis vivendi commodum
„ poſſit in poſterum cum Eccleſiæ diſpendio in No-
„ bilium dumtaxat uſum cedere. " Adeo beneficentiam ſuam ad plures, & quantocyus poſſet, ad Eccleſias pervenire optabat Borromeus.

(*a*) Extant ad calcem Actorum Mediolanenſis Eccleſiæ nobiliſſimæ latinæ Orationes, quas in hac Synodo habuit. Percepti fructus unum ſpecimen affero: literas ſcilicet Caroli ad S. Michaëlis in Canturienſi Oppido Rectorem datas, ex quibus facile cognoſcemus, quem animi ardorem excitaſſet in ſuis: „ Recreavit me conſtantia tua in ſuſcepto conſilio, „ quod geminis jam literis ſignificaſti, dum paratiſ- „ ſimum te offers in Meſaucos ire ad Dei honorem „ curandum, atque Animarum utilitatem. Tanto „ autem vehementius gaudeo, quod illuc mitti po- „ ſtulas, ubi major ſit periculi metus, & laboris „ occaſio. Deum, qui tam bonam mentem dedit, „ obſecra, ut conceptum ejus dono deſiderium fo- „ veat, cum Divino maxime auxilio indigeas, ne „ ardorem hunc tuum importune comprimant, aut „ refrigerent ea impedimenta, quæ domeſtici noſtri „ præſertim, & hominis ſenſus objiciunt. " Hoc Synodi tempore religioſius etiam, quam antea, ab humanis curis revocavit animum; nam comperio Speciani literas ad geminam hebdomadam ſine ullo reſponſo fuiſſe dimiſſas.

(*b*) Mediolanum invitatus, convenerat Brixiæ Carolum Valerius; cumque Illum Delphino extincto parentantem inveniſſet, condictum fuerat, ut Veronenſis Borromei vices in proximam celebritatem Mediolani ſuppleret. Fruſtra tamen initum conſilium fuit; nam nocturno citatiſſimo itinere huc convolavit Carolus, atque Urbem ingreſſus eſt, civibus admirantibus, inter quos diſſeminata jam fuerat fama, adeſſe in tempore Archiepiſcopum non poſſe. Cum adveniſſet horâ octavâ, mutata veſte breviter ſe ad ſermonem habendum comparavit; mox in Baſilicam ad preces Matutinas, & reliqua de more obeunda tetendit; quibus perfectis animadvertêre famuli, Eum bidui

Digitized by Google

CAPUT IX.

Legnanum illustre Oppidum Canonicorum translato Collegio ornat: Geminos Antistites inaugurat.

1584. AUgustino Valerio Veronam remisso, Carolus Parabiagum, ac Legnanum duos in agro Mediolanensi similes Oppidis vicos processit (*a*). Canonicorum Collegium Parabiagi (†) antiquitus fuit, qui tamen processu temporis hoc sibi privilegium sive ex tenuitate proventuum, sive ex diuturnitate negligentiæ fecerant, ut nomen solummodo, & prædia, omisso officio, retinerent. Omnis insuper in Præpositum animarum cura incubuerat, longe gravior ob incolarum multitudinem, quam ut

---

bidui ferme spatio cibo omni, & potu abstinuisse, ut testatum in quæstione habita de Caroli rebus fuit; nam XL. horarum spatio inter sermones, & preces in eo Templo perstitit constantissime. Novem deinde dies secum in Urbe Valerium tenuit, cum quo plura egit de suo *Orationis Tractatu*, quem Sabulonetæ nondum limatum eidem tradiderat; & præterea de Homiliis suis in ordinem redigendis, quas superioribus etiam annis postulaverat idem Valerius edendas in lucem, licet Caroli modestia plura semper impedimenta objecisset; atque hujus Veronensis Antistitis officiis debemus Caroli consilium, postremas conciones suas permittentis a Possevino Familiari suo latine reddi; quoniam mihi constat, injectam quamdam Illi a Valerio religionem, ne tam frugiferam supellectilem ire pessum pateretur.

(*a*) Piget hæc evolvere, quæ peracta sunt Sextili mense, atque interim intacta dimittere, quæ mense Majo indefessam Caroli solicitudinem absorbuere, antequam apte cetera suo loco explicemus. Nihil itaque de sacra administratione remissum: Frequentes habitæ de more conciones, & sæpius etiam in diem. Laboriosæ celebratæ Triduanarum Rogationum supplicationes, inter quas verba Populo faciens, votum suum de Rhætis Ecclesiæ gremio reddendis dissimulare non potuit. Pentecostes diebus Sacrum Chrisma petentibus ministravit in SS. Nazarii, & Laurentii Basilicis; Populum commovit ad expiatorias preces fundendas pro Defunctorum eorum Manibus, qui pestilenti anno amandati ad publicum Limocomium, in S. Gregorii Cœmeterio tumulati fuerant. Hoc publicarum precum institutum jam anno superiore induxerat; sed nunc magis vehementi oratione usus, conatus est depulsæ calamitatis memoriam renovare, docens proposito flebili illo exemplo de *terra compactum hominem in terram reversurum*. Neque minus solerter sub mensis finem supplicabundos Cives gemina concione inflammavit, data occasione fervidæ tempestatis, quæ segetis spem videbatur adimere. Verùm hoc quietum erat laboris genus: Graviores Ejus animum aliò evocabant curæ. Provinciæ Episcopis omnibus per literas commonitis, ut large subsidia adjungerent pro excitando Romæ hospitio sub S. Ambrosii nomine ad Peregrinos harum regionum Sacerdotes excipiendos, alendosque, suorum necessitati providit primò. Mox alienos etiam sustentare contendit. Redierat Mediolanum Fornerius a Gallico Oratore ingentibus oneratus promissis: Quare nunc impetratas a Pontifice Breves exhortatorias ad Helvetios Literas pro tuenda communi Religionis causa, misit ad Nobilem Lucernensem ex Pfiffer Familia, & Chiliarcam Lussium. Oravit præsertim, ut everti Hæreticorum Collegium in Vulturenis curaret; paulo ante siquidem ab iis regionibus missum ad Helvetios Legatum excepérat domi suæ, & a se digressum muniverat hisce literis: „ Vir, qui a Catholicis „ Sondrii, & Posclavii ad Dominationes Vestras au„ xilii impetrandi causâ mittitur, ad me divertit, „ meamque operam efflagitavit, ut eam, quemad„ modum debeo, quamcumque navare iis possim „ totam in eorum spiritualem utilitatem impendam. „ Neque vero afflictis illis rebus aliunde, quod re„ quiritur, remedium expeditius, atque aptius af„ ferri posse mihi persuadeo, quàm a Dominationi„ bus Vestris, quarum studium in Christianæ Fidei „ causis agendis, tuendisque nuper etiam satis per„ spectum, exploratumque habui, cum Vallis Me„ solcinæ negotia agerentur. Facere non possum id, „ quod muneris mei est, quin has literas dem; „ & Dominationes Vestras etiam, atque etiam ro„ gem, ut siquid unquam curæ habuerunt, siquam„ ve causam protexerunt, hanc, quæ Jesu Christi „ est, toto animo, totoque conatu amplectantur. “ Neque interim Ipse cessavit: Grattarolam adhuc ad quatuor menses Plurii jussit subsistere: Dominicum vero Boverium voluit Sondrium proficisci; quo in loco fervebant maxime jurgia propter Hæreticorum Collegium, & res prope seditionem venerant. Neque dissimulavit voluntatem suam in Uraniam proficiscendi, ut conjunctis auxiliis possent omnes publicæ causæ prodesse Revera offerebatur justa illuc penetrandi causa, cum solicitaretur a Lussio, ut in Uranienſibus Capuccinorum PP Templum rite consecraret. Verum cum nondum in hanc rem literas a Pontifice accepisset, sententiam mutaverat, & moliebatur lustrare Locarnum cisalpinum Helvetiorum Oppidum, juxta acceptam biennio ante in eas Novocomensis Diœceseos regiones potestatem. Quamquam ab hoc etiam perficiendo abstinuit, postquam accepit tres ab Helvetiis Catholicis Legatos, scilicet Nobb. Nicolaum Krus Lucernensem, Ambrosium Büntiner Uranienſem, & Equitem Sciornum Stritiensem destinatos jam esse, qui Curiam mitterentur. Sic ab hac parte in meliorem spem erectus, aliò cogitationem convertit. Huc venerant Vercellensis Collegii Cathedralis Archipresbyter, & Canonicus Berzettus de Collegarum suorum diffidiis cum Carolo acturi; & brevi colloquio pacem inter eos firmavit Ferrariæ perficiendum erat Seminarium, ut multo ante Ipse etiam rogaverat; & suppeditatis abunde pecuniis juvit. Lustrandum Pedemontium erat a Viterbiensi Episcopo; neque Carolus consiliis suis defuit, præsertim cum Antistes

ille

Digitized by Google

ut ſuſtineri unius hominis viribus poſſet. Hoc emendare aggreſſus Cardinalis, cum omnia difficultatibus obſepta inveniret, binis ibi Sacerdotibus conſtitutis, quorum alter Præſes in Sacrorum adminiſtratione, alter adjutor eſſet, Collegium ipſum, ac regionis Præfecturam Legnanum (*a*) tranſtulit, cujus loci nobilitati nihil plane præter ſplendorem Eccleſiaſticæ rei deerat. Ita ex quatuor, quæ tranſtulit, Sacerdotiis, totidemque ejuſdem generis aliis, quæ jam olim inſtituta inibi invênit, Collegio uno conflato, reſtitutoque pſalmodiæ cultu, animarum etiam regimini eadem occaſione conſuluit. Nam cum unicus antea Sacerdos mercede conductus tantæ multitudini præeſſet, quantam efficere quingentæ familiæ poterant, perpetuam hanc eſſe Præpoſiti provinciam ſtatuit, duoſque ei ex cœtu Canonicorum adjunxit, quorum ope in Paſtorali miniſterio uteretur (*b*). Hæc Sextili menſe acta, quo itidem menſe, intermiſſa viſitatione, ſemel, atque iterum Mediolanum veniens Ludovicum Michaëllum

ille juſſus a Gregorio fuiſſet, ne digitum quidem diſcedere ab iis legibus, quas Borromeus dediſſet. Tuſculani in Agro Brixienſi Templum, quemadmodum Mediolani etiam S. Petri in Campo Laudenſi erat excitandum: hinc illud, impetratis Româ nonnullis defuncti Brixienſis Epiſcopi cenſibus; hoc, Carthuſianorum Aſcetarum poſtulatis auxiliis, extruendum curavit. Romæ occurrebat reficienda ſacra Ædes S. Pudentianæ; idcirco Sfondratum Cardinalem oravit, ut hunc ſibi ſumeret Titulum liberalitate ſua ornandum; lepide cauſatus SS. Pudentianam, & Praxedem Sorores par a geminis Mediolanenſibus Cardinalibus ſubſidium poſtulare. Conventualium Fratrum tempora novas leges poſtulabant; itemque Mediolanenſe Fratrum S. Auguſtini Monaſterium: Utriſque comparatum auxilium eſt; quare illis poſtulatus a Pontifice in ea opportunitate comitiorum Univerſi Ordinis, quæ tunc habebantur, optimus Præſes fuit; & poſtquam electus eſt probe per literas inſtructus: iſti Moderator eximiæ virtutis impetratus ab Antiſtite Derthonenſi. Bergomi multa compoſita in primario Canonicorum Collegio propter exortas de dignitate controverſias: Brixiæ conſultum Supplicationum publicarum majeſtati, dum SS. Euchariſtia Urbe deferretur, juſſis omnibus ſupplicabundis accenſum cereum manu præferre: Mediolani curatum, ut Archiepiſcopali juri ſubjicerentur Præfecti Templo Deiparæ ad S. Celſum, poſtquam litem omnem inter hos, & S. Salvatoris Canonicos diremerat. Ultimo ſolemniter S. Annæ Deiparæ Matris memoriam coli per Pontificias literas voluit, atque operis vacare ſacram eidem diem, in Diœceſi tamen dumtaxat, & Provincia Mediolanenſi. Hæc menſe Majo acta.

(†) Locus hic inſignis eſt celebri victoria, quam contra Lodriſium exterorum militum copias ſecum trahentem ad noſtræ Urbis excidium Mediolanenſes Azonis Vicecomitis ductu, atque auſpiciis retulere, cælitus tamen S. Ambroſii ope, & præſentia ſuſtentati ad annum MCCCXXXIX. ad diem XXI. Februarii. Traditum eſt enim, S. Ambroſium ſplendide nubi inſidentem, & flagello armatum viſum fuiſſe in æſtu pugnæ, atque adeo hoſtes perculiſſe, ut versâ prælii fortunâ, qui antea habebantur pro victis Mediolanenſes, e prælio victores excederent. Ejuſdem victoriæ memoria ex multorum ſententia fuit in cauſa, ut tum primum armatus flagello Ambroſius pingeretur, & quotannis celebris recurret ac feſta Civibus noſtris beneficii recordatio; Quare ad ſacri etiam gaudii teſtificationem inducta eſt in veteres Miſſales libros *Miſſa de victoria S. Ambroſii ad Parabiagum*, cum celebri præfatione, quam hìc referre non vacat; præſertim cum ab Eccleſiæ noſtræ ritibus eam Carolus expunxerit. Si plura in hoc velis, conſule Cl. Sormanum in altero ex Apologiſmis ſuis, quem inſcripſit *De anathemate S. Ambroſii contrà Gallos*.

(*a*) Celebratum hoc Oppidum ſuperioribus etiam ſeculis fuit in Mediolanenſi hiſtoria, tùm propter deletum Friderici Ænobarbi exercitum anno MCLXXVI., ut ex Othone Morena; cùm propter electum ibidem domicilium a Beato Leone de Perego Mediolani Archiepiſcopo, quo tempore populari ſeditione, & Turrianorum potentiâ ab Urbe pulſus, ſolum vertere coactus eſt. Extant adhuc Palatii ab eodem Leone excitati veſtigia; quandoquidem hic diu exul verſatus eſt, ſcilicet uſque ad vitæ ſuæ exitum, quemadmodum docent MSS. quædam & vetuſta ejuſdem loci Chronica, in quibus legitur Beatus Leo ſupremum diem obiiſſe Legnani anno MCCLXIII., licet Corius, Ughellus, aliique emortualem ejuſdem deſignent annum MCCLVII. Hoc adnotandum cenſui, ſiquis fortaſſe lateret in aliorum Hiſtoria error putantium Leonem ex vivis expunctum, quo anno dumtaxat ab Urbe fuit exturbatus. Sane Succeſſor illi datus eſt dumtaxat anno MCCLXVI. Otho Vicecomes, ut docet ipſum Othonis Epitaphium, ex quo aliquis relinqui poteſt conjecturæ meæ locus; neque enim credibile eſt, tamdiu vacuam iis temporibus fuiſſe hanc Sedem. Sed ut ad Carolum revertatur ſermo, ex iiſdem chronicis conſtat, Borromeum, cum Legnanum veniſſet, audiſſeque Beati Leonis corpus eo in Oppido ſepultum latère, diligenti tandem conquiſitione repertum intempeſta nocte, & ſummo ſilentio Mediolanum tranſtuliſſe. In quo S. Ambroſii ſolertiam imitari, credo, voluit, qui B. Dionyſii Epiſcopi Mediolanenſis corpus S. Baſilii operâ ab ultimis uſque Cappadociæ finibus in hanc Urbem tranſmittendum curavit.

(*b*) Ea Oppidi pars, quæ Orientem ſpectat, interfluente Olona fluvio, a partis alterius commercio diremta præſens ſubſidium poſtulabat. Quare ex Canonicorum Collegio unum elegit, qui diviſæ illius partis Sacra præſens moderaretur, ne intercepta per alluviones fluminis Oppidanorum communione, Sacris deſtituerentur, qui eam incolerent.

Digitized by Google

lum, & Octavium Parravicinum, illum Albæ, hunc Alexandriæ Epiſcopum conſecravit (*a*).

CAPUT X.

Altero Capuccinarum Virginum Aſceterio Urbem illuſtrat: Novarienſi Epiſcopo defuncto inferias affert. Vercellis plura ex Pontificio mandato componit: Ad inexplebile Sacri Lintei viſendi ſaturandum ſtudium Auguſtam Taurinorum contendit.

1584. MEnſe Septembri novum aliud Mediolani Pœnitentiæ, & Virginitatis aſylum auctore Carolo exoritur; ſive ne ulla anni pars ſine aliqua inſigni Ejus gloria præteriret; ſive ita decebat, ut quibus Ille virtutibus vitæ ſuæ primordia dicaverat, ultimas quoque Paſtoralis officii curas impenderet. Annibal Viſtarinus, & Joanna Uxor nulla re melius emendari poſſe ſterilitatem conjugii ſui crediderant, quam ſi domeſticas opes, quas ſatis amplas habebant, in pium aliquod opus erogarent. Hujus exequendæ voluntatis curam, annuente marito, Joanna in ſemetipſam receperat; multiſque initis cum Sacerdote conſiliis, quem ad ſecreta conſcientiæ adhibere conſueverat, puellarum cœtum coadunare ſtatuit, quarum nec pronus ad nuptias animus, nec tuta in paupertate virginitas eſſet. Sex ſupra viginti jam erant, quæ Monaſterio empto, quod olim de Orone

(*a*) Multa hoc loco in mentem veniunt, quæ ſuo collocari non poſſunt loco; quandoquidem everſa chronotaxi, video ſtatutum Legnani Canonicorum Collegium, deinde expoſitam gemini Epiſcopi conſecrationem; licet illuc Canonici inducti ſint Sextili menſe, & ex Epiſcopis Albenſis ante Junii exitum, Alexandrinus Idibus Quintilibus fuerit conſecratus. Quare ad ſtatuendum rectius rerum ordinem, & implendam, quæ hic patet, lacunam, video neceſſariò retexendam hiſtoriæ ſeriem a Maji exitu uſque ad provectum Septembrem. Itaque Junii initio luſtrare aggreſſus eſt Carolus Diœceſeos partem in planitie ſitam, Caſſiratum ſcilicet, & Lactarellæ plebem; quare pridie Nonas in Campo-mortuo ſubſtitit. Ibi Eum convênit Dorothea Brunſvicenſis Filia ejus Chriſtiernæ, quæ primum Franciſco II. Sfortiæ, deinde Lotharingiæ Duci nupta, tum Derthonæ morabatur. Ad hanc inviſendam hoc tempore in has regiones venerat Dorothea, comite aſſumpto Henrico II. Brunſvicenſium Duce Marito ſuo; & forte in Ticinenſi Urbe degebat. Itaque audito Borromei in Campum-mortuum adventu, ad Eum feſtinavit, ut SS. Euchariſtiam ex Ejus manu perciperet. *Licet enim* (utor Caroli ipſius verbis in Homilia, quæ ad eamdem diem in ea Villa habita ab Illo eſt, & per Amanuenſis fortaſſe errorem in quartam Maji diem rejecta, dum ederetur in lucem) *licet*, inquam, *Caro, & Sanguis dictaret Dorotheæ, non decere ipſam ex florentiſſimis Civitatibus ſe ſe in ea rura conferre, & cum paupere, vilique Plebe ad Sacram Menſam accedere; Attamen clauſit aures Carni, & Sanguini, illiuſque frivolas ſuggeſtiones rejecit, & Spiritum Sanctum audiens, Illius acquievit ſermonibus.* Quamquam aliæ etiam latebant cauſæ, propter quas Carolum convenire Dorothea vellet. Biduo poſt Cardinalis dum Zibidi eſſet, hæc ad Specianum ſcripſit: „ Dum Mediolano abſens conterminas huic, in qua „ verſor, Villæ regiones luſtro, Dorothea Brunſ„ vicenſis Dux, & Chriſtiernæ a Lotharingia Filia, „ hoc tempore Ticini degens, & conſcia cauſarum, „ de quibus ad eam Urbem ego nollem accedere, „ maluit huc ad me venire, dumque Sacra perage„ rem, SS. Euchariſtiæ donum percipere. Egit „ deinde mecum in privato colloquio de nonnul„ lis, quæ perſcribam aliàs. Sane piam admodum, „ ac religioſam Principem vidi." Multis deinde poſt diebus Dorotheæ vota eidem Speciano, & Cardinali Novocomenſi in hæc verba expoſuit: „ Cum „ me convênit, obſecravit Dorothea Brunſvicenſis, „ ut Summum Pontificem ſolicitarem officiis meis, „ quo Hiſpaniarum Regi admoveantur preces pro „ Mariti opera, atque obſervantia in Philippi obſe„ quio collocanda. Vellet autem Brunſvicenſem „ Ducem aliquo apud eum Regem honoris gradu „ ornari, qui dignitati ſuæ conſentaneus eſſet. Ad„ didit, optimam hanc occaſionem fore, ut Conjux „ longe a ſua ditione abſens arceatur ab iis Animæ „ periculis, quibus laborat, atque abundat Germa„ nica, quam hactenus incoluit, Regio. Poſtulan„ tis Dorotheæ pietas, & religio fuit in cauſa, ne „ ejus vota repudiarem; præſertim cum ageretur de „ tam nobili, & optime merita Familia, atque „ honeſta admodum peterentur. Itaque obſecro &c." Campo-mortuo digreſſus Cardinalis Zibidum proceſſit. Atque hic opportune ſubit referre, quod in ejus loci luſtratione Carolo dicitur contigiſſe, licet illud nullis monumentis publica fide munitis teſtatum habeam. Fert communis incolarum ejus loci, aliorumq. perſuaſio, ad S. Jacobi Templum haud multum Zibido diſſitum, ubi degunt Carmelitæ Fratres, latère in prægrandi marmorea Arca, quæ ibi extat, ejus S. Apoſtoli reliquias. Perſuaſioni autem huic favere videtur ipſum Zibidi nomen, quod impoſitum eſt Villæ. Igitur dicitur Carolus, cum huc adveniſſet, voluiſſe Arcam eam loco movere, & conditas ſacras exuvias ſcrutari; verùm divino oſtento commonitus pias manus abſtinuiſſe; obſequium tamen ſuum detuliſſe ſarcophago, quem pretioſo, & auro interlito peripetaſmate coopertum, donis etiam ornavit. Oſtenditur adhuc ab Incolis hæc ſtragula veſtis, quam Borromei manu oblatam teſtantur. Zibido diſcedens Trucazzanum adiit die VIII., deinde Meltium die XI.

Digitized by Google

XI., unde digreſſum lego Mediolanum ad eamdem diem veniſſe; Hinc die poſtero in S. Sepuleri Ædibus ſermonem ad Oblatos habuit, repertum inter MSS. Cl. Collegæ mei Joannis Andreæ Irici. Paulo poſt Modoetiam profectus, triduum circiter ibidem ſubſtitit; & potiſſima hujus itineris cauſa fuerunt vota P. D. Caroli a Baſilica-Petri, qui enixe rogaverat, ut Congregationis ſuæ Templum S. Mariæ nuncupatum rite conſecrare vellet. Quo tempore item Modoetiæ fuit, juxta Pontificiam, qua pollebat, facultatem, inſtante ejus Oppidi Populo, SS. Roſarii Sodalitatem ibidem excitavit; qua de cauſa aliquæ etiam auditæ ſunt querelæ Ordinis S. Dominici; ſed ocyus etiam prudentiâ Ejus compreſſæ. Per eoſdem dies Principis ejus loci Dynaſtæ periculo conſuluit. Rem hanc Ipſe aperit IV. Cal. Jun. in Epiſtola ad Specianum: „ Cum Modoëtiæ eſſem, Franciſcus de „ Leva Filius Aſculitanæ Principis, quæ Domina eſt „ ejus loci, atque ibidem degit, obtulit mihi ſup„ plicem libellum, quem mitto, meumque enixe „ auxilium poſtulavit. Voti reus optat abſolvi, aut „ ſaltem protrahi definitum jam tempus ad quin„ quennium alterum pro eodem implendo. Etenim „ licèt ille ſpoponderit Deo, ingreſſurum ſe religio„ ſæ Familiæ clauſtra; tamen pro certo habe, ejus „ animum maxime alienum eſſe ab hoc vitæ inſti„ tuto ſuſcipiendo &c. " Sane haud multo poſt compotem voti eumdem fecit Carolus Pontificiâ veniâ impetratâ. Modoetia digreſſus Mediolanum ſtatim venit, unde literas ad Electum Albenſem dedit, ut huc venire maturaret, & ſaltem adeſſet biduo ante VII. Cal. Quintil., quo ſe tranquillius ad ſuſcipiendum conſecrationis munus compararet, mutuiſque ſe invicem colloquiis ad ſanctitatem accenderent, quemadmodum ipſe etiam Albenſis poſtulaverat. Tamen adhuc ad geminos dies Ciſnuſculum divertens, Mediolanum rediit Carolus die XXIII., cum jam curaſſet hoſpitium Albenſis, aliorumque Antiſtitum pro inſtante inauguratione huc feſtinantium honorifice parandum. Itaque Michaellum conſecravit VII. Cal. Quintil., ut præſtituerat; Nobilemque præterea orationem inauguratoriam ad eumdem habuit. Triduo poſt rurſus Ciſnuſculum properavit, ubi præter alia reficiendum erat vetuſtate fatiſcens Templum. Corrogatis multorum Nobilium ſubſidiis, operi manum admovit; Quare inter has curas XIII. circiter dies abſumpſit. Defunctum diuturna hac luſtratione Cardinalem Urbs noſtra iterum excepit, quò evocavit Parravicini Electi Alexandrini deſiderium, qui in Hiſpania uſque degens, cum delatam ſibi eam Inſulam audiſſet, jamdiu per literas Borromeum rogaverat, ut manu ſua Epiſcopum inaugurare ſe vellet, teſtatus, Conſecrationem hanc inſignis beneficii loco fore. Obſecundavit igitur ejuſdem deſideriis Idib. Quintil., ut indicat etiam Homilia tunc habita, & in lucem edita. Ea occaſione cum Electo deeſſet aurea Epiſcopalis Crux collo inſerenda, & ſacris Lypſanis de more referta, nunc primum ſanctè avarus Carolus commodare tantum eidem ſuam voluit: dono quidem dare maluerat; ſed vim munificentiæ ſuæ intulit, religione tactus, quod Pontificias literas biennio ante impetraverat, quibus cautum erat, ne ex Mediolanenſi Provincia, aut Urbe SS. Reliquiæ transferrentur. Scripſit tamen ocyus ad Specianum, ut Pontificiam pro hujuſmodi occaſionibus ſibi veniam impetraret, teſtatuſque eſt: ſe multo libentius donaturum fuiſſe, niſi ea cogitatio uncum donaturo ſibi injeciſſet. Parravicino dimiſſo, multo moleſtiorem in agrum expeditionem aggreſſus eſt. Brevi nimirum excurſione Ciſnuſculum denuo ad urgendum Templi ædificium profectus XI. Cal. Sextil. Inde in Brianteos colles proceſſit. Comitem ſecum habebat Alexandrum Canigianum Aquarum-Sextiarum Archiepiſcopum, qui Mediolani ſe convenerat, acturus de Eccleſiæ ſuæ temporibus, & nunc ſumpturus etiam ſolicitudinis Paſtoralis exempla, ſocius, & particeps laborum eſſe voluit. Cum eo itaque Villam Fori Licinii, Caſelium, atque alia in circuitu loca obiverat jam exeunte Julio. Ineunte autem Auguſto Lambrugum primo, mox Maſnagam, & S. Firmi Pagum, ultimò Puſianum contendit poſtridie Nonas. Septima menſis die cum ad Caſtrum-Martyris eſſet, tabulas confici mandavit *de erectione Collegiatæ Legnani*, de qua in hoc capite Gluſſianus egit. Conſtat id ex Tabulis ipſis a me lectis in Archiepiſcopali Archivo, quæ in hæc verba concluduntur: *Datum, & actum in loco Caſtri-Martyris Pl. Incini in Ædibus Parochialibus Eccleſiæ dicti loci die Martis ſeptimo Menſis Auguſti*. Ex his locis IV. Idus Cantium, III. Aſſium proceſſerat, ubi biduum ſubſtitit; inde Vallem-Brunam penetrans ad ultima uſque Diœceſeos ſuæ confinia ex ea parte progreſſus eſt. Eadem opportunitate luſtrare voluit Pagos nonnullos Mediolanenſis S. Ambroſii Monaſterii poteſtati ſubjectos, teſtatus, ſe nullo pacto velle jure ſuo decedere; nam eoſdem alias etiam luſtraverat. Difficillimum certe hoc iter Carolo per præruptas præſertim ſalebras montium fuit. Quare Balthaſſar Cæpolius Cardinali a Cubiculo in tabulas Apotheoſis retulit anno MDCIII.: „ Se eodem „ anno per eam Aſſii Vallem tranſeuntem vidiſſe in„ dicatum ab Incolis in ſumma caute callem, apud „ quem ingens patebat vorago: Subjeciſſe autem „ qui indicabant, inde venientem Cardinalem cum „ Limontâ digrederetur præcipitem cum jumento ce„ cidiſſe; verumtamen excelſo licèt loco delapſum „ nihil ex caſu habuiſſe incommodi, aut vulneris, „ ac ſi ſponte, ex acclini tumulo deſcendiſſet. " Expeditus iis Vallibus, Ugloni triduo poſt Idus Sextil. fuit, unde Ellum, atque Clivatum luſtrans in itinere, Leucum tandem appulit; ibique, ut jamdiu ſtatuerat, Decretum condidit de Præpoſituræ titulo, & S. Mariæ Magdalenæ Parthenone intra ipſa Leuci mœnia transferendis. Sed alterum ex his Decretum executioni mandatum eſt nonniſi anno IV. ſubſequentis Seculi, quo ex SS. Gervaſii, & Protaſii Templo ad S. Nicolai tranſmigravit Leucenſis Sacrorum Præſes cum Canonicorum Collegio: Sic etiam Parthenonis illius periculis poſt Caroli obitum eum proviſum eſſet, ex Virgines loco motæ non ſunt, atque unam delatæ Carolo obedientiæ laudem egregiam tulere. Hæc inter monitus Cardinalis de Bathorii Româ revertentis adventu jam inſtante, regreſſus Mediolanum perhonorifice eumdem V. Cal. Septemb. excepit, & ſecum comiter ad triduum habuit: quo Venetias deinde digreſſo, Ipſe interim in Urbe ſubſtitit cum Aquenſi in Provincia Archiepiſcopo, in cujus oculis adhuc per plures dies Religionis ſuæ, & ſanctitatis monumenta defixit. Atque hic ille Archiepiſcopus eſt, quem auditorem in Baſilica ſua habuit etiam die XVI. Septembris, cum Homiliam ad Populum haberet, in qua præclaris illis verbis ad eumdem Orationem ſuam convertit: „ Commendat valde, imo neceſſariam prædicat Pau-

„ lus

„ lus Apoſtolus nobis Paſtoribus, & Animarum cu-
„ ram gerentibus, Reverendiſſime Archiepiſcope,
„ hanc ſolicitudinis virtutem, cum ait: *Qui præeſt*
„ *in ſolicitudine*. Et profecto ſolicitos admodum nos
„ eſſe oportet, qui non modo de nobis, ſed de plu-
„ rimis animabus Deo adeo dilectis reddituri ſumus
„ diſtrictiſſimam rationem, qui fidejuſſores ſumus
„ pro tam multis; ideoque merito Sapientiſſimus no-
„ ſtri miſericordia motus, nos tam inſtanter, ut
„ ſoliciti ſimus, admonebat: *Fili mi ſi ſpoponderis pro*
„ *amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam,*
„ *illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſer-*
„ *monibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & tem-ipſum*
„ *libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcu-*
„ *re, feſtina, ſuſcita amicum tuum: Ne dederis ſom-*
„ *num oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ &c.* “
Scio alios in ea opinione fuiſſe, aut ſaltem voluiſſe conjicere in ea Homilia rem fuiſſe cum Card nali Paleotto Bononienſi Archiepiſcopo; ſed præterquamquod ex literis habeo, Paleottum eo tempore vix cœpiſſe recreari ex diuturno morbo, qui eum pene oppreſſerat; Certe neque Carolus præteriſſet Viri illius dignitatem, diſſimulato Cardinalis Titulo. Quamquam ſuppetunt mihi certiora etiam Borromei ipſius teſtimonia, qui Cantii cum eſſet, ſcripſit, eum Archiepiſcopum Aquenſem eſſe in comitatu ſuo; & Mediolanum deinde reverſus in data ad Specianum Epiſtola poſt Non. Septemb. hæc habet: „ Habebis
„ inſertas meis Archiepiſcopi Aquenſis in Provincia
„ literas, qui mecum hic verſatur jam multis ex
„ diebus. Multum recreat me illius conſuetudo:
„ Et Viri Religionem facio pluris, quàm commu-
„ nem Epiſcoporum aliorum pietatem. Etenim mo-
„ ribus probe compoſitis, atque eo animo prædi-
„ tum video, qui vere Sacrorum Antiſtitem deceat. “
Præterea Archiepiſcopus hic Mediolani adhuc degebat X. Cal. Octobris; ad quam diem lego ejuſdem literas Borromeo Vercellis redditas; atque in iis dicit: *Se quatriduo poſt Vercellis fore, ut a Cardinali be-*
nedictionem accipiat, qua munitus, ſtatuet deinde ad Se-
dem ſuam ocyus reverti.

Hæc cum ageret Carolus, facile putaverit quiſpiam tot laboribus Paſtoralem Ejus ſolicitudinem fuiſſe exhauſtam. Verum ſuppetunt adhuc multa, quibus ſolertiam Ille, ac diligentiam impertitus eſt ſuam. Nunquam trimeſtri hoc ſpatio dimovit a Rhætia oculos, excubans in quamcumque opportunitatem, ex qua patére novus illuc aditus poſſet. Nam cum ſciret, menſe Junio indicta eſſe in Urbe Curienſi Procerum comitia, Helvetiorum patrocinium jam Pontificiis literis excitatum, hoc tempore efficacius ſolicitavit; quam in rem Pompejo item a Cruce demandari parem legationem optavit, ut Regis Philippi nomine in Rhætorum cœtu præſidium aliquod Ciſalpinis poſtularet. Imo curaverat etiam adjungendum ſibi præſidium Mariæ Auguſtæ tum in Hiſpania degentis per epiſtolam ad eamdem datam, quam Petro Franciſco de Juſtis Amico ſuo Madriti verſanti commendaverat. Hic deinde reſcribens, officii ſui exitum in hæc verba expoſuit:
„ Obtuli Auguſtæ literas tuas, quo tempore remo-
„ tis arbitris in intimo Conclavi erat. Ipſamet
„ reſignavit manu ſua, atque me adſtante totas le-
„ git. Quandoquidem vero me familiari ſua con-
„ ſuetudine dignatur Maria, lectis literis, amice
„ de Te percunctari plura voluit, & de moribus,
„ atque inſtitutis Tuis avide præterea quæſivit. Tot
„ de Te dicta invicem ſunt, eoque proceſſit ſermo-
„ nis ardor, ut me præ gaudio lacrymas non te-
„ nente, illa etiam in fletum erumperet ſuaviſſime;
„ cumque adhuc lacrymabunda dimitteret, rogavit
„ ut die poſtero ad ſe redirem, novumque de Te
„ ſermonem inſtituerem. “ Interim Carolus Novocomum Bernardinum Moram miſerat, ut cum ejus Urbis Epiſcopo de Ciſalpinorum temporibus conſultaret; Qua etiam de cauſa ad Chiliarcam Luſſium, Amanum Tannerium, & Scultetum Pfiffer legaverat Familiarem ſuum Bernardinum Taurufium. Sane adeo in Vallium earum luſtrationem imminebat ſpe, ut rem jam factam putaret. Idcirco licèt munitus Pontificia facultate, optaverat etiam a Cardinali Altempſio, & poſtulaverat per literas veniam *Templa conſecrandi, & Pontificalia obeundi in Dioeceſi Conſtantienſi*, cujus idem erat Epiſcopus. Præterea Epiſcopo Curienſi, exeunte Junio, hæc ſcripſit: „ Etſi
„ ſemper expetivi cum Amplit. Tua coram de mul-
„ tis agere ad hanc Viſitationem ſpectantibus; ta-
„ men huc uſque *per multas Eccleſiæ meæ occupatio-*
„ *nes* “ (miror in hiſce poſtremis verbis, quz manu ſua Borromeus adjecit, maximam Ejuſdem humanitatem, qui noluit Curienſi Epiſcopo objicere repugnantis animi ſui vitium, quod nos alibi innuimus) „ mihi non licuit. Sed ſpero, me bre-
„ vi ad quædam Valli Meſolcinæ finitima meæ Dioe-
„ ceſis loca acceſſurum, quò, non dubito, quin
„ Amplit. Tua a me prius de meo acceſſu com-
„ monefacta libenter conventura ſit, etiam Vallis
„ Meſolcinæ pro ſuo Paſtorali munere viſitandæ oc-
„ caſione, ut tunc & meo ſatisfaciam deſiderio,
„ & non exiguo utrique ſolatio in Domino officia-
„ mur. “ Vere moras mihi etiam viſus eſt nectere ad hanc expectandam opportunitatem exeunte Julio; nam per id tempus eorum comitiorum exitum expectabat.

Verùm triſte admodum reſponſum Curienſium fuit, qui, ut ſupra retulimus, obſecrantium, atque urgentium undique Principum expectationem eluſere. Patienter, ut omnia, tulit hoc Carolus, & tanta dejectus ſpe, intermittere tamen ſuorum æque, atque aliorum curam noluit. Neque divino, neque humano diffiſus auxilio, conatus eſt expugnare Hæreticorum perfidiam fuſis primo ad Deum precibus, novis deinde comparatis præſidiis. Ubi primum refragari voto ſuo Rhætos audiit, per ſe ipſum permovere Philippum Regem ſtatuit, quandoquidem videbat irritam Internuncii operam cadere. Datum piis Ejuſdem literis Regium reſponſum ex Hiſpanica lingua fideliter redditum hìc accipe:

Philippus Dei gratia Hiſpaniarum, utriuſque Sicilia,
& Jeruſalem Rex &c. &c. &c.

„ MUltum Reverende in Chriſto Pater, Cardi-
„ nalis Borromee, Nobis admodum care, &
„ multum dilecte amice. Ex Tuis ad Cal. Quin-
„ til. datis, quemadmodum etiam ex Arragonis
„ literis didicimus enucleate, quis fuerit negotii
„ illius exitus; & quid Rhæti de Clavennenſibus,
„ & Vulturenis ſtatuerint. Quod egiſti hactenus,
„ valde videtur conſentaneum ei, quo flagras,
„ vinæ gloriæ ſtudio, atque Chriſtifidelium utilita-
„ tis procurandæ. Maximas Deo agimus gratias,
„ quod felicem labori tuo optime in Meſaucis col-
„ locato exitum dederit: Æquum eſt autem Tibi
„ etiam

„ etiam ab omnibus grates haberi, atque a Nobis „ præſertim, quod facimus, & propenſo ma„ xime animo optamus. Sacrum hoc cœptum „ opus urge feliciter, optimamque retine, quam „ habes, voluntatem; Nos enim quidquid in No„ bis eſt, ultro deferemus in iis omnibus, quæ „ in rem hanc expedire videbuntur. Perge item, „ ut facis, conſiliorum tuorum rationem, ac ſe„ riem Arragonio aperire. Deus interim Tibi, „ multum Reverende in Chriſto Pater, & Cardi„ nalis mihi care admodum, & multum dilecte Ami„ ce, ſemper præſto ſit.

„ Ex S. Laurentii Palatio poſtrid. Idus Auguſti „ MDLXXXIV.

EGO REX.

Revera Carolum favore Regio recreatum, & ſuſtentatum valde fuiſſe conjicio; nam de hujus luſtrationis felici exitu anceps non hærere exinde mihi videtur in literis. Quæ ratio vero inita eſſet cum Arragonio ad eam perficiendam, me latet; cum nihil conſilii ſuſcepti dilucide aperiant epiſtolæ, utpote res hæc in privatis colloquiis agebatur. Quod unice inferre licet ex literis Romam datis, in ea opinione Carolus fuit, ut refragantibus quantum vellent Hæreticis, ſtrenue tamen Vulturenos adiret. Hinc puto Arragonium ad Cardinalis præſidium, ac tutelam ſtatuiſſe metum aliquem admovere, nequid illi contra molirentur. Sane cum Specianus Româ ſcripſiſſet: *Vereri ſe, ne Ciſalpinorum motus in defectionem tandem erumperent, ſejue ultro Philippi poteſtati Vultureni dederent*; timorem omnem Carolus abſterſit reſpondens: *Obſidem ſe Regiæ optimæ voluntatis fore; & ſi improviſo concitati Ciſalpini ſe Philippo regendos darent, recepturum in ſe id oneris, ut eas regiones iterum Rhætis aſſerendas a Rege ipſo impetraret*. Alias etiam ſcripſit: *ſe in Rhætorum luſtratione nullis aliis uti velle remediis, niſi ſpiritualibus*, ut ipſis verbis utar. Magnum inſuper momentum conjecturæ meæ ſunt ipſa Caroli verba, qui antequam Aronam proficiſceretur menſe Octobri, ad familiares ſuos converſus: *Nunc tandem*, inquit, *tentandum eſt aliquid præter morem*. Sed de hoc inferius. Præter Regium favorem felix aliud allatum nuncium ex Meſaucis Carolum in tanto dolore recreavit; ſcilicet ineunte Quintili veniſſe in Eccleſiæ Romanæ gremium magni apud Ciſalpinos nominis Hæreticum Samuelem Frontani Filium: Et Broccum inſuper quemdam cum tota ipſius familia execratum impia Sectæ ſuæ dogmata: Præterea videri ubique iis in partibus bene inclinari rem, cum turmatim Hæretici ipſi ad Sacra confluerent.

Sed alia nonnulla ultimò evolvenda ſunt, quæ item trimeſtri hoc ſpatio Carolus perfecit. Vacuum erat per hoc tempus S. Andreæ Sacerdotium in Belgio, quo jamdiu ſe Cardinalis abdicaverat; eumque in abdicationis Tabulis addita fuiſſet, ſe inſcio, clauſula, *cum jure tamen regreſſus*; videretque eum Titulum poſſeſſoris morte in ſuo adhuc jure eſſe, nunc ſplendidius eum repudiavit; optavitque, ut eodem Cameracenſis Epiſcopus ornaretur, cui illud maxime opportunum videbatur propter Eccleſiæ ſuæ tempora; reſervata tamen penſione quotannis ſolvenda partim Archipresbytero Mediolanenſis Baſilicæ Sancti Laurentii, qui natione Anglus cum eſſet, & a Patria pulſus hoc ſubſidio indigebat; partim Griffidio Roberto Anglo item, & Carolo a Confeſſionibus, qui cum Theologi munere in Metropolitana Baſilica fungeretur, & propter linguæ impedimentum Euangelica fungi prædicatione pro munere non poſſet, hortatus a Carolo fuerat, ut ſe dignitate illa abdicaret. In Vigletii Valle Novarienſis Diœceſis Ludimagiſtrum conſtitui voluit, qui pueros gratis erudiret, quandoquidem ad ſe venerant ejus regionis Legati pecuniæ ſubſidium offerentes ad Inſtitutorem alendum. Conſuluit item turbis Laudenſium Civium, qui antiquare recentia Boſſii Luſtrationis Decreta conabantur. Fratribus Ordinis Servorum Deiparæ, qui Angleriæ degebant, novas leges Roma impetravit; cumque pictarum alearum ludum ſummopere execraretur, nonnulla Romanis Patribus propoſuit pro iiſdem leniter eliminandis. Ad Idus Quintil. Modoëtienſem Baſilicam novis tandem ornamentis auxit, acceptis Pontificiis literis, quibus Canonicis iis Almutia, & Antiſtiti violaceum paludamentum deferebatur. Paulo poſt cum Tannerio, qui Mediolanum venerat, egit nonnulla pro excitando Polegii novo Seminario; quemadmodum etiam cum P. Claudio Medulla ſecreto Pontificis Internuncio apud Belgas, qui huc miſſus cum arcanis Alexandri Farneſii literis expoſuerat Belgii calamitates, conſultaverat de aptis Provinciæ illius remediis; atque in ſe receperat fore, ut Pontifex, & Rex Hiſpaniarum officiis ſuis permoti opportuniora ad miſeræ Regionis ſubſidium aliqua ſtatuerent. Idibus vero Sextil., cum abſens eſſet, per Vicarium Audoënum curavit Sanctæ Praxedis Virgines in novum exædificatum Aſceterium transferendas. Moliebatur etiam Somaſchæ Patres in hanc Urbem inducere, Speciano inſtante, ſuaque in hunc Ordinem benevolentia ſuadente; jamque circumſpiciebat illis quamprimum evocandis appoſitam ſedem. Neque exciderat animo Aſconenſis Seminarii cogitatio, cum teſtatus iis Incolis fuiſſet dum Aſſii verſaretur, futurum fuiſſe, ut Præſides Lycæo illi præſens Ipſe daret, ſi peſtilentiæ in ea vicinia graſſantis furor deſæviſſet. Conſuluit ritibus etiam Ordinis S. Dominici, cujus Patribus voluit a Pontifice interdici illa, quæ penes eos in uſu erat, cæremonia; ſcilicet ut Populo benedicerent, dum Sacrificium pro Defunctis offerrent. Præterea haud multo ante (ſive a Rege Philippo rogatus, ſive ſponte, incertum) interprete Ragazzonio obſecraverat Henricum Galliæ Regem, ne favore ſuo aleret in Belgio infinitam Alenconii Fratris ſpem, ex cujus præſentia multa Orthodoxæ Religionis incommoda timebantur. Et ſane Rex ille tantum Borromeo detulit, ut Ragazzonium juſſerit in hæc verba reſcribere: *Bono animo eſſet Cardinalis, quandoquidem nullatenus Philippus Rex fuiſſet exinde Laboraturus in Belgio Alenconii cauſa*. Nonis Septemb. cum videret vacuam Paſtore Brixienſem Sedem plurimis obnoxiam malis, Speciano demandavit, ut Summum Pontificem ſolicitaret verbis ſuis, quo Urbi illi citius daretur Antiſtes; adjecitque, opportune conſulsum fore, ſi Parentii Epiſcopus Cæſar de Nores Brixienſibus Sacris moderandis admoveretur. Extat autem in iiſdem literis immortale ejus viri præconium. Ultimò appono primum, quod mihi ſe obtulit, Caroli mortem præſentientis indicium. Siquidem ante Nonas Auguſti Joanni Botero ſibi a Secretis mandatum dedit, ut diligenter in Sanctorum Actis adnotaret modum, & pietatem, qua ſancti uſi ſunt viri in ſubeundo extremo mortis certamine: Inſuper excerperet ex hiſto-

ne dicebatur, procul ab omni pudicitiæ periculo ejus ſumptibus alebantur (*a*). Captæ deinde amore ſolitudinis, ſtudiiſque pietatis, quæ ſuaviora in dies conſuetudine fiunt, unanimiter rogavere, ut religioſo alicui Ordini adſcriberentur; Nec Viſtarina abnuebat, modo ne ab iis inſtitutionibus ulla ex parte recederent, quas ipſa arbitratu ſuo deſcripſerat. Sed cum multa in iis perperam, & abſurde congeſta Carolus inveniſſet, ſeveriori Franciſcani Ordinis diſciplinæ ultro conſentientes ſub S. Barbaræ auſpiciis adſcripſit, atque ea de re publicas tabulas confici mandavit. Grave id vulnus Matronæ animo fuit, quæ non modo Sodalitii mater, verum etiam magiſtra dici vellet. Itaque cum re adhuc infecta, Cardinalis deceſſiſſet, convocatas in unum Virgines, aut cucullam illico abjicere, aut alibi quærere vitæ alimenta, & faceſſere ex ædibus jubet. Hanc, ut in pia alioquin muliere credere libet, ſexus magis, quam animi contumaciam miraculis iis expugnari neceſſe fuit, quæ initium ſequenti libro facient.

Nunc Carolum ſequi præſtat ex Urbe diſcedentem, nec ultra rediturum, niſi ut in ſinu Patriæ, cui tot immortalis gloriæ monimenta reliquerat, mortalitatis quoque exuvias deponeret. Solemne Illi omni tempore fuerat Provinciæ Epiſcopis in extremo vitæ periculo conſtitutis benigne adeſſe, quo & alios laudabiliter mori doceret, & ipſe amplius diſceret. Itaque cum Franciſco Boſſio Novariæ Antiſtiti paucas jam vitæ horas ſupereſſe accepiſſet, quamquam aliis curis implicitus, deeſſe tam piæ conſuetudini noluit [*b*]; cumque celerior interitus adventu Ejus fuiſſet, caritatis officia, quæ præſtare morienti non potuerat, mortui Manibus dedit. Exequias peragenti Cardinalis Ferrerius ſuperve-

---

ſtoriis teſtimonia omnia Religionis, qua probi homines Sacrum Divini Panis Viaticum morituri ſuſcepiſſent, atque ad ſe ocyus tranſmitteret.

(*a*) Monaſterium hoc ab Orona, ſive Aurona Theodori Archiepiſcopi Mediolanenſis ſorore, quæ illud condidit, nomen etiam antiquitus acceperat, ut videre eſt apud Puricellum in Monum. Baſil. Ambroſ. n. 231. Agit de eo etiam Mabillonius in Annalibus ſui Ordinis tom. IV. Injuriâ temporum cum vacuum eſſet, a Sixto Papa IV., inſtante Galeatio Maria Sfortia Mediolani Duce, effoſsâ viâ ſubterraneâ adjunctum eſt S. Auguſtini Monaſterio, quod e regione ex altera viæ parte extabat. Tamen S. Caroli ætate Illud Oronæ Monaſterium novum S. Agathæ nomen habuerat. Multis, gravibuſque de cauſis Ragazzonius Apoſtolicus Viſitator anno LXXVI. ſupra ſequimilleſimum, obſtructo aditu ſubterraneo per Decretum ſuum, S. Auguſtini Virgines ab ejus poſſeſſione dejecerat, ut legi in ipſis Viſitationis actis aſſervatis in Archiepiſcopali Archivo. Itaque in has vacuas S. Agathæ, ſive Auronæ ædes primò molitus fuerat Carolus Helveticos Alumnos inducere, ut alibi innuimus; nunc opportunlore iis deſignato domicilio, collectis hiſce Virginibus incolendas attribuerat.

(*b*) Die XVIII. Novatiæ ſcriptæ ſunt litteræ Ægidii Boſſii Carolum monentis de impendente Epiſcopo interitu. Die autem eadem ſero redditæ Carolo literæ ſunt; quare ſeptimâ inſequentis noctis horâ ad eum inviſendum ſe in viam dedit. Diligebat Novarienſem Epiſcopum Borromeus ex animo, præſertim cum ſibi Romæ detuliſſet perutilem admodum, vivente Avunculo, operam, quam deinde induſtrie, & ſolerter in plurimis demandatis luſtrationibus ſibi, atque Eccleſiæ navaverat. Unum recito amoris ſui teſtimonium ex literis ad Guillelmum Bavariæ Ducem datis. Erat in Boſſiorum ære quidam ex Bavariæ Nobilibus, & Fuggeriorum Gente propter Fuggeriæ dotem, quæ Marco Antonio Boſſio nupſerat. Itaque ut ea gens nomen apud Boſſios diſſolveret, curavit Carolus apud Guillelmum, proque ejus favore in hanc rem impetrato gratias egit in hæc verba:

Sereniſſime Dux.

„ QUod Celſitudo Veſtra in Nobilis Viri Marci „ Antonii Boſſii negotio egit, & mihi gratiſſi„ mum accidit, & verò ſemper a nobis expe„ ctatum fuit, quibus compertum eſt eam, cum „ omnes veri Principis partes expleat, atque exe„ quatur, tùm vero beneficentiam, in qua vir„ tutis ſplendor eſt maximus, ita exercere, ut quo„ tidie quamplurimos ſibi obſtringat beneficiis. In „ iis autem, qui illius cauſa plurimum & debent, „ & cupiunt, ego quidem nomen profiteor meum; „ cum tantam ejus erga me humanitatem, & be„ nevolentiam ſemper cognoverim, quam nunc pla„ ne oſtendit in re mihi quidem valde grata, in „ Boſſiorum ſcilicet cauſa; ſummo namque amore „ illam Familiam, in primiſque Epiſcopum infigai „ pietate præditum Virum diligo, totque ejus ſuar „ merita, & virtutes, ut optime beneficium collo„ caſſe Celſitudo Veſtra credere debeat. Itaque illi „ primum gratias de iſta benignitate & ago, & ha„ beo; deinde fore polliceor, ut me ſemper in om„ nibus rebus, in quibus operâ meâ uti voluerit, „ ſtudioſiſſimum, paratiſſimumque habeat. Hoc ſibi „ certo perſuadere poteſt: vincam illius opinionem „ officiis meis.

Digitized by Google

venit [a], cum quo Meſſeranum proceſſit, ut ejus loci Dynaſtam amicitia, & ſanguinis propinquitate ſibi conjunctum gravi morbo ægrotantem opportunis ad ſpem ſalutis æternæ ſubſidiis præmuniret [b]. Hinc eodem, quo venerat, comite Vercellas adiit mandata de rebus graviſſimis executurus, quæ a Summo Pontifice acceperat [c]. Aberat eo tempore Franciſcus Bonhomius ejus Urbis Epiſcopus, qui quantum præſens prodeſſet, ſubſecutæ poſt ejus diſceſſum calamitates declarabant. Capitales inimicitiæ potentiſſimos Civium invaſerant; & dum privata odia ulciſci volunt, ad publicum excidium graſſabantur. Nihil opportunius in tantis periculis Cardinalis adventu accidere poterat. Feroces paulo ante animi conſiliis Ejus, & precibus deliniti abjecere arma, oblitique victoriæ, quam de inimico quiſque ſuo appetebat, ſatis gloriæ ſe adeptos credidere, ſi a Carolo victi dicerentur.

Confluxerant interim Vercellas officii causâ multi finitimarum regionum Antiſtites, inter quos Cardinalis Laurus Montisregalis Epiſcopus Sabaudiæ Ducis nomine rogabat, ne quoniam illuc uſque proceſſerat, Taurinum ire gravaretur [d]. Paternus

(a) Inutile Boſſio feſtinantis Borromei officium fuerat; nam qua nocte Hic Novariam contendit, ille e vivis exceſſit. Subſtitit tamen mortuo profuturus Carolus, & inferias Pontificali ritu abſolvit. Ægre tamen adducor ut credam, Ferrerium Cardinalem Novariam ad Carolum veniſſe, cum ejus legerim literas monentis de lethali Principis morbo, obſecrantiſque, ut Meſſerani adeſſe citius vellet; imo etiam Caroli reſponſum pollicentis, ſe illic citius cum eo fore. Revera die XXI. Septembris Carpignani fuit Borromeus, ſub meridiem credo: Inclinato Sole Meſſerani, ut indicare videntur datæ ad eam diem Carpignani literæ, & ſpondent eæ, quas Novariæ ad Cardinalem Vercellenſem dedit. Excuſare autem mihi facile poteſt Ferrerii abſentiam juſta oblata decumbentis conſanguinei ſui cauſa; niſi velimus dicere: Ferrerium ad multum viæ obviam Carolo venienti proceſſiſſe, præſertim cum jam conditum eſſet, ſe ſub diei XXI. veſperum Meſſerani fore.

(b) Optavit æger Princeps, ut poſtremam ſaltem hanc ſibi conſolationem afferret Euchariſtici Panis manu ſua percipiendi. Annuit ſtatim Cardinalis, adjecitque fiduciæ, & amoris plenum colloquium, quo omnem languenti metum abſterſit, & paratam in utramque partem voluntatem inflammavit.

(c) Vercellas ingreſſus eſt die XXIV. ſub veſperum. Ibi plura ſancienda erant pro compeſcendis Canonicorum præſertim diſſidiis, inter quos multa Mediolani etiam inierat concordiæ firmandæ conſilia. Oraverat præterea paulo ante Bonhomius, ut eam Urbem Apoſtolica auctoritate uſus luſtraret. Sed in hæc verba Cardinalis reſponderat: „ Quod „ de luſtrandis Vercellis rogas, nulla mihi in præ„ ſens perficiendi conſilii tui poteſtas eſt. Non ab„ nuo tamen, ſi Pontificium mandatum acceſſerit, „ illuc contendere ad ſtabilienda Decreta, quæ pro „ Canonicorum tuorum Collegio jam ſanxi. Luſtra„ tionis integræ opus reſervabo deinde Sarſinæ Epiſ„ copo, qui Legatus a Gregorio eſt ad luſtrandum „ Pedemontium. Ejus nimirum Antiſtitis religioni, „ prudentiæ, & piis deſideriis multum defero. “ Nunc itaque Pontificis idem rogantis perſpecta ſibi voluntate, totus in mitigandis Canonicorum animis fuit. Ne interim otioſo ſibi elaberentur ſubſecivæ horæ, dum Vercellis eſſet, ſolicitavit iterum Galliarum Regem pro Ciſalpinorum Religione ſuſtentanda; & pares in eamdem cauſam literas ad Pontificium Venetiis degentem Internuncium dedit, ut pronam ſemper eorum Patrum in Eccleſiæ amplificanda jura voluntatem incitaret. Ebreduni Antiſtitem laudavit pro ſuſceptis apud Henricum Regem Religionis fovendæ ſtudiis. Per eoſdem dies rogatus a Cardinali Toletano, ſex Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis volumina in Hiſpaniam miſit, ex quibus a Philippo Rege unum poſtulabatur, futurum S. Laurentii Bibliothecæ Regiæ ornamentum. Item Venetiarum Ducis verbis publica facta eſt Carolo ſalutatio per Oratorem Jo. Delphinum; qui Auguſtam Taurinorum ab ea Republica, credo, legatus fuerat. Præterea gratum Româ nuncium accepit, quemadmodum conſultum eſſet votis Brunſvicenſis Ducis, gaviſuſque eſt utilem admodum operam ſuam in ejuſdem Principis dignitate augenda fuiſſe collocatam; quare gratulatorias ad eumdem literas dedit. Denique legato Auguſtam Taurinorum Bernardino Taruſio, gratulatus Carolo Emmanueli eſt de ineundis cum Philippi Regis Filia Catharina proxime nuptiis; & Novarienſium calamitatis memor propter Boſſii interitum, in Pontificiis oculis rogatus defixit egregiorum hominum merita, quibus ea regenda Eccleſia tuto demandari poſſet: Propoſuit ſcilicet optimos futuros Antiſtites P. F. Franciſcum Panigarolam, pro quo acceſſerant etiam Arragonii officia; Cæſarem Specianum, quem cum paulo ante S. Severinæ Cardinalis Pontifici propoſuiſſet, reſponderat Gregorius, *Expectandam in hoc teſtatam Borromei voluntatem*; Præ ceteris tamen Gaſparem Vicecomitem, qui tunc Melitæ erat, & poſtmodum Carolo ipſi defuncto fuit ſuffectus. Hæc negotia, imo Vercellenſium tempora Carolum uſque ad IV. Octobris diem in ea urbe tenuere.

(d) Non ulla officii deferendi cauſa Cardinalem Vincentium Laurum compulit, ut Vercellis Borromeum conveniret; ſed potius nonnulla, quæ in Taurinenſi Aula inciderant, perſuaſerunt, ut remedium aliquod a Carolo poſtularet. Quindecim ante diebus circiter cum Vincentius audiſſet, deliberaſſe jam Borromeum de ſuſcipienda Fraxineti ad Padum luſtratione, ſcripſerat ſe illic fore, atque innuerat cau-

Digitized by Google

nus vere amor, quo erga illum Principem ferebatur, & Sacræ Syndonis adorandæ inexplebile desiderium effecerant, ne unquam ejusmodi precibus repugnaret. Ardentissima ante perfusum Christi Sanguine Linteum fuere suspiria, suavissima cum Duce colloquia, qualia esse amicorum solent, quos a mutuo aspectu perpetua aliqua necessitas dirimit [*a*]. Notatu digna sunt ea, quæ de hoc extremo congressu Dux ipse literis suis in hunc modum exposuit: „ Præterea cum anno sequenti mense Septembris præfatus Illustrissimus, & Reverendissimus Cardinalis Taurinum appulisset ad Sanctissimam Syndonem Domini Nostri Jesu Christi venerandam, „ & nos visendi gratiâ, antequam in Hispaniam ad Matrimonium cum Serenissima Catharina magni illius Philippi Regis filia contrahendum proficiscerem, „ quem profectum tunc cogitabamus: dum „ obnixe a nobis rogaretur, ut post nostrum reditum huc rursus accederet ad „ nuptias nostras benedicendum; quod ubi „ audivit, partim tergiversando, partim „ officii gratiâ negando, libere tandem „ dixit: *mihi post hac te visendi non dabitur fortassis facultas*. Quod tunc a „ me animadversum non fuit; verum cum „ sequenti mense Novembri de suo obitu „ mihi molestissimo relatum fuisset, Ejus „ ultima verba in mente subiere, illumque veluti spiritu prophetico afflatum se „ me non visurum post hac dixisse, quasi „ sui obitus præsagum. " Sed multo certiora obitus sui præsagia jam antea dederat Carolus; nec mirum est supernum aliquod lumen index beatissimæ mortis Illi

causas, propter quas Eo convento opus erat. Sic condicto, (nam uterque solertissime in Sabaudiæ Ducis commoda excubabat) cum repentina Bossii mors mutandi consilii occasionem obtulisset, Novariæ degens Carolus per certum nuncium fide jam data se absolvit apud Vincentium; rogavitque, ut si commodum videretur, digredi potius aut Varallum, aut Messeranum colloquii causâ vellet. Quare statuit hoc tempore Laurus ea, quæ Fraxineti transigenda erant, Vercellis aperire. Non tamen videtur idem Laurus hoc tempore postulasse aperte a Carolo, ut Taurinum veniret; Nam licet ejus itineris suscipiendi auctor esset, tamen apud Ducem videri noluit. Ille Taurinum regressus Emmanueli persuasit, optimum consilium fore, si eadem occasione Borromeum in Aulam evocasset. Pro ea, quam Carolo deferebat, observantia Sabaudiæ Dux consilium adiit; quare pridie Cal. Octobris Vercellas præmisit Joannem Baptistam a Sabaudia domesticis rebus suis Præfectum, qui perhonorifice Eum Augustam Taurinorum deduceret: testatusque in literis Dux est, *grave sibi non futurum fuisse Vercellas usque ad Cardinalem deducendum venire, nisi plura gravissima Aulæ negotia se ab hoc consilio revocassent*.

(*a*) Dignissima sunt quæ commemorentur transacta, & stabilita in mutuis hisce colloquiis Carolum inter, & Ducem; utpote eximiam unius benevolentiam, egregiam vero obedientiam alterius luculenter testantur. Evolvenda tamen sunt Caroli ipsius verbis, qui VI. Idus Octobris omnia Speciano aperuit: „ Veni deinde ferme præter voluntatem „ Augustam usque Taurinorum, qua in Urbe biduum fui. Vidi tamen adventum meum opportunum fuisse maxime; imo propter multa, quæ inciderant, tempora veluti necessarium, præsertim „ vero propter multas, quæ consecutæ sunt Deo favente, utilitates. Etenim licet hic Princeps aurea „ indole sit, & pronus admodum, & paratissimus „ in recta quæque arripienda; nihilominus plurimis „ obnoxius periculis sæpe videt objici sibi offendicula, quibus semper Aula abundat; quare non „ abs re est, ut ad optima, quæ retinet, instituta „ acrius incitetur. Itaque utilia nonnulla in hoc „ adventu meo firmata sunt, inter quæ a Cardinali Montis Regalis Summus Pontifex intelliget, „ quæ ratio inita sit pie, ac sancte administrandæ „ hujus Provinciæ, præsertim vero in moderandis „ Judæorum fœnore, & vestibus, præter nonnulla „ alia, quibus Principis hujus tranquillitati consultum est. Sed dum hæc incidit mentio, non præteribo tacitus, quod jucundum maxime fore Summo Pontifici arbitror propter exhibitum ab Emmanuele solidæ pietatis testimonium. Quo tempore in exitu colloquii eram, & moliebar discedere, cum remotis arbitris Dux mecum solus esset, „ repente religione tactus in uberrimas lacrymas „ erupit, adjecitque verbis splendidam pietatis suæ „ significationem, Deiparam Virginem, cujus imago ante oculos erat, invocans testem optimæ suæ „ voluntatis. " Recreatus itaque Ducis pietate ab ea Urbe digressus est Carolus spei, & gaudii plenus. Cumulavere autem conceptam lætitiam Cardinalis Vincentii Lauri redditæ sibi literæ, dum Varallo discederet, in hæc verba: „ Volui scriptis hisce gaudium „ tibi impertiri meum, & commonere: Carolum „ Emmanuelem proposuisse severum Edictum contra „ Judæos, quorum fœnerantium immensæ cupiditati modum tandem aliquem imposuit. Sancitum „ præterea est, ut flavi coloris pileo impiæ sectæ „ proferrent iudicium, cujus item coloris velo ut „ Judeæ fœminæ utantur, præscriptum est. Interea „ illud curatur præsertim, ut dissolvantur creditorum nomina; eaque demum perficiantur omnia, „ quæ sancte & prudenter, dum hic versaretis, „ monuisti. Sane Dux magnis progressionibus *in via* „ *Domini* contendit, & quotidie ad pietatis & Religionis studia vehementius accenditur.

Digitized by Google

ſi adfuiſſe, cui naſcenti prænuncius ſanctiſſimæ vitæ ſplendor affulſerat. Sane Franciſcus Panigarola Aſtenſis Epiſcopus, cum Ejus laudes funebri Oratione recoleret, diſerte teſtatus eſt, ſæpius ex Illo ſe audiiſſe, annum hunc mortalitatis ſuæ ultimum fore [a].

CAPUT XI.

Varalli in Divina abditus, febri corripitur. Mortis inſtantis præſcius, Aronâ navigat Aſconam, ubi Collegium rite inſtituit. Mediolanum navigio reverſus, diem unum ex morbo decumbens, & Sacris Myſteriis expiatus extinguitur.

1584. REdiens ex Taurinenſi Aula Cardinalis, cum de imminenti vitæ exitu interiore ſpiritu moneretur, Varallum ſecedere decreverat [b], ut Dominicæ Paſſionis myſteriis, quæ inibi compluribus in ædiculis affabre expreſſa cernuntur, extrema ſuſpiria conſecraret. Adeo infixum animo habebat graviſſimum illud Apoſtoli effatum, nemini ad Chriſti Liberatoris gloriam, niſi per ejus ſupplicia iter eſſe. Accerſito itaque e Societate Jeſu Franciſco Adurno, cum quo ſæpe conferre arcana conſcientiæ conſueverat, circa Idus Octobris ad Sacrum Montem venit, paucis familiarium ſecum retentis, ac ſevere monitis, ne ſibi pias cogitationes, quas ejus loci ſanctitas poſtulabat, ullo de rebus humanis ſermone interpellarent. Prima omnium cura fuit anteactæ vitæ noxas, quantum poterat pueritiæ memoriam recordari ultimam, ad Pœnitentiæ Tribunal afferre; idque tanto cum ſenſu doloris feciſſe dicitur, ut intercluſa lacrymis voce ægre confeſſionem abſolveret [c]. Aggreſſus deinde

(a) Præſenſiſſe Carolum obitus ſui certa quædam indicia non negaverim; ſuſpicor tamen ſtatutum mortis diem Eidem certo ad hoc tempus non patuiſſe. Etenim octiduo ante ad Pontificium in Galliis Internuncium literas dederat, quarum Synopſim reddo. Dicit itaque: „ Mandatum ſibi a „ Romano Pontifice eſſe, ut novis officiis Henrici Regis animum tentet, atque incitet ad opem „ Ciſalpinis ferendam. Nihil Regiis vocibus oppor„ tunius in hanc rem fore: gemere intolerando „ afflictos jugo eos populos: Paſtorum ſuorum cu„ ra & auxiliis omnino propter violenta Rhætorum „ conſilia deſtitui: eas Valles ſentinam eſſe impro„ bitatis & diverſorium nequitiæ, cum liber ad eas & „ tutus ſit aditus facinoroſis hominibus quibuſcum„ que: orare ſe, ut amicam miſerrimæ Provinciæ „ Rex porrigat manum, & quantocyus poteſt: „ ſcilicet expectari a ſe reſponſum ſummis votis, „ atque enixe optare, ut ante Idus Novembris, „ aut ſaltem ante Calend. Decemb. quando Baden„ ſia Helvetiorum Comitia indicentur, certum præ„ ſidium afferatur. Curam hanc vere Chriſtianiſſi„ mo Rege dignam, atque apprime neceſſariam, „ & validiſſimam ad Procerum illorum infringen„ dam audaciam. " Adde tam concitatis votis Borromei ipſius verba, quibus uſus eſt ad Aragonium Ducem & familiares ſuos, ut ſtatim innuemus: Adjice præterea ſuſceptum a Carolo conſilium, ut Belitionem proficiſceretur, quemadmodum paulo poſt indicabimus. Neque perſuadere difficulter admodum poterit provecta ultra vitæ ſuæ terminos Borromei conſilia, cum ſperaret fore, ut, nonniſi triumphatâ Rhætiâ, ovans Cæleſtem Patriam inveheretur.

(b) Auguſtæ Taurinorum cum eſſet ad Mediolani Gubernatorem ſcripſerat „ probari ſibi admodum „ ejuſdem vota obſecrantis, ut P. F. Franciſcum „ Panigarolam Novarienſis Eccleſiæ Sacris præficien„ dum curaret: Cordi ſibi eſſe tam pia poſtulata, „ præſertim cum ad illius Sedis & Mediolanenſis „ Provinciæ utilitatem conſpirarent ..... Se orare „ enixe Deum, & adſciviſſe in ſubſidium aliorum „ etiam preces pro Ciſalpinorum negotio perficien„ do; atque idcirco ſe brevi velle Varallum defle„ ctere, quo efficacius eamdem cauſam Deo com„ mendatam faciat. " En itaque potiſſima ratio, propter quam ſe in eam ſolitudinem recipere conſtituiſſet. Ut tamen itineris hujus ſeriem exacte texamus, Taurino digreſſus videtur ad VIII. Octobris diem, quandoquidem ſcripſit ſe biduum illic fuiſſe. Die poſtero Clavaſii ſubſtitit, ut conſtat ex Epiſtolis ibidem datis. VI. Idus Bugellam ſub veſperum venit, qua in Urbe equitem Capram a ſe dimiſit, remiſitque ad Carolum Emmanuelem Ducem, cujus juſſu datus ille fuerat itineris comes. Bugellam advenienti allatum eſt Nuncium Meſſerano, confectam ibi lacrymis Demarchi extincti Uxorem conſolationem a ſe aliquam poſtulare. Quare mane poſtero dubia adhuc luce illuc tetendit, & propter feſtinationem gemmati Pontificalis annuli oblitus, eumdem paulo poſt Varalli accepit, propter Demarchi Joannis Georgii Ferrerii ſolertiam, qui Eidem reddendum curavit per certum nuncium. Hujus deinde laborem remuneratus eſt Cardinalis, aureis tribus Hiſpanicis, licet ſubveritus eſſet, ut ſcribit in Epiſtola ſua, ne tam tenui dono hominis illius ſpem, & diligentiam contriſtaret. Meſſerani pranſus cum Vercellenſi Cardinali, die XI. Varalli ad veſperum fuit.

(c) Opperiebatur Varalli Carolum P. Adurnus illuc evocatus per literas Ejuſdem poſtridie Calend. Octob. Vercellis datas. Ejus opera uſus eſt Cardinalis ad methodum quamdam meditandi, ejus ductu ineundam; præſertim vero, ut apud eum conſcientiæ

Digitized by Google

inde quantocyus exolvere quidquid Divinæ Juſtitiæ deberet, eas ſibi pœnas indixit, quas alius quilibet a ſe ipſo expetere pro graviſſimis ſceleribus poſſet. Vigiliæ, & fames vix in Ipſo notatu digna erant [a]. Exaratum vibicibus cadaver, & interior veſtis cruore perfuſa paulo poſtea docuere quid in illo noctis ſilentio ageret, cum ſingula alternatim Sacella ſolus in tenebris circumiret.

Inter hæc corporis cruciamenta febris obrepit [b], cujus acceſſum ſtudioſe diſſimulare conatus eſt, ne benignis ſuorum officiis eam vitæ aſperitatem lenire cogeretur. Tertio tamen die eodem æſtu correptus Patri Adurno id, quod erat, aperuit; atque ejus auctoritate victus coctum abſque ullo condimenti genere panem ſibi ad cibum apponi, & refertum ſtramento ſaccum ad quietem ſubſterni non recuſavit [c]. In hac tanta membrorum infirmitate tantam perpetuus Ejus erga Deum amor vim ceperat, ut quoties ad aram litaret, flamma illa cæleſtis, qua interius ure-

---

tiæ maculas omnes deponeret. Nam potiſſima per hos dies Adurni cura fuit ex Caroli nutu, meditandi materiem digerere, & fuſe explicare familiaribus, quos in comitatu habebat, ſacriſque item excitationibus vacare voluit. Ceterùm Divina contemplari per ſe ipſum ſemper voluit, quam piam exercitationem in multam etiam producebat noctem, Sacella per Sacrum Montem diſperſa religioſe obiens, & laternulam manu geſtans. Chriſti myſteriorum ad ea Sacella meditatio partim veſpere, partim ante lucem quinque admodum horas abſorbebat. Idibus Octob. videtur labes omnes abſterſiſſe Confeſſione ſua, quam crebris interruptam ſuſpiriis perfuſus lacrymis ubertim emanantibus P. Adurnus excepit. Nocte ſubſequente ſeptem continentes horas conſtanter precabundus tranſegit, ut ſcripſit Tauruſius.

(a) Voluntarios corporis ſui cruciatus brevibus complexus eſt iiſque ſucci plenis verbis Joannes Boterus: „ Erat ei cibus panis: potus aqua: lectus „ aſſeres: ſomnus ſupra omnem fidem brevis: ſermo fere nullus. Omnibus animi, atque etiam cor„ poris viribus enitebatur *implere ea, quæ de cæna paſ„ ſionum Chriſti, in carne ſua*. Adeo nihil ſenſibus „ indulgebat, ut vix ſatis naturæ neceſſitati faceret. “ Neque diſſimulandum eſt illud demiſſi animi indicium, quo uſus per hoc tempus fuit. Nam quamdiu Varalli fuit, hoc ſibi miniſterii ſumpſit, ut ante lucem afferret lumen P. Adurno, a quo deinde reliqua familia acciperet. Idcirco noctu conſueverat lucernam in cubiculo ſuo habere, tum ne familiaribus ſuis illius inferendæ moleſtiam exhiberet; tum etiam ut jucundo piarum tabularum, quas ibi habebat, aſpectu frueretur, ſi quando oculos aperiret.

(b) Si febris hujus cauſam inveſtigemus diligentius, alia evolvemus, quæ Scriptori excidêre. Advertendum itaque eſt, Carolum ad diem XVIII. Varallo ad breve tempus diſceſſiſſe evocatum graviſſimis Cardinalis Vercellenſis curis, qui ſcripſerat, ſe ad eam diem Aronæ fore, ubi opportuna Ejuſdem conſilia fuiſſet excepturus. Pridie quam diſcederet, narrat Boterus, Carolum familia advocata dixiſſe: *Conandum eſt nobis aliquid majus, quam ſoliti ſumus*. Quæ generoſa ac Borromeo digna verba mihi luculenter indicant, quod ſupra aperui: Eum conſtituiſſe, ut quocumque propoſito etiam vitæ periculo ſtrenue in Ciſalpinos penetraret. Cui conjecturæ ſuffragari etiam videntur, quæ Taurini ad Aragonium ſcripſerat, eaque etiam quæ paulo poſt in literis ad Tauruſium datis conſtituit. Nocte inſequente antequam diſcederet Aronam verſus, ut Boterus deſcripſit, octo horas in oratione ſupplex poſuit; quo quidem tempore nullo unquam fulcro nixus eſt, ut corpus, quamquam diuturna inedia incredibiliter debilitatum, atque afflictum regeret ac ſuſtineret; ſed recto ſemper pectore, & contenta cervice, & totius corporis ſtatu plane immobili cum omnium admiratione permanſit. Aronam ubi venit, die XIX. multa collocutus cum Vercellenſi Cardinali ad Tauruſium ſcripſit, ut monitum Comitem Altempſium faceret, ſi colloquio ſuo frui vellet, Belitionem digrederetur, ubi moram aliquam Ipſe eſſet extracturus. Hic habes quid animo agitaret Borromeus, unde Illius conſilia facilius teneamus, & fides conjecturæ meæ nuper expoſitæ accedat. Die eadem alias ad Moram Mediolani degentem literas dedit, juſſitque mitti ad ſe quamprimum acta omnia controverſiæ, quæ inter Varalli Oppidanos, & Minores Obſervantes jamdiu fervebat propter Sacri ad Varallum Montis jura: præterea illuc etiam venire Architectum de Peregrinis, pro diſponendis rectius inordinatis Sanctuarii illius Sacellis, comite aſſumpto P. Franciſco Panigarola: monuit tamen, ne Mediolano Panigarola diſcederet, niſi poſt Dominicam diem, qua ſermo habendus ad populum erat. Ultimo Octavianum Abbiatum de Foreriis, & Cæſarem Pezzanum voluit Luinum uſque contendere, ibique adventum ſuum opperiri cum actis Belitionenſis luſtrationis anno ſuperiore perfectæ, ut cum in illud Oppidum adveniſſet, quemadmodum putabat, in rem opportunius provideret. Die poſtero Romaniani pranſus, ad Novariæ Vicarium ſcripſit, ut cenſus quoſdam, qui ab agri Novarienſis Incolis Aronenſi Templo debebantur, quantocyus perſolvendos curaret. Sub veſperum Varallum regreſſus eſt, ubi cum triduum inter conſueta corporis cruciamenta tranſegiſſet, die demum XXIV. in febrim incidit, quam tamen ne inſtitutas ſacras exercitationes intermittere cogeretur, quod alias ſæpe fecerat, diſſimulavit, præſertim cum ſeptem elapſis horis, mitigatus eſſet febrilis ardor. Certe Boterus judicavit valde credibile eſſe, Carolum propter corporis extenuatiſſimi jactationem, & iter ſuperioribus diebus incredibili labore & feſtinatione confectum hac febri laboraſſe.

(c) Die XXVI. demum patuit tertianam eſſe, qua Carolus laborabat, febrim: Sed ea lætus vis morbi fuit,

urebatur, ex vultu etiam, atque oculis emicaret. Ab omnibus insuper mortalis vitæ curis adeo alienaverat animum, ut satis appareret, constitutum præclaris Ejus laboribus finem adveniſſe [a]. Manebat tamen memoria Aſconenſis Collegii, cujus abſolvendi deſiderio angebatur, ne Summi Pontificis ſpem fefelliſſe videretur. Ob id Monte relicto, Aronam deſcendens [b] navim illico expediri mandavit, & cuidam ſuadenti, ut opportuniora tempora expectaret, perſpicuis verbis reſpondit: *ſi tunc ire cunctaretur, tempus ſibi ad ea, quæ parabat, perpetuo defuturum* (c). Poſt alternas cum Sacerdotibus ſuis preces, poſt multos de mortalium rerum contemptu ſermones, poſt remiges ipſos ſalutaribus documentis inſtructos, obſcuro adhuc Cælo Cannobium cum appuliſſet, interiora cum Deo colloquia uſque ad lucem produxit. Tum Divino Sacrificio peracto, Aſconam tunc temporis peſtilentiâ laborantem tetendit, ſive

---

fuit, ut ſtomacho languente & cibum faſtidiente, diſſimulare omnino non poſſet. Itaque præter morem id P. Aduruo indicavit, qui, ut ab inſtituta cibi abſtinentia remitteret aliquantulum, monuit. Quare Cardinalis panem minutatim conciſum veluti deliciarum loco, ſine ullo tamen condimento ac ne oleo quidem aut butyro, ſibi coqui atque apponi juſſit. Famuli etiam ſponte panem aduſtum, vinoque aſperſum appoſuere, cujus exiguam partem voluntatis potius conatu, quam appetentiæ, comédit.

(a) Quinque in eo ſtatu dies moratus eſt, ut Boterus oculatus teſtis ſcripſit, quibus neque Sacrum facere, neque cæleſtem Panem accedentibus miniſtrare, neque orare, neque ſacrarum Literarum commentationi operam dare unquam deſtitit. Per id tempus, ut palea ſibi dormitaturo ſubſterneretur, familiæ rogatu & Adurni juſſu permiſit. Quamquam aliæ ſuppetunt ex Ipſius literis per eoſdem dies a Borromeo res geſtæ. Nam Cardinali Paleotto, qui ad diuturni morbi ſui conſolationem quamdam poſtulaverat, ut ad ſe mitteret Carolus concinnatum biennio ante Sabulonetæ Libellum *de Oratione* ſive *de Arte meditandi*, modeſte recuſavit, affirmans rude illud opus eſſe, & lima adhuc egere. Cardinali Sfondrato, qui Ejus conſilium in graviſſimis negotiis optaverat, & ſchedam dubiarum, quæ inciderant, rerum tranſmiſerat, reſpondit in ſchedæ ipſius margine curſim adnotans, quod optimum videretur factu; ac ſi timeret ne diutius a Divinis animum abſtraheret, ſi rite reſponſum concinnaſſet. Nobilem præterea ad Summum Pontificem epiſtolam dedit, in qua commendavit enixe illius liberalitati Braydenſe Mediolani Collegium, quò facilius optimi, & longe majore numero in eo alerentur Societatis Jeſu Patres, qui in literarum ſtudia fovenda, & amplificandas latius Urbis, atque agri utilitates incumberent. Hæ nimirum morituri Borromei ſplendidæ erant curæ. Demum biduo antequam diſcederet, Tauruſio per literas iterum imperavit: *moneret Comitem Altempſium, ne uſquam ſe præſtolaturus ſubſiſteret; opportunius ſcilicet videndi ſui copiam Mediolani fore.* Hæc epiſtola, utpote quæ ſuperiorum dierum conſilia evertit, graviſſimam mihi ſuſpicionem injecit, ad poſtremos dumtaxat hoſce dies innotuiſſe Carolo certius quidpiam de inſtante jam interitu ſuo. Certe ab his literis datis, nullam video unquam injectam mentionem neque de Belitionenſi, neque Rhætica, quam moliebatur, expeditione. Quare non dubito, quemadmodum etiam communis fert perſuaſio, impendentis mortis reſponſum a Borromeo fuiſſe acceptum, dum ad Chriſti Domini Sepulcrum in Varalli monte precibus vacaret. Neque huic opinioni diſſentietur quiſquam, qui diligenter recolat frequenter inculcata domeſticis per eos dies poſtremos Borromei dicta. Nam, ut affirmavit in epiſtola ſua Carolus a Baſilica-Petri, „ dum febri laboraret, diſputabat divinitus de ex- „ cellenti illa voluntate, qua rebus aliis omnibus „ omiſſis, unum Dominum ſequi, & ſpectare debe- „ mus, neque aliud quidquam etiam ſpirituale no- „ bis in hac vita proponere. Nedum enim aliis „ (dicebat) capi me, & teneri oportet; ſed iis ipſis „ liberum me præbere, quæ ad Eccleſiæ meæ uti- „ litatem inſtitui. Incumbere me perpetuo æquum „ eſt, donec vivam, in Domini cultum. Si alio mi- „ grandum ſit, paratus eſſe debeo; & quidquid a- „ gendum reſtat, Divinæ Providentiæ commenda- „ tum libere relinquere. " Hæc verba præſagia Caroli ſunt aperte denunciantis, mox interceptum iri expeditionis, quam animo volvebat, curſum.

(b) IV. Calend. Octob. diſceſſit Varallo, ut Tauruſius ſcripſit, licet Boterus in antecedentem diem Caroli diſceſſum falſo rejecerit. Nam eo die febri laboraverat, quæ tamen Sacri faciendi poteſtatem reliquerat, quandoquidem ad horam XIX. dumtaxat recurrere conſueverat. Sacro Monte pedes deſcendit, mox equitans, reliquum Aronam verſus itineris confecit, licet aſpera admodum via per XVIII. milliaria objiceretur. Neque omittendum videtur hoc loco, quod cum Varallo diſceſſuri domeſtici omnes ſe in iter ſuſcipiendum jam accinxiſſent, ſolicite exquirentes de Cardinali, Ille nullibi apparuit. Diligentius tamen luſtratis cubili, & ædiculis ſingulis, tandem intentum precibus invenere in Sancti Sepulcri Sacello, unde ægre admodum divulſus eſt, cum in Divini funeris contemplatione inſtantis mortis ſuæ memoriam ſuaviſſime recoleret.

(c) Alia ſuppetebat feſtinandi hujus itineris ratio; periculum videlicet, ne Collegium Aſconenſe bis mille nummorum ſubſidio, quos Laurentius Pancaldus legaverat, fraudaretur. Etenim ſuperius explicavimus relictam eam pecuniæ ſummam in ſupremis Pancaldi tabulis, hac conditione adjecta, ut intra biennium Seminarium eo in loco, atque in Sanctæ Mariæ Ædibus excitaretur. Quare prævidens Carolus ægre admodum impleri Pancaldi mentem poſſe per novem, qui adhuc ſupererant ante biennii exitum, menſes, ſi poſt obitum ſuum novus expectandus eſſet a Pontifice in eam cauſam Legatus, prævertere interim Aſconenſibus utilitatem feſtinato itinere voluit,

Digitized by Google

ſive periculi ſui pro aliena ſalute immemor, ſive memor cæleſtis auxilii, quo toties ex eodem periculo evaſerat. Ibi Collegio conſtituto, deſcriptis nonnullis legibus, ac deſignato Rectore, qui Juventuti præeſſet, urgente febris recurſu, Cannobium rediit tota nocte navigaturus, ut feſtum omnium Sanctorum, cujus anniverſaria dies aderat, Mediolani celebraret. Extremus corporis languor, & familiarium preces pervicere, ne ſalutem ſuam tam præcipiti itinere in diſcrimen daret (*a*). Inhiberi tamen non potuit, quin ſole orto, in Ædem, quam Sanctæ Pietatis appellant, rem Divinam faceret; quamquam adeo conciderant vires, ut poplitem flectere, ac ſemet erigere ſine adſtantium ope non poſſet. Aquæ poculum citrino ſucco medicatum ejus diei alimenta præbuit.

Veſpere Aronam reverſus, repudiato paternæ domus hoſpitio, ad Societatis Patres divertit, quo promptiora, ut ajebat, Sacrorum commoda haberet. Diviſa inter ſomnum, ac meditandi ſtudium nocte, ſtatim ubi illuxit, non modo Altaris Myſteria Ipſe perficere voluit, verumetiam adſtantibus impertiri; idque poſtremum Pontificiæ ſolicitudinis experimentum fuit [*b*], Ita tridui unius ſpatio, ac fere ſemianimis Collegio condito, miſſis in Rhætos, Helvetioſque Sacerdotibus, qui jacta ab Ipſo religionis ſemina refoverent, tot eximiis editis patientiæ, & pietatis exemplis, Ticino denique amne, ac navigabili alveo ve-

(*a*) III. Calend. Novemb. dum Aſconæ eſſet intelligens impar Locarnenſium funeribus eſſe Cœmeterium, ſtatuerat, graſſante licet inibi peſtilentia, novum conſecrare; ſed cum mitram inter Pontificales veſtes deſiderari animadverteret, quæ Aronæ relicta fuerat, progredi illuc ſuperſedit, malens aliquam in ſe amoris ſignificationem deeſſe, quam in Sacris Ritibus dignitatem. Dum publicæ confectæ *de S. Caroli erectione* tabulæ recitarentur, febris ſupervenit, vehemens illa quidem, & acrior ſolito; quare ab iis recitatis navim ocyus comparari voluit, & paulo poſt deferveſcente febris æſtu, Cannobium navigavit, ubi deſtitutus viribus cum ægre clivum poſſet aſcendere, ut in Præpoſiti ædes diverteret, ex familiarium conſilio in Nobilis Jacobi Homacini domum ſecus oram ſitam digreſſus eſt; ibique inſtantibus Octaviano de Foreriis, & Archangelo Mirabilia, culcitam ſupponi ſibi tandem permiſit. Cum verò per eam noctem capere ſomnum non poſſet, geminos ex Capuccinis Patres ad ſe evocavit, quibuſcum utiliter tempus illud tranſigeret. Summa Illius colloquii fuere Sancti Franciſci Aſſiſiatis virtutes, & res geſtæ; ex quibus deinde flexo ſermone ad Pii V. Summi Pontificis laudes, aperte teſtatus eſt, eximium illum Petri ſucceſſorem fuiſſe, & ſummæ ſanctitatis laude præclarum. Cumque adſtantes dehortari Illum a Sacro faciendo appetente luce conarentur, novo propoſito Pii ejuſdem exemplo reſpondit: *Atqui Pius Summus Pontifex ſanctæ memoriæ, cum non longe ſe a morte eſſe ſenturet, ſurrexit tamen; & ſeptem Romanæ Urbis Eccleſias voluit inviſere.*

(*b*) Hæc Aronæ peregit Cal. Novembris, ad quas Mediolani eſſe conſtituerat, niſi nimia virium imbecillitas ſuperveniſſet. Pridie enim cauſatus abſtinendum cibo eſſe propter ſubſequentem Sanctorum omnium commemorationi conſecratum diem, cibum penitus omiſerat multum reclamitantibus Medicis; dumque navi Aronam veheretur, plurimis ante perſolutis precibus in genua nixus; poſtmodum ſedens ſermonem ad circumſtantes de Cælitum meritis habuit, quem apte clauſit nonnulla exponens ſedulo meditanda. Quare paulo poſt flexis iterum genibus ad horæ ſpatium meditabundus oravit, ſilentibus interim omnibus, & exemplo ſuo in ſedulam meditationem accenſis. Surgens eorum omnium, quæ meditati navigantes fuerant, rationem ſingulatim exegit; mox nonnullos ex Sacerdotibus ſuis in Meſaucorum Vallem legavit; inter quos Octavianus Abbiatus de Foreriis deſtinatus cum literis eſt ad ejus Vallis Proceres, & juſſus mane poſtero in Valle Capriaſca ſubſiſtere, ut ibi quatuor ex iis incolis ab Eccleſiæ gremio divulſos humaniſſime ſolicitaret, ut reſipiſcerent; mandato inſuper adjecto, ut ad eum Populum gravem haberet de Eccleſiaſticis cenſuris ſermonem. Hiſce perfectis, negotia nonnulla expedivit, quæ utpote levioris momenti, licet Varalli ſibi delata, in hoc tempus rejecerat. Cum Aronam appropinquaret, veſpertinas Sacerdotibus indictas preces perſolvit, addiditque Litanias ritu Romano, ut remigibus, qui in eodem ritu erant, precandi occaſionem præberet. Secundâ ante noctem horâ illuc appulit, ibique apud Patres Societatis Jeſu aliquantulum panis coqui juſſit, & cubitum ivit. Septimâ noctis horâ ſomno excitatus quatuor ferme horas in divina meditanda abditus latuit; mox recitatis Matutinis precibus, ante XIV. horam in Templum perrexit, ubi expiatis per Confeſſionem animi maculis, operatus eſt Sacris; & qui in Collegio illo tyrocinium ſanctitatis ponebant Patres, eos ſacro Pane refecit, alioſque præterea, qui ſubinde acceſſere; ſed eorum complures integram ab Altari famem retulere, cum Euchariſtici Panis ſufficiens copia omnium votis non ſuppeteret. Ex Templo redivit cubitum; cumque a Medicis fuiſſet imperatum, ut in ipſo febris æſtu calidam ptiſanam biberet, excitata adeo illâ potione morbi vis fuit, ut exinde nullo unquam ad obitum uſque tempore Eum febris reliquerit. Eodem die juſſit literas dari ad S. Severinæ Cardinalem, in quibus ſublevari Caſtrenſis Epiſcopi Cittadini inopiam optabat. Verumtamen reddita ea non fuit epiſtola; neque enim relegere illam, & approbare ſubjecto nomine potuit.

Digitized by Google

vectus, qui ex eo flumine ad Urbem deducitur, Mediolanum venit, ac lectică in Palatium delatus, non ante decubuit, quam & solitis precibus in domestico Sacello fungeretur, & ægrotantis famuli curam, quem secum adduxerat, domesticæ rei Præfecto commendaret [a].

Postero die vocati Medici fallacibus conjecturis decepti, per quas ea facultas tota ferme agitur, nonnihil auxilii polliceri in ipsa confessione periculi cœperant [b]. At paulo post redeuntes, explorato sanguinis motu, naturæ vires deficere, ac mortem adesse pronunciant. Jam nimirum beatæ immortalitati propior Sanctissimi Patris spiritus erat, quam ut in terris retineri humanis auxiliis posset. Ille nihil eo nuncio perculsus, cum cælestę Viaticum sum-

(a) Facilem nobis a lectoribus veniam speramus, si in tam acerbo casu minuta etiam singula persequamur. Sed quid de Caroli rebus dispicere cuiquam possit? Igitur cum morbum ingravescere domestici cernerent, & Carolus ipse summis votis Mediolanum aspiraret (sapienter enim a Deo provisum fuit, ut gravitas morbi lateret, cum longius abesset, quo ad Sedem suam moriturus reverteretur, quemadmodum scripsit a Basilica-Petri) postridie Calend. Novembris summo mane, cum vires Cardinali ad Sactum faciendum non suppeterent, interesse tamen Missæ voluit, & Christi Corpori communicare. Postmodum navim ingressus, in molli strato jussus est decumbere, cujus instruendi curam in se receperat Comes Renatus Patruelis, qui semper assidens summâ observantiâ, & benevolentiâ se comitem abeunti adjunxit, neque unquam divulsus est, donec extremum Caroli spiritum excepit. In lecto compositus, refectus iterum fuit ptisana, quam gemini ovi vitello Medici infecerant. Sic commoda usus navigatione per Ticini profluentem, navigabilem alveum, qui in Urbem Mediolanensem influit, invectus, vespere geminis ab Urbe milliaribus abfuit. Ibi navi descendens, in lecticam translatus est, & lento itinere a lecticariis in Ædes Archiepiscopales elatus ad secundam ferme noctis horam. Egredienti obviam fuit Comes Annibal Altempsius cum Gaspare Filio, & Fabricio a Corregio, qui tum in Ipsius ædibus hospitabantur. Eos complexus officiosissime, pauciscque allocutus, primum in Sacellum domesticum, ut rite oraret, deinde cubitum se recepit. Mox duobus Medicis adhibitis valetudinis suæ statum paulo fusius exposuit, inter quos erat Bartholomeus Assander, qui totam eam noctem apud languentem assedit; cumque pro ea, quam Carolo deferebat, reverentia, semper staret, coactus ab Eo est humanissime comparatæ sellæ insidere. Ptisana refectus, aliquantulum quievisse visus est.

(b) Tertia Novembris die horâ XII. ex Medici præscripto iterum oblata est ptisana, quam cum hausisset, domesticos acciri voluit, quibuscum de more statas recitare solebat preces: Verumtamen responsum est, ea loquendi contentione corroborari morbi vim posse; quare satius videri, si eas recitari coram audisset. Ut huic sententiæ acquieseret, P. Adurni consilium expectavit; cui vocato, atque idipsum approbanti ocyus paruit. Quare primus hic Sacerdotalium precum recitatione vacuus dies fuit, idemque vitæ postremus. Actum præterea est de Sanctissimo Christi Corpore in diem posterum sumendo; statutumque fuerat, ut Eucharistiam perciperet in eo ipso, in quo erat, cubiculo. Dolebat Cardinalis, id in domestico Sacello præstari; sed P. Adurnus, & Ludovicus Moneta rati, id incommodum nimis languenti fore, permisere dumtaxat, ut e lecto extractus, atque humi genibus nixus Eucharistiam perciperet. Assensus est huic consilio Carolus; eaque occasione P. Adurnus id sibi sumpsit, ut in eodem conclavi Sacrum faceret, & Christi Corpus Carolo impertiret; quo audito Cardinalis respondit, opportunum non videri in cubiculo ipso Divinam rem peragi; verum cum Adurnus id licere dixisset, cum Domus Episcopi tota sacra sit; Ille reposuit, rem ita esse; Verumtamen nolle a se hujus exempli occasionem aliis præberi. Paulo ante in conspectu jusserat Aram excitari, & piam tabulam imponi, quæ Christi Domini Sepulcrum referebat; Deinde saturaturus veluti religionem suam, geminas alias tabulas, in quarum una Redemptoris nostri mortuum Corpus depictum erat, in altera Christi in horto oratio exprimebatur: Illam quidem super conopei fulcimenta apte componi, ut cum oculos tolleret, posset aspicere; hanc in ima lecti parte collocari voluit, ut rectà incidente obtutu, intueretur principium scil. Dominicæ Passionis, & finem. (utramque nunc tabulam servat Ambrosiana Bibliotheca) Interea cum in mentem venisset, haberi eo mane ad Mediolanenses Magistratus orationem, cum P. Francisco Panigarola, cui demandatum erat id curæ, accito ad se nonnulla de habita oratione disseruit, & pium cum eo colloquium ad geminas horas extraxit: inter loquendum aspicere jussit tabulam, quam supra se habebat; cumque Panigarola illato lumine suspexisset, subjecit Carolus: Se dum morbo conflictaretur, nusquam majorem consolationem habere, quam in sacri Sepulcri meditatione. Medici interim explorato atteriæ pulsu retulerant diuturni, & periculosi morbi apparere indicia; præterea rogaverant tertium induci, qui initam a se medendi rationem recognosceret. Quod cum nunciatum Borromeo esset, seria aliquantulum de more cogitatione dictum expendit; mox imperavit, ut iterum ad se venirent Adurnus, & Moneta, cum quibus habita consultatione, statutum est, ut tertius ex Medicis veniret; Verum, addidit, nolle se, ut Medicorum leges meditantis divina mentis quietem turbarent. Paulo post meliora sperare jussus est a Medicis omnibus; nam cum hora XVIII. nullum viderent superventuræ ad id temporis de more febris indicium, mox gaudium suum ægro Borromeo impertiti sunt. Quibus Ille, *Fiat Dei voluntas*, respondit. Postmodum rem salvam credens, statim edixit, ut nonnulli ex Consiliariis suis de gravibus rebus acturi congregarentur; ut ex Medicis Bartholomeus Assander in Tabulis testatus est.

Digitized by Google

ſumma animi hilaritate accepiſſet, placido velut ſopore correptus obmutuit, ceteriſque Eccleſiæ ritibus expiatus, defixis in piam imaginem oculis, quam ſibi in conſpectu collocari mandaverat, nihil immutata oris ſerenitate, expiravit [a].

CAPUT XII.

Acerbus, & vix conſolabilis Mediolanenſium dolor, audito Borromei periculo: Eo defuncto, incredibilis mœror, gemitus, & lacrymarum plena funebria.

INcertus interim rumor de Archiepiſcopi periculo ineunte nocte increbuerat, & civium animos eo vehementius commoverat, quo longius ab Ejus periculi formidine aberant. Ægre credebant, tam eximium Catholicæ Fidei propagatorem in ipſo profligandæ Hæreſis apparatu, in medio curſu clariſſimarum rerum, ætate, & viribus adhuc florentem tam ſubitaneo interitu ſibi, & Chriſtianæ Reipublicæ eripi poſſe. Itaque in ſpem ſimul, ac religionem verſi, deſertis domibus, Templa compleverant Divinam Clementiam roguturi, ut tantam calamitatem, quam flagitiis fortaſſe ſuis meruiſſent, non Mediolanenſi modo, verumetiam univerſæ Eccleſiæ condonaret. Idem animorum ſenſus ſacris in Clauſtris, eadem pietas erat; dicatæque Deo Virgines ante aras provolutæ deſtinata quieti tempora pro Paſtoris cariſſimi ſalute fletu, ac precibus tranſigebant.

(a) Breve admodum domeſticorum, & Caroli gaudium fuit. Horâ XXI., ideſt ante noctem tertiâ, in immenſum excreverat febris æſtus, nullo frigoris indicio de more prænunciatus. Subſecutus deinde veternus eſt, qui oppreſſum ſpiritum occupavit adeo, ut ſopitos oculos æger vix poſſet aperire. Oblucatus primum eſt improbo ſopori, quem aceto identidem naribus ſubjecto conabatur depellere. Pater a Baſilica-Petri, qui aderat, & nihil de morbi periculo ſuſpicabatur, ſubmiſſa voce ad familiares converſus, *jamnum illum*, ait, *eſſe Mutinenſis Epiſcopi*; ſolebat enim laudare vivens Carolus meditandi ſtudium in eo Epiſcopo, qui morbo oppreſſus, ut uni vacaret Deo, clauſis ſemper oculis perſtabat. Jocum audiit Borromeus, & ſubridere aliquantulum viſus, iterum tamen ad ſoporem rediit. Imo paulo poſt adeo opprimi ſe ſenſit, ut aceti ipſius vim conſtanter ferret, nullo motûs, aut vigiliæ exhibito indicio. Itaque circumſtantes territi aliqua utcumque ratione veternum ſtudebant excutere. Verum advocati Medici, inſtantis mortis deprehenſis indiciis, triſti reſponſo Ejus incolumitati deſperarunt plane; quare univerſis, qui aſſidebant, vehementiſſime perturbatis, imo in uberrimas ſolutis lacrymas, maxima rerum converſio facta eſt. Eminebat in omnium vultu dolor. Præmiſſi ſunt ſtatim, qui in Urbanis Templis preces publicas fieri ante propoſitam omnium oculis Euchariſtiam indicerent. Mox de Viatico, extremaque Unctione Illi adhibendis agi eſt cœptum. Tum P. Adurnus ad Cardinalem converſus monuit inſtare jam mortem, & num ſacri Viatici ſubſidium vellet? Ille: imo ſe enixe petere, ſtatim reſpondit. In Archiepiſcopale Sacellum translatâ Euchariſtiâ, poſtulatum eſt, quando afferri vellet? Reddidit: *Extemplo*. Iterum rogatus, cujus manu vellet cæleſte munus percipere? ſignificavit, Archipresbyteri; neque enim exinde ulla audita Ejus vox fuit. Archipresbyterum vero ceteris præoptavit, quòd in Ambroſiani Cleri Hierarchia ſecundus ille ab Archiepiſcopo ſit. Interim Annibal, & Gaſpar Altempſii, & Renatus ipſe Patruelis effuſiſſimis lacrymis, & præpedientibus vocem ſingultibus rogarunt, ut ſibi benediceret. Paratus indulgere eorum votis Carolus conatus eſt manum, & digitos in benedicentis morem componere; ſed minimus conſequebatur brachii motus; quare a domeſtico adjutus amantiſſime rogantibus benedixit. Quæſitum præterea eſt, num Provinciæ Epiſcopos, juxta condita eo in genere Decreta, vellet accerſiri? Cui Ille poſtulato annuit. Interim Carolus a Baſilica-Petri anxie orabat, ut juxta S. Martini exemplum Deo hoc votum offerret, ut diuturniorem vivendi laborem non recuſaret. Benigne tum Cardinalis viſus eſt in illum oculos intendere; nihil ſubjecit tamen. Mox Renatus Patruelis humana quadam amoris ſignificatione hortabatur, ne mortis denunciato periculo terreretur; ad quæ verba fiduciæ plenus Sanctus Antiſtes ſubriſit. Sed jam aderat in conclavi Archipresbyter Euchariſtiam ferens; quo comperto, Cardinalis indicavit ſtatim, ſe velle e lecto ſurgere, ut mane fuerat conſtitutum. Fruſtra tamen, cum nullæ ſuppeterent vires. Itaque amictus linea veſte (Rochetum vocant) & ſtola collo inſerta, quam prius tamen deoſculari rite voluit, ſacrum Chriſti Corpus religioſiſſime ſumpſit; rogatus poſtmodum de Extrema Unctione, inclinati capitis evidenti indicio aſſenſus eſt; imo aliqui teſtati ſunt auditum ab Eo novum hoc atque poſtremum verbum: *Cito*. Sane optime conſultum ea celeritate fuit; nam omnibus ſumptis myſteriis, ſtatim luctari cum morte cœpit, nullo tamen doloris ſenſu, quantum conjici poterat, nullo vel oculorum obtutu, vel corporis motu minus decoro. Morienti Arragonius ſupervênit, & ægre redundantem in cubiculo infinitam prope multitudinem vicit. Hic flens inter flentes omnes, nullum a Cardinali verbum retulit; nam tres, quas ab Extrema Unctione ſupervixit, horas agere Ille ſemper viſus eſt animam. Diſcedente a triſtiſſimo hoc ſpectaculo Gubernatore, dum inter communem luctum Paſſio Domini ex Euangelio recitaretur, quod moris vivens Carolus ſemper probaverat: A Baſilica-Petri cilicium Illi cinere benedicto aſperſum impoſuit jux-

ta

bant. At ubi ex Metropolitani Templi faſtigio certum de Cardinalis obitu ſignum intonuit, quantus ubique horror, quæ conſternatio hominum fuit! Attoniti, & ſtupentibus ſimiles in vias prodibant, atque alter in alterius aſpectum defixi, magnitudinem doloris ſilentio teſtabantur. Recurrebant ante oculos tot in tam brevi Pontificatu admirabiliter geſta, illa in tolerandis laboribus patientia, in audiendis ſubditorum precibus comitas, in adeundis pro publica ſalute periculis fortitudo, totque alia Paſtoralis diligentiæ teſtimonia, quæ poſtquam amiſſa ſunt, & cognoſci apertius ſolent, & juſtius æſtimari. Mox ſtupore diſcuſſo, exaudiri voces miſericordiam implorantium, tamquam ſcandente mœnia hoſte, aut tectis continenti incendio flagrantibus, ultimum Urbi excidium immineret. Pauperum præcipue ejulatus ſedari non poterant, quos non modo præteritorum recordatio, verumetiam futuri metus angebat. Quem enim futurum impoſterum, dolore amentes clamabant, qui victu, ac tecto carentibus publica domicilia conſtitueret, qui miſeræ plebi veſtiendæ neceſſaria ſupellectile nudaret domum, qui ſublevandis egentium neceſſitatibus opulenta vectigalia, & Principatus ipſos alienaret [*a*]?

Poſtridie, cum viſendi Cadaveris copiam dari auditum eſt, tantus ad Archiepiſcopi ædes concurſus fuit, ut neque arceri

---

ta antiquum Eccleſiæ inſtitutum, imo ex ipſo Borromei voto, qui hoc ſæpius expetere viſus fuerat. Demum inter preces, & ſuſpiria domeſticorum, Civiumque, qui aſpectu dolorem oneraturi confluxerant, appetente tertia noctis hora animam Deo placidiſſime reddidit, Annos natus XLVI., & dies XXIII.; demendi ſunt enim a Caroli vita decem dies propter Gregorianam Calendarii emendationem, quæ in annum MDLXXXII. incidit. Ultimum collegit ſpiritum Carolus a Baſilica-Petri, oculoſque compoſuit; in cujus laudis partem venire tamen voluit etiam Nobilis Eques Sfortia Brippius, qui juratus aſſeverat in Tabulis, ſe morienti Carolo adfuiſſe, atque ſupremum claudendi oculos perſolviſſe officium. Interim circumſtantium pars oſculandi ſanctiſſimæ Illius carnis deſiderium explevit, pars ad diripiendam ſupellectilem veluti ad prædam convolavit. Primùm clauſis Palatii januis, repulſa eſt ingruens multitudo; Sed cum ægre, qui jam introierant, ædes ipſa caperet; miſſi mox a Gubernatore vigiles ſunt, qui reluctantes licet cives a ſacro illo grabato divellerent, ut curandi cadaveris copia domeſticis fieret. Itaque dum hoc lavationis causâ ſpoliaretur, derecta facile eſt Ejus vitæ aſperitas. Nam ſcapulæ livebant verberum, quibus ſe cædebat, vibicibus exaratæ, & notatæ etiam aſperitate cilicii, quo utebatur. Apparuit præterea glandis impreſſa nota, qua ab impio Donato olim fuerat ad necem petitus. Hæc habuimus, quæ de acerbiſſimo Urbis noſtræ, imo Eccleſiæ univerſæ caſu ex optimorum Authorum fide deſcriberemus. Neque enim cujuſcumque auctoritatem ſequi placuit; ſed narrationem dumtaxat eorum dictis accommodare, qui oculati teſtes fuere: quare ea decerpere ex ſchedis, epiſtolis, Tabulis, & deſcriptionibus cùm MSS., tùm in lucem editis, conſtituimus, quæ ſummæ veritatis commendationem afferrent, ne cuipiam fucum faceremus, cum certo conſtaret, nonnulla eo tempore vulgata documenta, quæ ex trivio, & publico ſermone hauſta, non a præſentibus domeſticis fuere excepta. En itaque ſincera exitii noſtri narratio (concludam verbis P. D. Caroli a Baſilica-Petri), quod Dominus fortaſſe prævideri noluit, ne in-

„ finitas prope preces eorum repudiaret; qui, ſi ſpatium datum eſſet, Domini manus quodammodo „ tenuiſſent, quominus tantam nobis plagam inferret.

(*a*) Jam a funeſto audito impendentis mortis nuncio publicus fuit omnium dolor. Ab eodem a Baſilica-Petri, qui eſſet eo tempore Civium ſenſus, audiamus: „ Ad Sancti Paſtoris lectum, qui fletus, „ quæ lamentationes audiebantur! Flebant Canonici, & luctuoſis vocibus, ut olim S. Martini diſcipuli, querebantur, quod optimus Pater eos deſereret, & in mœrore, & periculo relinqueret. „ Graviter plerique ex familia lamentabantur, qui „ non ut Aulici quidam, ſed ut deditiſſimi filii Sanctum Virum diligebant: ſupplices benedictionem „ Illius omnes poſtulabant: illudque vehementer curabant, ut vel minimum aliquid ſaltem, quod „ illius fuiſſet, haberent; quod ſolatii, & Religionis cauſa ſervarent. Tanta erat commotio, tantus luctus, ut neſciam, an in illa Federici Ænobarbi ruina major luctus fuerit: præſertim poſtquam triſtiſſima campanarum, primo Eccleſiæ Majoris, poſtea aliarum Eccleſiarum omnium ſigna audita ſunt. Eos equidem flere vidi, quibus ne Patris quidem, aut cujuſvis propinqui mors lacrymulam excuſſiſſet: & eos itidem, quod mirum „ ſane eſt, qui aliis omnibus potius, quam ſpiritualibus bonis delectari videbantur.“ Sed audiendus eſt etiam Joannes Petrus Bimius J. C., & Patricius Mediolanenſis, qui ſcribens de Caroli interitu in libello ſuo nuncupato Terræ novæ Duci, *jactu*ram eam *immanem, gravem, ac deplorandam Provinciæ Mediolanenſi, imo toti Chriſtianæ Reipublicæ* vocavit: poſtquam vero Ejus obitum deſcripſit, hæc ſubdidit: „ Univerſus autem Populus Mediolanenſis, cui nimis parum Vir ille ſibi vixiſſe videbatur, Ejus „ audita ægritudine, ſtatim ad ſacra Dei fana volans „ confugit, ſupplex Deum exorat, atque Tutelari „ Pontifice noſtro Ambroſio interpoſito, vehementer „ obſecrat, & obteſtatur, ut priſtinæ valetudini Ille reſtituatur, ne in medio curſu ætatis dimittatur; at ubi Ejus mortem præſentit, tanta luce, „ & Civitatis lumine clariſſimo privatus, tali Duce, „ tali Magiſtro, tali Parente, tanta gloria, tanta di-

„ gni-

ceri multitudo, nec recipi posset [a]. Dirui certe in Sacello parietis partem necesse fuit, ut confertim introëuntibus facilior egressus pateret. Ingentis solatii loco habebatur delibare ultimo obtutu quidquid aliud suavitatis, & gratiæ in exanimi vultu remaneret. Recrudescere interim in ipso solatio dolor, atque in illa oris benigni-

„ gnitate, tanto solatio, & præsidio orbatus, quas „ lacrymas effudit? Quæ dolorum vis fuit? Quæ animi publica tristitia? Qui acerbus luctus? Qui totius Civitatis squalor? Fuit hoc luctuosum suis, „ acerbum patriæ, grave omnibus bonis." Ultimo audienda est etiam Agatha Sfondrata ex Angelicis Monasterii S. Pauli, quæ ad Sorores suas Cremonenses S. Marthæ Monasterii funestum casum perscribens in hæc verba miserrime erupit: „ Interrogatus Zachatias Caimus Cardinalis Medicus, qui ad nos „ venerat, num aliquod Caroli vitæ periculum immineret? Doloris plenus respondit: *actum jam esse*. „ Hei mihi! non æque funestum S. Job allatum est „ nuncium; neque par Sebastiano hæsit sagitta. Præ „ metu exanimes ferme, & lacrymis uberrimis perfusæ scitatæ rem totam sumus; Quare, eo statim digredientes, mœrore contabuimus. Præmiserat Mater mea, qui exploratis rebus, lætius quidpiam „ referrent; sed nuncii a clausis Archiepiscopi ædibus reversi retulere, Eum jam animam agere. Ocyus „ a Monasterii Præside dato signo indictum, ut conveniremus in Templo; id cum præter ordinem „ accidisset, reliquæ a Sociis rei causam anxiæ exquirebant. Nondum enim ad omnes miserabilis „ casûs pervenerat dolor; quæque rei conscia inter „ ceteras erant, imperturi insciis mœrorem non audebant. Coactæ in Templo acerbissimum nuncium „ a Præside accepimus. Ego ne, Sorores meæ, explicem vehementissima suspiria, effusissimas lacrymas, ardentissimas preces, obsecrationes, obtestationes, vota, quibus sacra Ædes tempore illo infelicissimo personuit? Perfectis precibus, exiens „ Sabbati dies monebat, ut consuetam Antiphonam „ ante Deiparæ imaginem, quæ ad caput Cœmeterii extat, concineremus. Nullus tamen vocum, „ sed lacrymarum dumtaxat concentus fuit. Hic „ igitur fusis precibus, reditum in Templum fuit; „ & ipsa Præses Mater, votorum nostrorum conscia, „ veniam pernoctandi in Templo volentibus dedit. „ Sic iterum Deo votis nostris inferre vim aggressæ sumus; sævitum flagellis in terga est; excogitatum omne voluntarii doloris genus, quo propitium haberemus Deum. Ægre assentiebamur „ Deo volenti afflictis iis temporibus universum Orbem tanto bono privari. Sed dum inter lacrymas, & „ preces primam noctis vigiliam extraheremus, repente horrendum ex Templo Maximo signum æris „ campani intonuit; quo audito, non Caroli mors, „ sed Mundi excidium divino superveniente Judice denunciari videbatur. Quid eo in Templo non est „ ea nocte auditum! Sorores partim stupentes defixerat dolor, partim terræ afflixerat, diversis omnes corporis habitu obruerat mœror; par tamen „ in omnibus fletus eminebat: Deficere tenebricosa „ ea nocte Mundus credebatur. Hærebat menti infixa crudeliter cogitatio, quot virtutum splendore, quanta prudentia, quot beneficiis, quo gaudio „ nos cumulasset vivens Illustrissimus, Sapientissimus, carissimus, & Sanctissimus Pastor. Obversa-

„ batur oculis Venerabilis ille, & Angelicus aspectus, Pontificia illa majestas, & gravitas, affabilitas, & suavitas vere cælestis, paternum, & amantissimum cor illud, cujus benevolentiam omnes experti sunt, liberalitatem paratam omnes „ habuere, ardorem sensere universi. Subibat mentem immensa illa sollicitudo, & vigilantia, omnia „ prævidens, agens, minima quæque curans, omnia demum, qua diligentia poterat, perficiens: „ Vis illa, quæ, adjutore Deo, *omnia in omnibus* „ operabatur, cuncta reficiebat, & disponebat sapientissime: Ille honoris divini tuendi ardor, quo „ contraria quæque destruebat, fovebat Amicos Deo, „ resipiscentes demum lenissime excipiebat, corroborabat, confirmabat: Illud Divini cultus desiderium, ea Sacrorum, & Rituum pompa: Solemnes Supplicationes, splendidæ Translationes sacrarum exuviarum: Posita illa supra humana omnia „ Mens, cui nihil præ Deo cognitum, aut suave „ fuit; ..... Sanctitas illa, quæ minacem „ Dei dexteram a nobis abstinuit, quæ intentatam „ mortem repulit, in cujus *odorem omnes currebant*, „ cujus manibus gravia quæque committebantur, „ cujus omnes petebant oraculum, verebantur auctoritatem, præsidium denique enixe postulabant: „ Illud demum gaudium, quod secum circumferebat, & impertiebatur cunctis, nobisque præsertim miserrimis. Proh dolor! Nulla igitur gratum „ inposterum exaudietur vox, quæ nostras aures „ permeans referat: *hodie aderit Cardinalis Angelus* „ *cum daturus panem*? Vox equidem exultationis, & „ voluptatis plena, qua audita evanescebant tenebræ, „ & dolor, sereni erant omnium vultus, gaudio „ gestiebant corda, tota demum hæc Ædes plausu, „ & lætitia triumphabat. Quo abiere illi salutis dies? „ dies, inquam, qui nihil terreni habebant, sed cæ„ lestis præcocem fructum afferebant voluptatis &c." Reliqua brevitatis gratiâ omittimus, ægre tamen, cum nobilissimo doloris testimonio abundent; verùm suppetent facile Homilias legenti, ad quarum calcem epistola isthæc rejecta est. Sed omnia uno verbo complectar, afferens verba Jo. Baptistæ Silvatici, qui juratus hæc Tabulis consignavit: *Major Mediolani consternatio animorum fuit, audito Caroli interitu; quam accepto pestilentiæ in Urbe exarientis nuncio*

(a) Usque ad Feriam II., scilicet V. Novemb. diem, clausis Archiepiscopalis Palatii januis vetitus est populus dolorem suum Sacri Cadaveris aspectu integrare. Etenim ad III. noctis horam incuntibus Mensis Nonis exenteratum Cadaver fuit a Joanne Baptista Carcano Leone Anatomen in Ticinensi Gymnasio publice profitente, qui deinde rei totius descriptionem typis vulgavit. Itaque mane postero, cum omnibus pateret ad illud aspiciendum aditus, & collocatum esset Pontificalibus vestitum indumentis in Ædium Sacello, (pergit narrare Carolus in Basilica-Petri) „ Tantus fuit omnium concursus, „ quantus cujuscumque celebritatis causâ fieri posse „ conjicere possumus; tantoque flentium numero, „ quan-

gnitate, cui mors ipſa pepercerat, altius meditantes, qualem Pontificem amiſiſſent, triſtiores, quam venerant, revertebantur.

Quarto poſt obitum die quotquot in Urbe erant ſacrorum hominum Sodalitia duxere funus, quo nihil triſtius unquam, aut magnificentius fuit. Gubernator, & Senatus, & ceteri Magiſtratus ſplendide atrati, & compoſita in luctum majeſtate ſequebantur: ſpecioſum viſu ſpectaculum, ſi quid in tanto infortunio Civitatis jucundum videri Civium oculis potuiſſet. Præ omni tamen pompa eminebant omnium ordinum ploratus, & mœror, quibus nihil honorificentius ſpectari in Principum exequiis poteſt [a]. Auxere dolorem Teſtamenti tabulæ, quas initio peſtilentiæ obſignaverat, cum omnia vitæ pericula adire pro publica ſalute ſtatuiſſet. Argentea vaſa, & ſacrificales veſtes Templo maximo ad ſacrorum decus: ingentis pretii Bibliotheca ejuſdem Templi Canonicis ad eruditionis cultum: reliqua omnia Xenodochio majori ad pauperum ſolatium relinquebantur, ut ex ipſa ultimæ voluntatis declaratione conſtaret, quo Ejus ſemper deſideria tetendiſſent [b]. Cadaver ſuum infra Cancellos, qua ad Aram Templi ma-

xi-

„ quantum omnes ſatis mirari non poſſunt. Quod „ ſi diutius inſepultum relictum eſſet, non dubito, „ quin valde longinqui quoque venturi fuiſſent. Id „ tantum moleſtiæ miſeri capiebant, quod morari „ quantum volebant, & Paſtoris ſui vultum con„ templari ſaltem non permittebantur ob adve„ nientium impetum perpetuum; nam tangere, & „ oſculari non dabatur ob ſepimentum, quo undi„ que muniebatur: neque calculorum coronæ acci„ piebantur, quas cupidiſſime omnes offerebant, ut „ corpori admoverentur. Tantus fuit irruentis mul„ titudinis impetus, ut quidam etiam ex eo inte„ rierint: de quibus dici poſſet, quod Gregorius „ Nazianzenus de quibuſdam ſimili de cauſa ex„ tinctis in funere S. Baſilii dicebat: *felices fuiſſe, „ qui digni habiti erant, ut ſanctæ illius Animæ co„ mites accederent, victimarumque funebrium loco ha„ berentur*.

(a) In Parentalium pompa publicum luctum auxit Comes Federicus Patruelis medius inter Annibalem Comitem Altempſium, & Comitem Renatum Fratrem. Hos Vicarii omnes Archiepiſcopi defuncti, & Nobiles ex familia Viri atrati ſubſequebantur. Funus duxit Cardinalis Sfondratus Cremonæ Epiſcopus, poſtmodum Summus Pontifex Gregorii XIV. nomine celebratus. Tanta in eo vis lacrymarum fuit, ut fletu madidum identidem ſudarium mutaret. Neque minore luctu parentarunt, qui in comitatu erant Alexandriæ, Viglevani, & Caſtri Epiſcopi. Cum primùm ex Ædibus Sacrum Cadaver efferri cœpit, tantus gemitus, & clamor, tanta mulierum comploratio, lamentatio virorum, tantus omnis ætatis, atque ordinis ejulatus, & luctus repente exortus eſt, ut vel ferrea pectora convelleret, atque effoderet. Certe nihil unquam lugubrius viſum, teſte Botero, & ſolem huic Civitati in perpetuum occidiſſe dixiſſes. Maximi etiam auditi ſunt Dæmonum in obſeſſis corporibus clamores, quos Caroli gloria acriter urebat. Simplices pueri, dum corpus efferretur, commoti, quanta voce poterant, miſerabile geminabant verbum *miſericordia*. Funerem laudationem poſt Sacrorum ſolemnia habuit P. F. Franciſcus Panigarola, ſane luculentiſſimam, & quæ nunquam legentis expleat deſiderium. Perfectis omnibus, ad ſaturandam populi pietatem inhumatum Corpus fuit; Quare in Medicæum Baſilicæ Metropolitanæ Sacellum ferreis clathris optime munitum inferri oportuit. Interim populus clathris adhærens divellere oculos ab Ejus aſpectu nunquam potuit; & vix redundantis multitudinis frequentia ceſſante ad V. noctis horam, clauſis Baſilicæ januis, in lignea primùm arca, mox & in plumbea conditum, inſculptis nominis & temporis notis, ſepulcro, quod præſtituerat vivens Cardinalis, fuit illatum. Poſtridie adhuc religionis ardor in Mediolanenſibus exarſit; & reperio in Tabulis, conquiſitum diligenter, in quo Carolus jacuerat, feretrum, & in partes diviſum ad amantiſſimi Patris memoriam, quantum fieri poſſet, ſervandam.

(b) Jam ab anno MDLXI. cum adhuc eſſet Cardinalis Tit. S. Martini in Montibus, facultatem condendi teſtamenti ab Avunculo acceperat VI. Idus Maji; eâque uſus fuerat anno MDLXXVI. V. Idus Septembris. Præter ea, quæ Auctor hìc fuſe narravit, conſtituit ſepulcri locum, & juſſit humiliter illud curari, uno tectum marmore cum inſcriptione: In Mediolanenſem Civitatem transferri cadaver, ſi alibi deceſſiſſet, & funebria moderate admodum inſtrui. Conſanguineis Patrimonium reliquit, electis controverſiarum arbitris Joanne Fontana Metropolitanæ Archipresbytero, & Thoma Odeſcalco Regio Mediolani Senatore; addito tamen onere, ut Majorum ſuorum piæ voluntati ſatisfacerent, quam cùm Ipſe vivens impleverat, tùm implendam conſanguineis demandavit. Bis mille circiter aureos familiaribus, aliiſque perſolvendos legavit, præter aureos centum quotannis numerandos Petro Galeſinio, quoad viveret; omnia tamen ex patrimonio ſuo: Bonhomio Vercellarum Epiſcopo concionum ſuarum uberrimam ſupellectilem: nonnulla alia amicis (Tabulas deinde, & MSS. Caroli ingenti etiam pretio redimenda curavit Federicus Cardinalis Borromeus, quæ Bibliothecæ Ambroſianæ illata pulcherrimum deinde inter cetera hujus ornamentum fuere). Bona autem omnia, & fortunas ſuas reliquas Xenodochio Maximo Urbis noſtræ, quod *Hæredem univerſalem* nominavit. Sed hæc uberius ex ejuſdem Teſtamenti Apographo latine, & italice typis vulgato. Tria tamen, quæ hoc teſtamentum conſecuta ſunt, non videntur ſilentio prætereunda: Primum quidem, quod cum Sacris Virginibus Monaſte-

iii

Digitized by Google

ximam aditus patet, tumulari mandavit; ac veluti metuens, ne adulatio, cujus semper hostis acerrimus fuerat, sepulcro denique suo illuderet, Ipse sibi Epitaphium in hæc verba conscripserat:

CAROLUS
CARDINALIS TITULI S. PRAXEDIS
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI
FREQUENTIORIBUS CLERI, POPULIQUE,
AC DEVOTI FŒMINEI SEXUS
PRECIBUS SE COMMENDATUM CUPIENS
HOC LOCO SIBI MONUMENTUM VIVENS
ELEGIT.

CAPUT ULTIMUM.

Caroli vultus, statura, & corporis habitus.

ADdmiraturi perfectam in Carolo sanctitatis imaginem, quidni exteriorem etiam corporis habitum, & lineamenta vultus primùm contemplemur? Placet ceterorum etiam Scriptorum hac in parte morem sequi; neque abs re videtur referre scriptis Ejus speciem, ac mores externos, ut sive pictorum incuriam, sive artis ingenium certiore verborum fide suppleamus. Divinus Illum Artifex cum ad summa omnia formasset, par animo domicilium comparaverat, ut corporis appositi opera Conditoris consiliis opportune responderet. Itaque communem Carolus hominum staturam aliquantulum excedebat, & Illi erant membra peræqua proportione cetera: quare procera potius corporis moles, magna ossa, rectusque partium concentus consequebatur. In primo juventutis flore augebant formam insignes lacertorum tori, protenso etiam aliquantulum aqualiculo, licet postmodum vitæ asperitas, cibi tenuitas, & continens labor summam maciem obeso naturâ corpori attulissent. Oblonga potius facies: ampla, & hilaris frons: optime compositum caput ad recti, quam Aristoteles describit, vultus amussim: fuscus demum capillus. Sub spatiosa fronte decen-

rii S. Pauli, quas præ ceteris diligebat, depictam ab Antonio Campio Tabulam, in qua Redemptoris nostri expressa erant acta nonnulla, Ea Virgines tanto religionis sensû hæreditarium id munus excepere, ut statim eam Tabulam curaverint Templo inferendam, Borromei veluti obtutu consectatam. Alterum vero quamdam prodigii speciem habuit, & reddendum fideliter censeo ex ipso Jo. Baptistæ Fontanæ Ferrariensis Episcopi testimonio. Hæc ille in Tabulas retulit: „ Supremis in tabulis Carolus unius ex „ equis suis mihi optionem fecit. Eum acceptum „ religiose custodivi, neque ulli unquam ejusdem „ usum permisi. Usus ego semel feliciter sum, cum „ ad Sacrum Varalli Montem pergere religionis cau„ sâ voluissem. Postmodum cum in Genuensem Ur„ bem equo vellem contendere, nulla unquam mihi „ ratione illum licuit ascendere. Ultimò ad annum „ MDLXXXVI. a Ferrariæ Duce rogatus, huic tandem „ dono dedi, qui offerre eumdem statim Imperato„ ris Rodulphi Legato voluit. Gratiis actis, secum „ avexit Legatus; sed vix dum Ferrariæ Portâ egres„ sus, subito casu in via extinctum vidit. Venit „ tum in mentem, par olim Corinthi oblatum „ Joanni Summo Pontifici munus, & par equi fu„ ror, ut S. Gregorius scripsit in Dialogis suis lib. „ III. cap. II. Equidem noluit Deus eo me equo ab„ uti; idcirco illius usus, nisi in sacra, mihi fuit.“ Ultimum etiam mirum certe habitum a civibus fuit. Nàm cum translata esset in Xenodochium Caroli supellex, & præsertim vestes, quibus certe nihil miserius fuit; tamen cum illæ hastæ subjicerentur, tanta vis auri ab iis divenditis fuit collecta, ut tanti æstimandæ non viderentur, si ingentis pretii, & exoticæ pompæ fuissent. Gemini Caroli thoraces laceri adeo, ut vix sarciri ex iis unus potuerit, qui infirmis deinde morborum remedium ex eo petentibus apte posset imponi; aliquot nummis emptori steterunt; qui tamen male collocatam pecuniam suam non credidit, cum illo multorum languentium redempta fuerit valetudo.

Digitized by Google

centior erat oculorum amplitudo, non tamen enormis, quorum iris cærulea videbatur. Eminebat deinde protenſus, & aquilinus naſus, quo regium quiddam, & nobile indicari Perſæ olim exiſtimavere. Concolor capillis erat barba, quam cum aleret (aluit autem uſque ad trigeſimum octavum ætatis ſuæ annum) brevior ſemper, & inculta fuit; cum animi nitori potius, quam corporis Borromeus ſemper ſtuduerit. Ubi vero eam depoſuit, patuere nonnullæ non ætatis vitio, ſed macie inductæ rugæ, quæ defluentes genas in longum exarabant. Toto autem ore diffuſus pallor certus erat index ſanctitatis, quemadmodum hanc in vetuſtis Eccleſiæ Patrum imaginibus ex ſublurido colore arguimus. Quocirca rectum hunc partium ordinem firma etiam valetudo fuiſſet conſequuta; niſi ſuſcepti conſtanter, & ſervide labores eam vitiaſſent, cum pertinax diutius rheuma, & nunquam victum Medicorum arte eriſypelas alternis vicibus ex athletica illa corporis firmitate aliquantulum decerperent.

Inter humores per hominem a natura diffuſos, maxime in Carolo redundabat ſanguis, cujus æſtum atra bilis præcipue temperabat. Dicunt Phyſionomi, ex hac temperie nobilem quamdam, & majeſtatis plenam ſpeciem hominis ſolere exiſtere: corpus firmiter valens, animumque ipſum moderatum effici. Hinc in hujuſmodi hominibus aſſerunt, pronam eſſe ad æqua omnia indolem, & ad ſplendorem, atque clementiam mirifice accommodatam: avidum inſuper ſcientiarum ingenium, ad prudentiam, omnemque virtutem factum, & conciliatriculam animorum formam ominantur. Quæ omnia cum in Carolo extitiſſe certum ſit, fidem etiam aliquam hiſce Phyſionomorum ſomniis feciſſe videntur. Quod ad exteriorem corporis motum ſpectat: quoniam ex Sancti Ambroſii ſententia non obſcurus ille teſtis eſt animi, ſerium quiddam, & grave Borromeus præferebat; nihil enim aut in Eo minus aptum, aut incompoſitum apparebat, cum ſedatum ſemper, conſideratumque geſtum dignitas moderaretur. Non feſtinationem inceſſus præferebat, nec tarditatem; nulla manuum geſticulatio, niſi opportuna, aut gravi de cauſa. Exporrectam ſemper offerebat accedentibus frontem; moderatus riſus, & nunquam ſyncruſius; appoſite enim, atque decore labia in riſum diducebat, ut majorem voluptatem videntibus impertiret, quam in ſe indicaret. Parcius de more loquebatur, imo credebatur impeditior linguâ, ſive cæloſtomus, ſive ancyloglooſſus eſſet. Nonnulli tamen hoc ipſum linguæ vitium ſingulare Illius modeſtiæ artificium dictitabant; utpote qui dicta, priuſquam loqueretur, attente expenderet, ne quid imprudenti verbo peccaret. Modeſtiſſimus tamen corporis notabatur habitus, cum advenientes quoſcumque ſuo dignaretur alloquio. Etenim ſuum non veritus incommodum, ut minueret alienum, ſtabat; humeros tamen obverſos aut feneſtræ, aut muro opponens. Tanta autem in familiari etiam colloquio eminebat majeſtas, & decor, ut divinum quiddam in Illo omnes venerarentur, ac colerent. Quare familiares ſui verebantur quammaxime, aut de inutilibus rebus, aut animi cauſa ſermonem quempiam coram Eo inſtituere. Dicta verò ſua iis unice circumſcribebat verbis, quæ appoſite in rem facerent, cum ab omni multiloquio abhorreret. Poſtremis, quos vixit, annis, incurvis aliquantulum humeris incedebat: ſive propter continentem in perlegendis libris curam uſum illum curvandi capitis induxiſſet; ſive laborum, & præcipue vigiliarum diuturnitas vim capitis gravitate ſua defluentis enervaſſet. Itaque feſtinato hoc veluti ſenectutis indicio vergere nonnullis in ſenium videbatur Illius ætas, cum virilis eſſet; quamquam ſi rerum præclariſſimarum numerum expendamus, diutiſſime Borromeum vixiſſe dicemus; quandoquidem is Ille eſt, qui *conſummatus in brevi tempora* certe *multa explevit* (*a*).

LIBRI SEPTIMI FINIS.

Digitized by Google

(a) Coronidis loco juvat ſummatim attingere, quæ Joannes Baptiſta Carcanus Leo de Caroli exenteratione ſcripſit, ut intimum etiam Sacri illius Corporis habitum teneamus. Itaque primò in Ejus Cadavere videre erat veluti ſcheleton, cujus oſſa pelle eſſent tantùm colligata; adeo corpus erat extenuatum. Secanti abdomen nulla ſe ſe obtulit pinguedinis nota; quod mirum valde viſum eſt, cum in exeſis macie quibuſque corporibus ſemper veſtigium aliquod extet pinguedinis, quæ in obeſis quandoque quatuor digitorum craſſitiem æquat. Omentum erat contractum, neque ullum in eo adipis ſignum; ſed membranæ inſtar laceræ convolutum. In ventriculo nihil cibi; & in partibus ejuſdem intimis plùrimæ puſtulæ, inanes tamen, notabantur. Inteſtina omnia conſtricta, & penitus vacua. Quod ad ceteras partes attinet: concava jecinoris pars tota fere corrupta, & nigricans ea ex parte, in qua conditur ciſta felea; poſtquam vero ſectum eſt, præter morem jecur apparuit flaccidum. Lien naturalem excedebat molem, & colore atriore, quàm par eſſet: ſanguis autem in eo concretus ater videbatur, & fere corruptus: Renes admodum molles, crebriſque tuberculis interpuncti: Pulmones turgidi, ceterùm ſani: Pericardium integrum, & tenuis in eo aqua, ut in cadaveribus uſuvenit: Cor mediocris magnitudinis, quod generoſi animi indicium eſt: hujus tamen intimas partes perſcrutari non licet. Nam ſupra relatus Carcanus Leo, dum ad Cor inſpiciendum perveniſſet, ſolutus in lacrymas erupit in hæc verba: „ Te ne, Cor meum, quin potius Cor omnium, „ cum omnibus non dixerim Mediolanenſibus, ve„ rùm omnibus Chriſticolis vires ſuppeditare ſolc„ res, diſſecare audebo? .... O magnum vitæ mo„ ſtræ exemplar! O magnum Chriſtianæ vitæ ſpecu„ lum! Quis unquam de te, Cor meum, ſufficien„ tem orationem habere poterit? .... Tu Sanctita„ tis idea, tu typus, atque Chriſtianorum fuiſti co„ rona. Nos miſeros, cum vitam vitæ noſtræ ami„ ſerimus! Ubi ſunt jam motus illi ferventiſſimi, „ Cor meum, a quibus ſemper agitatum, tuam, no„ ſtramque Eccleſiam commovebas, eamque nun„ quam immotam eſſe ſinebas? Nos iterum miſe„ ros! &c. " Divino tamen conſilio effectum videtur, ut integrum ſupereſſet magnanimum illud Cor, quod in ipſa Religionis Arce, Romæ ſcilicet, collocatum in Templo SS. Ambroſii, & Caroli *de Urbe* ad publicam Eccleſiæ univerſæ utilitatem, & gloriam certe erat reſervandum.

Digitized by Google

DE FAMA VIRTUTIBUS ET MIRACULIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI LIBRI DUO

QUOS EX JOANNE PETRO GLUSSIANO

PATRICIO MEDIOLANENSI, AC PRESBYTERO CONGREGATIONIS OBLATORUM

LATINE REDDIDIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

BALTHASSAR OLTROCCHI

OBLATUS S. T. D. COLLEGIO AC BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PROPRÆFECTUS.

MEDIOLANI MDCCLI.

EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ APUD JOSEPH MARELLUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

JOSEPHO
PUTEOBONELLO

S. R. E. CARDINALI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI

BALTHASSAR OLTROCCHI.

Niverſam hanc auctam, atque illuſtratam Hiſtoriam, redditoſque latine ſequentes de Sancti CAROLI BORROMEI Fama, Virtutibus, & Miraculis libros cui potius alteri, quam Tibi inſcriberem, EMINENTISSIME PRINCEPS? *Jure nimirum optimo lucubrationem hanc meam ſibi vindicare debuit Ille præſertim, ad quem relicta BORROMEI gloriæ hæreditas, & factorum imitatio cum*

Digitized by Google

cum pertineat : illam quidem amplificare latius ; hæc verò religioſe conſequi pro virili contendit. Gemina iſthæc objecta Tibi a me laus eo longius ab aſſentationis periculo abeſt, quo certius hæret in omnium oculis, atque cogitatione defixa. Quis enim ignoret, aut ſine præconio, me tacente, dimittat hauſta ſemper a S. CAROLO Paſtoralis Adminiſtrationis Tuæ documenta, & propagatam, Te præcipue adnitente, EJUSDEM Famam? præſertim cum latine reddendæ, atque evulgandæ hujus Hiſtoriæ Author extiteris ; imo per hos menſes magnificentiſſimæ Pompæ celebritatem indixeris pro SANCTI illius ANTISTITIS exuviis quamſplendide transferendis ; unde extitura eſt in omnem ætatem EJUS memoria Tuis ſtudiis æque, ac Nobiliſſimi Decurionum Ordinis munificentiâ conſecrata. Itaque Tibi celebrandi, atque imitandi CAROLI perquam ſtudioſo dum opus hoc nuncupo, non vereor, ne quis mihi ſuccenſeat ; niſi fortaſſe meam ſcribentis audaciam reprehendat, quod informem adeo fetum SAPIENTISSIMO PRINCIPI *offerre voluerim, aut Apellis, ut ajunt, tabulæ rudem manum apponere. Quamquam hoc etiam ne timeam, Tua Humanitas facit. Etenim ex nutu Tuo volumen hoc prodit in lucem; quare in tanto præſidio cum lateat, cenſoriam virgulam non reformidat. Recreat præterea cogitationem meam ſuſceptum a Te jamdiu literarum mearum Patrocinium. Tu unus ab ineunte mea ætate ſtudia hæc, qualiacumque fuerint, corroboraſti, dum Auſpiciis ſuſtentarer Tuis : poſtmodum non obſcuris benevolentiæ indiciis foviſti, dum ad Seminarii Tui Alumnos eloquentiâ imbuendos evocarer : ultimo etiam luculentis optimæ voluntatis teſtimoniis ornaſti, cum Ambroſiani Collegii Doctoribus accenſerer. Quamobrem quo alias mea omnia conſueviſti animo, hoc obſervantiæ meæ pignus nunc excipe omni ex parte vere Tuum. Tua nimirum eſt ſcribentis opera, ac diligentia omnis tot hactenus*

Tibi

Digitized by Google

Tibi nominibus obſtricta: Tua præterea ſunt, quæ in hoc volumine jamdiu ab aliis deſcripta, atque in oculis ſemper hærentia egregie hactenus es aſſecutus: Tua erunt demum, quæ nunc primum propoſita ad imitandum, novam veluti S. CAROLI Virtutem, ac Facta multis teſtata documentis aperiunt; quoniam ea de more arripies, atque in Te Ipſo exprimes ſplendide. Sic fiet, ut quamquam Te BORROMEI veſtigia religioſe perſequentem videt Mediolanenſis Eccleſia; propius etiam inpoſterum tot monumentis Virtutis inflammatum ad EJUSDEM Sanctitatem contento curſu accedere ſemper gratuletur.

Ex Bibliotheca Ambroſiana IV. Idus Sextil. MDCCLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FAMA ET VIRTUTIBUS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Statim ab obitu, S. Caroli gloria e Cælis per quietem pluribus oſtenditur: & auſterioris diſciplinæ inſtituta in S. Barbaræ Aſceterio divinitus firmantur.

HAUD ita tamen mœſtiſſimæ Civitati Carolum invidere mors potuit, ut multorum neceſſitatibus, & amicorum oculis omnino poſſet auferre. Paſtorem præſentiſſimum ſibi ſenſere nonnulli etiam, dum ſacrum Ejuſdem Cadaver lacrymis perfunderent; & viventis præſidium deſiderare deſivere complures, poſtquam vivere ſuum adhuc in Cælis Patrem facile cognoverunt. Sed miranda omnia, quæ Illius funus commendarunt, alibi opportunius rejiciemus. Vacat potius hoc loco aliqua benevolentiæ ſuæ certa indicia expendere, quæ extingui, Illo moriente, non potuit, & Borromeum domeſticorum ſuorum nonnullis divinitus oblatum admirari. Mœrore confectus P. Franciſcus Adurnus, qui morientis Cardinalis extremum ſpiritum lectulo aſſidens exceperat, ex triſtiſſimo, in quo ſacrum Cadaver jacebat, cubiculo, ad S. Fidelis Ædes remeaverat; cumque cubitum iviſſet, reliquum acerbiſſimæ noctis inſomnis duxerat. Hærebat animo altius moleſtiſſima cogitatio, qua identidem recolebat, tanto erepto Antiſtite, cujus ipſe virtutem eximiam penitus introſpexerat, Eccleſiaſticam diſciplinam omnem, veluti exſectis nervis, ad ſummam facile perductum iri infirmitatem. Demum ut aliquantulum conquie-

vit

vit dolor, ſub dubiæ noctis confinium leviore correptus eſt ſomno: cum ecce coram adeſſe ſenſit Carolum, qui Pontificiis amictus ornamentis, & cæleſti perfuſus lumine, certam illius, qua fruebatur, gloriæ ſpeciem vultu ipſo præferebat. Admiratus Pater, animo ſopito licèt ſtatim ad recentis calamitatis memoriam redeunte, *unde hoc!* ait: *Qualem nunc aſpicio, quem ægrum modo, imo & mortuum flevi!* Cui Carolus reddidit: *Dominus mortificat, & Dominus vivificat. Bene eſt mihi: Tu autem brevi me ſequêris.* Incredibili perfuſus gaudio Adurnus, oſtentum hoc deinde amicis aperuit ſuis; utque in ſuæ lætitiæ partem Civitas veniret univerſa, palam etiam pro concione expoſuit. Sane poſtmodum, ut certa prodigio fides conſtaret, Borromei dictum rei etiam veritas ſubſecuta eſt. Etenim cum alter ab hoc oſtento ſe circum egiſſet annus, Genuam ad Patriam Urbem reverſus Pater, & gravi oppreſſus morbo e vivis exceſſit; ſic Caroli jacturam funere inſuper ſuo cumulavit, ingenti relicto apud Mediolanenſes æque, ac Genuenſes virtutum ſuarum deſiderio. Quo autem cæleſtis ſe conſortem gloriæ teſtaretur, quemadmodum Cardinalis prædixerat; tantam apud Cives ſuos ſanctitatis opinionem habuit, ut certatim ad illius cadaver tangendum cujuſcumque ordinis multitudo conflueret, & contactu conſecratas veluti Marianas coronas religionis ſuæ pignora domum referret.

Par fuerat ex Caroli obitu dolor a Sacerdote quodam domeſtico ſuo, & notæ admodum probitatis conceptus; neque diſpar eidem lætitiæ cauſa fuit. Ille pariter ſomno correptus ſiſti ante ſe certo cognovit, Borromeum domeſtico corporis habitu, qui Cardinalitiam dignitatem referret. Rutilans erat facies, & hilariter exporrecta frons: ſed cum ſomnus, quo Sacerdos premebatur, obliterare omnino recentiſſimæ mortis memoriam in quieſcente etiam non poſſet, amiſſi ſimul, & præſentis Borromei conſcius, *quid ſibi hoc vult*, inquit, *Cardinalis Illuſtriſſime?* Cui Carolus, *ſolare afflictum animum*, ſubjecit. *Præclare mecum actum eſt, qui cæleſti gloria fruor*; quibus dictis, dilabi in tenues auras viſus eſt. Deinde cum quintuſdecimus a morte dies nondum effluxiſſet, teſtatus eſt Sacerdos idem, fulgentem beati Cardinalis vultum, non inani ſpectro, bis fuiſſe ſibi perſpectum. Ut omnis autem abeſſet ſomnii ſuſpicio, quod ferme uſuvenit dormientibus propter diurna vigilantium vota, certa præſentiæ ſuæ præſagia Borromeus adjecit. Siquidem cum illi primùm appareret, duo prædixit, quorum alterum juſtis de cautis evulgare ille noluit: alterum erat de Gregorii XIII. obitu vaticinium, quem poſt ſemeſtre ſpatium e vivis exceſſurum eſſe Cardinalis prænunciaverat, ut reapſe evênit. Cum vero ſe iterum videndum eidem obtulit, alia pariter vaticinatus eſt Ambroſianæ Eccleſiæ futura incommoda, quæ divinitus ab Eo prægnita, res ipſa poſtmodum oſtendit (*a*).

Hæc omnia tamen, quæ Caroli obitum ſubſecuta ſunt, quantum gloriæ Ipſi acceſſiſſet indicarunt, porro quæ ejuſdem mortem præceſſere prodigia, quantum Eccleſiæ immineret calamitatis portenderunt. Paucis ante menſibus, quam Cardinalis evolaret ad Superos, nunciatum eſt, ignium ſpeciem quamdam de Cælo affulſiſſe, & in Urbe,

(*a*) Joannes Petrus Giuſſianus Hiſtoriæ hujus Scriptor, ille Sacerdos eſt, cui ſe pluries Carolus ab obitu videndum obtulit. Quod hic expoſitum eſt, iiſdem propemodum verbis ille juratus Tabulis conſignavit. Sed ex iis, quæ tacitus præterit hoc loco, unum juvat exponere, prout in teſtificatione ejuſdem legitur: „ Videbar mihi, inquit, videre „ in maxima Mediolani Baſilica coactum ex Diœceſi „ de more Concilium. Marcus autem Antonius „ Bellinus ſuggeſtum aſcendens Decreta omnibus „ prælegere; quibus auditis, conſequi exemplo „ ingens Cleri univerſi admurmuratio, & ſeditioſæ „ voces. Tum ego ad Cardinalem ſedentem in ſo„ lio accedere, atque hæc leniter conqueri: *Hæccine illa, quæ ſemper in Clero tuo viguit, Legum obſervantia?* Contrà Ille luce perfuſus & facie ſplendida, *an neſcis*, dicere, *me ad Eccleſiæ hujus clavum non ſedere? Hoc in præſens Laboramus malo.* Oſtentum hoc divinitus accidiſſe Synodi „ poſtmodum celebratæ exitus comprobavit. Idem, „ qui viſus dormienti fuerat, extitit deinde rerum „ ordo, & ſeries. Bellinus legit Decreta: Sacerdo„ tes refragati ſunt: provocatum Romam a Clero „ fuit; certe unus Carolus defuit.

Digitized by Google

Urbe, atque agro Mediolanenſi præter morem frequentibus ictas fulminibus domos: & quod motis in religionem animis fœdius omen viſum eſt, ipſa etiam in Baſilica Urbis maxima Archipræſulis ſedes, & impendentes Aræ, & ſedi umbellæ tactæ de Cælo fuerant. Romæ etiam, antequam illuc triſtiſſimi interitus nuncium afferretur, malus ingens erecta in ſumma Adriani mole immiſſo cælitus igne conflagravit; & quo tempore in Almam Urbem tabellarius cum literis Caroli mortem nunciantibus advenit, flammâ nondum deflagrante extremus mali ſtipes ardebat. Scio hæc a nonnullis in deteriorem partem temere accipi; verum in eam ſententiam inclinant omnium animi, ut nova hujuſmodi quæque celeberrimi alicujus viri funus non raro minitentur.

Verum quis credat utilem Borromei mortem fuiſſe iis præſertim, qui fatalem ſibi, atque ſummopere exitioſam fore ominabantur? Degentes in Sanctæ Barbaræ Ædibus Virgines dolore perditæ, & lacrymis confectæ ſolitudinem deplorabant ſuam; eoque illis acerbior quam ceteris Antiſtitis mors videbatur, quo certius peſſum itura nondum firmata Illius Decreta cenſebant. Verebantur, ne imminens in Capuccinarum legum exitium Viſtarina rediret ad mores ſuos, & conſtans adhuc mens illi in evertendis ſtatutis eſſet, licet conſtantiſſima ſibi voluntas foret pro retinendis. Una ſpes erat in Caroli patrocinio collocata, quem omnes e Cælo adfore in tanta rerum deſperatione ſperabant. Quidni enim Ille inter Cælites degens, quod bene cœpiſſet, optime perficeret? In communi itaque Virginum luctu cum triumpharet gaudio Viſtarina, videns ſublatum impedimentum omne, quominus ex vetere inſtituto ſuo eas moderari libere poſſet, ocyus ſolicitavit, ut ejurarent Capuccinarum, quibus ſe devoverant, leges, ſeque unam vitæ magiſtram, ac ducem ſequerentur. Hinc inter eam, & Virgines acris exorta contentio eſt, quæ in ſubſequentem etiam annum exarſit, cum Succeſſor Caroli Gaſpar Vicecomes in Mediolanenſi Sede ex Pontificio nutu eſſet renunciatus. Cum igitur rerum ſummam Joannes Fontana abſentis Gaſparis vices gerens Mediolani moderaretur, recurrente eo die, quo ſe anno ſuperiore puellæ Aſceterio illæ addixerant, enixis precibus inſtabant, ut clauſtris incluſæ rite ſuſceptis Votis acceptas antea a Sancto Paſtore leges profiterentur. Quod ubi Viſtarina reſcivit, dum ſuper re perficienda Sanctimonialium curæ Præfecti deliberant, conſultationes evertere omnes ſtatuit. Ad congregatas Sorores veniens, orare primo, obteſtari, ne tam aſperam vitæ rationem inirent: mox objicere, quibus tandem alantur impenſis: poſtulare, num ingrati animi vitio liberalitatem ſuam vellent rependere? Demum cum Virgines in propoſito conſtanter perſiſterent, ad minas etiam deflectere. Itaque puellæ, quæ & voces eas vererentur, & ab inſtituto deſciſcere magis formidarent; incertæ conſilii auxilium a precibus mutuari apud Deum contendunt. Sed frequentior erat earum apud Caroli imaginem, & lenis querela: poſtulabant peramanter, num quas vivens in ipſo inſtituti profitendi limine poſuiſſet, mortuus deinde per injuriam pene oppreſſas eſſet deſerturus? Itaque ratæ piam aliquam vim eſſe amantiſſimo Patri inferendam, ter clauſtrum obiere ſupplicabundæ, atque Illius patrocinium obteſtantes, in quo ſpem habebant maximam, Cardinalis inſuper imaginem pie, reverenterque circumtulerunt, ut antecapta hac Divini honoris ſignificatione, Ejus ſubſidium expectare ſe cælitus judicarent. Itaque III. Cal. Octobris ſub meridiem cumulus ſimul, & finis calamitatis fuit. Sub meridiem adfuit congregatis Virginibus Viſtarina; cumque uno evomuiſſet impetu quidquid ſplendida, & fœminea bilis ſuggerebat, tandem fervidum ſermonem in hæc verba concluſit: *Fixum, ſtatutumque ſibi eſſe, ut a ſe datas leges amplecterentur: ſi quæ autem votis ſuis obſtaret, paratam ſe protinus ab æde illa, quam ſuam appellabat, eliminare.* Quo tamen ſe verterent miſerrimæ? Neque illinc abire, neque parêre ſuadenti, neque ab inſtituto deficere tutum

tum apparebat. Fixis oculis terram intuebantur, & fletu fortaſſe teſtatæ dolorem fuiſſent, niſi ſupra fœmineum dolorem angi ſe ipſo mentis ſtupore indicaſſent. Major doloris cauſa ipſa erat Joannæ præſentia, cui in faciem obſiſtere durum erat; licet obedire multo duriſſimum videretur. Dum pendent animis, caſu quodam, ſeu Divina Providentia moleſtiſſimo Viſtarinæ aſpectu liberatæ ſunt. Cum enim intonuiſſet meridianum Salutationis Angelicæ ſignum, flexo poplite omnes, atque ad affixam ibidem Caroli imaginem converſæ ſupplicaverunt humillime, ne a ſuſcepto olim patrocinio in tanta rerum perturbatione ceſſaret. Mox Joanna ab incerto homine evocatur ad januam; quocum dum tempus colloquens terit, adfuit ocyus Joannes Fontana, qui accitam ad ferrea clathra Aſceterii Præſidem Franciſcam Landrianam, ex cujus teſtimonio facti hujus ſeriem omnem deprompſimus, rogavit anxius, quid Collegio illi novi eſſet, aut quænam repentina incidiſſet calamitas? Etenim narrabat, ſibi in cubiculum abdito auditam improviſo ter repetitam vocem, qua monebatur, ut ſe in viam daret extemplo, & ad Sanctæ Barbaræ contenderet; quandoquidem afflictæ eæ Sorores opem ſuam ex tempore poſtularent. Idcirco ſe adeſſe ajebat, ut ſiquid pro re nata decernendum eſſet, ocyus expediret. Attonitæ rei miraculo Præſes, & Sorores univerſæ, plus quam Fontanæ præſidium, patrocinium Borromei ſibi præſto eſſe intellexere. Quare geſtientes gaudio, ſibique redditæ ſententiam ſuam jamdiu ſuſceptam, mox Viſtarinæ conatus, ac minas, dolorem inde, anxietatem, & perditam Collegii ſpem exponunt: poſtremo perfugium in tot adverſis, atque in concitata tempeſtate portum implorant: affirmant ſe in veteri voluntate perſiſtere, unumque placere Borromei conſilium, ut ex Sanctæ Claræ auſteriore inſtituto viverent, quod illis vivens Sanctus Cardinalis dediſſet; nunc autem fato functus tam evidenti miraculo iterum ab ipſis depoſceret. Tum laudare Virginum propoſitum Fontana, ſuam omnem ad rem perficiendam polliceri operam, mœrorem abſtergere, eamdem ſe in illis ſemper conſtantiam deſiderare, ultimo recreatis omnibus ex Collegio digredi, poſtquam ingentibus promiſſis oneraſſet. Eo digreſſo, pari ferme miraculo illuc advênit Aloyſius Pocalodius in Baſilica Metropolitana Pœnitentiarius, atque ex Collegii illius adminiſtrationi Præfectis. Hic revocatam ad clathra Monaſterii Præſidem aperit, ſe a S. Marci Cœnobio reverſum, & recta in Archipreſulis ædes tendentem, cum ad quadrivium, unde S. Barbaræ ædes conſpici poterant, perveniſſet, a mula, cui inſederat, juſſum ab inita via deflectere; & licet verberibus, atque ſtimulis inſtaret, ut rectum iter teneret, fruſtra conatum ſemper, & repente eo delatum tandem, mula ſubſiſtente, fuiſſe. Quare ſubdebat, ea animum ſubiit cogitatio, hoc non ſine Divino numine accidiſſe, meamque fortaſſe hìc operam deſiderari. Juſſit itaque edicere ſtatim, ſiquis uſus eſſet futurus ſui. Tum præ gaudio lacrymans Præſes, ubi augeri divinitus præſidium ſenſit, preces addidit, ut liceret tandem inſtitutum, quod Carolo ſuadente amplexæ fuerant, profiteri. Hoc audito Matrem dimiſit fiduciæ plenam Pocalodius; mox domum reverſus, & ſtrenue urgens opus, cui perficiendo amicam e cælo Borromeus porrigebat manum, congregato Eccleſiaſticorum hominum, qui Sanctimonialibus præerant, cœtu, Joanne præſertim Fontana adnitente, demum pervicit, ut quinto poſtquam hæc evenerant die, auſterioris, quam optaverant, diſciplinæ vinculis Virgines illæ adſtringerentur: captis inſuper feliciſſimis rei auſpiciis; quandoquidem ſolemnis Seraphici Patriarchæ memoria recurrebat in eam diem, qua conceptis verbis ſe illius inſtituta ſequi jurarunt. Collegii deinde illius ſanctitas, ac fama per Urbem pervagata fidem utrique prodigio fecit. Siquidem Mediolanenſes eximium in Virginibus illis orandi ſtudium, & virtutū omnium propoſitum exemplar admirantes, confeſſi ſunt, non ab alio tam perfectam vivendi diſciplinam haurire eas potuiſſe, quam ab Authore, & Inſtitutore Borromeo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Communis ex Ejus interitu dolor, & ſingularis Mediolanenſis præſertim populi amoris in Illum ſignificatio.

QUemadmodum tanti Antiſtitis jactura ad univerſam Eccleſiam videtur ſpectaſſe; ita ad optimum quemque ex illa acerbiſſimus permanavit mœror: neque ad eos dumtaxat, qui exturbari ſe tanti boni poſſeſſione intelligebant; verum etiam ad illos, quos fruendi ſpes, ac deſiderium tenebat. Hinc conceptus antea intra Urbis noſtræ mœnia dolor, diſſitas etiam nationes in triſtitiæ communionem vocavit, quæ noſtræ ſimul, & ſuæ calamitatis ſenſu commovebantur; Neque enim nobis unis ereptum Carolum exteri putavere, quem ſemper vixiſſe omnibus intellexerant. Fatendum eſt tamen, majore eos in luctu jacuiſſe, qui majoribus ſe fraudatos bonis intuebantur. Hinc graviſſimum certe dolorem Helvetiis, Rhætiſque inuſſit intempeſtivus Caroli interitus, quem cum unice diligerent ut Patrem, finem etiam miſeriarum, ac perfugium in adverſis fore ſperaverant. Se meliora ſperare juſſos paulo ante gratulabantur; tum vero dejectos ab ea, in quam imminebant proxime, rerum tranquillitate dolebant: cum enim ſuſtuliſſet ſibi S. Antiſtes ſignum veluti ad bene ſperandum, nihil jam reliqui eſſe videbant, præter novam ſubeundam tempeſtatem, quæ, dum naufragii reliquias colligerent, ipſos vehementius eſſet opreſſura. Sed neque ipſe ſedens ad Navis Apoſtolicæ clavum Gubernator Gregorius XIII. expers mœroris fuit. Triſti accepto nuncio, & cogitationem in futuras Eccleſiæ univerſæ tenebras intendens, in hæc verba erupiſſe ſcribitur: *Extincta eſt Lucerna in Iſraël.* Opportuno nimirum uſus eſt erga Catholicæ Eccleſiæ Reparatorem præconio, quo olim Iſraëliticæ Tribus David eximium Regem commendaverant. Cum vero Cardinalium cœtum congregaſſet idem Pontifex, effuſa Borromei laudum commemoratione renovavit dolorem omnium, haud dubie affirmans: Illum potiſſimum fuiſſe Romanæ Purpuræ ornamentum. Præſtat hoc loco recitare, quæ in Commentariis Franciſci Mochantii Pontificii Cæremoniarum Magiſtri ſcripta extitere ad diem ſeptimam Novembris, ut liquido teneamus, qui Romanorum ſenſus in tanta calamitate fuerit: *De Ejus obitu Romæ omnes contriſtati ſunt, cum ob vitæ innocentiam, moreſque exemplares, indefeſſum ſtudium in corrigendis ſubditorum vitiis, removendiſque abuſibus ſummam erga omnes caritatem, ſpectatamque in difficillimis temporibus conſtantiam, ſingularem pietatem, aliaſque virtutes cunctis admirabilis, caruſque eſſet.* Quo teſtimonio nihil certe dici magnificentius poteſt, cum laudum omnium ſummam breviter comprehendat. Hinc infinitæ propemodum apud exteras gentes honoris teſtificationes extitere, partim ſoluta, partim adſtricta numeris oratione conceptæ ad ſempiternam Borromei Nominis commendationem (*a*). Sane Cardinalis

(*a*) Aliqua eruditionis causâ, quæ ad manus feſtinantis venêre, appono opuſcula ſtatim ab obitu Caroli typis vulgata. Primo poſt obitum die concinnavit Borromei Epicedium adſtricta numeris oratione, & paulo poſt in lucem edidit Jacobus Critonius Scotus, quod bis typis impreſſum eodem anno lego.

Die VII. Novembris P. F. Franciſcus Panigarola funebrem Orationem habuit, dum inferiæ perſolverentur; ea item vulgata eſt typis eodem annó Mediolani, & Bononiæ: Subſequente autem Florentiæ, & Vicentiæ.

Die VIII. latinam epiſtolam dedit ad P. F. Ludovicum Granatenſem P. D. Carolus a Baſilica Petri ex Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, quam de *Obitu Caroli Cardinalis S. Praxedis* inſcripſit, & Michaël Tinus vulgavit.

Idem eadem die alias literas ad Placentinum Epiſcopum dedit Italice conſcriptas, & poſtmodum Brixiæ editas in idem argumentum.

VI. Item Idus Novembris Bernardinus Tauruſius aliam de Caroli morte narrationem concinnavit, atque Comiti Federico Borromeo inſcripſit, quæ deinde anno poſtero lucem Romæ vidit.

III. Idus Novembris Joannes Boterus Benenſis, qui fuerat poſtremò Carolo a Secretis, latinam epiſtolam Cardinali Bathorio dedit, quæ ſtatim ex Tini, & Pontii Typographia in lucem venit Eamdem anno ipſo MDLXXXIV. italice redditam ad diem XXI. Novemb. P. F. Cornelius Peracinus Ordinis Servorum

Digitized by Google

nalis Sirletus levare se conceptum dolorem alia ratione non posse credidit, nisi Caroli memoriam luculentissimo hoc Elogio immortalitati consecraret: *Carolus Borromeus, qui corpore tenebatur in carcere, anima vero in Cælo, in quo nihil carnis erat fere, nisi visio sola. Is homo specie, Angelus gratia, Christianæ pietatis exemplar, Episcopalis dignitatis speculum, Cardinalitiæ dignitatis specimen, antemurale adversus impios firmissimum. Decus Ecclesiæ Dei speciosissimum; fuit sal, lux, Civitas supra montem Sion; fuit lucerna ardens Euangelica: sal in vita, & moribus: lux in doctrina, & prædicationibus; Civitas in præsidiis, & dissensionibus; lucerna in accensionibus. Effulsit in Ecclesia fide, sapientia, vita, & regimine; fide ut Martyr (neque enim Ipse martyrio, sed Ipsi defuit martyrium); sapientia ut Doctor; vita ut Confessor; regimine ut Pastor. Innocentia fuit Abel: probitate Noë: Abraham fide: obedientia Isaac: labore Jacob: castitate Joseph: caritate Moyses: humilitate David: zelo Elias: operarius inconfusibilis, & nunquam otiosus, recte tractans verbum veritatis, neque aliquid gerens, quod ad Deum non tenderet. Cujus animum ita Dei spiritus solidavit, ut Eum invictum undique, & invulnerabilem præstiterit. Omnium denique fuit fere charismatum ærarium, & habitaculum. Is servus fidelis postquam sibi commissi operis implevit pensum, ante faciem Domini apparere gestiens, in celebritate Sanctorum omnium ad Cælum fuit vocatus. Intempestiva nobis, congrua sibi Ipsi hæc transmigrationis dies. Cum enim Ipse tutatus, & veneratus esset omnium fere Christi militum dignitatem, eorumque mores pie foret æmulatus, ab eorumdem Sanctorum legionibus decuit ante thronum Altissimi præsentari, ubi de Ipsius negotio lucrum, Deo placente, Borromeus illud proferre posset: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.*

Sed in Mediolanensibus Civibus eminuit certe luctus, apud quos infinita extantia Borromei monimenta ad augendum calamitatis sensum magis valebant, & molestissimum quotidie commovebant intercepti Pastoris desiderium (*a*). Verumtamen triumphavit etiam inter ipsas publicæ mœstitiæ significationes amor, quo Defunctum prosecuti sunt omnes; quandoquidem non tam benevolentiæ testimoniis, quam uberrimis lacrymis communi Patri splendide parentarunt. Neque enim Caroli memoriam, simul ac mortales exuvias sepulcralis, ut assolet, ob-

---

rum B. M. V. Mediolani vulgavit, & paulo post Bononiæ iterum edidit Alexander Benaccius.

VII. Cal. Decemb. Mediolanensis Patricius, & Comes Joannes Petrus Bimius nuncupavit Carolo Aragonio Terranovæ Duci *laudationem brevem, ac dilucidam, & verissimam vitæ Caroli Borromei*, quam tamen vulgatam comperio solum ad annum insequentem ex Typographia Pontii, & Bonati.

VI. Cal. Decemb. Hyppolitus Seta Busti Arsitii Sacris Præpositus suo in Templo funebrem orationem de Carolo habuit, Mediol. anno item MDLXXXV. editam.

Impressa pariter typis fuit *Exenterationis Ejusdem Cadaveris narratio* elucubrata a Joanne Baptista Carcano Leone Anatomen in Gymnasio Ticinensi publice profitente ad annum MDLXXXIV. incerta tamen editionis die.

Auxit eodem anno Caroli præconia D. Joannis Jacobi Rossei Bononiensis Canonici Regularis Carmen funebre, cui addere possumus etiam Bernardini Sicci J. C., & Antonii Mariæ Carabellii Civium Mediolanensium Carmina, & elegantem Oden Annibalis Guaschi, Ticini impressam, atque aliam MS. in Bibliotheca Ambrosiana asservatam, cujus Auctor fuit Julianus Goselinus.

(*a*) Audiendi hoc loco sunt Civitatis nostræ Decuriones, cum tristissimum casum Summo Pontifici Gregorio denunciarent VII. Idus Novembris; ut constet etiam, quæ tanti Ordinis sententia, atque existimatio de Carolo esset, quando liberam emittere vocem licuit: „ Maximum nos dolorem, jacturamque longe gravissimam, & publice, & privatim accepimus ex obitu vigilantissimi Archiepiscopi nostri Caroli Cardinalis Borromei, qui incredibili erga nos caritate perpetuo accensus, nihil aliud unquam egit, quam ut omnes cogitationes suas, consilia, opes, actiones, studia vitæ, atque adeo vitam ipsam in communem nostrum omnium utilitatem, spiritualiaque commoda solicite conferret. Nota est Sanctitati Vestræ hæc ingens Ejus solicitudo, perspectique perennes illi labores Pastorales, qui nobis, huic Urbi, Diœcesi, Provinciæque fructus pepererunt pietatis uberrimos. Tanto igitur Pastore nos orbati, in hoc summo omnium mœrore, damnoque publico, & privato supplices ad Pedes confugimus Sanctitatis Vestræ, quæ nos in mœstitia jacentes paterne consolari, & damno tam gravi affectos, ista Pontificia erga nos singulari, quam sæpenumero experti sumus, caritate adjuvare poteſt &c.

Digitized by Google

obruit lapis; Verum inflammata primum ſacri Cadaveris conſpectu ſuorum pietas, beatiſſimam etiam Animam ultra ſepulcrum proſecuta eſt. Perlitatum magnifice eſt ad Illius potius gloriæ incrementum, quam neceſſitatis ſubſidium; & paſſim effuſæ a Clero utriuſque ordinis preces ex Eccleſiæ præſcripto ſunt: Atque ne ſinceriſſimis lacrymis congrua Paſtoris dignitati pompa abeſſet, excitata in Baſilicis quibuſque, & minoribus Templis ſumptuoſo apparatu Cenotaphia, & funalium cereorum copiâ addita lux eſt fuſcis illis Funebrium tenebris, quibus juſta ab omnibus Patri omnium perſolvebantur. Augebat etiam multorum pietatem æmulatio, cum ſingulos puderet amorem ſuum a ceteris ſuperari. Quare Cleri benevolentiam vincere contendens Populus in Sodalitates ſacras jamdiu a Carolo diviſus, ad Ejus exequias cohoneſtandas in ſuis rite Ædibus maxima celebritate convênit, id unum metuens, ne quidquam intentatum omitteret, quo communem adæquare religionis teſtificationem non crederetur. Urbanam tamen amoris pompam imitatos eſſe agreſtes, ac montanos populos dicerem, ſi opus illis fuiſſet incitamento ad parem exequiarum ornatum Borromei memoriæ inſtruendum. Sponte omnes erepto Paſtori publicis impenſis funus duxerunt, niſi luxu, & lautitia Urbano par, nitore certe, & ſimplicitate amoris Civibus ipſis fortaſſe invidendum. Quamquam triumphus quidam in illis etiam magnificentiæ fuit, paupertatem, in qua nati erant, quodammodo vincere, & funebres moles in Templis ſuis extruere, in quibus ad pompæ haud contemnendæ commendationem lignea, atque aurata Epiſcopalis, & Cardinalitiæ dignitatis ſymbola intermicarent. Ex quo enim ea Eccleſiaſtici gradus ornamenta eſſe ex Caroli præſentia cognoverant iiſdem ad honoris ſui incrementum uti religioſe conſtituerunt.

Fœmineus vero ſexus, cujus precibus enixe ſe moriens Carolus commendaverat, dum Epitaphium ſepulcro ſuo apponendum præſcriberet, optime Illius expectationem implevit; Ductu enim, auſpicioque nonnullarum Matronarum piam quamdam poſt Ejus obitum Societatem plures fœminæ coivere, ſingulari antea ſtudio viventis virtuti addictæ, quæ collatâ inter ſe pecuniæ ſummâ magnifice Sacrum fieri pluries, & ſtatutas pro Defunctis preces a Sacerdotibus recitari depopoſcêre. Deinde in unum coactæ agmen ſeptem Urbis Baſilicas ſupplicabundæ univerſæ obiverunt elato ſigno Crucifixi Redemptoris, cujus pedibus ſuppoſita præferebatur ipſa Borromei imago. Mirum certe omnibus viſum eſt, & Divino veluti afflatu conceptum conſilium, ut quo tempore optare cæleſtes honores Carolo fœminæ illæ videbantur, jam præcoce cultu eoſdem Illi perſolvere viderentur. Manſit deinde icta ſemel Societas, & ſacro quodam fœdere inter ſe copulatæ Sodalitatem quamdam conflavere, quam Sanctæ Praxedis nominari iiſdem placuit, ut Ejus gauderent auſpiciis, cujus Titulo adeo vivens Cardinalis fuerat delectatus. Indicta deinde Sodalibus lex: *ut quotannis eaſdem preces, & Sacra haberi curarent ad Borromei ſempiternam requiem impetrandam; ſingulis vero menſibus ritu pari, & ſupplicatione ſeptem Baſilicas obirent.* Maximæ laudi huic Sodalitati certe fuit tanta tot fœminarum conſtantia; cum exinde conceptus ille pietatis impetus nunquam reſederit; facta eſt enim mutatio rituum, non ingenii. Equidem cum retentum ſemper ab iis inſtitutum fuiſſet, atque primo ineuntis ſeculi XVII. anno ex Pontificio nutu Sacrum fieri ad Caroli gloriam indicandam conceſſum eſſet; primos Fœminæ illæ honores Sacris ſolemnibus Eidem obtulere, quos religione ſua jamdiu fuerant auſpicatæ. Cumulavit demum Sanctæ Praxedis Societatis religionem Doctrinæ Chriſtianæ Sodalitas, quæ juſto agmine in ſpeciem exercitus ordinata, & infinitam utriuſque ſexus multitudinem comprehendens, conjunctis ſtudiis ad eamdem laudem aſpiravit. Indicta item huic a Præſidibus ad ſeptem Baſilicas ſupplicatio, adjecto in via Pſalmorum cantu: adeoque in viis redundavit frequentia ſodalium, ut convulſa pe-

Digitized by Google

ne ſedibus ſuis Civitate univerſa, nulli ferme ſupereſſent, qui admirarentur; nam quos negotia domi tenuerant, religio aliorum eidem agmini adjunxit. Itaque conferta illa Populi acies cum in Templum maximum, unde profecta erat, reverteretur; tum vero integrato luctu, pro ſe quiſque contendebat, ut ſepulcrali lapidi labia religioſiſſime admovens, aliquod infixo oſculo mœroris levamen conaretur inde decerpere; licet multorum flentium conſpectu renovatus dolor majorem luctus cauſam in ipſo lacrymarum remedio offerret. Hæc per annos plures continuata ſemper Sodalitatum ad Baſilicas, & Caroli ſepulcrum concurſatio, feliciore deinde ſuccedente tempore, in gaudium, gratulationemque converſa eſt; poſtquam libera Populi religio tandem in celebritatem, & feſtas acclamationes erupit, eumque diem publico antea atrum mœrore, exinde tamquam fauſtiſſimum nobili ſupplicatione, & cultu conſecravit.

CAPUT III.

Quantum exinde concepta de Ejuſdem ſanctitate opinio apud omnes excreverit.

TAntam moriens Cardinalis Mediolanenſium, atque Exterorum animis impreſſam reliquit opinionem Sanctitatis ſuæ, ut non modo mors ipſa, quæ obruere monumenta omnium ſolet, aut diuturnitas temporis, qua deleri demum etiam infixa altius memoria conſuevit; nullum Ejus virtutis veſtigium obliteraverit; verum etiam, quod perraro accidit, quo diutius Illius præſentiâ carere ſe Populi ſenſerint, eo ſemper moleſtius ferre etiam deſiderium declaraverint. Difficile admodum maximæ calamitati aſſueſcere hominum patientia poteſt, & illud dumtaxat vulnus facile videtur obduci, quod raro refricari contingit. Sed impoſitam Chriſtianæ Reipublicæ Caroli obitu plagam, quotidianæ ejuſdem neceſſitates renovabant; cum doloris ſenſum excitarent ea omnia, quæ vel Illo authore condita perſeverabant, vel nondum ſatis firmata, Ejus quotidie ſubſidium expoſcebant. Accedebat tamen aliqua publico dolori conſolatio, cum certius e Cælis Illius auxilium omnes expectarent, cujus præſentia, & manu ſuſtentari non poterant. Hinc cordibus inſculpta omnium Illius fuit veneratio, quorum oculis præſens obverſari deſierat. Supplebant autem quotidie Ejuſdem præſentiam infinitæ typis impreſſæ imagines, aut tabulis expreſſæ, imo ænea etiam, & marmorea ſigna, quæ aut ſacris illata Ædibus, aut cubilibus piorum hominum cultum tacite excitabant. Cumque parvo venalis hujuſmodi merx proſtaret, verti noxæ videbatur, ſiqua taberna, aut officina expers hujuſmodi ornamenti notaretur (*a*). Accepta deinde a majoribus hæreditario veluti jure in Borromeum obſervantia vigens ſemper, neque unquam imminuta pervênit ad filios, quorum balba loquela a pa-

(*a*) Jure optimo ſibi gloriæ vertit in Tabulis Nobiliſſimus Comes & Mediolanenſis Patricius Georgius Trivultius: Se primum omnium Pario marmore Caroli vultum diligenter effingendum curaſſe. Addidit præterea, uxorem ſuam religioſiſſimam Matronam voluiſſe, ut ante marmoream hanc Caroli effigiem accenſa lampas proſtaret. Translatum ſiquidem fuerat hoc Signum ad Sancti Florani Templum in agro Laudenſi, quod in jure Familiæ illius celeberrimæ erat. Imitati deinde pro modo hanc laudem ocyus ſunt univerſi. Nulla nimirum aut taberna, aut domus vacua Borromei imagine poſt Ejus obitum viſa eſt. Sic in omnium oculis fuit Cardinalis extinctus, qui vivens Parochum quemdam mulctaverat, quod imaginem ſuam præ Templi foribus appendiſſet. Ambroſius Fornerius narravit etiam, ſe eodem, quo extinctus Carolus fuit, anno juſſum a Lucernenſibus emere Tabulam, quæ Carolum referret, in Curia ipſa Lucernæ collocandam; & Proſper Columna Beſutii Sacris Præpoſitus affirmavit, Vercellas, Novariam, Auguſtam Taurinorum, quas urbes præſens ipſe paulo ante obierat, incredibili hujuſmodi imaginum copia abundaſſe; adjecitque, Aurelianenſem quemdam Artificem, qui ligneas quaſdam formas Carolo potius abſimiles ad typos inde effingendos ſculpſerat, tantam conflaſſe pecuniæ ex venditis imaginibus ſummam, ut in Gallias redux Mediolanenſium religionis fructus uberrimos in patriam retulerit, ſeque eo quæſtu in poſterum, omiſſo rudi illo artificio, aluerit. Biennio nondum exacto, Valerius Cardinalis a Comite Federico Borromeo optavit Caroli imaginem affabre pictam; quam cum accepiſſet, reſcripſit: *Oculos ſuos eâ contemplandâ ſaturari non poſſe: Eamdem fore adjumento memoriæ, ut tanti Viri virtutes recolat; animo ſtimulum, ut imitetur facta egregia, Ipſumque obſervet, & colat.*

Digitized by Google

a parentibus ad voces erudita, primùm omnium in Borromei laudes noſtra etiam ætate erumpit: iſque felicior inter pueros haberi ſolet, qui Caroli nomine ornatus in Ejuſdem latêre patrocinio feliciter creditur. Nec defuere ex Majoribus noſtris complures, qui Cæleſtes Illi honores ante tribuerent, quam a Romana Sede decernerentur: nefas nimirum videbatur, priuſquam ſacris Faſtis Caroli nomen inſcriberetur, aut operto capite illud excipere, aut de Eo minus honorifice ſentire. Accedente deinde miraculorum fama, quæ omnes ſtatim regiones pervaſit, eo protinus nonnullorum religio provecta eſt, ut cum vix ſe annus ab Ejus obitu circumegiſſet, pridie illius diei, in quam memoria Depoſitionis recurrebat, habere vigilias, quo ritu ſolemniores dumtaxat anni dies auſpicari ſolet Eccleſia; tertia autem Novembris die ab operis omnino ceſſare, & lucem illam, tamquam ſacram, religioni omnino reſervare non dubitaverint. Omitto privatis in precibus habitam Illius commemorationem: concinnatas ex pietatis ingenio antiphonas, hymnoſque: additum demum nullo publico judicio Litaniis tamquam venerandum nomen. Tanta erat plurimorum conſenſu firmata de Cardinalis Sanctitate exiſtimatio.

Verumtamen hæc erant remota ab omnium oculis, & una ducente pietate, exhibita privatæ reverentiæ teſtimonia; Anno tamen primo ſupra milleſimum & ſexcenteſimum illuxit tandem dies beatiſſima, qua coërcitæ dudum Mediolanenſium piæ impatientiæ veluti laxati ſunt freni; poſtquam Baronii Cardinalis literæ ex Clementis VIII. nutu redditæ Civibus noſtris fuere, quibus libera permittebatur poteſtas, ut antiquatis poſtremis Caroli tabulis expungeretur ex ſacris myſteriis Ejus obitus commemoratio; ſed ſolemnis dumtaxat ei Sancto, cujus eo die memoria celebrabatur, cultus haberetur. Tum veluti dato ſigno, diſſimulatum antea a Romanis Patribus Borromei honorem, veluti indictum eo Decreto credidere. Quare invecta ex eo tempore conſuetudo eſt, ut inter feſtos ille dies haberetur, atque in eorum numero recenſeretur, qui ſumma per annum celebritate tranſigi ſolent. Quamquam hujuſmodi celebritas aliarum etiam nitorem, ac pompam vicit; cum pretioſis aulæis Templa ornarentur: fierent ad Sacra cujuſcumque ordinis concurſationes: plures etiam ad ſplendorem augendum, atque luxum ab exteris regionibus evocati Antiſtites ad has veluti religionis nundinas convenirent: & quod paucorum antea inſtitutum fuerat, publica veluti conſpiratione facta, præhabitis ſacris vigiliis, ſplendidam eam diem omnes ferme auſpicarentur (*a*). Id certe prodigii inſtar fuit, tantam hujus populi multitudinem ex trecentis mortalium millibus conflatam, nullo auctore, nullo certo duce, nullo demum antecapto conſilio in eamdem ſententiam conveniſſe, quaſi ex condicto; ut in refertiſſima operis Civitate, die ab omni abſoluto lege feriarentur univerſi, iique etiam, quibus ſacras haſce ferias ſumma religio ægre admodum perſuaſiſſet. Certe injecta par omnibus voluntas nonniſi divinitus credi potuit; & tacita quadam lege, quæ omnium animos invicta flecteret, ad id conſilii compulſos cives, ſapientiſſimi etiam viri putavere. Succedentium deinde annorum religio cumulum ſemper veteri pietati novum adjecit; neque unquam animorum conquievit impetus, niſi poſtquam ſummus veluti fuit. Quamobrem conſueta in poſterum honoris teſtimonia fuerunt, ea dumtaxat, quæ maxima habebantur. Nimirum penſiles pro viis tabulæ, ſingulari artificio, ac luxu ornati parietes, aræ in foris inſtructæ, prælucentes ante Caroli imagines cereis refertæ moles, indictæ ad Ejus ſepulcrum præ-

(*a*) Cardinalis Baronii literas ſubiraſcentis Mediolanenſium Vicariorum prudentiæ, quod publicæ religioni modum quemdam imponerent: Urbis plauſus, & gaudia cultu conceſſo: Sacrorum pompam, confluentium ardorem, publicas laudationes, & hujuſmodi perſecutus eſt diligentiſſime Marcus Aurelius Grattarola in libro ſuo, quem *de mirandis omnibus actis pro curandis S. Caroli Apotheoſi* inſcripſit. Quare taciti dimittimus, ne actum agamus.

Digitized by Google

prælatis funalibus ſupplicationes, oblata, imo congeſta undique ad tumulum donaria, ſymphoniaci conducti chori, tormentorum ad lætitiæ indicium fragor, tubarum feſtus clangor, ignivomæ ad plauſum extructæ machinæ, demum nocturnæ tenebræ infinitis luminibus victæ nihil plane aliud indicarunt, quam eo tandem Civium noſtrorum erga Paſtorem ſuum amorem fuiſſe provectum, ut luculentiores in iis teſtificationes deſiderari nullatenus poſſent. Equidem id conterminæ Civitates de Mediolanenſium pietate ſenſere, cum ex remotiſſimis etiam regionibus huc convolare; & Urbis noſtræ tanto gaudio geſtientis triumphum admirari ſummopere contenderent. Unus retardare hunc impetum debuit Federicus Borromeus vigilantiſſimus Antiſtes, qui magis Romanæ Sedis auctoritati, quam domeſticæ gloriæ obſtrictus, cum Ambroſianam Eccleſiam eo tempore regeret, impedimenta primo objicere, deinde modum ſaltem imponere pro virili publicæ huic, atque effuſæ lætitiæ ſtuduit, quæpote Apoſtolicæ Sedis judicium occupare videretur. In caſſum tamen conſilium cecidit, cum victa Populi miro conſenſu Antiſtitis auctoritas non poſſet publicæ venerationi refragari, reclamitantibus univerſis, hæc Divino veluti afflante Numine contingere, ſeque Cælitus commoveri, ut debitum tanto Cardinali obſequium perſolverent. Quibus auditis, Federicus vim deinde nullam inferre alienæ religioni voluit; præſertim cum publica pietas corroborata poſtmodum Romanorum Patrum decreto fuiſſet ſancientium, ne ullo inpoſterum obice populi frequentia, & concurſatio ad Borromei ſepulcrum coërceretur. Exinde ſacri ſemper honores oblati Carolo ſunt, quotieſcumque Ejus obitus memoria recoleretur; & tanta religione ille celebratus eſt dies, ut non ſolum juſtitio indicto vacuum quæſtionibus forum eſſet; ſed etiam publica pro antiquatis haberentur judicia, ſiqua exercerentur. Quare miſero cuidam in vincula juris causâ eo die conjici aliquando ſaluti fuit; cum nollent Judices tantam celebritatem ulla ſeveritatis ſignificatione notari: & ſplendida ab eo tempore in noſtram uſque ætatem conſuetudo viguit, ut in Templo maximo Patres Conſcripti univerſi ad Sacra eodem die magnificentius celebranda conveniant, retinentiſſimi nimirum ejus inſtituti, quod ad Magiſtratuum pietatem maxime fovendam Carolus primùm Author fuit.

CAPUT IV.

Quanti ante, & poſt obitum a Principibus præſertim viris Borromeus fieret.

QUemadmodum Borromei ſanctitatem ſingularium plane, earumque plurimarum virtutum cumulus illuſtravit, nihil ut addi videretur poſſe: ſic tanta deinde conſecuta eſt egregii Cardinalis admiratio apud univerſos, ut ingens viri veneratio omnes neceſſario caperet, quos Illius notitiâ frui forte contigiſſet. Neque plebejos dumtaxat homines ejuſmodi fama occupavit, quos ſcimus facile Sanctitatem ex utilitate metiri; Principes potius aut nobilitate, aut doctrina inſignes Proceres pervaſit, quos aut falli rerum experientia non ſinit, aut ab oſtentationis labe alienos ipſa poteſtas eſſe omnino non patitur. Triginta, & amplius epiſtolarum volumina, quæ ad Oblatos Sacerdotes munifico Majorum ſuorum munere, tamquam ampla hæreditas, pervenere, aperte indicant, quo in loco eſſet apud Potentiores quoſque Cardinalis ſanctitas; cum infinitæ in iis literæ numerentur ab eximiis Viris Carolo redditæ, ſimulque luculentiſſimum offerant Ejuſdem exiſtimationis teſtimonium. Ex Latinis his, quas luce donavit Joannes Boterus Caroli nomine ſcriptis literis, Secundi Libri decimamquintam indicare placet, ut conſtet, quam Germaniæ Principes de Borromeo imbibiſſent animo opinionem. Reſpondet in ea Cardinalis Volfango Hamaſtienſi, qui antea ad Eum ſcripſerat: Principes Orthodoxos, qui in Germania eſſent, univerſos mirifica Ejuſdem benevolentia teneri, & magnifice de Ejus rebus ſentire.

Mi-

Digitized by Google

Minora autem vero affirmaverat Volfangus; cum liquido conſtet, præclaram admodum de Borromei ſanctitate Germanos quoque hæreticos opinionem habuiſſe. Ex pluribus unum aliquod afferam, ex quo fides dicto conſtet. Potentior quiſpiam ex Tranſalpinis Dynaſta Fratrem ex Franciſcano Ordine per vim tradiderat in vincula, non ut injuriam a ſe propulſaret acceptam, ſed ut ipſe injuriam Chriſtiano homini ultro inferret. Urebat Ordinis Præſidem illata contumelia; & quemadmodum inermem ſæpe obruit armata potentia, diſſimulato religionis contemptu, piam Tyranno inferre per officia vim ſtatuit. Obire Potentiorum atria, limina Principum terere, prehenſare ejus amiciſſimos ſtuduit, ut injuſte captivum, interpoſitis Procerum precibus, in libertatem vindicaret. Et ſane feliciter res ceſſit; quandoquidem faſciculo literarum comparato, qui maxima itineris ſarcina videbatur, ad Dynaſtam proficiſcitur, eoque ſtatim convento, ſplendidum epiſtolarum apparatum ante oculos collocat. Forte una inter eas latebat, quæ minorem fortaſſe afferre imperito rerum cuipiam commendationem videretur, a Carolo conſcripta; ſed quæ unice ſaluti erat futura. Nimirum ſolvere aggreſſus munitas amplis ſigillis literas Princeps, cum partim illectas ſepoſuiſſet, partim lectas irrideret, reſignans tandem Borromei epiſtolam, Ejuſque nomine intime commotus, præ gaudio primum geſtiens, mox nudato capiti in obſequii indicium ex more Gentis chartam imponens, deinde oſculatus, ad Legatum converſus; *Hujus unius*, inquit, *precibus captivum reddam: Borromeo enim gratificari placet, dignuſque unus eſt, cui indulgeam*. Simul eximi Fratrem vinculis jubet Ejus patrocinio tutum, qui Hæreticis cum eſſet infenſiſſimus, eorum tamen mereri præconia poterat. Hiſce tamen omiſſis, aliam offeret eodem libello Boterus epiſtolam, in qua certe deprehendes, quantum Caroli Sanctitati deferret Maria Scotiæ Regina, quam uno Fidei odio in capitis diſcrimen adductam propter deteſtandum ætati omni Eliſabethæ impiæ facinus hiſtoriarum monumenta teſtantur. Commendabat ſe in illis carceris, quo opprimebatur, anguſtiis Sancto Cardinali innocens Regina, & in tanta tempeſtate unicum precum Illius perfugium nacta eſt, quibus confirmata evadere in æternæ Beatitatis portum feliciter poſſet (*a*). Galliarum vero, atque Hiſpaniarum Reges potentiſſimos Henricum III., & Philippum II. quid memorem? quorum ille affirmavit: *nullos ſe ex Galliis Antiſtites deſignaturum eſſe; ſed Italos dumtaxat ad ſuarum Urbium Sacra moderanda evocaturum, ſi omnes Italia Epiſcopos Caroli Borromei, aut Joannis Baptiſtæ Caſtelli ſimiles daret*. Hic vero a Legato Speciano rogatus *quænam ſibi eſſet de Carolo opinio?* reſpondit: *Eum*

(*a*) Præſtat epiſtolam hanc recitare, quæ cum Mariæ ſententiam de Carolo exponat, ſpem omnem ſuam in Ejuſdem precibus collocantis; ita Borromei opinionem continet magnifice de miſerrimæ illius Reginæ virili conſtantia ſentientis. Itaque ipſis verbis, quibus ſcripta fuit, conceptam apponimus:

„ Etſi Majeſtatis V. tam gravis, tam diuturna „ calamitas, atque ærumna maximo mihi dolori, „ atque acerbitati, & Ipſiuſmet nomine, & Reli„ gionis Catholicæ (cujus plurimum intereſt ejus „ incolumitas) cauſa eſt; magnam tamen hujus „ mœroris partem abſtergit Divinæ Bonitatis erga „ Ipſam fiducia. Solet enim Pater Miſericordiarum „ Deus omnia mirabiliter temperare, & inexplica„ bili quadam gratiæ ſuæ vi, ac ſuavitate rerum „ adverſarum ictus mitigare; iiſque veluti ſtimulis „ quibuſdam famulos ſuos excitare in curſu, ſtu„ dioque virtutis. Itaque minime mihi dubium eſt, „ Majeſtatem V. in iſtis locorum anguſtiis, quibus „ habitatio definitur, latiſſima habere ſpatia caritatis; eaque libertate captivam frui, qua nos Je„ ſus Chriſtus ſua morte donavit, & quam nobis „ invitis adimere nulla calamitatum vis, nullus re„ rum adverſarum eventus poteſt. Poſuit Maje„ ſtatem Veſtram Deus in omnium conſpectu, ut „ ex Ipſa omnes fortitudinis, patientiæ, religionis, „ caritatis exempla capiant. Qua quidem re mul„ to præſtantius Dei gloriam, nomenque illuſtra„ re, & quam vero ejus amore teneatur, demon„ ſtrare poteſt; quam ſi rebus longe ſecundiſſimis „ uteretur. Audoënus Ludovicus, Vicarius meus „ mihi ſignificavit, Majeſtatem V. vehementer cupe„ re, ut ego Eam Jeſu Chriſto commendem. Id „ ego (licet nihil ſim, niſi pulvis, & cinis) toto „ pectore, atque omni ſtudio facere non deſiſtam. „ Quod ſiquid aliud eſt, in quo ſtudia, atque offi„ cia mea erga Majeſtatem V. conſtare poſſint, at„ que elucere, gratiſſimum mihi erit, ſi ea, quaſi „ jure ſuo, flagitabit.

Digitized by Google

Eum a se Sancti loco fieri; beatum autem fore Hispaniarum Regem, si Urbes illius universæ pares Mediolanensi Antistites haberent. Quàm vero ex animo hæc diceret, alia Regis ejusdem sententia comprobavit. Cum nimirum de Patruele Caroli Federico ad Mediolanensem Sedem evehendo ageretur, Aulicorum nonnulli, ut favere se Regiæ Auctoritati ostenderent, prænunciabant Philippo: *ominari se hujusmodi electionem Regiis juribus molestam; cum appareret Federicum Caroli institutis imbutum, retinentissimum Pastoralis dignitatis contra Regiam Majestatem fore;* quare addebant, *pro virili nitendum, ne Mediolanensium Sacrorum administrationi ille præficeretur.* Quibus Philippus: *Sancte*, inquit, *ut Carolus, vivat: deinde si jura Ecclesiæ Caroli more tueatur, rem nobis pergratam faciet.* Cum vero Philippus III. amplissimam a Patre Regni hæreditatem accepit, eamdem videtur Patris de Carolo opinionem hausisse. Sponte enim Regias preces primò admovit pro Ejusdem Apotheosi curanda; & ex animo semel susceptam curam nunquam abjecit, donec rem ipsam vere Austriaca pietate dignissimam, partim literis, partim Oratoris sui officiis glorioſissime perfecit. Infinitum deinde esset enucleate persequi, quantam Sanctitatis famam, virtutisque suæ admirationem a Principibus viris Carolus referret. Scatet hujusmodi exemplis istius series universa historiæ. Hoc unum dicam mirandum sane, Fulmen illud Belgici belli, & militaribus artibus omnibus instructum Alexandrum Farnesium, cum periculosam illam provinciam ingrederetur, omnia administrandi belli auspicia a Caroli precibus sumere voluisse: adeo cum in Orthodoxæ Religionis hostes arma distringere vellet, maximo hoc earum præsidio corroborari necessarium duxit (*a*).

Hi tamen omnes veluti in sublimi loco positam Borromei virtutem suspicere dumtaxat consuevere. Audienda jam eorum sententia, qui eamdem ex propinquo introspicientes, singillatim sapientia, moderatione, prudentia tanti Cardinalis delectabantur. Eximiæ non expectationis, sed perfectæ virtutis adolescentem Pius IV. Ejusdem Avunculus admiratus, utile admodum Ecclesiæ universæ existimavit fore consilium suum, si Romanæ Sedis veluti administrandæ Illi uni potestatem permitteret, Ejusque humeris Religionis cura, tamquam Atlante Cælum niteretur. Tantam scilicet eminere in Illo rerum omnium experientiam censuit, quæ in suum intelligentissimi Pontificis subsidium venire merito posset. Audi quam magnifice de Borromeo sententiam aperiret suam: „ Cum nos ingravescente jam ætate nostra, & diversis gravissimis curis plurimum impediti, omnia negotia, quæ ad „ Nos ratione tam hujus almæ Urbis, „ quam totius Status Ecclesiastici, vel „ alias undecumque deferuntur, per Nos „ ipsos discutere, examinare, & expedire nequeamus . . . . . confidentes de „ literarum scientia, morum gravitate, „ integritate, & prudentia Dilecti Filii „ nostri Caroli Sanctorum Viti, & Modesti S. R. E. Diaconi Cardinalis Borromei . . . . . omnia per Eumdem „ huc usque gesta approbantes, & confirmantes, & laudantes, ipsum Carolum „ Cardinalem, pro Nobis nomine Nostro, „ ac auctoritate Nostra omnia, & singula „ negotia tam Ecclesiastica, & spiritualia, „ quam

(*a*) Neque aliter sentire Farnesius poterat, qui præclaram arcem Trajecti ad Mosam cum Hollandis ademisset, testatus est, ut alibi vidimus: valuisse plurimum ad eam victoriam fortiores armis Borromei preces. Idipsum indicavit etiam VII. Idus Majas MDLXXXIV. scribens Tornaco in hæc verba: „ Vere intelligo, Belgicum hoc bellum non humana aliqua industria, aut prudentia regi, atque administrari. Hinc nihil de triumphis meis mihi, „ aut laboribus meis tribuo; sed uni Deo accepta „ omnia refero. Pro me insuper stat causæ ipsius „ æquitas; nam quæ hic agimus, humanam potestatem videntur excedere. Quidquid tamen gestum „ est feliciter, magna ex parte religiosis, ac piis „ precibus Tuis debeo; quoniam vero nunc ipsa „ res præsentius hujusmodi subsidium postulat, enixe oro, obtestorque, ne ab ingenti, quam in illis semper collocavi, spe nunc dejicias, & studia tua pro tuenda in his Provinciis Catholica „ Religione in præsens maxime inflammes.

Digitized by Google

„ quam civilia, & criminalia, aut mix-
„ ta, gratiam, vel juſtitiam, aut pœnam
„ ſanguinis, & ultimi ſupplicii, ac con-
„ fiſcationis omnium bonorum .....
„ per ſe, vel ejus auditores audiendi, di-
„ ſcutiendi, examinandi, expediendi, &
„ terminandi ..... plenam, & li-
„ beram concedimus facultatem, & pote-
„ ſtatem &c. “ Verumtamen, ne tanti honoris ſignificatio Carolo deferri propter neceſſitudinem, & ſanguinis cognationem quis crederet; acceſſit deinde luculentius Pii V. Sanctiſſimi Succeſſoris teſtimonium, quem licet fore adverſarium Borromæo iiominarentur, qui omnia ex humana amuſſi metiuntur; Ejuſdem operam ſummopere ſibi neceſſariam in adminiſtranda Pontificatus mole exiſtimavit, & pie Mediolanenſi Eccleſiæ tam eximium Paſtorem invidens, diu ut a Sede iſta abeſſet, rogavit, qui ceteros omnes Antiſtites ad ſuas ocyus reverti Cathedras, propoſito etiam edicto, compellere ſtuduit. Hic equidem ſui Vicarium renunciaturus Carolum videbatur, niſi Hic modeſtiſſime ſuam per alium Eccleſiam regi non poſſe objeciſſet. Cui tamen offerre tantam provinciam Pius non potuit, deferre ſemper honorem, atque præſidium non recuſavit. Porro jam alibi recitavimus Borromei literas, qui una Ejus Pontificis ope ſuſtentatum ſe in turbulentiſſimis temporibus fuiſſe fatebatur, ùt alia etiam honorificentiſſima Pii de Cardinali diplomata. Vacat nunc ea dumtaxat repetere ſplendida vocabula, quibus S. Antiſtitis virtutem ornavit. Eum ſiquidem apellare conſueverat *Virum innocentem, & egregiæ animi pietatis, & ſinceritatis:* alias *Virum ſedulæ devotionis, vitæ, & morum integritatis.* Quamquam ſuperiorum Pontificum benevolentiam, atque exiſtimationem ſupergreſſus eſt deinde Gregorius, qui *eximiam* in Illo *ſanctitatem*, ut ſæpe dixit, admiratus, tanta unum Borromeum poteſtate in graviſſimis rebus ornavit, ut in partem Pontificiæ auctoritatis veniſſe Carolus videretur. Præter cetera vero his Eum appellare nominibus ſolebat: *Honorabile Sedis Apoſtolicæ membrum, qui ſuæ etiam vitæ animarum ſalutem maximæ cum caritate ſemper antepoſuit: Virum admirabilis ſolicitudinis, & ſpectatæ integritatis: inſignitum multiplicium muneribus a Deo gratiarum.* Sixti vero V., & Gregorii XIV. teſtimonia quid commemorem? Ille Borromei virtutis memor nullam omiſit grati animi ſignificationem; præſertim vero cum in Patruele Federico ſecundum ſupra vigeſimum agente ætatis annum Romanæ Purpuræ dignitatem collocavit; quaſi vellet memoriam extincti in eo perſeverare: *Eximiam* deinde *in Carolo religionem, & ſapientiam, & vitæ ſanctimoniam fuiſſe* affirmavit; Hic vero cum Carolum ſignificare vellet, *novum* appellare ſolebat *Ambroſium*.

Sed Pontificum omnium ſtudia erga Borromeum non æquaſſe modo, verum etiam longo intervallo ſuperaſſe Clemens VIII., Leo XI., & Paulus V. dicendi ſunt, cum iis Apotheoſis Illius initia, progreſſiones, & feliciſſimum exitum debeamus. Clemens quidem dignum Eum judicavit, cui poſt XX. ab obitu annum cæleſtes honores decernerentur. Hinc anno MDCIV. ſplendide exceptis Civitatis Mediolanenſis Legatis, qui ad eos curandos miſſi Romam fuerant, benigne annuens, ſtatim edixit, quid ſibi videretur, in hæc verba ſupplici libello ſubſcribens: *Ad Novocomenſem Cardinalem, ut in Rituum Congregatione quam diligenter, aſſidue, & caute hac ſuper re agat, quemadmodum rei gravitas, & dignitas videtur poſtulare, habita etiam Perſonæ ipſius ratione, quæ adeo in Eccleſia Dei eminuit, cum nulla, ut pie ominamur, in terris regio ſit non plena famæ Sanctitatis tanti Præſulis* (a). Leo vix Pon-

(a) Splendidiore uſus eſt idem Pontifex obſervantiæ ſuæ in Carolum teſtificatione, dum ſequentes Breves Literas ad Federicum Cardinalem Borromeum daret, qui pro modeſtia ſua remiſſius in Apotheoſis cauſa agebat, ut ambitionis ſuſpicionem præcaveret. Eas recito ex authographo ipſo:

CLE-

Pontifex renunciatus tum ſuis, tum Sacri Romani Collegii votis ut indulgeret, in eam ſententiam venerat, ut ſtatim Carolum in Sanctorum album cooptaret. Neque illum quidquam de tanta ſanctitate latebat, cum viventem intime noſſet, & amicitiam Ejus inſuper coluiſſet (*a*). Hinc Judex æquiſſimus cauſam hanc aggredi primùm ſtatuerat; ſuamque ut fidem exſolveret, Franciſco Peniæ Sacræ Rotæ Decano mandaverat, ut in eam diligentiſſime incumberet; ajebat enim: *ſolertiâ præſtandum, ne cum prægravis ætate eſſet, impendens interitus hanc ſibi voluptatem interciperet*. Quare rem adeo factam putavit, ut Federicum Borromeum in Mediolanenſis Eccleſiæ ſinum convolantem Romæ ſubſiſtere cogeret, jubens cum prius Patruelis triumphum, quam Sponſæ vultum contemplari. Addebat inſuper: ſtatutum jam ſibi eſſe novum in Alma Urbe Templum excitare, quod Caroli memoriæ conſecrare, & Cardinalitio inſignire Titulo vellet. Hæc pollicebatur Pontifex factus, neque minora viſus fuerat teſtari de Borromeo, dum Cardinalis eſſet, in ſe recipiens Apotheoſis curandæ onus iis literis, quas ad LX. Urbis noſtræ Decuriones datas latine reddo: „ Admodum Illuſtres DD. „ Tanta mihi cum Carolo ſanctæ memoriæ „ Cardinali Borromeo conſuetudo fuit, ut „ apprime teneam non Ejus vitæ innocentiam dumtaxat, & ſanctiſſimos mores; „ verum etiam Ipſe dum viveret, benevolentiæ erga me pietatiſque ſuæ participem faceret, & pia animi ſenſa non raro aperiret. Egomet oculis meis in Eo ſingularia admodum Chriſtianæ virtutis „ exempla deprehendi; quare jure, ac „ merito affirmo, Dei Servum, qui verius „ dici poſſit, aut præclarior Eo fuerit, me „ hactenus cognoviſſe neminem. Itaque „ quemadmodum Civitas iſthæc univerſa, „ commemorans factas ad Ejus ſepulcrum „ concurſationes, votiva oblata lumina, „ ac tabulas, & religionem maxime, qua „ anniverſaria Illius obitus dies iſthìc re„ colitur, maxima me voluptate perfudit; „ ita

---

CLEMENS PP. VIII.

„ Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nimis verecunde petis, quod „ cupis tantopere, & tibi in eo cum videaris plane ſatisfacere, Nobis ipſis non ſatisfacis. Tuam „ accuſamus modeſtiam in re tam gravi, tam Nobis, tam Deo grata; quod ſi te Cardinalis Borromei nomen, quo tu nuncuparis, verecundum „ facit in petendo; fidenter ut flagites, Caroli Cardinalis Sanctæ Praxedis efficiunt merita, quibus „ tu debitum quodammodo ſubtrahis præmium, „ dum ad petendum te ſcribis acceſſiſſe rogatum. „ Ut ut eſt, tuas Nos partes ſuſcipiemus, & Cardinali conſanguineo tuo pie demortuo, quodque „ credibile eſt, æterna aucto beatitudine, ſiqua poterimus ratione, curabimus eos honores, qui „ Dei Sanctis maximi tribuuntur in terris. Graviſſimum noſti eſſe negotium, in quo Pontificiæ „ auctoritatis Noſtræ ſumma verſatur. Ut ſimus igitur in eo, quàm ceteris in rebus diligentiores, „ & res, & tempus Nos admonent. Iſtius Cleri „ a Dilecto filio Octaviano Abbiate cumulatiſſime „ expreſſa voluntas fuit Nobis gratiſſima. Te ſi „ in procuratione hujus rei poſthac verecundia retardabit, Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales quotquot ſunt, accuſatores experieris acerrimos. Quod ſi fit, valido ni te munieris defenſore, ſuccumbes; Noſtra tibi in eo nec proderit benevolentia. Datum Romæ apud Sanctum „ Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Februarii „ MDCIV. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

Martius Maſtericus.

(*a*) Quam mutuo hærerent amoris vinculo Carolus, & Cardinalis Mediceus, qui poſtmodum Pontifex renuntiatus nomen habuit Leonis XI., intelligere poſſumus inter cetera, quæ omittimus, ex brevi epiſtola, quam ad eumdem dedit Borromeus IV. Idus Quintil. poſtremo vitæ ſuæ anno: „ Magnam ex literis tuis voluptatem percepi, cum intelligerem & Populi hujus erga te animum, „ tuamque præclaram pro ovibus tuis ſuſceptam „ cum gaudio contentionem. Utrumque manifeſtum eſt Dei donum; Quare debet te magis *regere Dei caritas*, ut pro virili, atque omni humanitate publicæ utilitati inſervias. Quæ occurrunt „ in Virginum tuarum Monaſteriis incommoda, ea „ frequentiſſima, atque uſitata ubique ſunt; conſtat enim experientiâ, quodam ætatis vitio evenire, ut quæ in Parthenonibus conſenuere Virgines, ægre admodum reduci in recti, & Decretorum ſemitam poſſint; contra juniores cereum „ magis ingenium, & pronam in bona inſtituta indolem afferant. Dicam tamen, quæ maximo mihi adjumento fuere. Equidem vidi ad renovandam Sacrarum Virginum diſciplinam conferre ſummopere collocatam optimorum adminiſtrorum „ operam: inductum frequentem Sacramentorum „ uſum: crebros, coſque vehementes habitos a Paſtore ipſo ſermones: oblatos duces piarum exercitationum libellos, qui de Divinis luculenter „ agant. Si aliud quidpiam ſuccurret, obſequendi „ animo proponam inpoſterum.

Digitized by Google

„ ita pro certo habeat velim, ſummis me „ votis optare, ut vires omnes meas con- „ feram in Apotheoſim curandam digniſ- „ ſimi certe Cardinalis, cujus tam præ- „ clara merita in Apoſtolicam hanc Sedem „ extitere. “ Verum antecapere tantum gaudium Romana ſimul, ac Mediolanenſis Eccleſia non potuit; quandoquidem poſt XXVII. diem extinctus nondum coronatus Pontifex moleſtiorem bonis omnibus, interrupto hoc conſilio, interitum ſuum effecit, quo ſplendidiorem, eo perfecto, certe Pontificatum pollicebatur. Subſtitutus tamen in demortui Leonis locum Paulus, cui pariter nota Caroli viventis ſanctitas fuerat, ſibi hoc ſumpſit, ut Deceſſoris ſui meditata perficeret. Alias Beatorum cauſas antea jam cognitas conquieſcere paulum juſſit, donec Sanctum Cardinalem aris imponeret; poſthabito enim ætatis, ut aſſolet, ordine, dare id Borromei ſingularibus meritis voluit, ut primùm de Illius moribus, ac ſanctitate quæſtio haberetur. Qua nondum perfecta, tanta pietate, ac ſolertia inſtabat cognitoribus Sanctiſſimus Pontifex, nihil ut haberet antiquius, quam ut in ejuſdem exitum immineret; Quem etiam ſummo cum gaudio vidit, ſuamque lætitiam ocyus univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ certiſſimo tandem pronunciato de Caroli Sanctitate Oraculo impertivit.

Poſtulat jam vero hic locus, ut mentio etiam aliqua de iis Cardinalibus injiciatur, qui ſumma in Carolo omnia admirati, celebrem poſteris Ejuſdem famam ſive factis, ſive ſcriptis reliquere. Et nequis ex Venerando illo Ordine ſe dimitti ſine præconio doleat, cum teſtatam ſemper erga Borromeum obſervantiam omnibus fecerit; juvat primò innuere mirificum illum Purpuratorum Patrum conſenſum, ſive cum enixas geminis Pontificibus preces admoverent, ut colendum Sanctorum ritu Borromeum Fidelibus univerſis decreto ſuo proponerent; ſive cum eximias Illius laudes ſcriptis ſuis Doctiſſimi ex iis Patres conſignarent. Sane qui primus omnium Caroli acta deſcriberet, Cardinalis Valerius fuit, qui ſuarum virtutum teſtis, & imitator in epitomem præclara Ejuſdem geſta redegit; in qua cum egregiam inſtituat Carolum inter, & Ambroſium comparationem, & maximam de Illius pietate opinionem haberet, ſtatim ab Ejus obitu affirmavit: Borromeum certo in omnium veneratione ex Pontificio decreto fore. Demum ut ſuis vere Illum coloribus pingeret, hiſce deſcribendi uſus eſt formulis: *Vir Dei, Vir Pii V., & Gregorii XIII. teſtimoniis, & laudibus celebratus. Cujus vita variarum fuit exemplar virtutum; Nobilibus viris vera nobilitatis forma, Cardinalibus egregia exempla propoſita. Cum egregia hilaritate, caſtigatio corporis perpetua; ſacrarum literarum ſtudium aſſiduum; cum variis, & maximis negotiis, invictus animus mira humanitate temperatus; Mortis contemptus cum interiori gaudio; Caritas eximia erga pauperes, cum vitæ etiam periculo; Prædicationis ſtudium meditationibus enutritum; Paſcendarum animarum excellens quædam ars; Synodorum conficiendarum documenta præclara; virtutum omnium ſpecimen nobilibus viris cujuſcumque gradus; Sanctitas Viri ætate noſtra præſtantiſſimi.* Valerium an dicendi charactere ſuperaret Cardinalis Paleottus certe ignoro. Sane par apud utrumque Borromei exiſtimatio fuit. Hic itaque in libro de Bononienſis Eccleſiæ adminiſtratione his Carolum præconiis cumulavit: *Novum reliquiarum genus intra intimos viventis hominis ſenſus conditum; Elaboratum Tabernaculum ſacri cujuſdam, & Divini latentis, ac ſummam religionem ſpirantis; Priſcorum morum exemplar; Sanctitatis, & Innocentiæ ſimulacrum; univerſæ virtutis domicilium; vera dignitatis Epiſcopalis forma, nova præbens quotidie exempla, vigilantiæ, ſolicitudinis, rerum cæleſtium cupiditatis, humanarum deſpicientiæ, perpetui laboris, inſolitæ, & admirandæ abſtinentiæ, invictæ in omnium rerum varietate conſtantiæ. Præclariſſimus, & Sanctiſſimus Præſul, cujus merita ſole clariora. Cardinalis Sanctiſſimus verum noſtri temporis Epiſcoporum exemplar.*

Neque vacaret iterum Cardinalem Sir-

Sirletum inducere, cujus jam in recitato ſuperius Elogio vocem audivimus; Sed cum laconicam aliam de Caroli ſanctitate, atque præclaram ſententiam conſignaverit libro, quem de Succeſſoribus S. Barnabæ inſcripſit, juvat eam hoc loci ſubtexere. Dicitur itaque ab illo Borromeus *Integer vitæ, qui vitam ſanctiſſimam more antiquorum Sanctorum Patrum vixit.*

Tacitus tamen non dimittam Baronium, & Silvium Antonianum Cardinales; uterque enim viventem ſummo proſecutus ſtudio fuit, & quam Silvius Carolo in ſcribendo operam adjunxit, alter in Mediolanenſi Diœceſi excolenda navare vehementiſſime ſtuduit. Primus itaque in nuncupatoria ad Federicum Cardinalem Borromeum epiſtola, quam tomo II. Eccleſiæ Annalium præfixit, Caroli decora complexus eſt in hæc verba: *Alter Ambroſius prædicatus, cujus pia, dignaque memoria in benedictione eſt; Cujus morte gravi damno affecta eſt Eccleſia; Cujus mors non tam immatura, quam bonis omnibus acerba. Ad æterna præmia evocatus ad cæleſtem patriam commigravit.* Antonianus autem, qui Illum prius in opere ſuo de Filiorum educatione *Paſtorem vigilantiſſimum, & Eccleſiæ univerſæ clariſſimum lumen* appellaverat, deinde in ſua epiſtola ad Andream Cardinalem Bathorium, quam poſtea Vitæ Caroli a ſe conſcriptæ Valerius adjecit, in hanc ſententiam loquitur: *Nuper, ac plane paulo ante ipſi vidimus magnum illum ſervum Dei, imaginem antiquitatis, ſpecimen temperantiæ, exemplum veteris diſciplinæ, alterum noſtri temporis Ambroſium, Carolum, dico, Borromeum Cardinalem Sanctæ Præxedis, Archiepiſcopum Mediolani, qui illuſtri genere natus, & virtute, ac pietate multo illuſtrior, in ſublimi loco Dei providentia collocatus, Summi Pontificis Sororis Filius, non ſolum Mediolanenſem Provinciam, finitimaſque regiones ſuaviſſimo Chriſti odore complevit; ſed tamquam lucerna ardens, & lucens in excelſo candelabro, toti illuxit Eccleſiæ.*

Hæc Caroli ætate viventium Cardinalium teſtimonia ſeligere placuit, utpote propter ſingularem, qua Scriptores egregii floruerunt, fidem ab omni ſive aſſentationis, ſive erroris ſuſpicione aliena; cum ipſa diuturnior Borromei cum illis conſuetudo, & ſpectata ex proximo religio, imo ſæpius in oculis defixa, omni eos mendacii nota omnino liberet, niſi adverſus ſolem loqui velimus. Jamverò alii accedunt locupletiſſimi teſtes, qui ad hæc confirmanda niſi parem dignitatem, haud multo ſane minorem auctoritatem poſſunt afferre. Audiamus quam magnifice de Illo ſapientiſſimi etiam Epiſcopi ſcripſerint. Primum ſe ſe offert Gabrielis Flammæ Foſſæ Clodiæ Antiſtitis celeberrimi, qui ad Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi vitam notas ſuas apponens, cum opportune ad tertium librum Caroli mentio incideret, ſententiam de Illo aperuit ſuam hiſce verbis, quæ fideliter reddo: *Sanctus Præſul, in terris degens Angelus, cujus optima geſta fortaſſe aſſequi laudando poſſis, nunquam tamen imitando. Ille concionandi ardore, animi demiſſione, caritate Baſilios, Chryſoſtomos, Gregorios refert: vitæ auſteritate Hilariones, Antonios; conſtantia Athanaſios, Hilarios, ſolertia Cyrillos, Hieronymos, Paulinos æmulatur. Vivum Præſulum exemplar, Epiſcoporum normæ, Fidelium magiſter, afflictis perfugium, virga pertinacibus, improbis frenum, diſciplinæ Eccleſiaſticæ vitæ.*

Hæc, quæ Gabriel attica complexus eſt brevitate de Carolo præconia, uberiore filo perſecutus eſt Franciſcus Panigarola Aſtenſis Epiſcopus in gemina, quam Mediolani edidit, a ſe concinnata de Caroli laudibus oratione; ſed ea deinde paucis comprehendens, *Sanctitatem in eo* dixit *magnificentius eminere, quàm ut dici poſſit; Vivendi vero aſperitatem, & duritiem tantam extitiſſe* affirmavit, *ut prodigii ſimile ſibi videretur ad eam, quam vixit, ætatem, Borromeum ſupereſſe potuiſſe.* Additque poſtremo: *ſe cum ad oſculandam ejus manum ante ſermones habendos accederet, rigentem adeo etiam fervida tempeſtate ſenſiſſe, ut caloris nihil Ejus corpori animæ, ſed vitæ uſum dumtaxat impertiret.*

Vercellenſis Epiſcopi Bonhomii, & Nova-

Digitized by Google

Novarienſis Antiſtitis Caroli a Baſilica-Petri nomina ſatis, puto, erit innuere, ut probe intelligamus, quam nobis egregii illi Viri de Borromeo opinionem eſſe juberent. Nihil illius Poëma, nihil demum hujus Hiſtoria, præterquam Sanctiſſimi omni ex parte Cardinalis imaginem contemplandam proponunt.

Evolvamus etiam, ſi placet, Pauli Fuſci Sernenſis Epiſcopi libros, quibus eſt *de Viſitatione* titulus, ut illius pariter, aliorumque de Carolo exiſtimationem exponamus. Hæc ille ſingillatim ſcripſit: *Civitas Mediolani exultat de ſanctitate, & vigilantia, atque ſapientia Caroli Borromei Archiepiſcopi, omnis ſanctitatis illuſtratoris.* Atque ut domeſticum apponamus de Caroli ſinu teſtem, Antonium Senecam audiamus, qui octo annis poſtquam ſuam in Eccleſia Mediolanenſi luſtranda Caroli adminiſter operam, ac diligentiam collocaſſet, Epiſcopus demum Anagniæ renunciatus eſt, cum Clementi VIII., & Paulo V. eſſet acceptiſſimus. Aliqua ille luce digna MSS. reliquit *de Viſitatione*, in quibus honorifica iſthæc de Carolo extat commemoratio: *Carolus perpetua naturæ violentia, ſenſuum vigilantiſſima, & indefeſſa cuſtodia; Bene vivendi exemplum; irreprehenſibilis Euangelicæ vitæ norma; Purum, ac lucidum ſpiritualis vitæ ſpeculum; lucernæ officium gerens; Paſſionum, & appetituum emunctorium aureum; Catena omnium virtutum. Fuit enim cum ſimplicitate prudens, cum miſericordia juſtus, cum humilitate magnanimus, cum manſuetudine ſeverus, cum modeſtia gravis, cum zelo diſcretus. Dominici gregis non diſſipator, non lacerator, ſed beneficus Paſtor. In gregis, & jurium Eccleſiæ defenſione, civitas munita, columna ferrea, murus æneus; in vitiis evellendis virga vigilans; in correctione benevolus, in judicio juſtus, in punitione pius; humanæ fragilitati compatiens; contumaciæ vindex; cum pietate juſtus, cum manſuetudine ſeverus, cum lenitate ſecurus. Diſciplinæ denum populo, & Clero ſalutaris, diligens cuſtos, & conſervator.*

Poſtremo P. Achillis Galiardi acutiſſimum judicium facit, ut eumdem teſtem tot celeberrimis viris accenſeamus; præſertim cum ex ea ſchola profectus ſit, atque Societate, quæ ſapientiæ magiſtra, & ſanctitatis meritò creditur; præterquam quod in Societate Jeſu, cui fuit addictus, lumen ille præclariſſimum extitit, ornatus inſuper Cardinalis amicitia, & in Meſaucis ad vitæ ſanctitatem formandis opportuniſſimus adminiſter. Quid itaque Vir ille doctiſſimus de Caroli ſanctitate ſentiret, ex Apotheoſis Tabulis recitamus, in quas uberrimum, & polito Etruſco ſermone teſtimonium intulit: „ Cum multa in ve„ ra Dei Eccleſia inſtituta ſanctitatis ſunt, „ & viæ quodammodo, quibus ad ſum„ mum ſanctitatis gradum enitimur: tum „ ad gemina capita etiam revocantur uni„ verſa, quorum unum agendi ſtudium „ reſpicit, alterum contemplandi. Hinc „ alteram ex geminis hiſce inivere ſemitam „ quotquot ſanctimoniæ laude ſemper præ„ fulſere; & rari admodum utramque; cum „ diverſa utriuſque ſtudia perdifficile poſ„ ſint componi; imo agendi labor, ſi „ rem ſuis expendere ponderibus velimus, „ contemplationis quietem ferme neceſſa„ rio excludat. Quod ſi fortaſſe accidit, „ ut in utrumque perfecte intentus ani„ mus aliquando adeo diverſa ſtudia miro „ nexu conjungat; eum certe ſupra hu„ manam imbecillitatem agere fateor; cum „ teſtata ſint omnibus, quæ Abbas Joan„ nes apud Caſſianum habet capite VIII.: „ *Magnum ſiquidem eſt, in qualibet earum* „ *conſummatum quempiam reperiri, quo* „ *magis ad plenum utramque perficere* „ *arduum, ac pene, ut ita dixerim, ho*„ *mini impoſſibile eſſe perſpicuum eſt.*“ Mox deinde addit: „ *Si quæ vero rariſ*„ *ſime, atque a pauciſſimis obtinentur,* „ *poſſibilitatem communis virtutis exce*„ *dunt; velut ſupra conditionem huma*„ *næ fragilitatis, naturamque conceſſa, a* „ *præceptis ſunt generalibus ſequeſtranda,* „ *nec tam pro exemplo, quam pro mira*„ *culo proferenda.* Nihilo tamen ſecius „ Carolus, quod ex diuturna Ejuſdem con„ ſuetudine, poſtremis quatuor Illius vitæ

„ annis,

„ annis, quodque ex aliorum etiam ſermone colligere potui, licet humanis ſemper diſtentus curis, Divina tamen aſſidue etiam agitavit animo, in utroque ſanctitatis genere mirum in modum eminens, iiſque omnibus virtutibus fulgens, quæ peculiaria ſunt ſingulorum. Quare eam perfectionis ſublimitatem aſſecutus eſt, quam non imitandum virtutis exemplar putes, ſed miraculum admirandum ..... Etenim tantum in Eo virtutum fuit, ut earum fama per univerſum orbem diſſeminaretur; & in hoc omnes ſane una voce conſentiunt, certiſſimam in Eo fuiſſe ſanctitatem. Tanta autem Ejus exemplo inerat vis, ut cùm e perditis moribus homines ad melioremfrugem revocaret; tum probis vires quodammodo ſufficeret, quibus una propoſita Ejus curæ imitatione, ad indefeſſam ſolertiam acutiſſimis veluti ſtimulis incitarentur: & quemadmodum magnes ad ſe ferrum, duriſſimum licet, attrahere dicitur; ſic divina in Illo virtus de hominum animis triumpharet. Neque vis hæc præſentes flectere dumtaxat conſueverat, ſed permanare etiam ad abſentes poterat; una enim audita in exteris regionibus Borromei virtus ſolicitabat deſides quoſcumque, ut propoſitum a Carolo exemplar virtutis imitarentur. Quod cum ego in pluribus fuerim expertus, ingenue fateor, hæſiſſe me ſæpius tanto attonitum prodigio, inque eam opinionem veniſſe, hæc omnia Deo movente perfici, qui tantum in dilectiſſimam Caroli animam robur infuderit, & conciliatricem animorum virtutem, quæ neceſſario imitanda omnibus videretur. Hanc ego ſupra naturam poſitam ſimpathiam appello, cujus actum probe teneo, licet agendi modum ignorem. Erat enim Ille non admodum dicendo effuſus, imo laconica quadam brevitate ſermonis nihil extra rem promens: in familiari vero conſuetudine gratiæ ineundæ non ſtudioſus, quin etiam fortaſſe auſterior: nihilominus jejuna illa verborum ſiccitas, & male etiam intellecti ſermonis inopia deliniebat, concitabat, vim demum audientibus inferebat, ut ſæpe in graviſſimis, iiſque difficillimis rebus nemo dicenti refragari auderet. Quare quemadmodum cum mira quædam videmus accidere, cauſam vero, propter quam ea accidant, ignoramus; tum occultam vim quamdam ineſſe philoſophantium more dicimus: ſic improborum victam Ejus operâ licentiam, & corroboratam aliorum virtutem dum admiramur, quamdam latuiſſe in Borromeo virtutem divinam fateamur neceſſe eſt, quæ mira hæc omnia perficeret, & Apoſtolorum potentiam imitaretur: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Atque hæc ſane ſummam in Eo, atque perfectam virtutem comprobarunt. Huc etiam referre poſſumus, quæ uberius ſupra explicavimus; cum quidquid ex Ejus rebus geſtis hactenus diximus, immenſum quemdam conflet virtutum cumulum, ex quibus deinde tot mira derivabantur. Cum enim tot ab Eo geſta eſſe teſtamur, illud ſequitur, totidem in Eo virtutes fuiſſe, quæ tam diverſa, ac magna præſtare poſſent. Hoc certe quì negem divinum in Illo quiddam extitiſſe? quare mihi Caroli cogitationes, oculi, corporis habitus, verba, & facta quamdam præferre Chriſti Redemptoris imaginem videbantur, ac ſi quædam illius nota certiſſime in Borromeo teneretur. Quamobrem Eum intuenti mihi ſuccurrebat animo ſemper aut Iſaias ignito calculo intus, foriſque purgatus, aut ille alter, de quo Joannes in Apocalypſi loquitur; præcipue cum viderem, quod ſæpe jam dixi, Sanctum Eum virum totum abditum quodammodo in Deum, & inexpletam in Eo Divini honoris ſitim. Hinc illa veluti ex fonte redundans aquarum alluvies, perennis cogitationum, verborum, operumque ſeries, ex Deo, Deique gloria ſemper profluebat. Hæc omnia coram Deo teſtor; atque unus ex me veritatis amor has voces elicit cer-

„ ta,

Digitized by Google

„ ta, & diuturna experientia teſtatiſſimas. „ Affirmo etiam minora, me verbis expo- „ nere, quam animo teneam: quemad- „ modum etiam exiſtimo opinionem meam „ longe re ipſa ſuperari. Iterum hæc co- „ ram Deo teſtificor per quidquid ſanctum „ eſt &c. " Hactenus P. Achilles, cujus vocibus mire conſentit P. Adurnus, qui in tantæ virtutis admiratione defixus, Cardinali extincto dicere conſueverat: *Hunc morem Dei ſemper fuiſſe, ut in graviſſimis Eccleſiæ temporibus eximios ſanctitate Viros in ejuſdem ſubſidium terris oſtenderet: Borromeum autem ex iis maxime eſſe, qui divinitus ad reſtituendam lapſam ferme diſciplinam datus, feliciſſime illam reſtituiſſet, quemadmodum in Arianorum tempeſtatibus Ambroſius, Auguſtinus, aliique; & in Albigenſium turbis Dominicus, atque Franciſcus laboranti Eccleſiæ opportuniſſime adfuerunt.* Hinc ille intime Ejus interitum improviſum veluti dolens dictitabat: *Non eſt inventus ſimilis Illi, qui conſervaret legem Excelſi.* Quapropter mirari deſino ſuperſtites in Angliæ turbulentiſſimo Regno Catholicorum reliquias, ut ex Tabulis conſtat, veniſſe in eam mentem, ut concinnatam S. Cardinalis rerum ſeriem, atque in lucem editam præclaram ante ſuorum oculos ſanctitatis imitandam imaginem proponerent, venerandam deinde Hæreticis ipſis, qui Eccleſiaſticorum Virorum gloriæ infenſiſſimi nihil in Borromeo carpendum reperire poſſent. Anglorum deinde pietatem certatim exteræ reliquæ gentes æmulatæ ſunt, & Galli, Hiſpani, Teutones, ac Poloni ſine præconio dimittendi non fuere, qui hiſtorias ſuas celeberrimo Caroli nomine ornarunt: in quo certe divinæ providentiæ latêre conſilium arbitror, volentis Eum e terris nationum omnium laudibus auctum, cumulatumque diſcedere, qui terras omnes conſiliis ſuis, atque opera ornare, atque augere conaretur, ac ſemper optaret (*a*).

Ultimo ad cumulandam veluti Borromei gloriam peſſimæ etiam Dæmonum artes conſpirarunt, qui cum verſari in ore omnium

(*a*) Nobis de Caroli viventis fama dicturis placet ea potius evolvere teſtimonia, quæ Tranſalpinorum dumtaxat præconia continent; quoniam ſincerior ea videtur laus, quam nulla utilitatis cauſa, aut ſpes expreſſit. Utque certo ordine uberrimam laudum ſegetem digeramus, & perſpiciamus plane iiſdem finibus comprehenſam Borromei gloriam, quibus Mundus terminatur, offerunt ſe miſſæ a remotiſſimis finibus literæ, quas Provinciarum ſervato ordine exponemus.

Maria Scotiæ Regina hæc ad Eum ſcribit XXIV. Maji MDLXV. „ Statueram prolixius ſcribere Domi- „ nationi V. Illuſtriſs. atque Reverendiſs ob exi- „ miam pietatem, & humanitatem veſtram, quam „ audio a multis prædicari ..... In rebus meis „ apud Sanctiſſimum tractandis plurimum in ejuſdem „ Veſtræ Celſitudinis opera, & auxilio confidimus.

Fr. Joannes Epiſcopus Achadenſis Hibernus XII. Jan. MDLXXXI. „ Cum crebro audiviſſem a non- „ nullis hominibus famam de Dominatione Tua quaſi „ per totum Mundum evolantem, cupiens ob id, „ cum exul fuiſſem, ac viator, tuam Illuſtriſs. ac pro- „ fecto mihi deditiſſimam Dominationem videre, per „ XL. ad minus milliaria ex tramite recto Mediola- „ num verſus ivi, quaſi Regina Auſtri cupiens Sa- „ lomonis ſapientiam audire. Proh dolor! Tamen „ infelix Te videre nequivi; cum nobis, qui inter „ quotidianas varietates, & certamen Hæreticorum, „ cum quibus, velimus nolimus, certamen continuum „ habere oportet etiam ad arma, neceſſarium erat „ contemplari Prælatos, ac eorum facta, qui lam- „ pades ardentes coram Deo, & hominibus, *ſpecta-* „ *culum factî ſunt Deo, & Angelis*, concernere. „ Sed cum Te, Tuaque opera tunc corporaliter vide- „ re non potui; tamen per hæc, quæ de Domina- „ tione Tua audio, in dies mente Te video.

Owinermus Dux Juliæ XVI. Jan. MDLXXXIII. commendans negotium ſuum Romæ tranſigendum, quod ægre a Romanis Patribus impetrare poterat: „ Ut „ hoc facilius obtineamus, Illuſtriſſimam Dominatio- „ nem V. rogamus ex animo, ut negotium hoc ſua „ quoque commendatione ita promovere velit, ut „ Cancellarius meus, imo Germania noſtra univer- „ ſa voti compotes reddantur. Quod haud gravatim, „ imo eo lubentius Illuſtriſſimam V. Dominationem „ facturam confidimus, quod Eam præcipuum fau- „ torem Germaniæ noſtræ eſſe, perſuaſum eſſe ha- „ beamus.

Stephanus Poloniæ Rex III. Julii MDLXXIX. „ Quæ „ Reverendiſſimæ Dominationis V. non modo ſum- „ ma eſt in Eccleſia dignitas, ac præcipua etiam pe- „ culiariſque pietas, & virtus, cujus prædicatio- „ nem etſi ex aliis ſæpe, ex nemine tamen lucu- „ lentius, atque illuſtrius, quam ex Reverendiſſi- „ mo in Chriſto Patre Domino Joanne Andrea Cali- „ gario S. D. N. apud nos Legato, ea faciunt, ut „ haſce in ipſo noſtro belli procinctu ad Reveren- „ diſſimam Dominationem Veſtram literas demus, „ quibus Eam & de inſtituto noſtro faciamus certio- „ rem, & nos, noſtraque cœpta benevolentiæ, ac „ precibus Reverendiſſimæ Dominationis V. ſedulo „ commendemus.

Stanislaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Primas in Poloniæ Regno XX. Septemb. MDLXXXIII. „ Jam- „ pri-

„ pridem quidem in ſtudium Illuſtriſſimæ Domina-
„ tionis V. ſatis incitatus eram, cum de Illius vir-
„ tute, vitæ ſanctitate, in Epiſcopalique munere vi-
„ gilantia ſingulari, multa & audiviſſem, & ex le-
„ ctione Synodalium Illius Conſtitutionum perſpexiſ-
„ ſem. Cum autem ex iis literis, quas Illuſtriſſima
„ Dominatio V. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſs.
„ Nuncium apud nos Apoſtolicum D. Epiſcopum
„ Maſſanenſem, deinde ex literis Bernardi Macieiovii
„ hominis illuſtriore familia, mihique juſtis de cau-
„ ſis amiciſſimi, cognoviſſem Illuſtriſſimam Domi-
„ nationem V. egregie eſſe erga noſtram Poloniam
„ animatam, tanta mox facta amoris erga Illam mei
„ acceſſio eſt, nihil ut eo poſſit eſſe ardentius. Cum
„ enim excellentes Ejus in omni genere virtutes
„ exoſculor, & admiror; tum hunc in nos amorem
„ tanti equidem facio, quanti plerumque ea omnia
„ ſolemus, quæ in vita vehementius optamus .....
„ Meo, & noſtrum omnium nomine Illuſtriſſimæ Do-
„ minationi V. de hac tam eximia caritate magnas
„ ago, habeoque gratias: rogatamque illam obniæ
„ velim, ut rei in hoc Regno Eccleſiaſticæ, Regni-
„ que ipſius in quotidianis Sacrificiis ſuis memoriam
„ non deponat.

Stanislaus Reſcius olim a Secretis Cardinalis Var-
mienſis Româ ad Carolum ſcribens Calendis Martii
MDLXXXIV. „ Peccarem in publica commoda, Deo
„ dilecte, & inter Martyres numerande Cardinalis, ſi Te
„ (humilem humilis Ambroſii ſucceſſorem humili
„ ſermonis genere libet appellare) Paſtorali cura, &
„ ſolicitudine in Chriſti ovibus ad Chriſti voluntа-
„ tem conformandis impeditum prolixa vellem im-
„ pedire gratiarum actione: quod eam voluptatem,
„ quam ex Tua benevolentia Mediolani cum eſſem
„ incredibilem accepi, datis ad me literis omni
„ reſperſis humanitate adduplicare volniſti. Sed te-
„ nere me tamen non poſſum, quin me Tibi in
„ eam partem aperiam, quod iſtam ita luculentam
„ Tui amoris teſtificationem in præcipua benedictio-
„ nis parte reputo, qui nobis Epiſcopalis muneris
„ majeſtatem pene jam fractam, jacentemque iſta
„ tempeſtate reddidiſti, qua modo non omne vincu-
„ lum Fidei, ut Sanctus ille Martyr loquitur, &
„ timor Dei, & mandatum Domini, & Euangelii
„ ſanctitas, & firmitas ſoluta videtur: in Cujus ego
„ zelo, & ſolicitudine ſuperiora miror reſuſcitata ſe-
„ cula ita, ut obſtupenda illa SS. Patrum, & Epiſ-
„ coporum opera, quæ in Eccleſiaſticis Annalibus
„ tantum legebamus, jam etiam in Tuæ vitæ ratione,
„ quam recte quiſpiam longum, & lentum martyrium
„ dixerit, oculis ſubjecta ad iſtius quoque ſeculi
„ imitationem gaudeamus: illam Ambroſii Anteceſ-
„ ſoris Tui libertatem, Athanaſii zelum, Baſilii gra-
„ vitatem, Auguſtini doctrinam, Gregorii vigilan-
„ tiam, Hieronymi in ſe ipſum ſeveritatem, Mele-
„ cii in converſatione hominum lenitatem, & in
„ apperentia martyrii Cypriani deſiderium. Benedi-
„ ctus Deus, qui nunquam in Eccleſia ſua deeſſe
„ Sacerdotem patitur, qui Euangelium tenens, &
„ præcepta Dei cuſtodiens occidi poſſit, vinci non
„ poſſit. Inde factum eſt, o Vir Dei, ut ego Te
„ mihi non vulgari illo modo, neque ſolita ratio-
„ ne, ſed præcipuo genere obſervantiæ colendum
„ propoſuerim, quæ nonniſi Viris publico bono na-
„ tis debetur; cui quod viciſſim Chriſtianæ carita-
„ tis officium humaniſſime rependis, quod etiam
„ graviſſimis literis dignum arbitraris, ſit, ut vitam
„ hanc magis mihi vitalem putem: & licet me adhuc
„ amaverim, nunquam tempus jam eſſe ſtatuam me
„ ipſum quoque a me amari. Cum enim Tu me
„ amas, Princeps Illuſtriſſime, novi qui me amat,
„ quia qui in Te habitat novi: quo magis elabora-
„ dum mihi video ita, ut me in omni pietatis, &
„ officii genere adhibeam, ne conſilium hoc noſtri
„ in tuam protectionem ſuſcipiendi, ſine conſilio
„ abs tua prudentia ſuſceptum videatur: idque me
„ facturum promitto ſine ulla excuſatione vel tem-
„ poris, vel occupationis.

„ Tu quod pro toto orbe facis quotidie, aliquan-
„ do & pro Reſcio peccatore ſervo tuo, Deum de-
„ precari dignaberis (nullum tempus uni ſuſpirio
„ anguſtum eſt), ut ipſius ante ipſum moriantur vi-
„ tia: & cum Tibi Regni Cæleſtis corona dabitur,
„ mihi ſaltem meorum venia concedatur peccato-
„ rum.

Maximilianus Archidux Auſtriæ IV. Decembris
MDLXXXII. „ Reverendiſſimam Dominationem V.
„ ad colendos omnes pios uſus promptiſſimam exi-
„ ſtere, compertum habemus, & in univerſum con-
„ ſtat.

Guillelmus Bavariæ Dux VIII. Aprilis MDLXXXII.
„ Vehemeater quæ Reverendiſſimæ & Illuſtriſs. Di-
„ lectionis V. ſunt, nos afficiunt, & delectant: atque o
„ utinam præſentem venerari, obſervareque poſſe-
„ mus in omni vita, quem abſentem amamus ſin-
„ cere.

Sculteti, Amani, & Senatus ſeptem Provinciarum
Catholicarum in Helvetia XXX. Aprilis MDLXXXII.
„ Illud ſupereſſe nobis videtur, ut ſibi ſemper de-
„ vinctiſſimos reddamus, & exhibeamus. Sicut enim
„ Illuſtriſſima V. Dominatio res noſtras cordi habet,
„ & nunquam intermittit, quin ſolitum ſuum amo-
„ rem, benevolumque animum erga nos, noſtroſque
„ magis atque magis continuet, & augeat; ita &
„ hoc peculiariter nos Illi obſtringit ..... Nullam
„ unquam occaſionem, qua Illuſtriſſimæ V. Domi-
„ nationi humiliter gratificari, devotaque ſervitia,
„ atque omnia ea, quæ ab amicis affectuoſiſſimis
„ expectare poteſt, debita officia exhibere poterimus,
„ negligemus.

Hildebrandus Epiſcopus Sedunenſis XIII. Cal. De-
cemb. MDLXXXIII. „ Celebre eſt Tuæ Illuſtriſs. Do-
„ minationis nomen, quod inter alia nunquam ſa-
„ tis extollenda, & commemoranda pietatis officia,
„ Cœnobiorum, Hoſpitalium rationem ſingularem
„ habeat, foveat, conſervet, alat, & omnibus
„ modis locupletet.

Balthaſſar Suffraganeus Conſtantienſis XXIX. Feb.
MDLXXXIV. Carolum vocat *Virum magnæ auctori-
tatis, & doctrinæ, ſuarumque virtutum bonum odorem*,
dicit, *ubique terrarum ſparſum*.

Melchior de Fabris Parochus in Sauffex, ſi bene
aſſequi potui ex ſcripto, & Dioeceſis, ni fallor,
Tridentinæ, hæc ad Eum ſcripſit X. Julii MDLXXVI.
„ Fama optima ubique terrarum de Te, o Princeps
„ Illuſtriſſime, ſparſa nuper harum latoris prædicatio-
„ ne ita apud me fuit confirmata, ut non minus,
„ atque olim Regina Saba, ad Te intuendum fue-
„ rim commotus: Nec dubito, ſi hoc mihi ſemel
„ Deus concedat; quin longe plura ſim viſurus,
„ quam fama huc uſque tulerit. Faxit Deus, ut
„ ſemper de Te, Tuique ſimilibus, ac omnibus de-
„ nique Eccleſiæ Sanctæ Rectoribus ejuſmodi audiam:
„ Quorum doctrina, atque exemplis fulgeat Eccle-
„ ſia,

Digitized by Google

„ ſia, ut Sole Luna. Tempus profecto nunc illud „ eſt, quo *judicium a Domo Dei incipiendum. Oran-* „ *dus Dominus meſſis*, ut ſe dignos *ſuam in meſ-* „ *ſem mittat* cito *operarios*, expulſis inde cunctis vi- „ tiis ſpiritalibus. Clamandum nunc imo de pecto- „ re ad Dominum, *ut exurgat, miſereaturque Sion*, „ *quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus. De* „ *Sion quippe exivit lex, & verbum Domini de Je-* „ *ruſalem: ſed non eſt qui conſolctur eam. Montes enim* „ *commoti ſunt, & colles contremuere; miſericordia au-* „ *tem Domini non recedet ab ea*: quam licet in pun- „ cto, & ad modicum dereliquiſſe videatur, tamen „ in miſerationibus multis iterum congregabit eam. „ Cujus rei mihi magnam ſpem facit, quod quoti- „ die de vera Tua Viti novas, bonas, & pulchras „ propagines excreſcere, ſeque late brevi tempore „ extendere & videam, & audiam: quas utinam ad „ hanc uſque noſtram Germaniæ collapſam, diſſi- „ patam, conculcatam, & a malis beſtiis depaſtam, „ ſed non omnino exterminatam Vineam extendat: „ ut in ea ſurculos emittat novos, unde ſuaves li- „ ceat brevi decerpere bonorum operum fructus &c.

Georgius Sgury Epiſcopus Eſtephanenſis in Dalmatia implorans afflictæ Religionis rebus ſubſidium, teſtatur, *ſe ab Ejus ſanctitate, cujus fama ubique volat, bona omnia ſperare*.

Chriſtierna Lotharingiæ Dux XIV. Julii MDLXXV. Ejus opem implorans ait: *Cognoſcere ſe in Carolo eximium Religionis ſtudium, & flagrantiſſimum deſiderium iis omnibus providendi, quæ ad animarum Chriſtianarum ſalutem pertinent*.

Cardinalis a Jojoſa XVII. Cal. Feb. MDLXXXIV. „ Cum intelligerem quotidie multa narrari ab Am- „ pliſſimis Viris omni certe admiratione dignissima „ de ſingulari pietate, ceteriſque ſummis virtutibus „ Dominationis V. Illuſtriſs., quæ univerſum jam ter- „ rarum orbem ſui nominis ſplendore pervaſit, ni- „ hil mihi magis videbatur optandum, quam ut „ Dominatio V. Illuſtriſs. haberet a me literas de- „ votiſſimæ voluntatis, atque obſervantiæ teſtes.... „ Talem ſcribendi cauſam oblatam eſſe vehementer „ gaviſus ſum, ut ſaltem verbis declarare poſſem, „ quod innoteſcere malim obſequio, me tanto præ „ aliis omnibus ſtudioſius colere, & venerari Do- „ minationem V. Illuſtriſs., quanto religioſius Ipſa „ præ ceteris Deum Opt. Max. veneratur, & colit, „ quem ſolicite precari debemus omnes, ut Eam „ diutiſſime nobis incolumem ſervet totius columen „ Eccleſiæ.

Cardinalis Vademontanus ex Lotharingia ſcribens XV. Jan. MDLXXXIV. „ Maxime gaviſus ſum, quod „ Clariſſimus, & bonorum omnium ſermonibus in „ Eccleſia Dei propter ſingularem pietatem celeber- „ timus Cardinalis me ad ſimilium virtutum iter, „ quo graditur, tamquam Paulus Timotheum vel „ Titum ſuum, blandiſſimis literis ultro provocaret.

Cardinalis Senonenſis primo ſcripſit ad Borromeum: „ Eum tanti fieri, atque adeo coli a Car- „ dinali Borbonio, ut quidquid Ille ſcripturus ſit, „ paratus ſit excipere, tamquam ab altero Ambroſio „ pronunciatum." Iterum VI. Junii MDLXXXIV. commendans ei Doctorem Sorbonicum, qui ab Jeroſolymitano itinere regrediens Mediolanum deflectere voluit, ut Carolum videret, teſtatus eſt „ pa- „ ratum eum Doctorem eſſe tantumdem itineris ſu- „ ſcipere, ut Borromei aſpectu frueretur, quan- „ tum jam antea confecerat, ut Jeroſolymam ap- „ peller et.

P. F. Ludovicus Granatenſis Nonis Jan. MDLXXXI. „ Non poteſt mihi non valde gratum eſſe quidquid „ ab Eo, quem plurimum diligo, proficiſcitur. „ Quam ego dilectionem imis viſceribus conditam „ ex eo tempore concepi, quo præclaras virtutum „ Tuarum laudes audivi; quæ cùm in omni homi- „ num genere amabiles ſint, tùm in iis præcipue, „ qui ſolicite, ac vigilanter in Dei Eccleſia præſunt, „ ſunt in primis colendæ, atque obſervandæ..... „ Ego eos Antiſtites, qui de Eccleſia Dei bene „ merentur, ſingulari affectu, & pietate colo, eoſque „ bis quotidie in precibus meis, qualeſcumque il- „ læ ſint, Paſtorum Principi Chriſto commendo, „ inter quos tres præcipue nominatim commemo- „ ro: hoc eſt Illuſtriſſimum Cardinalem S. Praxe- „ dis, Archiepiſcopum Braccarenſem, & Patriar- „ cham Valentinum (ſcil. Joannem Archiep. Va- „ lentiæ, & Patriarcham Antiochiæ), quorum pie- „ tas, religio, Paſtoralis ſolicitudo, pauperum cu- „ ra, &, quod caput eſt, flagrantiſſimus fraternæ „ ſalutis amor cum acerbiſſimo peccantium ani- „ marum dolore conjunctus, vehementer animum „ meum in eorum ſtudium, & amorem rapit.

Fr. Ferdinandus Romi in Hiſpalenſi Aſceterio Monachus Carthuſianus: „ Coëgit me (ſcribere) devo- „ tio, amor, affectus erga ſuam ſanctitatem, vi- „ tam ſine macula, ceteraque omnia bonorum in „ Domino abundantia. Laudo, & ſemper exalto ſum- „ mum illum Opificem largitorem, *a quo omne* „ *datum optimum, & donum perfectum deſcendit*. „ Et ut apertius loquar, Domine mi beniginiſſime, „ menſe Majo exacto deſcendens a Gratianopoli ex „ noſtro Capitulo Generali Carthuſiano, ipſam per „ Vos optime gubernatam Civitatem Mediolanenſem „ inviſi eo tempore, quando Sanctiſſimus Domini „ noſtri Clavus ab alto allatus, populo oſtenſus, „ adoratus a Veſtra Reverendiſs. Dominatione præ- „ dicabatur per XL. horas. Hunc ego Clavum vi- „ di, cognovi. Audivi in uno fero ſeptem concio- „ nes Veſtræ Dominationis Reverendiſs., cujus di- „ gnus fui oſculari manus, & frui mutuo, licet „ brevi, colloquio, in quo adfuit mihi Spiritus „ Sancti gratia a vero almo pectore emanans, & „ ertunc Veſtris pedibus Veſtra devinctus ſanctita- „ te, doctrina, moribus, vita, regimine, exem- „ plis, in perpetuum me ipſum mancipavi, & pro- „ cidi ad pedes, & ſub ſcabello præclariſſimæ Am- „ plitudinis V., cujus ſupernas Deo, Angelis, & „ hominibus mirabiles dotes, ingeniumque, & egre- „ gium totius ſanctitatis ſpecimen, normam, & per- „ fectionem enarravi non tantum Regi noſtro Phi- „ lippo, a quo teneriſſime diligimini; ſed etiam „ ipſius Magnatibus, cunctiſque hominibus, mari, „ & terra mihi notis. Gratias Altiſſimo Domino, „ qui vergente mundi veſpere, exuberante malitia, „ refrigeſcente caritate, non deeſt dexteræ Excelſi „ ſuperna miſericordia, & germen divinæ gratiæ, „ ſicut ipſa Civitas Mediol. per Veſtram ſanctitatem „ procreatur. Magna erat cordi meo lætitia in „ puellarum, puerorumque proceſſionibus, Doctri- „ nis, Congregationibus, & Diſciplinis: maxima „ interdictum diebus feſtivis ludorum, conviviorum, „ juramentorum, diſtractionumque: major tanta Ju- „ bilæorum frequentia; & præcipue, quando fiebat „ Communio Generalis per Veſtram eximiam Do- „ minationem, ex cujus Reverendiſſimis manibus „ ego ipſe, licet miſer, communicavi. Felix Me- „ dio-

Digitized by Google

nium Caroli famam impatientiſſime ferrent, eam vel omnino ab hominum mentibus obliterare, aut ſaltem imminuere maligno aſtu contenderunt. Oppugnanda nimirum inferis arx ipſa videbatur, quo facilius excitatæ ad circumvallandam firmiſſime Eccleſiam munitiones ruerent omnino, aut certe dilaberentur. Adſciti in conjurationis conſilium nonnulli ex Religioſis Ordinibus Viri, ut ipſa calumniantium auctoritas fucum inexpertis faceret; iique impotenti Orco vires adderent perfecturi conſilium, quod inferi deſperaſſent. Neque quidquam evulgare malim, niſi quod publicis tabulis fuit teſtatiſſimum. Geminos enim producere placet, quorum nomina, & impietatem ipſi etiam Romanæ Curiæ Præſides graviſſimo ſuo judicio damnata execrati ſemper fuere. Alter ex iis dignitate inter ſuos eminens, & publico fungens munere, ægre vitiorum ſuorum cenſorem ferebat Cardinalem, qui emendare

„ diolanum! Felicior Purpuratorum cœtus, qui tanto Paſtore gaudet, in cujus contubernio vivit, „ cujus fruitur aſpectu, & doctrina, & paſcitur oratione, illuſtratur moribus, & diſciplinis ..... „ Humiliter deprecor per Chriſti viſcera, ut me „ ſuum deditiſſimum ſervum ſuis locupletem precibus faciat: etſi a longe poſitus, in Divino amore „ prope opto eſſe. Nec credo meam miſeriam ſpernendam a Sua Ampliſſima Celſitudine, cujus fundamenta in humilitatis radice locata ſunt ..... „ Iterum ſupplico, ut mei miſereatur in Domino, „ unaque me ſanctificet litera ſua, & Chriſti Sanguinem indefeſſe vindicet, prout facit. Cujus certamini *repoſita corona juſti Judicis* in die certo non „ deerit &c.

Theodorus Archiepiſcopus Eborenſis Nonis Feb. MDLXXX.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ MUltum, diuque deſideraveram priſcorum Patrum noſtrorum in paſcendo Chriſti grege „ vigilantiam, fervorem, ſtudiumque reviviſcere, „ quo ejus Sponſam reſtitutam viderem ad priſtinam „ ſuam pulchritudinem, & antiquum ſplendorem. „ Quare non potui non Amplitudinem T. Illuſtriſs. „ & Reverendiſs. vehementer colere, & diligere, „ a qua nimium id virtutum omnium exemplum „ emanat, quo deſiderio meo magna ex parte ſatisfactum videam. Cum igitur me Divinæ largitati „ maxime devinctum intelligam ob tantum, & tale „ beneficium Eccleſiæ ſuæ conceſſum, ei ſæpe ſæpius immortales gratias egi, & inceſſanter ago, „ quod his calamitoſis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus tam vivam bene beateque vivendi formam „ elargiatur; unde ceteris Paſtoribus lumen, & „ exemplar emanaret: precorque Divinam Majeſtatem, ut quod noſtri temporis mortalibus tam ſalutare beneficium contulit, ad plurimos, & feliciſſimos annos conſervare velit, ut ad omnes vineæ „ ſuæ palmites antiquum ſpiritus vigorem permanare audiamus, atque ubertatem priſtinam, quemadmodum in iſta Amplitudini T. Illuſtriſs. & Reverendiſs. feliciter commiſſa uberrimos Domini „ fructus agere audimus, & ut par eſt, lætamur, „ & gaudemus. Nec minori lætitia affectus ſum, „ quod hæc erga Amplitudinem T. Illuſtriſs. & Reverendiſs. tam ſana, & tam antiqua animi mei „ propenſio Cæſaris Speciani interventu Ei innotuerit; quippequod illum ex animo diligebam, & „ virtutum ſuarum merito, & quod Amplitudinis T. „ Illuſtriſs. & Reverendiſs. ſtudioſiſſimum, & amantiſſimum eſſe ſatis perſpectum haberem, quod potiſſimum fuit in cauſa, ut eidem Eccleſiæ meæ „ negotia præcipuè commendarem, quo facilius ab „ Amplitudine T. Illuſtriſs. & Reverendiſs. prudentiæ, vigilantiæ, & ſolicitudinis media impetrarem (quibus tam fauſte gregem ſuum paſcit), ut „ iis adjutus, ovium mihi nuper commiſſarum Chriſto Summo Paſtori diligentem rationem exacturo „ digne reſpondere valeam. Supereſt, ut Amplitudinem T. Illuſtriſs. & Reverendiſs. obſecrem, & „ obteſter *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*, ut „ quidquid ſuperno præmonſtrante lumine attinere „ intellexerit ad Divinæ Majeſtatis cultum, & „ ovium Chriſti paſtionem ſalutarem, id totum mihi ad tam ardnam, & difficilem culturam recens „ admiſſo impertiatur, preceturque Deum, & Patrem D. N. J. C., ut in injuncti mihi muneris „ adminiſtratione Amplitudinis T. Illuſtriſs. & Reverendiſs. diſcipulus & dici, & eſſe merear. Interim gratiſſimum mihi fuerit, ſi qua ſe ſe obtulerit occaſio, in qua Ei inſervire, & complacere poſſim; Quam idem Dominus diu incolumem „ in Eccleſiæ ſuæ commune bonum conſervare, & „ inde glorioſa immortalitate donare velit. In oppido Almerim &c.

Suppeterent infinita alia, quæ paſſim in literis ad Carolum datis occurrunt, ut etiam in libris in lucem editis, dum Idem viveret. Sed qui plura in hanc rem velit, legat opera Joannis Langhecrucii Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Casletenſis Præpoſiti, in quibus cum immenſa occurrat Caroli laus, uberiora me aſſequi poſſe deſpero. Hoc unum tamen addo, quod Galeſinius expoſuit in epiſtola ſua: Nimirum veniſſe ad ejus manus libellum quemdam in Gallia typis vulgatum, in quo extabat hoc immortale Borromei præconium: *Cardinalis Borromeus Mediolani Archiepiſcopus Sanctiſſimam vitam agit.* Cui appone Jo. Baptiſtæ Foſſani dictum in Tabulis teſtantis: ſe audiviſſe Hæreticos nonnullos dicentes: *Cardinali uni Borromeo credere cogimur, quoniam divitiarum appetens non eſt, & luxuriam omnino fugit;* aut aliud iiſdem Tabulis conſignatum, in quibus narratur Saxoniæ Dux dixiſſe: *Nihil ſe in univerſa Catholicorum Eccleſia formidare, niſi Pii V. zelum, & Cardinalis Borromei preces.*

Superſedemus vero ſcripta alia producere de Caroli jam defuncti ſanctitate teſtimonia, cum XXII. Scriptores magni nominis protulerit Marcus Aurelius Grattarola in quæſtione habita propter Ejus Apotheoſim; reliquos autem, qui de Caroli Sanctitate perhonorificam mentionem injecere poſt cæleſtes Illi decretos honores, percenſere infinitum ſit.

Digitized by Google

dare hominem sæpius conabatur. Monita ille primo refugere, mox contemnere; verso deinde in Vatinianum veluti odium contemptu, omnia Illius dicta, factaque maligne interpretari, palam obloqui, viventem lacessere, extinctum demum allatrare, ejusque famam lividè obterere. Hinc Stuppanum, qui nonnulla de Caroli rebus in seriem redegerat, & Franciscum Panigarolam, qui in funebri laudatione *Sancti* nomen Carolo imposuerat, concitata Quæsitorum in causis Fidei severitate, contenderat, illum quidem a scriptis in lucem edendis abstinere; hunc vero tamquam sanctitatis præjudicatæ reum coram Romanis Patribus causam dicere, ex quo tamen judicio Panigarola felicissime, imo summa cum laude evasit. Verum cum nequiora alia moliretur impius calumniator, apud eosdem Patres objecta vera crimina diluere coactus est, apud quos Panigarola falsa sibi afficta dissolverat. Exinde in custodiam, Pontifice jubente, traditus, infelicissimo exitu ante vita functus est, quam causa. Superfuerat tamen ex eodem Ordine, & pari audacia socius; quamque alter telam texuerat, diducere satagebat. Hic aspis veluti a vipera venenum mutuatus labem aliquam infamiæ Caroli nomini imponere malis artibus tentabat. Verum cum major Hujus fama esset, quam ut facile obrui, aut infici suis dicteriis posset, versipellis laudator facta laudibus augebat; agentis tamen mentem, ac consilia extenuabat. Affingebat Borromeo latentem aliam ab ea, quæ prætendebatur rebus suis, opinionem; Hinc improbo labore historiographum agens, idcirco ætatis suæ conscribere historiam aggressus est, ut cum pestilentis anni narratio incideret, scriptis consignaret: Cardinalis imprudentiâ disseminatum malum, atque diutius protractum: ambitionem Illius fuisse in causa, ut tot cum Magistratibus jurgia fererentur: demum ex livore suo potius, quam ex rerum veritate cuncta describens, mendaciis ipsa etiam prodigia respersérat, commentus plumbeam glandem in Carolum per Donatum explosam non evidenti miraculo sine ictu concidisse, sed ab adverso pariete repulsam recidisse deinde revolutam ad orantis pedes, præter infinita alia, quibus pro opportunitate celebriora quæque Caroli acta obscurare semper contendit. Nihil certe subtilius inventum est ad eam evellendam insitam jamdiu hominum mentibus de Caroli sanctitate famam, quæ Dæmonem molestissime urebat. Verum cum divino consilio *in memoria æterna Justus vivat*, nullæ potuerunt Borromei virtuti tenebræ offundi. Vulneravit enim Summi Pontificis Sixti V. animum, ubi primùm oculos offendit maligne conscripta historia; atque ex ejusdem nutu cautum est, ne gravissima omnibus futura convicia ad alienas aures permanarent. Quare quotquot venalia prostabant ejus exemplaria diligenter intercepta ocyus fuere, & nonnulla redempta, quæ ad privatorum manus pervenerant, facile etiam offerentibus quibusque tam vilem mercem, quæ fœtere emptoribus poterat. Addita deinde Scriptoris nomini infamis nota: expuncta ex libro loca, quæ insigni fallacià aut veritatem læderent, aut in errorem pertraherent ignaros, siquis tamen Borromei sanctitatem ignorare posset. Postremò etiam Scriptor ipse petebatur ad pœnam; sed inopinata Rei mors Judicum severitatem antevertit.

CAPUT V.

Populi concursus, collatæ opes, & dona ad Caroli tumulum.

ORbatam Patre Civitatem una recreabat cogitatio, quod Carolum adeo mors invidere Urbi non potuisset, ut saltem, quod in Illo mortale erat, amantissimis filiis relinquere nollet. Hinc versa omnium fuerant in Borromei sepulcrum studia, quæ antea viventi Pastori deferebantur. Supereſſe nimirum civibus aliquid videbatur, propter quod Antistite suo carere se nondum intelligerent. Huc itaque cujuscumque ordinis populus confluebat ad dolorem leniendum, quem cum integrari ipso calamitatis aspectu cognoscerent, no-

Digitized by Google

vus deinde luctus consequebatur. Hæsit aliquando ad tumulum lacrymarum plena mulier, cujus fletum ut aliqui ex adstantibus abstergerent, dixere, novum in Urbe citius Pastorem fore: ne interim Carolum ereptum fleret. Quibus illa: *Habebimus quidem ocyus Antistitem; sed Carolo parem nulla unquam ætas dabit.* Sic prudens fœmina docuit, nihil serius suis lacrymis posse arescere; aut consumptis etiam lacrymis tamen fore, ut infixus animo tantæ dolor jacturæ semper hæreret.

Ne tamen diuturnior ex hac calamitate mœror esset, Deus effecit. Siquidem tactis primò Religione omnium animis, mox verso in gaudium luctu, didicere Mediolanenses Ejus potius memoriam utiliter venerari, cujus tumulum inani fletu ante resperserant. Quare huc tamquam ad Aram concursu facto, supervacaneum statim duxere dolere Caroli mortem, Cujus feliciter viventem in Cælis animam colere potius tacite monebantur, cujus Religionis sensus cum vulgi mentem prius occupasset, postmodum dignitate, & doctrina præstantes Viros mirifice affecit. Testatum in tabulis fuit: Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, cum Mediolani Margaritæ Austriacæ in Hispaniam proficiscentis adventum operiretur, viso Borromei sepulcro, ad circumstantes Aulicos conversum dixisse: *Hic conditus est S. Cardinalis, cujus precibus redditam olim mihi valetudinem debeo;* hinc genibus nixum vacasse precibus ad sepulcralem lapidem, veneratumque Illius exuvias, Quem tantopere viventem coluisset. Neque hujusmodi pietatis indicia in omnium oculis palam defigere Margarita ipsa, cum Mediolanum adveniisset, recusavit. Transalpinos alios complures enumerare non vacat, qui paria obsequii testimonia felicissimo Illi sarcophago detulere. Certe Chiliarca Lussius Lucernensis Civis inter Helvetios notæ dignitatis, & famæ, ex Patria in Italiam transgressus, postquam pedibus Varalli montem Caroli morituri vestigiis consecratum pie lustrasset, Mediolanum usque deinde progressus est, ut Defuncti etiam sepulcrum coleret.

Hæc, nullo docente, Mediolanensium, atque exterorum studia erga Caroli memoriam fuere usque ad seculi XVI. exitum. Cum deinde iniret XVII., & pendulæ ad tumulum infirmorum, piorumque hominum tabellæ stimulum adderent concitatæ jam per se omnium religioni: Tum pervagata miraculorum fama Insubres quosque, & longe dissitas nationes adeo excivit, ut ingens mortalium numerus cujuscumque ordinis, atque gentis continenti agmine sacrum venerari Corpus gestiret, aliis S. Cardinalis opem deposcentibus, pluribus donaria offerentibus, plurimis demum imploratum sibi Caroli præsidium adfuisse testantibus. Confluebat autem promiscua Populi multitudo diurnis æque, nocturnisque horis: supplicabundi adveniebant sæpius agrestium hominum, fœminarumque manipuli, quos canentium chori, & symphoniaci etiam in lætitiæ pompam comitabantur: Alia etiam piarum Sodalitatum agmina occurrebant non raro, sive peculiaribus ex instituto suo ornata vestibus, sive sacco induta ad pœnitentiæ speciem ostentandam. Frequenter congregatus ex Villis Populus, deducente Clero, ad multa-hominum millia huc confluebat, ut peregrinorum, Transalpinorum præsertim, catervas omittam, & nobiles Viros, Antistites etiam, & Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui ut loci hujus aspectu bearent oculos, longas etiam peregrinationes suscipere, & difficillima itinera non reformidarunt. Præ ceteris sine præconio dimittenda non est Francisci Cardinalis de Sourdis natione Galli pietas, qui summo studio ad Caroli sepulcrum inviseudū aspirans, cum ad Mediolani portam hæreret, quæ Româ venientibus patet, equo descendit: Cumque comparata honoris gratiâ vehicula, & lectica venienti offerrentur, ut magnifico ingressu Urbem totam expectatione sui erectam recrearet, magnificentiore oblati commodi contemptu totam pedibus emensus est viam, donec ad tumulum religiosissime hærens, longam ibidem moram inter preces extraxit: Deinde per illud, quod in hac Urbe substitit otiduum, saturatam veluti nondum

Digitized by Google

dum religionem bis pascere in singulos dies renovato sepulcri conspectu voluit: Ultimò cum ægre divelleretur, ærea numismata, & Marianas, ut vocant, Corollas lapidis illius contactu consecravit, quæ omnia in Gallias translata gentis illius maxime in Caroli memoriam animatæ vota explerent.

Et quamquam hæc ex Romani Pontificis consilio tum Mediolani pietatis testimonia palam celebrarentur; non tamen minora initio fuerant, cum pro virili refrigerare pium populorum ardorem Metropolitanum Canonicorum Collegium studeret. Venerabantur illi Sacrorum Canonum Sanctiones religiosissime, a quibus ne latum unguem di scederent, præcocem hunc haberi Borromeo honorem pii religionis hostes vetabant. Edictum severe Custodibus Templi fuerat, ne ullo pacto conniverent: repudiarent oblata donaria, & præfixos ad tumulum cereos imperiose excuterent. Sed cum ipsa objecta pietati impedimenta vehementius eam inflammarent, cautum subinde est, ut quædam sepulcro repagula opponerentur, novumque veluti vallum; quod cum abstinendo affluxui impar esset, periculoso ferme consilio sancitum est, ut vi aquarum ingenti ad tumulum effusa, incommodus admodum religioni venientium locus, aut ineptus fieret. Sed cum *aquæ multæ caritatem non possint extinguere*, madido pavimento hærere genibus plurimi confluentium non reformidarunt; cereos vero cum inibi figere vetarentur, alibi accendere ad Templi septa clanculum; ibique sparsim efferre conati, apertam Custodum vim pio certamine eludebant. Gestierunt, credo, gaudio Borromei manes, cum ampla hæc Basilica populi multitudine diurnis, nocturnisque horis redundaret; cum illa viventis potissima cura esset, ut a profanis spectaculis avocatum piis ritibus, atque Sacris semper in Templo distineret. Itaque hæc frequentissima Civium, exterorumque pietatis testimonia Romam nunciata demum permovêre, ut hac in parte Religioni omnium, causâ veluti præjudicatâ, indulgeretur. Supervenere postmodum ex Clementis VIII. nutu Cæsaris Cardinalis Baronii literæ, liberam omnibus colendi tumuli, & religionis palam testificandæ potestatem facientes, additâ præclarissimâ ad Caroli commendationem sententiâ: *Scitote, quia mirificavit Dominus Sanctum suum*.

Neque minus offerendorum cereorum conatum, quam oblatorum munerum hìc subit admirari. Mira dicam, sed nihil a veritate alienum. Novem iis annis, quæ Caroli Apotheosim præcessere, infinitis pene luminibus venerabile illud sepulcrum diu, noctuque refulsit semper; quorum ut copiam metiamur, illud dumtaxat consideremus velim, ex ceræ reliquiis, quæ guttatim in subjectam humum defluebat, tantam æris summam conflatam in menses singulos fuisse, quæ triginta, & aliquoties etiam quinquaginta nummorum summam æquaret. Quare ineunti calculos exactius, manifestum erit, oblatam cereorum funalium copiam non minus quingentorum nummorum pretio in menses singulos stetisse: ex quo per novem annos quid pecuniæ in votiva lumina erogatum sit, facile erit supputare.

Si alia deinde singillatim persequi velim, quæ tumulo huic opulentiora etiam oblata donaria sunt, infinitum profecto esset. Juvat præterire multa aureorum collecta millia, quibus Sacra ad Borromei honorem celebrari mens offerentium fuit. Gemmarum, & copiosa auri, argentique vis ad pietatis pompam nunc collata miraculo est intuentibus. Aliqua dumtaxat attingam obiter, quæ donantium memoriam immortalitati consecrent, ut suus Religioni sit honos. Innuimus alibi, artificiose elaboratam cum undecim lychnis lampadem ex Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis dono, susceptì a Borromeo Regiæ illius Familiæ patrocinii præclarissimum testimonium: Nunc auream aliam a Philippo Cardinali Spinello Neapolitano donatam, alteram ab Auritano Principe argenteam placet adjungere, quibus geminas ferme pares accensere licet, unam quidem Serenissimæ Antoniettæ a Lotharingia Clivensis Ducis mu-

Digitized by Google

mus, alteram vero Maximiliani Spinulæ Genuenſis Civis nobiliſſimi. Cumulata deinde hæc dona munificentius ſunt, cum adjecti annui cenſus ad nutriendas faces inſuper fuerint. Verumtamen vinci exterorum pietate puduit Mediolanenſes Aurifices. Hi publico nomine ex argenteis laminis ſignum juſtæ ſtaturæ effinxere gemmis, auroque interlitum, quod Caroli Pontificalibus ornamentis amicti ſpeciem referret; atque hoc ſui in Illum obſequii pignus certiſſimum eſſe voluere. Quamquam hæc liberalitas incitamentum etiam alienæ fuit; cum piorum hominum Mediolanenſium Sodalitates (Diſciplinatos appellant) collatis CD. nummis minus aliud Borromei ſimulacrum faciundum poſtmodum curarint. Aliam admiramur argenteam, atque integram infantis imaginem, quæ amorem magis donantis commendat, quam nomen; quandoquidem latêre doni auctor ignotus voluit. Gemmatam Crucem, & cum patena ſacrum Calicem Cæſar Specianus Cremonenſis Epiſcopus tumulo dedicavit, ſplendide reddens Borromeo ſuo, quidquid ab Ejuſdem viventis liberalitate acceperat. Minora alia prætereo argentea vaſa, & candelabra duo a Marſilio Landriano Viglevanenſi Epiſcopo, atque aliud nihilo inferius munus a Trivilienſibus attributum. Sane DC. nummûm pretio æſtimantur Phrygii operis vexilla duo, quorum illud Amantiſſimo Patri Doctrinæ Chriſtianæ Mediolanenſis Societas obtulit; hoc Patrono beneficentiſſimo Viglevanenſis Civitas conſecravit. Lineam deinde, & ſericam auro intertextam, atque Aris aptam ſupellectilem quid enumerem? quorum omnium ſi expendamus pretium, aliquot aureorum millium ſummam explebimus. Præſtat itaque intactum omittere quidquid huic tumulo ornamentorum acceſſit; cum univerſa complecti poſſim affirmans, L. aureorum millibus æſtimari quod votivi muneris per octo dumtaxat annos Baſilicæ hujus Sacrario illatum fuit.

Tantâ nimirum rerum opulentiâ auctum eſt Illius ſepulcrum, qui vivens id unum caverat, ne opulentus eſſet. Ceſſit nimirum in ſplendoris incrementum voluntaria Borromei inopia; effectumque divinitus eſt; ut qui ære ſuo Templa excitaverat, ſacris Cineribus honorem detulerat, omnia demum ad Dei gloriam amplificandam profuderat, maximum Ipſe Templi noſtri ornamentum fieret, & ampla alienæ liberalitatis, & obſequii ſpolia, ac teſtimonia referret. Utque fœnus aliquod Caroli gloriæ accederet, cautum deinde eſt: ne ullo unquam tempore tantus ſepulto honos detraheretur. Paulus enim V. Pontifex Maximus literis ſuis edixit, ne quidpiam pretioſi donarii huic ſepulcro oblatum, venale unquam proponi emporibus poſſet, aut quoquo tandem modo diſtraheretur.

Caput hoc claudent Mariæ ex Auſtriaca Gente Archiducis literæ Mediolanum miſſæ, atque teſtes religionis ſuæ, & accepti a Carolo beneficii. Neque enim taciti hoc diſſimulemus oportet, ex quo effectum eſt, ut Auguſtiſſimæ illius Familiæ ſtirps, quæ pene ad interitum vergebat, ad temporum noſtrorum felicitatem Caroli unius auſpiciis, & patrocinio conſervaretur.

MARIA AUSTRIÆ ARCHIDUX

Octaviano Abbiato de Foreriis Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbytero.

„ Dilecte Archipresbyter. Accepi ex „ poſtremis literis tuis, quid in no„ biliſſima iſthac Mediolani Baſilica pera„ ctum ſit propter editam in lucem felici„ ter ſobolem ab Hiſpaniarum Regina, & „ Filia mea Margarita: inſuper delatum „ ad B. Caroli tumulum fuiſſe argenteum in„ fantis ſignum. Quoniam vero Caſalium „ mihi a Secretis per literas tuas percon„ tabaris, qua de cauſa id muneris iſthuc „ fuerit tranſmiſſum, ingenue rem totam, „ & confidenter aperiam. Mea Nurus „ filii mei Ferdinandi Uxor bis jam ſupe„ rioribus annis enixa Filium fuerat; ſed „ vix dum Mater effecta, ſobole ſtatim in„ tercepta, ſubinde matris nomen amiſit.

„ Quare

Digitized by Google

„ Quare alia item Filia mea Maria Chri-
„ ſtierna votum Beato Carolo nuncupavit,
„ pollicita, cum primum diuturniore vi-
„ ta infans in lucem edendus frueretur,
„ oblaturam ſe Illius ſepulcro argenteum
„ infantis ſimulacrum, quod mole ſua ip-
„ ſum viventis Filii pondus æquaret. Jam-
„ vero quemadmodum nunc vivens pro-
„ les votum Matris implevit, libens etiam
„ Mater votum ſolvit, quod ſpoponderat;
„ cum præſens pueri vita certam diutur-
„ nioris ætatis ſpem faciat, & etiam in-
„ poſterum tanto Auſpice deſiderium cre-
„ datur implendum. Raptim hæc ſolum
„ ſcribenda duxi: Deus interim te inco-
„ lumem præſtet.

„ Grajaci XII. Decemb. MDCVII. (*a*)

CAPUT VI.

De S. Caroli Fide.

FIde, juxta Theologorum vocabulum, divina mirum in modum Borromeus ornatus eluxit; quandoquidem non ſuperno dumtaxat lumine perfuſus eſt, & perfecte adeo Deum, divinaque contemplatus, ut ſe ipſum, & caduca omnia, ac fluxa nihili duceret, quod multis Ipſius viventis teſtimoniis compertum eſt; verum etiam maximo ſemper deſiderio conflagraret, ut homines quique, & orbis gentes univerſæ ad Dei cognitionem aſſurgerent, atque in Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, & Romano-Apoſtolicæ ſinu educati, Romani item Pontificis imperiis addicti veram Religionem, quam profiterentur, reapſe pie, ſanctèque vivendo comprobarent. Quare quidquid curæ, quidquid laboris, quidquid impendii Fidei amplificandæ ratio poſtularet, libentiſſime in eam conferebat; imo hæreſim quamlibet, aut errorem funditus evellendi ergo, unde aliqua eidem macula, & labes poſſet aſpergi, aut rationes ſuas peſſumdedit omnes, aut etiam in manifeſta ſe vitæ diſcrimina conſtantiſſime conjecit. Hinc ea plurimorum inſederat animis opinio, lucem, qua Aronenſe, Illo oriente, cubiculum circumfulſit, ſuæ fuiſſe Fidei ſplendentis auſpicium; quemadmodum ex multorum Interpretum ſententia Stellam Magorum ad Bethlehemiticum præſepe ducem ſymbolum quoddam, & certum indicium eorum fidei credimus, qua ipſi ad recenter nati Redemptoris veſtigandum cubile compellerentur.

Ex hoc certe profluxerat Fidei fonte tum ea, qua Sanctus puer a teneris unguiculis in Deum ferebatur, religio, cum quidquid ageret, uni Deo ſemper deferret; tum ardor ille Sanctæ Fidei tuendæ, & propagandæ, quo vehementiſſime ad maturiorem ætatem provectus incitabatur. Etenim Avunculo ſuo Pio IV. Petri navim

(*a*) Multo luculentiora, quàm hactenus deſcripta ſunt, Caroli Tumulo oblata donaria ſubſequens ætas admirata eſt. Ut enim ſilentio præteream aurea Auſtriacæ Auguſtæ Familiæ munera ingentis pretii, aliique Venetæ Reipublicæ, Farneſii, & Ludoviſii Cardinalium, Principis Columnæ, quorum munificentia nobiliſſimis monumentis conſecrata eſt ad hominum memoriam, hodie votivi argenti ſigna ſupra XXVIII. millia numerantur; aurea vero donaria ad duo millia eſſe cenſentur. Eminet tamen Regiam etiam magnificentiam ſuperans Philippi IV. Hiſpaniarum Regis donum Nobiliſſima Arca, qua Sacrum Caroli Cadaver includitur. In ea argenti pondus eſt longe infra operis elegantiam; & defeciſſe naturæ videntur vires, dum inſolito conatu chryſtallina ſpecula in ejus complementum præpararet. Pretium argenteæ ſtatuæ, quæ Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis vultum, atque gratum animum refert, nihil a Regia munificentia diſtat. Ea conflata eſt ex bis mille & quadringentis argenti unciis; teſtaturque quantam deferre obſervantiæ Borromeo ſoleat Regia illa Familia, in quam optime ſemper animatus Borromeus fuit. Omitto, ne nimius ſim, ſepulcrale Sacellum Federici Card. Borromei, Alphonſi Card. Littæ, & Borromeæ demum Gentis pietatis nobile, & ſingulare monumentum. Omitto adjectam Sacris Exuviis gemmarum copiam ad XXIV. nummorum millia, & margaritis item diſtinctam auream coronam, quarum hæc XIV. nummûm æſtimata millibus Ser. Bavaricæ Familiæ liberalitatem, illa publicam in Carolum religionem commendant. Quamquam religionem omnium ſuperavere Mediolanenſium Civium ſtudia, dum Cæleſtes Carolo honores in Vaticana Baſilica nobiliſſima Apotheoſi perſolverentur. Nullus eorum Ordo fuit, qui amorem erga S. Antiſtitis merita ſuum luculenter non teſtaretur. Immani ſumptu ea cæremonia ſtetit; neque inſtitutæ pompæ parem ſuperior ætas viderat, aut ſubſequens admirata eſt, neque futura intuebitur, credo. Quidquid in celebri eo triumpho geſtum ſplendide vidit Domina Gentium Roma, fuſe expoſuit Marcus Aurelius Grattarola in commemorato alias volumine.

Digitized by Google

vim regente, ad incendium illud hæreſeos, quo Europa ferme omnis conflagraverat, comprimendum, ac penitus, ſi fieri poſſet, extinguendum acutiſſimos Pontificis animo ſemper ſtimulos adjecit, ne quid curæ in Tridentino Concilio promovendo, ac perficiendo omitteret; Atque Ipſe etiam id ſibi oneris impoſuit, ac ſedulus in illud adeo incubuit, ut extremam etiam apponeret manum, quod jam ſuperius teſtatum fecimus, conſtantiſſime impedimenta, & obices vincens, quibus Euangelii infenſiſſimus hoſtis dæmon cœtum illum diſſolvere conabatur. Cujus quidem Concilii ope in difficillimis temporibus Fidem noſtram ſtabilitam, & firmiter exaggeratam nemo eſt, qui ignoret (*a*). Neque deinde, fatis concedente Avunculo, intermortua Ejus opera in Fidei auxilium viſa eſt; nam ſedentibus Pio etiam V., & Gregorio XIII. om-

(*a*) Non minus in ſanciendis Tridentini Concilii Decretis Caroli ſtudium valuit, quam in ſtrenue etiam promovendis. Habes in hanc rem geminum literarum ſuarum exemplar, quarum unas ad Henricum Cardinalem Infantem Luſitaniæ, alteras ad Cardinalem Vademontium dedit.

Cardinali Infanti Luſitaniæ.

„ ILlum cepi fructum ex tuis literis maximum, „ vel quod mihi tantum judicio tuo tribuiſti, „ quantum ipſe verecunde appetere vix poſſum; „ vel quia tua auctoritate, conſilio, exemplo excitatus id contendam, ut in hoc publico munere, „ in quo mentem, & operam meam primum Deo „ Opt. Max., deinde Summo Pontifici dicavi, ſancte, & conſtanter me ſemper geram. Video enim „ quid tua cohortatio, quid fides mea, quid hæc „ tempora, quid S. D. N., quid ipſa pietas, & „ Religio a me depoſcat. Quare in eam curam dies, „ & noctes incumbam, ut Catholicæ Eccleſiæ, „ quam omnium rerum habeo cariſſimam, ratio„ nibus nunquam deſim: Deumque, id quod facio, „ frequenter, & aſſidue, orabo, ut me non modo „ religioſum, & pium, ſed navum, & induſtrium „ in ſuo cultu, & famulatu eſſe velit; neve aut „ diligentia mea cuiquam ingrata, aut negligentia „ diſſoluta eſſe videatur. Quæ in Tridentino Concilio ad propagandam Religionis noſtræ veritatem „ decreta ſunt, quia & Regis, & tuo teſtimonio „ comprobantur, fore confido, ut ex iis multa utilitas apud vos efflorescat; cumque omnes, qui „ in tua tutela ſunt, ad Euangelii legem conformaris, & ab iſtis Occidentis partibus virtutis, „ & ſanctitatis tuæ lumen oſtenderis, non ſolum „ mihi, qui ad tuam ſapientiam imitandam ſum „ acri ſtudio incenſus; verum etiam ceteris S. R. „ E. Cardinalibus magno documento ſis, quemadmodum Divinæ res adminiſtrari, & ampliſſimi Sacerdotii dignitas caſte, atque integre ſuſtineri „ poſſit &c.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine.

„ QUod Amplitudo Tua Illuſtriſſima Diœceſim „ Tullenſem perluſtrandam curat, non poſ„ ſum ſatis in eo pietatem, vigilantiamque illius „ commendare. Optimam namque rationem inivit, „ qua Gregem ſibi concreditum recte cuſtodire, & „ gubernare poſſit. Sed futurum plane confido, & „ quoniam id experiendo cognovi, affirmare poſſe „ videor, ut multo uberiores inde fructus exiſtant, „ ſi per ſe quoque ipſa hoc viſitationis munus obi„ bit. Nam & res exploratius cognoſcet, & auctoritate ſua præſens illis remedium facilius in multis adhibere poterit. In eo autem, quod Amplitudo Tua Illuſtriſſima optime vidit, momenti eſt „ vel plurimum, ut Sacroſancti Concilii Tridenti„ ni Decreta in uſum inducantur, quæ ſunt firmiſſima Catholicæ Religionis, & Chriſtianæ, Eccleſiaſticæque diſciplinæ robora, & fundamenta. Ac „ propterea ad eam curam omnes animi, ingeniique „ vires conferat oportet. Quo in munere nimium „ quidem multas, & varias difficultates offendet; „ omnes enim machinas æternus adverſarius noſter „ adhibebit, ut quod ipſa boni fecerit, deſtruat, & „ evertat. Sed non eſt propterea, cur ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria; imo vero fidentius inſurgat. Aderit enim is, qui optima conſilia nunquam deſerit, præpotens, & miſericors „ Deus: is lumina præferet: is vires copioſe ſubminiſtrabit, & nefarios adverſariorum conatus „ reprimet, & perfringet. Ac propterea in moleſtiis, quas ex hujuſmodi difficultatibus, & impedimentis percipimus, illa non vulgaris ineſt conſolatio, quod & labores illuſtrant, & meritum „ adaugent.

„ Quod autem in hoc genere ſententiam meam „ Amplitudo T. Illuſtriſſima requirit, ego hanc quidquam generatim admonere non queo, cum præſertim non parum inter ingenium iſtorum hominum, & noſtrorum interſit. Sed ſi ſpeciatim aliquam rem mihi ſignificaverit, piæ illius voluntati aliqua ratione ſatisfacere conabor. Illud autem „ in omnes poterit valere plurimum, ſi quod aliis „ præceperit, in ſe ipſa præſtabit; Nota enim ſententia eſt, perque omnes ætates comprobata: cum „ Principum moribus, atque inſtitutis privatorum „ hominum ſenſus, & ſtudia congruere. Eſt enim „ ita more comparatum, ut ſubditi in eorum, qui „ imperant, vitam tamquam in ſpeculum intuentes, eorum facta ſimul, & dicta diligenter obſervent, atque animadvertant, atque ad illorum „ normam actiones ſuas dirigant, ac moderentur. „ Sed hæc Amplitudinem T. Illuſtriſſimam optime „ & noſſe, & exequi arbitror ..... Sacerdotum vero ignorantiæ illud ſatis appoſitum remedium erit, ut qui ad diſcendum idonei videntur, „ in aliquod Collegium redigantur, ubi per aliquod „ tempus literis operam navent, quod & Mediolani, & alibi quoque factum eſt non ſine magna „ utilitate &c.

Digitized by Google

omnem, quam potuit, ſtrenue navavit operam, aut ſaltem ſua conſilia contulit, ne ulla in Sancta Dei Eccleſia hæreſeos ſtirps in ejus perniciem adoleſceret. Quo autem primum tempore Eccleſiæ ſuæ præſens regimen ſuſcepit, id maxime ſpectavit, ut omnem ab ea hæreſim, aut etiam ejus ſuſpicionem averteret, & puriſſimo Urbem ſuam Fidei lumine illuſtraret; qua de re in hanc Civitatem adveniens diligentiſſime rimatus eſt omnia, novaſque condidit leges, quibus ipſam cautius cuſtodiret. Hinc Bibliothecæ, Ejus juſſu, excuſſæ ſunt omnes: everſi ſi qui pravum dogma ſaperent libri, ne hujuſmodi inpoſterum typis ederentur, curatum, adituſque omnis in Diœceſim, aut Provinciam pervius aut munitus, aut intercluſus, ne qui hæreſim aliquam redolerent, aut morum peſtem inveherent, ab exterorum commercio in regionem hanc illaberentur. Sanxit inſuper, ut Ludimagiſtris, quos fama celebres, & doctrina apprime excultos eſſe voluit, puerilem ætatem non tam literis, quam Fidei dogmatis, & Chriſtianis præceptis informarent. Adventantes quoſque in hanc Urbem Hæreticorum filios vel latinitatis, vel Etruſcæ linguæ poſituros tyrocinium, referri in elenchum juſſerat, propoſito oculis eorum nomine, animum ſæpius adjecturus, ut diligentius ſanctitate, & recta vivendi ratione imbuerentur. Quod ſi ingruens neceſſitas Hæreticorum quempiam in Diœceſis ſuæ compuliſſet fines, per diſpoſitos nuncios certior de ejus adventu fieri volebat, quo intentior in ejus mores cura eſſet, ne contaminatum improvido gregi ſpiritum afflaret; quapropter certum illi deſignabat domicilium, atque hæc dabat mandata, ne pedem Templis inferret, datâ tamen veniâ concionis tempore; neve indigno corporis habitu uſus, hæreticos ritus in aliorum oculis defigeret. Siquando opportunitas loci fœderatas legiones in hyberna conceſſuras huc evocaſſet, incredibile dictu eſt, qua vigilantia ovili præcaveret ſuo, ſartum tectumque ab omni diſcrimine præſtaturus. Rerum ſacrarum curatores pagorum cuſtodiæ præfectos juſſerat, quid, quandocumque ageretur, quemadmodum viverent, ſolertius inquirere; atque edicto ſtatuerat, ne contra Eccleſiæ ritum vetitæ cuiquam apponerentur dapes, aut ullo diuturnioris commercii, conſuetudiniſque vinculo cum iis incolæ adſtringerentur. Elidebatur interim primo enaſcens peſtis, cum quidquid in remotis etiam gereretur Diœceſis partibus, citius ſacrorum Adminiſtratorum operâ Præſulis aures acciperent. Hybernabant aliquando in Mediolanenſi regione plures Germanorum militum centuriæ; quos cum audiſſet, pro hæreſeos, quam profitebantur, libertate, ad feriam ſextam, alioſque vetitos dies carnibus delectatos ad cibum, efficaci officio uſus apud ſupremum Provinciæ hujus Moderatorem id facile pervicit, ut peſſimam hanc illis conſuetudinem interdiceret, & leviſsimum quodque ab eorum moribus hæreſeos indicium removeret. Neque adeo ſatis cautum exiſtimans, ſuſcepto ſtatim ad eorum hyberna itinere, feſtinavit præſens erumpenti, aut eruptu-ro malo medicinam facere. Interque ea, quæ ſalubriter iis in locis providit, plebium, villarumque Rectores univerſos, in quorum finibus ii milites verſabantur, curare in primis voluit, ne patêre cuipiam ſacras Ædes vellent, de cujus religione ambigerent, niſi poſtquam ex formula certis a ſe verbis concepta Catholicæ Fidei profeſsionem ab iiſdem recitatam audiſſent. Quo impetrato, perfacile deinde ſuorum oculos importuno illo hæreticæ libertatis convicio liberavit. Demum cum adhuc Cardinalem aliqua ſolicitum haberet cura, nudaturus omni hæreſim præſidio, literas ad Hiſpaniarum Regem dedit, quarum erat hæc ſumma: *Præpoſteram vivendi rationem a militibus ſuis initam a ſe fideliter Regi optimo exponi: tum preces admoveri, ne hæreticarum legionum contubernium ullum in Mediolanenſi Provincia conſtitui pateretur: maximam ex hoc injuriam Deo imponi, & morum corruptelam in Populos; quin etiam Fidei periculum invehi: imo comparatas in regionis ſubſidium copias hoc modo potius in ejuſdem perniciem armari; quandoquidem*

Digitized by Google

ii perfacile res novas moliuntur, & seditiones spectant, qui turpiter antea a Deo defecere (*a*).

Firmissimum hoc pacto muniverat contra hæresim vallum; una tamen patebat adhuc via, quam haud facile solertissimus Pastor posset obstruere. Conterminam huic Diœcesi habemus Rhætiam pluribus in locis hæretica pollutam labe, cujus fines in Clavennensem, & Telinam Vallem vergentes Germanicæ jungunt cum Mediolanensi Provincia negotiationis commercium. Hinc nunquam Carolus dejecit oculos, in utramque excubans partem, ne quid in fines suos serperet morbi, præcipue cum societatis necessitatem quamdam ipsæ rerum agendarum rationes imponerent. Quare Parochos eorum omnium, quorum res cum illis erant negotiatoribus implicitæ, solertiorem curam suscipere jusserat, & solicite mores introspicere. Scriptis tabellis consignabatur facultatis impertitæ testimonium, per quas unice Mediolanensibus libera erat illuc commeandi potestas. Explorabat deinde diligentius, an, dum illic versarentur, Sacerdotibus, noxas per Confessionem aperirent: quo tempore se Christi Corpore reficerent: num interessent Sacro, & præstarent cetera ex Ecclesiæ præscripto. Cum vero remearent ad suos, jubebat ab iis produci fidelium tabularum testimonium, ex quibus in morum suorum cognitionem veniret. Quod autem maxime omnium curabat, voluit semper, ne diuturnius ibi collocaretur domicilium, quo longius a Fidei contaminandæ periculo abessent. Præterea ad Diœcesim universam firmius custodiendam legem hanc sanxerat, ut quotannis recurrentibus Dominici Adventus, & Quadragesimæ initiis recitaretur publice edictum antea ex nutu suo vulgatum, quo singuli cogebantur accusare hæreticos, aut in hæresis suspicionem lapsos, legentes, aut penes se detinentes damnatos codices. Quod si quem hoc nomine deferri contigisset, a Fidei Quæsitoribus acriter animadvertebatur in fontes. Edixerat quoque, testari palam Fidem suam, & Romano Pontifici obsequium suum polliceri Clericos, Sacerdotes, Oratores Sacros, & quotquot audiendis Confessionibus idonei huc ab exteris Provinciis appulissent: Medicos insuper, Chirurgos, Didascalos, eosque, qui disciplinæ cujuscumque liberalis ludum aperirent, Causidicos, Legulejos in Fidei quæstionibus adhibitos, Typographos demum, ac Librarios, ne ulla inhæreret hujusmodi artes, aut disciplinas profitentibus erroris suspicio: pernicioſum scilicet maxime Orthodoxæ Fidei, atque incommodum ratus, si quispiam ex iis a recta credendi ratione transversum etiam unguem discessisset.

Tam diligenter universa hæc curans, & sanciens, cum alia recensere infinitum sit, omni Ille Ecclesiam suam erroris labe, & suspicione etiam liberavit; Superstitiones simul a levibus ingeniis evellere conatus, & inhonesta multa delere ex hominum mentibus sortilegiorum, monstrorum, & magiæ studio inducta, præcipue medicinarum, aut gesticulationum religionem nimiam emendavit, quibus perfacilis, & lata munitur ad hæresim via, licet primùm datus huic gregi Pastor plura offendisset superstitione imbuta; quod cum edictis suis egregie præstitisset, Ecclesiam hanc *Sponsam* veluti *viro suo ornavit, non habentem maculam, neque rugam*.

Hoc Fidei studio incitatus avebat laboranti quacumque in plaga Ecclesiæ succurrere, neque aversabatur animo Germaniæ ipsius, & Galliarum ingredi fines, paratus illam Lutherianorum convulsam turbis, has Hugonotorum perturbatas armis, opera, ac labore suo recreare. Hoc autem absen-

(*a*) Paratos semper habebat vigiles, qui Christianæ Reip. illata ab Hæreticis vulnera sibi fidè aperirent. Hispani cujusdam operâ usus in primis fuit, qui clam exploraret Fidei statum in Rhætia, & in Liguria. Multa video etiam ad Eum permanasse de Hæreticorum conatibus, & præsertim Valdensium in Sabaudia, & in Valle Sedunensi, imo etiam in Transilvania. Nihil in Helvetia, neque in Belgio, imo etiam in Anglia movebatur, de quo Carolus non commonefieret. Cardinalis a Lotharingia sæpius auxilium suum contra æstus Calvinianorum imploravit, quemadmodum etiam Episcopus Basileensis. Hæc omnia acta, cum Mediolani sederet.

Digitized by Google

abſentiæ ſuæ elevabat damnum, crebras miſſitans in exteras Provincias epiſtolas ſucci plenas, quibus Præſules, ac Principes ad Orthodoxæ Fidei propugnandum, amplificandumque cultum hortabatur, varias nectens cauſas, quibus literarum cum Tranſalpinis Provinciis iniret commercium, & opportuna ad Fidei accendendum ſtudium offerretur occaſio [a]. Quam quidem offerendam occaſionem aucupatus, ultro deinde

(a) Infinita hoc loco mihi ſe offert literarum ſupellex, ex quibus tamen quatuor dumtaxat ſelegi, quæ ad diverſas regiones pertinent, ut appareret quam late hic Fidei tuendæ ardor effunderetur.

Epiſcopo Bambergenſi.

„ CArolum Apoſtatam ſuperioribus temporibus uſque a Saxonia miſſum, Villacci, quod in tua „ ditione eſt Oppidum, jampridem conſediſſe audio, „ totumque fere populum perverſa, & hæretica diſciplina depravaſſe, & a recta Religione avertiſſe. Cujus Sectatorum impietas, & temeritas eo „ pervenit, ut religioſos Sacerdotes, qui apud eos „ pauci admodum ſunt, non ſolum a Re divina, „ ſacriſque deterreant; ſed publico Civium conſilio, „ atque edicto ex Oppidi finibus exterminandos curent; ut, iis ſublatis, Religionis præſidia piis ho„ minibus deſint, & Sacramenta, & cetera Eccle„ ſiæ inſtituta intercidant. Quod ſcelus cum ad „ multos etiam fluxiſſe intelligam, qui Sacerdotio „ prædíti ſunt, credibile non eſt, quam me hujus „ rei indignitas commoverit, quod & Eccleſiæ jus „ negligunt (quod perquam grave dictu eſt), & qui „ ſacrarum rerum adminiſtri eſſe debent, firmamen„ ta Religionis evertunt, & labefactant. Quare „ mihi hoc ſumpſi pro mea in Chriſtianam Rem„ publicam pietate, & in te benevolentia, & ob„ ſervantia, a te ut peterem, ne hoc malum ſer„ pere longius patereris, quod prudentia, conſilio, „ gravitate, virtute tua reprimere, & corrigere „ adhuc potes. Quem etſi Pontifex tanta de re li„ teris monuit, tamen pie me facturum putavi, ſi „ meum quoque officium interponerem. Tu vero „ hoc incommodum facile ſanabis, ſi ſummam cu„ ram, atque operam ad Hæreticorum conatus co„ hibendos, ſpeſque infringendas contuleris: illud „ enim contendunt, nec ſe aſſequi poſſe diffidunt, „ ut, Catholicis Sacerdotibus pulſis, ſimul ſanctimo„ niam, omneſque Eccleſiæ Ritus, ac cæremonias „ abjeciſſe videantur. Quam peſtem, tu, qui potes, „ cum Epiſcopus ſis in Religionis quadam vigi„ lia collocatus, & Epiſcopatu digniſſimus, ideſt „ maximis & naturæ, & ſapientiæ bonis inſtructus, ab Aris, a Templis, a tuo municipio „ per Deum immortalem depelle; nam ad tuorum „ Civium vel ornamenta, vel commoda nihil eſt „ tam ſplendidum, aut tam ſalutare, quàm Reli„ gio, quàm Sanctitas. Qui autem a Deo diſſi„ dent, inter ſe otium, & concordiam tueri qui „ poſſunt? vel ejus ſequi conſilia, cujus fidei, „ poteſtatique crediti ſunt? Itaque ne vitiorum ſe„ mentis ab uno facta ſe ad multorum perniciem „ efferat, noli, amabo te, abjicere hanc curam, „ quæ cum tuo officio, & dignitate, tuarumque „ gentium incolumitate eſt conjunctiſſima, & Præ„ fecto, ſeu Vicedomino, qui tua auctoritate, ac „ mandato illud Oppidum tenet, itemque ipſis Vil„ laccenſibus Civibus non minus ſevere, quam di„ ligenter ſcribe, manda, coge, ut probatos Sa„ cerdotes retineant, & pro religioſis hominibus „ contra impios perpetuam cogitationem, conten„ tionemque ſuſcipiant, ne cujuſquam furori, aut „ invidiæ ſubjiciantur, vel Religio eo in loco ex„ tinguatur, ubi maxime eſt neceſſaria & ad uſus, „ & ad documenta ſanctiſſimarum rerum; utque „ tam eo in Oppido, quam in ceteris Carinthiæ „ locis redeant ad priſtinam Eccleſiæ conſuetudi„ nem, & cultum non modo cohortationibus, ac „ præceptis; verum etiam, ſi opus erit, terrore, „ & minis revocentur. Quod cum præſtiteris, tum „ plane intelliges, quam te Pontifici probaris, „ quantique apud me ſis, qui & tuo muneri, & „ eorum, quibus præeſſe te Deus voluit, rationi„ bus, & Religionis publicæ cauſæ optime ſatisfe„ ceris.

Epiſcopo Mirapici.

„ EX Alexandri Canigiani Archiepiſcopi Aquarum „ Sextiarum viri multis nominibus mihi ca„ riſſimi ſermone cognovi ſolicitudinem, ſtu„ diumque ſingulare, quod tu adhibes ad Gregem „ tuum, tum cæleſtis doctrinæ prædicatione, tum „ vitæ Paſtoralis exemplo in omni virtute, atque „ officio inſtituendum, atque confirmandum. Quan„ tum mihi voluptatis ea res attulerit, malim te „ ex ſenſu tuo, quam ex verbis meis judicare. „ Equidem continere me non potui, quin literas ad „ te exararem; quibus caritatem in te meam de„ clararem, ſtudiaque, atque officia deferrem. „ Deo autem grates quammaximas egi, quod tam „ verſatum in ſacris literis, tam egregium in omni „ virtute Paſtorem iſti Eccleſiæ tribuiſſet. Eo etiam „ magis, quod audio Diœceſim tuam non longe „ poſitam eſſe ab iis regionibus, quæ ſunt peſtife„ rarum hæreſum contagione infectæ. Verſaris ergo „ in maxime celebri theatro, ubi doctrinæ tuæ lux „ latêre, & virtutis exemplum obſcurum eſſe non po„ teſt. Ita porro verſaris, ut te præclare intel„ ligere oſtendas, oportere *Epiſcopum irreprehenſibilem* „ *eſſe*, *ſobrium*, *prudentem*, *ornatum*, *pudicum*, *ho„ ſpitalem*, *doctorem*; neque ignorare videare, *quo„ modo oporteat te in Domo Dei converſari*, *quæ eſt* „ *Eccleſia Dei vivi*, *columna*, *& firmamentum veritа„ tis*. Ego quidem, cui nihil amabilius bonitate, „ qua tu præſtas, nihil optatius divinæ gloriæ ſtu„ dio, quo tu flagras, ſentio me & amore affici „ erga te non vulgari, & incendi quodammodo ip„ ſa commemoratione caritatis tuæ; atque excitari „ ad omnem Paſtoralis officii perfectionem. Interea „ literas tuas expecto, ut cujus vultum coram aſ„ picere non datur, ejus animum in ipſis literis, „ quæ ſunt animi nunciæ, atque interpretes, agno„ ſcam.

Her-

Digitized by Google

Herneſto Coloniæ Archiepiſcopo.

„ CUm proximis diebus optatiſſimum nuncium
„ accepiſſem, Te ad Archiepiſcopatum Colo-
„ nienſem adminiſtrandum magna omnium conſen-
„ ſione, & lætitia delectum eſſe; non exiſtimavi
„ in tanta omnium gratulatione mihi committen-
„ dum eſſe, ut poſſes literas meas deſiderare. Ac
„ licet tibi de hac tanta dignitatis amplitudine gra-
„ tulari non audeam (nonnullus enim rerum uſus
„ docuit me, quantum negotii, & curæ, quantum
„ etiam laboris, & periculi ſit in Epiſcopatu); gra-
„ tulor tamen Colonienſibus, Germaniæque uni-
„ verſæ, quam quidem ex tua iſtius ampliſſimæ Ec-
„ cleſiæ adminiſtratione, atque antiquæ diſciplinæ
„ reſtitutione, vehementer & in Catholicæ Reli-
„ gionis ſtudio, *& in ſpiritu, ac veritate* adjutum
„ iri ſpero. Ita enim velim intelligas, ubi primum
„ de iſta tua dignitate auditum eſt, bonos omnes
„ magnam in ſpem erectos eſſe, fore, ut induſtria,
„ diligentia, cura, ſolicitudine tua, magnopere
„ Chriſti fides iſtis in regionibus propagetur,
„ uberrimuſque ex ſuperiori rerum perturbatione
„ fructus exiſtat. Quapropter in eo ſunt tibi vi-
„ res omnes contendendæ, ut hanc ſpem a te
„ concitatam, omni virtute ſuſtineas, vel potius
„ vincas: atque excellenti divinæ gloriæ amplifi-
„ candæ ſtudio, & ad omnes officii tui partes
„ graviter explendas, & ad exemplum aliis pro-
„ dendum penitus exardeſcas. Cujus quidem rei
„ magna tibi materies propoſita, propter & com-
„ munes Germaniæ, & privatas Eccleſiæ tuæ ne-
„ ceſſitates. Sed omnia (mihi crede) ſunt in eo
„ poſita, ut te (quod jam videre videor) *Epiſcopum*
„ *irreprehenſibilem* (ut Apoſtolus Paulus docet) præ-
„ beas. Quod quidem facile, Dei adjutrice gratia,
„ conſequêre, ſi nihil penitus, præter Dei gloriam
„ ſpectes: & id Catholici, atque Hæretici omnes
„ intelligant. Ita enim fiet, ut ex actionum, to-
„ tiuſque vitæ tuæ luce, atque ſplendore, omnes
„ ad divinæ bonitatis agnitionem, & prædicationem
„ adducantur: Qui quidem præſtantiſſimus, atque
„ uberrimus recte factorum fructus ſummopere de-
„ bet te ad omnis Archiepiſcopalis muneris ratio-
„ nem, atque officii perfectionem inflammare.
„ Quid enim tanti eſſe poteſt, ut Animarum Jeſu
„ Chriſti ſanguine redemptarum, divinique nomi-
„ nis propagationi debeat ulla ratione præferri?
„ Res omnes nobis deſpiciendæ ſunt; vita denique
„ ipſa profundenda pro unius animæ ſalute. Quid
„ agendum, vel quid non agendum potius, ubi
„ ſalus agitur innumerabilium pene animarum?
„ Ego quidem (quod unum poſſum) Jeſum Chri-
„ ſtum etiam, atque etiam precor, atque oro, ut
„ te & in ſuſcepto munere gratiæ ſuæ præſidio
„ regat; & ad Catholicam Religionem longe, la-
„ teque amplificandam, magnam tibi mentem,
„ animumque inſpiret.

Sereniſſimo, & Potentiſſimo Regi Suecia.

„ ALlatum ad nos eſt, quanto Regii animi ar-
„ dore Majeſtas V. Sereniſs. in eam curam,
„ cogitationemque incumbat, ut Catholicam Ro-
„ manam Religionem in ſuis iſtis Regnis reſtituat,
„ ac tueatur. Quæ ſane res eùm univerſæ Reipu-
„ blicæ Chriſtianæ pergrata, tùm mihi perjucunda
„ accidit; nam ex tanti Regis eximia pietate, præ-
„ claroque rei bene gerendæ ſtudio, quanta, &
„ quam ſalutaris utilitas non ad iſtas ſolum Re-
„ giones, ſed ad omnem Dei Eccleſiam dimanare
„ poſſit, facile quidem omnes intelligimus. Itaque
„ primum, quod meum eſſe putavi, Deo Opt. Max.
„ gratias egi, qui Divina Providentia, atque con-
„ ſilio Potentiſſimæ Majeſtatis V. mentem, animum-
„ que hoc neceſſario tempore ad publicam iſtorum
„ Populorum ſalutem excitavit; deinde cum P. An-
„ tonius Poſſevinus, Societatis Jeſu Sacerdos ſpe-
„ ctata probitate iſthuc Sanctiſſimi Pontificis Grego-
„ rii XIII. juſſu rediret, faciendum mihi exiſtima-
„ vi, ut Majeſtati V. eo nomine etiam, atque
„ etiam, ſicuti vere, totiſque in Chriſti viſceribus
„ facio, gratularer. Rem profecto Majeſtas V. ſu-
„ ſcepit, Potentiſſime Rex, dignam illam quidem,
„ in qua perficienda, atque exornanda Regiæ pie-
„ tatis vires omnes intendat; agitur enim & ſum-
„ ma Regis laus cum Dei cultu conjuncta, & ſa-
„ lus publica Nationum. Si Regnum namque iſtud
„ pravorum hominum improbitate, & ſcelere per-
„ turbatum, atque magna ex parte convulſum ad
„ priſtinum Catholicæ Fidei ſplendorem operâ Ma-
„ jeſtatis V. redierit, pietatiſque erga Matrem San-
„ ctam Romanam Eccleſiam ſpiritum recuperave-
„ rit; ipſa quidem bonorum omnium præconio ce-
„ lebrabitur; nec ulla unquam ætas de laudibus
„ Ipſius conticeſcet; & vero Populi, quos Deus
„ Majeſtatis V. ditioni, imperioque ſubjecit, iſtius
„ Regiæ caritatis laboribus, quaſi quibuſdam ſtimu-
„ lis, ad Catholicam Fidem, a qua deſciverant,
„ amplexandam incitati, brevi poterunt, adjutrice
„ Dei gratia, in viam revocari ſempiternæ ſalutis.
„ Deus autem, & Pater Domini noſtri Jeſu Chri-
„ ſti, in cujus gloria potiſſimum iſtæ Regii animi
„ cogitationes, curæ, ſtudiaque conſumi debent,
„ & Majeſtatem V. ope, auxilioque ſuo in hac vi-
„ ta tuebitur; & deinde ob rem pie geſtam, Re-
„ gnumque recte adminiſtratum, alteram Ei Coro-
„ nam imponet, quæ cæleſtis gloriæ viriditatem
„ nunquam amittet. Ego porro ut meum erga Ma-
„ jeſtatem V. animum pleniſſimum pietatis, atque
„ obſervantiæ declararem, non modo has literas,
„ ſed Martyrologium, ab uno ex meis Familiari-
„ bus (Galeſinio) nuper conſcriptum, ad Eam mit-
„ tere volui: In quo, ùt eſt rerum pro Chriſti
„ Domini gloria, proque Fide geſtarum ſtudioſa,
„ cum præclara certamina Sanctorum Martyrum le-
„ get, excitetur etiam Ejus pietas vehementius.
„ Deum interea precabor, quod ipſum antea quo-
„ que facere non deſtiti, ut Majeſtati V. ad tan-
„ tam rem conficiendam, vires, alacritatem, con-
„ ſtantiam tribuat: Atque ut populus cuſtodiæ meæ
„ concreditus idem ipſe quoque præſtet, curabo
„ quam diligentiſſime.

Digitized by Google

inde oblatam nunquam omisit. Sic cum Pontificia Brixiæ Legatione fungeretur, geminis Maximiliani sororibus, Avunculi Pontificis nomine, obviam iturus, cum magnifico inter ordinis Patricii Primores convivio adhiberetur, ex ore nobilissimi cujusdam convivæ excidente voce nescio qua pravo imbuta dogmate, multum reclamans Borromeus, sed frustra, mensa statim abscessit, graviore vocis tono minatus, convolaturum se ad Pontifici scribendam epistolam, cùm ut dicentis saluti consuleret, tùm impendens hæreseos periculum averteret. Cum vero plures summæ auctoritatis viri intercederent, tandem exorarunt, postquam vaniloquus ille male dictum emendavit, & imprudentiâ se lapsum testatus est. Quod quidem emanans in vulgus magnam viri admirationem movit, & quoddam in Illo summæ statuit instar virtutis. Nec plura in hanc rem vacat subtexere, cum ejusmodi exemplis hæc omnis abundet historia.

CAPUT VII.

De Religione.

EMinebat autem singularis in tanto Præsule religio; hinc Dei aut pronunciatum nomen, aut auditum reverebatur maxime, publico nudati capitis indicio; neque unquam Divinum ex ore imprudentis elapsum est nomen, quod, nisi re ipsa postulante, aut Dei gloria, perraro usurpabat. Hinc constitutæ leges severissimæ, & pœna in blasphemos addita; atque in eos etiam lata lex eadem fuit, qui fontes contubernio dignarentur, aut impune tantum crimen taciti tolerarent: reosque ejus sceleris pœnitentiâ ductos a Sacerdotum Tribunali rejici, & suum unius judicium subire compulit; Principibus interim, & Magistratibus author pravi moris evellendi funditus; Societatem præterea piorum hominum conflavit, quorum libera vox, & Christiano homine digna in blasphemorum petulantia comprimenda semper, solerterque versaretur.

Plurimi Biblia Sacra pendebat, totum se veluti in eorum lectionem abdens; neque usus quidquam reverentiæ detrahebat, cum illa aperto capite, flexisque genibus semper evolveret: atque postremis annis brevioribus usus tibialibus fuit, quæ vix genu pertingerent, ut tegumenti brevitas nudum pavimento facilius poplitem objiceret. Coacta primùm ex Provincia Synodo sanxit, ne quis ludentis in morem, aut per otium inanibus dicteriis sacra eorum vocabula aspergeret; & acrius improbitatem eorum perstrinxit, qui decerptas ex iis sententias superstitiosis ritibus, aut profanis intermiscerent; animarum vero Rectores, Oratores sacros, omnesque a Confessionibus in pessimam consuetudinem eradendam voluit incumbere.

Qua Deum observantia, ea sacras etiam colebat Imagines, quibus omnia Ejus penetralia abunde erant instructa. Earum in Synodis venerationem indixit, usum commendavit, in Aras, & Templa invehendas studuit, omnibus iis tamen interdictis, quas Præsulum preces antea non expiassent, peculiari in id ritu perscripto. Earum attritas, aut vetustate consumptas, redactas prius in cinerem sacrariis inferri mandaverat, ne indecore pedibus, aut carie tererentur; quibus etiam legibus sacras vestes, volumina, aras, & his similia voluit comprehendi. Sacris Ille operabatur quotidie, se prius in ea comparans mentis devotione, & recitatis piis precibus, atque omni labe per criminum Confessionem depositа: nulli rei licet gravissimæ vacaturus, nisi illis perfectis, absolutisque; atque solemnis Ejus vox, ac frequens erat, *vacuam semper profanis negotiis mentem ad aras afferendam*. Gravissimis distentum muneribus, aut difficilia suscipientem itinera nunquam hæc Sacrificii quotidie offerendi cura destituit; & siquando torpuisset morbo languens ad sacrum ministerium manus, reficere animum Divino Cibo nunquam neglexit; quemadmodum noxarum matutina semper Confessio Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolicum, &

De-

Digitized by Google

Decalogi recitata præcepta sequebatur, ut legis hujusmodi a se in Concilio latæ haberetur tenacissimus custos. Sacro peracto, pronus in genua diutius aris hærebat; deinde Psalterium Horis Sexta, & Nona præscriptum ibidem recitabat, Vespertinas etiam tum preces adjungens interdum, si Ecclesiastici ritus ratio ferebat. Tam religiose ab Eo servata consuetudo effecerat, ut hanc Populus animo falsam opinionem imbibisset: Ex peculiari lege Rei Divinæ quotidie peragendæ reos esse Cardinales quotquot, ac Præsules.

Qua de re cum Mediolani aliquando diversaretur Episcopus, qui omisso Sacro aliquoties, audiendo tamen religiose vacabat; rei novitas adeo mulierem adstantem perculit, ut proximum quemdam anxie rogaret, an aliquo pœnæ Ecclesiasticæ vinculo Præsul ille esset constrictus? Persolvebat autem Matutinarum, Diurnarumque precum Officium semper nixus in genua, & nunquam operto capite, animum in singula intendens, & frequenter in Deum raptus, oculis tamen nunquam dejectis e codice, nihil ex memoria depromens, ut leviſſimum quodque erroris periculum præcaveret. Suas autem, easque ex ritu statutas Sacerdotalibus precibus horas præscripserat; eas scilicet, quibus in Odeo Canonici solent convenire. Nulla verò vitæ dies hac Illi recitatione immunis fuit, nisi postrema, qua quidem Hieronymum Castanum eas preces genibus flexis prope stratum recitantem intentius audivit.

Singulari certe complexus est amore, & reverentia Deiparam, in cujus se præcipue clientelam, atque præsidium contulerat. Parvum, ut vocant, Ejusdem Psalterium a mendis omnibus expurgatum recitandum aliis proposuerat, & Ipse reddebat quotidie, quo Divinum solebat corporis habitu; cui attexebat etiam quinque Salutationis Angelicæ decadas, quas iter faciens nunquam omisit; imo longiorem viam ingressus, ejus orationis genere distinebat animum, quam Rosarium appellant, interim mysteria etiam, quæ ad decadas singulas accommodata sunt, mentis acie contemplatus. Sacros vero B. V. dies præmisso jejunio auspicabatur, pane, & aqua leviter degustatis. Dato, ut ter in dies assolet, Salutationis signo, quemcumque offerret locum occasio, illico terebat genibus lutulentum licet, ac sordidum; neque etiam equo, siquando iter faceret, descendere gravabatur. Quæ Illi semper religio fuit, quoties Sanctissimum Christi Corpus deferri videret in viis, cum destinatum iter statim abrumperet, seque adjungeret comitem deferenti, donec Aræ, unde sumptum fuerat, redderetur. Itaque suus in Virginem Dei Matrem amor fuit in causa, ut primarium Urbis Templum Arâ Eidem sacrâ curaret ornandum, cui addictam piorum hominum Societatem iisdem Pontificiæ Indulgentiæ donis cumulavit, quibus in Romana S. Mariæ ad Minervam Æde par Sodalium Collegium auctum fuisse acceperat. Hinc ea, quæ etiamnum viget, profecta consuetudo est, Deiparæ imaginis in primam quamque mensis Dominicam diem solemni supplicatione circumferendæ. Excitatæ deinde ad latus Aræ pretiosissimam tabulam Deiparæ ab Angelo salutatæ imposuit, quam ad Florentini Archetypi fidem, & normam ad Alexandro Allorio eximio Pictore effictam magnus Etruriæ Dux Franciscus sibi dono miserat. Antiphonam juxta rationem temporum in præcipuis Urbis Templis recitandam jusserat, qua Virginis memoria in sacris ædibus recoleretur, cœtu Cleri, & Populi coacto. Ejusdem pronunciato nomine sacras inter preces, ritum capitis inclinandi induxit; templisque, quibus Animarum Rector præesset aliquis, Illius imaginem præfigendam imperavit. Votum hoc Caroli fuit, ut, recurrentibus sacris Deiparæ diebus, solito frequentior ad Synaxim Populus accederet: Milites etiam Ejusdem imaginibus, & cultu delectarentur: Collegia, piorum hominum Sodalitates quæcumque institutis suis, & legibus firmatæ Ejus patrocinio gauderent, opemque consuetarum precum officiis implorarent.

Quan-

Quantum porro Cælitibus detulerit obſequium, habemus potiſſimum ex ſingulari, quo S. Ambroſium proſecutus eſt, ſtudio, cum Illum ex plurimis Patronum elegiſſet, Ejuſque veſtigia preſſo pede decreviſſet ſequi. Ejuſdem Ambroſii exemplo edoctus, Sanctos Martyres Concives ſuos Protaſium, atque Gervaſium *defenſores ambiit*, quorum etiam memoriam edicto conſtituit celebrandam, & prævium ſacro iiſdem diei jejunium enixe populo commendavit. Hinc fauſtiſſimam Ambroſii ejuſdem Paſtoris noſtri electi diem ſolemni celebritate colendum in univerſa Mediolanenſis Archiepiſcopi Provincia propoſuit, Eum Metropoleos totius Patronum eligens, nullumque minus ſolemnem diem præteriri voluit, quin Illius commemoratio inter Horas Canonicas haberetur. Conſtituit obſervandam præcipue ſacram S. Barnabæ depoſitioni diem, quo veluti fundamento noſtra hæc Eccleſia nititur; neque obſequio vacuum dimiſit diem S. Sebaſtiani martyrio conſecratum: demum eodem in honore haberi Cælitum eorum memoriam voluit, quorum nomine, & auſpiciis ſingulæ Parœciæ gauderent; atque ſacro illis die feriari omnino, & Sacrificio intereſſe eos ſanxit, qui inter Templi illius confinia, & jura comprehenſi, animarum inde emolumenta perciperent [*a*].

Sanctorum Lypſana quanti fecerit, ſatis ex dictis in comperto eſt. Totus vere in illis colendis, & honore afficiendis fuit. Fuſius perſequi non licet, quot Ille eruerit e latibulis mortales eorum exuvias, quot ante ſacra pignora noctes vigilaverit, quot denique eorum viſendorum ergo viarum toleraverit incommoda. Omnes Eccleſiæ ſuæ ſcrutatus loculos, latentes Sanctorum cineres luce donavit, aliunde etiam hujuſmodi theſauros ſolicite comparans, ut opimis Sponſam ſuam ſpoliis ornaret. Nec eventus voto defuit; cum Herneſtus Colonienſis Archipræſul, ejuſque Frater Guillelmus Bavariæ Dux Carolo cumprimis cari dono complura ſacra Lypſana Eidem miſerint; licet pyxis auro interlita, & diſtincta gemmis, in qua pretioſum munus Guillelmus incluſerat, delata Mediolanum non fuerit, niſi Borromeo extincto; quare in primarii Templi ornatum ex Teſtamenti præſcripto poſthumum hoc donum deinde ceſſit [*b*]. Juvat hìc recitare epiſtolæ partem, quam Herneſto Colonienſi miſit, cum certior per Bernardinum Caſſinam de impetrato munere factus eſſet: „ Magnæ mihi ju„ cunditati fuerunt literæ a te Cal. Ju„ lii ad me datæ, quibus ſtudium tuum „ ſignificas mihi de ſacris Reliquiis gra„ tificandi. Cum enim nihil mihi anti„ quius, nihil carius ſit Dei gloria, & „ Sanctiſſimorum Virorum, qui ſe graves, „ &

(*a*) Sanctorum Actis legendis præſertim delectabatur. Paſtoralis vigilantiæ exempla ex Baſilii, Jo. Chryſoſtomi, præcipue autem ex S. Ambroſii vita hauriebat. Sanctorum Bergomenſium Acta ad Eum miſit anno MDLXXXIV. Canonicus Jo. Guarnerius item Bergomenſis; eique in hæc verba Carolus reſpondit: „ Liber, quem ad me miſiſti, a te editum de vita & „ rebus geſtis Sanctorum Bergomatum, pergratus „ mihi fuit; tibique gratulor de iſtis tuis vigiliis „ ac laboribus, quos Deo, ejuſque Sanctis, gloriæ „ atque honori, & hominibus utilitati non parvæ „ futuros non dubito; dum ii legentes ſibi ſimi„ lium, cum hanc vitam viverent, omni virtutum „ genere cumulata exempla, atque illos in cæle„ ſtibus gaudiis æternitate donatos contemplantes, „ Deo gratias agent, venerabuntur, eorum opem „ implorabunt, atque adeo ad eorum imitationem „ inflammabuntur. Perge itaque; nam tu quoque „ eodem modo non exiguos inde fructus colliges, „ tempuſque omnium rerum pretioſiſſimum talibus „ in ſtudiis optime conſumes. Bene vale in Domino. Sic Bartholomæus de Vitalibus Maternenſis, S. Herculani Brixiæ Epiſcopi vitam a ſe inutili labore, ſiquis in concinnanda labor fuit, elucubratam auſus eſt eidem Carolo dedicare, ut optime advertit in SS. actis P. Jo. Baptiſta Sollerius S. J.; quo tamen in munere cùm Scriptoris imbecillitas miſeranda eſt, tùm Caroli Religionis exiſtimatio videtur admiranda.

(*b*) Deceptus hoc loco Gluſſianus Sacra Lypſana poſthumum donum Caroli putavit, ſed verius dixiſſet Lypſanothecam. Egomet legi Borromei literas ad Ludovicum Audoënum Vicarium datas IV. Nonas Octobris MDLXXXIV., in quibus monet: „ Accipiat „ ex Proſperi Vicecomitis manu Arculam eam Sacro„ rum Lypſanorum, quæ ad ſe ex Bavaria fuerant „ tranſmiſſa: Præſente Caſtrenſi Epiſcopo Cittadino „ eam reponat in Metropolitanæ Sacrario, atque „ eidem adjungat publicas literas, quæ donum te„ ſtatum faciant: ſcilicet ſe, cum Mediolani ade„ rit, de iiſdem extrahendis, & dignoſcendis deli„ beraturum. " Vere cum in poſtremis tabulis legaverit hæredis ſui ſumptibus nobilem Lypſanothecam pro iis extruendam, & paulo poſt obierit Carolus, facilis labendi occaſi oblata Scriptori fuit.

Digitized by Google

„ & ſtrenuos Jeſu Chriſti famulos præ-
„ ſtiterunt, cultu; non mihi gratiſſima
„ eſſe non poteſt benignitas tua, qua qui-
„ dem fiet, ut fortiſſimorum Martyrum
„ oſſa aſpicere, ac tractare, & etiam ar-
„ denter quodam animi ſenſu colere, &
„ venerari mihi liceat. Itaque Caſſinam
„ cum tam præclaro Theſauro expecto. "
Igitur cum Templa ſacris pignoribus auxiſſet, iiſdem ſe etiam armavit: Quare quæ ſibi Crux de more pendula e collo fluebat in pectus, auri, quo conſtabat, pretium ſuperans, pretioſis referta Lypſanorum fragmentis fuit. Hanc ſupremis tabulis Ludovico Monetæ legavit, quam idem deinde S. Barbaræ Virginibus habendam reliquit, Caroli etiam ipſius contactu conſecratam. Alteram auro item inſignem, in qua Sacræ Crucis pars ſervabatur, Joanni Simonettæ a Philippo II. in Hiſpanias evocato, & poſtmodum graviſſimis de rebus in conſilium adhibito, idem Borromeus dono dedit. Præterea geſtare conſueverat in torquis morem hærens intime pectori cereum Agni Dei ſignum certis verbis a Summo Pontifice expiatum. Hoc Illi vita defuncto Bernardinus Taurufius, utpote primus a Cubiculo, ſtatim detraxit, & Auguſtam Taurinorum profectus, Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci obtulit, qui illud ſumma cum reverentia ſuſcipiens, ut certa rei memoria extaret, locum, tempus, reique totius ſeriem publicis tabulis conſignandam mandavit. Præterea ad amplificandum ſacrarum Reliquiarum cultum plura evulgavit Decreta, in quibus earum nitori, & gloriæ cavere quammaxime ſtuduit; atque illud præſertim, quo vetuit, eas eſſe penes privatorum hominum arbitrium, ſed in Templis unice, ſacriſque locis cuſtodiendas ſtatuit. Hanc legem deinde in alios latam, ratus ſibi etiam impoſitam, cum pretioſam poſſideret thecam, quæ plurima Lypſana ſimul collecta complectebatur, & Romæ vivente Avunculo dono oblatam huc aſportaſſet, S. Barnabæ Templo ſplendide attribuit. Huic dono nunquam exinde honos defuit, cui ſuum quoque pretium addidit ipſa donantis ſanctitas. Ut vero in pretioſi Lypſanorum Theſauri poſſeſſione Mediolanenſem Eccleſiam retineret, Pontificiis diris devoveri voluit eos, qui repoſitas in hac Provincia Sanctorum Reliquias, veniâ prius a Summo Pontifice non impetratâ, loco moverent.

Certum hoc alterum Religionis ſuæ teſtimonium erat, frequens viſendarum Ædium ſacrarum ſtudium. Alibi pedibus Romana Templa circumeuntem ſuſpeximus; ſæpiſſime etiam aſperum iter ingredientem, ſacra Deiparæ viſurum loca. Par Mediolani etiam degentem cura urebat ſæpius; ubique autem cum Aris hæreret, ægre admodum revocari poterat. Romæ in S. Praxedis Sacello, ubi columna Chriſti ſanguine conſecrata aſſervatur, quinque non raro horas in divinarum rerum meditatione defigebatur; cumque totam aliquando extra illius Urbis mœnia noctem vigilaſſet in S. Sebaſtiani Poliandrio, die poſtero pedes ad S. Agnetis Templum extra Portam Piam ex regione omnino diverſa tetendit; ubi Sacro peracto, cum diu oraſſet, eamdem pedeſtri itinere viam remenſus, ad S. Praxedis Ædes ſiccus adhuc regreſſus eſt tandem, cum ferme adveſperaſceret. Propoſito omnium venerationi, ut aſſolet, per quadraginta horas Chriſti Corpore, Ille, quod alibi attigimus, & nunc lubet repetere, nunquam ex Templo pedem eo tempore extulit, dicere ſolitus: ante Chriſti conſpectum certas ſibi eſſe animi delicias. Illum etiam religio in feliciſſimas Jeroſolymæ plagas evocaſſet exoſculaturum beatam divini amoris ſedem, & Divino cruore reſperſum montem; ſed cæleſtem Mediolani expreſſurus Jeruſalem, ab ea adeunda abſtinuit; præſertim cum Summus Pontifex huic voto refragaretur.

Neque omittenda videtur hoc loco ea oris, & habitus majeſtas, quæ Pontificiam in Illo dignitatem mirifice ornabat. Sacris indutum veſtibus ſuſpiciebant venerabundi Cives adeo, ut Divinis rebus operantem ad multam etiam diem jejuni omnes proſecuti auguſta veluti Illius ſpecie refice-

ren-

rentur. Synodos, Concilia, & cetera, quæ Pontificium ornatum poſtulant, magnifice, & religioſe celebrabat; nec frequentia minuebat majeſtatem. Aras adeuntem, vel ſuggeſta aſcendentem tanta commendabat oris dignitas, ut rem ipſam oratio adæquare non poſſit; cum ſupra humanam conditionem videretur aſſurgere, & cæleſtem veluti ordinem imitari. Teſtem habeo P. Achillem Galiardum, cujus verba fideliter ſubdo: „ Sanctitatem redolebat, „ cæleſtemque quodammodo referebat concentum: & memini, quod mihi Synodis „ adſtanti, & ſolemnibus diebus in Templo præſenti veniebat in mentem, exprimendam etiam hoſtibus eſſe Pſeudoprophetæ Balaam vocem: Quam pulcra Tabernaçula tua Jacob, & tentoria tua „ Iſraël, & valles nemoroſæ, ut horti „ juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, „ quæ fixit Dominus &c. “ Nihil autem a ſacris Illum miniſteriis avocare, aut retardare poterat; nam citatis ſæpe itineribus Mediolanum, ſi abfuiſſet, feſtinans ſolemni recurrente feſtivitate aliqua, ſe Civium oculis impertiebat ſemper; Cumque æger aliquando ex morbo die Corpori Chriſti ſacro decumberet, corporis infirmitatem animi fortitudine ſuperans, ſupplicabundus per Urbem Illud circumtulit. Alias eodem die cum vehemens ingrueret pluvia, Urbem obiens totus aquâ perfuſus eſt; qui enim Ipſum de more protegebant umbellâ, hanc improvide complicantes collectum ſuperne imbrem uno impetu in ſubjecti caput effuderunt; quo Ille ne aliquantulum quidem commotus, & madefactus intime, finem conſtantiſſime Sacris cœptis impoſuit. Sæpius hoc autem uſuvênit, cum peroraret: ut totus ſudore diffluens odeum recta ingrederetur, donec, quod ritus Eccleſiaſtici ſupererat, omnino abſolveret. Hanc in rebus ſacris præſtandis diligentiam ea conſequebatur cura, ut abſoluta omnia, & perfecta ab aliis exigeret, ſuggillans libere, quod a ceteris in rem ſacram peccaretur (*a*).

Sacrum quondam Cibum viritim diſpertiens, urgente cubitum neſcio quo, parum abfuit, quin Illi e manibus pyxis elaberetur; licet aliqua dumtaxat azymorum portio ſubjecto linteo influeret. Qua ex re tantum dolorem cepit, ut niſi interceſſiſſent aliqui, pœnam alieni criminis eſſet daturus.

Quamdiu autem Divinis hærebat, nulla poterat ratione alienari. Sacram in Seminario Rem peragenti, licèt momenti levioris, allatum fuerat Româ veniſſe jamdiu de re graviſſima expectatum nuncium, cui tamen, niſi omnibus rite perfectis, aures dedit. Carolus a Baſilica-Petri, quocum acta res fuit, ſcribit: cum Eumdem Sacris implicitum in quodam Parthenone reperiſſet, reſponſum re ſuper moleſta daturus; ſemper ſe repudiatum colloqui cupientem; nec patuiſſe dicenti Ejus aures, niſi exacto duarum horarum ſpatio, ad quas Sacrum, & pium ſermonem Borromeus extraxerat. Rebatur nimirum, componi ægre admodum poſſe profanæ item, ac ſacræ rei ſtudium; quare alterum præ hoc negligendum autumabat. Neque loci inopia, aut obſcuritas in re Divina magnifice curanda ſolertiam exte-

(*a*) In præſentem rem facit Marci Antonii Bellini Canonici Ordinarii Mediolanenſis nobile in Tabulis teſtimonium. cujus verba ipſa operæ pretium eſt hoc loco latine efferre: „ Religioſarum in Carolo actionum „ multitudinem recolens, ad Deum converſus hæc „ mecum ajebam tacitus: *Domine, quis credet auditui, & ſermoni noſtro?* Semper Ille ſerius, ſemper operoſus, ſemper præmeditans omnia, circumſpiciens ſingula tanto pietatis exemplo, ut „ imbecillitatem noſtram in aſſequendæ tantæ virtutis deſperationem adduceret; quare videbatur ita „ ſemper *currere, ut comprehenderet*. Erant in Eo „ Pontificales actiones, veluti ordinatæ per ſeriem, „ quarum una muniebat ad alias viam; quodque a „ ceteris præter ordinem agi videbatur, id Ille voluti de more agebat. Opportune de Eo poterat „ dici, quod de alio item S. Antiſtite ſcriptum legimus: *Neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia*. Totus ſacer erat, nec „ aliud ſpirabat, præter actionem, lectionem, orationem, contemplationem. Unica hæc Illi cura, „ ut aut de Deo in lectionibus & ſermone, aut „ cum Deo in oratione loqueretur. Erat irreverendus in ceſſu, metuendus ſeveritate, venerandus benignitate. O felix terra, quæ talem genuit, ac de „ alumno Patronum, de homine Angelum, ac Doctorem nobis dedit!

Digitized by Google

extenuabat. Eumdem rudiores villici mirabantur in pagis, quem Nobiles in Urbe ſuſpexerant; cum idem ubique Deus mores Caroli moderaretur. Si quidpiam deſiderandum in Sacris ſenſiſſet, tum plane ceſſabat; neque temporis extrahendi diutius neceſſitas Illum ad feſtinationem ullam incitare poterat. Hinc non raro ſummo mane Templum ingreſſus, vergente in veſperam die domum regrediebatur, vel ad multam noctem, ſi ſub veſperum domo fuiſſet deductus. Nihil tamen vel de corporis vigore, vel de animi alacritate unquam remiſit, licèt continenti multorum dierum labore frangendus: quod prodigii certe loco multis fuit præſertim, cum ſomno parum indulgeret de more, & vigiliam jejuniis, & corporis cruciatu onteraret.

Huc refer tot ab Illo conditas leges de ſacrarum Ædium reverentia, de profanis inde removendis fabulis, de otioſa in Cœmeteriis deambulatione, de armorum uſu ad oſtium hærentium interdicendo, de capite mulierum ibidem operiendo, dirimenda item ſexus varietate, de virorum externo habitu, & deponendis genibus, atque ſexcenta alia ad retinendam Templorum religionem ſpectantia.

Hæc Rectoribus animarum indixerat tenenda diligenter, & peccantibus acriter inculcanda. Nequis vero per imprudentiam delinqueret, geminos ad Templi fores excubare Clericos juſſit, qui ingreſſuros de corporis cultu monerent; & ſiquid contra inſtituta ſibi etiam incurriſſet in oculos, nutu, aut voce ſtatim moderabatur. Profeſtis diebus ſatellitio ſtipatos Curiæ ſuæ præſides, ad quæ vis populi confluebat, Templa deſtinabat, nequid oriretur incommodi, juſſis in vincula duci, qui præfracto animo leges imminuere auderent. Quare cancellos obtendi viis Templa cingentibus conſtituerat, ne permoleſta bigarum, equorumque incurſatio populi frequentiam averteret, aut turbaret. Longe ab Aris ſemoverat profanos homines, Clero uni Odeum patère volens; Imo huic etiam ſacris exuto inſignibus ab Aris erat recedendum, quas idcirco obſeptas ferreis, aut marmoreis clathris muniverat. Ædituos, aut Sacelli cujuſcumque Cuſtodes etiam ad Altaria ornanda, aut purganda indutos ſuperpelliceo dumtaxat admiſit; eoſque edito in vulgus libello erudiverat de capite inclinando, flectendiſve genibus, ut par eſt, ſi Aras quoquo tempore prætergrederentur. Certis muſicam ipſam, cantoreſque moderatus eſt legibus: his quidem Eccleſiaſticas veſtes attribuens; illam profanis illecebris ſpolians. Pneumatici dumtaxat organi uſum non interdixit, fidium, tubarumque concentu eliminato, iiſque omnibus, quæ abhorrentem a Religione ſymphoniam ſaperent. Cum vero tot ſuam legibus muniviſſet Eccleſiam, nunquam ſibi licere hoc voluit, ut vel Nobilium, vel Principum etiam precibus fatigatus, quod ſemel ſciviſſet, aliquando diſſolveret. Percrebuerat Mediolani rumor, Regem Hiſpaniarum Mediolani adfore; rogantique cuipiam, num Rex ab Odeo expellendus videretur? „ Re„ ligioſum adeo, reſpondit, Principem ha„ bemus, qui locum inibi ſibi deſignare nol„ let.“ Quo reſponſo nec ſuam imminuit conſtantiam, nec Regis pietatem; ſimulque teſtatum fecit: „ Se Ambroſii Theodoſium „ a Clero ſejungentis exempla paratum ſe„ qui; niſi religioſior Theodoſio Princeps „ obveniſſet (a).

CA-

(a) Nobile Religionis ſuæ teſtimonium offeret vehemens ad Specianum epiſtola, quæ Caroli ſtudia in hanc virtutem tuendam eo faciet perſpectiora, quo acriora cum amico fuere. Die XX. Junii MDLXXXIV. hæc ad eum habet: „ Hac occaſione „ utar, ut officia mea liberius tecum renovem, „ quæ licèt antea moderatius præſtiterim, ideo for„ taſſe minorem in te fructum peperere præter opi„ nionem meam. Alter jam dies agitur, ex quo „ Granatenſis opera evolvens, legi: Hominem pro„ fuſis ſumptibus in anxietates, ſolicitudines, & „ immenſum rei comparandæ deſiderium incidere, „ ex quo infinita deinde oriuntur mala. Ibi autem „ ſermo eſt etiam de probis vitis; quare ego tibi „ vehementer timeo a peſtifera hac malorum ſtru„ pe, cum mores tuos non aulicorum conformare „ votis debeas; ſed ordini, & dignitati accommo„ dare tuæ, in qua jamdiu vivis. Nudius tertius „ luſtravi tibi commendatum Templum Modoctien„ ſe; quod non dumtaxat inops, & vacuum com„ peri;

CAPUT VIII.

De ſingulari erga Romanum Pontificem, ceteroſque Eccleſiæ Ordines obſervantia.

EX hoc Religionis veluti fonte profecta ſingularis eſt obſervantia, qua ſemper Pontificem Summum, ejuſque Apoſtolicam auctoritatem, atque univerſos Eccleſiæ Ordines reveritus eſt Borromeus. Illum quidem ut Vicario Chriſti munere fungentem honore afficiebat, ex ejus nutu pendens, & ægre admodum ferens, dicteriis Ejus auctoritati detrahi, aut nomini parum deferri; nullaque re in hæreticos homines commovebatur acrius, quàm quod Ejus jugum excuterent, Illique, & purpurato Cardinalium cœtui invidioſe obtrectarent. A ſe, aut ab aliis uſurpato Pontificis, viventis tamen, nomine, aperiebat caput; cumque Romæ degens, illo adſtante, rem Divinam perageret, oblata ſibi ad abſtergendas manus aurata patera uti recuſavit, nimium, & indignum ſubdito filio luxum cauſatus non eſſe Pontificiis oculis objiciendum. Ad S. Praxedis oraturus perrexerat; & ſubjicienda genibus, ut aſſolet, pulvinaria removeri voluit, quod ea alias ad Pontificis Romani uſum comparata cognoverat. In Suburbano item Pontificio Sacello Sacra facienti intervenerat Gregorius Ejus devotione captus eximie: quod Carolus intelligens, Sacerdotes geminos de more ſibi miniſtrantes nullatenus hærere ad latus permiſit, Myſtæ mores, & ritum ſecutus, cui privatim Sacrum facienti Pontifex interſit. Opportunam rei graviſſimæ opperiebatur ex Romana Curia facultatem quidam Borromeo perfamiliaris, qui cum diutius diplomatis expectatione torqueretur, imprudentius aliquando in querelas erupit, Pontificem ipſum dilati nimium remedii accuſans. Importunum Carolus ſermonem non tulit, niſi graviter, mox amice reponens: *Deo* inquit *obtemperandum eſt; Quare cum ejus vices gerat Romanus Pontifex, Deo obſequens eſſe non poteſt, qui hujus præcepta imminuat. Hoc noſtrum eſt aperire Pontifici, quod neceſſum ſit; ſuum quod velit exequi.* Idque ipſe accuratiſſime præſtabat: Nihil enim latêre unquam Romanum Pontificem voluit, licèt gravia inciderent plurima; ejus deinde, non ſecus ac Dei, mandata curaturus. Nunquam Ejus ſermo in querelam ullam aut de Pontifice, aut Romana Curia delapſus eſt, quæcumque cum illis cauſa, conſultatioque in tanta rerum mole accidiſſet. Romam circumacto triennio proficiſci conſuevit ſemper, prout Paſtoralis eſſe muneris certo intelligebat. De Apoſtolica Romana Sede ſive ſcribens, ſive loquens, *Sanctæ* prænomen abeſſe nunquam ſivit; & pro tuenda ejus dignitate adeo ſtetit, ut inimicitias etiam cum potentioribus

„ peri; ſed pudendum in modum male haberi. „ Sæpe ſcripſiſti, in ejuſdem cultum multas a te „ olim factas impenſas; quarum tamen ego ne ve„ ſtigium quidem tenui. Nam ut ab Æde ipſa in„ cipiamus, fuliginoſi primum muri, neque calce „ decenter lævigati, & pari horrore ſordent qui „ circum Aræ cingunt latera. Nulla in Ara ipſa „ Icon proſtat; neque ulla in circuitu appicta ima„ go. Altaris frons veſtiebatur corio: latebat opu„ lentior ſupellex ſerica quidem, ſed attrita pene, „ & nullius coloris. Audii, caſulam Româ fuiſſe „ tranſmiſſam; ſed præterquamquod unica erat, in„ epta etiam in uſus Eccleſiaſticos videbatur. Can„ delabra duo, interjecto Crucis ſigno, ex auricalcho „ erant, ſed peſſimi artificii. Calix cum patena ad „ manus venit, digna omnia profecto, quæ in pro„ fanos amandarentur uſus, ut ſtatueram, & fe„ ciſſem certe, ſi vaſa alia ad Sacrum faciendum „ ſubſtituſ potuiſſent. Unicum menſam tegebat lin„ teum: Unica Chriſti Corporis Syndon multis an„ tea in locis lacera, ſed tum conſpicue inſerti „ centones erant. Hæc ſi quis inſpiceret, cui mi„ nus probitas tua, & virtus cognita foret, quam „ mihi perſpecta eſt, certe male admodum de incu„ ria tua ſentiret. Quapropter tolle hanc nominis „ infamiam tui, & ſaniora conſilia induc, ne ma„ ximo cum animæ detrimento oſcitantiæ tuæ ra„ tionem juſto Divino Judici reddas ..... Nollem „ certe, oblatam fuiſſe mihi occaſionem hanc, prop„ ter quam adeo dicendo proveherer; verum cum „ te invitus quidem reum teneam, huc uſque di„ xiſſe non pœnitet; præſertim cum emendandæ „ incuriæ tempus ſuppetat, & ſperem fore, ut te„ nebras, in quibus jaces, tandem excutias melio„ ri, quam hactenus, conſilio. Hoc a te depoſcunt „ alii etiam cognitæ tibi probitatis viri, qui te di„ ligunt in Domino." Recole jam, quo loco Specianum Carolus haberet; & facile intelliges unum ſemper in Caroli oculis Deum fuiſſe.

Digitized by Google

ribus ſuſcipere non dubitaret. Quidquid veniret in mentem ad ejus laudem, gloriam, utilitatemque, rectamve adminiſtrationem opportunum, literis concreditum aperiebat Pontifici reverenter; ſuorumque non raro conſiliorum Eccleſia fructum cepit uberrimum. Redditas ſibi a Pontifice Breves, ut vocant, literas nudato capite ſemper, & oſculatus aperuit; utque omnem in rebus incertis dubitationem eximeret, omnia Romam deliberanda rejiciebat; unde certum petebat oraculum, quod inſtinctu Divino, afflatuque funderetur.

A Pontifice obſervantiſſimus Cardinalium fuit, etiam cum Pontificium Illi onus ab Avunculo impoſitum incumberet. Eo enim tempore ſanciendum edictum Pio propoſuit, quo eorum dignitati firmiſſimum præſidium compararetur; quæ autem ſuſcepta ab Ipſo eſt caſtiſſima vivendi ratio, majorem Ordini famam certe, exiſtimationemque adjecit. Nullum ex iis niſi modeſte, ac leniter allocutus, auctoritatis ſæpe oblitus eſt ſuæ; cumque Mediolanenſem præſens Eccleſiam adminiſtraret, nullum in eos prætermiſit amoris officium. Siquis de eorum adventu rumor afflaſſet, equo, aut lectica vectus obviam procedebat ex Urbe; alibi autem diſtentus negotiis e veſtigio in Urbem convolabat, ubi illis ſua patebat hoſpitalis domus; hoſpitii tamen ratio nihil Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrahebat. Comes Urbe deducebat aut equitans, aut lectica uſus, cum nunquam curru vehi conſueſſet. Vim peramanter inferens benedictionem populo impertiri eos volebat ſine fuco, atque ex animo officia exhibens omnia ſummo ex amore deprompta. Utque dignitati ſuus eſſet honos, equitum, Præſulumque, quibus Urbs noſtra abûndat, domi cœtum cogebat, quorum hoſpes officiis, atque ſermone delectaretur. Neque ſuam Purpuræ majeſtatem minoris Ipſe pendebat, quàm factis ornabat ſuis: ratus ſummam certe virtutem ſummæ dignitati optime convenire; quare Muricem ſacrum contemplatus, divini in ſe amoris excitare conabatur incendium. Eo conſpecto, Dei gloriam, & Fidei Orthodoxæ, etiam propoſito vitæ periculo, in immenſum, ſi fieri poſſet, augendam ducebat, hac ſe ipſum voce aliquando inflammans: *Meo ut ſanguine rubeat, monet hæc purpura; ſi Dei gloria, & Eccleſiæ utilitas exigat.* Quo certe eam imbuiſſet, ſi res ipſa poſtulaſſet. Itaque quam Ipſe tanti faciebat dignitatem, peſſumdari ab ceteris non patiebatur; hinc repudiata Borromei nominis commendatione, cum de familia, licèt præclariſſima, demiſſe admodum ſentiret, uno Sanctæ Praxedis, quo decoratus erat, titulo juſtiſſime gloriabatur: communi exiſtimatione delectatus quidem; ſed quam Deo, & ſacræ, qua pollebat, dignitati referret acceptam. Hinc maxima erat admiratio intuentium cum ſumma animi demiſſione maximam majeſtatem conjunctam, cujus gratiâ univerſi Eum reverebantur Principes viri, quorum plures pileum ægre reddebant capiti, niſi Ejus imperium acceſſiſſet. Et ſane cui mirum non accideret, intuenti unum, eumdemque Carolum de ſe tam diverſa ſentientem; cum Borromeus ſe infra viliſſimum quemque deſpiceret: Cardinalis ſupra ſummos quoſque ſe vellet eminere. Splendoris igitur ſui retinentiſſimus, cum ſibi res futura cum Principibus eſſet, ritus omnes, quibus eſſet uſurus, revocabat ad trutinam, ne quid remitteret de dignitate; cujus luculentiſſimum teſtimonium fuit habitum cum Henrico III. Valeſio in Oppido Modoëtienſi colloquium. Neque hoc dignitatis retinendæ deſiderium ullam unquam Principibus viris curam injecit; cum ſuopte ingenio facilè omne Illi obſequium deferrent, quem ſanctitatis famâ inſignem omnes intime colebant. Siquando tamen ſummus vir juſto Eum honore fraudaſſet, contemptum ſe diſſimulare non poterat. Hinc cum Mediolani Principem quemdam conveniſſet honoris ergo, ſummaque viri ductus exiſtimatione; neque reſpondiſſet dignitati ſuæ Principis officium: præſetulit aliquod offenſiunculæ indicium Carolus præſertim, cum Nobilibus circumſtantibus viris aliqua ex contemptu illo oborta eſſet admi-

Digitized by Google

admiratio ; Quare ab ejuſdem Principis Mediolanum paucos poſt dies reverſi congreſſu abſtinuit, illius hoc inito conſilio expectationem fallens; ſed ſuis verbis ſalutem impertiturum Antonium Senecam ex familiaribus miſit, tacite indicans, majorem ejus opinione præ ſe dignitatem ferre, cum ſacra Purpura ornaretur. Sapientes autem rerum æſtimatores id ſplendide factum cenſuerunt; præcipue cum ex Caroli re maxime eſſet aditum ſibi ad ejus Principis benevolentiam communire.

Epiſcopos etiam magno in honore habuit, quorum dignitas ceteris profanis omnibus tantum præſtat, quantum divina humanis antecellunt. Reverentiam ipſis exhibendam maximam ipſo, quo utebatur, prænomine ad eoſdem ſcribens declaravit, quod antea commune illis contra vetus inſtitutum cum Sacerdotibus erat. Advenienti ex iis cuipiam in Urbem Mediolanenſem, extra Urbis mœnia aliquem ex familiaribus obvium præmittebat; deinde honoris gratiâ ad maximum Templum deducto præſto erant gemini ex primario Canonicorum ordine ſuis ornati inſignibus, quos alii eidem Baſilicæ addicti Sacerdotes ſequebantur. Ibi brevi peracta oratione digrediebatur Hoſpes ad Borromei Palatium; ubi ſtatuta Epiſcopis patebant conclavia, honorariis ubique famulis eum deducentibus; quod ſi ad ſe collocuturi venirent, ex cubiculo procedebat obviam; quo item ritu dimittebat, ſingulari amoris, & obſequii ſignificatione ſemper adjecta. Apud ſe vero diverſantibus divinarum gerendarum rerum perſæpe illis auctor erat, Templa, Collegia, aut pias excitatas Ædes inviſendas proponens, appoſita indicens concionandi, & Synaxis miniſteria, quo multiplices populo apponerentur animarum deliciæ, atque utiliter hoſpes diſtineretur (*a*). Suum interim erat omnem illis honorem, & obvio cuique benedicendi jus impartiri. Verborum officia, & literarum, apud Apoſtolicam Sedem Præſulum nullus in Borromeo deſideravit, quibus operam pollicebatur, & adjungebat, ubi res ipſa poſtulaſſet. Ex Principibus permovit nonnullos exemplo, & dictis, nequid in Præſulum honorem, & gratiam obſequii, & favoris prætermitterent. Auguſtæ Taurinorum dum verſaretur in ipſo Regio Palatio cum Emmanuele Philiberto Allobrogum Duce, aulicorum plurimis adſtantibus, nunciatum eſt ocyus ſuperventurum Urbis ejus Archipræſulem; quo Ille audito conſurgens, & a Duce digrediens, atque aulicis, proceſſit obviam venienti: monitos hoc facto præſentes volens, quanta ſibi eſſet tantæ dignitatis opinio. Animadvertens deinde, Crucem Paſtoralis auctoritatis indicem ab illo abeſſe, leniter ipſum ſuggillans palam denunciavit: eam in ipſa Ducis penetralia

(*a*) Honorem deferendum Epiſcopis ſæpius docuit; ſed ut unum aliquod exemplum afferamus, accipe quod ad Vicarium ſuum Parmâ ſcripſit, cum Mediolanum deducere cogitaret Farneſium ejus Urbis Epiſcopum biduo poſt Idus Octobris: „ Hiſce expedi„ tus negotiis ubi ſim, iſthuc veniet Parmenſium „ Antiſtes, ut octiduum Mediolani verſetur pro Ec„ cleſiæ meæ ritibus inſpiciendis, & dignoſcenda „ forma Sacrorum. Eodem tempore aderit Ragazzo„ nius, qui Legationem Gallicam ingreſſurus, ali„ quantulum mecum ſubſiſtet. Cura, ut domi com„ paratum, atque inſtructum utrique hoſpitium ſit, „ eorumque domeſticis. Fac, ut nitidiora omnia ſint „ Templa, & omni pompâ ornata. Evocabis quan„ tocyus rure Seminarienſes Clericos, ut latinis „ orationibus, aut concionibus italico ſtylo concín„ natis hoſpitum aures demulceant. Idipſum præ„ ſtabis in Helvetico, & S. Mariæ Nobilium Colle„ gio. Quod ſi, auditâ Cæremoniarum Magiſtri ſen„ tentiâ, videbitur expedire, ut Canonicorum meo„ rum aliquis latinam item ad eos in Templo ma„ ximo orationem habeat, effice, ut aliquis in prom„ ptu ſit, qui id muneris obeat." In hoc animum certe aperuit ſuum; nam neutrum deinde hoſpitem præſtitutо tempore habuit. Quamquam anno inſequente, ſcil. MDLXXXIV. cum huc adveniſſet Parmenſium Epiſcopus, eumdem oravit, ut verba ad Populum faceret. Præmonuit hoc in homilia ſua Mediolanenſes invitans in hæc verba: „ Reveren„ diſſimus hic Prælatus Parmenſis Epiſcopus, qui „ huc ad nos inviſendos acceſſit, caritatis munus vobis „ præſtabit, eoque die (S. Antonio Abbati ſacro) „ mane paternis vos hortationibus conſolabitur. „ Exigit hoc ſacroſancta Majorum noſtrorum con„ ſuetudo: debetur hic honor adventantibus in ci„ vitatem quamcumque extraneis Epiſcopis, ut pro„ prii Paſtores Divini verbi prædicationem iis com„ mittant." Sed hujuſmodi honoris ſignificationibus hæc ſatis abundat hiſtoria.

Digitized by Google

lia ſibi videri inferendam (*a*). Urbem eamdem cum Philiberto obambulanti ſi Archiepiſcopus interveniſſet, tertium illum itineris ſocium ſemper adjungebat; cumque a ſe dimitteret, divelli nunquam niſi in exteriore Aula patiebatur. Alias Ferrariæ dum apud Ateſtinum Ducem ageret, & miniſtri pranſuri Ducis manibus lympham infunderent; vidit a præſente Urbis Epiſcopo mappam ad abſtergendum offerri. Non tulit hoc Carolus; ſed illum ſimul totum convivam induxit, atque eâdem deinde, qua Taurinenſem Archipræſulem, honoris teſtificatione dimiſit. Plura liceret afferre ſuæ in Epiſcopos reverentiæ teſtimonia, quorum alia Mantuæ, ceteriſque in locis extitere. Illud duntaxat, quod in more ſemper habuit, cum Romæ eſſet, commemorabo: Nullum ſcilicet Epiſcopum unquam ab Eo comitem aſſumptum, cum Principes viros, aut Purpuratos Eccleſiæ Patres inviſere vellet; ne ille ab intimo penetrali rejectus, uti mos fert, indecore in Procœto ſubſiſteret (*b*).

Par erat in Religioſis Familiis, aut Eccleſiæ addictos homines ſtudium; præſertim ſi dignitas eos aliqua, aut gradus commendarent. Singularem hunc, atque incredibilem amorem inflammabant deinde perſpectæ illorum dotes; eoſque, qui vitæ probitatem, & ſanctiorem diſciplinam præferrent, obſcuro licèt natos genere, complectebatur beneficiis ſuis. Generis enim, & doctrinæ ille ſplendor placebat, quem honeſtas, & recta ſtudia ornaſſent. Hinc diſtributi Præfecti in Plebes, & Paroecias, qui genere etſi abjecti, morum integritate præſtarent, repudiatis aliquando ſummi nominis Theologis, quorum doctrinæ par innocentia non reſponderet. Eccleſiaſticos itaque homines alloquens infimæ etiam notæ, nunquam levi perſtrinxit verbo; aut imperioſis contempſit. Ab iiſdem omne abjectæ ſervitutis jugum repulit, licèt honeſtam eorum operam ſibi addictam pateretur; quare niſi profanus quiſpiam ex ſervulis accurriſſet, cum ocreas vellet detrahere, nunquam deponere ſatius duxiſſet, ne Clerici hac in parte obſequium toleraret. Supplices Sacerdotum libellos excipiens, reveritus dignitatem precantis ſtabat: eamque libenter deferendi honoris occaſionem arripiebat, ut populo reliquo eum ordinem commendaret. Idcirco quoties laicum quempiam ex primariis colloquentem ſecum haberet operto capite: ſi forte adfuiſſet Sacerdos, hic item Ejus nutu pileum imponere jubebatur; cum alterum nobilitas, alterum Ordo ſacer hoc dignum honore faceret. Non defuere aliquando, qui Eum hortarentur, ut legem aliquam ſanciret pro moderandis ſacrorum hominum titulis; quemadmodum profana in iiſdem licentia fuerat Philippi Regis edicto compreſſa. Hoc autem a Carolo retulere reſponſum: licere hac in re modum excedere, quo major Clero honor eſſet, & Populus ex prænominibus amplis dignitatem gradus metiretur. Etenim improbabat nimiam in Sacerdotibus abjectionem licèt ex ſponte demiſſi animi teſtificatione profectam. Quare cum unus ex Adminiſtris Caroli imitator, aliquando nonnihil ex dignitate ſua imminueret, hominem ſine nota non dimiſit, hæc inſuper addens: „ Dignitatem, qua non ſuo, ſed Archipræſulis nomine uteretur, firmiter eſſe retinendam, ne labem illi aliquam imponeret: Sibi uni liberum eſſe majeſtatem aliquando demittere, quam ſemper Perſona ſuſtentabat; imo Archiepiſcopo gloriæ comparari incrementum, atque valere in hanc rem illud Matthæi: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. " Verum quem omnino

(*a*) Edoctus hoc Borromei exemplo Cardinalis Aretinus Epiſcopus Placentiæ voluit exinde in Farneſii Ducis conclavia ſublimem Crucem Epiſcopalem inferre. Ex hoc querelæ aliquot Farneſii auditæ Romæ ſunt; ſed Summus Pontifex ſilentium ſtatim impoſuit reſpondens: *Quod ex Borromei exemplo agitur, optime ſemper fit*.

(*b*) Hinc illa orta viciſſim eſt Epiſcoporum ſuorum erga Carolum obſervantia, cujus unicum ſpecimen exhibeo. Intimilienſis Epiſcopus adhuc promiſſa barba ornatus, Mediolanum venerat poſt editum de Barba radenda decretum. In ipſo Portæ limine de lege commonitus, ocyus ad Tonſtrinam deflexit, barbaque depoſita, raſum Carolo vultum adveniens voluit offerre.

Digitized by Google

nino ſupra ſe poſitum, & divinam poteſtatem habere quodammodo fatebatur, is fuit ſemper, cui Borromeus animi ſui maculas aperiebat. Hinc P. Franciſco Adurno ad ſe exercitationum ſacrarum causâ evocato, antelucanis horis quieſcenti adhuc cum lumen apponeret, illius licèt dormientis ſtratum prætergrediens ultro, citroque, obſequium inclinato capite deferebat, ut alibi commemoravimus (*a*).

CAPUT IX.

De admirabili cultus Divini ſtudio in Diœceſi, & Provincia Mediolanenſi.

INitâ primum Mediolanenſis Eccleſiæ adminiſtrandæ provinciâ, omnia Carolus a vetere inſtituto prorſus abhorrentia offenderat, ut ad reſtituendos Sacrorum ritus præſertim animum ſtrenue ſibi adjiciendum intelligeret. Poſtmodum vero tan-

(*a*) Quo obſervantiſſimi animi teſtimonio Summum Pontificem ornaret, expoſitæ in ſuperiore Hiſtoria literæ abunde declarant. Quare hoc unum reliquum videtur, ut quo amore item, atque obſequio ceteros Eccleſiæ Ordines proſequeretur, inveſtigemus. Is tamen ſemper obſervantiæ ſuæ modus fuit, ut eos coleret ſimul, & colendos redderet. Specimen hujuſmodi exhibebimus in ſequentibus literis ad Eccleſiaſticos homines datis, diverſi tamen gradus; ex quibus elucebit, quam vere Cardinali Borbonio teſtatus fuerit Borromeus, *ſe viris Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus omnia debere*. Primum habeat locum Franciſcus Cardinalis a Jojoſa, ad quem hæc habet: „ Multa me, in literis tuis, „ non vulgaris voluptatis ſenſu affecerunt: Sed illud in primis, quod mihi planiſſime expoſuerunt „ omnem contentionem, & ſtudium, quo ad omnis Epiſcopalis, & Cardinalitiæ ſolicitudinis, & „ curæ ſuſceptionem incitaris. Hinc enim fit, ut „ non modo ſperem; ſed etiam confidam, tuo, & „ tui ſimilium ſtudio, & labore Galliam, abjecta „ nefariarum opinionum impietate, priſtinam antiquæ Religionis ſanctitatem aliquando recuperaturam eſſe. Nam quemadmodum, agricolarum ſomno deditorum incuria, factum eſt, ut inimicus „ homo zizania optimarum frugum ſeminibus admiſcuerit, atque inſeverit; ita gnavorum colonorum cura, ſolicitudine, vigilantia maximam „ Chriſtianarum frugum ſementem, carduis, & venenoſis herbis eradicatis, factum iri non dubito. „ Qui enim tua, atque aliorum nonnullorum ſtudia excitavit, & tam magnam ipſis mentem, „ animumque inſpiravit, vires etiam ſuppetet, ut „ quod ipſius gloriæ cauſa ſuſcepiſtis, ejuſdem ope „ perficiatis; & cum ſumma animi lætitia innumerabilium Animarum ſaluti conſulatis. Sane quidem cùm nobiliſſimæ Urbis Archiepiſcopo, tùm „ S. R. E. Cardinali nihil eſſe poſſe videtur optabilius, quam opus Jeſu Chriſto D. N. tam gratum, atque acceptum, & ampliſſimo iſti Regno „ tam neceſſarium, ac ſalutare animo excelſo, & „ toto pectore complecti, omnemque in eo curam, & cogitationem collocare, vel potius conſtituere, ac defigere. Sacrum Concilium Tridentinum nondum iſthic promulgatum eſſe, ſcribis. „ Doleo ſane veſtram vicem; maximo enim adjumento, ad omnem Paſtoralis officii partem cum „ auctoritate obeundam, atque adminiſtrandam, caretis. Sed conemur tamen, quod voce præconis, & Regis edicto nondum promulgatum eſt, „ re ipſa, factiſque promulgare: & in ſua quiſque „ Eccleſia ea exequi, & in Populi mores, conſuetudinemque traducere, quæ Sanctiſſimæ Synodi Decretis præſcripta, ac ſancita ſunt. Non „ ignoro pleraque magnis impedita, atque obſtricta „ eſſe difficultatibus; ſed nihil difficile, nihil impeditum caritati. *Fortis ut mors dilectio*; & multa difficiliora ſunt hominum opinione, quam re „ ipſa. *Bono* vero *Paſtori*, qui exemplo ſuo tortuoſa dirigit, aſpera mollit, valles implet, montes cum planiſſimis campis æquat, quid arduum, „ aut difficile eſſe poteſt? Magna eſt exempli vis, „ in eo præſertim vito, qui genere, ætate, opibus, propinquis, dignitate floreat; & hæc omnia tanti omnino faciat, quantum ad Dei gloriam illuſtrandam valent. Sed non ero, in hoc „ genere, longior, ne præſertim videar monita ad „ te ſcribere; ita enim pro tua modeſtia ſingulari „ literas meas vocas. Non enim hæc ſcribo, quod „ te tua ſponte incenſum, & in virtutis ſtudio currentem, incitandum mihi eſſe cenſeam, quaſi ſtimulis literarum; Sed ut lætitiam, quam ex tuo curſu, atque incitatione percipio, teſter, atque „ declarem. Quod vero me (qualiſcumque ſum) „ tanti facis, quanti equidem non ſum: agnoſco „ eximiam in me benevolentiam tuam, quæ ut omnino perfecta ſit, & numeris omnibus abſoluta, „ rogo te eam ut mihi virtutis perfectionem a „ Deo Patre Miſericordiarum obtineas, qua talis „ plane ſim, qualem me eſſe ſcribis. " Quantum ſane in hiſce ſententiis triumphat Borromei ſtudium, qui optimum Cardinalem laudat, & effingit.

A Cardinalibus ſecundas teneat Joannes Archiepiſcopus Valentiæ, cui delata honoris ſignificatio eſt hac epiſtola: „ Multorum hominum, qui iſthinc „ ad nos venitant, commemoratione, & P. Ludovici Granatenſis literis, cum magna animi mei „ voluptate accepi de cura, & de ſolicitudine eximia, vereque Paſtorali, quam tu continenter „ adhibes ad vineam tibi a Domino locatam, „ tuendam, atque excolendam; qua quidem re factum eſt, ut ego ſenſerim, me ad Eccleſiæ meæ „ curam, & ad omnem officii mei perfectionem „ tanti Viri exemplo vehementer inflammari; erga „ te verò ſtudio quodam, obſervantiaque commoveri, quam his literis mihi ſignificandam, teſtandamque eſſe duxi. Nam pro eo divinæ gloriæ zelo, quem bonorum omnium parens, atque „ Auctor Deus mihi impertivit, cùm omnes ejus „ Majeſtatis famulos caritate, obſervantiaque ſingulari complector; tùm præcipue eos, qui in „ Epiſcopali dignitate, & quaſi vigilia poſiti, ca-

„ vent

Digitized by Google

tantam religionem Civium animis inſeruit, nihil ut quidquam ſanctius, aut perfectius optare pietas poſſet. Editam typis cæremoniarum ſeriem præcipue ad legis noſtræ abdita evolvenda myſteria pertinentium emendavit, plura, quæ vitio irrepſerant, expungens, ut purum populus Numinis cultum, ac Religionis uſum admiraretur. Quidquid itaque ad opiniones imperitorum confictum, quidquid abſonum longa ætas invexerat, Decretis refixit ſuis; cumque plura ad ſolemnem Pſalterii recitationem curanda proponeret, præſens Ipſe Clerum erudiens, ne in tenuiſſimis ritibus

„ vent ne Chriſti ſanguis, quo nihil eſt omnino „ pretioſius, fruſtra pro ovibus ſuis effuſus eſſe vi„ deatur, eaſque, tamquam orbes quidam cæleſtes, „ & Euangelicæ doctrinæ luce illuſtrant, & boni „ exempli impulſu excitant ad omnem Chriſtianæ „ vitæ præſtantiam. Quo in numero quoties te eſſe „ audio, magna mihi materies offertur divinæ bo„ nitatis prædicandæ: magnumque deſiderium in„ jicitur, tui propius cognoſcendi. Quod cum per „ utriuſque noſtrum occupationes minime liceat, „ literis ſaltem compellare te meis, ut tuas eli„ ciam plenas prudentiæ, plenas caritatis, non „ dubitavi. Qua in re ut te mihi benignum, li„ beralemque pro tua egregia humanitate præbeas, „ magnopere a te peto, &, ſi pateris, etiam rogo, „ atque obteſtor. Epiſtolis enim tuis me pro tua „ prudentia, rerumque Eccleſiaſticarum uſu, ad „ Eccleſiæ meæ conformationem, atque adminiſtra„ tionem vehementer adjutum iri ſpero, atque „ adeo confido. Ac ne tu ullam habeas excuſatio„ nem, mitto ad te ſextum meum Concilium Pro„ vinciale, ut hoc licèt exiguo munere, tùm „ meum in te ſtudium, obſervantiamque declarem; „ cùm aliquod Concilium tuum, aliamve Eccleſia„ ſticam lucubrationem cum fœnore abs te obti„ neam.

Tertium afferet obſervantiæ teſtimonium quidam in Helvetia Sacris Præpoſitus, apud quem leniter conquerens amorem precibus miſcet Borromeus: „ Cum igitur renunciatum mihi ſit, inco„ las veſtræ juriſdictionis magna ex parte, Catho„ lica Religione repudiata, teterrimarum hæreſum „ contagione infectos eſſe, muneris mei eſſe duxi, „ te (de cujus virtute magnopere confido) mo„ nere, & (ſi pateris) etiam rogare, ne hanc tan„ tam labem tibi, atque iſti inſigni Collegio aſper„ gi velis. Non enim ſine gravi negligentiæ nota „ auditi poteſt, gentem juri tuo, curæque ſubjectam „ ab avita pietate defeciſſe, & in caſtra impietatis „ transfugiſſe, & in iis ipſis, nemine revocante, „ perſiſtere. Nam Dei indignationem, atque iram „ ejuſmodi negligentiæ ultricem hominibus Catho„ licis commemorare ſupervacaneum eſt. Ut enim „ nihil eſt Deo carius, nihil antiquius ſalute ani„ marum, pro quibus ipſe, quaſi optimus Paſtor, „ animam ſuam poſuit, vitamque profudit: ita ni„ hil ipſi deteſtabilius eſt animarum contemptu, „ in iis præſertim, quibus aliquam earum curam, „ adminiſtrationemque injunxit. Quod ſi turpe apud „ homines, flagitioſum apud ſummum illum Judi„ cem eſt, populos curæ noſtræ concreditos, per „ incuriam noſtram, ſalva fide, peccare: quid erit „ fidem ipſam abjicere, & ab Eccleſiæ Catholicæ „ auctoritate diſcedere? Rei gravitas cogit me pau„ lo longiorem eſſe in ſcribendo: caritatis veſtræ „ fiducia facit, ut hanc ipſam longitudinem minus „ neceſſariam eſſe ſperem. Te igitur, quam maxi„ me poſſum, precor atque obteſtor, ut pro eo „ quanti Dei nomen, & animarum *Agni immaculati* ſanguine redemptarum ſalutem facis: pro „ eo etiam quanti tuam, atque iſtius Eccleſiæ exi„ ſtimationem putas, ut in hominibus illis ad re„ ctam viam revocandis, & ad Sedis Apoſtolicæ „ obedientiam reducendis operam, curam, ſolici„ tudinem, contentionem adhibeas pro rei magni„ tudine. Quod ſi quid eſt, quod a me proficiſci „ poſſit ad hoc negotium conficiendum, libenter „ ego omne meum ſtudium, omnemque auctori„ tatem in tam præſtanti officio collocabo.

Omitto inſitam Ejus animo erga Canonicos ſuos benevolentiam, a quibus cum de Bernardi Vicomercati Collegæ morte nuncium accepiſſet, doloris plenam teſtificationem exhibuit. Neque minus animatus erga Parochos fuit, ut teſtatus eſt quidam ex iis in hæc verba ſcribens: „ Pietas tua, cu„ jus quidem & teſtimonia aliorum, & literarum „ tuarum tenor mihi fidem facit, meretur, ut „ quacumque re poſſim conatus tuos promoveam, „ atque adeo incitem.

Ultimo infinitum eſſet in oculis defigere paratiſſimæ ſemper voluntatis erga Oblatos ſuos ſignificationes, cujus unicum depromo exemplum ex literis euchariſticis Guidi Ubaldi Vincentii ex eorum Sodalitate Sacerdotis: „ Primum enim illud admi„ ror, in quo maxime tua elucet pietas, quod mei „ Patrui verbis tantum tribueris, ut animum tuum „ tanta humanitate præditum induxeris ad me pe„ regrinum hominem, nullaque tibi antea ratione „ vel probatum, vel etiam notum in eorum Se„ minarii alumnorum numerum cooptandum; un„ de ea mihi omnia ſuppeditantur, quæ ad vitam „ honeſte traducendam pertinent. Tum deinde illud „ inter cetera principem mihi locum obtinere vi„ detur, quod tamquam cariſſimum Filium in gre„ mium tuum, Congregationem videlicet Oblato„ rum S. Ambroſii ſuſcepiſti; in qua una gregis „ tui univerſi ſalutis ſpem collocaſſe te ſemper ſi„ gnificaſti; unde factum eſt, ut ad ipſam ampli„ ficandam, præclariſque virtutum, ac diſciplina„ rum omnium ornamentis augendam omnes tuas „ vires, omnes animi tui conatus contuleris. His „ accedit illud, quod ſilentio non præteribo, quo „ non me ſolum, ſed quinque etiam Fratres, & „ Sororem Tuæ Amplitudini perpetuo devinxiſti, „ qui cum his temporibus omni fere humano ſe„ ſent deſtituti auxilio, & diverſis ærumnis, atque „ calamitatibus oppreſſi, tua humanitate elevati, „ erectique ſunt &c.“ Hæc omnia cum præſtaret Borromeus, id maxime ſemper ſpectare viſus eſt, ut ſuus Eccleſiaſticæ dignitati eſſet honos etiam apud alios, cum eamdem exemplo ſuo ſummopere colendam proponeret.

Digitized by Google

bus laberetur, ſolertiſſime providebat: maximi omnia pendens, quæ in minimis haberi apud imperitos conſuevere. Præſcius autem, obliterari in futuram ætatem poſſe ſapienter olim inſtituta; ne ad poſteros tranſmittenda rituum elegantia, & ſanctitas ulla ratione defloreſceret, Sapientiſſimorum virorum cœtum conflavit, quorum muneris eſſet ſuis cæremonias ponderibus pendere, & in dubia re certam pronunciare ſententiam; atque a ritibus aut condendis, aut retinendis, *Rituum Congregationem* magnifice appellavit, & vere. Hoc antea nomine aliam Romæ cogendam Pontifici Avunculo ſuaſerat, Eccleſiæ univerſæ cæremoniarum Judicem, atque Magiſtram. Interim ad Concilii laborem minuendum adjecit primarii Templi Clero interſuturum Sacris Magiſtrum, cui alterum adjunxit adminiſtrum; cujuſmodi in Urbanis Baſilicis, & Plebibus eligendos etiam præcepit viros ex Clero, quorum nomina recitari juſſerat quotannis, coactâ Synodo: iiſdemque legibus cæremoniarum adoleſcentes in Seminariis, & Collegiis educatos imbui voluit, ut magiſterii hujus diſciplinam perfectam ad maturiorem ætatem afferrent. Hinc profecta optima illa in ſingulis Diœceſeos Templis rituum coguatio quaſi, concentuſque, quorum inſitam quotidiano uſu, & veluti conſignatam in animis notionem profana etiam plebs habebat. Quare cum ſolemni ritu in maximo Mediolani Templo alienigena Præſul Sacra perageret, & Supremi Provinciæ Præfecti Sedem extra odeum conſtitutam longe prætergrediens, aulica aſſentatione imbutus, fronti manum apponeret, in ſpeciem detrahentis infulam; mulier quædam forte adſtans id illi vitio vertit, inquiens, *nunquam hoc ritu uſum infulatum Borromeum*.

Sacrificii, ſeu Miſſæ ritus, ad veteres Eccleſiæ noſtræ leges revocavit, quarum quidem cuſtos, & vindex fuit eximius: nihil in iis imminui patiens, cum ritus Ambroſiani antiquitatem comprobatam etiam Romanæ Sedis calculo veneraretur (*a*). Quandoquidem vero hoc diuturni laboris, & operæ munus, ſed Paſtore digniſſimum intellexerat; dum curas ſuas omnes in tantum opus conferret, adhibito etiam doctiſſimorum hominum judicio, volumine parvo, quo Miſſæ celebrandæ ritus complexus eſt, ad normam veluti Sacerdotes quoſque dirigendos diligenter ſtuduit.

(*a*) Quantum Ambroſianis Ritibus addictus eſſet Cardinalis, docuit in epiſtola, quam ad Specianum ſcripſit die XXVIII. Julii MDLXXVIII. cum de iiſdem cæremoniis Modoëtiæ retinendis ageretur. Eas autem eò libentius reddimus, quo nos data alibi fide abſolvamus. Hæc itaque Ille: „ Quod ſcribis „ de tua, & Cardinalis Moroni ſententia judican„ tis, poſſe etiam Mediolanenſem Eccleſiam Ro„ manis Ritibus accommodari: iterum dico, in „ hoc expectandum eſſe Pontificium Decretum; „ nam ſi id Gregorius imperaret, paratus ſemper, „ quidquid in me eſſet obſequii, Sanctæ Sedi defer„ rem; id enim pronunciatum veluti a Spiritu San„ cto oraculum libens exciperem. Cave tamen ne „ promptam hanc voluntatem meam interpretatus, „ putes, me id de Ambroſianis Ritibus, quod de „ Tranſalpinis, & Religioſorum Ordinum peculia„ ribus cæremoniis, ſentire. Nam ſi de illis quæ„ ſtio inſtitueretur, putarem graviſſimum Eccleſiæ „ univerſæ negotium agi; quare nihil de iiſdem „ antiquandis ſtatuendum unquam crederem, niſi „ re diligentiſſime a Summo Pontifice conſiderata. „ Expendenda ſcil. eſſent, quæ in iis latent myſte„ ria, ſanctitas, rationes, & fundamenta; quæ „ omnia mihi ſuaderent per certos, & eruditos „ viros iſthuc miſſos deſigenda prius in Pontificiis „ oculis ſingula eſſe, antequam quidpiam in re „ tanti momenti deliberaretur. Præterea datum hoc „ mihi conſilium eſt a ſummæ doctrinæ & religio„ nis Viro, qui, cum Romanos profiteatur Ritus, „ nullam affert cupiditatem ad judicandum: meum „ eſſe, Archiepiſcopi Romam proficiſci pro tam præ„ clara Rituum hæreditate tuenda. Recole animo „ venerandam eorum antiquitatem: arcana, quibus „ abundant, vere divina: merita, memoriam, & „ famam Sanctiſſimi Patris, & Eccleſiæ Doctoris „ Ambroſii: ſummam denique omnis ætatis de his „ cæremoniis conceptam exiſtimationem; cum my„ ſteriis noſtris Sacrarum Rerum Scriptores utan„ tur, ut ineluctabilem clypeum Hæreticis oppo„ nant. Par certe dignitas non videtur aliorum „ Rituum, ab antiquis licèt ſeculis ad nos profecta. „ ..... Commovent item me edita divinitus, „ & a Scriptoribus expoſita prodigia, quibus eorum „ ſanctitas teſtata cælitus fuit. Adde, nihil unquam „ hujuſmodi fuiſſe a Pontificibus tentatum, quo „ tempore in Eccleſia noſtra fervebant ſuſcepta cum „ Romana diſſidia. Cur autem hac noſtra id mo„ veatur ætate, qua Urbs Mediolanenſis, Deo ad„ jutore, urbes alias obſervantia, & obſequio ſupe„ rat, aut ſaltem nulli concedit &c. " Hæc manu ſua deſcripſit integre Carolus argumenta religionis ſuæ, ne quempiam fugeret, quantum Ille ritus noſtros coleret, & firmiter retineret.

Digitized by Google

duit. Quod interim e re erat, juxta Tridentini Concilii ſanctiones, ut pie, ſanctèque ad divinum Convivium accederent Sacerdotes, impulit, omnem evellens in iis avaritiæ ſuſpicionem: diſſolvit fœdas pro Sacerdotiis obtinendis pactiones: vetuit, ne iterum, qui obtuliſſet jam conviva, ſacram rediret ad Menſam, certa deſignata penſione, qua honeſte alerentur Myſtæ, qui Deo litaſſent, aut certis precibus Defunctis funus duxiſſent. Vago, illiterato, aut crimine infami cuique Sacris interdixit; neque judicii cenſorii expertes eſſe Clericos juſſit, qui *ad Domini ſortem* aſpirarent. Quod ſi exteros huc appuliſſe contingeret, removendos ab Aris ſanxerat, niſi Præſulis ſui ſcriptum teſtimonium eos ſuſpicione omni liberaſſet. Veſtem, quæ ad talos pertingeret, inferre Altaribus adminiſtros voluit; ſuperpelliceo item adſtare amictos, qui Sacris eſſent initiati, quæcumque tandem illos ad Aras opportunitas compelleret. Ademerat etiam privatis Sacellis familiarem admodum Sacrorum uſum, cauſatus, publica ad hæc celebranda ſolemnius patêre Templa; cumque, Pontifice Summo permittente, Supremus Provinciæ Præfectus ſibi conduxiſſet privatum Sacerdotem in Palatina Æde Sacra facturum, ex Borromei tamen nutu probandum, id Ille fieri vetuit; utque ſuus interioribus aris eſſet honos, erectas quotquot ante Templorum fores evertit. Hinc ſuam cuique, apud quam vivebat, frequentius adeundam ſacram Ædem ſuaſerat, ubi Paſtoris vocem audiret, neque domeſticum, ut ita dicam, Divini verbi, & Cibi comparatum commodum averſaretur. Hæc ad pietatem erant Borromei incitamenta, a quo ſua etiam impiis indicta ſupplicia; Quotquot enim publico flagitio ceterorum oculos offenderent, omnino a Sacrorum myſteriis exturbandos cenſuit. Cum nimia quædam pompa, & pompam ſequentes convivales apparatus primum inaugurati Sacerdotis diem celebriorem antea efficerent; & recurrente feſto Ejus Sancti die, cujus Templa nomine gloriabantur, profana in atriis inducta ſpectacula (*a*), proſtantes merces, & conquiſita gulæ irritamenta cerneret; ſolemnes hujuſmodi dies majori religione, piiſque exercitationibus conſecravit: nundinis Sacram Hoſtiam, ſaltationibus Conciones, comeſſationibus demum pios cœtus ſubſtituit; neque vetuſtiſſimum Vigiliarum nocturnarum ex Ambroſiana Eccleſia morem delere dubitavit, quem degener ab antiqua Avorum pietate libertas in procacis luxuriæ argumenta converterat. Luce itaque donans Fidelium ritus, totam illis exercendis diem conſtituit; quòque omnium expers curarum, & parata ſemper opera Parochorum venienti in ſacras Ædes populo præſto eſſet, vetuit, ipſos Sacerdotes importunis comeſſationibus vacare, quibus antea conſueverant. Inde propoſitum profanis hominibus exemplum putavit, quo facilius ludos, circos, haſtiludia, mimorumque ludicra faſtidirent. Equidem reclamitare ſanctionibus inſtitere nonnulli: aliæ ex aliis ſatæ ſunt controverſiæ; ſed conſtantius in propoſito conſilio retinendo perſtitit Carolus, quàm vis valeret improborum ad evertendum.

Libens ſilentio prætereo Rogationum diebus ad certas leges revocatam Cleri ſupplicantis multitudinem, jejuniorum reſtitutos dies ex Eccleſiæ Decretis, excitatam Divini Infantis appoſitis ritibus expectationem; cum Decretorum hujuſmodi totam ſeriem Acta Eccleſiæ noſtræ typis edita, & per orbem evulgata facile legenti objiciant. Illud commemorabo quam acu-

(*a*) Ad retinendam feſtorum dierum ſanctitatem quid Ipſe ſanxerit, monet Epiſcopo Intimilienſi reſcribens XXIV. Septembris MDLXXVIII. „ De me „ quæris, num jure puniri poſſint, qui fidibus, „ aliove quovis inſtrumento feſtis diebus ſonant in „ tripudiis. In hac quidem Diœceſi contra iſtos „ homines agi ſolet; atque adeo ſi res poſtulat, „ illis Eccleſiæ ingreſſu interdicitur, cùm propter „ eam, quam ſcribis, cauſam: nempe quod iis „ diebus, qui Deo dicati ſunt, ſacriſque rerum of„ ficiis conſecrati, operam ſuam certa mercede lo„ cant; tùm vero quod hujuſmodi opere alios ho„ mines a divinarum rerum cultu, ſtudioque avo„ cant; indeque, tamquam ex ſeminario plurimo„ rum malorum, multæ Dei offenſiones, morum „ corruptelæ, flagitiaque oriri ſolent.

Digitized by Google

accurate, ſolerterque pietatem erga SS. *Chriſti* Corpus fovendam, cumulandamque ſuſciperet. Euchariſtiæ præſentiam frequenter fortaſſe pii homines pluribus in locis deſiderabant; neque etiam reperta opportunum precantibus præbebat locum, cum in Cellulæ morem apertus alicubi murus nullo certo loco Ipſam aliquibus in Templis cuſtodiret. Eadem igitur deſignata Sedes in Baſilicis, Paræciis, & Aſceteriis Monialium: Ara ſcilicet maxima, ingredientibus ſtatim objecta, in cujus medio ſinu pretioſum, ut erat facultas, tabernaculum Illi figeretur, ornatum interius holoſerico ſaltem, aut auro interlito panno, fluente exterius ab apice ad latera ſimili peripetaſmate, præter umbellam, quæ ſuperne e tholo pendens immineret, & lampadem diu noctuque accenſo lychno juſſam proſtare. Incongruum illum in minores aras transferendæ Euchariſtiæ morem improbabat vehementer; & ne ſapienter decreta aliquando inopiâ temporum interciderent, in Urbanis, ceteriſque Parochorum curæ demandatis Eccleſiis Sodalitates quaſdam certis devinctas legibus excitavit, permovitque, ut quidquid ad Ejus cultum ſpectaret, vel cum ad ægrorum ſubſidium, vel in ſupplicationibus incidentibus in tertiam quamque menſium ſingulorum Dominicam diem deferretur, curare, & exequi ſe profiterentur. Quod quidem ſanctiſſime inſtitutum optime vertit; & vivens Ipſe pluribi receptum non ſine intimo gaudii ſenſu eſt admiratus, cum in Dei gloriam, animarum fructum, Templorumque utilitatem opportuniſſime conſpiraret. Pia in Templum quoddam, unde in alia deinde etiam invecta eſt, ab antiquis uſque temporibus conſuetudo fuerat, ut proſtaret quadraginta horarum ſpatio ad populi advenientis preces expoſita Euchariſtia. Uſum hunc Borromeus meliori donavit ordine, neque tum utilem admodum ſanctius reſtituit. Quotidianam itaque hanc Populi devotionem ut efficeret, ſtuduit; quare, deſignatis ex ordine invicem Eccleſiis, nullam cultu hujuſmodi elabi vacuam paſſus eſt horam; atque hunc morem hactenus inviolatum & populi pietas, & Paſtorum vigilantia ſervavit. Sic reddita Urbi noſtræ primorum religio temporum; nec Ambroſii ætati invidit Mediolanenſis Eccleſia, quam alter plane Ambroſius moderabatur.

Verſatam hanc in Euchariſtiæ tribuendo cultu operam alia excepit reliquorum Myſteriorum cura, quam Populo commendatiſſimam plura Conciliorum decreta, atque ea, quam evulgavit, pro iis adminiſtrandis norma effecerunt. Nihil vitioſum fuit in eorum ritibus, quod non emendarit: nihil obſcurum, quod bono in lumine non collocaverit: demum abjectum nihil, quod ad ſplendorem ac decus non perduxerit. Eorum adminiſtris Sacerdotibus Eccleſiaſtica ornamenta nunquam abeſſe decrevit; & in audiendas pœnitentium Confeſſiones ſalubriter plura conſtituit: Certas nimirum a Sacerdote reddendas preces, quibus tantum miniſterium auſpicaretur: removendum ad ſedis latera intermediis velo, & crate mulierum aſpectum: cautum cum fœminis infirmis Myſtarum colloquium, quos niſi patentibus foribus vetuit in conclavia admitti: exponendam in tabula piaculorum ſeriem, in quæ ſolvenda nulli, niſi Antiſtiti, poteſtas eſt: Theodori demum Canones olim in uſu poſitos libello quodam Sacerdotum ſæpe terendum manibus comprehendit. Omni autem ſuſpicione avaritiæ Eccleſiaſticum ordinem liberaturus, noluit unquam, ſacrum quidpiam pretio addici juxta Apoſtoli præceptum, *ut gratis dent, qui gratis accepere*.

Pſalterium rite recitandum edictis ſuis præſcribens, id ſpectare viſus eſt, ut juſtum honorem Deo Clerus deferret. Tempus, modum, opportunos uſque animi ſenſus, corporis demum habitum ſingulatim deſcripſit, quæ univerſis congruerent (*a*). Hæc omnia poſtmodum affixa ta-

(*a*) Vidi egomet ſuperioribus diebus apud Bernardinum Caſſinum Oblatum Sacerdotem, atque in Metropolitana Mediolani Baſilica Cæremoniarum Magiſtrum delineatam ipſa Caroli manu patientiſſime ejuſ-

tabulis, & legenda in Sacrariis proponens, ne ullum laterent, fuse digesserat. Censores interim, quocumque in loco ad hujusmodi preces conventus Sacerdotum esset, opportune disposuit; Horum erat nigrum theta peccantibus, aut absentibus præfigere, qui deinde aliqua pensionis quotidianæ parte mulctabantur. Quandoquidem vero Psalmorum, Antiphonarum, ceterarumque precum seriem appositè partitus fuerat in dies, adhibitâ doctissimorum hominum operâ, qui consilium probaverant, & omnia emendaverant diligenter: hinc una indicta est omnibus Psalterii forma ad veram antiquitatis methodum concinnati; nisi in hoc emendasse vetera Instituta dicendus sit, quod novos induxerit solemnes dies: quotquot scilicet sanctorum Mediolani Episcoporum obitu consecrati essent; unum enim supra triginta ex iis solemni ritu colendos imperavit, cum primùm Ejus nutu impressum typis prodiit Calendarium.

Inter cetera, quæ Pastorum absentiâ invecta fuerant damna, illud maxime fuerat miserandum, quod neglectis Templis omnis aberat splendor; & solida sacræ pompæ commendatio ubique in Aris desiderabatur. Primùm itaque sarciendas Ædes curavit, quæ hiscerent, aut infirmis fundamentis niterentur: removendas deinde profanas sepulcrorum exuvias, & militarem luxum, signa, & tabulas quotquot ad referenda heroum facta passim pendentes: cineres demum, atque ossa eminentibus urnis inclusa, sicubi adhuc extarent, humi defodienda curavit, ex quo deinde gravis in Illum procerum multorum concitata fuit offensio. Sic Templorum composito ordine, munditiæ, atque elegantiæ supellectilis præsertim sacræ caveri studuit; utque omnia certo ordine fierent, quid in excitandis Templis observandum, & caute custodiendum, in edita typis Fabricæ instructione descripsit. Ludovicum autem Monetam, cujus sæpe honorifica incidit mentio, sacra Ædilitate ornavit, cujus tanta extitit vigilantia sive in reficiendis, sive in erigendis Templis, ut ubique vel in exteriore curando apparatu, vel in supellectilis comparandæ luxu nobilissimum institueretur certamen, nativam inopiam, & rei nummariæ difficultates Templorũ pompa, atque ornatu superante. Huc autem præcipua Caroli etiam Diœcesim lustrantis cura spectabat; quare absentis Præsulis monitis excitati, & præsentis laudibus pellecti populi in sacrarum semper Ædium decus, & ornamentum certatim consentiebant.

Quidquid autem accurate ad Sacrarum Ædium nitorem, & elegantiam spectans in libello digesserat suo, Præfectis Urbis, & Provinciarum Prætoribus Sacris, ut ederent, & exequerentur, imperaverat; unde rite dispositа omnia contemplatus Achilles Galiardus, suam etiam oculorum fidem interponens, publicis hæc dicta tabulis consignavit: „ Caroli nimirum Ecclesiam novam exhibuisse Salomonis domum, vel Jerusalem Templi imaginem; atque admirandum in illa propositum orbi universo exemplar. “ Equidem splendide hoc videtur dictum; sed a rei veritate adhuc alienum. Nam cum supra veterem illam Jerusalem Roma Christi ornata Sede, ejusque beneficiis locupletata emineat, Mediolanensem Ecclesiam, utpote iisdem, quibus Roma instructa est, donis abunde a Carolo cumulatam, verius Achilles secundam Romam appellasset (*a*).

CA-

ejusdem Templi Iconographiam, in qua descriptæ extant stationes habendæ a Clero in Matutinis precibus, dum ex Ambrosiano Ritu recitanda est *Antiphona ad Crucem*. Præterea ad manus venit Galesinii epistola, in qua ad Carolum scribit, *dispositum a se summo labore Ambrosianum Psalterium; verumtamen non audere se emendatum illud dicere, donec suum Carolus non adjecerit manum; cum se frequens experientia docuerit, operibus suis luxuriem quædam veluti apponi a Borromei sapientia, qui prime coloraret omnia*. Qui Galesinii indolem noverit, næ ille hanc summam Caroli laudem putet.

(*a*) Attingenda sunt nonnulla breviter, quæ ad fovendam in Provincia sua Religionem peracta a Ca-

CAPUT X.

De Divina meditandi, & contemplandi deſiderio, atque ardore.

ASperſa divinitus Carolo cœleſtia meditanti ſuavitas tanto Illum orandi ardore inflammaverat, ut vacuum ab externis curis tempus in id omne conferret. Plures horas Deo contemplando vacabat per diem, quin unquam mentis acies hebeſceret; noctem vero partim literarum, partim orandi ſtudium totam adimebat; parum enim nocturni temporis intercipiebat ſomnus. Quod ſi grave ſibi, aut Religioni incidiſſet tempus, totam pervigilare noctem conſueverat: quod moris intermiſit nunquam, vel ad celebriora divertens Templa, aut transferendis Sanctorum Lypſanis, vel Aris ſacrandis poſtridie operam daturus. Mediolani vero vigilaturus ad Ambroſianam Baſilicam; Romæ ad Sacra Cœmeteria pernoctabat. Recolebat animo frequentius, quæ Chriſtum præcipue tormenta obruerant (*a*); utque ejus cruciatus mente complecteretur

---

Carolo ſunt, quemadmodum in præfixo huic capiti titulo Gluiſianus ſpopondit. Sed quoniam nullus finis eſſet, ſi enucleare velim ſingula, duo afferam dumtaxat monumenta, quibus tota conſtat curæ Paſtoralis moles. Videbimus qua ratione Provinciam luſtrari vellet, & in Eccleſiis Antiſtitum præſentiam exigeret. Primum igitur documentum dabit Epiſtola, quam ad Viterbii Epiſcopum miſit, dum a Pontifice legatus, Caſalenſem Eccleſiam luſtraret: Hæc ſcripſit V. Nonas Quintil. MDLXXXIV. dum Ciſnuſculi verſaretur Carolus: „ Ex Reverendiſſimæ „ Dominationis T. literis ſingula exacte intellexi, „ quæ ad Eccleſiæ iſtius, & Cleri ſtatum, & neceſ„ ſitatem pertinent; & quoniam intenta mentis „ acie diligenter inveſtigavit mala, quibus iſta laborat regio; non dubito, quin Divino lumine illuſtrata D. Tua, opportuna etiam adhibeat remedia in ejuſdem Eccleſiæ utilitatem. Nihilominus „ ne officioſas preces repudiem ſuas, aliqua commonebo, prout in mentem venient, quò laborum ſuorum fructum augeam, itemque meorum, „ quibus hactenus Diœceſis iſtius proſpicere commodis conatus utcumque ſum. Hoc igitur in „ primis moneo, ut in luſtratione ipſa curet ſtatim, ſe præſente, exequenda ea omnia, quæ utiliter in aliud tempus rejici nequeunt, neque gravem impenſam afferunt. Cetera vero, quæ diuturniore opera indigent, ita ſanciat, ut ad ea „ implenda tempus præfiniat, & opportunos termi„ nos, conſtitutis cenſuris ac pœnis, quæ expedire „ in rem juxta negotii magnitudinem videbuntur. „ Quare ſi videat imminuta aut Provincialia Decreta noſtra, aut Apoſtolicæ præteritæ luſtrationis „ antiquatas leges, ſi pœna jam aliqua conſtituta „ ſit, diligenter curet, ut animadvertatur in ſontes; qua ratione ad obedientiam inflammentur „ univerſi.

Secundum offerent pro exigenda Epiſcoporum præſentia Caroli literæ ad Caſalenſem Epiſcopum ſub Junii exitum MDLXXXIV., in quibus gemino medetur Provinciæ ſuæ incommodo docens, quantum a Paſtorali vigilantia deflectat, qui ab Eccleſiæ ſuæ gremio abeſt Antiſtes.

„ Albenſem Epiſcopum rite inauguratum dimiſi, „ & licèt in Sponſæ ſuæ amplexus convolaturum „ putarem, audii illum ex Gonzagæ Ducis voto in „ Urbe Mantuana ſubſtiturum, donec æſtas effluat. „ Magnam ex hoc animi moleſtiam cepi, cùm pro„ pter ingens Eccleſiæ illius detrimentum; abſente „ enim Epiſcopo invaleſcent ejus Regionis mala; „ tùm propter inanes ejus Antiſtitis curas, quem „ video implicitum negotiis, a gradu ſuo, & Ec„ cleſiaſtico Viro heu nimium alienis. Idcirco eo „ animi candore, quo tecum libenter utor, ſtatui „ ſententiam in hoc meam aperire, imo enixe ob„ ſecrare, ut oblata opportunitate de hoc cum Man„ tuæ Duce aliquid tranſigas, quo illum ab hoc „ ſuſcepto conſilio cures dimovendum. Verum ea„ dem mihi ſe offert occaſio, ut pro veteri mea „ in te benevolentia, & Paſtorali, quam Eccleſiæ „ tuæ debeo, vigilantia par tibi officium perſolvam, „ quem invitus video ab Eccleſia tua divulſum, & „ Secularibus abſtractum negotiis; quamvis mihi „ rediturum te ad mores tuos, & veterem vigi„ lantiam promiſeris. Sane miſereor Gonzagæ Ducis, „ qui propter Comitis Theodori interitum, optimum „ certe admiuiſtrum, ac rerum ſuarum ſcientiſſi„ mum amiſit; Verumtamen utilius agi negotium „ Ducis crederem, ſi ſubjecti ditioni ſuæ populi „ diligenter a præſente Epiſcopo regantur; præter„ quamquod curari diligentius animarum utilitas „ debet; cum illa, quam tenes, Epiſcopalis digni„ tas doceat, Sacra humanis omnibus antecellere, „ neque in hoc terrenarum rerum hærendum luto, „ ſed pro viribi in Paſtoralem adminiſtrationem eni„ tendum, & *digne ambulandum in ea vocatione, in „ qua vocati ſumus*. Suſcipe, obſecro, hanc curam „ te dignam, dignam ſublimi ingenio tuo, dignam „ nobili illa, qua cumulatus a Deo es, mentis acie: „ Par adhibe ſtudium in ovium tibi commiſſarum „ tutelam, quod hactenus in luteis hiſce negotiis „ inſumpſiſti. Hoc a te ſpero, atque a Deo precor.“ Quid plura? diligentius curaturus Provinciæ ſuæ utilitatem, obtinuit Breves a Pontifice Literas, quibus ſubjectos ſibi Epiſcopos etiam pœnis indictis poſſet ad Seminaria condenda compellere.

(*a*) Paſſionis Chriſti memoriam cùm Ipſe altius contemplando menti infixerat, tùm aliorum etiam animo intime conabatur inſerere. Cum Dominicum Ferrum ad conciones habendas legaſſet Buſtum Arſitium, hæc commendavit in Epiſtola: „ Etiam „ ſub veſperum inter preces populi ſermonem ha„ beas; nec enim minor multitudo conveniet, & „ erit locus aptiſſimus, ubi de Paſſione Domini „ agas;

Digitized by Google

tur assidue, plures apud se in id apte compositas imagines circumferebat, rei ipsius proposito indicio uberem meditandi copiam hærenti animo suffecturus. Porro alia in meditandi usum ex assidua lectione collegerat, quæ secreta seorsim in capita, tria aut quatuor justæ molis volumina conflaverant, quorum aliqua inter præcipua Bibliothecæ suæ ornamenta a Canonicis Ordinariis religiose custodiuntur. Itaque, quò curis vacaret meditatio, Sacellum sibi in suprema domus parte extruxerat, & parvum cubile, in quod remotior ab hominum conspectu opportune secederet. Verum hic quotidianus precandi ordo. Alter erat in annos singulos: bis nimirum sacram solitudinem adire, ubi curis depositis omnibus, mentem vehementius in divina intenderet. Quo tempore labe omni animum absterfurus, universas Sacerdoti noxas aperiebat; quare instauratus quodammodo se reficiebat inposterum, ac si primùm e carcere emissus Athleta ad metam aspiraret, etsi jamdudum hærebat. Institutum hoc deinde saluberrimum in primis commendatum suis administris voluit, iisque præsertim, quos Provinciis Sacris præfecerat, ut eodem omnes ex fonte virtutum parium incitamenta haurirent (*a*).

Festos, profestosque dies statis recitandis in Templi maximi Odeo Sacerdotum precibus transigere mos erat; tanta autem mentem pervadere solebat delectatio, ut corporis veluti contagione liberatus animus uni hæreret Deo; quapropter re ipsa postulante, non raro Lectorum Primicerius commotum leviter Præsulem ad precum subtexendam seriem revocabat. Ab Odeo omnibus perfectis digredientem Sacellum subterraneum, seu, ut Ambrosiano vocabulo utar, *Hycmale Templum* excipiebat; ubi precatus diu consertis, ut solebat, invicem manibus (quod idem devoti Deo animi indicium est) ægre ab Ara patiebatur divelli. Pedibus, aut equo itet facientem, nisi de gravibus rebus habenda distinerent colloquia, aut lectio impediret, mentem ad Divina adjiciebat adeo ab humanis alienam, ut totum se equi, quo vehebatur, ingenio, ac regimini permitteret; qua in re locuples testis Cæsar Specianus olim Caroli familiaris, deinde Cremonensis Episcopus juratus, dum quæstio de Borromei moribus propter Ejusdem Apotheosim curandam haberetur, affirmavit: *Carolum instituto itinere Cassanum versus Divina contemplantem equo fuisse labente excussum, sibique itineris socio ingenue confessum, nihil se de lapsu cogitasse, nisi dum ab eo commoneretur*. Alias item cum citato itinere Mediolanum Novocomo properaret sub Cal. Novembris, cum hìc Vercellensi Cardinali convento opus esset, præceps in foveam, superincumbente jumento, dejectus est ad Barlassinæ fines; cum vero propter tenebras prætergressi comites Ipsum non adesse postmodum animadverterent, ab iisdem regressis demum repertus est in fovea hærens, ac tacitus. Deinde Familiari suo sincere aperuit: tum se in meditandi studia intentum, quo loco fuisset, prorsus ignorasse.

His veluti familiaritatis vinculis Deo conjunctissimus Borromeus, licèt Diœcesis

„ agas; qua equidem sic statuo: ad animos com- „ movendos nullum argumentum reperiri posse ac- „ commodatius, nullum omnino vehementius; at- „ que hoc in genere mihi in mentem venit, in „ omnes conciones semper aliquid ex Passione trans- „ ferri debere; quod si ad usum reduceretur, non „ mediocres fructus pareret." Idem sensit in Homilia habita ad Populum Mediolanensem, quæ XCIX. est inter editas: „ Jamvero Divino munere, & S. „ Sedis Apostolicæ benignitate septem illas Eccle- „ sias hìc habetis, quibus ad Romanarum instar „ septem Sanguinis pretiosissimi effusiones, septem „ itidem Salvatoris Nostri in vivifica Passione sua „ itinera designantur ad diversa loca, & tribuna- „ lia; quæ etiam ipsæ jure maximo hoc expostu- „ lant, scil. ut recolatis animo *Christum, & hunc „ crucifixum*.

(*a*) Colligendi animum exemplum, cùm is se constituit, tùm etiam sequi alios optavit. Nam Canonicorum suorum Decano Caimo veniam petenti, ut recipere se in Canonicæ Asceterium liceret, respondit: „ Valde mihi probatur consilium tuum, „ quod etiam Christi exemplo consentaneum video; „ qui postquam Discipulos suos in Judæam ad disse- „ minandum Euangelium legaverat, postmodum in „ deserta, & montana loca eosdem abstrahebat, ut „ ibidem Deo unice vacarent, & sibi.

Digitized by Google

ſis adminiſtratio plurimis conſtrictum, atque implicitum negotiis teneret; ita tamen liber videbatur in ſingula, ut nihil curis meditatio detraheret, neque curæ meditandi refrigerarent ardorem (*a*). Redit huc loci locupletiſſimus teſtis Achilles Galliardus. *Neque prætereundum videtur* (hæc ille teſtatus in tabulis eſt) *quod mihi intuenti miraculo fuit, plurimis vero aliis ſpectaculo. Nimirum Ille in tanta occupatione Urbis, & vitæ, dum infinita confluereet opem poſtulantium multitudo, ita mentem in audiendo defigebat, ut omnia ſolerter excuteret, ſingula exciperet, feliciſſime quæſtiones expediret; verumtamen oris modeſtiam, corporis habitum, & verba ipſa conſideranti mihi perſpicuum erat, hoſpitem plane Eum inter homines verſari, qui ſuum in Cælis domicilium meditando collocaſſet. Tum veniebat in mentem, hoc ſenſu plane conſcriptam eam a S. Luca ſententiam: Oportet orare, & nunquam deficere. Sane hæc aſſidua Deum contemplandi ratio apicem quodammodo ſummæ meditationis tenet, ultra quem progredi nullus poteſt.* Hæc Achillis ſententia, cui adſtipulati ſunt plures, qui ſæpius Illum in Divina penitus abditum admirati præſertim ſub vitæ exitum fuere.

Uſu autem, & quotidiano precandi ſtudio, veluti gradibus, ad hanc rerum divinarum contemplationem venerat; quæ ut perfectior exiſteret, ſeptum ſemper cuſtodia quadam tenebat animum, ex qua non Illum dejiceret oblata ulla profanarum rerum audiendarum occaſio; cum nunquam rumores, & publicas voces conſectaretur, imo ingratos veluti hujuſmodi ſermones auribus omnino reſpueret. Itaque Carolus hinc Paſtorali contentione fractus, inde ſuaviſſime in Deo conquieſcens, curam Antiſtite digniſſimam ſuſceperat; *Eum* enim, dicere ſolitus erat, *optimum eſſe cuſtodem ſui, qui animum adeo caute, ac ſolicite regeret, ut agendi cura piæ meditationi non obeſſet, nec cæleſtium meditatio agentis conatum retardaret* (*b*).

CA-

(*a*) Contemplandi Divina ſtudium cum Paſtorali cura mirifico vinculo conjunxit Borromeus. Quam in rem optime facit epiſtola ad Specianum miſſa VII. Idus Jun. MDLXXXI. Conqueſtus paulo antea fuerat Specianus Brixienſis Epiſcopi verbis, quod Caroli aures non patuiſſent Brixienſi cuidam Civi, qui conſilium poſtulaturus Mediolanum venerat; quare hortabatur, ne ſolitudinis amore captus audire aliorum preces negligeret. Illi in hæc verba Cardinalis reſpondit: „ Optime ſcribis, pervium eſſe „ debere ſemper ad Epiſcopos acceſſum; qui pro„ cul dubio paratus ſemper, & expoſitus ſit oportet, quò advenientium neceſſitates audiat, & op„ portune expediat. Verumtamen non arcti adeo „ præfiniendi ſunt Epiſcopo termini, ut abdere ſe „ in quamdam animi ſolitudinem nequeat, ut tem„ poribus conſulat ſuis. Suffragatur ſententiæ meæ „ Sanctorum Antiſtitum exemplum, qui licèt egre„ gie Eccleſiam adminiſtrarent, nihilominus ſæpius „ latebant abditi, aut in literarum ſtudia, aut pre„ candi cauſa, aut demum privatis negotiis intenti; „ ſi privata dicenda ſunt Epiſcopi negotia, quæ tan„ dem omnia in publicam ovium utilitatem refe„ runtur. Sic S. Ambroſium legimus ſtudiis ſuis „ adeo implicitum, ut S. Auguſtino teſti illius ade„ undi copia aliquando non eſſet; attamen ſcimus „ immenſo Animarum Chriſto adjungendarum deſi„ derio eximium eum Antiſtitem flagraſſe. Occur„ ret etiam S. Martinus, qui ad Epiſcopalem Se„ dem evectus, Monachorum tamen utebatur ſoli„ tudine; cujus amore domicilium bis mille paſſus „ ab Urbe diſſitum elegerat. Etenim docet expe„ rientia, multum temporis in audiendis aliorum po„ ſtulatis inaniter teri; quorum nonnulli inutilia „ ſæpe miſcent colloquia, & magnam horarum par„ tem utilius impendendam intercipiunt. Hinc in„ tempeſtivis hiſce fabulis ſe intermiſcet ſæpe hu„ mana aliqua affectio; ſi nimirum aut accepti ni„ mium ſint qui accedant, aut humanitatem ni„ miam obtendamus in caritatis ſpeciem, aut etiam „ facile quoſcumque audiamus, ut populares ſimus. „ Quamobrem licèt petendi ex hiſce ſermonibus ſint „ animarum fructus; tamen videmus minora expe„ diri negotia, quo illis vacamus diutius. Neque „ tu ipſe negabis, potiſſimam audiendi utilitatem „ ſitam eſſe in rebus expediendis. Ceterum hoc „ ſcias velim, quod, ſiquando me in conclave re„ cipiam, habeo ſemper in procœtone vigilem dome„ ſticum, cui hæc cura incumbit: Ut ſiquid ne„ ceſſario audiendum incidat, non me dumtaxat „ moneat, ſed ſtatim accedentes introducat.

(*b*) Urebat ingens ſolitudinis amor Borromeum, ut patet ex epiſtola, quam ad Bartholomeum de Martyribus Archiepiſcopum Bracharenſem dedit, poſtquam depoſitum ab eo Paſtoralis adminiſtrationis onus intellexit.

„ Bracharenſis Eccleſiæ onus ex Pont. Max. au„ ctoritate te depoſuiſſe, & in Monaſterium tui „ Ordinis ſeceſſiſſe, ut ad mortem te compares „ obeundam, non ſine tacita quadam invidia le„ gi. Venit mihi in mentem, quam tutum ſit, „ ac tranquillum in eo opere ſine interpellatione „ verſari, quod *unum neceſſarium eſſe* Chriſtus do„ cet. Sed conſolatur me in mediis curis paſtora„ li-

Digitized by Google

CAPUT XI.

Christianæ Doctrinæ Scholas salubriter asserit, suisque legibus confirmat.

TAcitus expenderat animo Borromeus, jacere in tenebris omnia, nisi Fidei divinæ lumen accedat. Hinc ex divinarum rerum ignoratione caliginem primo in hominum mentes quamdam induci, quam sempiterna deinde hæreseos nox consequatur. Hac videbat ratione, latius Europa omni funestis illis temporibus falsas pervagatas opiniones: excitatas improborum sectas: obmutescentibus Pastoribus impune Gregem distrahi: pueros æque ac ætate provectos nullo imbutos dogmate facilius in prava prolabi. Solicitum deinde habebat maxime periculi vicinia; cum grassata in conterminas regiones hæreticorum licentia ægre jam Alpium limitibus contineretur, quorum a natura vallum oppositum rescideraat jamdiu. Acrius præterea urebat par rerum cælestium ignoratio in Mediolanensi Provincia; cujus causâ lata admodum via cis Alpes disseminando impio dogmati veluti panderetur. Quare Religionis Orthodoxæ sive tuendæ, sive propagandæ studio incensus, moresque hominum ad Christi præcepta informandos suscipiens, corpore absens, utpote Romæ cum Pontifice orbis universi partitus curas, animo tamen præsentissimus, in primis Ormaneti, quem Vicarium elegerat, curam diligentiamque inflammavit, in evulgandis Christi præceptis, erudiendisque fidelibus collocandam. Neque piæ voluntati defuit Nicolaus, cumque jam Sacerdotum aliquot pio consilio institutos comperisset puerorum erudiendorum conventus (*a*) in quindecim Templis, tenue illud disciplinæ invehendæ primordium solerter adeo fovit, ut duplo majorem Sodalitatum numerum venienti Carolo regendum traderet. Hic itaque præsens, suscepta administratione Provinciæ, in hujusmodi cura versatus est maxime; nec suum deesse passus est studium, qui alienum tantopere excitabat. Primo habito Provinciæ Concilio, sanxit, ut ab Animarum Curatoribus Dominica quaque, vel festa die, dato signo, ad horam primam pomeridianam in sacras Ædes pueris, atque adolescentibus vocatis singillatim Fidei mysteria a Sacro Pastore aperirentur. Deinde Parochorum Urbis cœtu indicto, enixe rogavit, ne incuriâ suâ elabi tantum e manibus fructum paterentur,

„ libus ipsiusmet Jesu Christi optimi maximi Pa„ storis exemplum, qui e Cælo descendit in ter„ ras, & tot labores, atque adeo mortem sustinuit, „ ut centesimam ovem errantem, & vagam quæ„ reret, quæsitam inveniret, inventam in humeros „ tolleret, & ad ovile reduceret; te vero, quo tu„ tiore in portu quasi naviges, eo ardentius spero „ Jesu Christo supplicaturum esse pro nobis, quo„ rum angores, solicitudinesque non ignoras.

Solus tamen esse didicit Carolus cum solus non esset. Etenim in Metropolitano Templo cum Matutinis precibus Feriæ VI. in Parasceve vacaret anno MDLXXXIV. testatum in Tabulis est: Eum dum Passio Domini recitaretur ex Ambrosiani Ritus præscripto, adeo alienatum a sensibus fuisse, ut cum alia subinde ab Archiepiscopo rite esset concludenda Oratio, necesse fuerit, Illum per administrum adstantem a suavissima illa contemplandi contentione distrahi, qub apte precum seriem retexeret.

(*a*) Venêre mihi ad manus Hieronymi de Arabia literæ Carolo redditæ anno MDLXIV., dum adhuc Romæ esset. In iis pium hoc Institutum Borromeo enixe commendat, & sperat, Ejus auspiciis facile amplificandum. Subscripsere iisdem literis ejus Societatis Sodales omnes, quos ex ordine recito, ut suus sit illis honos. Moderabatur igitur Sodalitium universum Hieronymus de Arabia Sacerdos Mediolanensis, cujus ductu, in idem opus conspirabant Sacerdotes alii: Gaspar Berinzagus, Hieronymus de Dugnano, Franciscus de Crippa, Antonius de Manetibus, qui erat a Confessionibus Mulierum Conversarum S. Valeriæ, Balthassar Petrasancta iisdem item fœminis a Confessionibus, Ambrosius de Cremona Canonicus S. Ambrosii Majoris Mediolani, Joannes de Comitibus alter ex Rectoribus Ecclesiæ Sancti Frotasii ad Monachos, postremo Paulus de Mozate Rector S. Sebastiani. Addidere deinde hisce precibus suffragium suum Nobiles Viri Rodulphus Crucejus Ecclesiæ Mediolani Primicerius, Andreas Rocius Mediolanensis Ecclesiæ Ordinarius, Tullius Albonesius, Joannes Baptista Vicecomes, Ludovicus Barbianus de Belzojoso, Jo. Baptista Borromeus, & demum Augustinus de Monte. Verum tot officia currentem jam Carolum incitarunt; quare statim in se recepit, ut pro viribi per Ormaneum primo, deinde præsens per se ejus Societatis administrationem susciperet, et mirum in modum reapse suscepit. Sed qui plura in hanc rem velit conulat libellum Hippolyti Porri Patricii Mediolanensis, in quo fideliter Sodalitatis initia, & progressiones prosecutus est Scriptor.

Digitized by Google

tur, populorum neceſſitatem objiciens, onus hoc illis commemorans Tridentini etiam ſanctionibus impoſitum, preces demum admovens, ut ex quodam veluti fœdere cum laicis hominibus ad tuendam pro virili, augendamque hanc, veluti Chriſtianorum rempublicam, conjunctis viribus conſpirarent. Hoc dimiſſo Concilio eos laicos, quorum perutilis in hanc rem opera offerebatur, ad ſe placuit acciri; & efficaci, qua ſolebat, apud eos oratione uſus fuſe de Chriſtianæ diſciplinæ neceſſitate differuit: commendavit Apoſtolis primò concreditum Divini Verbi evulgandi munus, ac gloriam: paratam illis in Cælis affore mercedem pollicitus, vota aperuit ſua de multis puerorum conventibus celebrandis, vicatim etiam per Diœceſim, tum demum de certo Virorum piorum numero congregando, quorum ſanctitate, & ſolertia tanti operis moles firmiſſime niteretur. Poſtremo ſacros Oratores commendare e roſtris convenientium frequentiam juſſit: Patres familias compellere, ut Filiorum agmen duces ipſi ad conventus hoſce præirent: ſuadere demum, indecorum æque fore parentibus ſacra hujuſmodi diſciplina carere, ac magiſterio.

His admotis ſtimulis, ordines facile omnes excitaverat Sanctiſſimus Antiſtes; quare tanta omnium conſenſio fuit, ut certatim viri, ac mulieres ineuntis pariter ac provectæ ætatis ad Templa ſtatutis horis conflluerent. Populi autem diligentiam Ejus etiam conſequuta eſt cura. Frequentior enim Præſul obire Templa, fovere cœtus, verbis animos addere, firmare inſtitutis, ne qua ex parte tanta contentione cœpta labefactarentur. Suis in Urbe oculis; alienis in Diœceſi utebatur: Expeditum habebat ad nutus agmen expertorum hominum, & religioſorum, qui Præſulis muniti diplomate, per manipulos diviſi, etiam montanas adire regiones non gravabantur. Eo transferendas Urbanas leges, eoſdemque congregandos cœtus ipſorum ſolertia ſuſceperat, vulgatis in Parochos edictis Pontificiis, quibus operam illi ſuam adjungere, & vocis officium rogabantur. Hiſce tandem ſubſidiis confirmatum brevi tam religioſum inſtitutum fuit; neque ulla tam infelix regio, aut ſubductus oculis pagus, quo non divini dogmatis lux Caroli ope diffuſa pervaderet.

In hoc præcipue retinendo Inſtituto, cum luſtraret Diœceſim, verſari Pontificiam ſolicitudinem voluit. Quoſcumque Ipſe ſtatuerat adire conventus, eos omnes magiſterii divini curandi adminiſtros voce inflammare, beneficiis proſequi, & fraterni veluti amoris ſignificatione complecti. Hinc tanta horum exorta contentio, ut moleſtias devorarent omnes; contumeliis ſæpe ab improbis affecti, decoris aliquando etiam liventes vibicibus gloriarentur, modò conventiculis otioſorum diſſipatis, ludicriſque conciliis, glorioſam præ ſe prædam agentes puerorum, juvenumque turbam in ſacrarum Ædium collegia compellerent. Suarum verò eſſe partium intellexerat S. Antiſtes, Parochos urgere, quorum aliquos ſi aut deſides, aut non bene animatos compererat, voce acriore, vel etiam pœnis excitabat. Hinc feſtis quibuſque diebus confluentium multitudine Templa redundabant. Aliqui ad aperienda Fidei documenta, plurimi ad excipienda paratiſſimi aderant, ſuas pro ætatis ordine in claſſes diſtributi: Perſonabant omnia demum hymnorum, pſalmorumque concentu; ex quo tam ſinceram animo voluptatem ruſtici præcipue homines perceperant, ut choreas, atque ſpectacula exinde averſantes, profanos etiam dies hauſtis e Chriſti Schola præceptis, aut religioſis cantiunculis conſecrarent. Quare brevi deleta eſt vetus illa inſcitiæ macula a majoribus noſtris ſuſcepta; quæque Fidei Orthodoxæ rudimenta ignari parentes aperire filiis neglexerant, ipſi a filiis parentes apprime poſtea doceri conſueverant: neſcio, majore ne ſenilis ætatis pudore, an puerilis gloria.

Tanta in ſaluberrimo Inſtituto amplificando felicitas, & percepta celeriter fructus utilitas acrius Carolum incitabat ad illud certis legibus, & præſidiis ita confirmandum, ut in futuram ætatem ſtabilis,

& certa poſſeſſio permaneret. Collegium itaque ampliſſimum inſtituit, in quod graviſſimos dumtaxat, & uſu rerum probatos viros cooptari placuit. Hiſce commendatum, & impoſitum onus eſt univerſæ adminiſtrandæ Provinciæ, quæ unis Diœceſeos finibus terminatur. Leges deinde adjectæ, quarum ductu tota rei moles regeretur, auſpiciis etiam, & præſidiis Præſulum, ſi contigiſſet, deſtituta. Hic autem ordo Divino quodam afflatu ejus Collegii magiſtratibus perſcriptus.

Sex ſupra viginti prudentiſſimis Viris Religione, & authoritate præſtantibus conſtat univerſa Sodalitas. Comitiis habitis, ex Miniſtris omnes eliguntur, quos ſuo Archipræſul deinde ornat ſuffragio, annuo tamen ex lege magiſtratu functuros, niſi prorogetur imperium. Præfectus Collegio, & Præfecti Legatus ex Oblatorum Sacerdotum Societate optantur. Gemini hos excipiunt, quos Viſitatores appellant: duo ab his Conſiliarii: Cenſor deinde, & Scriba. Sequuntur iſtos alii duodecim, quos primarios vocant: agmen claudunt ſex Aſſeſſores. Ut autem firmius Collegium muniretur, hærere illud quibuſdam veluti vinculis voluit Oblatorum Sodalitio, cui Præpoſitum item voluit univerſis præeſſe, inſigni *Protectoris* titulo ornatum. Quo autem ſartatectaque a quæſtionibus, forenſibuſque judiciis Sodalitas ſervaretur, ſuſtentari eam inſuper placuit ſex ex equeſtri ordine delectis ſummis Viris, quorum religio cum nobilitate certaret; atque in horum præſidio Cœtum univerſum ſemper conquieſcere ſtatutum eſt. Huic itaque Collegio Inſtituti ſanctiſſimi retinendi provincia eſt demandata: Deſignatus etiam locus, ubi ſinguli feſtis diebus convenirent; ſacra nimirum hac in Urbe S. Dalmatio Ædes, omni alieno, præterquam Archiepiſcopi, jure abſoluta. Sic ſtabilito Collegio, ejus Ordines optima regula muniti, & quadam norma, qua ſe invicem regerent; ceteros vero ſibi ſubjectos prudenter moderarentur. Neque hìc vacat ſapientiſſima Statuta referre jamdiu Actis Eccleſiæ Mediolanenſis comprehenſa, & omnium oculis expoſita; ſingulorum dumtaxat munia paucis complectar. Præfecto, & Legato regenda imponuntur omnia. Viſitatores Sodalitia excitant, abſentis Præfecti, & Vicarii præſentis adminiſtri: luſtrant etiam conventus ſingulos, operâ ſibi adjunctâ primariorum duodecim: legum vindices licentiam compeſcunt, in id intenti maxime, ut ſapienter inſtituta ſerventur. Conſiliarii Præfecto, quidquid in rem facit, prudenter objiciunt. Cenſor in Collegarum mores ſolerter, & religioſe inquirit, quos a recti norma aberrantes vocis officio perſtringit, aut perditos Præfecto defert; cujus monitis ſiquis refragetur diu, ex Ordine tandem exturbatur. Scribæ tabularum, atque Archivi curandi demandatum eſt munus. Aſſeſſorum demum opera aut in conſilio dando, aut in rebus adminiſtrandis collocata eſt.

Hæ primarii Ordinis provinciæ: Alia etiam deſtinata ſunt minoris Ordinis munera, cujus auxilio ſinguli reguntur in ſingulis Templis conventus. Suus in unoquoque Præfectus, Legatus, Conſiliarii, Cenſor, & Scriba: Alii deinde adnumerantur; magiſtri nimirum abſentibus ſubſtituendi, iique, qui a ſilentio, ſovenda pace, viſendis ægris, cogendis pueris, & Patribus deducendis ſortiti ſunt nomen. Eminet inter ceteros eorum pietas, & patientia, qui fora, & frequentiora Urbis circumeunt loca, diſſolventes ludicros conventus, otioſos pueros pie avellentes e triviis, aut a privatis ædibus ingenuos adoleſcentes, conſerta manu, in Templa comitantes. Infinitum eſſet ſingula hujuſmodi Inſtituti officia perſequi. Derivatam ex eo utilitatem ſiquis metiri cupiat, recolat velim ingentem adminiſtrorum numerum, qui operam Sodalitati adjunxere; cum CCCC. Urbem hanc; MD. Diœceſim obeuntes, feſto quocumque die vagos, vel reluctantes pueros comiter, & induſtriè in ſacras Ædes, veluti in Chriſti caſtra, compellant.

Ad moderandam autem certo ordine ſacram hanc Rempublicam ſtatuerat Cardina-

dinalis, diſſolutis Chriſtianæ Scholæ conventibus, in S. Dalmatii Æde feſtis diebus coire Primores omnes utriuſque Ordinis adminiſtros; ubi palam Præfecto cuncta exponerent, quæ per eum diem comperiſſent: edocerent, qui fructus Animarum eſſet, & ſingula demum per ſeriem; ſive remedium, ſive conſilium poſtularetur. Hinc unius Concilii compendio permanabat ad aures, & proferebatur in medium, quidquid in longe etiam diſſita regione Urbis ageretur. Hiſce præſidiis opportuniſſimæ e veſtigio pronunciabantur ſententiæ; & cavebatur, ne mali diuturnitas ſilentio corroborata invaleſceret. Ex Urbanis derivata cœtibus utilitas docuit deinde, hujuſmodi concilia opportuna fore etiam in agri Plebibus. Quare excitata ſunt etiam in Metrocomiis; eorumque cura fuit, Doctrinæ Chriſtianæ conventus in Villis moderari; hac tamen lege, ut quibuſdam obedientiæ vinculis cum Urbana Congregatione hærerent, iiſdemque ſanctionibus continerentur. Idcirco a minorum Sodalitatum Præſidibus commoniti, ſtatim Supremus Præfectus, ejuſque Adminiſtri providebant opportune, quotieſcumque ad luſtrandas Diœceſeos partes Mediolano egrederentur: Tum enim in rebus componendis arbitri, ac judices efficiebant, ut miro concentu hujus corporis partes omnes nexæ, atque jugatæ capitis imperio conſentirent. Sic optime diſpoſitis univerſis, quidquid ubique ſancitum erat, aut proviſum, Archipræſuli renunciabatur, ex cujus ſemper arbitrio omnia pendebant. Hæc itaque Inſtituti ſanctiſſimi ſervandi ratio ſingularis certe, & admiranda Illo Authore viguit, exteris Epiſcopis ad imitandum propoſita, cui par nihil in Orthodoxa Republica reperias, imo nihil ſecundum.

Neque tam claro Ordini unquam aut dignitas defuit, aut Borromei benevolentia. Hic ampliſſimis ab Apoſtolica Sede impetratis diplomatis, illum ornavit Pontificiæ Indulgentiæ beneficiis: deinde certis præſcriptis legibus ad Chriſtianæ virtutis ineundam viam acriter inflammavit: jejunia extra ordinem, crebram noxarum expiationem, & frequentem Synaxim indixit. Hortabatur Parochos, ut in Adminiſtros hoſce informandos diligentius incumberent, ſtimulos etiam currentibus admoverent: præſertim vero Divini verbi cibo reficerent. Plurimis Pontificiis curis hanc etiam adjecerat, ut ad Cal. Majas quotannis in Templo Maximo ſingulis noxarum pœna per Pontificis veniam liberatis, Sacram Euchariſtiam manu ſua impertiret. Beneficia hæc cumulabat ſacra Oratio, qua illos hortatus vehementer, ut ſuſceptum officium ſolerter retinerent; ſpei deinde, & alacritatis plenos e ſinu dimittebat ſuo. Atque hujus laboris fructum ſanè cepit uberrimum; cum ſinguli ex iis, profani licèt ordinis, ad diſciplinam ſacro homine dignam aſpirarent; cumque ſe viderent Caroli juſſu nonnullis Paſtoralibus curis implicitos, Eum deinde Parentis loco colerent; Ipſe filiorum inſtar eos amantiſſime complecteretur. Neque auctum in dies Societatis hujus numerum vacat recenſere, cujus cœtus, & cœtuum frequentiam Acta Eccleſiæ Mediolanenſis propoſitâ tabulâ nitide aperiunt. Hoc unum non videtur omittendum: quod hujuſmodi Inſtituti concilia quindecim huc veniens cum accepiſſet, quadraginta ſuper ſeptingenta regenda Succeſſoribus reliquit: Hæreditatem amplam quidem, ſed longe majore ſemper fructu abundaturam; cum nunquam intermiſſa ſuccedentium Mediolanenſium Antiſtitum vigilantia Borromei expectationem aut vicerit, aut ſaltem expleverit (*a*).

CA-

(*a*) Diſſeminari per Italiam omnem hujuſmodi Inſtitutum enixe optavit. Hinc cum Arimino tranſiturus, videretur dum, Romam proficiſci vellet anno MDLXXIX., Joanni Baptiſtæ Caſtello ejus Urbis Epiſcopo ad ſe amice invitanti reſpondens, nihil aliud vehementius cupere teſtatus eſt, quàm ut religioſum hoc opus inflammaret; ſic enim die XI. Auguſti reſcripſit: „ Tua, ut Arimino tranſeam invitatio, profanum omnino officium ſapit. Hoc ego „ a te expectabam potius, ut liberam mihi poteſtatem faceres, atque amplam, ſermonis alicujus „ ad inſtitutâ iſthic Scholæ Chriſtianæ Societate habendi.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Spe, ac fiducia in Deum.

DIvinam, qua præditus fuit Borromeus, Fidem divina item Spes corroboravit, quarum virtutum altera cum ad agendum impelleret; altera, ut conſtantiſſime perficeret, hortabatur. Etenim cum cogitationes ad Deum unice referret ſuas, fas erat, ut ſtabilis eſſet in ejus tutela fiducia, cujus cauſa optimum ſemper rerum opperiebatur eventum. Ex multiplici curarum æſtu agitatus, divini præſidii velut anchora fultus; imo rebus conclamatis, ac perditis, reclamante licèt prudentiſſimo quoque, fidentius præſentem ſibi Dei opem fore affirmabat; Ejuſque opinionem feliciſſimus ſemper confirmavit rerum eventus. Quare hæc frequens Ejus vox erat: *Optima quærenda primùm, tum optima quoque ſperanda; neque certiorem divinitus ſpem affulgere poſſe, quam ſi ab hominibus nulla objiciatur. Etenim cum divina humanæ ſapientiæ modum excedant, Deum ſæpe ea præſtare, quæ homines imprudentes deſperent* (*a*). Itaque graviſſima æque, ac minoris momenti fuſis ad Deum precibus auſpicabatur, urgebat, perficiebat, eo intentius ſemper obſecrationibus vacans, quo cura vehementius ureret. Quod ſi afflicta omnia cerneret, nihil de precum conſtantia remittebat, piam vim quamdam veluti illaturus Deo, & junctis aliorum, populique, quibus ſua commendabat, viribus plane de Superis triumphaturus. Mecum aliquando ſermonem ſerens ſuadebat vehementer, ut omnem in Divino præſidio ſpem collocarem; ſibique, quod nuper hac in re acciderat, familiariter expoſuit. Narravit autem, apud ſe rationum ſuarum adminiſtratorem multa de ærarii inopia conqueſtum veniſſe: nullam expediendæ domeſticæ difficultatis apparere rationem: oraſſe, ne peſſum daret omnia nimium liberaliter in aliorum ſubſidium profuſa: interim fidem Caroli ſyngrapha obligari poſſe, quo præſens ab aliquo numeretur pecunia. Ad hæc ſubridentem ſe reſpondiſſe, ajebat: Deum auxilii authorem fore, neque de Ejus ope unquam dubitandum; quo audito, multa ſecum muſſitans miniſter abſceſſerat. Adjecit deinde, poſt duas horas redditas ſibi ab Hiſpania literas, quibus ter mille nummos, partem Toletanæ penſionis, ſibi numerandos a trapezita in præſens monebatur; Quare illi ad ſe accito, epiſtola coram reſignata, dixiſſe: *En modicæ Fidei:* num *abbreviata eſt manus Domini?* Sibi autem, candide concluſit,

(*a*) Tria potiſſimum occurrêre in hac hiſtoria, quibus maxime labefactari Caroli ſpes debuiſſet. Nullibi tamen ea conſtantius triumphavit. Omiſſis enim inſtitutis de jure Archiepiſcopi controverſiis, de quibus ſatis: primo tentavit Illius animum Modoëtienſium a Ritibus Ambroſianis defectio: deinde Concilii ſui IV., & V. acris cenſura: ultimo concitatum a Rhætis in Meſaucos, & Vulturenos bellum. Verumtamem quàm Deo ſemper firmiter hæreret, in literis ſuis docuit. Cum de Modoëtienſium Ritibus ageretur, hæc ad Specianum habet: „ Cum S. D. N. in aliam partem rem accipiat, „ quàm ego ſenſi; idcirco Ejuſdem deſiderio ſin„ cere obſequi conſtitui. Quare Modoëtienſes con„ ſolatus ſum, ut docebunt literæ ad eos datæ. „ Nunc in uno Deo conquieſco, quem unum ſpe„ ro, ſarcire poſſe damna, quæ inde facile redun„ dabunt, atque ea permiſſurum, quæ ad ſuam glo„ riam expedient maxime. " Quod ſpectat ad Conciliorum ſuorum cladem; audi literas ad P. D. Andream de Avellino ab eodem datas, qui Caroli deſperans ea occaſione reditum, ſcripſerat perditum iri omnia, ut in recitata ſuperius ejuſdem Epiſtola legimus. Hæc igitur Carolus reſpondit: „ Siqui ex „ Mediolanenſibus erunt, qui animæ ſuæ curam ha„ beant, non idcirco peccabunt, quòd aliqui pec„ cent; ſed Divinæ, & Eccleſiaſticis legibus mo„ res accommodabunt ſuos; imo exemplo ſuo alio„ rum ſcelera emendabunt, & corrigent. Doleo „ me citius iſthuc redire non poſſe, propter im„ plicita Eccleſiæ meæ negotia; ſed quoniam in „ his Dei cauſa agitur, certo ſperare omnibus li„ cebit, me ocyus adfore. " Ultimò cum a Luſtratione Meſaucorum plures exiſſent jam menſes, quin Vulturenos adire poſſet, interrito animo ſperare non deſiit; quare aperiens rem Valentiæ Archiepiſcopo, hæc habet: „ Cum cogitarem in„ Vallem Tellinam, quæ longe maxima, & fre„ quentiſſima eſt, proficiſci, tantæ repente Hæ„ reticorum, atque improborum hominum arte, „ difficultates ortæ, tanti tumultus excitati ſunt, „ ut iter hactenus differre neceſſe fuerit. Quare „ illud reliquum eſt, ut Patrem Miſericordiarum „ Deum etiam atque etiam oremus, ut quod cœ„ pit, pro ſumma ſua benignitate perficiat. Quam „ quidem ad rem obtinendam, cum multum pre„ ces tuas, & Sacrificia profutura eſſe confidam, „ magnopere Tibi eam commendatam eſſe velim.

Digitized by Google

cluſit, divinitus hoc obveniſſe afflictis rebus ſubſidium; cum ad bimeſtre ſpatium penſionis ejus ſolutio ex condicto eſſet differenda.

Majori tamen Supremi Numinis providentia ſervatum S. Antiſtitem teſtantur monumenta alia tabulis etiam conſignata. Cum vehemens illa Ipſum inter, & Magiſtratus ferveret contentio, de qua ſæpius incidit ſermo; divina plane ope circumſtantibus ſæpe periculis videtur ereptus. Ex Senatorio Ordine ſcripſit ſummæ auctoritatis Vir, & rei totius conſcius: quemadmodum ab Eccleſiæ ſinu ejectis Caroli ſententia primariis Viris, aliqui ex Conſiliariis Regiis in id conjuraverant, ut gravius aliquid in Cardinalem decernerent; rati hac una ratione poſſe invictam Illius conſtantiam ſuperari. Verumtamen, quoties ſceleris ſocietatem coiſſent, deliberaturi, quod in peſſimum experiendum conſilium opportunum videretur; repente omnes ſui penitus diſſimiles, re infecta, ſemper e concilio ipſo digrediebantur. Tantam enim de Ejus ſanctitate opinionem imbiberant animo, ut horrendum ſcelus illud ipſis etiam perficere conantibus videretur. Quæ divinitus injecta religio licèt crebro repudiata animis, eos tamen ſemper inceſſit de hac re ſermonem facturos; fatebanturque, eoſdem ſe nolle ſalvum Borromeum, & itidem velle.

Cannobii Plebem ad Verbanum Lacum luſtraturus, iter equo inſtituerat pagum quemdam verſus, Cavalium nomine, Ithacam veluti nudis affixam ſcopulis; cumque arctiorem callem in præcipiti etiam loco poſitum affectaret, Eum repente labens equus effudit. Attamen quæ vix ſtanti equo ſuſtinendo par videbatur ſemita, ſtratum cum equo ſeſſorem ſuſtinuit, licèt ſubter hianti voragini plane immineret. Alias noctu a vico Decimo regrediens, precibuſque ſuis diſtractus, in profundam foveam præceps cum equo ciderat. Preſſus pondere Cardinalis, vix demum extrahendus, equo occiſo, credebatur: Ille unus de jumenti cæde peragenda conſultantibus refragatus eſt, Divino fretus auxilio. Re vera equus ſe in pedes momento erigens, Carolum ſervorum manibus facile redimendum objecit. Itaque præſentiſſimæ opis divinæ commonitus, nullam juſta de cauſa ſubire periculi aleam reformidavit. Non Illum viarum longitudo, aut difficultas, non tempeſtatum aſperitas, non vecturæ incommoda, non prætaltis obſiti nivibus, & dumis montes, non rapida flumina, aut æſtuoſi lacus retardarunt, quominus Dei honori quidpiam deferret, in cujus præſidio fidenter admodum verſabatur.

Hæc Borromei Fiducia, utpote Ipſum quodammodo extra teli jactum conſtituerat, ſic certam etiam familiaribus ſuis ſecuritatis ſpem fecerat; quare inter eos crebra, & glorioſa inſtituebatur periculorum commemoratio, quibus, Eo auſpice, feliciter fuerant defuncti, cum nullum unquam diſcrimen Illius familiam funeſtaſſe diceretur. Enimvero Homatus præceps ad Camaldulim ex rupe elapſus, & Taurufius Ticino abſorptus, mirabiliter ex mortis faucibus fuerunt erepti. Illud vero inſtar eſt omnium, quod Hieronymo Caſtano ex domeſticis ſuis anno MDLXXXI. ad Cal. Jun. contigiſſe plures teſtati ſunt, inter quos Joannes Baptiſta Guenzatus Polignani Epiſcopus oculorum ſuorum fidem interpoſuit. Conſecrationis Pontificalis ritibus expiaturus erat ſacram Ædem Cuaſſi montani vici Carolus, qui tum Arciſati plebem obierat. Porro imbi nocturnæ pervigilationi adeſſe alternis juſſerat familiares ſuos, inter quos Caſtanus etiam, qui ſummo mane Conſecrationi ipſi ad multum de more tempus interfuerat. Hac peracta, Variſium recta contendendum juſſerat Borromeus. Hieronymus interim dum mulæ inſidens, elatam Archiepiſcopi Crucem præfert, obrepente ſomno victus, hanc ramis protenſæ in viam arboris caſu implicuit. Sed inter Crucis ſolvendæ curam, & jumenti trepidantis fremitum diſtractus, e tergo mulæ excuſſus cadit. Pedem alterum adhuc ephippio inſertum ægre conatur ſolvere; concitatæ belluæ impetu, curſuque per devia, & avia abreptus quatuor

tuor ſtadiorum ſpatio, tandem ſolutus telluri affligitur. Fit ocyus comitum concurſatio; quemque minutatim in fruſta conciſum falſo animi vaticinio præceperant, incolumem humo ſurgentem famuli complectuntur. Hoc divina veluti virgula ſibi accidiſſe Caſtanus idem memoravit, Borromeo defuncto: Teſtis eo magis ab aſſentatione alienus, quo periculo propior fuit (*a*).

Illud autem in Caroli Fiducia occurrit mirandum maxime, quòd, cum fidentiſſime ſperaret omnia; nihil tamen præfidenter unquam expetere viſus eſt, ſummam ſpem ſumma ſemper ratione, ac prudentia gubernans. Hac duce, nullum ſubire auſus fuit diſcrimen, niſi gravi de cauſa; nihil unquam extra ordinem ſuſcepit, nihil demum aut a Dei gloria ſejunctum, aut a prudentium virorum judicio alienum. Nemo minus timidus, ſed nemo cautior: humanis etiam abunde munitus auxiliis, divina poſtulabat: his fretus; ſed illa non recuſans; humanitus tentans omnia; divinitus cuncta perficiens. Quare graviſſimo illo, & peſtilentiſſimo, qui inciderat, anno omnia ſolerter a ſe, ſuiſque cavit contagionis pericula, niſi in quæ Paſtoralis muneris neceſſitas conjeciſſet. Hinc familiares ſæpe conſpicatus improvidos, ſuggillabat acrius, monens, eos Pontificii expertes muneris nefas eſſe ad infirmos accedere; ſe vero nefas eſſe recedere. Uno Dei auxilio morbum depellendum eſſe credebat; humanis interim veluti conſiliis, ut ceteris omnibus, remedium apponendum curabat: Idcirco providit ſolertiſſime, ne graſſaretur lues, dirempto primùm commercio; mox ſegregatis tuguriis, prout humanæ curæ congruum videbatur. His Ille veluti certis finibus Spem ſuam comprehendit ſemper, quos ultra, citraque virtus neſcit conſiſtere: in id excubans, ne animum audacter efferret, neve humiliter deſponderet (*b*).

CAPUT XIII.

Quo Amore in Deum ferretur.

UT facilius Amoris, quo in Deum ferebatur Carolus, cubile ipſum ingre-

(*a*) Ægre multis perſequar pericula, quibus feliciter defuncti ſunt, quotquot Cardinali operam adjunxere. Joannes Baſſus hæc narrat in Tabulis: „ Publica mihi odia denunciaverant Helvetii eo, „ quòd Caroli edicto obſecutus, Ejus Literas reci- „ taveram, quibus vetabantur ſtatutâ Eccleſiaſticâ „ pœnâ Lepontii commeatus, & triticum a Medio- „ lanenſi Provincia aſportare. Viſum illis eſt ad in- „ juriam, quam mihi inferre moliebantur, valde „ opportunum conſilium meum, quo paulo poſt ex „ Quinti Templo juſſeram vexilla quædam ibidem „ pendula aſportari. Nonnihil mihi de injuria ſub- „ oluit; quare unum mihi præſidium fore appare- „ bat, ſi literas a Carolo impetraſſem. Summope- „ re tamen verebar, ne ſerum nimis propter lo- „ corum diſtantiam veniret auxillum. Itaque ſcri- „ ptis in incertum literis, occurrit ignotus homo, „ quem rogavi, ut Cardinali redderet. Sane mihi „ divinum veluti illud præſidium fuit; nam citius „ Ejus reſponſum, quam per Tabellarium publicum, „ mihi ad manus venit; quo vix accepto uſus ſe- „ liciter ſum ad vim, quæ jam intentabatur re- „ pellendam. " Aliud pariter affert Jo. Baptiſta Pelanda Eques Auratus Biaſchà item oriundus, & fatetur ſe certe habuiſſe miraculi loco. Reddo ejuſdem verba: „ Dum Cardinalem Iraniam trans Ticinum „ deducerem, repente equi præeuntis calce, & „ tam valide in crure adpetitus ſum, ut caligo „ uſque oculis offunderetur. Dolorem tamen vin- „ cere conatus, iter ultra proſequi volui, neque „ uſquam Carolum deſerui. Quater eo die Ticinum „ trajecimus, & undæ pertingebant genu: Veſpe- „ re cum me recepiſſem domum, detractis ocreis, „ hians & cruentum vulnus ovi albumine oblini „ juſſi. Cumque mane poſtero ſequi iterum officii „ cauſa Cardinalem vellem, crure inſpecto, vidi „ obductam vulneri cicatricem, imo vix cicatricis „ veſtigium.

(*b*) Quo vehementiora ingruebant pericula, uberiori ſe abundaturum gaudio ſperabat. Id ſæpe expertus, docuit etiam Joannem Epiſcopum Barcinonis, qui ſibi ſolicitudines aperuerat ſuas: „ Te ex iis Dei „ miniſtris eſſe, qui *inconſuſibiles*, atque *irreprehen-* „ *ſibiles* ſunt, perſpexi ex literarum tuarum verbis, „ quibus animi tui angorem, ſolicitudiniſque ma- „ gnitudinem exponis. Ejuſmodi enim animi ſen- „ ſus, ac dolor excellentem divinæ gloriæ zelum „ arguit. Non enim dolet, niſi qui amat; itaque „ David zelo tabeſcebat, quia Dei legem, quæ ipſi „ cariſſima erat, contemni, & pro nihilo haberi „ cernebat. Apoſtolum vero Paulum urebant, vehe- „ menterque excruciabant eorum, quos ſumma *ca-* „ *ritate complectebatur*, caſus, atque offenſiones. Sed „ ut ille in ipſis angoribus replebatur conſolatione, „ & *ſuperabundabat gaudio*; ita mihi perſuadeo, te „ cæleſtis lætitiæ ſuavitate ſæpe deliniri, intimiſque „ ſenſibus perfundi. Nemo enim eſt, qui vel ſciat „ opportunius, vel poſſit abundantius conſolari nos, „ quàm Spiritus Sanctus verus mœrentium Conſo- „ lator.

Digitized by Google

grediamur, relegenda videntur Ejusdem pro Deo assidue contendentis vestigia, ex quibus testatum facile fiet, Illum semper in *Divinorum unguentorum odorem cucurrisse*. Quamquam non Eum ulla moverat suavitatis illecebra; *sed fortis, ut mors, dilectio* ad difficilia quælibet, & aspera subeunda impellebat: quam quidem assiduam contentionem nulla unquam animi remissio consequebatur. Nullis neque locorum, neque temporum finibus cogitationes continens suas, alias ex aliis agendi causas ferebat quotidie; cumque fracta assiduis contentionibus administrorū constantia hæreret laborum pondere oppressa, Ipse impiger, atque invictus corroboratam agendo constantiam, & ad aliorum sustinendum onus promptissimam afferebat. Neque subsecivam ex negotiis horam aliquam quieti unquam videbatur daturus; hanc enim ne unquam caperet, summopere optabat. Quæ quidem in vestigandis angoribus solicitudo eam ab Augustino Valerio vocem expressit: *Promptum, atque paratum Carolum ad subeundum martyrium fuisse semper; martyrium vero Borromeo expositum, ac promptum nunquam*. Idcirco nunquam ab Eo amici, ac familiares impetrare potuerant, ut structas sibi averteret, præsidio aliquo comparato, insidias, ea potissimum nocte, qua intentata nex ausu horrendo fuit. Cum vero militum præsidiis, armatorumque turmis se circumsessum videret, patentibus, & perviis januis, domi se tenuit, præsidium veluti sibi denuntiari ratus, non arma; neque carere publico voluit, ab inermibus familiaribus de more deductus, siquo Illum aut religio, aut Pontificia negotia per id tempus evocassent. Quod in mortem libenter ruentis animi indicium certe fuit, Lydiusque, ut ita dicam, summi in Deum Amoris lapis. Pronuntiatâ palam in Provinciæ Præsidem anathematis sententiâ, Eum adierant Sfondratus, aliique primariæ nobilitatis Viri, qui oblata oculis illa formidolosissimi temporis tempestate, ut decretum illud refigeret, orarunt diu; exorarunt nunquam. Scilicet in hæc verba respondit: *Moneri se purpurea, quam induebat, chlamyde, ne pro Christi Ecclesia sanguinem dubitaret effundere*. Cum autem re infecta redituri, tandem postremas admoverent preces, ut se parietum, portarumque præsidio tueretur; hanc a se abesse omnino defensionis curam, impavide pronuntiavit. Ea semper animo obversabatur negotiosa item, & suavis cogitatio, ut novas quotidie vestigaret propagandi divini cultus rationes, Divini Amoris universo orbe libentissime excitaturus incendium. Hinc mirificus ille dicendi ardor, & in concionibus habendis occulta vis, ut fulgurare, tonare, incendere crederetur. Tot autem obrutus curis, ex familiarium, & Medicorum sententia impar omnibus perficiendis habitus est, nisi infirmas naturæ vires indita quædam cælitus virtus corroborasset; laborumque & jejuniorum copia opprimendum alioquin corpus occultum quoddam amoris tamquam pabulum, refeciisset. Inde diffusa semper in exporrecta fronte hilaritas, licèt pallor, & macies inficeret. Imo erupisse quandoque Ejus temporibus circumfusam lucem jurati testantur plures, & præcipue Philippus Nerius vitæ sanctitate, & prodigiis celebratus, qui multa Ejus familiaritate usus, constanter asseveravit: *Se in Caroli vultus contemplatione defixum Angelicam in Eo sæpe majestatem, ac lucem fuisse admiratum*. Sed quo Borromeus perfundebatur gaudio, par illud in adstantes redundabat. Etenim cum melle dulcior ex Ejus ore flueret oratio, colloquentes blandâ illâ animorum conciliatriculâ eloquentiâ sibi devinciens, triumphabat de omnibus. Hoc autem prodigii instar credidere plurimi, nunquam refrixisse conceptum semel ardorem in iis, quos Carolus verbis semel inflammasset. Etenim Ejus voce incitatos familiares suos nihil intentatum deinde relinquere fama erat; nec unquam ab incœpto desituros, nisi re absoluta, perfectaque; præsertim cum eam in agendo alacritatem, & animi gestientis lætitiam in iis admirarentur omnes, ut ad domesticos quosque idem Caroli ardor propter affini-

Digitized by Google

tatem amoris quandam pertinere diceretur (*a*).

Utinam vero ea ſcrutari intime licuiſſet, quæ, remotis arbitris, Deum unice teſtem habuere; eaque omnia, quæ aut privato conclavi, aut tenebris ab Eo commendata delituere, ac deliteſcent ſemper. Nemo animi rimam ullam pervadere potuit: nemo ullam ſermonis anſam arripere, ut eum cordis in Deum anhelantis affectum teneret, quem ſecum ſemper religioſe habuit. Aliqua quidem aſſequi conjecturâ licet, non tamen conſequi, recolentibus ſuum precandi diurnum ſtudium, nocturnumque, imo aſſiduam meditantis cum Deo conſuetudinem. Nonnulla dumtaxat diſſimulare non potuit cauta licèt Ejus dilectio, cum in vitæ finem vergentem, ad Deum, unde manarat, inhærens amoris flamma, ſæpius impelleret. Crebra enim Illi vox de optando vitæ exitu, & aliqua de vitæ diuturnitate, lenis tamen, querimonia. Memini Andream Pionnium, Carolo familiariſſimum, multa mihi amice colloquenti aperuiſſe, ex quibus manifeſto teneremus, Eum ad vitam cum morte commutandam aſpiraſſe vehementer; imo aperte conſtitiſſe, id a Borromeo enixis precibus poſtulatum, quod brevi etiam ſummo cum omnium luctu impetravit. Scripſit etiam a Baſilica-Petri, Carolum cum Adurno de vitæ exitu, quem ſibi imminere dicebat, differentem rogaſſe, quotum Ipſe ageret ætatis annum? Cum autem ille quinquageſimum reſpondiſſet, dixiſſe dolenti ſimilem: *Nondum obeundæ mortis tempus advênit?* Quæ quidem vox perſpicue ſuum de breviore vitæ curriculo deſiderium aperuit. Hoc etiam curioſius in Ejus mores inquirentibus patuit, jucundam Illi ſemper fuiſſe injectam mortis ſuæ mentionem; & dicere ſolitum retulere plures: *nihil gratius obverſari ſuis oculis, quam funebrem exequiarum pompam;* utpote in alienæ mortis imagine ſuam ad Deum migraturi felicitatem expreſſam quodammodo intueretur (*b*).

CA-

(*a*) Aliquam hujuſmodi amoris anſam arripiamus, & unas ſaltem ex Ejus literis recitemus, quæ Caroli caritatem ceteris impertire ſolebant. Eas habe breviter, quas dedit Simoni Card. Talliaviæ: „ Cum dignitas omnis, tum hæc præcipue, qua „ nos inſigniti ſumus, magnum habet onus adjunctum, magnam officii perfectionem, totiuſque vitæ ſanctimoniam requirit. Poſiti ſumus, quaſi in „ ampliſſimo orbis terræ theatro, habitu maxime „ inſigni, dignitate eximia, ut ex vitæ noſtræ ratione, quæ latere, aut obſcura eſſe non poteſt, „ omnium virtutum exempla aſſumantur. Nos in „ primis oportet ita omnem vitæ curſum inſtituere, „ & in omni ejus munere verſari, ut qui viderint „ noſtra bona opera, divinam bonitatem & agnoſcant, & prædicent; ſentiantque quoſdam veluti „ aculeos, ac ſtimulos ſibi admoveri ad pietatem „ omni ſtudio, conatuque complectendam. Qui „ hunc ad modum vivunt, non ſolum ipſa virtute, „ qua nihil pulchrius, nihil præſtabilius, bene de „ Eccleſia (cujus ſunt quaſi cardines) merentur; „ ſed multo etiam magis virtutis exemplo. Non „ enim ſolum virtutem ipſi colunt, ſed etiam infundunt in alios: Chriſtianæque perfectionis pulchritudinem, ac formam, tamquam in tabula ſpectandam, imitandamque proponunt. Gregorius „ Nyſſenus Vir clariſſimus, Chriſtianos eſſe oportere pictores, ait: Pingere autem debere Jeſum „ Chriſtum, non colorum varie mixtorum temperatione, ſed morum pulchre compoſitorum ſanctitate. Nos oportet eſſe formæ tam excellenter „ pingendæ, conformandæque magiſtros. Exprimamus eam quàm decentiſſime, & quàm maxime fieri poteſt veritatem imitemur, & ſub aliorum oculos ponamus. Paulus quidem Apoſtolus „ in eo ſe continenter exercebat, ut quæ deerant „ in ſe ipſo, ad hanc Chriſti effigiem abſolvendam „ omni ſtudio ſuppleret. *Adimpleo* (inquit) *ea, quæ „ deſunt paſſionum Chriſti.*

(*b*) Borromei acta, & ſcripta omnia, nihil niſi divinum amorem ſapiunt. Difficilius putes Eum de humanis, quàm de cæleſtibus rebus ſermonem unquam inſtituiſſe. Hæc Aſcanio Columnæ S. Sophiæ Abbati affini ſuo ferventiſſime inculcat: „ Ut æternam vitam conſequamur, nihil eſt nobis neceſſarium, præter gratiam Dei; ut in hac vita beati „ ſimus, nihil eſt omnino ſatis. Non enim poteſt aut qui Deum amat, alia re egere, ut ſit beatus: aut qui Deum deſerit, aliquid conſequi, quare non ſit miſer. " Ad eumdem alibi: „ Eò „ mentis oculos intendas, quò te Jeſus Chriſtus præceptis, atque exemplo ſuo vocat; hoc pro amore in te „ meo vehementer hortor, & pro eo, quanti Dei gloriam facere debeo, enixe rogo, atque obteſtor. Quò „ enim plura, atque illuſtriora Dei in te dona eſſe conſpicio, eò ardentius cupio, te ad ejus nomen „ amplificandum tuas omnes animi vires, omnes „ corporis nervos contendere, & in eo omnes conſiliorum rationes conſtitutas habere, ut ſis bonus „ odor *Chriſti*. Cave enim putes, quidquam eſſe „ omnino præſtabilius, & ab omni parte excellentius, quàm ſi optima vitæ inſtitutione, & Chriſtianarum virtutum exemplis Chriſti odor, quo „ nihil ſuavius, nihil jucundius, in proximorum „ ani-

CAPUT XIV.

Quam late ad omnes hominum ordines Ejus amor pertineret.

NAtam primo nobiſcum, Dei deinde digito ſcriptam de proximi dilectione legem ſequendam, colendamque ſibi ſemper Borromeus propoſuit; ſuiſque Ejus mores momentis expendenti patebit facile, nihil unquam molitum eſſe, aut egiſſe unquam, niſi quod cum aliena utilitate, aut commodo eſſet conjunctum. Sibi Illum minus vixiſſe, quam aliis diceres; quare patens in Eo, tamquam Patre, erat populi univerſi perfugium; & prodigii inſtar credebatur, aut inopem quemquam vacuum ab Eo redire poſſe, aut opem a Borromeo nolle expoſcere. Pupillos, viduas, quoſcumque demum miſeriis, curis, aut noxis oppreſſos excipiebat ſuaviſſime, liberaliſſime acceptos dimittebat, in rebus ſuis profundendis nimius, & tamquam prodigus: cujus quidem effuſæ largitionis argumenta ſuppetunt, ſi ea dumtaxat, quæ, vaſtata propter peſtilentiam civitate, ſplendide effudit, ad calculos revocemus. Quamquam multa, dum eam calamitatem deſcriberemus, omiſimus, quorum memoria extitit in Apotheoſis tabulis conſecrata.

Quos adverſa corporis valetudine uti compererat, eos præcipue amoris, & benevolentiæ officiis quibuſcumque complectebatur, noctu diuque inviſens: præſertim verò aut ordine, aut nobilitate inſignes viros, atque æger etiam aliquando ægris aſſidens. Qua amoris teſtificatione in Alexandrum Cremonam Mediolanenſem Patricium uſus eſt, cum male affecto corpore Ipſe etiam decumberet. Etenim impendentis Alexandro mortis periculo ſibi nunciato, ſtrato ſe ocyus corripiens, recta ad ejus domum perrexit, quo extremam morienti Patris operam, & veri Paſtoris munus adjungeret. Neque ab humilioris ordinis ſordibus Caroli amor abhorruit; nec abjectos quoſque morti proximos iiſdem proſequi pietatis ſignificationibus eſt dedignatus, præcipue quos moribus integris, aut in Chriſtianæ Doctrinæ Societatem cooptatos audiſſet, quos adeo diligebat, ut qui maxime. Repreſſit aliquantulum hunc animi amantiſſimi impetum quidam, qui afflaverat, rumor: nimirum Caroli ſalutarem eſſe infirmis adventum, & ſolâ inviſentis præſentiâ ægros poſſe ſanari; quo Ille audito, cum frequentiores etiam ægrotantium laceſſerent preces, eos aliquando recreare verbis, & aſpectu deſtitit, ne minus de ſe demiſſe ſentiret. Inde Chriſtiana Caroli humilitas ægris fortaſſe perniciem attulit, ne infirmorum cura perniciem Carolo afferret.

Cleri tamen neceſſitatibus vehementius commotus, in quem Patris inſtar animatus fuerat, viſebat ex morbo decumbentes ejus ordinis plurimos: neque præſentiâ ſublevare dumtaxat inſtituerat; ſed curare etiam, ne quid neceſſarium abeſſet: recreandos ex diuturno morbo ſuis expenſis amandare alio ſolitus, aliquibus etiam Villam ſuam ad Abduæ oras incolendam concedere, ut Cælo illo faluberrimo in valetudinis præſidium uterentur. Præterquamquod Sacerdotum ſuorum etiam expediendas ſæpius domeſticas rationes lubens ſuſci-

„ animos diffundatur, atque eos cæleſti quadam, „ ac divina voluptate delinitos, ab hujus vitæ blan„ dimentis, & rerum humanarum lenociniis, ad „ æternitatis ſtudium, & Dei amorem quemdam exi„ mium, caritatemque traducat. Hic unus omni„ bus noſtris ſtudiis, omnibus etiam cogitationibus „ finis propoſitus eſſe debet; Aliud ſi ſpectamus, „ ipſa inanitas ſumus.“ Dei gloriam exoptare unice ferme in omnibus videtur epiſtolis. Magdalenæ Borromeæ Ferreriæ Viduæ contra Cardinalis Vercellenſis filii preces perſuaſit, ut Mundo valediceret omnino, atque uni vacaret Deo. Annam item Sororem permovere conatus eſt, ut ſe ab humanis curis avocaret, dummodo Marcus Antonius Columna ſocer Filiorum curam ſuſciperet; atque adeo unum Deum ſpectare viſus eſt, ut indicaret præterea: „ Poſſe eam in hoſpitali aliqua inopum domo col„ locare domicilium ſuum, propoſitis multis Nobi„ lium Matronarum exemplis, & Conjugis præſer„ tim Theodoſii Imperatoris, quæ, vivente etiam „ marito, ſordidiora quæque miniſteria in Xenodo„ chiis amplexa eſt &c.“ Placet hoc loco repetere Marci Antonii Bellini verba: „ Unica hæc Illi „ cura fuit, ut aut de Deo in lectionibus, aut ſer„ mone; aut cum Deo in oratione loqueretur.

Digitized by Google

ſcipiebat, nunc in conſanguineorum levanda inopia, aut ſororum nuptiis honeſte curandis liberaliter admodum verſatus. Sic mixto jure, compotem Illum neceſſitatis alienæ miſeratio fecerat; liberalitas vero alios in divitiarum partem venire juſſerat.

Tantam autem in ſingulis mortalium ordinibus Ejus caritas ſpem excitaverat, ut nullum alibi patêre præſidium crederent ſive in depellenda inopia egeni, ſive in rebus dubiis, & difficillimis Proceres; cum ſemper abunde ſibi conſultum Ejus ope intelligerent. Publica nunquam incidit calamitas, quin ab Eo auxilium Urbs noſtra expectaret. Quocumque deſtituti perfugio captivi, miſerique hoc nunquam ſibi defuturum rebantur; utque ad bonam ſe frugem reciperent criminum labe inquinatiſſimi homines, ſupplices Ejus ſubire conſpectum non reformidabant, eodem Judice utentes, & Patre. Romæ cum degeret ſedente Gregorio hujus nominis XIII., Vidua quædam in vincula conjecta, pronunciatam in ſe capitalem ſententiam audiverat, ſuamet confeſſione damnata; cum quæſtione in eam habita, tormenta falſum ex ore crimen extorſiſſent. Rei veritate ſibi per internuncium patefacta, adivit Borromeus Pontificem, novam inſtituendam quæſtionem impetravit; ac tanto patrocinio ſuſtentata mulier infeliciſſima, carceris horrorem, & mortis feliciter evaſit.

Pervagata itaque tantæ caritatis fama exteros quoſque exciverat, & toto Cælo diſſitos licèt, in Ejus ut ſe tutelam abderent, hortabatur. Ab Orthodoxæ religionis in hæreticorum ſe caſtra conjecerat adoleſcens, ſacræ cuidam Familiæ addictus, ſibique metuens, nactus erat in polluta Germaniæ urbe domicilium, ſacra etiam voce aliquot annos ad evellenda Chriſti dogmata impie abuſus. Tandem ſcelerum ſuorum cruciatus conſcientiâ, ut viam ſibi in Eccleſiæ ſinum muniret, Carolum ſcripto monuit, cujus ad eum fama dumtaxat pervenerat; oravitque, ut apud Pontificem tuendas ſibi ejus partes ſumeret. Haud abnuit leniſſimus Antiſtes, & Romam datis literis, durius reſponſum tulit, cum jam bis eodem hæreret reus in luto. Aditu itaque licèt intercluſo, non dubitavit transfuga huc ad Borromeum contendere, & ſe, ſuaque uni Ejus arbitrio, poteſtatique permittere. Complexus fuit venientem ſuaviſſime Carolus, noviſque literis datis curam illius ſuſcepit amantiſſime. Verum triſtiore reſponſo, ut fas erat, eum in cuſtodias includere juſſus eſt, qua, invitus licèt, reum mulctavit aliquamdiu; antequam enim vinculis expediretur, exceſſit Carolus e vita. Vixit tamen in miſeri beneficium defuncti caritas; nam præter omnium expectationem, Eccleſiæ, Familiæque ſuæ reddítus, ereptum ſibi Carolum dolere unus non potuit, quem ſibi præſentiſſimum in ſua cauſa tuenda e Cælo ſenſiſſet.

Quanta autem in Populum Ejus caritas exiſteret, id argumento eſt, quòd alienorum criminum vindex futurus, a ſe uno eorum pœnas exigeret: Ambroſium ſibi ad imitandum proponens, qui populi peccata non ſecus defleret, ac ſua. Monuerat Carolum per literas Præſul quidam Illi apprime carus, ut parceret ſibi aliquando, atque quidquam de illo corporis cruciatu remitteret; cui Carolus reſpondit: „ Hoc vere Antiſtitis eſſe, amarum quid„ quid præguſtare, quo illud tutius populo „ propinet “ Quare conſtat, materno plane amore illum flagraſſe, cum matrum mos ſit præmanſum in os puerorum inſerere. Tot itaque jejuniis, & verberum aſperitate conſumptus, exemplum ſuum ad parem vitæ rationem ineundam incitamento ſuis eſſe volebat; ex quo quidem fructum ampliſſimum eſt conſecutus. Tanta enim fuit jejunii, & pœnitentiæ apud Populum Mediolanenſem commendatio, ut quotidianæ apud plures abſtinentiæ uſus invaleſceret; cum anteà jejunii nomen ſtatis etiam temporibus omnes averſarentur (a).

CA-

(a) Splendidum habemus effuſæ dilectionis teſtimonium in literis ad Alexandrum Saulium Alerien-
ſem

CAPUT XV.

Quam peculiari amore Eccleſiam Mediolanenſem proſequeretur.

NIhil a vero abhorrens pronuntiare me autumem, ſi dixerim nihil ad eum amorem, quo Mediolanenſem Eccleſiam proſecutus eſt Carolus, accedere potuiſſe. Licèt enim Conjuges, & Liberi amore maxime humano contineantur, nihil ut ſupra poſſit; divina quadam nota, ac dignitate ſuum Ille honeſtavit, & auxit, ut longiſſimo intervallo aliorum quantamcumque benevolentiam ſuperaret. Patrem ſe quidem in prima Provinciæ Synodo præfatus, filios compellavit Mediolanenſes: ſuaviſſima quidem, & qua vere poterat appellatione uſus. Verumtamen hæc potior amoris ſui explicandi reſtat ratio; ſi nihil Illi ad caritatis ſanctiſſimæ perfectionem, abſolutionemque defuiſſe dicamus.

Purum illum, ſincerumque vocare licet, atque ab omni remotum labe conquiſitæ utilitatis. Non Eum ad Sacerdotium hoc ampliſſimum procurandum ambitio impulit, non dignitatis incitavit ſplendor, non demum reditus ditiſſimi permovêre: Onus hoc Illi Pontificis imperium impoſuit: impoſitum deponi non ſivit ſublevandæ Eccleſiæ amor; imo diutius illi inflicta vulnera ſananda ſuſcipiens, id ſemper ſpectavit potiſſimum, ut, quaqua poſſet ratione, ejus commodis, utilitatique ſerviret.

Singularem vero quis neget? Congeſta in Eum fuerant omnia Romanæ amplitudinis, & dignitatis ornamenta; nullus tamen præ Mediolanenſi Infula honos Illum alio evocavit. Summus, ut vocant, Pœnitentiarius, Liberianæ Baſilicæ Archipresbyter, duodecim nobiliſſimis Sacerdotiis ſibi commendatis inſignis, Pontificis nomine ad plures Provincias Legatus, Ordine Princeps, Natu Comes, Marchio, Arcium Dominus, Regnorum, & Religioſorum Ordinum Patronus, nulli unquam ex magnificentiſſimis hiſce gradibus animum adjecit, quorum ſive majeſtatem, ſive opulentiam ſinguli avidiſſime conſectantur; commodum vero, & voluptatem omnes ſuſpiciunt. Ne autem aut animum a Sponſa (hoc enim nomine Ille vocabat Mediolanenſem Eccleſiam) abalienarent, aut alio fortaſſe converterent, ſponte magnificos titulos, tituliſque etiam opulentiores cenſus reſignavit, tanta virtutis admiratione defixis omnibus, reclamitantibuſque item nonnullis, qui propoſitum exemplum imitari cum nollent, probare non poterant. Quod quam præclarum foret ſingularis ſuæ in Eccleſiam benevolentiæ teſtimonium, hoc ipſum declarat; quòd in tota retro antiquitate vix ullum tantæ virtutis exemplum extiterat, quod Borromeus ſequeretur.

Vehementiſſime autem Sponſam hanc amavit, ut nulla ſibi ejus cura ſuſcepta nec diurnam, nec nocturnam quietem im-

per-

ſem Epiſcopum datis, cum a Sede ſua Romam rogaturus auxilium, proficiſceretur. „ Quam tibi Grex „ a Summo Paſtore commiſſus moleſtiam creavit, „ ea me commovit intime, cùm propter amorem, „ quem tibi defero, tùm propter fraternæ, quo „ invicem hærère debemus; caritatis vinculum. „ Gratum nihilominus fuit curarum tuarum felicem „ exitum audire. Iis puto defunctus fueris, regio„ nes iſtas luſtrans, & humanitate tua potius, quàm „ ſeveritate in reos agens. Ceterum doleo, quod „ minorem opinione fructum perceperis. Neceſſa„ rium eſt tamen labentem ſuſtentare animum, & „ Deum Opt. Max. obſecrare, ut validiora gratiæ „ ſuæ ſubſidia dignetur adjungere, quo difficiliora „ videntur tempora; tuumque eſt tùm præſentis, „ cùm abſentis ovium tuarum *ſalutem operari*. Meum „ interim erit rogare, ut iter tuum Deus fortunet, „ quoniam optimum eſſe conſtitutum huic conſilio „ finem video. Obſecrabo præterea, ut quantocyus „ poſtulata impetres, quo novis munitus auxiliis „ citius redeas ad tuos &c. “ Quàm ſuaviter amorem ſuum hoc loco Carolus Paſtorem inter & Gregem Alerienſem partitur! Ex hac Cardinalis benevolentia, quæ ad omnes ſpectabat, profecta deinde eſt ingens illa fiducia, & ſpes in Ejus auxilio collocata. Obverſatæ ſunt oculis literæ Nicolai cujuſdam Tranſilvaniæ Principis, qui a paterna ditione expulſus, ad Caroli præſidium confugit. Tuneto ad Eum allatæ ſunt literæ Mediolanenſis Equitis, qui ad captivitatem Turcarum depellendam promptius putavit in Carolo auxilium fore, quàm in conſanguineis ſuis. Ingentia aliquot ſupplicum libellorum volumina extant, in quibus Principum virorum, Epiſcoporum, Matronarum, cujuſcumque demum ordinis, aut fortunæ hominum etiam ignotorum comprehenſæ ſunt preces, cum omnes in Ejus amore certum eſſe conſtitutum præſidium certiſſime arbitrarentur.

Digitized by Google

pertiret: Et quemadmodum incitata, & vibrans flamma efferveſcit acrius, nunquam comprimenda; ſic inſita pectori hujuſmodi caritas vigilem ſemper ad nova molienda Carolum excitabat. Quare omnes rimatus, & perſecutus diligenter adjuvandæ, muniendæque Eccleſiæ ſuæ rationes, ingens illud volumen conflavit, quo Mediolanenſis Acta, univerſæ verò Eccleſiæ leges mirum in modum comprehenduntur [a].

Arctiſſima item amoris hujus fuere vincula, quibus adſtrictus, ægre divelli a Sponſa poterat, nec diuturnum ferre ejuſdem deſiderium, ſi forte abfuiſſet. Vivis erepto Federico Fratre, & Avunculo Pio meditante, Carolum Familiæ ſuæ progeniem ultimam ſummis honoris gradibus, & profano matrimonio ornare, id Iſte præſentiens, ne indecorum a Sponſa, cui ſe totum addixerat, divortium facere cogeretur, clam Sacris initiatus, optatas unice ſe demum iniiſſe nuptias Pontifici renuntiavit; ex quo tempore huc Româ divertere feſtinavit ſemper, precibus inſuper creberrimis ad veniam obtinendam Pontifici admotis: teſtatuſque, re impetrata, ſummo perfuſum ſe gaudio in ea, quam primùm ad univerſum Populum Mediolanenſem concionem habuit, cujus hìc verba aliquot recitabimus: *Cum primum igitur hujus rei data eſt facultas, eam ſummo ſtudio amplexi ſumus*. Exponens deinde cauſam, quæ ſe ad hoc iter ſuſcipiendum permoverat, Ezechielis uſus verbis peramanter, & vere, apud Provinciæ Epiſcopos in hæc verba erupit: „ *Ut quod* „ *periit, requiramus; quod abjectum eſt, re-* „ *ducamus; quod confractum eſt, alligemus;* „ *quod infirmum eſt, conſolidemus; quod* „ *pingue, & forte, cuſtodiamus.*“ Itaque Borromeus nondum firma ætate, Avunculo Pontifice adhuc ſuperſtite, Romanæ adminiſter, & arbiter Curiæ, tanta potentia fretus, dignitate ornatus, ut nihil ſupra poſſet: in hujus Eccleſiæ ſinum convolaturus, immenſam amplitudinem immenſa moleſtia mutavit; quam ſtrenue devorandam ſuſcepiſſet nunquam, niſi Sponſæ hærere ſuæ quàm arctiſſime voluiſſet.

Poſt Avunculi obitum frequens aliorum Pontificum cohortatio acceſſerat, ut Eccleſiæ univerſæ adminiſtrationem Romæ iterum ſuſciperet; cui audiendo conſilio ſe difficilem admodum præbuit ſemper, nuſquam ſibi quieſcendum ratus, niſi in Eccleſiæ complexibus ſuæ; cujus graviſſimis temporibus urgeri ſe aliquando cauſatus, cum imponendum ſibi alienæ Provinciæ luſtrandæ munus obedientiæ minuendæ metu abjicere nollet; piis precibus obtinuit, ne imponeretur. Quapropter, licèt divagata aliquando Illius Paſtoralis vigilantia extra Diœceſim fuerit, ſemper intra eos fines ſtetit, quos Metropoliticum jus ſuæ ditioni ſubjecerat. Una quidem feliciſſima omnium Helvetia, & Rhætia, ut in ſuas penetraret regiones, ſuaſit; ſed hortante potiſſimum Eccleſiæ Mediolanenſis utilitate, ne permanans inde hæreticæ ſectæ vicina lues Inſubricum Cælum inficeret. Sic unam expeditionem molitus geminæ Provinciæ utilitati conſuluit. Quamquam in Rhætos, Helvetioſque diſtracta nunquam fuit Borromei præſentis cura, niſi poſtremo vitæ anno, quo, rebus domi compoſitis, ad eorum dogmata purganda mentem ſolertiſ-

(a) Cum tot ageret Cardinalis in Eccleſiæ ſuæ commodum, curavit tamen, ut cum omnia agere non poſſet, ea ſaltem perficeret, quæ ad plurium utilitatem ſpectarent. Hinc rogatus aliquando ab Ilerdenſi Epiſcopo, an Paſtoralis diligentiæ munus putaret Confeſſiones audire, hoc illi reſponſum dedit: „ Quod ſcribis, cogitare te de audiendis Confeſſioni„ bus, quoniam ſententiam meam expectas, dicam, „ probari mihi, ut in hac cura aliquando verſe„ tur Epiſcopus, præſertim in ſolemnibus incidenti„ bus celebritatibus, ut Hebdomadæ Majoris, aut „ Dominici Adventus. Quandoquidem vero hoc mu„ nus non videtur æque ad Epiſcopum pertinere, „ ut complura alia, & præterea multum temporis abſorbet, neque alios audiret præter ſimplices, aut „ religioſos homines, qui minus Epiſcopi operâ in„ digent; idcirco expedire non videtur, ut ille, „ ad quem publica Eccleſiæ adminiſtratio ſpectat, ſe „ privata hujuſmodi actione multum occupet; ſed uti„ lius certe impenderet, credo, tempus, Clerum mo„ nens, concionem ad populum habens, aut cetera „ hujuſmodi præſtans, quæ uno eodemque tempore „ multorum utilitatem ſpectant.

Digitized by Google

tiſſime adjecit: Quam deinde cogitationem auſpicatiſſimam importuna nimium mors ſive intercepit, ſive oppreſſit.

Hæc præſentis Caroli fuere in Eccleſiam Mediolanenſem ſtudia; ex quibus vehementius exortum deinde eſt Ejuſdem abſentis deſiderium, quotieſcumque alio Eum neceſſitas evocaſſet. Comitiis ad Pontificem eligendum indictis, aut ad Limina Apoſtolorum viſenda Romam profectus, de reditu ſtatim cogitabat; ad quem antequam ſe expediret, tot in Eccleſiæ ſuæ ſubſidium comparabat ornamenta, aut beneficia, ut nemo abſentem doleret. Sic abſens corpore, animo præſens ſolertius adminiſtrabat Eccleſiam, cum ejus adminiſtrationem dimiſiſſe videretur. Dum ibidem jurium ſuorum acerrimus vindex apud Pontificem Gregorium eſſet, rumor invaluerat, inimicis auctoribus actum de Ejus reditu omnino, ac deſperatum; quod cum Ipſe ex publico ſermone hauſiſſet, dixit: *ut Inſulam retinerem, libentius me Purpura abdicarem*. Quo propoſito virtutis exemplo facile alii deinde Præſules incitati, Româ ad regendas ſubinde ſibi commiſſas Eccleſias diſceſſere; quorum ſiquis hujus laboris minus patiens fuit, abdicare ſe ſuſcepta provincia facilius paſſus eſt, quàm Borromeæ virtutis tacitum convicium tolerare.

Fortiſſimam inſuper Ejus dilectionem appellare licet; cum Illius labores recenſere difficile admodum ſit; vetuſq; Ambroſii renovaverit exemplum, cujus unius contentionibus ſuſceptis, ſcripſit Paulinus, multorum Præſulum labores vix fuiſſe adæquandos. Quamquam Ambroſium ſuperavit fortaſſe Borromeus, qui ex communi omnium opinione, quidquid Paſtoralis Archiepiſcoporum ſuperiorum cura quatuor ſeculorum intervallo molita fuerat, unus viginti annorum ſpatio celerrime profecit. Hæc ſiquidem quotidiana Illi actionum erat deſignata ſeries: remiſſa aliquantulum, ſed nunquam intermiſſa rerum cæleſtium meditatio: in quinque aut ſex quandoque horas productum diu, vel noctu literarum ſtudium: prompta demum, & expoſita benignitas ad audiendas ſupplicantium preces in horas item plures; quæ ut omnibus pateret, Urbem pedibus obibat frequentius, aures daturus accedentibus faciliores. In annos ſingulos trimeſtris, aut quadrimeſtris Eum tenebat Diœceſis luſtratio: laborioſa illa quidem; cum montes, & devias valles Præſulibus antea inacceſſas adiret, lubrico, aut præcipiti calli adhærens armatis unco ferro crepidis, aut manibus reptans, ne ulla Paſtoris oculum ſacra Ædes ſubterfugeret, ſingulaſque de facie oves poſſet agnoſcere [*a*]. Sudore interim diffluebat anhelus; cum id muneris in æſtivum fere tempus rejiceret. Trecenta Templa, ſeu Aræ extant ſacris ab Illo cæremoniis expiata, & octodecim dierum ſpatio quatuor ſupra decem conſecraſſe legitur; quamvis hujuſmodi expiationem vix octo horarum ſpatio perficiendam, a nocturnis ſemper auſpicaretur vigiliis, & die prævia, aqua dumtaxat, ac pane ad famem, ſitimque pellendam uteretur. Sæpius ſacra publice impertiebat Myſteria; quotidiana au-

(*a*) Nihil mihi in Caroli vita mirandum magis occurrit, quàm in Diœceſi luſtranda celeritas, & diligentia. Totam, quantacumque eſt, obivit ſolertiſſime, multaſque ejus partes bis, aut etiam ter. Verumtamen miraculo eſt, quemadmodum IV., aut VI. una die pagos inviſeret, imo excuteret. Nequid temporis elaberetur otioſo, veſtem talarem equitans contrahebat; eâque, cum ad deſignatum locum perveniſſet, ſolutâ, nullam interponebat moram, quominus recta in Templum pergeret. Meridianas horas in itinere collocabat, & contento curſu præiens ceteris, & identidem reſpiciens excitabat, ut equis ſtimulos ſubderent. Equo deſcendens, habitis precibus ad Deum, & concione ad populum, diligenter inſpecta Eccleſiaſtica ſupellectile, quam ad normam typis jam editam exigebat, ſtatim extrahebat MSS. Viſitatorum ſchedas; neque enim ullam inibat regionem, niſi a Viſitatore prius inſpectam diligentiſſime. Tum nominatim citabat reos: inſpiciebat oculis, ſiquid vitio ageretur. Mox condebat Decreta, infligebat pro jure pœnas, quidquid demum opportunum videretur, ſtatuebat. Inde digreſſus, cum præſtitutum ad exequendas leges effluxiſſet tempus, explorari iterum per Viſitatorem jubebat luſtrata loca, ne legum induceretur oblivio, aut contemptus. Nolebat tamen eas, quæ præter ordinem a ſe indicebantur per Vicarios, hujuſmodi luſtrationes graves eſſe Sacerdotibus, quos expertes voluit expenſarum. Hinc facile conjicies totum ſemper Borromeum in Diœceſeos neceſſitatem explorandam fuiſſe intentum, & quàm vere diceret: *Epiſcopi vitam ſuam eſſe debere in agendo*.

Digitized by Google

autem rem Divinam facienti Synaxis erat. Quare repudiato domestici Sacelli commodo, ad publica divertebat pro dierum ratione Templa, quò facilius confluenti Populo sacrum Convivium instrueret: hanc sæpe affirmans Antistite dignam exercitationem, ut palam omnibus operetur Sacris, neque privata abutatur Æde, quam ad incommodam tempestatem dumtaxat dicebat reservandam. Itaque aderat semper infinita populi multitudo, dum Sacrum faceret sive in Urbe degens, sive in Pagis diversatus: Hinc sub Ejus adventum pœnitentium ad Templa concursatio fiebat; cum pro se quisque certatim ad sacrum Cibum Illius manu percipiendum aspiraret tanta contentione, ut undecim non raro mortalium millia unâ luce Mysteriis refecta a Borromeo discesserint. Incidente autem profesto die, summo mane ad vesperam usque Pastorali huic muneri intentum semper in Basilicis admirati sunt Cives: labore nunquam interrupto, nisi ad Sacra celebranda revocaretur. Orationem frequentissime ad Populum habuit, quam nunquam nisi meditatam in suggestum attulit; in Diœcesi autem obeunda versatus, bis, terque etiam in dies verba fecit; præterquamquod supplicationes, Pontificalia, manuum Impositio, velandæ Virgines, loco movenda Sanctorum Lypsana (*a*), Synodi, Provinciæ Concilia, veluti infinita rerum mole, Illum obruebant; præsertim cum earum actionum singulas ad amussim, exacteque perficeret, & concione insuper habita (*b*) laboriosissime cumularet. Privatos deinde conventus, sæpe etiam repetitas consultationes mente

(*a*) Cum ægre admodum ferret, olim belli injuria privatam hanc Urbem SS. Trium Magorum Corporibus, usus est interprete Archiepiscopo Roxani apud Colonienses, ut alterum saltem ex iis, aut partem saltem reddendam huic Civitati curaret. In eamdem rem Summi Pontificis Gregorii, atque ipsius Philippi Regis auctoritatem interposuit, inani licèt conatu. Præterea sacris hisce donis cùm agri nobilitavit Templa; tum suam abunde instruxit Civitatem; nam, quæ latebant, luce donavit; quæ desiderabantur, curavit adeo diligentet, ut Castellus Arimini Episcopus lepide in literis suis piam quamdam hac in parte avaritiam objecerit, scribens: *Caroli manus ad sacros aliorum Thesauros accipiendos esse paratissimas; suorum vero retinentissimas*. Hinc solerter erroribus etiam vulgi providere voluit de sacrorum Lypsanorum veritate, quæ hìc colebantur. Vindicavit acriter possessionem SS. Protasii, & Gervasii, S. item Nazarii, & SS. Sisinii, Martyrii, & Alexandri, ut sæpe ex epistolis constat, & præsertim ex Bonhomii, & Cardinalis Sirleti, quorum ille Brisacensibus antea favebat, hic contra adstipulatus est Borromeo.

(*b*) Pascendi verbo Gregis tanta erat in Carolo cura, ut aliquando etiam Contionatorum animos offenderet. Nam cum sibi certos destinaret Quadragesimæ dies ad Conciones habendas, visi nonnulli sunt ægre ferre, quod sibi Cardinalis hanc laudem præriperet. Re vera hujusmodi querelas Romæ etiam audiit Specianus, qui cum Carolum de iis monuisset, responsum hoc tulit die XVII. Maij MDLXXXI. „ Doles, a me injuriam hanc imponi sacris Oratoribus, ut festis diebus Ipse sermonem ad Populum habeam. Doluit jampridem de hac consuetudine mea P. F. N. N., & multo acrius P. N. Verumtamen meliora sententia P. Lupus ita mori meo accommodabat suum, ut neuter dicendo abstineremus, sed mihi matutinum tempus concedens, sibi pomeridianas horas ille reservaret. Ego sæpius elapsa Quadragesima obivi hoc concionandi munus, cum sacro Oratore carerem; verum quæcumque mihi objicias licèt, hoc sentio, intermittendum illud non esse festis præsertim diebus, nisi justi impedimenti aliquid ingruat. Fateor tamen, me id consuetudinis inire velle, ut verba post Vesperas faciam, mane concionem habeat Orator. Sed feria VI. has mihi partes sumam matutinæ concionis; quo die cum ex Ritu nostro nullum incidat Euangelium, neque Sacrum fiat, hoc Concionatores minus ægre ferent, qui concinnatam suam multis ante annis in quotidiana Euangelia orationem recitant; ego autem votis indulgebo meis de Christi Passione disserens, quæ opportune in eam diem accommodabitur. Ceterum si Sacri Cathedralium Ecclesiarum Oratores serio munus suum intelligerent, sequè cognoscerent hac in parte Adjutores Episcopi, hoc ipsum magni facerent: posse scilicet operam suam Antistiti adjungere iis dumtaxat temporibus, diebus, & locis, quibus alio evocatus Episcopus eorum auxilium postularet; multo minus dedecori ducerent demi sibi ex hebdomada diem unam, & Festam præsertim, qua Tridentinum Concilium verbi Dei prædicationem ab Animarum Pastoribus exigit. Quòd si tam perspicuam rationem intelligere Concionatores nolint, id fortasse Episcoporum, non suum vitium est, quandoquidem hactenus Antistites adeo oscitanter concionandi munus implevere. Non video tamen, cur Episcopus, qui muneri suo nolit deesse, debeat adeo ipsorum imbecillitati indulgere, ut propter inania eorum dicteria, quod suum est, exequi cesset. Quadragesimali præsertim tempore omnium aptissimo, quo Episcopus possit cum Ovibus sibi commissis familiariter de ipsarum necessitatibus agere &c. " Quam vero frequenter id muneris obiret, præter homilias in lucem editas, abunde jam docuit Cl., & mihi celebrandus semper, Joseph Antonius Saxius in præfatione sua luculentissima, quam iisdem præfixit.

Digitized by Google

mente vix assequi licet. Multiplicem dumtaxat rerum seriem, quibus humana imbecillitas impar sane videatur, suo ordine exponemus ad libri calcem, nequid subterfugere legentem possit, suaque Borromeo tot, tamque varia animo complectenti laus habeatur. Verum hæc omnia ex certo instituto præscripta: Illa vero extra ordinem erant: innumera scilicet, quæ sibi ex Romanæ Sedis mandato peragenda, aut ex diversis Italiæ, atque Europæ partibus sive dubia expedienda, sive necessaria promovenda, a sacris, & profanis Principibus committebantur: infinitæ ad Eum datæ, atque ab Eo missæ literæ, quarum plura congesta volumina in Oblatorum Collegio asservantur, & triginta millia. præterea Federicus Cardinalis Borromeus religiose ab interitu vindicavit. Cum itaque tot ab longe diversis gentibus redderentur epistolæ, nulla ex iis unquam indigna habita est, quæ a se responsum ferret (a). Demum tot curis eam addas vigilantiam velim in perpetua veluti cogitatione versatam, ut novis Animarum salutem subsidiis, Ecclesiam ornamentis, mores sanctionibus muniret, ac tueretur; alia subinde ex aliis semper animo præcipiens, quibus egregie jam facta illustraret, Apellis instar, qui nunquam de tabula manum removere didicisset. Hoc indubitanter coronidis loco affirmem: Tot præclare factis, atque infinitis negotiis ipsam intuentium hominum fidem, & posterorum spem vinci, ac superari facile potuisse, & posse.

Tolerantiam vero amoris comitem, & plane sociam nemo a Borromei caritate sejungat, si ea repetat animo, quæ pro morum disciplina vel invehenda, vel servanda, pro tuendo Ecclesiæ jure diuturna item, & gravia constantissime tulit. Multa jam suo delibavimus loco, ex quibus manifesto liquet, majorem in Eo Ecclesiæ suæ amorem extitisse, quàm ut ulla exhauriri posset injuria. Hoc sane unum ferre non poterat: remissam scilicet in agendo, aut cessantem plane Episcopi curam; quare, ut alibi commemoravimus, ex cujusdam Provincia sua comprehensi Antistitis literis intelligens, parum negotii Pastorale munus illi facessere, licèt sexagies mille passus hinc idem abesset, ad eum Antonium Senecam misit, qui suis verbis tam solute, & oscitanter agentem suggillaret: prima autem data opportunitate ad eumdem scribens, singillatim enumeratis per capita Pastoralis solicitudinis officiis, periodum quamque epistolæ in hanc intercalarem sententiam conjecit: *Vacare itaque licet Episcopo?* Ad Novariensis Episcopi Bossii cohonestandas exequias accesserat, audieratque, exantlatos in regionibus lustrandis labores obitus illi causam fuisse; quo Carolus intellecto, *Episcopum*, inquit, *decet pro Ecclesia laborantem mori*. Frequentes autem ab Eo pronunciatæ sunt de munere Pontificio sententiæ: nimirum, *Episcopo agendi necessitatem deesse nunquam; sæpius autem voluntatem. Hinc nunquam cessare posse, qui muneri deesse nolit; aliquando autem posse feriari, si quæ sui muneris sunt, velit negligere*. Ajebat etiam: *Qui Præsul sibi, aut*

(a) Infinita occurrit epistolarum a Carolo missarum, acceptarumve multitudo. Sed quod magis mirere, nullæ obversantur ex datis ab Eo literis, cui nihil ex suo aut interspersérit, aut adjecerit. Quæ autem de suo adjecta leguntur ita apprime conveniunt sententiæ, ut nihil magis. Nullæ unquam mittebantur, nisi prius suam censuram subiissent; neque quidpiam scribebatur, nisi Borromei verbis conceptam epistolæ methodum amanuensis accepisset. Constat hoc manifeste ex literarum autographis, quibus etiam nos usi in hac historia sumus. Sane quatuor tantum in tot millibus epistolas invenimus, quibus ab amanuensi in margine adnotatum fuit: eas lectas a Borromeo non fuisse; datæ nimirum ex sunt Cal. Novembris anno MDLXXXIV. triduo scilicet ante Cardinalis mortem. Boterus verò, qui Illi a Secretis fuit, elegantissimus ceterum Scriptor, fatetur, se eximias auditas a Carolo sententias ægre semper stylo suo assequi potuisse. Nam offerens Cardinali Vincentio Lauro latinas literas, quas Caroli nomine scriptas edidit, hæc ingenue testatur: „ Nam ut verum fatear, cum in eo mihi „ laborandum esse statuerem, ut quam maxime posse sem, Cardinalis mentem, spiritum, ardorem, „ prætereaque simplicitatem quamdam fuci omnis, „ atque artificii expertem oratione exprimerem, „ aut certe adumbrarem, licèt Ipsi satisfacere vi„ derer interdum, mihi tamen nunquam satisfeci; „ nunquam enim, quo Is mentem, animumque „ intenderat, mihi pervenire visus sum.

aut valetudini ſervire cupiat, eum Deo, & Eccleſiæ famulari non poſſe. Hoc vero adjiciebat multo terribilius: *Ex Pontificum ſolertia Populi ſanctitatem pendêre; eaſque deſides ſæpe gentes in divinis extitiſſe, quibus deſes item Pontifex obtigiſſet.*

Demum effuſum, largumque amorem Borromeus re ipſa declaravit, cum Sponſæ, & Populo large cuncta donaverit: aulæa, domeſticam ſupellectilem, ſtratum, veſtes, ſe ipſum denique libentiſſime devoverit. Romanam Purpuram pro Eccleſia ſua repudiaturum fuiſſe, ſi res ipſa tuliſſet, accepimus; quæ ſi Carolo placuit, accepta idcirco fuit, quòd Eccleſiæ ſuæ auctoritatem, atque ornamentum adjungeret. Fateri etiam quodammodo licet, Romanæ Sedis dignitatem Inſubricæ ab Eo poſthabitam; quandoquidem Pontificiam ab Avunculo poteſtatem in ſe uno collocatam, ut ita dicam, abjecit, quò ad provinciam ſuam capeſſendam citatiſſime feſtinaret. Nominis exiſtimationem ſui in poſtremis habuit, omnibus adpetitus conviciis, imprudentiæ notatus labe etiam ex proborum ſententia, cum novam, eamque ſanctiſſimam populo vivendi normam indiceret: Conſanguineis valedixit, ne Eccleſiæ curam dimitteret: Paternam hæreditatem in poſteros tranſmittendam Regiæ iræ objecit: nihil de Sponſæ jure remiſſurus, patrimonium armis diripiendum, vexandumque permiſit. Vitam demum quanti faceret, peſtilentiæ exorta calamitas indicavit; cum divinam ovibus vitam impertiturus, humanam ipſe lubentiſſime contemneret. Huic certe amori nihil adjungendum ultra putaſſem; niſi novam diligendi rationem uni Borromeo compertam, Carolus ipſe nobis deſignaſſet. Expoſuit ſiquidem Franciſcus Panigarola, Aſtenſis deinde renuntiatus Epiſcopus, in funebri ſua laudatione, qua Caroli exequias honeſtavit, hujuſmodi teſtimonium: „ Agens mecum familiariter „ Carolus, & ſermonem miſcens de amo„ re, quo Pontificem ferri in Eccleſiam „ ſuam decet, hæc ait: *Licèt maximum „ videatur Epiſcopo vitam pro Eccleſiâ pro„ fundere; attamen alii adhuc reliqui ſunt „ caritatis gradus, per quos ad ſuperiorem „ iterum amorem poſſit Epiſcopus aſpirare.*“ Quæ vox etſi aperte tanti amoris vim docet, penitus tamen introſpici ejuſdem magnitudinem non ſinit.

CAPUT XVI.

De moderato Caroli amore in conſanguineos.

EX nobiliſſima, & avitarum Imaginum plena Familia profectus Borromeus, ſemper in paterna peregrinatus eſt domo; neque nominis, aut cognationis vinculis hærere ſe cuipiam amantius, paſſus eſt; cum nexum omnem benevolentiæ erga Gentiles ſuos vehementior Dei caritas ferme diſſolviſſet. Æque Ille in ignotos, atque conſanguineos animatus, tanta eorum gloriam, ac decus contentione averſabatur, quanta quiſpiam obſcuræ ex cœno gentis emerſus, domeſticas labes refugiſſet. Incurrebat ſæpe in oculos Familiæ ſplendor, & Urbis ſocietas fovere inſitum ſanguini amorem debuiſſet: Attamen objectas etiam deſpiciebat ſuorum laudes, quas ſæpe ignorabat; & in aliena veluti civitate inter Affinium frequentiam conſtitutus, velut hoſpes, verſabatur. Mirus autem erat in Eo amoris & temporis delectus; utpote eoſdem aliquando vehementiſſime diligere, averſari alias videretur. Hinc officio non defuturus, ſemel, aut bis quotannis viſere ſolebat affines; inter quos Margaritam Trivultiam Patrui uxorem, utpote religioſiſſimam Matronam, præcipue colebat. Verum, ſi gravior eorum incidiſſet morbus, obire Gentilium domos frequentius conſueverat, providere ſolerter, morituros ſolari, munire cæleſtibus auxiliis, ſpiritum ultimo extremum excipere; quæ benevolentiæ teſtificatio in Avunculi Pontificis, Federici Fratris, & Patrui Franciſci obitu præcipue eminuit, quorum etiam funeri, dum duceretur, interfuit: ut Cæſarem, & Octavium ex Gonzaga Gente, alioſque omittam, quibus animam agentibus adſtitit officioſiſſime.

Digitized by Google

me. Nuptiis aliquando affinium intereſſe non recuſavit, quod præcipue contigit Eliſabeth Patrueli ſuæ, dum Hieronymi Vicecomitis nuptias iniret; quibus deinde ſolemni etiam ritu benedixit, eorumque convivio haud abnuit adhiberi. Pari benevolentia complexus eſt Octavium Speciaum, ex Vermia gente Uxorem dum duceret. Verumtamen præſentiâ ſuâ id ſpectare dumtaxat voluit, ut modum effuſis ſumptibus, & apparatæ ſplendidius comeſſationi imponeret, exemplo hoc propoſito viros Urbis Principes ad ſobriæ moderationis leges revocaturus. Hinc earum epularum ſolidam hilaritatem ſacra lectione condivit; & antequam Sponſos e Templo dimitteret, orationem ſuavi eloquentia refertam habuit, qua docerentur nuptias jungere concordiæ, & religionis plenas. Renatum, & Federicum Borromeum Patrueles ſuos caros habuit: illum quidem luſtralibus aquis expians ad ſacrum Fontem; hunc liberaliter, & pie inſtituendum in ſe recipiens. Sed quidquid in hos, ceteroſve propinquos effuſe actum ſi perpendamus, ex puriſſimo Caritatis fonte profectum intuebimur, habitamque ſemper decentem loci, temporum, & perſonarum rationem, cum temere nunquam amoris impetu raperetur. Etenim, ſi ex religione, aut juſta, & nobis impoſita divinitus domeſticorum cura Borromei facta metirentur, nulla in Eo caritatis officia deſiderabant; Secus ſi humana dumtaxat ſtudia ab Eo expectaſſent Affines, frigere Illum omnino affirmaſſent. Idcirco quempiam ex Gentilibus hærere lateri, aut ulli rerum arbitrium ſuarum concedere paſſus eſt nunquam: malens apud ſe uti externo voluntatis ſuæ interprete Borromeos, quàm externos Borromeis uti internunciis. Aberat item ab Illius ſermone aut nimis amice dictum, aut familiarius jactata vox, quoties eorum aliquem exciperet: equeſtrem in illis de more dignitatem reveritus, ſed nominis certe oblitus. Per mihi mirum viſum eſt, Comitem Federicum Sacris jam initiatum, ſumma præditum verecundia, eximia inſignem literatura, omni demum virtutum genere ſupra ætatem inſtructum, nunquam adeo aperte ſibi carum fuiſſe, ut ſuo per dies aliquot contubernio, aut convictu eumdem dignaretur. Quamquam non ſolum nulla in propinquos ſuos decora congeſſit, aut cenſus; verum etiam noluit ullam iis aut vocis ſuæ, aut epiſtolarum commendationem ſuffragari (*a*). Detrahi quidem causâ

(*a*) In nullum minus effuſus Carolus, quam erga Conſanguineos fuit. Nihil ab eo actum lego, neque pro retinenda Arcis Aronenſis poſſeſſione, neque pro tuendo Familiæ jure, neque pro augendis commodis, neque pro transferendis in Affines Sacerdotiis. Sincere quidem omnes amavit; nullius tamen utilitati ſervivit. Erſiliam Farneſiam Patruelis ſui Renati Uxorem, ad Religionem luculenter erudivit, atque a voluptatibus avocavit: Hippolytam Borromeam Alberico de Belgiojoſo nuptam a pompa omni atque ſpectaculis avertit: Patruum Com. Joannem Baptiſtam acriter aliquando increpuit, & ad ſaniora conſilia reduxit: Annam Sororem nimiæ religionis liberè accuſavit, & in Sancti Philippi Nerii optimam diſciplinam, aliorumque tradidit: præterea nihil video pro Affinibus ſuis a Carolo curatum. Una illa maxima obverſata eſt ante oculos ſua, quam de Conſanguineorum literis ſuſcepit. Atque hic omiſſis amoris ſui ſignificationibus erga Raconiſium & Vermium affines, quos Galeſinio imbuendos Peruſii permiſit, & Aſcanium Columnam S. Sophiæ Abbatem, quem ſæpius ad literarum ſtudia, & vehementer incitavit: commemoranda ſolum videtur ea moderatio, qua in Comitem Federicum Patruelem, optimum Succeſſorem uſus eſt. Hic Cardinalem rogaverat, cum Romæ eſſet, ut Inſtitutori ſuo Flaminio Papazonio Sacerdotium aliquod a Summo Pontifice impetraret. Verum Ille, qui Federici ſtudia amabat, ſed hujuſmodi liberalitatem oderat, in hæc verba reſpondit: „ Perilluſtris Comes. „ Ego vero Papazonium diligo vehementer; ejuſque „ cauſa cupio plurimum; quippe cum, præter ejus „ virtutes, mihi perſpectum ſit, quanta animi ala„ critate, atque benevolentia tibi in Logica faculi„ tate explicanda, operam, ſtudiumque ſuum præ„ ſtet. Sed, quod ad honorarium illud attinet; „ quoniam allatum ad me eſt, Summi Pontificis „ voluntatem eſſe, ut quoad Fabrica Eccleſiaſtica „ quædam iſtius Civitatis perfecta non erit, nihil „ præter morem & conſuetudinem in Doctores ero„ getur: Ego ſane quid amplius in hac re agere „ debeam, plane non video. Gratia Domini Noſtri „ Jeſu Chriſti tecum. Romæ &c. “ Federicus tamen his literis acceptis, utpote qui de grati animi laude concedere cuiquam nollet, Cardinalem rogavit, ut a Matre ſua ſaltem Papazonio aliquid ſubſidii obtineret. Hoc vero facile Carolus præſtitit, ùt docuit reſponſo ſuo: „ Feci libentiſſime „ quod a me petiiſti, ut ad Matrem tuam de an„ nua penſione Præceptori tuo aſſignanda literas „ de-

Digitized by Google

causâ ſuâ Familiæ ornamenta facile tulit, cum orta eſſet cum Regiis adminiſtris de jure Eccleſiæ retinendo contentio; dumque Sedis ſuæ dignitatem Pontificis ipſius auxilio conſervandam curaret, tamen de imminuto Gentis ſplendore inaudita ſemper fuit querela.

Ex Patrimonio ſatis amplo obvenientes ſibi quotannis reditus nunquam domeſticorum permiſit arbitrio, omnes liberaliter Eccleſiæ impertiturus ſuæ. Annuæ etiam ex eo decerptæ penſiones ſunt, quibus ſibi, rebuſque ſuis addictos viros large muneraretur; idcirco liberam cuique, & penſione vacuam Sacerdotii poſſeſſionem reliquit: cujus ſaluberrimi inſtituti perpaucos exinde imitatores habuit. Neque vacat hujus largitatis teſtes producere, cum plures adhuc exiſtant, in quibus defuncti Caroli etiamnum vivit liberalitas. Hoc admirandum maxime moderationis exemplum fuit, quòd cum plura amicis, famuliſque teſtamento legaſſet, nullum ex Borromeis hæredem, ne ex parte quidem, ſcripſerit. Una erat ſatis ampla ingenii ſui ſupellex: multa ſcilicet ſcriptis exarata volumina. Hæc autem licèt ſibi jure optimo Federici Patruelis dignitas, & doctrina poſtularet; Bonhomius Vercellenſis Antiſtes ex Caroli voluntate in ejus locum hæres ſucceſſit. Splendidos titulos, & ampla Sacerdotia dimittens, nihil unquam in Conſanguineorum beneficium tranſigi voluit; quod facile etiam impetraturus Romæ videbatur, nihil apud Ipſum unquam valentibus admotis efficacibus Amicorum officiis: Gentis nimirum adeo immemor ſuæ, ut quoties Aronam Paternæ ditionis Oppidum diverteret, Eccleſiaſticorum hoſpitum humiles adiret domos, patentibus licèt, & perviis Borromeorum magnificis ædibus; nec Familiæ nomine ſane glorioſo, ſed uno Sanctæ Praxedis titulo uteretur. Stemma item ſtirpis tot illuſtre inſignibus, & plane Regium obliterare ex Paſtoralibus Diplomatis conatus, aliud invexit, quod Eccleſiæ Mediolanenſi antea fuerat inſigne: Ambroſii nimirum imaginem, geminis Martyribus Protaſio, & Gervaſio interjectam; in quo Laurentii Juſtiniani præclare factum eſt imitatus. Hæc videlicet Ejus animo inſederat opinio: memorem ſui Epiſcopum non, unde genitus ſit, ſed quibus vivat, recordari debere; atque tum Parentis loco apud Populum fore, cum repudiatis Conſanguineis, egenos unice Filiorum loco dilexerit: demum, ſublata erga propinquos liberalitate, illis faſtus periculum, ſibi criminis occaſionem facile ereptum iri.

Cum vero nullam ex domeſticis ſuis cenſibus fortunarum acceſſionem fieri Affinibus vellet, intercipere etiam iiſdem ſacrorum redituum ſpem non dubitavit, ad quos promerendos virtutem, ac præclare facta non attuliſſent. Ad Pontificiam in Mediolanenſi Provincia Sedem oculos cupiditatis adjecerat primarius Vir Carolo affinitate conjunctus. Unus impedimentum intulit Borromeus, imparem illum ratus tanto oneri; cumque gravior ex hoc haberetur Gentilium querela, faſſus ingenue Carolus, mentem ſuam declaravit: *nolle ſe quidquam Eccleſiæ detrahere, at Genti utilitatem afferret.* Neque ullus verbo motavit religionis plenam libertatem, quam primis ab annis etiam habuerat; cùm Patri ademit reditum ſacrorum adminiſtrationem, modeſtè excuſationem libe-

„ darem; Is enim cùm propter virtutem, probita-
„ temque ſuam, tum vero propter diuturnos labo-
„ res, quos in te erudiendo impendit, dignus pro-
„ fecto eſt, cui ſit hoc per te ſubſidium conſtitu-
„ tum. “ Idem ferme reſpondit Federico item poſtulanti, ut Hippolyto Lampugnano titulum quemdam Legnani deferret: „ De Clericatu Legnani pe-
„ titioni tuæ ſatisfacere non queo; hujuſmodi enim
„ beneficia nemini conferre ſoleo, ſed Seminariis,
„ aut Parochialibus pauperibus, aut aliis Piis Locis
„ ex Tridentini Decreto annectere, cujus rei Le-
„ gnani in primis magna neceſſitas eſt “ Alias cum audiſſet Cardinalis, Comitem Federicum recreatum diuturno morbo bibere vinum cœpiſſe, in hæc verba gratulatus eſt Julio Cæſari Bonhomio, quem illi ſacris in rebus Inſtitutorem dederat:
„ Quod Comes Federicus vinum bibere cœpit, Me-
„ dicorum conſilio adductus, id equidem niſi pro-
„ bare non poſſum; ſed videndum eſt ne Medici
„ ejuſmodi ſint, quos ait S. Ambroſius, totam Chri-
„ ſtianam diſciplinam labefactare, atque ſuis cura-
„ tionis regulis pervertere.

Digitized by Google

beram obtendens, *citra noxam domeſticis illos cenſus rationibus implicari non poſſe* (*a*). Ormanetum Roma legaverat, dum Ipſe Avunculo adeſſet, qui Eccleſiam Mediolanenſem interim ſuo nomine moderaretur; cumque plura Illi de invehenda in Virginum Collegia morum diſciplina commendaſſet: primum edendas in eo Collegio leges juſſit, in quo Corona Borromea Soror, geminæque item Materteræ verſabantur.

Suos item, atque Eccleſiæ adminiſtros ab hujus amoris labe prorſus alienos ut haberet, monebat ſæpius: *Caverent enixe, ne in Conſanguineos pronus affectus, eos a recto curſu dimoveret: Inita nimirum cum illis familiaritate ſenſim mentem flecti, & in alia omnia poſſe converti: refrigerari interim caritatis ardorem, & facile profana hujuſmodi conſuetudine ſacrarum rerum memoriam excidere.* Neque diſſitebatur, *ſe propinquos adeuntem* (quod raro certe contigit) *quodammodo ad religionis ſtudia frigeſcere, & hebeſcere ſemper, imo languere veluti eorum colloquio illum, quo in divina ferebatur, impetum.* Adjiciebat demum: *ad Aurificis*, ut ita dicam, *ſtateram revocanda propinquorum poſtulata; facile enim exorari nos ſinimus, niſi religioſa conſtantia animum confirmemus.* His itaque ut mederetur incommodis, omne cum profanis contubernium Clericis interdixit; neque graviter ullus legem hanc tulit, cum eadem adſtrictum videret, qui eam tuliſſet (*b*).

CAPUT XVII.

Quodnam benevolentiæ genus in Familiares ſuos oſtenderit.

QUod præcipue Antiſtitis ſolicitudinem commendat, maximum in Carolo regendæ Familiæ ſtudium eluxit. Centum admodum domeſticis hæc conflabatur patria, conditione, atque ingenio diverſis; atque tam ingentem hominum numerum ipſa moderandæ Provinciæ amplitudo

(*a*) In Tabulis lego commendatam eximie Caroli moderationem, qui Familiæ jura maluerit evertere, quam retinere, dum Aronenſe hoc Sacerdotium in Patres Societatis transferret. Alibi nos etiam teſtimonium ex iiſdem recitavimus, in quo diſerte affirmabatur ille Titulus Borromeæ nobiliſſimæ Gentis jure multis ante annis comprehenſus. Verumtamen cum Cl. P. Zaccaria erutis certis documentis nos aliter doceat, lubentes illi ſubſcribimus, præſertim cum infirmata in obſcura hac re Teſtium fides nullatenus Caroli Sanctitatem imminuat.

(*b*) Importunum hunc Conſanguineorum amorem ab aliorum etiam animo evellere conatus eſt; ut enixe Caſtello commendavit Vicario ſuo, qui cum rediiſſet in patriam valetudinis cauſa, auditetque, eum a Conſanguineis ſolicitari, ut Romam contenderet, ubi mitius valetudini ſuæ Cælum eſſet habiturus, hæc monuit: „ Latêre aliquando ſub ſanctitatis imagine amorem carnis, qui difficile admodum poſſit dignoſci; quare videret, ne cujuſpiam votis indulgeret, & præſertim Affinium.“ Aliàs rogatus ab Epiſcopo Cornueti, an liceret ſibi ære ſuo Frâtrem ſuſtentare, hæc reſpondet: „ Quod de ſubſidiis pecuniarum Fratri tuo impertiendis ſcribis, intellexi, ut puto, Summum Pontificem id imperaſſe, ut faceres; quod ſi Ille faciendum permiſit, meum non eſt ſententiam ferre, præſertim cum Gregorius de utriuſque ſtatu certior ſit. Verumtamen hoc omiſſo, dicerem, Fratrem tuum ſi eos cenſus habet, quos ſcribis, nullo modo Eccleſiaſticæ rei ſubſidiis indigere.“ Multo autem vehementius perſtrinxit Derthonenſem Epiſcopum, qui non raro a Diœceſi abeſſe Conſanguineorum cauſa conſueverat. Brevem hanc ad eum dedit epiſtolam: „ Jamdiu opto abſtrahi te tandem, & omnino revocari a Fratris tui Filiorum cura, quam ſuſcepiſti; cujus cauſa fit, ut ſæpius diſtraharis ab Eccleſia Sponſa tua, & deinde ſuperveaientibus imbribus, febri, aliiſque malis, cauſeris, te ad eam redire non poſſe. Atque hoc magis incommodum videtur hiſce temporibus, iiſque in partibus, quæ cum in maximo verſentur periculo, eo diligentiorem ſolicitudinem tuam, & vigilantiam poſtulant. Mihi quidem neceſſarium videtur, ut cures, atque exhibeas remedium illud, de quo in Concilio Provinciali monui propter ſuperiorum annorum abſentiam; ſecus neceſſarium erit, ut in te ex Concilii Tridentini præſcripto acrius ſtatuam.“ Atque facile habuerit dictis ſuis obedientes Provinciæ Epiſcopos Carolus; nam nobile omnibus contemplandum obtulerat hujuſmodi moderationis exemplum. Etenim Eporedienſis Epiſcopus Carolo affinis, qui ad Novarienſem Sedem aſpirabat, cum Illius animum tentaſſet per Cardinalis Vercellenſis literas, maxime voto ſuo adverſarium habuit; hinc Speciano hæc ſcripſit Borromeus: „ Cardinali Vercellenſi hæc referes: me geſtire gaudio propter Eporedienſis Epiſcopi dictum, qui ſcripſit, ſe idcirco depulſum petitione ſua, quod mihi affinis fuerit. Id enim ſummopere mihi gratum eſt; quemadmodum durum fuiſſet illum in Provincia mea habere Epiſcopum, cum audiam Paſtorales in eo virtutes deſiderari.

Digitized by Google

tudo poſtulabat. Attamen inter diſſimillimum hominum genus, fœdere veluti quodam, optima erat firmata ſocietas, ut mutua ipſorum dilectio nihil fraterno amori concederet; Carolus autem paternum in eos ſtudium imitaretur. Par in exhibendis officiis apud Eum omnium gratia; diſpar tamen Illi in rependendis liberalitas. Sed nimium in hanc rem facere autumo, quod Joannes Baptiſta Poſſevinus ſcriptum reliquit, cujus ſincerum eſt teſtimonium, quandoquidem familiarium Ejus albo adſcriptum novimus, quo tempore Carolus exceſſit e vita. Ejus verba itaque fideliter reddo: „ In Borromei Familiam cooptato omnis erat lucri, & „ quæſtus abjicienda cogitatio. Non Sacerdotii, non penſionis ſpem famulis „ objiciebat; ſed ſancta, & obediens deſiderabatur voluntas. Hæc erat indicta „ lex. Nihil unquam repudianto: demiſſe de ſe ſentiunto: omnes ſine delectu „ diligunto (*a*). Ut autem mirum maxime, „ ita multo jucundiſſimum, & plane divinitus factum hoc mihi videbatur: „ tam recto ordine, & peramanter peragi omnia inter contubernales plurimos e locis disjunctiſſimis collectos; „ quoniam, cum centum ferme homines „ omni familiarium ordine comprehenderentur, vix terni numerabantur concives, quod ipſum Patriæ diſcrimen animorum ferere diſcordiam ſolet. Sed Caroli Sanctitas, & fuſæ ad Deum preces „ mitem hanc, atque concordem omnibus mentem injecerant. Quare ſinguli „ abjectionem Domini intuentes ſui, neque unquam intermiſſas curas, *meliora* „ *ſemper chariſmata æmulabantur*, ab otio „ alieni, in munus quiſque ſuum excubantes, quod caute adeo cuſtoditum, „ ut, licèt una in æde viverent omnes, „ attamen aliquando ignoti aliqui verſarentur inter alios; nam raræ admodum „ confabulationes, rari cœtus; ſed prandii, aut cœnæ horis elapſis, quibus ſacræ lectioni taciti omnes dabant aures, „ aut communi oratione peracta, ſeorſim „ ſinguli cubilibus ſuccedebant ſuis. Filios veluti, aut fratres complectebatur „ omnes Borromeus, & licèt omnis penſionum ſpes intercepta eſſet, congrua „ tamen unicuique numerabat ſtipendia, „ ex quibus neceſſarii abunde etiam ſuppetebant ſumptus; præſertim cum omnis a veſtibus abeſſe luxus juberetur. „ Præterea, ſiquem in patriam rei alicujus peragendæ neceſſitas revocaſſet, omnia Ipſe itineris ſubſidia ſuppeditabat, „ viatico etiam iis præmiſſo, quos ad ſe „ accitos familiæ adſcribi voluiſſet ſuæ.“ Hactenus Poſſevinus, cui eo major fides habenda eſt, quo minora etiam vero narratione ſua videtur comprehendiſſe. Etenim alia etiam occurrunt, quibus Ejus curam in Familia bene habenda teſtatam magis faciamus. Ut laute alerentur familiares, Ipſe accumbens aliquando, appoſitum iis vinum ac panem præguſtandum offerri ſibi jubebat, omnem ratione hac querimoniæ cauſam, & fraudem ſublaturus. Præcipue autem in eoſdem ægros peculiaria amoris extabant indicia; aut enim præſens decumbentibus aderat, aut a cuſtodibus, & medicis hoc petebat, ut decumbentium curam haberent commendatiſſi-

(*a*) Et Legum ſuarum obſervantiam ſevere a domeſticis exegit adeo, ut Ludovicus Audoenus Vicarius veniam per literas a Carolo abſente poſtulaverit, per quam ſibi liceret, parvum ex auricalco Crucis ſignum ab Amico ſibi oblatum accipere. Aliquando cum Brixiæ eſſet Cardinalis audierat, agi a Joanne Baptiſta Bartolino domeſtico ſuo oblatam ſibi quamdam præter ordinem cauſam; quo audito, ocyus ſcripſit: „ Eſſe contra Archiepiſcopalis Curiæ „ inſtitutum, ut quis ex familiaribus ſuis in ſe „ reciperet cauſarum agendarum onus, niſi Ipſe „ met ad miſerorum, aut Eccleſiarum ſubſidium id „ imperaſſet. Quare caveret ne quid de legibus „ imminueret.“ Optabat autem nullum eſſe inter ſuos dignitatis diſcrimen; hinc ad Prothonotarium Zappam, qui primus in ejus Curia eſſe optaverat has literas dedit: „ Intellexi ex epiſtolâ tua, omnem a te operam in Curia mea collocatum libenter iri. Verum conditiones, quas adjicis, „ ut primum in Tribunali meo locum teneas, „ multum abſunt ab ea voluntate, quam ab adminiſtris meis requiro, quandoquidem demiſſi animi ſignificatio a me in familiaribus meis inter cetera poſtulatur. Ideo opportunum videtur liberam tibi copiam facere, ut ſolertiam atque „ operam tuam, cui velis, adjungas.

Digitized by Google

tissimam (*a*). Nullum unquam e familia exturbavit aut senectute, aut valetudine male affectum; neque in Nosocomia amandavit, quæ plura in Urbe patebant; sed domo efferri, nisi mortuos, voluit. Hinc cum mediastinum quemdam ad munia obeunda ineptum Œconomus missum faceret, vetuit constanter Carolus, & consueto item stipendio imperato, omni famulum labore inposterum, & cura absolvit. Extra Urbem hospitanti solemne erat familiarium curam suscipere, sui unius negligere; aliquem cibi, potionis, aut strati curare delectum, ut sibi videlicet deterius quidquid reservaret. Ab Helvetiis in Urbem regrediens in Verbani Villam diverterat; cumque paucos pro familiarium numero stratos esse lectos animadverteret, tabula usus pro grabato fuit; & pane pastus, cujus affatim erat, pisces ceteris in escam concessit. Morteroni montes lustrantem improvisus, & vehemens imber afflixerat: Tandem nudos arborum emensum calles Sacerdotis cujusdam tectum, seu verius mapale exceperat; ubi, cum unus sibi stratus occurreret lectulus, eumdem ambabus amplexus ulnis, atque e cubiculo translatum familiaribus offerens, *accipite*, ait, *Filii; ad vestram lectus hic quietem datur;* sic vix uni opportunus lectulus suffecit universis, quandoquidem pigere incommodæ quietis ceteros non poterat, postquam mensæ incumbere dormientem Carolum vidêre. A Basilica-Petri scripsit, se repentina vi morbi oppressum, dum Brixiam cum Borromeo lustraret, decubuisse; quare Carolum aliquam sibi gravioris cæli injuriam metuentem, stragula ex suo ipsius lecto detracta decumbenti imposuisse. Cæsar vero Pezzanus de Ejus sanctitate testis productus, in Apotheosis tabulis testatum fecit: *Se Caroli comitem in Mesaucorum Valle obeunda, nocte quadam ex rheumate laborasse. Cum vero Antistes raucum laborantis anhelitum e proximo cubili audisset, statim ad se venisse, & lectulo proximum suo, amice scisciatum morbi vim, causamque: dumque caput manu sua ex pulvinari sublatum Ille teneret, morbi vim repente omnem excidisse.* Quod Cæsar remedium ex sacrarum manuum contactu perceptum, deinde affirmavit. Sed omnia hujusmodi amoris indicia persequi infinitum esset. Paternum certe affectum sua Carolus benevolentia superavit, quæ in suorum etiam toleranda patienter indole, ac moribus suavissima extitit. Cum enim hoc natura hominum ferat, ut singulorum ingenio sua sint aspersa vitia, hæc potius obruenda patientiâ, quam voce emendanda Ille censebat. Quare omne a suis abesse jurgium voluit semper: excitata, ut assolet, dissidia initio statim comprimens, ne ulla in exulceratis semel animis infinita simultas resideret.

Quantum vero singulos juxta eorum ordinem observaret, ac propemodum coleret, incredibile dictu est. Siquos enim a manu, vel ab epistolis, vel ab alio hujusmodi

(*a*) Nulli unquam ex domesticis suis defuit. Eos præsertim, qui in adversam valetudinem incidissent, omni ope sustentandos curabat, dicere solitus: *in eorum subsidium profundendas opes, & citrei mali succus, aut ovi volutatem illis emendam, etiam proposito nummi aurei pretio.* Julium Petrutium, qui ultro missionem postulaverat, & deinde interpositis S. Philippi Nerii, ac Francisci Mariæ Taurusii officiis, iterum inter Ejus familiares recipi optaverat, hisce literis invitavit: „ Jamdiu sponte a me discessisti; „ neque nunc vacua est ea provincia, quam petis, „ neque quæ vacua est, opera tua indiget. Verum, „ si huc redire statuas, nihil tibi, neque ex victu, „ neque ex vestitu deerit; insuper nihil demandabitur negotii, sed sacris dumtaxat, & piis rebus „ vacabis, quantum vires patientur tuæ; imo quod „ voles, id ages, quoniam adeo retinens es sententiæ tuæ. Te semper libens excipiam; hoc enim „ & probitas meretur tua, & amor pollicetur meus, „ quo te semper complexus sum. " Idcirco adeo semper sibi addictos, & similes sui familiares habuit, ut in Mantuæ Ducis Aula dictum sit: *Borromeum duodecim habere ex domesticis, qui Carolo adjuncti, duodecim Apostolorum cum Christo speciem referebant.* Audoënus vero, cum cooptatus esset in Caroli Familiarium numerum, scripsit: „ Non sine „ singulari Dei Providentia factum existimo, quòd „ me hominem peregrinum, & vix nomine notum Illustriss. Dominationi Vestræ ad suam pien„ tissimam familiam invitare voluerit. Ad me verò „ quod attinet, dicam, quod SS. Domini Vicario „ dixi: Illud me præcipue invitat, ut ad te veniam, quòd experiri cupio illud Regii Prophetæ „ oraculum: *Cum Sancto Sanctus eris.*

Digitized by Google

modi officio ſibi addictos noctu operam adjungere opus eſſet; ſomno adhuc oppreſſos præſtolabatur ad condictam horam patientiſſime: ſin autem longior intercederet mora, Ipſe ad eorum cubiculum progreſſus, nomine compellabat leniter, lumenque apponebat ſurrecturis. Quod ſi per quieſcentium aliorum conclavia eſſet penetrandum, detractis ſoleis, caute admodum, & laneo, ut ita dicam, veſtigio ingrediens, curabat diligentiſſime, ne ulli ſomnum improvidus excuteret. Inſitam de more Aulicorum animis lucri cupiditatem ſemper conatus evellere, ſibi uni, non cupiditatibus ſervire docuerat familiares ſuos; quamquam ne ſervire quidem Carolo jubebantur, ſed filiorum inſtar Illi cuncta deferre. Quamobrem ipſorum omnium, itemque affinium ſuorum incommodis mederi paratus, dotem ſæpe, vel in Sororum nuptias numeravit, vel ære liberaliter profuſo, in contubernia Virginum munivit viam: ſæpe etiam peramanter conqueſtus, ſiquis pudore quodam ſubruſtico aperire ſibi domeſtica incommoda gravaretur. Hiſce Borromeus inſtitutis ſuas proferebat in medium opes, ſuorum interim amorem redimens, quorum *unum cor*, *animamque unam* ex Apoſtolico præſcripto eſſe vehementiſſime optabat [*a*].

CAPUT XVIII.

Caroli ſtudium, & cura de animarum ſalute.

HActenus certis quibuſdam veſtigiis Borromeum perſecuti, ſemper in ea verſatum cogitatione intelleximus, ut animarum ſalutem quammaxime ſpectaret. Jamvero rem ipſam ingrediamur; & quantam Ille earum tuendarum curam ſuſceperit, preſſius conſideremus. Mira profecto in ovibus cuſtodiendis vigilantia, & ſpectata ſemper fuit, cujus ergo diſtractum Eum nunquam a Sponſæ amplexibus jamdiu commemoravimus; & inſtitutam legem certo ſcimus, nequis Parochorum ex ovilis finibus pedem, ſe inconſulto, efferret: atque idcirco ſuum Pago cuique Moderatorem attribuerat, qui ſolerter in cujuſcumque mores, & cuſtodiam incumberet. Datæ ſubindæ aliæ Parochis leges, ut ſemel quotannis luſtrum conderent, ſingulosque cenſerent, quò facilius eorum mores veſtigarent, quorum nomen, vultumque noviſſent. Cenſum deinde omnium conſignatum tabulis, oculis offerri ſuis juſſerat, ut totam, quacumque patet, Diœceſim uno ſtatim obtutu complecteretur. Legis hujus utilitate perſpecta, annuum antea cenſum, in menſes poſtmodum haberi ſingulos juſſit. Etenim indicto in menſes Parochorum cœtu proferebatur in medium ſive conſilii, ſive remedii cauſa, quidquid invectam ſanctitatem in Villis deformaret, in Sacerdotum etiam mores quæſtione inſtituta. Soluto Concilio, Urbis regionibus, & Metrocomiis Diœceſeos Præfecti de rebus ſingulis conficere tabulas ſolebant ad Carolum exinde mittendas. Hæc itaque compendiaria Illi excogitata ratio, qua unus omnium oculis in mores ſingulorum exquirendos uteretur. Cum vero præcipue Paſtorali excubandum vigilia cerneret, ut rugientis lupi iram a morituris ovibus averteret; muniendos ideo e vita migraturos quoſcumque validius ſtudue-

(*a*) Bentivolius quidam olim Caroli Familiaris, cum, neſcio, qua de cauſa, miſſionem petiiſſet, & Neapoli magno Principi operam ſuam locaſſet, paulo poſt ad Cardinalem ſcripſit: „ Quo citius licebit ad te redibo, ut inter tuos cooptatus, feliciſſime hanc efflem animam. Totum me arbitrio „ Tuo permitto, & ſtatui ſplendida omnia repudiare, licèt magnifica quæque daretur optio. Tranſigam tecum, quod reliquum vitæ eſt; atque hoc „ ſupplex oro, ut poſtquam me in Tua iterum caſtra recepero, expies quacumque indicta pœna „ crimen meum a tutela Tua transfugientis; quandoquidem manifeſtum eſt, nullam aliam iniri poſſe bene, ſancteque vivendi viam hac noſtra ætate, niſi legibus, atque inſtitutis vivamus tuis.“ Ceterum quàm hunc, licèt transfugam, ex animo diligeret, docuit paulo poſt, dum eumdem, qui in ære ſuo erat, ſolvendi onere liberaret in hæc verba: „ Quod ad pecunias ſpectat, quas mihi debes, ego te reddendarum onere libero, etſi nullo unquam tempore eſſes redditurus; nequid ſerupuli animo hæreat tuo. Verumtamen ſi reddere „ percommodum erit, non ignoras, quos in uſus „ expendam.

Digitized by Google

duerat, quo facilius hoſtilis propulſaretur injuria. Excipere itaque poſtremum morientium ſpiritum Parochi ex lege cogebantur, afflictos ſolari, & conjunctis veluti viribus formidandæ luctæ impetum ſuſtinere. Nec Ipſe unquam hujuſmodi muneri defuit, Sacerdotes, & præſertim Antiſtites (ut alibi meminimus) agentes animam, præſentiâ ſuâ recreans, & proſequens officiis perſæpe, nulla viarum aut importunitate, aut longitudine vix unquam abſterritus. Itaque ſummopere fructuoſum, atque ex re Paſtorali eſſe delatum hoc morientibus ſubſidium cum intelligeret, in ea mente fuit, ut Provincia ſua comprehenſis Epiſcopis id officii pariter præſtandum ſuaderet, quod etiam facile ab eorum pietate impetravit; poſtquam Summus Pontifex Borromei precibus motus, pœna omni noxis debita eos ægros abſolvit, quibus in mortis articulo conſtitutis Mediolanenſis Provinciæ Antiſtes præſens aliquando benedixiſſet.

Tot tamen ſubſidiis cum nondum ſatis conſultum Animarum ſaluti cenſeret, novam iniit regendæ Diœceſeos rationem, qua Patresfamilias Parochorum loco ſingulis domibus attribueret. Juſſerat enim in Parœciis ſingulis indici cœtum quemdam, in quo ſinguli Patresfamilias convenirent. Ibi docebantur primò, quomodo moderarentur domum, & ſanctitatem morum in familiam inducerent: mox an omnia rite peragerentur, rogabantur. Hinc effectum eſt, ut Familiæ cujuſque caput, veluti Paſtor præſens, domeſticis præeſſet, & ſic Caroli monita ad ſingulorum aures quotidie pervenirent. Tantam autem ſolertiam optime collocatam rebatur Sanctiſſimus Antiſtes, cum ſuis ponderibus Animarum pretium perpenderet: turpe exiſtimans admodum, Dæmonem in Animarum exitium ſolertius, quàm in earumdem tutelam excubare Paſtores. Hinc, cum aliquando Antiſtes Romana Purpura inſignis libere ſe poſſe a Diœceſi abeſſe diſtitaret, cauſatus Eccleſiæ ſuæ anguſtiores terminos; auream hanc a Borromeo vocem expreſſit: *Multis Animarum millibus Paſtoralem ſolicitudinem certe obrui, ac ſuperari: Unius autem pretio quantamcumque Paſtoris ſolertiam ſaltem exæquari poſſe.*

Montanas Diœceſeos partes luſtranti diſſiti ſæpe occurrebant pagi, & a Cuſtodum ædibus longe ſepoſiti, cum cenſus deſignari Paſtori alendo pares præ inopia incolarum non poſſent. Angebatur tum intimis ſenſibus Præſul; nec diſpari premebatur ægritudine, cum Paſtoribus morte ademptis, alterius ſubſtituendi prompta ratio non ſuppeteret. Niſi totius Illum Diœceſeos diſtraxiſſet cura, privatam Parœciæ unius adminiſtrationem ſuſcipere non dubitaſſet; atque hæc vehementior Eum perpulit cauſa, ut Sacerdotum eorum, quos Oblatos vocant, Sodalitium inſtitueret, quò promptior, & expeditior curis ſibi ſemper eſſet in ſubſidiis Sacerdotum cohors, quæ inclinatæ aliqua ex parte rei ex Ipſius nutu ſuccurreret. Hiſce omnibus Borromeus cum leges conderet, unice propoſitam voluit Animarum cuſtodiam, quam illis præcipue Inſtitutionum verbis commendavit libro III. cap. II. „ Maximam „ autem vim ad caritatis erga Animarum „ ſalutem ardorem, non modo in mentibus „ concipiendum, ſed alendum, fovendum„ que habebit animo aſſidue cogitare, „ quàm nobiles ſint Animæ, & pretioſæ „ in conſpectu Domini: quanta ſit earum „ dignitas, quas proprio ſanguine redime„ re Filius Dei non recuſavit: quamque „ præcellens opus ſit in eo ſalutari offi„ cio Dei cooperatores eſſe, quo nihil cer„ te in terris majus, aut nobilius, illu„ ſtriuſque excogitari poteſt.“ Alia item Caroli a Baſilica-Petri verba lubet adtexere, quibus Animarum ſaluti obſtrictus vehementer Borromei animus certò teneatur: „ Animarum caritate ſic flagrabat, „ ut dignitatis ſuæ quodammodo oblitus, „ eorum Presbyterorum conditionem quan„ doque toto corde videretur expetere, „ qui agreſtibus, aſperiſque locis Parochias „ habentes, inopem, laborioſamque vitam „ in curatione animarum agebant: ibi de„ mum caritatem oſtendi poſſe, cui nihil „ humani deſiderii, commodive eſſet ad„ mi-

„ miſtum. Hanc ſuorum Oblatorum præ-
„ cipuam eſſe virtutem cupiens, docebat
„ eos frequenter, quàm vehementer eam
„ quæri, colique ab iis conveniret, qui ſe
„ Dei miniſtros profiterentur. Memoria
„ teneo, cum in ædibus eſſet, quæ Canoni-
„ cæ nomine appellantur, quotidie certâ
„ horâ multos ejus Collegii Clericos, qui
„ nomen in Oblatorum Societatem dede-
„ rant, advocaſſe: ſententias ex Euange-
„ lio ſelectas, quæ ad eam rem maxime
„ valerent, tradidiſſe, ac diligenter explic-
„ caſſe: de quibus altero die, cum inte-
„ rim eas meditati eſſent, ſingillatim in-
„ terrogabat, quid ſenſiſſent. Quam qui-
„ dem exercitationem miro ſtudio, ac
„ etiam abjectione obivit complures dies.
„ Quod cum aliquando faceret, præcipuo
„ quodam affectus ardore, ad nos conver-
„ ſus, *Quam libenter*, inquit, *niſi hoc eſ-*
„ *ſem loco, eam amplecterer conditionem, ut*
„ *bono Epiſcopo deditus, nulloque ſtipendio,*
„ *certove hoſpitio nixus, huc, illuc anima-*
„ *rum cauſa mitterer, nulla cujuſvis incom-*
„ *modi, vel laboris habita ratione.*

Eaſdem, quibus Ipſe urebatur, faces, Sacerdotum, Adminiſtrorumq; ſuorum animo ſubjicere conſueverat; quare in hanc rem plures extant in Synodis habitæ orationes, privatique, quibus eos inflammabat, ſermones acri quadam, & vehementi dicendi ratione redundant. Lubet hoc loco pauca ex undecimæ Diœceſanæ Synodi Oratione tertia delibare, in qua propoſito Sanctorum exemplo, & præcipue Catharinæ Senenſis, quæ ſe Inferorum cruciatibus devovendam obtulerat, nequis ex Chriſti grege periret, in hæc verba concitatus, & incenſus Orator erumpit: „ O
„ zelus vere Chriſtianis omnibus digniſ-
„ ſimus! O ſi videremus, quid ſit e fau-
„ cibus Inferni animam unam liberare;
„ non dubito profectò, quin hodie pluri-
„ mi ad nos accederent, qui ſe ſe Obla-
„ tos fieri poſtularent: & non modò mon-
„ tes tranſirent; ſed etiam apertiſſimis,
„ & maximis quibuſcumque vitæ pericu-
„ lis ſe ſe exponerent, ubi ſpes aliqua eſ-
„ ſet vel unius etiam animæ recuperan-
„ dæ! *Quam ſpecioſi pedes hujuſmodi euan-*
„ *gelizantium pacem!* Quid mirum, ſi ſan-
„ ctiſſima hæc Virgo Senenſis, quâcum-
„ que Prædicatorum quiſpiam tranſiret,
„ ſtatim terram oſculabatur, quam coope-
„ rariorum Chriſti pedes calcaſſent. Nil
„ Deo eſt gratius, quàm Filii ſui fieri
„ nos coadjutores: nil Chriſto delectabi-
„ lius, quàm reperire qui ſecum jugum
„ hoc trahant: nil magis Sanctam Ma-
„ trem Eccleſiam recreat, quàm filios ſuos
„ ſic parturientes aſpicere. Hi denique
„ Infernum ſpoliant, Dæmonem proſter-
„ nunt, peccatum exterminant, Paradi-
„ ſum aperiunt, vacuas Cœli Sedes re-
„ plent, Angelos lætificant, Sanctiſſimam
„ Trinitatem glorificant, & æternas ſibi,
„ ac immarceſcibiles coronas præparant.

Hiſce ſacrum Ordinem verbis inflammabat, ſtimulum addens, ut ita dicam, currentibus. Porro concitabat etiam acrius profanos homines, cupiens, quo Ipſe ardebat amoris incendio, univerſum terrarum orbem feliciter conflagrare. Idcirco tot virorum, fœminarumque inſtituit cœtus in divinum hoc opus evocatos: atque Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutionibus: addictos viros cum certis formaret legibus, hæc præcipue commendavit: Ne ab hac contentione animum laxarent, & magno emptas pretio hominum animas ſumma ope curarent ex hoſtium manibus redimendas. Quapropter complectebatur peramanter quoſcumque ſimiles ſui; eaque impetrabat a Carolo hujuſmodi hominum humilitas, quod vix Procerum dignitas, unius commendatione nominis freta exoraſſet [a]. Ne-

(a) Inflammatus hoc animarum tuendarum ſtudio Carolus, alios etiam accendere ſtuduit. Teſtantur hoc ſequentes epiſtolæ, quarum unam Epiſcopo Novioduni dedit in hæc verba: „ Nihil eſt (quod „ te non latet) ſuapte natura præſtabilius, nihil „ excellentius, quàm fidelem ſe, ac navum Dei, „ in hominibus ad æternam ſalutem vocandis, at- „ que excitandis, adminiſtrum præbere. Maximum „ enim, (ut S. Gregorius Nyſſenus ait) & maxi- „ me regium Dei opus eſt, humanam ſervare na- „ turam. Hanc ut rediineret Jeſus Chriſtus, & „ laborioſiſſimam vitam vixit, & acerbiſſimam mor- „ tem

Neque inerti vocis officio contentus ad hanc veluti metam hæſit Borromeus; ſed ſtrenuam operi adjungens manum, medicam alienis vulneribus opem admovit. Solicite aliorum operâ perditos quoſque, & conſepulta tenebris crimina proferebat in lucem, remedia inſtruens, quibus hærentes in criminum cœno tandem emergerent. Suis perſequens unumquemque veſtigiis, ægram, & prope depoſitam Reipublicæ partem Ipſe ſuſceperat, deſperatos etiam ſanari poſſe non deſperans. Horum penes Illum erat nomenclatura; unumquemque deinde arguens, obſecrans, increpans, impellebat demum, ut ab bonam ſe frugem reciperent: nunquam ullius curam dimittens, niſi ſalva omnino res eſſet. Me quoque cum Urbis hujus Regioni præfeciſſet, ſchedam obtulerat, qua quorumdam labes plane edocerer; eorumque dum mores intentius veſtigarem, certo innotuit, Ipſius operâ paulo ante eos reſipuiſſe. Prona autē in utramque partem ſua ſemper officia protulit Borromeus, ſive Principem virum, ſive humili loco natum ſors obtuliſſet. Opportunitatem vel loci, vel temporis nactus, monita ad ſingulorum moderabatur ingenium, in eamdem tamen *Regni Cælorum ſagenam* omnes impellens. Hinc immenſa Illi libellorum, imaginum, atque hujuſmodi, veluti ſacræ mercis, comparata ſupellex ad aurium oculorumque ſuaviorem illecebram: Hinc frequentiſſimæ ad Populum ſive Diœceſim, ſive Provinciam luſtrantis conciones, atque indicta Synaxis: Hinc demum cum rudibus quibuſque obviis inſtituti humaniſſimi ſermones, & crebra de divinis oratio. Alpinos ſæpe juvenes in agmen diſpoſitos interrogationibus laceſſens, ſacras interim res, ultro, citroque jactatis reſponſis, edocebat; atque ut venales ſaltem aures facilius accommodarent dicenti, denarios abiens numerabat in capita. Lepontios quondam dum obiret, ad deviam caſam ſedentem puerum contemplatus, exceſſit e ſemita; eumque conveniens, Crucis ſigno munire ſe rite edocuit: Orationem Dominicam in ſingulas dictiones patientiſſime dividens, atque duriori cerebro infigens, diu hæſit conſtantiſſime, nihil commotus, graveolenti, & ſimo illita veſte, quam ſordidam recenter attulerat ex beſtiarum cuſtodia, quibuſcum illi erat tecti, atque ingenii conjunctio. Leviora hæc tamen erant in alpibus ſtudia, ſi cum urbanis curis comparentur. Politior huc literatura, & pro auditorum indole, ac conditione afferenda. Plura erant eorum adeunda Collegia, qui teretes aures haberent, intelligenſ-

„ tem obiit; mille denique argumentis teſtatus eſt, „ quam ſibi cara eſſet vel unius animæ ſalus. „ Ex quo intelligitur, quanti facienda ſit boni Epiſcopi, (qui hoc unum agit, ut in tanta re Dei „ quaſi adjutorem ſe ſe præſtet) fides, ac diligentia. Equidem nihil libentius audire, nihil pluris „ æſtimare ſoleo, nihil denique eſt omnino, quod „ me uberiori lætitiæ voluptate perfundat. Videor „ enim in unius Antiſtitis, qui perſonam ſuam „ laudabiliter ſuſtinet, & munus accurate adminiſtrat, vigilantia, & ſolicitudine, multarum animarum ſalutem, innumerabilium virtutum ſegetem, bonorum operum ſeminarium videre.

Altera indicat ſuſceptam ab Eo in Hiſpaniis animarum curam. Audi quid ad Joannem Valentiæ Archiepiſcopum, & Patriarcham Antiochiæ ſcripſit: „ Maximæ mihi voluptati fuit ex literis tuis cognoſcere vere paternam curam, ſolicitudinemque, „ quam in Diœceſi tua obeunda, luſtrandaque adhibes; iiſque præcipue locis ſolicite viſitandis, „ quæ propter regionum, ac morum aſperitatem „ magis egent præſentia Paſtoris ſui. Nam & ipſe „ Princeps Paſtorum Jeſus Chriſtus, relicto illo „ ampliſſimo grege feliciſſimarum mentium, e cælo deſcendit in terras, ut centeſimam ovem errantem, & vagam quæreret, & in ſalutis æternæ viam, portumque revocaret. Equidem in Te iſthæc loca tanto labore peragrantem, mentis „ oculos intendens, ſentio, me in Eccleſia mea „ obeunda, viſitandaque non leviter excitari. Cum „ vero tu in gregis tui cura, neque labori, neque „ ullis difficultatibus parcas; non video, quare me „ velis corpori meo parcere, atque indulgere: „ Cum præſertim non ignores, quot, & quam gravibus de cauſis Epiſcopum, qui labore, & incommodo ſuo omnium utilitati conſulere, & ſervire debet, non oporteat eſſe delicatum. Sed „ agnoſco in tam amica ſive admonitione, ſive adhortatione, benevolentiam in me ſingularem, „ Quam omni metu ut ſolvam, perſuadeas tibi velim, me eam vitæ rationem ſequi, quam ad „ Archiepiſcopale munus gerendum, laboreſque tum „ ſuſcipiendos, tum ſuſtinendos maxime accommodatam eſſe & video, & ſentio. " Hinc frequentiſſimæ illæ ad Parochos preces, quoties ad ſe eos evocaret: *Caverent interim, ne quid detrimenti Grex caperet.*

Digitized by Google

genſque judicium. Doctores enim vero, Juriſconſulti, Magiſtratus, Canonici, Sacerdotes diverſis quidem temporibus, atque ordinibus accommodatam orationem excipiebant: Nunc Virginum, nunc piorum pluribi collectis, aut inſtitutis conventibus Paſtoralis facundiæ vis erat impertienda. Quod quidem cùm aſperum per ſe ſe, atque difficile, tum immenſo cum labore erat conjunctum. Porro non adeo mirum putes, quod ſingula præſtaret Borromeus, quàm quod omnibus expediendis tempus ipſum ſuppeteret. Cui quidem incommodo conſulturus, in memoriæ ſubſidium rerum ex præſcripto agendarum pagellam indicem ſecum circumferebat. Finem vero ſolicitudinis ſuæ vix uſpiam circumſcribas. Literis excitabat, quos voce non poterat, hinc Antiſtites ad Sedes revocaturus ſuas, inde Synodos inſtituendas, aut extruenda Collegia ſuadens, Pontificem ſæpe urgens, quò ſuſcepta conſilia potenti corroboraret manu, omnia denique ubicumque capaci mente complexus, ut ſalubre eo tempore vix alicubi inſtitutum extiterit, in cujus aut inventi, aut perfecti gloriam Carolus ipſe non venerit.

Sed non vacat aliena urgere teſtimonia, cum locupletiſſimum afferat Mediolanenſis Eccleſia ad ſummam ſanctitatem, morumque diſciplinam Ejus contentione compoſita. Vineam hanc vigil Cuſtos nactus ſpinis obſitam, dumiſque horrentem, frugiferam poſteris tradidit, & fructuoſam; in eaque Gabriel Paleottus verſatus ſub Ejus Pontificatus finem, magnifice commendavit inquiens: „ Quo te præconio „ celebrem Urbs pulcherrima? Sanctita„ tem, & religionem admiratus tuam, ex„ preſſam in te Solymæ imaginem videor „ intueri, quam Antiſtitis tui laboribus „ referre debes acceptam. “ Sane nulla addicta Clauſtris familia Cleri Mediolanenſis mores ſuperabat; Populi vero totius in exterorum exemplum pietas redundabat, in quo Philibertum Allobrogum Ducem aliquando Carolo gratulatum, ex ipſius voce magnifice accepimus [a].

CA-

(a) Nonnulla innuemus breviter, ex quibus ad omnes pertinuiſſe hoc Animarum ſalutis ſtudium certo conſtabit. Quoties per literas officioſe monebatur, aut de aucta aliorum dignitate, aut de initis nuptiis, aut de exortis diſſidiis, reſponſiones ſuas eò ſemper deflexit, ut populorum utilitatem, Chriſtianam diſciplinam, omnium concordiam pro virili promoveret. Mediolanenſem Patricium Gabrielem Verrum, ex nobili ea profectum ſtirpe, qua Eccleſiaſticus item, ac Senatorius in Urbe noſtra Ordo luculenter in hanc ætatem ornatur, cum ex ea habeamus geminos fratres: Antonium in Metropolitana Baſilica Canonicum Ordinarium Decanum religione & pietate inſignem; & Cl. Virum Gabrielem Regium Senatorem Ampliſſimum, & S. Stephani Ordinis Equeſtris in Etruria Commendatorem celebratâ apud Tranſalpinos atque editis Libris abunde teſtatâ doctrinâ, ac rerum Civilium ſcientiâ præſtantiſſimum, audiens juſſum S. R. Rotæ Auditorem, ita hac Epiſtola inflammavit: „ Delata nuper „ dignitas te vehementius hortatur, ut conceptam „ a Magno Etruriæ Duce de prudentia tua expecta„ tionem impleas. Quoniam vero probe noſti, nihil „ a nobis divino auxilio deſtitutis præſtari poſſe; „ idcirco, ut divinam promereare gratiam, & tuea„ re, ſive qua irriti labores humani omnes cadunt; „ utque præterea munus hoc demandatum pro re„ ligione tua exerceas, uno Deo, velut fundamen„ to, debes inniti, ſacra ſæpius percipere Myſteria, „ auxilium enixis precibus poſtulare, atque alias „ ſacras exercitationes adjungere, quæ opportuniſ„ ſima ſunt, ad ea impetranda a *Patre luminum*, „ quæ maxime ad Divinam voluntatem implendam, „ munuſque noſtrum obeundum videntur conferre. „ Quæ utinam Deus abunde largiatur. “ Quod ad nuptiales gratulationes ſpectat, ſuppetunt in ſuperiore hiſtoria allata a nobis monumenta. Pro jurgiis vero componendis, unum affero exemplum paternæ vere ſolicitudinis, qua diutius conatus eſt componere vehemens exortum diſſidium inter Equites Mediolanenſes Alexandros Sclafenatum, & Verrum, Gabrielis nuper memorati Fratrem. Plures extant ad utrumque Epiſtolæ amoris plenæ, in quibus fatetur, ſe utramque familiam ex animo diligere, multa ab utriuſque pietate ſperare, enixe demum obſecrare, ut jurgiis veteribus animæ ſemper, & domeſticæ etiam rei ſæpius perniciosis, finem imponant. Revera adeo ſe totum in hanc curam abdiderat, ut geminos ex primariæ nobilitatis flore controverſiarum hujuſmodi arbitros elegerit: Proſperum Columnam & Octavium Gonzagam. Suppeterent aliqua etiam dicenda, ut doceamur quam late pateret hoc Animarum ſalutis ſtudium. Sed alibi jam retulimus, quàm libenter amplexus ſit publicæ Religionis tutelam non in Italia dumtaxat univerſa, ſed in Germania, Gallia, Hiſpania, & Lu[illegible]nia. Duo dumtaxat addam. Unum quidem: quod cum audiſſet geminos Romanos Cives Marcum Antonium Benzonum, & Gaſparem Micinellum indiviſe invicem locum pro ſingulari ineundo certamine; Carolus ferme impatiens ad Ferrariæ & Mantuæ & Etruriæ Magnum Ducem vehementiſſimas ſtatim literas dedit, ne ullibi in eorum ditione peſſimi exempli certamen iniretur. Alterum ſpectat ad indi-

can-

CAPUT XIX.

De ſplendida in hoſtes ipſos beneficentia.

SÆpe jam vidimus, plures fuiſſe Carolo oblatas, ac graves moleſtiarum tempeſtates; omnes tamen reſediſſe fluctus, partâ Illi maximâ benevolentiæ gloriâ accepimus. Etenim impios homines, patriæ, paciſque turbines, ſedato animo, ac benevolo ita fregit, ut nulli æque tutò fiderent, quàm offenſo Borromeo. Maxima Illi intulere Humiliati diſcrimina; maxima item ab Eo beneficia retulere. Quæ quidem ut ſingularis habita animi benignitas fuit; ita etiam in communem adverſariorum ſuorum utilitatem inpoſterum ceſſit. Parum ab Humiliatorum animo diſcrepabat Equitis cujuſdam ingenium, qui veluti tuba ſuſcepti in Borromeum belli, Legationis etiam in Eum miſſæ princeps extitit, ſuo magis odio, quam Urbis nomine fœde abuſus. Carolus autem idem in eum, qui erga Humiliatos, fuit. Poſtmodum enim ex veteris dignitatis gradu ille dejectus, & Regis decreto in Hiſpaniam, ut ſe purgaret, accitus, utilem ſibi admodum Terrænovæ Ducis ſupremi Inſubriæ eo tempore Moderatoris commendationem ratus, muniendum ſe ejus literis curaverat. Duce autem tergiverſante, & Caroli operam opportuniorem ad Regis, utpote Illi amiciſſimi, deliniendum animum pollicente, diu multumque hærens Eques, quem ab Eo adeundo pudor ſimul, & odium avocabat, demum, ut ſuæ magis calamitati ſerviret, quàm animo, rem cum Cardinali per Patricios internuntios peragere inſtituit. Suo tamen magis amore, quam precibus victus Borromeus peramanter reſpondit: *Dilectum ſibi ſemper Equitem; vitia diu improbata fuiſſe; quare veteris dilectionis recens pignus tutelam ſe illi omnem ſuam, ac patrocinium libentiſſime offerre: Equiti licuiſſe quidem eſſe Carolo inimicum, non autem Deo, cum quo ut in gratiam rediret, vehementer optabat.* Recreatus humaniſſimo reſponſo Eques, emendata jam aliquot, & ab oculis civium remota crimina fidenter per interpretes expoſuit; pollicitus etiam omnia ſe abunde ex Antiſtitis voto præſtiturum inpoſterum: qua prævia legatione devinctum ſibi, ut erat, Caroli animum ominatus, adire tandem coram decrevit. Itaque hunc Paſtor amantiſſimus demiſſo accedentem vultu vix conſpicatus, præceps in amplexum occurrit, tanta caritatis ſignificatione, quanta conſanguineum quemque vix unquam dignatus eſt; gaudio autem tanto, ut præſens Ejus Domeſticus Gluſſianus veterum diſſidiorum memor, expreſſam in Carolo *Patris*, in Equite *Prodigi Filii* graphicam imaginem, ſcripto fuerit teſtatus. Hæc autem leviora amantis officia: poſtmodum verborum teſtificationem facti conſecuta eſt fides. Datis enim literis, mox Regi adverſarium commendavit; atque in luculentius amicitiæ teſtimonium, illum Procuratoris ſui nomine, & honorifico diplomate ornavit: eodem uſurus ad pecuniæ ſibi ex Uritano Principatu divendito obvenientis reliquam penſionem in Hiſpania exigendam; quæ deinde æris ſumma, interveniente Borromei morte, Xenodochio Mediolanenſi hæreditario jure obvênit. Tantus Borromei favor ſalutaris admodum Legato, quoad vixit, fuit; utilior etiam futu-

---

candum ſanctitatis ſtudium, quod a Sacris Deo Virginibus exegit. Hoc autem patebit legenti epiſtolam datam ad Sorores Hippolytam & Portiam de Loffredo, in Neapolitano S. Gaudioſi Monaſterio degentes: „ Victus repetitis precibus tandem non „ repudiabo ſacrum illud munus, quod verbis ve„ ſtris menſe ſuperiore mihi oblatum eſt. Nolite „ autem a me ullas expectare gratias, quarum loco „ paternum addam monitum, quod ſummi momen„ ti, & opportunum admodum puto ad conſervan„ dam animi ſolitudinem, ac Mundi vitandum „ commercium; quemadmodum Monaſterium in„ gredientes profeſſæ eſtis. Hoc igitur moneo, „ ut caveatis quammaxime, ne mentem veſtram a „ Divinis alienetis, ſive in literis dandis, ſive in „ muneribus offerendis, utcumque minimis. Id ego „ ſanxi in Parthenonibus meis; & pro certo habeo, „ inſtitutum idem, a vobis etiam cuſtoditum, maxima „ cum animæ veſtræ utilitate conjunctum iri; que„ madmodum ex adverſo facere impedimentum pro„ greſſionibus veſtris objiciet, quæ maxime re„ ligioſis Virginibus cordi eſſe debent. Mihi vero „ muneribus multo cariores futuræ erunt frequen„ tes veſtræ & fervidæ apud Deum preces.

Digitized by Google

turus, niſi importuna mors ante quæſtionis finem incidiſſet. Sic improbe ſuſceptam ab Equite legationem alia honorificentiori commiſſa Legatione ultus eſt Borromeus. Semper itaque ſui ſimilis Carolus erat, ſive in improbos acer exiſteret, ſive in Eccleſiæ jure tuendo vehemens videretur; quos enim Antiſtes impios mulctabat, eoſdem Pater reſipiſcentes officioſe complectebatur. Cujus paternæ pietatis cùm multa jam pluries memorata ſunt exempla, tum illud non eſt prætereundum, quo mentem ſuam in Magnum hujus Urbis Cancellarium comprobavit. Ex Fidelium ſocietate exturbaverat Carolus Variſii Prætorem, Sacerdotis in cuſtodiam traditi reum; quem, licèt facti pœnam humiliter deprecantem, gravate admodum audiebat; cum nullum, niſi ad Romanam Sedem, illi perfugium patere vellet, quò ſalutare omnibus in futurum tempus documentum conſtitueret. Accedentibus demum Magni Cancellarii precibus, quem antea ſimili pœna abſolverat, in eam ivit ſententiam, ut adverſario petenti id facile concederet, in quo ceteris omnibus difficilem ſe plane præbuerat. Hinc Cæſare Porto Variſii Sacris Præpoſito Bergomum, quo luſtraturus eam Provinciæ partem Carolus iverat, accito: *Nunquam*, ait, *hæc mihi mens fuerat hujuſmodi hominem inflicta pœna liberandi; Sed repetitæ Magni Cancellarii preces me ab hac depulere ſententia: & quoniam nullum hactenus poſt ejus reconciliatam gratiam extitit ſingulare amoris in eum mei indicium, hoc certiſſimum exinde ſibi habeat obliteratæ injuriæ pignus.* Quare propenſa ſemper Sua in adverſarios caritas hoc uno veniâ indignum non cenſuit Prætorem, quòd adverſarii officio dignus videretur.

Inita iſthæc gratificandi inimicis ratio Carolum etiam eo compulit, ut parcere iis etiam diſceret, in quos maxime animadvertere jure ſuo debuiſſet. Urbanus quidam Parochus diſciplinæ impatiens, conſtitutas leges ægre ferendo, ægrius etiam aliis ferendas fecerat. Maxime urebat hominem interdicta ex ſanctione comeſſatio, quæ, recurrente Tutelaris Sancti feſto die, celebrari antea conſueverat. Itaque legem ipſam, ac legis latorem in contemptum adducturus, ſociis aliquot eodem in ludo edoctis convivium magnifice, ac ſplendide ornavit. Ipſa loci ſuburbani amœnitas, & convivantium hilaritas ſympoſium græco more indixerat. Sed nihil minus, quàm in ebrietate peccatum. Etenim compotationem ſecuta eſt fabula, in qua mimica convivarum petulantia Cardinalem, veluti opportunum injuriæ, ridendum omnibus propinavit. Parochus ipſe maxime ludius, nec ſolum ſpectator, ſed actor felleum drama cum exercitatis ſannionibus ſub veſperum confecit. Vulgata publico ſermone res ſuſpenſam tenuit Civium expectationem, quò tandem juſta Borromei erumperet offenſio. Sed ipſa ſuſcepta cum Carolo inimicitia in hominis nocentiſſimi beneficium vertit. Malens enim Antiſtes a jure, quàm ab amore decedere, durius nihil in reum ſtatuit; ſed compellatum ad ſe non iracundiæ, ſed lenis querelæ vocibus flexit, ac vicit; qua de re attonitus, veluti clementiæ miraculo, Sacerdos, cum in genua procumberet, veniam ferme, antequam poſceret, impetravit. Adeo, cum reus omnium jam eſſet præjudicio damnatus, unus tamen ſe Judicem eſſe Borromeus ignorabat [a].

CAPUT XX.

De paterna in corrigendo caritate.

QUos tamen ulciſci nunquam ſtuduit, ſanare ſemper Carolus optavit; quare

(a) Præ omnibus amoris ſui erga adverſarios argumentum ſit epiſtola ad Cardinalem Novocomenſem data anno MDLXXXI, qui ſe rogaverat, ut illatæ a Ticinenſi Vicario injuriæ memoriam obliterare vellet, de qua ſupra egimus ad Cap. IX. Lib. VI. „ Ingenue „ fateor: omnia jam excidère, quæ a Vicario illo „ Ticinenſi acta in poteſtatem meam ſunt. Neque „ ego rogandus ſum veniam pro ea injuria, quæ „ palam Eccleſiæ meæ impoſita ab eo eſt. Contumeliam illam condonare Pontifex debet, cujus eſt „ in hujuſmodi reos animadvertere. Quare illam „ Summo Pontifici verbis meis commendatiſſimam „ habe, quo facilius veniam impetres.

Digitized by Google

re mitiora nactus remedia, acerbæ quidem, non tamen liberæ vocis officium unquam omisit [a]. Fodiebat Ejus animum mœror ex aliorum noxis susceptus; neque ullam sibi impertiri quietis partem videbatur, nisi in præceps labentes consiliis suis revocasset. Siqua unquam de Cleri moribus querela ad aures perveniisset, eminebat statim in vultu dolor; cum tristissima criminum, & damni ex iis redundaturi mentem subiret cogitatio. Ocyus itaque recenti vulneri admoturus manum, prudentiâ vim temperabat; & pessimam luem cum ferre non posset, tamen, nequod suboleret ipsius indicium, solertissime providebat, de nocentium præsertim Sacerdotum fama retinenda solicitus. Ajebat sæpius: *inustam Sacerdotum moribus notam in nova eos scelera concitare; deinde apud plebem Mystam semel abjectum, nulla exinde auctoritate pollere; & inania fore eorum dicta, si nossent vitam dissentire.* Quare nihil de Sacerdotum vitiis emanare in publicum patiebatur; sed clam vocatos, aut mitioribus perstringere verbis solebat, aut si res postulasset, vel certis cum pœnis dimissos, vel in secretiora domus conclavia abditos, jejunio, aut salutari alio supplicio mulctabat. Intercipiebat interim offerendas inposterum criminum opportunitates; nam diversa causatus, aliam administrandam iis attribuebat provinciam, famâ semper integrâ, animis vero pœnitentiâ integratis. Hinc tanta collecta sibi erat benevolentiæ existimatio, ut plurimi Ejus præcipue amorem veriti, enixe curarent, ut a se labem omnem, a Carolo dolorem sancte vivendo depellerent. Defuncto autem Borromeo, maxime patuit Cleri universi in Eum amor, qui lacrymis confectus Patrem sibi ereptum dolenter obtestatus, fatebatur, & sibi nunquam Carolo similem Antistitem adfore, & parem Cleri fiduciam venturo Præsuli defuturam.

Neque ullus tormentorum apparatus, aut producti testes veritatem a nocentibus, cum Borromei judicium subirent, elicuere; sed Pater sedens amantissimus, Judex idem, ac testis, criminis confessionem facile semper excussit; cum pudendum nulli videretur crimen, quod Judici non pœnitendo aperirent. Hinc crimen sententia prudens consequebatur. Aliquando scelus accusans, sceleśti animum excusabat: aliquando aliena suggillaturus crimina, sua proferebat in medium, amice dolens alienis se quoque monitis destitutum facile in vitia prolabi; sic suspensa veluti manu attrectans vulnera, cavebat, ne violentum cum aliquo doloris sensu unguem injiceret, remedium tamen ut semper afferret. Neque minus libere actum Illi cum Principibus viris fuit, quorum fovere vitia hominum assentatio consuevit: Eoque libentius emendare ipsorum mores nitebatur, quo rarius salutare monitum ad eorum aures permanat. Hinc sæpe publicis provisum commodis fuit, uno curante Borromeo, & mali alicujus disseminanda contagia Unius monitis aliquando

(a) Gemina dumtaxat asperiora Borromei dicta in ejus vita animadverti, quorum tamen asperitatem mitigabit divinæ gloriæ, quo flagrabat, studium. Primò: cum Scultenam trajicere Romam iturus, optaret, & nautam auditet in blasphema erumpentem verba, ad suos conversos hæc ait: *Certe dignus hic mihi videtur, cui stirpitus lingua evellatur.* Alterum scribit Carolus a Basilica-Petri: „ Cum sancitum edi„ tum esset *de barba Cleri radenda*, Carolus Colle„ gium quoddam Canonicorum recognoscens, quem„ dam, qui adhuc non paruerat, reprehendit. Hu„ jus nomen erat gravi de crimine delatum. Homo „ respondit: *pudere je: rasosque Clericos remigum sibi „ similes videri.* Tum severe Carolus, *at*, inquit, „ *adhuc pendet causa tua.*" Ceterum incredibilis Borromei corripientis suavitas fuit; nam lego, aliquando ab eo Hippolytum Setam, Busti Sacris præpositum, fuisse reprehensum, quod nonnullos dies jusserit, Sacerdotem vitio aliquo notatum, publico carere, scripsitque, *nimis severe actum ea pœna, quæ carceris veluti nomen haberet: & moderate animadvertendo, facilius corrigi peccantes posse.* Aliquando sermonem cum familiaribus de vitiis suis instituit, rogavitque adstantes, ut quidquid animadversione dignum in se ipso comperissent, libere objicerent. Itaque cum aliquis reposuisset, nihil in eo censura dignum videri, Carolus respondit: Timere se, ne nimiæ severitatis in retinendis legibus notaretur. Ceterum addidit: *Nullum venia indignum puto, nisi qui præfracto animo peccare in leges velit.* Hinc Chartularius, qui quæstiones de Cleri criminibus agebat, dixit: „ Brevi mutam Archiepiscopi Curiam „ fore; nam quoties reus quispiam veniam demis„ so animo peteret, & rediturum se ad meliorem „ frugem polliceretur, facile admodum a Cardinali „ dimittebatur impunis.

do compreſſa. Pervagatam tantæ Sanctitatis famam exteri verebantur omnes, & Caroli adventum publica pietatis teſtificatio, & quandoque annonæ vilitas conſequebantur; Pudebat enim fœneratores quidquam de ære pauperum detrahere, Eo præſente, cujus fortunæ omnes in jure miſerorum eſſent. Coronidis loco apponatur, quæ pluribus miraculo fuit, inducta in quoſdam Caroli voce morum mutatio. Diuturnâ flagrabat domeſticæ turpitudinis infamiâ in primario Inſubriæ oppido Sacerdos. Huc appellit Diœceſim obiens Borromeus. Ocyus opportuna piorum hominum ſolertia, omnia apud Sacerdotem profligata, & perdita eſſe defert. Vocat ad ſe hominem Antiſtes, blande excipit, remotis arbitris obſecrat, arguit, increpat, demum ſine ſupplicio impune dimittit. Magna oritur ex Præſulis pietate admiratio plebis, imo ex diſſimulata ejus improbitate admurmuratio; ſed majorem brevi admirationem omnium movit nova indita ejus moribus religio, cum repente ex uno Caroli colloquio meliorem rediiſſe intuerentur. Ad Helvetiorum fines proruptæ audaciæ in Eccleſiam, & ſacros quoſque homines bacchabatur profanus homo, & ebrioſus adeo, ut morbo lethali correptus, ſupremis conſignatis ante obitum tabulis, ſibi animâ exhalaturo ingentem meri copiam infundi juſſerit. Convaluit præter ſpem æger, nondum tamen inveteratæ ebrietatis morbo depoſito; quem cum Cardinalis ſecreto dignatus colloquio eſſet, atque ad horam ſermone vehementi quidem, ſed ſuavitate reſperſo commoviſſet; adeo de illius improbitate triumphavit, ut impias reſignans tabulas, vixiſſe tum primum ſibi, ceteriſque videretur. Plura conſulto prætereo ejuſdem notæ, quibus teſtatum reliquit Carolus, ſedari ſuppliciis improbitatis ardorem poſſe; unâ tamen benevolentiâ funditus extingui (*a*).

CAPUT XXI.

Quam demiſſe de ſe Ipſo ſentiret.

PRincipem inter Borromei virtutes locum tenuit animi Demiſſio, quæ cum in vivente Antiſtite emineret, tegi ſe, atque occultari ipſo in ſepulcro non potuit. Etenim Ille majorem delatis honoribus animum geſſit; cumque tantam præ ſe dignitatem ferret, quantam vix Roma capere poterat, contemptu ipſo dignitatis ſupra dignitatem poſitus, & demiſſionis amore captus, docuit honore publico privatam humilis animi magnitudinem exæquari non poſſe. Avunculo renuntiato Pontifice, latêre in Inſubricis tenebris ſtatuerat; niſi ejus imperium in Romanam lucem extraxiſſet. Purpura ornatus, cum omnia ſibi devolare ultro in ſinum ornamenta videret, atque humeris orbis imperium ſentiret incumbere, ſemper in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſit. Præclariſſimis auctus titulis, & cenſibus plane opimis, non animum flexit, neque rapi ſe illo veluti honorum æſtu eſt paſſus; cum ad cognitionem ſui veluti ad columnam adhæreſceret. Dignitatis ornamenta cum Deo referret accepta, occidere omnia putaſſet, niſi ad Reipublicæ Orthodoxæ utilitatem vergere poſſe judicaſſet; quodque Chriſtianæ humilitatis certius videtur indicium, nunquam de ſe abjectius ſenſit, quam cum de Borromeo magnifice omnes ſentirent. Hinc utilitatis publicæ expertes titulos ſplendide repudiavit, & Magnus, ut dicunt, Camerarius eſſe noluit, cum ſe omnium poſtremum arbitraretur. Fratre orbatus, & confluxura adhuc ampliora in ſe ornandum decora ominatus, ſpem etiam ſuam, aliorumque decepit, religione in perpetuum clam Pontifice obſtrictus. Quid quod, cum magnus præclare adminiſtratis Provinciis videretur, maximus videri voluit depoſitis; ſubla-

(*a*) Etiam ceſſante vocis officio, habebat Carolus oculos ad arguendum eruditos. Nam cum aliquando audiſſet aliquem ex Sacerdotibus ſuis ea uti veſte, quæ dignitati quidem conveniret, non tamen cuicumque loco videretur opportuna; illum ad ſe evocatum fixo obtutu intuens, & tacitus diu & ſine ulla vocis ſignificatione tandē dimiſit; quare unis oculis indicavit, tacere quidem de ejus levitate ſe poſſe, vitium tamen diſſimulare non poſſe.

Digitized by Google

sublatâque sibi publici commodi curandi opportunitate, Sacerdotia, annuosque census resignans, attonitam rei novitate Romanam Urbem tenuit; docuitque, neminem caste ad honores posse accedere, qui pro arbitrio non posset a dignitate discedere. Constans etiam plurimorum sententia fuit, de Romana Purpura, & Mediolanensi Insula deponenda dubium hæsisse Borromeum, nisi Ejus animum multorum auctoritas, & omnium futura utilitas confirmasset (a).

Hæc tamen, cum præstitisset, quæ sanctitatem egregiam testarentur, nemo demisse de sua Ipsius sanctitate sentire Carolum autumasset, quam omnis esset etiam celebratura posteritas. Sensit tamen; suamque dum ceteris innocentiam probaret, nocentem semper unus se censuit. Nemo Caroli vitæ, si Carolum demas, notam inussit. Hinc complecti amore singulos, qui suas sibi labes objicerent: orare sæpe quosque, & obtestari, ne taciti errores dimitterent suos; & sæpius concilium Familiarium cogere, quorum quisque in id conspiraverat, ut reprehendere libere alterum alter posset, neque invite se pateretur reprehendi. Cum autem vereretur, ne sua ipsius dignitas liberam censorum vocem comprimeret, veluti domesticis diffisus, preces admovebat externis, ut quidquid nota dignum libere objicerent, hoc unum veluti metuens, ne aut noxæ expers, aut venia dignus videretur: inani tamen prorsus humilitatis officio, cum nemo de Borromei sanctitate exactiùs ferre sententiam posset, quàm Borromeus. Hujusmodi Censorem sibi forte elegerat Placentinum Episcopum Serram, Purpura Romana, & Gallica deinde Legatione percelebrem, multum incorrupto ejus judicio deferens; Quotidianos autem geminos gravissimos Sacerdotes in idem munus destinaverat, qui, cum lateri semper hærerent, ne quidquam in se censoriæ severitatis omitterent, vehementer oraverat.

Remotissimam laquearia inter, tectumque sedem nactus, iisdem obruit tenebris, quidquid cum divinæ contemplationis studio solet esse conjunctum; virtutesque suas, ac pœnitentiam præsertim, quæ cùm in familiarium necessario incurrebat oculos, tum efferri palam, atque in ore hominum versari ægre ferebat: eos etiam fallere conatus, quos testes haberet, caussatusque multa sæpe ex tempore, quibus alium abstinentiæ suæ colorem allineret. Qua de re insitam aliorum animo Sanctitatis suæ opinionem conabatur evellere, quam altius tamen præclare gestis inserebat. Sola publicam Sanctitatis significationem aliquando extorsit exempli statuendi necessitas; nec puduit pium, ac religiosum videri, ubi populus ad Religionem documento suo excitandus videretur. Nullus certo in consilio dando sapientior, aut rerum intelligentia cautior; verumtamen cum primarios viros, ut sæpe consueverat, officii sui commoneret, non Eum sanctitatis proponere, sed sequi exemplum credidisses. Nulla unquam a se de rebus suis injecta mentio, nisi de agendis quempiam consulturus, alienum subire judicium vellet; atque de utiliter a se gestis instituta commemoratio uni molesta Borromeo semper fuit. Pleno ore commendaverat Rituum Magister pompæ, splendoris, dignitatisque plenam celebritatem, cum e Sancti Simpliciani Templo eruta Sanctorum Lypsana magnifice per Urbem circumtulisset; tantique ea fecerat, ut nihil unquam simile Mediolani visum affirmaret. Obruit importunam vocem Borro-

(a) **Animi demissionem** se dignam servavit, cum major e erendi opportunitas esset. Nam cum idem Concilia sua in Poloniam, Germaniam, Gallian, Hispaniam, & Lusitaniam mitteret, laudis amen, & jactationis periculum præcavebat: Cardinali enim Madruccio Tridenti degenti I. Concilium offerens MDLXVI. sic de eo demisse judicat: *Decretorum vestrorum rationem Illustrissima Amp. T. melius perspiciet, quam Nos; nam & prudenter judicabit, & nullam afferet cupiditatem ad judicandum.* Alias Ruderico Cardinali de Castro Concilium suum VI. item mittens, testatur se duo hoc dono perficere voluisse: Primò, *ut eo levi munusculo suam in Illum propensionem declararet*, secundò, *ut a Ruderico eliceret aliquid præclarum documentum, ad Ecclesiam suam Mediolanensem in omni virtute erudiendam, & conformandam.* Archiepiscopo Urbini effuse Concilia accepta laudanti respondit *se monita ab eo expectare, non laudes.*

Digitized by Google

romeus ſubdens: *Quì tibi modica iſta ſufficiant!* Laudaverat aliàs in os Carolum hoſpes quidam, admiratus tot, tantaque ab uno præſtari poſſe: Cui Carolus ſubjecit: *Plura peragi quidem fortaſſe, non item recte; cum ſæpe majora ſuperſint peragenda.* Illud vero pati neutiquam poterat, honorificam nimium de ſua ipſius Sanctitate opinionem, concitari, & honoris etiam teſtificationibus comprobari. Sacros a veſtibus globulos amoveri, & rerum ſuarum aſſervari fragmenta, ſi ſuboluiſſet indicium, vetabat; Sed cum populi coërceri pietas haud poſſet, libere horum quæque præſtabat, cum intenta Sacris Antiſtitis mens magis in fovendam Religionem, quam in humilitatis cuſtodiam vigilaret. Quod tamen aliquando fruſtra cecidit; nam, cum Curte nova in Valle Saxina anno LXXXII. ſupra ſeſquimilleſimum eſſet, confluente undique certatim populo, ut infulam, veſtemque ſacram, qua uſus Ille erat, attingerent, id, quod erat animo aſſecutus, miniſtroſque connivere conqueſtus, ut inde ſubducerentur, ocyus imperavit. Atque utinam expreſſam ſæpe a Dæmone Sanctitatis teſtificationem comprimere potuiſſet; quam ne audiret, manum obſeſſis imponere ſæpe recuſavit. Hinc ejus fremitum potius, & ejulatus pati, quam ſilentium malebat indicere, ne ullum extaret formidandæ Inferis Sanctitatis ſuæ teſtimonium. Unum modeſtiæ ſuæ grave admodum fuit ſilentium Dæmonis, quem duarum fœminarum corpora mire, & loquaciſſime exagitantem ſigno Crucis ſtatim compreſſit, dū ad Tonſam Portam ſolemni ritu erigendam Crucis imaginem expiaret. Etenim interturbandæ concionis metus id Illi ſuaſerat; & patienter tulit ortam ex rei miraculo populi admirationem, quam aliquis publicæ utilitatis fructus conſequebatur.

Illud vero mirandum maxime Humilitatis portentum, quòd cum ſe parem ſummis omnibus rebus videret, imparem tamen minimis ſemper ex animo fatebatur. Sæpe in aliorum adductus contemptum, triumphabat gaudio. Scilicet inſperſa ephœbi uſque Caroli moribus hæc animi demiſſio fuerat; eumque Ejus æquales ſæpe vel in Templa abditum, vel ab ipſorum conſuetudine remotum licenter irriderent, ſubridebat in ſinu Borromeus, riſu ſuo aliorum ſannam mulctaturus egregie. Pontifex Gregorius conceperat animo Caroli in Hiſpanias Legationem de re graviſſima cum Rege acturi; quod cum præcepiſſet opinione Romanus Præſul multis nominibus Borromeo obſtrictus, dejicere e ſententia Pontificem conatus eſt, balbæ linguæ impedimentum vitio Illi vertens. Re poſtmodum ad Carolum delata, hæc breviter, ſed humillime repoſuit: *Jure obſtitit optimo, nec falſa dixit.* Quæ ex animo certe profecta ſententia eſt; cum ſæpe idem ſibi linguæ vitium objiceret inquiens: *Æque ſecum actum iri, ſi e ſuggeſto dicenti hæſiſſet oratio; cum ſibi nec verba, nec ingenium ad conciones habendas ſuppeterent: atque hoc expetere ſeſe, ut aliquando interruptæ orationis pudor importunam hanc cupiditatem ſuam moderaretur.* Neque hìc vacat repetere, quàm conſtanter unus Carolus, & placide tulerit Oratoris illius arrogantiam, qui coram in primario Urbis Templo famæ detraxit ſuæ: ceteris auditoribus rei novitate ſuſpenſis, cum inde occurreret patientiæ miraculum, hinc monſtrum audaciæ.

Demiſſi animi indicium aliud extitit certiſſimum, nunquam temere ſuſcepta ſententia, quam deponere facile conſueverat, ubi opportunior aliorum opinio acceſſiſſet. Nihil unquam ex ſuo unius ſenſu depromptum, niſi cum aliorum conſilio conveniſſet; unde tot inſtituti ſapientum virorum cœtus, quibuſcum ſua miſcere, ac communicare omnia ſtatuerat. In hujuſmodi conventibus liberum cuique erat, quod ſentiret, in medium proferre; diſcuſſiſque ſententiis, in alienam ibat facile, ſuam probaturus dumtaxat, poſtquam ceteri in eamdem iviſſent (*a*). Hac animi in

(*a*) Non modo in alienam ire ſententiam, ſed etiam ſedem aliquando in hujuſmodi cœtibus voluit. Nam cum P. Adurnus ad Concilium in privato Cardinalis conclavi habendum fuiſſet evocatus, dum alio-

in utramque partem flexibilis lenitate effectum est, ut qui Carolum, quid erraſſet, ſæpe docerent, quemdam ſuaviorem dicendi modum ex Ejus diſciplina ſemper haurirent. Acceſſit huic intimæ humilitati externæ abjectionis commendatio, quam ſive ex veſtibus, ſive ex corporis habitu facile quiſquam deprehenderet. Una index dignitatis exterior veſtis expers luxus, par tamen Viri munditiei fuit: Quæ in publicum non deferrentur, corpuſque tegerent, non autem ornarent, infra plebis tunicatæ conditionem fuere. Domeſtica utebatur lacerna, attrita quidem, ac lacera: quam cum amici aliquando deponendam ſuaderent, *hanc, eſſe Caroli veſtem*, reſpondit, *cum ornatiores aliæ ad Cardinalem dumtaxat ſpectarent*. Hæc autem in deliciis adeo paupertatis teſtificatio fuit, ut cum nocte quadam, incidente in veſtem lucerna, opportune novam ſubſtituturus crederetur, depoſitis ſordibus deterſam, reddi ſibi, nequicquam omnibus reluctantibus, juſſerit. Publicis juratus tabulis inſcripſit Tauruſius, qui Carolo a cubiculo fuit: quoddam indumenti genus a Carolo depoſitum pauperi aliquando fuiſſe oblatum; quod cum ille ineptum plane, & ferme vetuſtate conſumptum aſpiceret, ſubiratum petiiſſe ocyus Cardinalis colloquium, a quo opportunius auxilium præſtolabatur. Audiit humaniſſime Cardinalis, & aliquantulum ſubridens id, quod erat, diſſimulavit, ne repudiatæ veſti novum pretium rei veritate adjungeret. Geſtiebat, credo, gaudio, videns, nihil ſibi reliquum fuiſſe, quod pauper invideret. Neque diſpar erat ædium ornatus, ac Principis. Phidiacæ artis nihil proſtabat in pinacotheca, nulla Apellis tabula, niſi artem imaginis ſanctitas augeret. Detracta jamdiu aulæa nudos parietes objiciebant oculis, argentea vaſa omnia, & lances in miſerorum auxilium peſtilentiæ tempore ceſſerant. Omnia taque ſui ſimilia, & paria ubique in ædibus erant; imo cum Roma veniens, inſtrui ſibi Palatium jamdiu vacuum, datis literis, juſſiſſet, conſpicatuſque eſſet artifici manu alicubi muris affictas imagines; acriter auctore luxus illius increpito, ſuperinducta albedine delenda illa pompæ indicia curavit. Familiæ item ſtemmata, ut aſſolet, parietariæ more, ut Tullius ait, muris hærentia, deleri, ſuperinductâ Deiparæ, & Ambroſii Tutelarium effigie, juſſit; Cumque ſtrenue ſuis impenſis ædificandas ſuſcepiſſet eximio opere, & in poſteritatem memorando Canonicorum primarii Templi ædes, Borromeæ Familiæ inſignia ſectis lapidibus præfixa dolens, turbari ſcalpro, aut eradi voluit: aliquo forte adhuc ſuperſtite hujuſmodi monumento, quod ab Ejus oculis remotum, felici fraude, & jure optimo in poſterorum oculis erat defigendum. Cauſam vero addiderat imperii dicens: *Ædificium illud non Borromei opus eſſe; ſed Mediolanenſis Antiſtitis*. Superbiæ autem plenam conſuetudinem, ſuiſq; etiam decretis in Synodo confixam execrari ſolitus erat, ut ſacræ veſtes, aut vaſa dono in uſu Templorum conceſſa, donantis aut nomine, aut ſymbolo exterius ornarentur: ratus muneri pretium decedere, quod fama, & laus munerantis abſorberet. Hinc Eum ſæpe commovebat pendens inter civiles pompæ ſignificationes ſua Ipſius effigies, atque exiſtimationis teſtes Tabulas amovendas ſuadebat: dumque in unum congeſtam volumen Conciliorum, legum, inſtitutionumque ſuarum ſeriem typis mandaret, abeſſe nomen Authoris voluit, Eccleſiæ laudem, non ſuam glorioſo præfixo titulo aucupaturus. Hæc omnia cum Ille ageret, id unum videbatur ſpectare, ut familiæ ſuæ decus, nobilitatemque, titulo etiam mutato, obrueret, ſanctiſſima quidem humilitatis teſtificatione, ſed infelici prorſus, ut decebat, exitu; cum Borromei nomen ſua ſatis origine celeberrimum, uſque adeo, accedente Caroli gloria, immortalitati hoc tempore conſecratum videatur, ut in illud ornandum, amplificandumque,

Pon-

liorum adventum præſtolaretur, improvide, ut ſit, oquendi æſtu abreptus, in Caroli ipſius ſella conſediſſet, & mox, errore cognito, vellet conſurgere, acriter obſtitit Cardinalis, qui paratam Adurno ſedem prætripuit.

Pontificum, Principum, populorum ſtudia, Superûm favor, inferorumque timor, fœdere veluti mutuo, conſpiraverint (*a*). Ex tanta animi abjectione exciderat ferme opinio conditionis ſuæ; quapropter cum pretio familiarium plurimorum addictam ſibi operam haberet, ſuo ipſius famulatu domeſticorum redimere ſervitutem videbatur: ſuam ultro deferens, qui ſemper repudiaret alienam. Hanc nimirum alte opinionem imbiberat animo, dignitatis demptis inſignibus, viliorem Ipſo eſſe neminem poſſe; atque ut in partem veluti alienæ abjectionis veniret, abjectorum, inopumque contubernio mire delectabatur. Vallis Saxinæ fines luſtranti, quâ Bergomenſibus contermina Provincia eſt, atque e montis vertice per obliquum callem deſcendenti demens quidam ſordidus, & forte elinguis occurrit, qui vultu admodum hilari, apertoque capite, manum in ſalutantis ſpeciem porrexit: dextram miſcuit Borromeus, & pari familiaritatis indicio cum nullam ab obvio eliceret vocem, ea amoris ſignificatione reſpondit, quam demens etiam ignorare non poſſet. Inde per Villam quamdam, Cremenum nomine, deflectens, cum univerſa effuſa tectis multitudo ſuo, adeoque incondito, ritu Sanctorum nomina invocarent, interfuſa cinctus turba, non dedignatus eſt eumdem rythmi tonum inire, vocemque illam Principum, atque Populorum Magiſtram rudi populi illius ingenio accommodare. Levia hæc fortaſſe rem ipſam expendenti, videantur; ſed quibus humilitatis profecta fontibus ſint, exacte perpendenti maxima, ac ſingularia fuiſſe liquidò conſtabit.

Ruſticorum ſocietate delectatus, amare etiam ipſorum ſordes facile aſſuevit, præ quibus luxus etiam magnificarum ædium ſplendide fuit a Carolo repudiatus. Macaneum, quem ex loci natura *Superiorem* dicunt, ad Verbani ripas ignobilem pagum luſtrabat aliquando; febrique, in quam inciderat, conſtanter diſſimulata, & nihilo ſegnius remiſſo labore, demum gravius, vehementiuſque conflictatus, decumbere coactus eſt. Nulla in promptu fuit opportunior ædes, quam miſeri cujuſdam cubile, ſeu potius gurguſtium, in quo durior proſtabat lectulus, quem conopei ritu cingebat tota hinc inde extenſa, & pendens inter anguſtias domus, lacera ſupellex. Jacebat hoc loci nullo comite Borromeus, domeſticis omnibus in ſacras curas per viciniam dimiſſis; cum repente curvo capite cubile ingrediens Joannes Fontana, poſtmodum Ferrarienſis Antiſtes, ægre tandem in decumbentem circumjecta illa ſcrutorum mole ſepultum intendit oculos: tantamque Viri dignitatem humili caſa contineri, quam vix Italia caperet, admiratus, præſidio, & comitatu omni deſtitutam, intime adeo commotus eſt, ut animi dolor vocem interciperet. Ratus id, quod erat, Borromeus, ſolito hilarior ejus ægritudinem æger ipſe placidiſſimis verbis depellendam ſuſcepit, bene ſibi eſſe affirmans, nec unquam tam luculenter habitum. Conceptum mœrorem his verbis abſterſit Fontana; ſed eo major ſubiit viri admira-

(*a*) Imo non ſuum dumtaxat Nomen, verum etiam Gentis ſuæ ornavit Carolus, qui id novum veteri ferme viſus eſt, ne illi honor accederet. Etenim Borromeorum Familia Divino favore inſignis, Hominum decorata præconiis, & obſervantia, cùm ante Illum inter præſtantes Italiæ habebatur; tum Eo extincto, a nulla vinci, imo vix ullam æmulari viſa eſt. Hæc Summorum Pontificum cumulata laudibus, poſtmodum egregios alios a Carolo Cardinales & Præſules Eccleſiæ dedit, quorum alii literaturæ ornamento præſtantiſſimi, alii rerum agendarum prudentia celeberrimi, omnes morum religione & probitate floruent, ac floruere. Ex eadem Hiſpaniarum Regnum, Romanorum Imperium, Italia demum, Inſubria, ac Patria optimos rerum publicarum Moderatores accepit. Nimius ſim, ubi Regum, & Auguſtorum diplomata recenſere velim plena exiſtimationis, benevolentiæ, & dignitatis. Recenter etiam ab Auguſtiſſima Maria Thereſia perhonorificam ſummæ opinionis teſtificationem accepit. Hoc eodem ſeculo ſuſpexere univerſi ex Glorioſiſſima Familia Neapolitanorum Proregem, & Auguſti poteſtate in Italia agentem. Inde etiam profecta eſt egregiarum Fœminarum cohors, quæ aut Parthenones eximiâ continentiâ, ac pietate illuſtrarunt, aut in Nobiliſſimas Italiæ, & præſertim Summorum Pontificum Familias Borromeum Nomen, & Decus intulerunt. Singulorum nomina exponere nec licet, nec vacat; cùm enim id non patitur hæreditaria Gentis Humilitas, tùm prohibet inſtitutum meum in hac hiſtoria, cui nihil ſilentio meo detrahitur, cum tantæ Gentis decora obunde omnibus ſint perſpectiſſima.

Digitized by Google

miratio, cum tantam rerum inopiam vix tolerari posse, nedum in deliciis haberi, jure optimo arbitraretur. Romæ vero, ac Mediolani sive pauperes adhiberet convivio, sive Peregrinorum pedes ablueret, quod sæpius præstitit, tanto perfundi gaudio visus est, ut præsens quisque non externam corporis, sed intimam animi demissionem deprehendere, atque, ut ita dicam, expressam intueri se diceret.

Alia tamen Mediolani suppetebant tantæ humilitatis argumenta, cùm Urbem hanc lutulentis etiam viis, aut pluvio cælo pedes semper obibat, eo etiam tempore, quo familiares suo Ipsius vehiculo magnifice uterentur. Pauci admodum incedentem deducebant: nulla ad limen honoris causâ salutatorum turba: frequentior miserorum cohors: Familiares non ad obsequii pompam per conclavia dispersi, sed in Pontificiis curandis negotiis impliciti; Quæ omnia virtutis testimonia, propinquo vitiorum vocabulo deformata, delata ab accusatoribus ad Pium V. scripsere nonnulli, tamquam Romanæ Purpuræ labem, ac maculam. Quam ubi ineptam, seu potius malignam criminationem Carolus intellexit, institutam a se vivendi rationem Pontifici per capita digessit, & plane in oculis per literas defixit; eamque deinde Pius Christianæ hujusmodi abjectionis èt ipse retinentissimus usque adeo exosculatus est, ut Purpuratis Patribus expressum in Eo veræ virtutis exemplar imitandum sæpe proposuerit. Quamquam, cessante etiam Pontificis suffragio, suam de humilitate sententiam sæpius inculcabat omnibus Borromeus, inquiens: *Hominis dignitatem non in fluxo, atque caduco splendore sitam videri, sed in ipso honoris contemptu, atque solida virtute collocatam, quæ unice Deo, hominibusque commendatur* (*a*). Porro eamdem in Clero universo expressam intueri abjectionis imaginem summopere avebat, qua ut singulorum pulsaret animum, simulacrum aliquod veræ humilitatis in Synodis, Conciliorumque Decretis graphice effinxerat. Neque in carpendo Ecclesiasticorum hominum luxu libertas unquam vocis defuit, nunquam inanem in Ecclesiasticorum hominum ædibus pompam sine nota dimittentis; cumque aliquando Antistes quidam exquisitum tibialium nitorem objecisset oculis, acriter suggillans, *prælucere*, ait, *ceteris Episcopum debere vitæ exemplo, non vestium ornamento*.

Demum designatus ipse sepulcri locus utpote abjectissimus, atque in ipso Templi meditullio indicat, ne defuncto quidem Carolo hunc humilitatis amorem abfuisse: quem Dæmones ipsi fatalem sibi ominati, quemadmodum in funebri laudatione summopere exhorruere; dum viveret, etiam certo doloris testimonio aversati sunt. Equidem cum Templum quondam ingressus & purpureæ vestis longo syrmate pavimentum verrens, oculos in fœminam a Dæmone vexatam conjecisset: non tulit Ejus præsentiam, humilitatemque diu obstrepens Dæ-

(*a*) Aliquid certe de dignitate remitti posse aliquando docuit. Nam, cum Romæ ferveret actio a Modoetiensibus intentata contra Ambrosianos Ritus, & quidpiam exposuisset Speciano Cardinalis, quæ sartum, tectumque suum honoris gradum servare poterant, deinde mutato consilio, hæc rescripsit: „ Si „ quid alia monui de ratione hujus causæ tuendæ „ non eo dixi, quo existimationem meam ullo modo retinerem; id enim mihi in votis est, ut Carolum omnes contemnant, & nihili faciant. Verum illa dumtaxat mea fuit opinio, quòd censerem, multum ad populorum disciplinam conferre posse, quod præmoneram. Jam vero cum videam ex Summi Pontificis sententia nullum imminere periculum, Eamque aliter sentire, ac ipse censerim; sic consolari Modoetienses volui sine fuco, sine colore, ut docebit apographon literarum, quas ad eos dedi. Spero autem a Deo reficiendum, quidquid damni derivari hinc poterit." Eadem moderatione uti docuit Doctorem Mascardum, qui cum opus quoddam inscriptum *de Probationibus* edidisset in lucem, ex quo Plagiarii notam retulerat, cum objectum fuisset, opus illud esse Episcopi Contardi: minatus fuerat, se velle novo vulgando scripto famam suam tueri; Nam in hæc verba leniter hominem corripuit Cardinalis: „ Quod scribis de „ vulganda *Publica declaratione*, ut tibi opus *de* „ *Probationibus* vindices; nomen hoc ipsum *publicæ* „ *declarationis* abominandum videtur; ut abominanda sunt etiam mala, quæ consequentur. Nam „ abhorrere ab hujusmodi scriptis debent Christiani „ omnes, & præsertim Clero adscripti; & quamquam nihili facienda non videtur nominis existimatio; nullum tamen reperias in Sanctorum vita exemplum, qui hac ratione famam suam defenderint. Potius Christianæ vitæ sanctitas nos doceat, ut privatis in rebus taciti patiamur aliquid „ imminui, quam clamosa hæc jurgia instituamus.

Dæmon, qui tandem in hæc verba erupit: *Quam vellem ſyrmatis illius majeſtati aliquam ſuperbiæ labem aſpergere!* Tantam enimvero demiſſionem animi vereri Dæmon etiam potuit, quam pejores aliquando homines carpere non formidarunt (*a*).

CAPUT XXII.

De ſumma animi tranquillitate, & manſuetudine.

AFfinis maxime Chriſtianæ Humilitati virtus enituit in Carolo Lenitas: quarum cum illâ contineret Borromeus animum, hac in alios ſuaviſſime effundebat. Arripuerat hanc a natura ipſa virtutem; atque omnem videbatur comitas iræ nubem abſterſiſſe. Tranquilla ſemper, & exporrecta frons, nulla puerili etiam ætate perturbatio; ſive domeſtica, ſive externa Illum incommoda angerent. Porro tam ſtrenua patientia ex imperitorum ſententia viſa eſt aliquando parum a mentis ſtupore differre. Conſtantiſſime enim affirmarunt addicti Adoleſcentis ſervituti quotquot, dum Juris Civilis ſtudio in Ticinenſi Urbe operam daret, eâque eſſet ætate, qua difficile admodum ratio animi æſtum moderari ſolet: Illum, non dicam iracundiæ abreptum unquam impetu, ſed ne leviter quidem commotum, aut perturbate egiſſe quidquam. Adolevere poſtmodum cum ætate præclara iſthæc lenitatis ſemina, & adulta, ut ita dicam, fructus uberrimos tulere. Nihil magis pacatum Ejus animum commendavit, quàm perturbati illi controverſiarum fluctus, cùm ſanctiorem invecturus vivendi rationem tot ſibi oblatas formidoloſiſſimas tempeſtates conſtantiſſime item, ac placidiſſime ſubiit. Nunquam abjectis gubernaculis in alto fluitans, tamquam tranquillo navigaret mari, non temporum permutatione mutatus eſt, & ceteris turbulento illo æſtu

(*a*) Audies ex literis ad Cardinalem de Jojoſa datis, quid de ſe Carolus ſentiret: „ Equidem nihil „ de me affirmare poſſum, præterquam me Jeſu „ Chriſti ſervum inutilem eſſe. In dies enim ſin„ gulos clarius intelligo, quantum abſim ab ea of„ ficii, atque virtutis perfectione, quam & Paſto„ ralis vitæ ratio, & Cardinalatus dignitas, & inex„ plicabilis Jeſu Chriſti in me beneficentia requi„ rit. Quare te etiam, atque etiam rogo, ut a „ Divina Majeſtate eas mihi virtutes impetres, quas „ in me eſſe ipſe prædicas, ego non agnoſco, ſed „ me vehementer expetere non inficior.“ Addebat etiam ſæpe, & explicabat cauſam, atque utilitatem, propter quas animum dejiceret. Hæc docuit ad Cardinalem Bathorium ſcribens: „ Quo enim „ verius nobis ipſis diffidimus, eo tenacius a divina „ bonitate pendemus, atque ejus virtute nitimur. „ Quare Paulus Apoſtolus de ſua infirmitate lætaba„ tur. Sciebat enim in infirmitate, & in ſuarum „ virium diffidentia divinam virtutem reſidere. Hinc „ autem animi excelſitas, & magnitudo exiſtit. „ Quid enim ille reformidet, qui *altiſſimum poſuit* „ *refugium ſuum? Qui habitat in adjutorio Altiſſimi?* „ Aut quid terrenarum rerum magni faciat, qui „ Jeſu Chriſti amore exardeſcit? Neque poteſt res non „ admirabiles ille efficere, qui nihil aliud propoſi„ tum habet in omni vitæ ſuæ parte præter gloriam „ Dei.“ Tamen tot diffidentiæ præſidiis fultus Caroli animus, inanis gloriæ periculis tentabatur non raro, cum undique celebrari laudes ſuas audiret. Igitur, ut clandeſtinum hunc hoſtem vinceret, eo uſus conſilio eſt, ut deberi dignitati ſuæ ſanctitatem diceret, dignitatem vero ipſam nihili eſſe ducendam ſentiret, niſi ad divinam gloriam referretur. Sententiam hanc ſuam luculenter aperit Catolo Cardinali Vindocino in hæc verba: „ Præclare „ autem intelligis, te hoc honoris ampliſſimi gradu „ a Pontifice Maximo vocari, atque incitari ad Ca„ tholicam Religionem, & ad Jeſu Chriſti nomen „ tuendum, atque illuſtrandum. Non enim ulla „ eſſe poteſt vera dignitas, ulla amplitudo, niſi di„ vini Numinis amore, & caritate nitatur. Neque „ poteſt aut non eſſe ignobilis, qui rerum caduca„ rum ſpecie potius, quam Dei bonitate ducitur; „ aut non eſſe glorioſus, cui nihil prius, nihil ca„ rius eſt Dei gloria. Hujus ſtudium animos no„ ſtros a rerum terrenarum cupiditate abſtractos, „ atque abductos, excitat ad cæleſtis patriæ, & ad „ Divinæ Majeſtatis amorem quemdam, rerum ad„ mirabilium effectorem. Cetera omnia nihil ha„ bent expreſſi, nihil ſolidi; eamque ob cauſam, „ in ſacris Literis partim mendacia, partim vanita„ tes dicuntur.“ Et Ferrariam ſcribens Paulo Sacrato hæc addit: „ Illud, Paule, agamus, ut nos „ veros Dei ſervos omni animi, omni etiam cor„ poris contentione præſtemus: atque ita vivamus, „ ut qui viderint *opera noſtra bona*, occaſionem obla„ tam ſibi eſſe cenſeant divinæ bonitatis prædican„ dæ; ea enim de cauſa ſati, procreatique ſumus, „ ut per nos Dei nomen illuſtretur.“ Quamquam eluſit gloriæ blandè aſſentantis periculum ſapientius, cum Triventi Epiſcopo hæc ſcriberet: „ Quod res au„ tem meas etiam prædicas, video artificium, quo „ me excitas ad omnem Paſtoralis officii partem „ multo diligentius poſthac ſuſcipiendam, atque „ exequendam. In dies enim, vel in horas potius „ ſingulas clarius perſpicio, quantum abſim ab ea „ officii perfectione, quam Deus a me requirit, & hic „ ampliſſimæ dignitatis gradus, in quo locatus ſum, „ efflagitat. Quapropter te iterum, atque iterum „ rogo, ut Divinæ Majeſtati pro me ſupplicare non „ deſiſtas.

Digitized by Google

æstu abreptis, prope solus in portu videbatur. Non temere elapsa vox, nihil violenter statutum fuit: Prudenter circumspicere omnia, sibi strenue imperare, Deo acceptum quidquid referre, amicos æque alloqui, atque inimicos, hæ Borromei artes erant. Primarium Virginum Collegium, pridem mutata regiminis forma, ad jus Antistitis translatum lustraturus, accesserat; cum ecce pedem in limen inferenti permolestum, & garrulum obstitit fœminarum earum agmen, multa libere in Cardinalem, novasque leges effutientium; quin imo corpora objicientes singulæ, aditum prohibuere. Iræ plusquam fœmineæ, plusquam humanam lenitatem opposuit Borromeus; ultumque se strenue silentio putans, re infecta, abscessit, quam per plures dies etiam leniter dissimulavit: dato scilicet temporis spatio ratus, conquiescere concitatos illos fluctus posse: quibus demum compositis, sedatisque, illas iracundiæ quidem; non tamen Carolum lenitatis pœnituit suæ. Nam mollioribus castigatas verbis, Virgines eo obsequentiores habuit, quo benignitatis suæ antea certiores fecerat (*a*). Si profanus quispiam homuncio, aut minus reverenter, aut etiam procacius in Eum stomachum erumperet, impune semper fuit; imo amantius furenti reponens, archilochia refugit dicta; atque animum sincere aperiens, cuncta ex ordine docere consueverat; quare sæpius amicissimos, quos adversarios maxime exceperat, dimittebat. Nulla unquam in querelis audiendis frontis contractio, nullum stomachantis fastidium, si quid asperius audisset: & conviciantium probra molestius, qui aderant, quam Ipse, in quem congerebantur, patiebatur. Cum in illo juris tuendi æstu, & rerum perturbatione versaretur, nulla animi est agitatione commotus: in quotidianis amicorum querimoniis inaudita Caroli querela fuit: imo cum adversariis voce favere non posset, favere saltem voluit silentio (*b*). Neque idcirco, cum lenis in aliorum ferenda noxa videretur, connivere unquam sceleribus potuit; nam liberæ vocis officio peccantes perstringere non dubitavit, quoties dissimulantis taciturnitas audaciam facile corroborasset. Sceleri tamen cum esset infensus, de sceleste fama solicitus maxime fuit, crimenque ut occultaret, cautior sæpe Borromei prudentia extitit, quam peccantium libido. Scriptum quoddam plenum contumeliæ, atque calumniæ in Carolum palam expositum refixerat Ejus familiaris; cumque Cardinali legendum obtulisset, Is raptim lectum repente reddidit, flammisque statim objiciendum curavit. Ejusmodi libellos, ut ipse ait, ne legere quidem, nedum curare solebat.

(*a*) Egregium aliud lenitatis exemplum præbuit, erga S. Mariæ Magdalenæ Sanctimoniales prope Leucum, quas refragatas votis suis, cum intra murorum Leuci ambitum vellet traducere, demum ad saniora consilia conversas, humanissimis literis in hæc verba dignatus est: „ Vestras literas legimus: & quoniam in sententiam „ nostram lubentes iviistis, datum vobis intra Leuci „ mœnia domicilium non repudiantes; nostrum erit „ ubicumque per nos liceat, obedientibus gratifi„ cari. Id nostrum in hujusmodi deliberatione con„ silium fuit, quod esse in omnibus debet, scilicet „ ut Dei unice gloriam primò, deinde spectaremus „ utilitatem vestram; quare pro certo habeatis ve„ lim propensam semper in vos nostram voluntatem „ fore. Itaque, quemadmodum vos Deo *hostiam* „ *viventem* immolastis, ita perlubenter excipite, quid„ quid de vobis Deus statuit, & nos exequimur pro „ Pastorali, quam suscepimus, vestri cura cum divi„ no honore, & beneficio vestro semper conjun„ cta. Cum verò illud animo reputemus, cælestis „ gratiæ munere aspersum iri obedientiæ vestræ sua„ vitatem quamdam, & robur insuper voluptati fa„ cile adjungendum, plura persequi non vacat. „ Quamobrem Nos habete precibus vestris commen„ datos, nostramque operam semper paratam atque „ expositam temporibus vestris accommodate. Pa„ rabiagi VII. Idus Octobris MDLXXXIV. Ceterum lenitate sua victas Sanctimoniales obsequentissimas deinde habuit. Nam ex retinentissimæ adeo disciplinæ fuerunt, ut aliquando in S. Pauli Monasterio Sfondrata Cremonensis Episcopi soror ab hujus Vicario evocata ad januam colloquii causa, cum audiret impetratam colloquendi sine arbitris veniam, constanter respondérit: *Se hac facultate uti omnino nolle, cum Borromei sanctionibus adversaretur.*

(*b*) Voce etiam aliquando tueri fontium partes voluit. Hinc cum literas aliquando a Camilla Sorore Vastallæ Domina accepisset, quibus rogabat, ut captivum quemdam in Archiepiscopi carceribus morte mulctandum seculari potestati permitteret, sic respondit: „ De captivo, qui mei est juris, illud „ statuam, quod sacri præscribunt Canones: inte„ rim moneo, te hæc officia dedecere, quicumque „ tandem ille sit, de cujus causa agitur; præser„ tim cum de hominis vita agatur, in quam jus „ nullum habes, nisi justitiæ administrandæ cau„ sa, & iis in regionibus, quæ ditioni subjectæ „ sint tuæ. Deinde officium tuum nimis aliorum „ consuetudini adversatur, qui semper fere in mi„ tiorem partem inclinant, & misericordiæ potius „ rei videri volunt, quam nimiæ justitiæ.

Digitized by Google

objiciendum curavit (*a*). Quinque ante obitum Ipsius annis, cum biremes aliquot in Savonensi Portu hyemarent, Georgius Longus Capuanus ex pœna remex Cæsari Ferrerio Ejus Urbis Antistiti clam initum de Borromeo occidendo consilium aperuerat: literisque datis, quibus tota rei series continebatur, dicta confirmaverat. Commotus ille tanto Caroli periculo, per certum nuntium eadem literas sui item, & Caroli Consanguineo Hieronymo Vicecomiti miserat, aliasque nomine suo adjecerat, quibus totam facti rationem exponeret. Hic periculum præsentissimum avertendum quantocyus ratus, summo mane recta ad Cardinalem contendit: insidias primo prodidit; mox literas obtulit, quibus omnia ex ordine aperirentur. Audiit interritus Borromeus; mox a Hieronymo Castano lychnum afferri jussit, & ne resignatam quidem epistolam, Equite adstante, atque admirante, combussit, inquiens: *Gratias tibi Eques amantissime ago, meoque nomine Episcopo Savonensi ut agas, literis tuis velim; meis ocyus, ut habeam, præstabo. Hostium nomen nosse nolui; cum enim mihi ad litandum properanti omnis simultas deponenda sit, cavi, ne quem unquam odisse possem.* Exinde nulla de hoc habita quæstio; imo ne vox quidem lapsa imprudenti est: & gravius certe Carolo Vicecomes timuit, quam Carolus sibi. Vulgata deinde per Equitem res magnam Antistitis admirationem movit; cum nunquam antea intellectum videretur, existere hominem posse, qui suo ipsius periculo diligere hostes vellet, eosque, quibus ignosceret, ignorare. Depulso pestilentiæ periculo, cum Domum suam statis precibus expiaret, delatum est: primarium Urbis Equitem, sibique affinem, vi illata, interemptum. Aliæ suberant hujusmodi delicto timoris, perturbationisque causæ; attamen nuntio responsum nullum dedit, eaque tranquillitate persecutus est cetera ad cœptum spectantia, quâ, ignorata re, præstitisset. Moderationem tamen hanc animi pene superare visus est, seque ipsum vicisse, cum Sacris daret operam. Numeris hæc perficienda omnibus curabat; cumque sæpe intervenirent multa ministrantium errore, quæ animum Ipsius intime foderent, nulla unquam erupit acrior vox, quæ pudorem peccantis oneraret. Romam dum iter haberet, & in Cimara Valle Sacris operaretur; calicem dum labris hausturus admoveret, vini loco oleum infusum sensit. Clam administrum monuit erroris, & vino suffecto, litavit iterum: molestius populo tantum errorem ferente, quam Borromeo. Imperia autem vix a precibus differebant; eaque jubentis verba erant, quæ non sedatos animos perturbarent, sed perturbatos sedarent. Si quis pertinacius in suscepto consilio persisteret, reluctantem hisce ferme flectebat verbis: *Cum Deo manum move: mox ejus auxilium aderit. Ne tu hoc facias?* quæ asperum cujuscumque ingenium facile permoverent. Hinc illud omnium obsequium, tamquam arbitrio carentium suo, ut facilius vitam quandoque abjicerent, quam obedientiam. Triumphabat enim de universis invicta Caroli lenitas adeo, ut suis consiliis pestilenti anno incitati complures, propositum in Limocomiis mortis periculum subire non reformidarint. Cum verò sub vitæ finem animum Rhætiæ sublevandæ adjecisset, atque in Synodo Sacerdotes exhortaretur, ne grassari adhuc ejus Provinciæ malum sinerent; certatim dato nomine, tot dicenti assensi sunt, ut plures, superante calamitatem remedio, aspirantes ad hanc laudem in gloriæ partem venire non possent (*b*). Equidem periculi plena, & laboris illa om-

(*a*) Novum appono paternæ moderationis exemplum, quod ex Nobilis Joannis Baptistæ Fossani testificatione deprompsi. Hic narrat, fuisse aliquando, qui mimica gesticulatione Cardinalis habitum & mores in contumeliam Caroli, ac ineptam aditantium voluptatem verteret. Cum vero facti pœnitens, jussus fuisset audaciæ suæ veniam a Borromeo petere, ad eum iviſſe, & mitissimum hoc retulisse responsum: „ Gratias habeo, quod me multa monueris, „ quæ nunquam in mentem venêre; obsecro autem, ut si quid adhuc in me vitii reprehenden„ dum occurrat, gratam rem facturus, iterum mo„ neas, quo facilius mores meos corrigam.

(*b*) Audi tamen majorem Cleri obedientia Caroli moderationem ac fiduciam. Cæsaris Porti Præpositi Varisiensis verba reddo: „ Cum turbata omnia in „ Me-

omnibus videbatur expeditio, neque a vinculorum metu aliena, quibus reapſe damnati ſunt plures, qui ægrius poſtmodum libertatem ipſam, quam carcerem pertulere.

Domeſticæ tamen Comitatis exempla longe inter cetera eminuere. Nihil magis inultum fuit, quàm quod Carolo injuriæ impoſitum a Familiaribus eſt. Servituti addictus Illius fuerat Vir cum primis eruditus, ſummo item, atque injucundo ingenio, convictu difficilis, oratione acerbus, echino demum aſperior. Intolerabili ſive ſuperbiæ, ſive inſolentiæ vitio gravis familiæ erat, inteſtino præcipue in Borromeum, Ejuſque geſta ſuſcepto veluti bello, novus Scipionem allatrans Cato. Opportunum tamen, & Eccleſiæ commodis, ſuæque præſertim patientiæ illum ratus Cardinalis, mitigare ſæpius hominis indolem una conatus eſt lenitate. Omni etiam hominem liberavit nota apud contubernales ſuos, naturæ (ut erat), non voluntatis labem accuſans, ſæpe inquiens, ingenii ejus aſperitatem viri obrui doctrina. Quare cariſſimum habuit ſemper, quoad vixit; & immortali beneficio penſionem illi ex paternis bonis quotannis numerandam teſtamento legavit: licèt vivens annuo ducentorum aureorum ſtipendio, cibis, & ſervitio ornaſſet (*a*).

Hujus tamen aſperitatem etſi poſthumo beneficio fortaſſe expugnavit, aliorum certe vivens demereri animos potuit. Ferventibus maximis de Eccleſiaſtica poteſtate diſſidiis, non defuere quandoque, qui imminutæ in Regem obſervantiæ Eum accuſarent; quæ multorum ſententia maximo cum familiarium metu audita, nunquam Illum de conſtantia, aut lenitate dimovit; ſed humaniſſime reſpondens, benignitate accuſatorum voces intercludebat ſuâ, ut, mutata repente ſententia, aliqui ab Ejus colloquio diſcederent, palam Cardinalem crimine omni abſolventes. Lenitatem deinde hanc excelſa illa animi magnitudo eſt conſecuta, qua effectum eſt, ut omni oppugnatus ex parte, nihil de priſtina tranquillitate remitteret, atque unum hoc bilis commotæ emanaret indicium, ſi digitum leviter naſo appoſuiſſet. Secutus item ampliſſimus fructus videtur; cum domeſticas compoſitas controverſias, externa dirempta jurgia, aſſerta iterum Templis bona, denique omnium favorem in Eccleſiæ utilitatem excitatum commemorare, infinitum ſit.

CAPUT XXIII.

In rebus adminiſtrandis, & dando conſilio Prudentia.

EJus Prudentiæ ineſſe divinum quiddam credidere, quotquot in rebus humanis apprime verſati ex Principibus Viris fuere, tum etiam cum ad Chriſtianæ Reipublicæ clavum Juvenis admotus, tantam rerum molem unus, Avunculo imperante, adminiſtraret. Aliqua Illi inuſta eſt interdum imprudentiæ macula, ſive magnificos repudiaret titulos, ſive in Ghislerii ad Supremam Sedem evehendi opinionem veniret, ſive demum manifeſtum in vitæ diſcrimen peſtilenti anno ſe ſe conjiceret; Verumtamen

,, Meſaucis eſſe appareret, & facile antiquandas Le-
,, ges, quas Ille ſummo labore firmaverat, dum
,, Synodum haberet, nova ſubſidia exquiſivit. Qua
,, de re multi operam ultro detulere ſuam. Præ
,, ceteris Vir quidam primarius, & miſeræ Provin-
,, ciæ maxime opportunus in tanta neceſſitate no-
,, luit diligentiam ſuam deſiderari. Ad ſe venien-
,, tem Cardinalis excepit, ejuſque voto intellecto,
,, mox ſubridens addidit: *Te pluris facio, quam ut*
,, *leviori hoc negotio implicem: alicujus pretii homi-*
,, *nes volo, non ſummi: magni nimis Dæmonis cona-*
,, *tus facimus, ſi homines opponimus ſimiles tui.*

(*a*) Cum hoc domeſtico ſuo lenitate uſus eſt, etiam cum nulla uti videretur. Hic aliquando contra Caroli canones de familiæ diſciplina, Apicianum cum amicis conſtituerat prandium in conclavi ſuo privatim inſtruendum. Præſenſit Cardinalis; cumque inſtructa affatim omnia audiſſet, feſtinanter ad ſe compellatum hominem, longiore inſtituto ſermone penes ſe tenuit. Interim præmiſſis ſilentio, qui ſublatis cupediis omnibus, menſam in cubiculo exterſam relinquerent, juſſit lautitiam eam omnem in Sacrarum Virginum Monaſteria diſtribui. Re perfecta, dimiſit tandem: qui, cum vaſtata eſculenta omnia comperiſſet, iræ conceptæ impatiens multa imprudenter in Carolum evomuit, & bilis plenum ſtomachum erupit. Cuncta e ſpecula audiit Cardinalis, & facile dolori alieno indulſit. Nam rem alto ſilentio obruens, auditas facile diſſimulavit injurias, dum alter pudore victus, conſtanter ciborum jacturam diſſimularet.

Digitized by Google

men felix horum consiliorum exitus eos imprudentiæ arguit, qui Carolo erroris notam imposuere. Equidem inanem illorum opinionem humana sustentabat levitas, cum Borromei Sapientiam una divinitus immissa mens moderaretur. Certiora deinde Mediolani extitere tantæ prudentiæ argumenta, ubi ampliorem fors campum dedit. Administri eam suspexere universi, qui tot, tamque gravia volventem, agitantemque in privatis cœtibus videre. Difficiliora proferebantur in medium negotia: aderant gravissimi, itemque exercitatissimi viri: Ubicumque tamen alienum consilium desideraret, Ipse ingenii acie præsto erat, unus proponens singula, discutiens, & expediens, & quod mirari certe non desinas, eam semper viam ineuns, quæ prudentissima ceterarum, ac certissima videretur. Subveniebant autem cælitus petita ex oratione, abstinentiaque præsidia; cum gravissimum nihil, nisi ex populi precibus, aut lacrymis auspicaretur suis. Ita tamen humanis divina auxiliis temperabat, ut omnia Deo permitteret; nihil tamen humanum omitteret. Id autem omnem absorbebat veluti diligentiam, quòd cum singula ad Ecclesiam spectantia pensitaret, & absoluta omnia, & perfecta vellet, ea ad omne duratura ævum in Ecclesiæ, atque Provinciæ commodum constituebat. Utque exacte omnia, atque ad amussim perficerentur, censor Ipse rerum, & Auctor erat. Plura ab Ipso per administros tentata; sine Ipso perfectum est nihil. Nam limata quæque licèt, sine litura raro dimittebat: emendata jam, semper emendaturus, cum fœcunda ingenii acies nova semper subdenda sufficeret. Hinc cui extremam Carolus imposuisset manum, nota inuri poterat nulla; cum apta omnia, atque ad unguem castigata occurrerent. Hanc cogitandi solertiam summa demum patientia cumulabat; cum pedetentim singula momentis libraret suis: nigrum, ubi opus esset, Ipse theta præfigeret: apte responsa redderet: voce denique simul, & manu sua uteretur.

Opimi Sacerdotii fundum vindicare sibi conabatur geminum, atque item conterminum Religiosorum hominum Collegium; atque opportuna in alterutram partem adjudicandi facultate Pontifex per suum diploma splendide Carolum ornaverat. Alteri ex iis, tamquam empturi Principis viri patrocinio Caroli suffragium, machinas omnes ad illud obtinendum admoverant. Nihil temere e vestigio judicatum: Omnia ad gravissimorum hominum judicium rejecta, cùm Familiæ postulatio, tùm Principis, sibi etiam amicissimi, officia. Isti cum e re censuissent, repudiare magnificas preces; iis Borromeus prædium adjudicavit, qui sola modestiæ suæ, & silentii commendatione nitebantur. Id officiose minus fortasse aliqui; sed prudentius factum omnes credidere. Illud certe suæ unius sapientiæ fuit; cum dissidium Patricium inter, ac Virginum Collegium excitatum præsens Ipse diremit. Interposito inter privatam illius ædem, atque harum contubernium muro, inclinabant omnia ad suæ causæ commodum litigantes. Expediturus nodum hunc Gordium, Cardinalis adfuit extemplo; & adstante licet Patricio, qui causam susceptam mordicus tuebatur, loci naturam probe explorans, mitigatam verbis cavillantis ferociam ita flexit, ut mutato repente ingenio sententiam probaret, quam Antistes in Virginum commodum justissime pronunciavit. Hæc vero ex pluribus, quæ se ultro scribenti offerunt, decerpere potius placuit, ut Lectorum satietati, parcius innuentes aliqua, quorum quotidiana exempla suppeterent, occurreremus.

Diligentiam hanc superavit intenta semper in æternam felicitatem sibi, aliisque comparandam solertia. Etenim, quod ad se pertinebat, id omne ex eorum arbitrio moderabatur, quibus omnes conscientiæ latebras semper aperuit: aliorum autem sanctitatem tum demum probavit, cum explorata solerti examine aperte constaret. Quam iniit asperrimam vivendi rationem, viribus accommodavit semper: & licèt eam hac in re demum metam attigerit, quam transilire nefas esset; gradibus semper veluti quibusdam ad virtutem hujusmodi venit. Alienæ pietatis communi etiam fama celebratæ difficile fidem solebat adjungere: Dæmonis artem probe cal-

Digitized by Google

callens, qui luce aliqua latentes tenebras obducere consuevit. Versipellis Mediolani erat adolescentula, quæ nulli addicta Collegio ad Virginitatis laudem aspirare se simulaverat. Vulgata re, tantam probitatis opinionem concitaverat, ut ejus patrocinio commendari apud Deum plurimi percuperent. Multa item de horrida illius, atque arida vita palam commemorabantur. Rem odoratus Cardinalis, omni primùm ejus colloquio religiose abstinere; mox Francisco Adurno mandare, ut intime fœminam excuteret, & in mores diligenter inquireret. Paruit ille; sed plusquam fœminea fraude irretitus, lynceus cetera censor, tuta omnia esse Carolo renunciavit. Acquiescere tamen Hic noluit; sed amandandam in aliquod Virginum contubernium, puellam statuerat; cum repente intercedens mors nova fœminam quæstione liberavit. Sed plura nefaria de ejus moribus postmodum comperta, aperuere eximiam Caroli intelligentiam, quæ tum maxime celebrari ab omnibus debuit, quòd ab omnibus unus dissenserat. Hoc Ille acuminis Pastoribus ceteris proposuit exemplum; quamquam infinita potius reliquisse dicendus est, cum tot in omnes ordines, omnemque ætatem accommodatæ leges, atque descriptæ in Ecclesiæ nostræ Actis occurrant, quæ non nisi ab humana prudentia divinis maxime corroborata auxiliis fas sit expectare.

Quare consiliis semper sustentari suis optavere non privati dumtaxat, atque e grege homines; verum etiam Principes, ac summi Viri, cumque istis gravissima inciderent tempora penes Summos Pontifices, Borromei oraculum, tamquam divino instinctu, afflatuque fusum, petebatur. Cæleste enim Ejus responsis inerat quiddam, quod in ipsa dicendi gravitate eminebat. Implicitam Principum etiam, Sacrarumque Familiarum rationibus quæstionem expediendam Illi mandaverat Romanus Pontifex. Fidei hinc Orthodoxæ, inde multorum famæ periculum urgebat; Sed caute adeo difficillimam causam absolvit, ut prudentiæ miraculo Pontifex perculsus, fassus aperte sit: *Borromeum in rebus agendis Divino Spiritu plane agi*. Ipsæ autem dicendi formulæ prudentissimæ videbantur; utpote sine verborum fuco simplices, ac succi plenæ. Uno rem totam exemplo comprehendere placet. In Ejus familiæ album venire optaverat alienigena quidam nobili natus loco, nulla humanarum spe rerum illectus, sed ad divina consectanda impulsus, ad quæ solicitari maxime, & acui se Sancti Cardinalis videbat exemplo. Rogaverat hic Borromeum, ut documentum aliquod ad bene, sancteque vivendum opportunum sibi vellet impertiri: Brevi oratione omnia complexus est Carolus statim subdens: *Divina qui velit sequi, eâ animi alacritate cursum prosequatur, qua exorditur: Deum semper ante oculos, tamquam præsentem, sibi proponat: hunc demum auctorem sequatur, ac ducem*. Nihil certe ad sanctitatis normam exhibendam luculentius afferri poterat, nihil brevius (*a*).

CA-

(*a*) Multa in hanc rem suppeterent dicenda, præsertim cum optime huc caderent omnia Borromei responsa ad Reges, & Principes data, cùm gravissimis in rebus Ejusdem consilium sæpe postulavere. Verum cum hoc infinitum sit, satius videtur me fide alibi data absolvere, & geminas literas reddere ad Sabaudiæ Ducem, & Cardinalem Vademontium missas: unas quidem pro administranda relicta sibi per Patris mortem ampla ditione Provinciarum; alteras vero pro Cardinalis persona optima sustinenda, ut specimen aliquod probatæ in omnibus Caroli prudentiæ exhibeamus.

Serenissime Domine mi Observandissime.

„ SIngularis illa humanitas, qua Celsitudo Vestra „ delatam verbis meis a Patre Adurno obser- „ vantiæ meæ significationem sibi fuisse gratissimam „ testata est, animum vehementius inposterum in- „ flammabit meum, ut obsequii & paternæ meæ „ benevolentiæ testimonium sæpius Illi per literas „ objiciam, meque profitear memorem veteris il- „ lius, & sinceræ fiduciæ, quam glor. mem. Phi- „ libertus Pater in me olim collocaverat. Qua- „ re in hisce Regni sui exordiis nolui, vocem de- „ siderari meam; eaque commemoranda duxi, qui- „ bus recta omnis administratio veluti fundamentis „ nititur, ut regat ac moderetur optime eas Re- „ giones, quas in Ejus arbitrio, & potestate versari „ Deus voluit. Hujusmodi sunt frequentes ad Deum „ obsecrationes, sacrorumque Mysteriorum usus, ut „ menti Divinum lumen affulgeat, quo illustrata „ Cel-

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Fortitudo, atque animi constantia.

CRambem videar eamdem recoquere, si constantissimam in adversis Borromei Fortitudinem tot jam confirmatam exemplis velim iterum molesta commemoratione in oculis defigere. Jamdiu recensuimus invictam animi vim opposita vi retardatam nunquam; & miraculo fuit ea mentis tranquillitas, cum solus timoris expers universis ti-

„ Celsitudo Vestra spectet dumtaxat, quæ Deus a „ Principibus exigit, dum populos regendos attri- „ buit. Etenim dignitas & potestas Principum, „ quemadmodum omnia, Deo subjecta est; eumque „ finem propositum habet, ut subditarum Nationum „ salutem ii tueantur æque, ac divinam gloriam, quam „ pro virili Principes ea ratione curare debent, „ quam ex Sanctorum Regum, atque Principum „ exemplo possunt hautire. Idcirco Salomon He- „ bræorum Reipublicæ clavo admotus, summoque „ flagrans optime administrandi Regni desiderio, cui „ se imparem fore prævidebat, summis votis, atque „ oblatis hostiis ad divinum auxilium confugere vo- „ luit: Deusque ejusdem precibus permotus neque „ vitæ diuturnitatem, neque opes postulantis, sed „ sapientiam unice, cujus ductu egregie Rempubli- „ cam administraret, abunde vota cumulavit: be- „ neficium sapientiæ collatum augens divitiis, glo- „ ria, & diuturna felicitate, quam, nisi ille inter- „ cepisset sibi vitiis suis, perpetuam, atque florentem ad „ vitæ exitum attulisset. Qua de re summopere opto, „ ut Celsitudo V. neque mole negotiorum distra- „ cta, neque ulla alia, gravissima licèt, occasione „ implicita, cesset unquam se, suaque omnia Om- „ nipotenti Deo commendare quotidie, Ejus opem „ demisso animo petere, sacra crebrò obire My- „ steria, idest gratiæ, & divinæ beneficentiæ ori- „ ginem adire; præsertim cum petendi superni au- „ xilii eo major necessitas urgeat, quo gravius „ humeris onus incumbit; atque aliunde certa sit „ iis cælestis Misericordiæ fontem large patère, qui „ hujusmodi uti remediis non recusant. Iisdem pietatis „ institutis, quibus Celsitudinem Vestram imbutam „ optime vellem, curandum est deinde, ut admini- „ strorum etiam mores probe accommodentur: eli- „ gendi nimirum sunt in administrationis suæ sub- „ sidium viri, qui iisdem præsidiis sustententur, „ nulla ducantur re, nisi subditarum gentium uti- „ litate, divinisque legibus & gloria; huc autem „ Celsitudinis Vestræ cogitationes referendæ sunt „ omnes, cum vias omnes obstruere debeat gratiæ „ apud se ineundæ Aulicis iis, qui per cuniculos, „ aut aliquas terrenæ prudentiæ vias blande Princi- „ pum auribus lenocinantur, ea dumtaxat objicien- „ tes, quæ maxime arridere Ipsis sentiunt, atque „ animum insolentius efferunt, magnifice extollen- „ tes potentiam; unde splendidis dictis optimam „ Principum voluntatem non raro labefactant, aut „ etiam evertunt. Facile libertati huic meæ Cel- „ situdo Vestra ignoscet, si recolet animo, hanc ab „ eo amore ingenti proficisci, quem in me pri- „ mùm excitarunt Sereniſſimæ hujus Familiæ bene- „ ficia; postmodum aucta in dies, & jamdiu co- „ gnita Celsitudinis Vestræ humanitas inflammavit. „ Quod si exinde, ut promisit, Ipsa aperire quoti- „ dianas mihi *in via Domini* progressiones suas di- „ gnabitur; pro certo habeat velim, id multo ju- „ cundissimum fore, Eamq; desideriis plane gratificatu- „ ram meis, qui summopere cupio ex cognitæ mihi „ pietatis Suæ seminibus procreari, & gigni solidæ „ virtutis fructus. Qui deinde quemadmodum di- „ gnitati, atque amplitudini Suæ consentanei erunt; „ ita spero, in Christianæ Reipublicæ universæ pu- „ blicam utilitatem facile redundaturos, præsertim „ vero in Dei Optimi Maximi gloriam, *a cujus pie- „ tatis studio*, ut abunde Celsitudo Vestra *accipiat*, rogo.

Cardinali Vademonto.

„ DEmissa Dominationis T. postulatio, qua ro- „ gavit me de instituenda vitæ ratione, ma- „ ximum mihi pudorem injecit intelligenti, infir- „ mitatem meam alieno potius consilio sustentan- „ dam, quam virtutem aliquam meam; præter- „ quamquod illud etiam tacitus considerabam, Deum, „ qui D. Tuæ tam bonam mentem injecit, inse- „ vitque virtutis, & pietatis optimum semen, datu- „ rum præterea gratiæ suæ dona ubertima, quibus „ & vota implere valeat, & dignum Deo Opt. Max. „ deferre obsequium, novamque, quæ Illi impositæ est, Cardinalis personam egregie sustinere. Ni- „ hilotamensecius, ut observantiæ meæ specimen im- „ peranti deferam, hoc unum commemorabo: No- „ stra ætate floruisse natione item Gallum Claræ-Val- „ lis Cardinalem, Virum equidem propositum ad „ imitandum D. Tuæ Illustriss., iisque omnibus, „ qui in eo dignitatis gradu constituti, ad eximiam „ morum probitatem aspirant. Fuit in eo summa „ sanctitatis laus, quam non in se dumtaxat retinuit „ semper; sed in aliis etiam exprimendam curavit, „ cum optime Familiæ mores instituisset, ejus nu- „ merum, supellectilem, luxum moderatus, atque „ effusæ semper in egenos liberalitatis fuerit. Paria „ ferme fuere Henrici Cardinalis, & Lusitaniæ Re- „ gis recens extincti instituta: quare si D. T. dili- „ gentius exquiret de horum Cardinalium vitæ ra- „ tione, eorumque exempla in oculis habebit sem- „ per, atque præscriptam in Concilii Tridentini de- „ cretis Cap. 1. Sess. XV. *de Reformatione* Cardinali- „ bus, & Episcopis vitæ normam sequi pro virili „ statuet; non dubito, quin juxta Ipsius vota ma- „ xima sit utilitas consecutura. Nolit tamen faciles „ aliorum consiliis præbere aures, qui objicient, al- „ terum ex his Cardinalem, cum Monasticam pro- „ fiteretur disciplinam, majora reliquisse virtutis „ exempla, quam ut alii amplecti ceteri debeant. „ Alium nostra insuper ætas Cardinalem dedit, at- „ que in ipso juventutis flore, Cardinalem scilicet „ de Nobilibus ex Julii III. Summi Pontificis Sorore „ Nepotem. Ille præclaris admodum Dei donis fuit „ instructus: multa post se reliquit religionis, & „ pietatis imitanda monumenta; ejusque laudabilior „ vita

Digitized by Google

timentibus videretur. Juvat itaque compendiaria uti via; Ejuſque Firmitatem totam, quantacumque demum fuit, ſcrutari funditus, quibuſque illa in locis, rebus, temporibuſque eluxerit, curſim, & veluti per capita perſtringere. Mortis, quæ, Philoſopho teſte, terribilium omnium eſt terribiliſſimum, objectum ſæpe periculum nihil unquam Cardinalem commovit; niſi fortaſſe accendiſſe inſitam Illi virtutem dicamus. Vulgo uſurpatus fuerat hic ſermo, cum ab impio Donato petitus ad necem fuiſſet: *Mirandum videri non poſſe, lineam veſtem Borromeo inſtar clypei fuiſſe; poſtquam hoc magis mirum evenerat, Borromeum tanto in periculo non trepidaſſe.* Graſſante in Cives lue, dum a maternis uberibus liberi, ab uxorum conſuetudine conjuges diſtraherentur; unus Carolus omnium Parens in morientium amplexus convolabat, atque conſolationem perituris ut adhiberet, periculum ſubire mortis non recuſabat. Magnus inceſſerat adminiſtros pavor; iiſque ingredi infecta lue cubilia reformidantibus, dux viæ prægrediebatur imperterritus Antiſtes; vitæ veluti certus ſuæ, ſi vitalem Chriſti Corporis alimoniam decumbentibus ſua obtuliſſet manu. Excitatis notiſſimis in auctoritatem ſuam turbinibus, invaſerat Civitatem univerſam trepidatio. Amantiſſimi Ejus ex primario Nobilitatis flore Equites clam per internuncios admonebant de adverſariorum machinis; frequentiſſimas, ut præcaveret ſibi, admovebant preces. Subridebat Ille mitiſſime, timoremque alienum, qui maxime trepidare debuiſſet, conabatur depellere; ac ſi humanis deſtitutus, præſentiſſima cælitus auxilia opperiretur (*a*). Etenim dictitabat, *hoc ſe timere maxime, ne quis Eccleſiaſticus vir quidquam a recta diſciplina deflecteret; verum a Principibus profanis Eccleſiam oppugnari, hoc minime formidandum videri. Illud ſedulo providendum, ne quid a ſuis detrimenti Eccleſia caperet; non vero avertendum, quod Borromeus, aut Borromeorum familia ab adverſariis pati damnum, licèt maximum, poſſet.* Mirum dicam, neque a rei abſonum veritate: Licèt frangi ſæpe, aut ſaltem labefactari animi contentio in adverſis ſoleat; Carolum objecta pericula acuebant, ac confirmabant. Qua propter cum nunquam e gradu dejiceretur, neque ad incœpto deſiſteret, glorioſum ſemper ad exitum omnia perdu-

„ vitæ ratio videtur, quo difficilius eſt afflictis illis „ Chriſtianæ Reipublicæ temporibus paris virtutis „ imaginem reperire. Itaque ſi hæc animo recolat „ divino accedente lumine neceſſarium deinde videbitur, ut adhibitis in conſilium probatæ fidei viris, rectum ſtatim Familiæ ordinem diſponat, „ actionum ſuarum ſeriem digerat, & incundam „ viam ſtatuat; qua ſtatuta, caveat, ne tranſverſum quidem unguem ab ea ſe ſinat dimoveri. Hæc „ obſequeudi ſtudio, & gratificandi animo deprompſi breviter &c.

(*a*) Paſtoralem hanc conſtantiam inculcabat ſæpius; hinc ad Archiepiſcopum Braccarenſem ſcribens pridie Cal. Octob. MDLXVII. monet: „ Et quamquam multa ſunt, quæ Reverendiſſimæ Amplitudini Veſtræ conſtitutionibus ac decretis aliquam difficultatem afferre videantur; tamen nihil eſt, cur „ hominum controverſias, aut injurias pertineſcat, „ cum Omnipotentis Dei cauſam agat, & tueatur.“ *Cardinali* autem Borbonio Seniori his literis ſuis admovet faces: „ Suſcipiat cauſam religionis & pietatis; vel potius egregie ſuſceptam conſtantiſſime „ teneat, ac tueatur; ſibique perſuadeat, nihil eſſe „ pertimeſcendum: ſiquidem Illi Deus præſenti Numine aderit, & vires ad cauſam ſuam defendendam abunde ſubminiſtrabit; *non* enim *eſt Veſtra „ pugna, ſed Dei*, ut ſacris Literis proditum eſt; ideo „ *non eritis vos qui dimicabitis; ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos.*“ Quare ſuſtentare ſæpius alienam etiam imbecillitatem conabatur. Hinc cum accepiſſet, Joannem Baptiſtam Caſtellum Pontificiam Legationem ingreſſum in Gallia, deſpondere jam animum, cum turbulenta omnia eo in Regno videret; epiſtolâ ſuâ metum omnem abſterſit: „ Quemadmodum gratulor de felici „ tuo in Regiam iſtam adventu; ita commovent me „ literæ tuæ, ex quibus abjecto te eſſe animo intelligo. Etenim qui in hac Legatione ſperatur „ fructus, eum humana induſtria non debet afferre, ſed una nullis terminis circumſcripta Dei „ Miſericordia, qui ſæpius præter hominum opinionem, & per diverſas omnino rationes efficere „ ſolet, quod maxime ad Suam gloriam videt pertinere. Quare abſit a te timor omnis; imo excita, & inflamma vehementius caritatem tuam, „ cum ſumma conjunctam ſpe., fore, ut *fructum „ det in tempore opportuno*.“ Alibi etiam cauſam addidit hujus conſtantiæ retinendæ apud Principes Viros. Nam ad eumdem Caſtellum ſcribens hæc habet: „ Ex ipſa hominum exiſtimatione diſces, „ eamdem ſemper animi firmitatem, atque morum „ ſanctitatem eſſe retinendam. Nam, utcumque profani homines vitæ æquabilitatem, & conſtantiam „ ægre in ſe ipſis ferant; tamen in aliis laudant „ ſemper & admirantur.

Digitized by Google

duxit. Illud item certissimum constantiæ indicium fuit, quod cum vultus ipse latentem in animo mœrorem pallore, aut dolorem rubore probet; nunquam mutatus Carolo oris color est, nunquam oratio excidit, non quòd simulare didicisset; sed fortem semper animum dissimulare non posset. Moderabatur enim intimos sensus divina quædam fortitudo, ac virtus, quæ unice humanam infirmitatem sustentabat; cumque adversa quæque hoc auxilio retunderet, tanta demum rebus suis sub vitæ finem est parta tranquillitas, ut tota obediendi causa in posterum sita in imperantis auctoritate videretur. Quamquam domesticis defunctum pugnis externa subinde prælia exceperunt. Cum enim erupturam e Rhætiæ partibus mali maturitatem vellet comprimere, ne in Ecclesiæ suæ perniciem manaret; aliud, & multo acrius exortum est bellum, quod magna constantia susceptum feliciter demum perfecit, hostibus omnibus sive invicta fortitudine perculsis, sive plusquam Regia liberalitate enervatis. Hanc Ille constantiæ disciplinam ex Christi præceptis hauserat, qui usque adeo Sponsæ suæ utilitati consuluit, ut suppliciis mactari ultimis non recusaverit: verus hac ratione divini *Pastoris* imitator existens, qui suo redimere oves sanguine docuisset; *Mercenarii* autem indecorum nomen refugiens, cujus est, Gregis curam abjicere, simul atque inanis aliquis terror increpuit.

Neque dissimulaverim, tantam Borromei virtutem in eam partem ab aliquibus acceptam interdum fuisse, ut crederent, in hac animi magnitudine pertinaciam, & quamdam veluti Regni cupiditatem latuisse. Verum eorum fuit tam insulsa opinio, qui aut superbe scrutari secreta mentis audent, aut perseverantiam, quæ dumtaxat audaciæ finitima est, si in malum vergat, ferre non possunt. Etenim cum molestius fortasse, quam ut eorum temporum licentia pateretur, decreta Tridentinæ, ac suæ etiam Synodi ad juris normam exigeret, repudiaret fortiter multorum officia, machinasque omnes dissolveret; vecordibus pertinacia fortasse videri poterat, quæ a cordatis quibusque Constantiæ magnifico nomine celebrabatur. Sane una Caroli pro virili pugnantis virtus id demum pervicit, ut interruptum Tridentini Concilii opus summa cum Ecclesiæ utilitate ad exitum perduceretur, atque antiqua etiam Ambrosianæ Ecclesiæ dignitas, & jura restituerentur. Quæ omnia si quis taxare liberius velit, næ ipse eam audaciæ notam subire videatur, quam Carolo studet imponere? Hoc itaque statuendum est, mutuo quodam fœdere, ac veluti vinculis conjunctam fuisse Caroli Constantiam, Prudentiamque; quarum alterâ cum optime regeret omnia, atque disponeret, alterâ deinde rite universa exequi, atque perficere Ille consuevit. Quare nec ullum Prudentiæ vitium inesse voluit, tentando, quæ tutius esset omittere; nec Constantiæ dedecus inurere, omittendo, quæ prudenter antea decreta statuisset.

CAPUT XXV.

In adversis & asperis rebus invicta Patientia.

EA familiarium suorum, eorumque omnium, qui Caroli introspicere mores solerent, opinio fuit: vitam Illius omnem lenti, ac diuturni martyrii nomine insigniri posse (*a*). Quid enim tam affine martyrio fuit, quam tot corporis pœnæ sua voluntate

(*a*) Juvat hanc Caroli patientiam Doctoris Mascardi coloribus pingere, imo Cardinalium Gabrielis Paleotti, & Augustini Valerii, quorum verbis Mascardus utitur. Recito autem ipsa hujus verba, prout leguntur in Tabulis pag 3754. & sequentib. „ Cardinalis Paleottus, intelligens de hoc Beato, „ dum tractat, quodnam sit illud virtutis aut offi„ cii studium, in quo debeat Episcopus præcipue „ elaborare, sic effatus fuit: *Quamo prudentius ab „ eo factum sint Antistite, quem ò nos novimus ma„ gna sane prudentia, probitatis, atque excelsi animi; „ qui Ecclesiam nactus, populi frequentia, nobilitate, „ divitiis, ingenii acumine, ac negotiorum varietate „ affluentem, statim intellexit, quo amplior, quo splen„ didior, atque insignior sibi Sedes obtigisset, eo ma„ jus sibi sedendi, ac quiescendi locum dari; sed eò „ majora & graviora undique functioni suæ intendi „ certamina. Idcirco, tamquam si in sublime esset ca„ cumen elatus, unde ingentes adversus se ventorum „ æstus, hinc, & illinc irruere prospiceret, sicut nul-

luntate ſuſceptæ, tot cruciamenta animi, tot demum incommodis affecta valetudo? Adjiciatur, ſi lubet, quotidianus angor, & veluti continuus labor. Hæc omnia ſibi adverſaria quam maxime, non modo patienter tulit; verum etiam ſumma cum animi jucunditate ſubiit, ut dolor exhauriri univerſus crederetur. Cum ex morbis eſſet affectus, ſenſum gubernabat ratio, ex cujus imperio vultum, vocemque, veluti pœnæ omnino expers, moderabatur. Semper uno, ut ajunt, tenore æquabilem tenuit agendi rationem. Onerabat interdum quotidianos cruciatus ſuperveniens febris, nihil interim remiſſo corporis ſupplicio; imo vulgata apud plures Borromei ſententia fuit: *Eccleſiæ curis implicitum hominem, non niſi tertio febris recurrente motu, decumbere unquam licere.* Dum ſe æſtas circumageret, Vallem Travaleam, & Cannobii Plebem luſtrabat aliquando: aſperam quidem, atque inviam regionem, utpote montibus, qui ex utroque Verbani latere eminent, comprehenſam. Decimum jam, atque ſeptimum diem laborabat ex febri, nec itinere, vel labore intermiſſo, etiam cum maxime febris æſtus urgeret; quare miſerandum erat rigentem repente, mox æſtuantem intueri. Imo eo tempore, cum oblata eſſet Capuccinorum Patrum conſecrandæ Ædis occaſio, totus repente ex febri cohorruit, nec tamen deſtitit incœpto; quin etiam rite perfectis omnibus, ad populum, quem capere Templum non poterat, in aperto orationem habuit, dum ſe intime morbi vis jactaret, Solis autem radii exterius torrerent. Tres æſtivos menſes obeundæ Diœceſi quotannis dare conſtitutum fuerat; quo tempore recta, luſtrato pago, in alterum Ille contendere (quod fere in meridiem ſolebat incidere): non expectare donec ſe calor frangeret; ſed ea fervida tempeſtate, nullo prætento obice ob radios Solis arcendos, nunc equitare, nunc impervios calles pedibus adire; cumque totus ſudore diffluereet, prodens ipſum madidarum veſtium indicium, non hærentem humorem detergere pagum ingrediens, ſed ad ſacram Ædem primùm feſtinans, orare ibi, mox concionem ad populum habere, cetera demum rite exequi; ac ſi recentiſſimas, ac integras vires afferret. Setaram iter forte direxerat; quo dum properaret, tranandus inciderat rivus, qui cum ſolito turgidior umbilicum uſque pertingeret, madidus, ut erat, ad Templum perrexit. Incredibile autem dictu eſt, quantum Ille incommodi, tot confectis itineribus, devoraret; Feſtinabat enim citatiſſimo curſu diu noctuque contendens, cum ipſe feſtinandi ardor concitatum mentis impetum ſequeretur. Intercipiebat item tanta feſtinatio cibi, ac neceſſarii ſomni uſuram; cum ad noctem curandi corporis ſtudium rejiceretur, atque ipſa deinde cibi parce admodum ſumendi ratio multo moleſtiorem itinere quietem ipſam efficeret. Quoties vero in ſacris Locis cæremonias rite perficeret, ſub dio perſtabat, meridiano licèt Soli obnoxius; atque hinc ferrugineus ille temporum color, & nimio vapore toſtus.

Neque rigidæ tempeſtatis incommoda iniquiore animo pertulit, quam fervidæ. Equidem ſive iter habens, pallii, ſive in ædibus, manicatæ tunicæ, imo etiam hypocauſti uſum ſibi interdixerat: nudis manibus equi lora regens, ſi nive obſitos montes, & gelu ri-

„ *tiplices procellas a Canonicis, a Regularibus, a Sa-*
„ *cimonialibus, a Conſanguineis, a familiaribus, a*
„ *divitibus, a pauperibus, ac tantumdem a Magiſtra-*
„ *tibus, atque a Principibus, ad quos turmatim po-*
„ *pulus adverſus Epiſcopum, Illiuſque decreta conflue-*
„ *ret, imminere agnoſcebat. Quæ omnia eo etiam*
„ *vehementiora quotidie ſibi deprehenſa ſuiſſe, Ille,*
„ *quem dupliciter Collegam habebamus, in familiari-*
„ *bus inter nos colloquiis ſæpe affirmavit, ſubdens:*
„ *Ex quo die mitram induit Paſtoralem, nunquam ſe*
„ *amplius tranquillitatem ullam deguſtaſſe, quamvis*
„ *Divina Eum numquam deſeruit clementia, quæ Eum*
„ *nullius gratiæ blanditiis, aut importunitate ab officio*
„ *labi permiſiſſet.* Huc uſque Cardinalis Paleottus.
„ Cum hac atteſtatione concordat memoratus Auguſti-
„ nus Valerius Cardinalis, Veronæque Epiſcopus in Epi-
„ ſtola ſua dicens: *Carolum Borromeum Archiepiſco-*
„ *pum Eccleſiæ Mediolanenſis, habentis gregem numeroſiſ-*
„ *ſimum, labores maximos pertuliſſe in niunere ſuo:*
„ *perpetuis ſollicitudinibus, doloribus plurimis, mole-*
„ *ſtiis innumerabilibus, calumniis etiam, quæ con-*
„ turbant ſapientem, & perdunt robur cordis ejus,
„ *ut ſapiens ſcripſit Salomon, in quorumdam invidiam*
„ *aliquando adductum, tandem periculà evaſiſſe: &, ut*
„ *retuli, magnam pietatis, conſtantiæ, integritatis fa-*
„ *mam reliquiſſe.*

Digitized by Google

rigentia omnia perluſtraret, licèt urente cutim frigore, hiarent ſæpe ſanguinea in manibus ulcera. Intercedebat aliquando diro, & inhoneſto ſupplicio familiarium pietas; ſed fruſtra, cum tolerantiæ ſtudium impediret, quominus intuentium miſericordiam æqui, bonique faceret; quâ, pluſquam Spartanâ, patientiâ eorum etiam averſabatur preces, qui totis contremiſcentem artubus miſerati, ut graviorem ſibi aptaret tunicam, vehementer obſecrabant. Huc loci mire incidit, quod in laudatione funebri Franciſcus Panigarola e rei veritate ipſa ſine fuco perſecutus eſt in hæc verba: „ Quid „ Illi ex amplis cenſibus uſui fuit, præter „ panem, atque lympham, quibus miſe„ re refectus eſt; aut præter paleas, quibus „ dormiturus incubuit? Neque in hanc „ rem celare vos Ejus inopiam velim, de „ qua meum præſentis teſtimonium erit „ certiſſimum. Anno ſuperiore, cum me„ cum in rigidiſſimis montium faucibus „ verſaretur (Valle nimirum Meſauco„ rum) & noctu pluteo affixus, a me for„ te deprehenſus eſſet: miratus, nigram, „ & laceram veſtem, qua erat amictus, „ rogavi, ut frigus meliori lacerna depel„ leret: Subridens leniſſime reddidit: *Alia nec mihi ſuppetit; nec ſi ſuppeteret, placet. Decentior ad dignitatem, non ad Carolum veſtis ſpectat. Quod ad me attinet, hæc me æſtate, hæc me hyeme veſtis tegit; neque hanc, quoad vixero, deponam.* Hoſpitum interdum ut familiaritati ſerviret, præſens, cum ad ignem illi ſederent, aderat; ſed ſtans longius, humeroſque opponens, ne caloris beneficio uteretur. Horridum hunc, atque auſterum vivendi morem amice dolens, familiaris Ipſius Julius Petrucius hortabatur, ut lecti frigus moderato ignis calore temperaret. Aſpernatus hoc commodum Cardinalis, utpote nimium ſenſibus fovendis opportunum, *Alia ab igne*, inquit, *præſtantior calefaciendi ſtrati ratio ſuppetit; ſi nimirum ſtrato ipſo frigidior decumbas.* Atque hæc dicebat expertus; cum tepens frigidiſſimo corpori lectus videretur, præſertim cum incœnatus cubitum peteret, & ſtramentis fartam culcitam ſuperimponeret, eamdem porro, ac illam, cui incumbebat. Itaque tanta contentione commoda quæque Ille refugiebat, quanta delicatulus quiſque, ac mollis conſectatur: quod præcipue patuit, cum ſacrarum rerum meditationi vacaturus, in Canonicæ receſſum ſe aliquando abdidiſſet. Ibi in cellulam quamdam abditum Carolum, dum maximo imbre impluvium aqua permearet, & in lectum guttatim incideret, rogaverat Caſtanus, ut inde vaſa colligeret; cum ampliora, itemque commoda alia in clauſtro illo conclavia paterent. Abnuit conſtanter Carolus: atque hoc unum tandem impetratum, ut ſtragulis tabulam liceret imponi, quæ moleſtiorem ſtillicidio, aquæ aſperginem decumbenti ſubinde impertiebat.

Verum hæc omnia jucunda potius Carolo fuere: illa enimvero moleſta unice, quæ mollitiem quamdam, ac delectationem ſaperent. Hoſpitatus Ille in Provincia ſua apud Antiſtitem, ſymphoniacos pueros convivio inductos audivit. Hoc tacitus non tulit; ſed tum primùm faſtidioſus, illud aurium lenocinium reſpuit, atque ad Epiſcopum converſus: *Eſſe hoc*, ait, *Epiſcopi, ut omnia ſenſus nimium permulcentia omni contentione refugeret.* Aliàs Sacerdotem adminiſtrum ſuum intuens, qui pranſo ſibi vinum afferri juſſerat, ſuggillavit inquiens: *hoc eſſe voluptati ſervire, quæ, ubi rationis frenum excuteret, poſtera die idipſum ſuaſura eſſet.* Cum vero ille reponeret, *id non voluptatis cauſa factum, ſed ut arentem linguam irroraret: hoc ipſum*, reddidit Borromeus, *ad voluptatem ſpectat; multoque ſatius eſt ſitim pati, quam depellere.* Tam ſapienter dictum cauſam, cur id Ipſe ageret, aperuit; Neque enim hauſtum Ille frigidæ unquam, arentibus licèt, faucibus concedere pranſus conſuevit.

Huc ſpectant commemorata jam, ſed celebranda ſemper, quæ peſtilenti anno ſibi indixit, corporis cruciamenta. Obivit tunc Ille gelu conſtrictas vias nudis pedibus; tum cruenta ſignans veſtigia, gaviſus eſt ſanguine ſuo, aut Deum placari poſſe, aut po-

Digitized by Google

populum redimi. Pedem, ungue diffiſſo, tumentem, hiantemque, remoto unguento, viæ periculis triduum objecit; neque publico abſtinuit, poſtquam Chirurgi ope evellendum omnino unguem curavit. Quare ſucciduo poplite male fultus, humi deinde procubuit, oſſe interim manus diſſoluto; cumque, prævifo Illius dolore victus, manum admovere curando Carolo Medicus formidaret; Ille brachium ſine motu præbuit, tanta alacritate, ut ad medentem unice pertinere dolor videretur (*a*).

CAPUT XXVI.

Auſterum, & horridum a Carolo initum vivendi genus.

QUamquam omnia in Caroli vita admiranda ſemper fuere, duriſſimum tamen, atque aſperrimum ab Illo initum vivendi genus maximam præ ceteris certe admirationem habuit. Quì enim fieri poſſe videbatur, ut communi mortalium luto effictus, tantum ſibi roboris inedia, ac cruciatibus demeret; idemque majores veluti vires ad infinita Chriſtianæ Reipublicæ, & Diœceſeos, Provinciæque ſuæ negotia curanda afferret? Sub vitæ finem tenui adeo, & modico cibo utebatur, ut quotidiano corpus jejunio conficeret; unoque pane, & amplo frigidæ cyatho prandium conſtaret. Feſtis tamen diebus deliciæ Illi erant olera, caſeus, aut fructus; cum ab Ejus menſa ſemper ova, caro, & piſces abeſſent. Quadrageſimali tempore arctior etiam cibus videbatur, cum ſiccatas dumtaxat ficus, aut mollitas fabas in cibum admitteret; tamque auſterum jejunium per hebdomadam *in Authentica*, repudiatis cibis omnibus, præter lupinos, cumulabat. Quod autem per annum conſueverat, nunquam remiſit, ut ſemel dumtaxat per diem cibum ſumeret. Itaque, cum ſiccus cubitum pergeret, nihil etiam ex quiete volebat percipi neceſſariæ voluptatis. Etenim mollius decumbentem excipiebat referta ſtramentis culcita: ſtramenta item pro pulvillo erant, quibus etiam pro ſtragulis utebatur: Ad aſperitatem vero lectuli ſeu minuendam, ſeu diſſimulandam gemina lintea erant cannabina rudiora, nec candida: qualia videlicet ex textrina recepiſſet, non ex fullone. Innitebatur hic lectulus humili fulcro, quod gemina ex parte muri angulus cingebat. Hæ tamen deliciæ cubantis fuere, quas ne repudiaret, coacti in Concilio Provinciæ Patres bis Borromeum exorarunt; Scilicet, quo tempore voluntati ſuæ indulgere licuit, veſtibus, ut erat, indutus, indormire nudis ſine ſtrato tabulis cœperat peſtilenti anno, aut cubito, vel ſellæ innixus brevem aliquando ſomnum capere: quæ, utpote aſperrima quieſcendi ratio, fuit in cauſa, ut Provincialium Epiſcoporum officia modum ali-

(*a*) Videamus jam verò, quàm ſuaviter conſtantiam hanc ſuam ceteris impertiret, atque afflictis apte conſolationem adhiberet. P. Antonio Homodeo Telii in Vulturenis Rectori hæc ſcribit: „ Incommoda Sondrii Archipresbytero oblata Dei gloriam, „ & Chriſti fidem amplificant; quare, etſi commo„ veri ejuſdem calamitatibus decet, ex tamen di„ gnæ ſunt, quas in nobis ipſis deſideremus; at„ que hoc unum reliquum eſt, ut D. O. M. ore„ mus, quò hæc omnia in ejuſdem honorem ver„ tant. Idem rerum omnium Auctor, *qui viſitavit* „ *te*, conſanguineos tuos ad ſe vocans, ut ſcribis, „ clare indicat, & ſalubriter monet, ut amorem „ tuum omnem ab humanis rebus in Eum perfecte „ transferas.“ Alibi ad Centulæ Abatem ſcribit: „ Ex literis tuis audio, quot in te undique in„ gruant adverſa. Dolorem ex iis aliquem hauſi; „ verumtamen hoc habe: ea toleranda eſſe non „ ſolum patienter, ſed *cum gratiarum actione*, quæ „ in hujuſmodi incommodis hominis eſſe partes debent; nam optima tibi hoc pacto offertur oppor„ tunitas ſervitutis Deo deferendæ, *& voluntatis* „ *abnegandæ*.“ Demum, ut finis ſit, Bonhomium, qui in Germanica Legatione abſtrahi ſe negotiorum mole a Divinis conquerebatur, ſolatur in hæc verba: „ Cum magno voluptatis ſenſu legi Epiſtolam „ tuam, qua mones, utilem admodum Chriſti Ec„ cleſiæ Legationem tuam fuiſſe. *Gaudere in Dom„ no* licet, & moleſtiam illam animo identidem „ inhærentem depellere, qua dicis, mentem turba„ ri tuam, conſiderantis, animum rerum agendarum „ multitudine obrui, & facile a Deo alienari. „ Curandum eſt igitur, ut quantum fieri poteſt, „ animum colligas; nam, licet S. Gregorius etiam „ conquereretur, ſe humanis curis diſtractum, quem„ dam veluti *ex ſeculo hominem* effectum; tamen „ hoc ipſum patienter ferendum eſt, propter Sum„ mi Pontificis obedientiam, qui hoc onus impo„ ſuit, & Eccleſiæ univerſæ gloriam, cujus utili„ tatem curas.

Digitized by Google

aliquem tanto Caroli dolori imponerent. Verùm inanis opera ludebatur, cum cubare Carolus mollius juberetur; nam hærens cuti induſium cruciamento erat. Hirſuto admodum cilicio veſtiebatur intime, quod hæreditario jure in Noſocomii Mediolanenſis jura cum pervenerit, nunc colitur theca incluſum, & viſitur multis hinc inde aſſutis centonibus tritum. Quamquam aliud Carolo erat, quod hujus loco ſubſtituebatur. Hoc familiarium manus, Illo moriente, non effûgit, & ſumma contentione in plures partes diſtractum, atque diviſum, plurimorum vota implevit. Omitto, quibus acriter in ſe ipſum ſæviebat, flagella, cum ſe flagris cædere ſæpiſſime conſueſſet; notabanturque in defuncti humeris liventes adhuc vibices tantæ ſeveritatis teſtes.

Neque ſuggillet quiſpiam tantum vitæ horrorem; cum certum fuerit, ad hunc virtutis apicem veluti per gradus Carolum aſcendiſſe; quandoquidem conjuncta ſemper cum patiendi deſiderio, laus prudentiæ, ac moderationis fuit (*a*). Illud ſibi imponere onus Borromeus conſueverat, cui par ferendo eſſet; cumque identidem minoribus veluti experimentis ſuarum periculum virium faceret, leviora expertus, ad majora ſubinde animum adjiciebat. Ad mollius vitæ genus Eum natura effinxerat, ad quod ipſa etiam educatio teneræ ætatis confirmaverat. Verumtamen, cum Nobilis Adoleſcentis altius hæreret animo ea cogitatio: Se Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & Mediolani Archiepiſcopum ad eas virtutes aſpirare debere, quæ maxime ad tantam dignitatem pertinerent; ad hanc vitæ duriſſimæ aſperitatem magnis veluti progreſſionibus, & capto, ut ita dicam, impetu contendit eniti. Jejuniorum ſtudia a ſobrietate primum auſpicatus, deinde ſe ad inediæ diuturnioris uſum confirmavit: nunc aliqua; alia poſtmodum repudiare: nunc vino parcere; nunc aquâ, cum ſitis ureret, abſtinere: cœnâ omiſsâ, prandium minuere: nunc ciborum delectum nolle; deinde copiam recuſare prudentiſſime, itemque conſtan-

(*a*) Nonniſi prudentiſſime in hoc egiſſe Borromeus dicendus eſt, ſi Illum inſtituta ſua tuentem audiamus in epiſtola ad Summum Pontificem data, quam nos alibi referendam promiſimus, & nunc Latine reddimus.

Sanctiſſime & Beatiſſime Pater.

„ THeopompus Ferrus Canonicus addictus Sancti „ Ambroſii Baſilicæ, & a Sanctitate Veſtra nu„ per dimiſſus, Ejus verbis mihi retulit nonnulla „ de moderandis vitæ meæ Inſtitutis; adjecitque, „ ea ſe in mandatis habere. Qua de re cum San„ ctiſſimorum Pedum oſculo, gratias ago, ut de„ cet; quandoquidem humaniſſima Sanctitatis V. „ verba novum mihi exhibent veteris, & paternæ in „ me benevolentiæ ſuæ teſtimonium. Verumtamen „ eadem exprobrare mihi imbecillitatem viſa ſunt; „ & proinde novos veluti addidere ſtimulos, ut „ pro virili ſtuderem Cardinalis, atque Epiſcopi, „ quæ meæ ſunt, partes tenere; quibus in gradi„ bus, ut apprime novit Sanctitas V, noſtrum eſt „ non minus vitæ ſingularis exemplo, quam verbis „ atque doctrina prælucere: quod quidem exem„ plum non communis cujuſque virtutis, aut per„ fectionis eſſe debet, quod in populi etiam imi„ tationem cadat; ſed earum virtutum, quæ nobi„ liores, & ſplendidiores ſunt. Hinc eo excellen„ tius, atque ſublimius hujuſmodi virtus nobis eſt „ aſſequenda, quo longius a communi hominum „ conditione abeſt, atque ſepoſita eſt ea dignitas, „ qua præfulgemus. Qua de re in hoc, quem te„ nemus, honoris apice, ea ſequi, quæ Chriſtus „ Dominus, dum viveret, nobis imitanda propo„ ſuit, Ejuſque ductu tot Sancti Paſtores, aliique „ probi Viri corroborati, diligenter coluere, pœni„ tendum eſſe non debet; quinimo pudeat, eo ani„ mo, & conſtantia mordicus non tenere Chriſtia„ no homine digniſſima Inſtituta, quæ a nobis di„ gnitas ipſa, jure veluti ſuo, videtur poſtulare. „ Itaque ego ea expendens, quæ neceſſario agenda „ ſunt, & videns, quantum a præſtituta vivendi ra„ tione abſim, conor utcumque hujuſmodi exerci„ tationum aliquas amplecti, quibus & veterem „ emendare, & futuram præcavere animi remiſſio„ nem poſſim, atque in munere meo, ut decet, „ verſari; quemadmodum Sanctitas etiam V. a me „ exiget, credo. Verumtamen plane perſpicio, me, „ ut ita dicam, hactenus ingreſſum nondum hujus „ vitæ rationem, quæ congrua adeo muneri vide„ tur meo; tantum abeſt, ut eo uſque proceſſe„ rim, unde monitis retrahi debeam, quemadmo„ dum forſaſſe Sanctitas V. de me audiit. Quare, „ etſi Ipſa de more optime in me animata paulo „ ante per Patrem Panigarolam monuit, ut valetu„ dinis meæ rationem haberem aliquam; tamen, „ cum ſciam, Eamdem mei amantiſſimam eſſe, „ itemque ſui muneris retinentiſſimam, certe id a „ me poſtulabit puto, ut cum tuendi corporis ſtu„ dio, quod certe ponam, animæ etiam corrobo„ randæ curam conjungam; eamque perſequar ri„ vendi normam, quam a me Paſtorale onus exi„ gitat. Sed de his uberius coram, quando iſthic „ adero ante Sanctiſſimos Pedes; quo tempore San„ ctitatem V. ſapientiſſimum ſuffragium ſuum con„ liis meis adjecturam ſpero &c.

Digitized by Google

tanter voluit, ut quod ſummum volvebat animo, felicius aſſequeretur. Neque enim recolebat Ille, quæ geſſerat; ſed quid obtinendum adhuc ſupereſſet; hinc cum aqua, & pane dumtaxat ſitim, famemque non expleret, ſed toleraret; experiri etiam deinde voluit, an tanta eſſet panis homini neceſſitas, ut leviori etiam cibo natura contenta non eſſet. Quare, cum lupinis, & ficubus ſolum veſceretur, durius fortaſſe excogitaſſet aliquid, quo naturæ quidem non deeſſet, ſed veſcendi minueret voluptatem. Itaque, cum *in Domini via* quotidie progredi ſtatuiſſet, & jam veluti metam aſſequutus videretur; cumque nihil ſibi reliquum eſſet, ad quod aſpiraret: ad Deum evolans, deſiderium tandem perfectæ virtutis implevit; quandoquidem nunquam *ſatiari* Juſtus poteſt, niſi, *cum Dei gloria apparuerit*.

Hanc tamen licèt ſummam aſperitatem certis virtutis limitibus comprehenſam quì negem? Nimirum conſtat, nunquam Borromeum eo imbecillitatis redactum, ut quidpiam ex inſtitutis ſuis intermitteret; & licèt ultra fidem vires extenuaſſe videatur, novo miraculo ſupra omnium fidem alios ſemper ex aliis graviores labores ſuſcepit; quamobrem corroborari ipſa contentione credebatur; cumque adeſſet laborum finis, impendente interitu, nihil tamen de corporis firmitate remiſerat (*a*). Mirum etiam, ſed veriſſimum dicam: Cum nova ſubire, & majora ſemper onera contenderet, occulta quadam vi refici, & recreari mihi videbatur; quamobrem minus valere cœperat, cum minus eſſet agendum; eaque una valetudinis confirmandæ ratio apparuit, curare, ut valetudinem veluti infinitis laboribus frangeret. Hinc novo hoc ſalutis remedio uſurus, cum quoſdam audiret monentes, ut modum agendo imponeret, reponere ſolebat Cardinalis: *Se agendo dumtaxat valere. Meminiſſe ſe, cum Romæ in juventutis flore degeret, adeo æſtu debilitatum, ut leviſſimum ex ſerico pileum ſuſtinere vix poſſet; Contra, cum Mediolanenſem agrum luſtraret fervido ſub Jove, pileum cum galero capiti impoſitum nihil ſibi moleſtum videri*. Subtexebat deinde appoſitam rationem: ſcilicet, *Ex muneris obeundi opportunitate dari divinitus hominibus conſentaneas vires: unam agentis optimam voluntatem requiri, & promptam ad omnia operam poſtulari; ceterum Deum nulli ex famulis ſuis deeſſe, ut, quæ muneris ſui ſunt, facile exequatur*.

Itaque quoddam voluptatibus omnibus indixerat bellum, a quibus ne leviter quidem tentabatur. Et quandoquidem ipſa etiam voluptatis fuga aliquem imperitis non ſæpe delectationis ſenſum affert, & procreat; hac etiam voluit jucunditate privari Carolus, nequid ſuavitatis aſperitati ipſi aſpergeretur. Solent enim nonnulli ipſum vitæ horrorem, aut æqualiter ſemper ſequi, aut nimium ſibi placere, dum id, quod non placet, conſectantur. Repudiabat hunc Carolus morem, & quod ultro ſors offerebat, patiendi genus ultro amplectebatur. Panis pro cibo erat; non ille tamen

(*a*) Sane Carolus a Baſilica-Petri arcanorum omnium Borromei hac in parte conſcius (utpote qui manu ſua ſcripſit Cardinalis reſponſum ad Summum Pontificem, quando tantæ abſtinentiæ frenum injicere voluit) aperte teſtatur, ſalubrem potius, initam hanc parciſſime vivendi rationem Cardinali fuiſſe. Hæc ſcilicet habet ad P. F. Ludovicum Granatenſem ſcribens: „ Dum juvenis (Carolus) eſſet, „ omiſſa exquiſita corporis cura, ex piorum, prudentumque virorum conſilio ſimplicem, communemque vivendi rationem elegit; cujus beneficio, licèt cum abſtinentia deinde, & cum aſperitate eam conjunxerit, reliqua ætate, hoc eſt annorum circiter XII. curſu, bona valetudine in magnis curæ Epiſcopalis laboribus uſus eſt; ut potius exiſtimandus Ille ſit per rudiorem, & ſeveriorem vitæ diſciplinam hoſce poſtremos vitæ annos a Domino obtinuiſſe, quam vel modicum propter eam temporis deperdidiſſe.“ Hoc ipſum plane Borromeus ipſe viſus eſt de hujuſmodi abſtinentia ſentire. Rogatus enim aliquando, ut præter panem delicatiore cibo aliquo uti vellet, reſpondit: *hoc pacto abeſſe cruditatis periculum; & ſolutiorem mentem ad negotia poſt meridiem expedienda afferri*. Aliàs item monitus, ne Diœceſim luſtrans in meridiano æſtu, ut ſolebat, iter faceret; ſubjecit: *imo hoc ſibi percommodum videri; cum æſtivus aër lenior afflet citatiſſime equitantibus; quam ſegnuer otiantibus*. Ceterum ſæpe affirmavit: *paratum ſe omnino ab aſperâ illa vitæ ratione ceſſare ſtatim, ac oriri inde aliquod valetudinis incommodum poſſe, præſenſiſſet*.

tamen fuit singulari delectu conquisitus, cum nec unice siligineus placeret, nec displiceret furfuraceus, quisquis porro apponeretur. Aqua utebatur in potum, qualem hauriri contigerat: neque limpidam præoptans, neque cœnosam aversatus (*a*). Monuerant primum familiares, cum vino abstinuisset, ut igni prius aquâ admotâ, si crudum quidpiam lateret, adimeretur. Abnuit Ille, docens Dei utendum esse beneficio, qualiter bonorum Auctor largitus esset; addiditque, aliquem in hac cautione sensum delectationis latêre, quam non solum negligere vera virtus debet, sed a se omnino rejicere: hinc, quod refugimus, maxime amplectendum, quod vero amplecti placet, illud maxime refugiendum. Quare, siqua Carolo voluptas obtigit, ea dumtaxat fuit ex mentis delectatione percepta, cum offerri sibi quidpiam duri, atque asperi sentiret. Nam, cum pane etiam, aut strato privari contingeret, (quod, dum montana loca lustraret, non raro accidit), suavissime castaneis, & lacte vescebatur, & tabulis indormiebat, non aliquam ex eo cibo, aut horrore voluptatem hauriens, sed puriore quodam gaudio triumphans, quòd carendum sibi jucundis quibuscumque intelligeret. Itaque testatum plurimis fuit, intestinum semper, ac domesticum cum sensibus suis susceptum a Carolo bellum tam felici exitu, ut saluberrimo jugo devincta Ejus *caro*, nihil posset *adversum spiritum concupiscere*, ex quo restituta in Regnum suum ratio leges libere posset devictis sensibus indicere; atque illud imperare, quod libêret, aut eo tempore, quo sibi maxime probaretur.

Unum tamen fuit, quod nunquam videtur profligasse Carolus bellum; cum hostis, renovatis veluti viribus, quotidie instaret. Brevi admodum tempore somno Ille indulgebat; & quietis brevitate acerbior etiam modus quiescendi videbatur. Quoties enim aut gravioribus implicitus esset curis, aut Diœceseos suæ, & Ecclesiæ tempora Illum urgerent; nihil, aut parum admodum somni sellæ insidens capere consueverat. Opportunissimum ducebat rebus suis hunc quiescendi usum; & appositа etiam ratione tueri conabatur. Dictitabat enim, nonnullos copiarum Præfectos id moris servasse, inter quos Joannes Jacobus Mediceus Caroli ipsius Avunculus recentis memoriæ heros eminebat. *An vero*, subdebat, *Episcopus, qui bellum gerit assidue contra rectores tenebrarum, & spiritualia nequitiæ humanis ducibus de vigilantiæ laude concedat?* Verum incredibile dictu est, quantum molestiæ afferret vigilantissimo Cardinali obrepenti semper somno constanter obsistere. Vix acerbiorem alibi Illius pugnam vidimus. Erat enim Ei natura proclivis in somnum, cujus necessitatem ipsa etiam quotidiana contentio facile augebat. Hinc, eo interrupto, molestissimum corporis cum spiritu luctantis certamen sequebatur. Nam, licèt omnes carnis motus rationi victor subdidisset, hac tamen parte laborare maxime victorem necesse fuit. Audiamus, quid de hoc continuato dies, noctesque bello, acutissimus Judex P. Achilles Galliardus senserit, qui non sine admirationis significatione hæc retulit in tabulas: „ Quàm „ asperum, & quàm assiduum vitæ horrorem

(*a*) Sexdecim, ut plurimùm, panis unciis victitabat Cardinalis, & aquæ phiala, atque illa non admodum ampla in potum utebatur. Davidis exemplo *potum cape cum fletu miscebat*; ut se aliquando casu vidisse, testatur Nob Philippus Pirovanus in Sancti Spiritus Ædibus, dum illic forte Carolus versaretur. Scribit hic Eques: rogatum a se Castanum, num alloquendi Borromei futura esset copia? sed Castano reponente, *Illum interim vesci*, ausum fuisse speculari ex januæ rima, quo in prandium uteretur cibo. Sed, concludit, visum a se Carolum flexis genibus ante mensam, qui fletu perfusus, dextrâ dum panem teneret, sinistrâ librum efferebat. Hoc enim Illi moris fuit, ut nisi supperetent supplices libelli, quibus suffragium suum adjiceret, Sacra Biblia vescens legeret, duplici cibo laturandus; sed dispari suavitate, cum pane dumtaxat rescereturr, Biblia vero votaret. Quamquam nulla etiam in pane sumendo suavitas erat. Narrat Bernardinus Taurusius, intime se animo commoveri solitum, quoties vescentem Carolum intueretur. Nam, cum fractus sæpe viribus, & agendi contentione esset Cardinalis, vix partem panis aliquam decerpserat; cum ægre deglutire aridis faucibus bolum posset, identidem ingestæ aquæ præsidio, conabatur cibum in ventrem demittere.

Digitized by Google

„ rorem Ille ſuſcepiſſet, manifeſtum eſt; „ ipſique Ejus domeſtici diligentius evol- „ verunt: quare locuplentiſſimi ii teſtes „ ſunt, cum eorum oculos Carolus nul- „ lo modo poſſet ſubterfugere; præter- „ quamquod nihil magis publicis etiam „ ſermonibus fuit uſurpatum. Supergredi „ imo recti fines hac auſteritate viſus eſt „ nonnullis Carolus; ſed omnes ſancti- „ tate vitæ inſignes viros hanc viam te- „ nuiſſe comperi. Ego enim, cum reliqui „ tam acerba, & gravia ab Eo tolerari „ mirarentur maxime, illud unice admi- „ rari ſolebam, quod in pœnis illis ſibi „ extra ordinem inflictis, ſemper tamen „ rectum prudentiæ ordinem ſervaret: „ quæ virtus in ſingulis Illius actionibus „ dominabatur vere, ac triumphabat." Hæc autem paulo poſt ſubdit: „ Præter „ hæc omnia unum præcipue in ſancto „ illo Cardinali mirum mihi fuit, quod „ nulli fortaſſe in mentem venit, licèt „ in omnium oculos incurreret. Etenim „ non ſibi dumtaxat vim Ille inferebat „ maximam in tanto cruciandi corporis „ uſu, ut facilis ſibi, imo ſuavis illa aſpe- „ ritas videretur (qui gradus eſt in pa- „ tientia maximus), & continuata tole- „ randi conſuetudine, virtutes eas om- „ nes adipiſceretur, quæ hujuſmodi vi- „ tam conſequuntur, & certe in Eo ma- „ xime eminuerunt. Verùm ad patientiæ „ triumphum quemdam ſivit Deus, ut ali- „ qua ex parte naturam vincere non poſ- „ ſet, & ſummam etiam in ea vincenda „ difficultatem ſentiret. Somnum potiſſi- „ mùm Illi hoſtem natura certe objecit, „ quem cum debilitare conaretur, nun- „ quam tamen profligare penitus valuit. „ Sane in hoc certamine maxime Divinæ „ Gratiæ potentia eluxit, cum nihil Ille „ unquam ex vigilandi contentione remit- „ teret, tam expeditus ſemper, & conſtans, „ ut violentâ illâ pugnâ mirifice delecta- „ ri crederetur. Neque dolebat infinito „ illo ſuſcepto bello, licèt nulla hoſtis ſu- „ perandi ſpes appareret; quod in ceteris „ certaminibus uſuvenit, ut ad bellandum „ excitet ipſa debellandi fiducia. Cererum „ aſſidue luctans, pervicit tamen, ut ex „ voluntate ſua ſomnum moderaretur, etſi „ nunquam ex arena hoſtem cedere, ſed no- „ vam pugnam depoſcere ſemper ſentiret. „ Mirum ſane, & inauditum luctæ ge- „ nus! Ex hoſtis manibus prædam ſem- „ per eripere; hoſtem tamen ſemper in „ prædam imminentem videre: Vincere „ ſemper; ſed nunquam debellare: de- „ mum novâ ſemper contentione gaudere. „ Rarum certe hujuſmodi certaminis exem- „ plar apud antiquos etiam veræ ſanctita- „ tis Patres me vidiſſe memini." Hactenus Achilles.

Obverſabatur autem omnium oculis hæc repugnantis ſomno Caroli contentio, cum manifeſte appareret, coërceri ab Eo pronum ad quietem naturæ impetum omnino non poſſe. Sed eminebat etiam invicta ſemper dormitantis virtus, quæ frenum naturæ ipſi tentaret injicere. Hinc, licèt ſæpe labens in pectus cervix recideret, acuta mens, clauſis oculis, vigilabat adeo, ut ſingula intelligeret, & poſtulanti cuipiam dictorum omnium ſeriem fideliter redderet. Recitabat ſiquidem auditum ſermonem; atque ſiquid erratum fuiſſet in orationis curſu, objiciebat, quamvis tum indulſiſſe ſomno crederetur; atque id ea facilitate præſtabat, quam ægre a vigilantiſſimo omnium exegiſſes. Cum Romæ eſſet, P. Franciſci Toleti celeberrimi ex Societate Jeſu Oratoris ſermonem excipiens, indormire ſemper dicenti viſus erat; quare adſtans Præſul, ad Equitem Bernardinum Navam Mediolanenſem ibidem degentem converſus: *Si meum*, inquit, *eſſet Cardinalis Borromei Confeſſionem audire, hanc Illi piacularem pœnam imponerem, ut noctu dormiret; ne interceptum nocturnis horis ſomnum, luce ad concionem afferret.* Verum, quàm illepide jocaretur, mox didicit. Nam, cum eodem die Cardinalem alium Carolus convivio excepiſſet, cui etiam aderat Bernardinus Nava, qui hæc deinde retulit: animi cauſa, ſumpto cibo, familiariter colloquens mentionem de Toleti ſermonem injecit; ſingula autem illis capita, & ſyntaxim adeo exacte reddidit, ut circumſtan-

tes caperet admiratio ingens, cum falsa ea labentis capitis specie decepti, vacasse Illum somno pari errore credidissent. Re autem, ut fit, vulgata, Præsul ille didicit, magis patêre dormientis Caroli aures, quam suas vigilantis. Itaque nonnulli, quos commoverat tam acerbum, atque continens Borromei somno obsistentis certamen, facilioris victoriæ spem ostendebant, si ad breve aliquod temporis spatium ex arena cessisset. Suadebant nimirum, ut longiorem quietem naturæ daret; utque consilio vim adderent, inculcabant dictum Patris cujusdam, ceteroquin gravissimi, somno septem horarum spatium præfinientis, ut firmiores ad labores subeundos vires humanum corpus afferret. Verum Ille nihil dicentis auctoritati detrahens, neque suæ virtuti, sapienti responso dictum elusit, inquiens: *Hæc cum ille diceret, de Episcopo loquutum non puto* (*a*).

Sed, cum suavia omnia corporis cruciamenta Carolo essent, illud unice molestum videbatur, hanc vitæ austeritatem a nonnullis improbari. Crebræ enim super hoc ad Eum mittebantur literæ, conquerentium, intercipi tot doloribus vitæ cursum, atque conantium, validis rationibus Eum ab instituto revocare. Extant in hanc rem P. Ludovici Granatensis, & Valentiæ Archiepiscopi datæ ad Illum ex Hispaniis epistolæ; imo ex suis etiam familiaribus quidam apud Summum Pontificem conquestus est, scribens, immaturum timeri Borromei interitum, quandoquidem tantæ abstinentiæ impares, hominis jam tot insuper curis obruti vires crederentur: deinde oravit, ut, suo interposito imperio, tam severis legibus Carolum liberaret. Quamobrem supervenere Breves Gregorii Literæ, quibus cœpta persequi vetabatur. Cardinalis vero, illis redditis ineunte hebdomada *in Authentica*, qua lupinis dumtaxat uti in cibum statuerat, statim hoc consilium abjecit, magis obedientiæ retinens, quam austeritatis: nescio tamen, an utiliore exitu, quandoquidem, quamvis ad veteres escas rediret, paulo lautius certe vescebatur. Reddidit tamen paulo post vitæ suæ rationem Pontifici; quam probare etiam ceteris voluit, institutum confirmans suum luculentis Sanctorum Patrum exemplis, ut ex responso ad Ludovicum Granatensem in hæc verba dato manifestum est: „ Nam sanctissimos viros Nicolaos, Chry„ sostomos, Spiridiones, Basilios, qui, cum „ maximarum Ecclesiarum Episcopi essent, „ perpetuis jejuniis, vigiliisque vitam tra„ duxerunt, & ad summam tamen senectu„ tem pervenerunt, tibi commemorare su„ pervacaneum est. " Postquam vero hisce rationibus absterfit inanem eorum metum, qui corripi vitæ spatium horrore hoc vitæ conquerebantur; docuit deinde, non adeo eam mortem esse timendam, quæ possit propter susceptos in Dei Ecclesia labores feliciter anteverti. Audi enim, in quam sententiam Archiepiscopo Valentiæ rescripserit: „ Quod si etiam, dum Ecclesiæ, pro qua „ Christus acerbissimam mortem pertulit, „ opera navatur, virium, quas debilitari, „ aut vitæ, quam interire necesse est, jactu„ ra fiat; id vero in maximi lucri, atque „ emolumenti loco ponendum est. Nimis „ delicati hominis, nedum Episcopi est, a „ muneris sui, quo nullum amplius, nul„ lum præstantius est, administratione, & „ cura aut valetudinis studio retardari, „ aut mortis formidine deterreri (*b*).

Ceterum improbata apud homines duri-

(*a*) Facile somni obrepentis molestia levari Carolum posse affirmaverat aliquando per literas Jo. Baptista Castellus Ariminensis Episcopus, si diutius somno indulgere vellet. Cui Borromeus: „ Quod „ de somno meo scribis, qui sedentem me in Tem„ plo invadit sæpius, nolim, putes, id mihi in„ commodi ex breviore quietis statuto tempore obo„ riri; sed hoc potius habe, hanc mihi opportuni„ tatem a Deo offerri, quo humilius animum „ meum dejiciam. " Spectavit hoc responso Carolus sententiam S. Gregorii lib. III. Dialogorum scribentis: *Magna Dei dispensatione fiert, ut, quibus majora bona tribuit, minora interdum non præstet: ne mens ne se extollant; sed discant, quæ ex semetipsis majora illa bona non habeant, qui parva vitia vincere non possunt.*

(*b*) Conatus est semper hoc initum vitæ genus custodire æque, ac defendere. Accipe, quæ primo Joanni Archiepiscopo Valentiæ, & Antiochiæ Patriar-

riſſima hæc vivendi norma divino certe præconio non caruit. Licèt enim homines ſupra naturam hanc eſſe poſitam autumarent; Deo tamen acceptiſſima videbatur, cum in Caroli vita ſaluberrimum ei ætati exemplum conſtitueretur, quo maxime ſeculum illud indigebat. Revocandi nimirum erant mortales a molli illo, & delicato vivendi genere, quo nimium delectabantur: Inſuper Dominici Ovilis Paſtoribus via erat indicanda auſteritatis, quæ maxime Eccleſiaſticos viros decet; quapropter reliquis etiam in futurum ævum Epiſcopis divinitus datus eſt Carolus, qui, *intento veluti digito*, eam præmonſtraret. Idcirco emendavit omnium opinionem Deus oſtentis ſuis, & prodigiis, quibus commendari apud poſteros Ejus virtutem voluit, ut doceret, probatiſſima ſibi, & accepta vitæ inſtituta, quæ homines condemnaſſent; *divinaſque vias a viis hominum admodum diſſentire*.

CAPUT XXVII.

De Ejuſdem Caſtitate.

CUm *Deum hæreditatis ſuæ, & calicis partem* ab ineunte ætate *elegiſſet* Carolus; Eccleſiaſtici viri veſtes ſimul, atque animum induit. Quamobrem nihil unquam notatum eſt in Ejus dictis procax, aut factis leve; cum probe ſciret, *in Clerici ore nugas eſſe blaſphemias*. Dignitatis ſuæ itaque gradum tenuit ſemper, quamquam præſidentius laxare frenos in minimis poſſet. Verumtamen illud exactius ſtuduit, ut integrum ab omni impudicitiæ labe animum cuſtodiret, quam cane pejus, & angue oderat, utpote Eccleſiaſtico Ordini adverſariam maxime, cujus illud eſt ſupra Angelorum naturam conſtitutum Miniſterium, ut Sanctiſſimo Chriſti Corpori impollutum præbeat domicilium. Hinc caute primum cogitationes moderatus, verba

---

triarchæ, deinde ad Ludovicum Granatenſem ſcripſerit. Hæc ad illum habet: „ Dicam familiariter hoc „ de genere, quod ſentio; quodque te probaturum „ eſſe confido. Ego cum intelligerem, Epiſcopum „ oportere, & Euangelii prædicatione, & vitæ exem- „ plo multitudini prælucere, & ſalutis viam com- „ monſtrare; Officii mei eſſe ſtatui, ita utrumque „ præſtare, iis ut in rebus maxime verſarer, quæ „ plurimum videntur habere difficultatis, ac labo- „ ris. Non enim magnam vim habere poteſt ejus „ exemplum, qui vitæ ſpiritalis perfectionem præ- „ dicet; aſperitatem, ſiqua eſt, refugiat. Ut enim „ ſal vi quadam ſua ſuaves reddit cibos, alioquin „ inſulſos, atque injucundos: Ita Epiſcopum oportet ea condire exemplo ſuo, & tamquam ſale „ aſpergere, quæ populi guſtus male affectos, & „ ſenſus refugit, atque abhorret. Nobis enim dictum eſt: *Vos eſtis ſal terræ*. Vigiliæ, abſtinentia, inedia, atque alia de hoc genere fuerunt „ olim ſummo in pretio, atque honore apud Chriſtianos; elucebant enim in iis maxime, quorum „ erat vita propter dignitatem omnium oculis expoſita. Apoſtolus quidem Paulus, cujus ſunt ea „ verba: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, primus manum operi admovet. *Caſtigo*, „ inquit, *corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Nam „ multitudo ea ſemper magni fecit, quæ a Principibus viris coli, & in pretio haberi vidit. „ Principes autem colendæ virtutis eſſe oportet „ Epiſcopos. Cum autem gulæ, ac ventris vitium „ omnium vitiorum ſeminarium, ac nutrimentum „ ſit, Sanctiſſimi quique Viri (a quorum Sanctitatis „ præſtantia quantum ego abſim, non ignoro) abſtinentiam omnemque vitæ ſeveritatem ſanctiſſime „ coluerunt ..... Quod autem pro tua carita- „ te vereris, ne vel mihi vires infringam, vel „ mortem accelerem, ita habe: Cibi abſtinentiam „ & corporis valetudinem tueri, & mentis uſum „ mihi ſolutiorem, ac liberiorem afferre. Itaque „ multum temporis, quod in cibo decoquendo conſumere alioquin mihi neceſſe eſſet, id totum „ utilius variis in rebus, negotiiſque explicandis „ pono.

Ad Ludovicum vero Granatenſem, præter ea, quæ Gluſſianus expoſuit, hæc adjicit in eamdem ferme ſententiam: „ Velim tamen, perſuaſum eſſe, „ hanc vitæ viam, quam ſum ingreſſus, & ad „ corporis mei naturam tuendam, viteſque conſervandas admodum eſſe accommodatam; & ad Paſtoralis ſolicitudinis onus ſuſtinendum valde mihi „ neceſſariam videri. Nam, ut omittam, eam & „ corporis valetudinem confirmare, & mentem ad „ res omnes cogitatione comprehendendas ſolutiorem reddere; eſt virtus maxime apta, hac præſertim ætate, in qua gulæ, ac ventri nimium „ indulgetur, ad exempli imitationem. Exemplum autem virtutis ſe ſe multitudini proponere „ non minus neceſſarium eſſe ſtatuo, quam ipſam „ virtutem prædicare. Parum enim habet virium „ verbi Dei prædicatio ad populum permovendum, „ niſi vitæ auctoritas accedat. Nam & pluris ſunt „ facta, quam verba; & populus diligentius Epiſcopi vitam attendit, quam orationem ..... „ Eſt paucis natura contenta. Sæpius in die cibum capere, epularum varietatem adamare, delicias in menſa quærere delicati hominis eſt; Epiſcopum autem, qui profitetur, ſe velle aliorum „ incommoda, ac labores ſuis minuere, ac ſublevare, minime omnium dedecet eſſe, vel videri delicatum.

Digitized by Google

duxit. Illud item certissimum constantiæ indicium fuit, quod cum vultus ipse latentem in animo mœrorem pallore, aut dolorem rubore probet; nunquam mutatus Carolo oris color est, nunquam oratio excidit, non quòd simulare didicisset; sed fortem semper animum dissimulare non posset. Moderabatur enim intimos sensus divina quædam fortitudo, ac virtus, quæ unice humanam infirmitatem sustentabat; cumque adversa quæque hoc auxilio retunderet, tanta demum rebus suis sub vitæ finem est parta tranquillitas, ut tota obediendi causa in posterum sita in imperantis auctoritate videretur. Quamquam domesticis defunctum pugnis externa subinde prælia exceperunt. Cum enim erupturam e Rhætiæ partibus mali maturitatem vellet comprimere, ne in Ecclesiæ suæ perniciem manaret; aliud, & multo acrius exortum est bellum, quod magna constantia susceptum feliciter demum perfecit, hostibus omnibus sive invicta fortitudine perculsis, sive plusquam Regia liberalitate enervatis. Hanc Ille constantiæ disciplinam ex Christi præceptis hauserat, qui usque adeo Sponsæ suæ utilitati consuluit, ut suppliciis mactari ultimis non recusaverit: verus hac ratione divini *Pastoris* imitator existens, qui suo redimere oves sanguine docuisset; *Mercenarii* autem indecorum nomen refugiens, cujus est, Gregis curam abjicere, simul atque inanis aliquis terror increpuit.

Neque dissimulaverim, tantam Borromei virtutem in eam partem ab aliquibus acceptam interdum fuisse, ut crederent, in hac animi magnitudine pertinaciam, & quamdam veluti Regni cupiditatem latuisse. Verum eorum fuit tam insulsa opinio, qui aut superbe scrutari secreta mentis audent, aut perseverantiam, quæ dumtaxat audaciæ finitima est, si in malum vergat, ferre non possunt. Etenim cum molestius fortasse, quam ut eorum temporum licentia pateretur, decreta Tridentinæ, ac suæ etiam Synodi ad juris normam exigeret, repudiaret fortiter multorum officia, machinasque omnes dissolveret; vecordibus pertinacia fortasse videri poterat, quæ a cordatis quibusque Constantiæ magnifico nomine celebrabatur. Sane una Caroli pro virili pugnantis virtus id demum pervicit, ut interruptum Tridentini Concilii opus summa cum Ecclesiæ utilitate ad exitum perduceretur, atque antiqua etiam Ambrosianæ Ecclesiæ dignitas, & jura restituerentur. Quæ omnia si quis taxare liberius velit, næ ipse eam audaciæ notam subire videatur, quam Carolo studet imponere? Hoc itaque statuendum est, mutuo quodam fœdere, ac veluti vinculis conjunctam fuisse Caroli Constantiam, Prudentiamque; quarum alterâ cum optime regeret omnia, atque disponeret, alterâ deinde rite universa exequi, atque perficere Ille consuevit. Quare nec ullum Prudentiæ vitium inesse voluit, tentando, quæ tutius esset omittere; nec Constantiæ dedecus inurere, omittendo, quæ prudenter antea decreta statuisset.

CAPUT XXV.

In adversis & asperis rebus invicta Patientia.

EA familiarium suorum, eorumque omnium, qui Caroli introspicere mores solerent, opinio fuit: vitam Illius omnem lenti, ac diuturni martyrii nomine insigniri posse (*a*). Quid enim tam affine martyrio fuit, quam tot corporis pœnæ sua voluntate

(*a*) Juvat hanc Caroli patientiam Doctoris Mascardi coloribus pingere, imo Cardinalium Gabrielis Paleotti, & Augustini Valerii, quorum verbis Mascardus utitur. Recito autem ipsa hujus verba, prout leguntur in Tabulis pag. 3754. & sequentib. „ Cardinalis Paleottus, intelligens de hoc Beato, „ dum tractat, quodnam sit illud virtutis aut officii studium, in quo debeat Episcopus præcipue „ elaborare, sic effatus fuit: *Quanto prudentius ab „ eo factum fuit Antistite, quem & nos novimus magna sane prudentia, probitatis, atque excelsi animi; „ qui Ecclesiam nactus, populi frequentia, nobilitate, „ divitiis, ingenti acumine, ac negotiorum varietate „ affluentem, statim intellexit, quo amplior, quo splendidior, atque insignior sibi Sedes obtigisset, eo minus sibi sedendi, ac quiescendi locum dari; sed eò „ majora & graviora undique functioni suæ imendi „ certaminis. Idcirco, tamquam si in sublime esset ce- „ cumen elatus, unde ingentes adversus se ventorum „ æstus, hinc, & illinc irruere prospiceret, sicut mul-*

Digitized by Google

luntate ſuſceptæ, tot cruciamenta animi, tot demum incommodis affecta valetudo? Adjiciatur, ſi lubet, quotidianus angor, & veluti continuus labor. Hæc omnia ſibi adverſaria quam maxime, non modo patienter tulit; verum etiam ſumma cum animi jucunditate ſubiit, ut dolor exhauriri univerſus crederetur. Cum ex morbis eſſet affectus, ſenſum gubernabat ratio, ex cujus imperio vultum, vocemque, veluti pœnæ omnino expers, moderabatur. Semper uno, ut ajunt, tenore æquabilem tenuit agendi rationem. Onerabat interdum quotidianos cruciatus ſuperveniens febris, nihil interim remiſſo corporis ſupplicio; imo vulgata apud plures Borromei ſententia fuit: *Eccleſiæ curis implicitum hominem, non niſi tertio febris recurrente motu, decumbere unquam licere.* Dum ſe æſtas circumageret, Vallem Travaleam, & Cannobii Plebem luſtrabat aliquando: aſperam quidem, atque inviam regionem, utpote montibus, qui ex utroque Verbani latere eminent, comprehenſam. Decimum jam, atque ſeptimum diem laborabat ex febri, nec itinere, vel labore intermiſſo, etiam cum maxime febris æſtus urgeret; quare miſerandum erat rigentem repente, mox æſtuantem intueri. Imo eo tempore, cum oblata eſſet Capuccinorum Patrum conſecrandæ Ædis occaſio, totus repente ex febri cohorruit, nec tamen deſtitit incœpto; quin etiam rite perfectis omnibus, ad populum, quem capere Templum non poterat, in aperto orationem habuit, dum ſe intime morbi vis jactaret, Solis autem radii exterius torrerent. Tres æſtivos menſes obeundæ Diœceſi quotannis dare conſtitutum fuerat; quo tempore recta, luſtrato pago, in alterum Ille contendere (quod fere in meridiem ſolebat incidere): non expectare donec ſe calor frangeret; ſed ea fervida tempeſtate, nullo prætento obice ob radios Solis arcendos, nunc equitare, nunc impervios calles pedibus adire; cumque totus ſudore diffluereet, prodens ipſum madidarum veſtium indicium, non hærentem humorem detergere pagum ingrediens, ſed ad ſacram Ædem primùm feſtinans, orare ibi, mox concionem ad populum habere, cetera demum rite exequi; ac ſi recentiſſimas, ac integras vires afferret. Setaram iter forte direxerat; quo dum properaret, tranandus inciderat rivus, qui cum ſolito turgidior umbilicum uſque pertingeret, madidus, ut erat, ad Templum perrexit. Incredibile autem dictu eſt, quantum Ille incommodi, tot confectis itineribus, devoraret; Feſtinabat enim citatiſſimo curſu diu noctuque contendens, cum ipſe feſtinandi ardor concitatum mentis impetum ſequeretur. Intercipiebat item tanta feſtinatio cibi, ac neceſſarii ſomni uſuram; cum ad noctem curandi corporis ſtudium rejiceretur, atque ipſa deinde cibi parce admodum ſumendi ratio multo moleſtiorem itinere quietem ipſam efficeret. Quoties vero in ſacris Locis cæremonias rite perficeret, ſub dio perſtabat, meridiano licèt Soli obnoxius; atque hinc ferrugineus ille temporum color, & nimio vapore toſtus.

Neque rigidæ tempeſtatis incommoda iniquiore animo pertulit, quam fervidæ. Equidem ſive iter habens, pallii, ſive in ædibus, manicatæ tunicæ, imo etiam hypocauſti uſum ſibi interdixerat: nudis manibus equi lora regens, ſi nive obſitos montes, & gelu ri-

„ *tiplices procellas a Canonicis, a Regularibus, a Sanctimonialibus, a Conſanguineis, a familiaribus, a civibus, a pauperibus, ac tantumdem a Magiſtratibus, atque a Principibus, ad quos turmatim populus adverſus Epiſcopum, Illiuſque decreta confluebat, immanere agnoſcebat. Quæ omnia eo etiam vehementiora quotidie ſibi deprehenſa fuiſſe, Ille, quem dupliciter Collegam habebamus, in familiaribus inter nos colloquiis ſæpe affirmavit, ſubdens: Ex quo die mitram induit Paſtoralem, nunquam ſe amplius tranquillitatem ullam deguſtaſſe, quamvis Divina Eum numquam deſeruit clementia, quæ Eum nullius gratiæ blanditiis, aut importunitate ab officio labi permiſiſſet.* Huc uſque Cardinalis Palcottus. „ Cum hac atteſtatione concordat memoratus Auguſtinus Valerius Cardinalis, Veronæque Epiſcopus in Epiſtola ſua dicens: *Carolum Borromeum Archiepiſcopum Eccleſiæ Mediolanenſis, habentis gregem numeroſiſſimum, labores maximos pertuliſſe in munere ſuo: perpetuis ſolicitudinibus, doloribus plurimis, moleſtiis immanerabilibus, calumniis etiam, quæ conturbant ſapientem, & perdunt robur cordis ejus, ut ſapiens ſcripſit Salomon, in quorumdam invidiam aliquando addactum, tandem pericula evaſiſſe: & , ut retuli, magnam pietatis, conſtantiæ, integritatis famam reliquiſſe.*

Digitized by Google

rigentia omnia perluſtraret, licèt urente cutim frigore, hiarent ſæpe ſanguinea in manibus ulcera. Intercedebat aliquando diro, & inhoneſto ſupplicio familiarium pietas; ſed fruſtra, cum tolerantiæ ſtudium impediret, quominus intuentium miſericordiam æqui, bonique faceret; quâ, pluſquam Spartanâ, patientiâ eorum etiam averſabatur preces, qui totis contremiſcentem artubus miſerati, ut graviorem ſibi aptaret tunicam, vehementer obſecrabant. Huc loci mire incidit, quod in laudatione funebri Franciſcus Panigarola e rei veritate ipſa ſine fuco perſecutus eſt in hæc verba: „ Quid „ Illi ex amplis cenſibus uſui fuit, præter „ panem, atque lympham, quibus miſe„ re refectus eſt; aut præter paleas, quibus „ dormiturus incubuit? Neque in hanc „ rem celare vos Ejus inopiam velim, de „ qua meum præſentis teſtimonium erit „ certiſſimum. Anno ſuperiore, cum me„ cum in rigidiſſimis montium faucibus „ verſaretur (Valle nimirum Meſauco„ rum) & noctu pluteo affixus, a me for„ te deprehenſus eſſet: miratus, nigram, „ & laceram veſtem, qua erat amictus, „ rogavi, ut frigus meliori lacerna depel„ leret: Subridens leniſſime reddidit: *Alia nec mihi ſuppetit; nec ſi ſuppeteret, placet. Decentior ad dignitatem, non ad Carolum veſtis ſpectat. Quod ad me attinet, hæc me æſtate, hæc me hyeme veſtis tegit; neque hanc, quoad vixero, deponam.* Hoſpitum interdum ut familiaritati ſerviret, præſens, cum ad ignem illi ſederent, aderat; ſed ſtans longius, humeroſque opponens, ne caloris beneficio uteretur. Horridum hunc, atque auſterum vivendi morem amice dolens, familiaris Ipſius Julius Petrucius hortabatur, ut lecti frigus moderato ignis calore temperaret. Aſpernatus hoc commodum Cardinalis, utpote nimium ſenſibus fovendis opportunum, *Alia ab igne*, inquit, *præſtantior calefaciendi ſtrati ratio ſuppetit; ſi nimirum ſtrato ipſo frigidior decumbas.* Atque hæc dicebat expertus; cum tepens frigidiſſimo corpori lectus videretur, præſertim cum incœnatus cubitum peteret, & ſtramentis fartam culcitam ſuperimponeret, eamdem porro, ac illam, cui incumbebat. Itaque tanta contentione commoda quæque Ille refugiebat, quanta delicatulus quiſque, ac mollis conſectatur: quod præcipue patuit, cum ſacrarum rerum meditationi vacaturus, in Canonicæ receſſum ſe aliquando abdidiſſet. Ibi in cellulam quamdam abditum Carolum, dum maximo imbre impluvium aqua permearet, & in lectum guttatim incideret, rogaverat Caſtanus, ut inde vaſa colligeret; cum ampliora, itemque commoda alia in clauſtro illo conclavia paterent. Abnuit conſtanter Carolus: atque hoc unum tandem impetratum, ut ſtragulis tabulam liceret imponi, quæ moleſtiorem ſtillicidio, aquæ aſperginem decumbenti ſubinde impertiebat.

Verum hæc omnia jucunda potius Carolo fuere: illa enimvero moleſta unice, quæ mollitiem quamdam, ac delectationem ſaperent. Hoſpitatus Ille in Provincia ſua apud Antiſtitem, ſymphoniacos pueros convivio inductos audivit. Hoc tacitus non tulit; ſed tum primùm faſtidioſus, illud aurium lenocinium reſpuit, atque ad Epiſcopum converſus: *Eſſe hoc*, ait, *Epiſcopi, ut omnia ſenſus nimium permulcentia omni contentione refugeret.* Alias Sacerdotem adminiſtrum ſuum intuens, qui pranſo ſibi vinum afferri juſſerat, ſuggillavit inquiens: *hoc eſſe voluptati ſervire, quæ, ubi rationis frenum excuteret, poſtera die idipſum ſuaſura eſſet.* Cum vero ille reponeret, *id non voluptatis cauſa factum, ſed ut arentem linguam irroraret: hoc ipſum*, reddidit Borromeus, *ad voluptatem ſpectat; multoque ſatius eſt ſitim pati, quam depellere.* Tam ſapienter dictum cauſam, cur id Ipſe ageret, aperuit; Neque enim hauſtum Ille frigidæ unquam, arentibus licèt, faucibus concedere pranſus conſuevit.

Huc ſpectant commemorata jam, ſed celebranda ſemper, quæ peſtilenti anno ſibi indixit, corporis cruciamenta. Obivit tunc Ille gelu conſtrictas vias nudis pedibus; tum cruenta ſignans veſtigia, gaviſus eſt ſanguine ſuo, aut Deum placari poſſe, aut po-

Digitized by Google

populum redimi. Pedem, ungue diffisso, tumentem, hiantemque, remoto unguento, viæ periculis triduum objecit; neque publico abstinuit, postquam Chirurgi ope evellendum omnino unguem curavit. Quare succiduo poplite male fultus, humi deinde procubuit, osse interim manus dissoluto; cumque, prævisо Illius dolore victus, manum admovere curando Carolo Medicus formidaret; Ille brachium sine motu præbuit, tanta alacritate, ut ad medentem unice pertinere dolor videretur (*a*).

CAPUT XXVI.

Austerum, & horridum a Carolo initum vivendi genus.

QUamquam omnia in Caroli vita admiranda semper fuere, durissimum tamen, atque asperrimum ab Illo initum vivendi genus maximam præ ceteris certe admirationem habuit. Quì enim fieri posse videbatur, ut communi mortalium luto effictus, tantum sibi roboris inedia, ac cruciatibus demeret; idemque majores veluti vires ad infinita Christianæ Reipublicæ, & Diœceseos, Provinciæque suæ negotia curanda afferret? Sub vitæ finem tenui adeo, & modico cibo utebatur, ut quotidiano corpus jejunio conficeret; unoque pane, & amplo frigidæ cyatho prandium constaret. Festis tamen diebus deliciæ Illi erant olera, caseus, aut fructus; cum ab Ejus mensa semper ova, caro, & pisces abessent. Quadragesimali tempore arctior etiam cibus videbatur, cum siccatas dumtaxat ficus, aut mollitas fabas in cibum admitteret; tamque austerum jejunium per hebdomadam *in Authentica*, repudiatis cibis omnibus, præter lupinos, cumulabat. Quod autem per annum consueverat, nunquam remisit, ut semel dumtaxat per diem cibum sumeret. Itaque, cum siccus cubitum pergeret, nihil etiam ex quiete volebat percipi necessariæ voluptatis. Etenim mollius decumbentem excipiebat referta stramentis culcita: stramenta item pro pulvillo erant, quibus etiam pro stragulis utebatur: Ad asperitatem vero lectuli seu minuendam, seu dissimulandam gemina lintea erant cannabina rudiora, nec candida: qualia videlicet ex textrina recepisset, non ex fullone. Innitebatur hic lectulus humili fulcro, quod gemina ex parte muri angulus cingebat. Hæ tamen deliciæ cubantis fuere, quas ne repudiaret, coacti in Concilio Provinciæ Patres bis Borromeum exorarunt; Scilicet, quo tempore voluntati suæ indulgere licuit, vestibus, ut erat, indutus, indormire nudis sine strato tabulis cœperat pestilenti anno, aut cubito, vel sellæ innixus brevem aliquando somnum capere: quæ, utpote asperrima quiescendi ratio, fuit in causa, ut Provincialium Episcoporum officia modum ali-

(*a*) Videamus jam verò, quàm suaviter constantiam hanc suam ceteris impertiret, atque afflictis apte consolationem adhiberet. P. Antonio Homodeo Telii in Vulturenis Rectori hæc scribit: „ Incommoda Sondrii Archipresbytero oblata Dei gloriam, „ & Christi fidem amplificant; quare, etsi commo„ veri ejusdem calamitatibus decet, ex tamen di„ gnæ sunt, quas in nobis ipsis desideremus; at„ que hoc unum reliquum est, ut D. O. M. ore„ mus, quò hæc omnia in ejusdem honorem ver„ tant. Idem rerum omnium Auctor, *qui visitavit* „ *te*, consanguineos tuos ad se vocans, ut scribis, „ clare indicat, & salubriter monet, ut amorem „ *tuum omnem* ab humanis rebus in Eum perfecte „ transferas. “ Alibi ad Centulæ Abatem scribit: „ Ex literis tuis audio, quot in te undique in„ gruant adversa. Dolorem ex iis aliquem hausi; „ verumtamen hoc habe: ea toleranda esse non „ solum patienter, sed *cum gratiarum actione*, quæ „ in hujusmodi incommodis hominis esse partes debent; nam optima tibi hoc pacto offertur oppor„ tunitas servitutis Deo deferendæ, & *voluntatis* „ *abnegandæ*. “ Demum, ut finis sit, Bonhomium, qui in Germanica Legatione abstrahi se negotiorum mole a Divinis conquerebatur, solatur in hæc verba: „ Cum magno voluptatis sensu legi Epistolam „ tuam, qua mones, utilem admodum Christi Ec„ clesiæ Legationem tuam fuisse. *Gaudere in Domi„ no* licet, & molestiam illam animo identidem „ inhærentem depellere, qua dicis, mentem turba„ ri tuam, considerantis, animum rerum agendarum „ multitudine obrui, & facile a Deo alienari. „ Curandum est igitur, ut quantum fieri potest, „ animum colligas; nam, licet S. Gregorius etiam „ conquereretur, se humanis curis distractum, quem„ dam veluti *ex seculo hominem* effectum; tamen „ hoc ipsum patienter ferendum est, propter Sum„ mi Pontificis obedientiam, qui hoc onus impo„ suit, & Ecclesiæ universæ gloriam, cujus utili„ tatem curas.

Digitized by Google

aliquem tanto Caroli dolori imponerent. Verùm inanis opera ludebatur, cum cubare Carolus mollius juberetur; nam hærens cuti induſium cruciamento erat. Hirſuto admodum cilicio veſtiebatur intime, quod hæreditario jure in Noſocomii Mediolanenſis jura cum pervenerit, nunc colitur theca incluſum, & viſitur multis hinc inde aſſutis centonibus tritum. Quamquam aliud Carolo erat, quod hujus loco ſubſtituebatur. Hoc familiarium manus, Illo moriente, non effugit, & ſumma contentione in plures partes diſtractum, atque diviſum, plurimorum vota implevit. Omitto, quibus acriter in ſe ipſum ſæviebat, flagella, cum ſe flagris cædere ſæpiſſime conſueſſet; notabanturque in defuncti humeris liventes adhuc vibices tantæ ſeveritatis teſtes.

Neque ſuggillet quiſpiam tantum vitæ horrorem; cum certum fuerit, ad hunc virtutis apicem veluti per gradus Carolum aſcendiſſe; quandoquidem conjuncta ſemper cum patiendi deſiderio, laus prudentiæ, ac moderationis fuit (*a*). Illud ſibi imponere onus Borromeus conſueverat, cui par ferendo eſſet; cumque identidem minoribus veluti experimentis ſuarum periculum virium faceret, leviora expertus, ad majora ſubinde animum adjiciebat. Ad mollius vitæ genus Eum natura effinxerat, ad quod ipſa etiam educatio teneræ ætatis confirmaverat. Verumtamen, cum Nobilis Adoleſcentis altius hæreret animo ea cogitatio: Se Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & Mediolani Archiepiſcopum ad eas virtutes aſpirare debere, quæ maxime ad tantam dignitatem pertinerent; ad hanc vitæ duriſſimæ aſperitatem magnis veluti progreſſionibus, & capto, ut ita dicam, impetu contendit eniti. Jejuniorum ſtudia a ſobrietate primum auſpicatus, deinde ſe ad inediæ diuturnioris uſum confirmavit: nunc aliqua; alia poſtmodum repudiare: nunc vino parcere; nunc aquâ, cum ſitis ureret, abſtinere: cœnâ omiſsâ, prandium minuere: nunc ciborum delectum nolle; deinde copiam recuſare prudentiſſime, itemque conſtan-

(*a*) Nonniſi prudentiſſime in hoc egiſſe Borromeus dicendus eſt, ſi Illum inſtituta ſua tuentem audiamus in epiſtola ad Summum Pontificem data, quam nos alibi referendam promiſimus, & nunc Latine reddimus.

Sanctiſſime & Beatiſſime Pater.

„ THeopompus Ferrus Canonicus addictus Sancti „ Ambroſii Baſilicæ, & a Sanctitate Veſtra nu„ per dimiſſus, Ejus verbis mihi retulit nonnulla „ de moderandis vitæ meæ Inſtitutis; adjecitque, „ ea ſe in mandatis habere. Qua de re cum San„ ctiſſimorum Pedum oſculo, gratias ago, ut de„ cet; quandoquidem humaniſſima Sanctitatis V. „ verba novum mihi exhibent veteris, & paternæ in „ me benevolentiæ ſuæ teſtimonium. Verumtamen „ eadem exprobrare mihi imbecillitatem viſa ſunt; „ & proinde novos veluti addidere ſtimulos, ut „ pro virili ſtuderem Cardinalis, atque Epiſcopi, „ quæ meæ ſunt, partes tenere; quibus in gradi„ bus, ut apprime novit Sanctitas V, noſtrum eſt „ non minus vitæ ſingularis exemplo, quam verbis „ atque doctrina prælucere: quod quidem exem„ plum non communis cujuſque virtutis, aut per„ fectionis eſſe debet, quod in populi etiam imi„ tationem cadat; ſed earum virtutum, quæ nobi„ liores, & ſplendidiores ſunt. Hinc eo excellen„ tius, atque ſublimius hujuſmodi virtus nobis eſt „ aſſequenda, quo longius a communi hominum „ conditione abeſt, atque ſepoſita eſt ea dignitas, „ qua præfulgemus. Qua de re in hoc, quem te„ nemus, honoris apice, ea ſequi, quæ Chriſtus „ Dominus, dum viveret, nobis imitanda propo„ ſuit, Ejuſque ductu tot Sancti Paſtores, aliique „ probi Viri corroborati, diligenter coluere, pœni„ tendum eſſe non debet; quinimo pudeat, eo ani„ mo, & conſtantia mordicus non tenere Chriſtia„ no homine digniſſima Inſtituta, quæ a nobis di„ gnitas ipſa, jure veluti ſuo, videtur poſtulare. „ Itaque ego ea expendens, quæ neceſſario agenda „ ſunt, & videns, quantum a præſtituta vivendi ra„ tione abſim, conor utcumque hujuſmodi exerci„ tationum aliquas amplecti, quibus & veterem „ emendare, & futuram præcavere animi remiſſio„ nem poſſim, atque in munere meo, ut decet, „ verſari; quemadmodum Sanctitas etiam V. a me „ exiget, credo. Verumtamen plane perſpicio, me, „ ut ita dicam, hactenus ingreſſum nondum hujus „ vitæ rationem, quæ congrua adeo muneri vide„ tur meo; tantum abeſt, ut eo uſque proceſſe„ rim, unde monitis retrahi debeam, quemadmo„ dum fortaſſe Sanctitas V. de me audiit. Quare, „ etſi Ipſa de more optime in me animata paulo „ ante per Patrem Panigarolam monuit, ut valetu„ dinis meæ rationem haberem aliquam; tamen, „ cum ſciam, Eamdem mei amantiſſimam eſſe, „ itemque ſui muneris retinentiſſimam, certe id a „ me poſtulabit puto, ut cum tuendi corporis ſtu„ dio, quod certe ponam, animæ etiam corrobo„ randæ curam conjungam; eamque perſequar vi„ vendi normam, quam a me Paſtorale onus effla„ gitat. Sed de his uberius coram, quando iſthic „ adero ante Sanctiſſimos Pedes; quo tempore San„ ctitatem V. ſapientiſſimum ſuffragium ſuum con„ liis meis adjecturam ſpero &c.

Digitized by Google

tanter voluit, ut quod ſummum volvebat animo, felicius aſſequeretur. Neque enim recolebat Ille, quæ geſſerat; ſed quid obtinendum adhuc ſupereſſet; hinc cum aqua, & pane dumtaxat ſitim, famemque non expleret, ſed toleraret; experiri etiam deinde voluit, an tanta eſſet panis homini neceſſitas, ut leviori etiam cibo natura contenta non eſſet. Quare, cum lupinis, & ficubus ſolum veſceretur, durius fortaſſe excogitaſſet aliquid, quo naturæ quidem non deeſſet, ſed veſcendi minueret voluptatem. Itaque, cum *in Domini via* quotidie progredi ſtatuiſſet, & jam veluti metam aſſequutus videretur; cumque nihil ſibi reliquum eſſet, ad quod aſpiraret: ad Deum evolans, deſiderium tandem perfectæ virtutis implevit; quandoquidem nunquam *ſatiari* Juſtus poteſt, niſi, *cum Dei gloria apparuerit*.

Hanc tamen licèt ſummam aſperitatem certis virtutis limitibus comprehenſam quì negem? Nimirum conſtat, nunquam Borromeum eo imbecillitatis redactum, ut quidpiam ex inſtitutis ſuis intermitteret; & licèt ultra fidem vires extenuaſſe videatur, novo miraculo ſupra omnium fidem alios ſemper ex aliis graviores labores ſuſcepit; quamobrem corroborari ipſa contentione credebatur; cumque adeſſet laborum finis, impendente interitu, nihil tamen de corporis firmitate remiſerat (*a*). Mirum etiam, ſed veriſſimum dicam: Cum nova ſubire, & majora ſemper onera contenderet, occulta quadam vi refici, & recreari mihi videbatur; quamobrem minus valere cœperat, cum minus eſſet agendum; eaque una valetudinis confirmandæ ratio apparuit, curare, ut valetudinem veluti infinitis laboribus frangeret. Hinc novo hoc ſalutis remedio uſurus, cum quoſdam audiret monentes, ut modum agendo imponeret, reponere ſolebat Cardinalis: *Se agendo dumtaxat valere. Meminiſſe ſe, cum Romæ in juventutis flore degeret, adeo æſtu debilitatum, ut leviſſimum ex ſerico pileum ſuſtinere vix poſſet; Contra, cum Mediolanenſem agrum luſtraret fervido ſub Jove, pileum cum galero capiti impoſitum nihil ſibi moleſtum videri.* Subtexebat deinde appoſitam rationem: ſcilicet, *Ex muneris obeundi opportunitate dari divinitus hominibus conſentaneas vires: unam agentis optimam voluntatem requiri, & promptam ad omnia operam poſtulari; ceterum Deum nulli ex famulis ſuis deeſſe, ut, quæ muneris ſui ſunt, facile exequatur.*

Itaque quoddam voluptatibus omnibus indixerat bellum, a quibus ne leviter quidem tentabatur. Et quandoquidem ipſa etiam voluptatis fuga aliquem imperitis non ſæpe delectationis ſenſum affert, & procreat; hac etiam voluit jucunditate privari Carolus, nequid ſuavitatis aſperitati ipſi aſpergeretur. Solent enim nonnulli ipſum vitæ horrorem, aut æqualiter ſemper ſequi, aut nimium ſibi placere, dum id, quod non placet, conſectantur. Repudiabat hunc Carolus morem, & quod ultro ſors offerebat, patiendi genus ultro amplectebatur. Panis pro cibo erat; non ille tamen

(*a*) Sane Carolus a Baſilica-Petri arcanorum omnium Borromei hac in parte conſcius (utpote qui manu ſua ſcripſit Cardinalis reſponſum ad Summum Pontificem, quando tantæ abſtinentiæ frenum injicere voluit) aperte teſtatur, ſalubrem potius, initam hanc parciſſime vivendi rationem Cardinali fuiſſe. Hæc ſcilicet habet ad P. F. Ludovicum Granatenſem ſcribens: „ Dum juvenis (Carolus) eſſet, „ omiſſa exquiſita corporis cura, ex piorum, prudentumque virorum conſilio ſimplicem, communemque vivendi rationem elegit; cujus beneficio, licèt cum abſtinentia deinde, & cum aſperitate eam conjunxerit, reliqua ætate, hoc eſt annorum circiter XII. curſu, bona valetudine in magnis curæ Epiſcopalis laboribus uſus eſt; ut potius exiſtimandus Ille ſit per ſtudiorem, & ſeverioren vitæ diſciplinam hoſce poſtremos vitæ annos a Domino obtinuiſſe, quam vel modicum propter eam temporis depetdidiſſe. " Hoc ipſum plane Borromeus ipſe viſus eſt de hujuſmodi abſtinentia ſentire. Rogatus enim aliquando, ut præter panem delicatiore cibo aliquo uti vellet, reſpondit: *hoc pacto abeſſe cruditatis periculum; & ſolutiorem mentem ad negotia poſt meridiem expedienda afferri.* Aliàs item monitus, ne Diœceſim luſtrans in meridiano æſtu, ut ſolebat, iter faceret; ſubjecit: *imo hoc ſibi percommodum videri; cum æſtivus aër lenior affiet citatiſſime equitantibus; quam ſegniter otiantibus.* Ceterum ſæpe affirmavit: *paratum ſe omnino ab aſperà illa vitæ ratione ceſſare ſtatim, ac oriri inde aliquod valetudinis incommodum poſſe, præſenſiſſet.*

tamen fuit ſingulari delectu conquiſitus, cum nec unice ſiligineus placeret, nec diſpliceret furfuraceus, quiſquis porro apponeretur. Aqua utebatur in potum, qualem hauriri contigerat: neque limpidam præoptans, neque cœnoſam averſatus (*a*). Monuerant primum familiares, cum vino abſtinuiſſet, ut igni prius aquâ admotâ, ſi crudum quidpiam lateret, adimeretur. Abnuit Ille, docens Dei utendum eſſe beneficio, qualiter bonorum Auctor largitus eſſet; addiditque, aliquem in hac cautione ſenſum delectationis latêre, quam non ſolum negligere vera virtus debet, ſed a ſe omnino rejicere: hinc, quod refugimus, maxime amplectendum, quod vero amplecti placet, illud maxime refugiendum. Quare, ſiqua Carolo voluptas obtigit, ea dumtaxat fuit ex mentis delectatione percepta, cum offerri ſibi quidpiam duri, atque aſperi ſentiret. Nam, cum pane etiam, aut ſtrato privari contingeret, (quod, dum montana loca luſtraret, non raro accidit), ſuaviſſime caſtaneis, & lacte veſcebatur, & tabulis indormiebat, non aliquam ex eo cibo, aut horrore voluptatem hauriens, ſed puriore quodam gaudio triumphans, quòd carendum ſibi jucundis quibuſcumque intelligeret. Itaque teſtatum plurimis fuit, inteſtinum ſemper, ac domeſticum cum ſenſibus ſuis ſuſceptum a Carolo bellum tam felici exitu, ut ſaluberrimo jugo devincta Ejus *caro*, nihil poſſet *adverſum ſpiritum concupiſcere*, ex quo reſtituta in Regnum ſuum ratio leges libere poſſet devictis ſenſibus indicere; atque illud imperare, quod libêret, aut eo tempore, quo ſibi maxime probaretur.

Unum tamen fuit, quod nunquam videtur profligaſſe Carolus bellum; cum hoſtis, renovatis veluti viribus, quotidie inſtaret. Brevi admodum tempore ſomno Ille indulgebat; & quietis brevitate acerbior etiam modus quieſcendi videbatur. Quoties enim aut gravioribus implicitus eſſet curis, aut Diœceſeos ſuæ, & Eccleſiæ tempora Illum urgerent; nihil, aut parum admodum ſomni ſellæ inſidens capere conſueverat. Opportuniſſimum ducebat rebus ſuis hunc quieſcendi uſum; & appoſita etiam ratione tueri conabatur. Dictitabat enim, nonnullos copiarum Præfectos id moris ſervaſſe, inter quos Joannes Jacobus Mediceus Caroli ipſius Avunculus recentis memoriæ heros eminebat. *An vero*, ſubdebat, *Epiſcopus, qui bellum gerit aſſidue contra rectores tenebrarum, & ſpiritualia nequitiæ humanis ducibus de vigilantiæ laude concedat?* Verum incredibile dictu eſt, quantum moleſtiæ afferret vigilantiſſimo Cardinali obrepenti ſemper ſomno conſtanter obſiſtere. Vix acerbiorem alibi Illius pugnam vidimus. Erat enim Ei natura proclivis in ſomnum, cujus neceſſitatem ipſa etiam quotidiana contentio facile augebat. Hinc, eo interrupto, moleſtiſſimum corporis cum ſpiritu luctantis certamen ſequebatur. Nam, licèt omnes carnis motus rationi victor ſubdidiſſet, hac tamen parte laborare maxime victorem neceſſe fuit. Audiamus, quid de hoc continuato dies, noctèſque bello, acutiſſimus Judex P. Achilles Galliardus ſenſerit, qui non ſine admirationis ſignificatione hæc retulit in tabulas: „ Quàm „ aſperum, & quàm aſſiduum vitæ horrorem

(*a*) Sexdecim, ut plurimùm, panis unciis victitabat Cardinalis, & aquæ phiala, atque illa non admodum ampla in potum utebatur. Davidis exemplo *potum ſæpe cum fletu miſcebat*; ut ſe aliquando caſu vidiſſe, teſtatur Nob Philippus Pirovanus in Sancti Spiritus Ædibus, dum illic forte Carolus verſaretur. Scribit hic Eques: rogatum a ſe Caſtanum, num alloquendi Borromei futura eſſet copia? ſed Caſtano reponente, *Illum interim veſci*, auſum fuiſſe ſpeculari ex januæ rima, quo in prandium uteretur cibo. Sed, concludit, viſum a ſe Carolum flexis genibus ante menſam, qui fletu perfuſus, dextrâ dum panem teneret, ſiniſtrâ librum efferebat. Hoc enim Illi moris fuit, ut niſi ſuppeterent ſupplices libelli, quibus ſuffragium ſuum adjiceret, Sacra Biblia veſcens legeret, duplici cibo laturandus; ſed diſparí ſuavitate, cum pane dumtaxat veſceretur, Biblia vero voraret. Quamquam nulla etiam in pane ſumendo ſuavitas erat. Narrat Bernardinus Taurufius, intime ſe animo commoveri ſolitum, quoties veſcentem Carolum intueretur. Nam, cum fractus ſæpe viribus, & agendi contentione eſſet Cardinalis, vix partem panis aliquam decerpſerat; cum ægre deglutire aridis faucibus bolum poſſet, identidem ingeſtæ aquæ præſidio, conabatur cibum in ventrem demittere.

Digitized by Google

„ rorem Ille ſuſcepiſſet, manifeſtum eſt; „ ipſique Ejus domeſtici diligentius evol- „ verunt: quare locuplentiſſimi ii teſtes „ ſunt, cum eorum oculos Carolus nul- „ lo modo poſſet ſubterfugere; præter- „ quamquod nihil magis publicis etiam „ ſermonibus fuit uſurpatum. Supergredi „ imo recti fines hac auſteritate viſus eſt „ nonnullis Carolus; ſed omnes ſancti- „ tate vitæ inſignes viros hanc viam te- „ nuiſſe comperi. Ego enim, cum reliqui „ tam acerba, & gravia ab Eo tolerari „ mirarentur maxime, illud unice admi- „ rari ſolebam, quod in pœnis illis ſibi „ extra ordinem inflictis, ſemper tamen „ rectum prudentiæ ordinem ſervaret: „ quæ virtus in ſingulis Illius actionibus „ dominabatur vere, ac triumphabat." Hæc autem paulo poſt ſubdit: „ Præter „ hæc omnia unum præcipue in ſancto „ illo Cardinali mirum mihi fuit, quod „ nulli fortaſſe in mentem venit, licèt „ in omnium oculos incurreret. Etenim „ non ſibi dumtaxat vim Ille inferebat „ maximam in tanto cruciandi corporis „ uſu; ut facilis ſibi, imo ſuavis illa aſpe- „ ritas videretur (qui gradus eſt in pa- „ tientia maximus), & continuata tole- „ randi conſuetudine, virtutes eas om- „ nes adipiſceretur, quæ hujuſmodi vi- „ tam conſequuntur, & certe in Eo ma- „ xime eminuerunt. Verùm ad patientiæ „ triumphum quemdam ſivit Deus, ut ali- „ qua ex parte naturam vincere non poſ- „ ſet, & ſummam etiam in ea vincenda „ difficultatem ſentiret. Somnum potiſſi- „ mùm Illi hoſtem natura certe objecit, „ quem cum debilitare conaretur, nun- „ quam tamen profligare penitus valuit. „ Sane in hoc certamine maxime Divinæ „ Gratiæ potentia eluxit, cum nihil Ille „ unquam ex vigilandi contentione remit- „ teret, tam expeditus ſemper, & conſtans, „ ut violentâ illâ pugnâ mirifice delecta- „ ri crederetur. Neque dolebat infinito „ illo ſuſcepto bello, licèt nulla hoſtis ſu- „ perandi ſpes appareret; quod in ceteris „ certaminibus uſuvenit, ut ad bellandum „ excitet ipſa debellandi fiducia. Ceterum „ aſſidue luctans, pervicit tamen, ut ex „ voluntate ſua ſomnum moderaretur, etſi „ nunquam ex arena hoſtem cedere, ſed no- „ vam pugnam depoſcere ſemper ſentiret. „ Mirum ſane, & inauditum luctæ ge- „ nus! Ex hoſtis manibus prædam ſem- „ per eripere; hoſtem tamen ſemper in „ prædam imminentem videre: Vincere „ ſemper; ſed nunquam debellare: de- „ mum novâ ſemper contentione gaudere. „ Rarum certe hujuſmodi certaminis exem- „ plar apud antiquos etiam veræ ſanctita- „ tis Patres me vidiſſe memini." Hactenus Achilles.

Obverſabatur autem omnium oculis hæc repugnantis ſomno Caroli contentio, cum manifeſte appareret, coërceri ab Eo pronum ad quietem naturæ impetum omnino non poſſe. Sed eminebat etiam invicta ſemper dormitantis virtus, quæ frenum naturæ ipſi tentaret injicere. Hinc, licèt ſæpe labens in pectus cervix recideret, acuta mens, clauſis oculis, vigilabat adeo, ut ſingula intelligeret, & poſtulanti cuipiam dictorum omnium ſeriem fideliter redderet. Recitabat ſiquidem auditum ſermonem; atque ſiquid erratum fuiſſet in orationis curſu, objiciebat, quamvis tum indulſiſſe ſomno crederetur; atque id ea facilitate præſtabat, quam ægre a vigilantiſſimo omnium exegiſſes. Cum Romæ eſſet, P. Franciſci Toleti celeberrimi ex Societate Jeſu Oratoris ſermonem excipiens, indormire ſemper dicenti viſus erat; quare adſtans Præſul, ad Equitem Bernardinum Navam Mediolanenſem ibidem degentem converſus: *Si meum*, inquit, *eſſet Cardinalis Borromei Confeſſionem audire, hanc Illi piacularem pœnam imponerem, ut noctu dormiret; ne interceptum nocturnis horis ſomnum, luce ad concionem afferret.* Verum, quàm illepide jocaretur, mox didicit. Nam, cum eodem die Cardinalem alium Carolus convivio excepiſſet, cui etiam aderat Bernardinus Nava, qui hæc deinde retulit: animi cauſa, ſumpto cibo, familiariter colloquens mentionem de Toleti ſermonem injecit; ſingula autem illis capita, & ſyntaxim adeo exacte reddidit, ut circumſtantes

tes caperet admiratio ingens, cum falsa ea labentis capitis specie decepti, vacasse Illum somno pari errore credidissent. Re autem, ut fit, vulgata, Præsul ille didicit, magis patêre dormientis Caroli aures, quam suas vigilantis. Itaque nonnulli, quos commoverat tam acerbum, atque continens Borromei somno obsistentis certamen, facilioris victoriæ spem ostendebant, si ad breve aliquod temporis spatium ex arena cessisset. Suadebant nimirum, ut longiorem quietem naturæ daret; utque consilio vim adderent, inculcabant dictum Patris cujusdam, ceteroquin gravissimi, somno septem horarum spatium præfinientis, ut firmiores ad labores subeundos vires humanum corpus afferret. Verum Ille nihil dicentis auctoritati detrahens, neque suæ virtuti, sapienti responso dictum elusit, inquiens: *Hæc cum ille diceret, de Episcopo loquutum non puto* (*a*).

Sed, cum suavia omnia corporis cruciamenta Carolo essent, illud unice molestum videbatur, hanc vitæ austeritatem a nonnullis improbari. Crebræ enim super hoc ad Eum mittebantur literæ, conquerentium, intercipi tot doloribus vitæ cursum, atque conantium, validis rationibus Eum ab instituto revocare. Extant in hanc rem P. Ludovici Granatensis, & Valentiæ Archiepiscopi datæ ad Illum ex Hispaniis epistolæ; imo ex suis etiam familiaribus quidam apud Summum Pontificem conquestus est, scribens, immaturum timeri Borromei interitum, quandoquidem tantæ abstinentiæ impares, hominis jam tot insuper curis obruti vires crederentur: deinde oravit, ut, suo interposito imperio, tam severis legibus Carolum liberaret. Quamobrem supervenere Breves Gregorii Literæ, quibus cœpta persequi vetabatur. Cardinalis vero, illis redditis ineunte hebdomada *in Authentica*, qua lupinis dumtaxat uti in cibum statuerat, statim hoc consilium abjecit, magis obedientiæ retinens, quam austeritatis: nescio tamen, an utiliore exitu, quandoquidem, quamvis ad veteres escas rediret, paulo lautius certe vescebatur. Reddidit tamen paulo post vitæ suæ rationem Pontifici; quam probare etiam ceteris voluit, institutum confirmans suum luculentis Sanctorum Patrum exemplis, ut ex responso ad Ludovicum Granatensem in hæc verba dato manifestum est: „ Nam sanctissimos viros Nicolaos, Chry„ sostomos, Spiridiones, Basilios, qui, cum „ maximarum Ecclesiarum Episcopi essent, „ perpetuis jejuniis, vigiliisque vitam tra„ duxerunt, & ad summam tamen senectu„ tem pervenerunt, tibi commemorare su„ pervacaneum est. " Postquam vero hisce rationibus absterfit inanem eorum metum, qui corripi vitæ spatium horrore hoc vitæ conquerebantur; docuit deinde, non adeo eam mortem esse timendam, quæ possit propter susceptos in Dei Ecclesia labores feliciter anteverti. Audi enim, in quam sententiam Archiepiscopo Valentiæ rescripserit: „ Quod si etiam, dum Ecclesiæ, pro qua „ Christus acerbissimam mortem pertulit, „ opera navatur, virium, quas debilitari, „ aut vitæ, quam interire necesse est, jactu„ ra fiat; id vero in maximi lucri, atque „ emolumenti loco ponendum est. Nimis „ delicati hominis, nedum Episcopi est, a „ muneris sui, quo nullum amplius, nul„ lum præstantius est, administratione, & „ cura aut valetudinis studio retardari, „ aut mortis formidine deterreri (*b*).

Ceterum improbata apud homines duriſſi-

(*a*) Facile somni obrepentis molestia levari Carolum posse affirmaverat aliquando per literas Jo. Baptista Castellus Ariminensis Episcopus, si diutius somno indulgere vellet. Cui Borromeus: „ Quod „ de somno meo scribis, qui sedentem me in Tem„ plo invadit sæpius, nolim, putes, id mihi in„ commodi ex breviore quietis statuto tempore obo„ riri; sed hoc potius habe, hanc mihi opportuni„ tatem a Deo offerri, quo humilius animum „ meum dejiciam. " Spectavit hoc responso Carolus sententiam S. Gregorii lib. III. Dialogorum scribentis: *Magna Dei dispensatione fieri, ut, quibus majora bona tribuit, minora interdum non præstet: ne mens ne se extollant; sed discant, quia ex semetipsis majora illa bona non habeant, qui parva vitia vincere non possunt.*

(*b*) Conatus est semper hoc initum vitæ genus custodire æque, ac defendere. Accipe, quæ primò Joanni Archiepiscopo Valentiæ, & Antiochiæ Patriar-

riſſima hæc vivendi norma divino certe præconio non caruit. Licèt enim homines ſupra naturam hanc eſſe poſitam autumarent; Deo tamen acceptiſſima videbatur, cum in Caroli vita ſaluberrimum ei ætati exemplum conſtitueretur, quo maxime ſeculum illud indigebat. Revocandi nimirum erant mortales a molli illo, & delicato vivendi genere, quo nimium delectabantur: Inſuper Dominici Ovilis Paſtoribus via erat indicanda auſteritatis, quæ maxime Eccleſiaſticos viros decet; quapropter reliquis etiam in futurum ævum Epiſcopis divinitus datus eſt Carolus, qui, intento veluti digito, eam præmonſtraret. Idcirco emendavit omnium opinionem Deus oſtentis ſuis, & prodigiis, quibus commendari apud poſteros Ejus virtutem voluit, ut doceret, probatiſſima ſibi, & accepta vitæ inſtituta, quæ homines condemnaſſent; *divinaſque vias a viis hominum admodum diſſentire*.

CAPUT XXVII.

De Ejuſdem Caſtitate.

CUm *Deum hæreditatis ſuæ, & calicis partem* ab ineunte ætate *elegiſſet* Carolus; Eccleſiaſtici viri veſtes ſimul, atque animum induit. Quamobrem nihil unquam notatum eſt in Ejus dictis procax, aut factis leve; cum probe ſciret, *in Clerici ore nugas eſſe blaſphemias*. Dignitatis ſuæ itaque gradum tenuit ſemper, quamquam præfidentius laxare frenos in minimis poſſet. Verumtamen illud exactius ſtuduit, ut integrum ab omni impudicitiæ labe animum cuſtodiret, quam cane pejus, & angue oderat, utpote Eccleſiaſtico Ordini adverſariam maxime, cujus illud eſt ſupra Angelorum naturam conſtitutum Miniſterium, ut Sanctiſſimo Chriſti Corpori impollutum præbeat domicilium. Hinc caute primum cogitationes moderatus, verba

triarchæ, deinde ad Ludovicum Granatenſem ſcripſerit. Hæc ad illum habet: „ Dicam familiariter hoc „ de genere, quod ſentio; quodque te probaturum „ eſſe confido. Ego cum intelligerem, Epiſcopum „ oportere, & Euangelii prædicatione, & vitæ exem„ plo multitudini prælucere, & ſalutis viam com„ monſtrare; Officii mei eſſe ſtatui, ita utrumque „ præſtare, iis ut in rebus maxime verſarer, quæ „ plurimum videntur habere difficultatis, ac labo„ ris. Non enim magnam vim habere poteſt ejus „ exemplum, qui vitæ ſpiritalis perfectionem præ„ dicet; aſperitatem, ſiqua eſt, refugiat. Ut enim „ ſal vi quadam ſua ſuaves reddit cibos, alioquin „ inſulſos, atque injucundos: Ita Epiſcopum oportet ea condire exemplo ſuo, & tamquam ſale „ aſpergere, quæ populi guſtus male affectos, & „ ſenſus refugit, atque abhorret. Nobis enim dictum eſt: *Vos eſtis ſal terræ*. Vigiliæ, abſtinentia, inedia, atque alia de hoc genere fuerunt „ olim ſummo in pretio, atque honore apud Chriſtianos; elucebant enim in iis maxime, quorum „ erat vita propter dignitatem omnium oculis expoſita. Apoſtolus quidem Paulus, cujus ſunt ea „ verba: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, primus manum operi admovet. *Caſtigo*, „ inquit, *corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Nam „ multitudo ea ſemper magni fecit, quæ a Prin„ cipibus viris coli, & in pretio haberi vidit. „ Principes autem colendæ virtutis eſſe oportet „ Epiſcopos. Cum autem gulæ, ac ventris vitium „ omnium vitiorum ſeminarium, ac nutrimentum „ ſit, Sanctiſſimi quique Viri (a quorum Sanctitatis „ præſtantia quantum ego abſim, non ignoro) ab„ ſtinentiam omnemque vitæ ſeveritatem ſanctiſſime „ coluerunt ..... Quod autem pro tua carita„ te vereris, ne vel mihi vires infringam, vel „ mortem accelerem, ita habe: Cibi abſtinentiam „ & corporis valetudinem tueri, & mentis uſum „ mihi ſolutiorem, ac liberiorem afferre. Itaque „ multum temporis, quod in cibo decoquendo con„ ſumere alioquin mihi neceſſe eſſet, id totum „ utilius variis in rebus, negotiiſque explicandis „ pono.

Ad Ludovicum vero Granatenſem, præter ea, quæ Gluſſianus expoſuit, hæc adjicit in eamdem ferme ſententiam: „ Velim tamen, perſuaſum eſſe, „ hanc vitæ viam, quam ſum ingreſſus, & ad „ corporis mei naturam tuendam, viresque conſer„ vandas admodum eſſe accommodatam; & ad Pa„ ſtoralis ſolicitudinis onus ſuſtinendum valde mihi „ neceſſariam videri. Nam, ut omittam, eam & „ corporis valetudinem confirmare, & mentem ad „ res omnes cogitatione comprehendendas ſolutio„ rem reddere; eſt virtus maxime apta, hac præ„ ſertim ætate, in qua gulæ, ac ventri nimium „ indulgetur, ad exempli imitationem. Exem„ plum autem virtutis ſe ſe multitudini proponere „ non minus neceſſarium eſſe ſtatuo, quam ipſam „ virtutem prædicare. Parum enim habet virium „ verbi Dei prædicatio ad populum permovendum, „ niſi vitæ auctoritas accedat. Nam & pluris ſunt „ facta, quam verba; & populus diligentius Epi„ ſcopi vitam attendit, quam orationem ..... „ Eſt paucis natura contenta. Sæpius in die ci„ bum capere, epularum varietatem adamare, de„ licias in menſa quærere delicati hominis eſt; Epi„ ſcopum autem, qui profitetur, ſe velle aliorum „ incommoda, ac labores ſuis minuere, ac ſuble„ vare, minime omnium dedecet eſſe, vel videri de„ licatum.

Digitized by Google

ba deinde, atque actionem religione quadam temperavit, quæ ſartum tectumque a vitiis, vitiorumque ſtimulis Pudorem conſervaret (*a*). Equidem tantam virtutem ægre ferebant impuri lemures, & periculum facturi, num in laqueos ſuos indui Carolus poſſet, injicere ſæpius tragulam adornarunt. Augebat in iis victoriæ fiduciam locorum opportunitas, ætatis improvidæ æſtus, facta demum ad inſidias ſcortorum procacitas. Quare immiſſæ clanculum aliquando in cubile fœminæ ſunt, quæ aliàs invictum omne verborum lenocinium ad ſui Pudoris cladem afferebant, ut jam ſuo innuimus loco. Verum didicere vinci, poſtquam laceſſere adoleſcentem Carolum auſæ fuerunt; qui non clamoribus, nec torre impia monſtra in fugam conjecit, ſed fugâ ſuâ eluſit. In quo Bernardi, & Thomæ Aquinatis ſuperare conſtantiam viſus eſt; cum victoriam comparaverit fugiendo, quod unum vere hac in pugna vincendi genus Sanctitatis Magiſtri docuerunt. Itaque ſuorum familiarium celebrata ſermone opinio fuit, incorrupta Illum ſemper, quoad vixit, corporis integritate floruiſſe. Hoc memorare conſueverat homo antiqui officii Georgius de Rubeis, qui ipſum Pueri Caroli animum ferme introſpexerat, & nuſquam ab Illo dejecerat oculos; quandoquidem demandata eidem fuerat a Parentibus Ejus cuſtodia. Hoc uno ore teſtati ſunt jurati domeſtici, & famuli, quorum fugere oculos nunquam licuit nec adoleſcenti, nec viro Borromeo. De hac demum laude dixerunt graviſſime, & luculenter teſtes plurimi, in quæſtionem producti; & a Baſilica-Petri eximiæ auctoritatis ſcriptor, dum Caroli continentiam recenſeret, hujuſmodi præconium, addidit: *Et in eo genere non modo quidquam male appetere nunquam ulli viſus eſt; ſed inſidias quoque non ſemel paratas ſancte admodum vitavit* (*b*).

Poſtquam ad Eccleſiæ ſuæ clavum præſens gubernator ſedit, tanta in oculis omnium continentiæ ſuæ monumenta defixit, ut ex communi omnium Civium præconio integerrimæ innocentiæ laudem hac præſertim in parte referret. Verumtamen ad modeſtiæ ſuæ perſequenda preſſius veſtigia, juvat domeſticorum ſuorum fidem ſequi, qui, cum quotidiana Ejus conſuetudine uterentur, majorem etiam teſtimonii ſui auctoritatem ad Judicum Tribunal in Apotheoſis cauſa attulerunt. Ii narrant jurati: Eum ab omni non dicam immodeſtiæ labe, ſed ſuſpicione fuiſſe remotiſſimum; neque ſine gravi objurgatione tuliſſe unquam pronuntiatum verbum, quod turpitudinem aliquam morum aut exprimeret, aut ſignificaret: ac ſi violatis ſemel impura auditione auribus, permanare ad inficiendum candorem animi impudens verbum vere-

(*a*) Cedro linenda ſunt monita, quæ ad retinendam morum continentiam Cardinali Bathorio dedit in epiſtola, de qua mentionem alibi injecimus. Ex ea partem juvat recitare, quæ ad præſentem rem ſpectat: „ Vitæ autem integritatem adipiſcêris, ſi „ accuratam caſtimoniæ tuendæ curam ſuſceperis: „ quam numquam aſſequêris, niſi te carnis macerazione afflictaveris, ſenſus omnes compreſſeris, „ otium ut peſtem fugeris, familiaritatis nedum „ mulierum, ſed etiam eorum omnium, quorum „ vita caſtitatis ſplendore non fulgeat, vitaveris: „ Verba porro omnia, multo autem maxime libros, „ qui ad turpitudinem aliquam quovis modo animum tuum allicere poſſint, tamquam præſens exitium averſatus fueris: Denique niſi in hujus pulcherrimi Dei doni conſervatione, quod tibi cuſtodiendum Ille dedit, Tu, qui hoc vitæ genus, „ quod ſuſcepiſti, conſervaturum es pollicitus, „ omnem animi, ac mentis tuæ vim intenderis. Mirum enim eſt, quam facile ab iis perdatur, qui „ in ejus conſervationem non vigilant; Neque ullam aliam ob cauſam Sanctus Paulus Timotheum, „ quem ille ab infantia educaverat, ſacraſque Litteras edocuerat, qui corpore erat imbecillo, & infirmo, qui in jejuniis, & aquæ potu carnis petulantiam fregerat, tam ſerio monet, ut ſe ipſum caſtum cuſtodiret. Itaque, cum ad eam tuendam „ ſolus ipſe non ſufficias, precibus Deum ipſum tuæ caſtitatis cuſtodem habere cures; tum Sanctiſſimam ejus Matrem peculiarem hujus tui propoſiti Patronam ſume; & quod olim veteribus Conciliis, Epiſcopis, licet ætate gravibus, & vitæ Sanctitate inſignibus, præſcriptum legimus, Tu etiam „ nunc Adoleſcens ſervabis: ut duos viros morum gravitate, & vitæ honeſtate conſpicuos, tuæ „ pietatis cuſtodes, & teſtes diu, noctuque habeas.

(*b*) Caſtimoniæ tuendæ cura effecit, ut aliquid reperiri poſſet, quod Carolus nollet, quemadmodum in Tabulis teſtatur Joannes Paulus de Clericis. Nam, cum aliquando inter familiares inſtitutus eſſet ſermo de Præſule quodam, qui dyſuriâ laborare ferebatur; ſuperveniens Carolus, & audiens remedii rationem nimium honeſtati incommodam, *hoc*, inquit, *unum Superi malum avertant*.

Digitized by Google

retur. Idcirco, ſiquando inhoneſtum vocabulum narrationis neceſſitas expreſſura eſſet, ne labia pollueret, ad id artificii confugiebat, ut callido verborum ambitu ex ſermone ſuo expungeret, quæ minus honeſte dici opus eſſet, ſi commode fieri poſſet; ſecus, latine efferret, quidquid etruſca voce emendare non liceret. Atque hæc indicta erat etiam ſecum loquentibus lex [*a*]. Quare, cum aliquando ad petendum conſilium ad ſe veniſſet Religioſæ cujuſdam familiæ Vir, atque levi ſermonis impetu prolapſus, nomen nocentis commemoraſſet, & ſcelus ipſum turpiſſimum, quod in conſultationem veniebat, expreſſiſſet communi vocabulo: repente vultuoſus Cardinalis acriter objurgavit dicentem, & Præſidis ſui inſuper caſtigari monito voluit; demum motum loco Conſiliarii, quem tenebat, a ſe inpoſterum juſſit omnino faceſſere: inutilem ejus operam ratus, qui nec ſuo, nec alieno pudori conſulere didiciſſet. Addidere etiam, qui cubiculo præerant: Cardinalem, dum iret cubitum, ſiquando veſtes, addito illorum auxilio, deponere, aut ſumere vellet, tanta verecundia ſemper fuiſſe ſpectabilem, ut nullam unquam nudam ſui corporis partem objiceret; quamobrem, cum detraherentur caligæ, tantum tibiæ ſolebat ſenſim in lodices recondere, quantum illi denudarent; imo ne improvido ſibi, aut dormienti pudoris cuſtodia excideret, interiores lineas braccas ſemper indutus, iis, *quæ inhoneſta erant, abundantiorem honorem circumdabat*. Acceſſerat de more ad domeſticum ſuum inviſendum, qui febri correptus decubuerat: Supervenienti Medico æger dum arteriæ pulſum explorandum offerret, nudum omnino brachium extraxit. Inverecundam actionem, diſcedente Medico, ſuggillavit Carolus; addiditque cautius morbo ſimul, atque honeſtati conſulendum. Pari etiam ratione tacitus ſine probro non dimittebat, ſiquem porrectis pedibus in utramque dormire aurem forte inveniſſet.

Quandoquidem vero hac in parte ipſum eſt metuendum pugnæ ineundæ periculum, prudenti conſilio non hoſtis dumtaxat impetus propulſabat; ſed ipſum etiam conſpectum, quantum fieri deceret, effugiebat. Nihil in Eo tutius caſtiſſimæ mentis arce videbatur, quam munitam, & corroboratam divinitus vidimus; Corpus vero ſolerti cuſtodia ſepſerat, vigiliis, & jejuniis exaggeraverat. Nihilo tamen minus expugnari facile munitiſſimum quidquid ab hoſte imbelli poſſe formidabat. Quare fœminarum præſentiam, unde major oriri clades pudoris ſolet, declinabat diligenter adeo, ut iis nunquam alloquii ſui poteſtatem faceret, niſi in aperto, atque expoſito adventantibus loco; & geminos ex graviſſimis domeſticis ſermonis, quem ſereret, arbitros ſemper ad latera retineret. Neque majores animos dabat affinium ſuorum præſentia. Margaritam Trivultiam Patrui ſui Uxorem, eximiis moribus, & Religione Matronam nunquam allocutus eſt ſolus; & Melegnani Dominam Mediceam Conſobrini Conjugem cum admiſiſſet ad colloquium, adſtantibus Moneta, & Caſtano; hunc forte, alia urgente cauſa, dilapſum ex cubiculo, & mox ad ſe redeuntem corripuit libere; atque criminis loco habuit, quod ſibi cum affini Matrona loquenti unum dumtaxat comitem reliquiſſet. Quamquam rara etiam affinibus fœminis Ejus alloquendi erat copia, niſi gravis id ſuaſiſſet cauſa. Quo tempore Romæ Carolus fuit anno MDLXXV., Anna item Soror, Fabritii Columnæ Uxor ibidem verſabatur, cui ipſa fraternæ ſanctita-

(*a*) In literis ſuis, cum aliqua inhoneſti criminis injiceretur commemoratio, ſemper commune noxæ nomen delere conſuevit. Cum *inceſti* ſceleris vocabulum legiſſet, ſubſtituit *crimen inter conſanguineos*. *Sodomiam* aliàs obliteravit, & verbum ſupplevit *criminis peſſimi*. Alibi pro *concubitus cum demone*, uſurpavit *atrox illud, & horrendum ſcelus*. Sed nihil declarat apertius, quo in turpia quæque odio ferveret, quàm, quod in Tabulis narratur, Illius factum. Etenim, cum aliquando ad primarii Equitis domum divertiſſet, decumbenti illius uxori præſtaturus caritatis officia Borromeus, atque forte in ſuos prætereuntis oculos incurriſſent obſcœnæ quædam imagines; domo illa propere egrediens, atque ad Equitem converſus, *quamdiu*, ait, *hujuſmodi imaginibus hic locus erit, tamdiu me ab ædibus tuis jubebis exulare*.

Digitized by Google

ctitatis opinio, abſentiæ diuturnitas, & percipiendi ex pio ſermone ingenui gaudii ſpes vehementius alloquendi Cardinalis deſiderium injecerant. Commendabat viciſſim Carolo Sororem Religio ejuſdem, ſibi per frequentes literas teſtatiſſima, & inſitus etiam erga illius pietatem amor ſuus, quem Ipſemet ſæpius pro re nata ſignificaverat. Attamen hanc ſemper ſuæ, & Sororis benevolentiæ vim intulit, ut ſæpiſſime declinare illius occurſum ſtuderet; & ſiquando pias Annæ inſidias eludere non potuit, deprehenſus ſemper in ſacris Ædibus fuit, ubi nec improviſam timere vim poterat; &, ſi timuiſſet, paratiſſimum habebat in promptu præſidium.

Sed nullibi majores inſidias latêre putavit, quam ubi tutius ſtrui ab Humani Generis hoſte ſolent. Probe ſcius, Satanam *transfigurare ſe in Angelum lucis*, vehementer formidavit, ne inde bellum erumperet, unde minus imminere periculum appareret. Adeunda ſæpius erant pro Paſtorali cura Sacrarum Virginum Collegia: audienda ibi remotis arbitris plura, quæ aliorum præſentiam difficillime tolerarent. Verumtamen hanc in rem ſolertius cogitationes intendit, nequa afflari improvido labes poſſet. Primò itaque, cum Sanctimonialibus acturus, inutilium verborum omiſſis officiis, in rem, quæ agenda eſſet, deſcendebat protinus: depromebat in colloquio nihil, niſi religionis, imo ſucci eſſet plenum, cum verboſam nimium etiam religionem averſaretur: accedebat ad clathra nunquam, niſi gravi de cauſa: palam malebat univerſas alloqui, quam ſingulas audire: demum cauto conſilio, ſiquid incidiſſet, quod dici occultius præſtaret, id conſilii capiebat, ut verſari ſe in aliorum oculis ſineret, quamvis alii in ſermone verſari propter diſtantiam non poſſent. Excubabant itaque in Ejus cuſtodiam ſemper gemini graviſſimi Viri, inter quos Moneta ſemper fuit: ſive ad privatum Virgines colloquium admitteret; ſive etiam res aliquando tuliſſet, ut clauſtra ipſa Virginum ingrederetur. Quamobrem ſtuduit integram adeo Paſtoralem famam in omnium oculis ſemper defigere, ut nulla ex parte ſuſpicioni obnoxiam eſſe pateretur. Nam, cum ſciret aliquando, Diarium rerum ſuarum ab uno aliquo ex adminiſtris ſuis conſcribi, ut aſſolet; atque in eo legiſſet adnotatum, quemadmodum Ipſe Monaſterium eſſet ingreſſus, nulla addita cauſa, propter quam ingredi debuerat: acriter ſcriptorem reprehendit, inquiens: *Dedecere admodum ſcribi, Epiſcopum aliquando Monaſterium Virginum fuiſſe ingreſſum; neſciri autem datam juſtam ingrediendi occaſionem*. Quapropter vetuit, exinde a tam indiligenti ſcriptore quidquam de rebus ſuis conſcribi; ne ſua Epiſcopi in poſterum fama ullo periculo laboraret.

Intimus hic animi candor in ipſum quoque redundabat corporis exteriorem habitum, ut, ſiquis attentius in Eum oculorum aciem intenderet, quamdam inſeri ſenſibus tacite tranquillitatem, & ſedari turbulentas affectiones ſentiret; præſertim vero pudicas cogitationes, & amorem continentiæ referret. Sane tantam Illius exemplo, & dictis vim Deus indiderat, ut concionibus, & vocibus complures utriuſque ſexus permoverit, ut nuptiarum conſilio abjecto, *meliorem partem eligerent*; cum alii, Eo hortante, in Eccleſiæ ſe caſtra conjicerent: alii ſe clauſtris Religioſæ alicujus Familiæ addicerent: nonnulli in privatis laribus cælibes viverent: permulti demum ſub Sancto Mauritio Duce, cujus auſpiciis dedicatam quamdam Marium Sodalitatem conflaverat, thori expertes Chriſti ſtipendia mererentur. Quamquam multo uberior conſequutus eſt apud fœminas fructus. Abundavere nimirum, Carolo authore, Virginalis modeſtiæ exemplis Aſceteria Sanctimonialium, quibus novas inſtrui, aut excitari ſedes opus fuit: meſſis ubertate diligentiſſimi Cultoris ſpem ſuperante. Omitto S. Urſulæ nuncupatam Fœminarum Societatem, quæ per univerſam Diœceſim diffuſa, cœtum, novum continentiæ ſpeculum, atque magiſtrum effecerat, legibus inſuper datis firmatum, & Caroli ætate florentiſſimum; ex quo inſti-

Digitized by Google

ſtituto migraſſe in privatos lares Parthenonum modeſtiam, & ſanctitatem admirati ſunt, quotquot ejus ordinis diſciplinam novere. Adde apertum aliud Viduis mulieribus Continentiæ aſylum: alterum videlicet Sodalitium ſub S. Annæ auſpiciis congregatum, in quo æmula Integritatis Caſtitas viguit, atque Urbem quocumque Pudicitiæ ornamento cumulavit. Adeo fœcunda Cardinalis Virginitas infinitam Sponſo, qui *inter lilia paſcitur*, ſobolem adjunxit; atque unus integerrimus Antiſtes Caſtimoniæ Dux, Author, atque Exemplum fuit.

CAPUT XXVIII.

De animi integritate, & maturitate morum.

CUm ab ineunte ætate tùm Paterno, cùm domeſtico exemplo commonitus, Carolus ad perfectam Dei notitiam fuiſſet imbutus; conceptum amorem exinde diſſimulare non potuit, quin apertiſſime illum virtutibus ſuis, & criminum horrore teſtaretur. Nihil in Illo puerile unquam fuit, præter ætatem, quam præcoce prudentia ornatam, contubernales Illius omnes dixere. Poſtmodum Adoleſcens ullam *boni doni particulam* elabi ſivit nunquam e manibus; quamobrem adjutori Deo, indulgens, facilem ſe, & paratiſſimum afflanti Divino Spiritui præbuit, atque expertem omnino labis candorem ſemel acceptum, ſemper præ ſe tulit. Fovebat immiſſum divinitus ardorem opportuniſſimis præſidiis, cum tenebris, ſiquando offunderentur, lumen adderet meditandi ſtudio, & ſolerti morum ſuorum cenſura; languentem autem flammam, ſiquando refrigeſceret, ſacrorum Myſteriorum uſu excitaret. Hinc in affectionum omnem tumultum ſedulo intentus, & ſui vindex egregius, irrumpentes animi fluctus declinabat, & innocentiæ præcavebat minuendæ periculum [*a*]. His itaque feliciter uſus remediis, cum vim animi corroborari ſentiret, ſtatuit ſe majoribus ſemper vallare præſidiis; cumque frequenter adoleſcentiæ tempore ad ſacrum Tribunal, & Convivium accederet, nullam deinde ſalutari hac medicina exire vacuam paſſus eſt diem: & a divinarum rerum contemplatione nunquam abſtrahi animum voluit, poſtquam ſacris Ordinibus fuiſſet initiatus. Adde auctam ſemper in animi motibus excutiendis diligentiam; nam, cum antea bis, terve in dies acta ſingula revocaret ad trutinam, poſtmodum nihil agebat, niſi cenſoria gravitate præjudicatum; nec quomodo, ſed ut optime ageret, perpendebat: adeo verba uſque moderatus, ut nihil niſi fructuoſum, aut ſacrum pronunciaret. Quotquot familiari Ejus conſuetudine ad plures annos uſi ſunt, jurati teſtantur, quod ceteri etiam omnes declarant: nullum aut imprudenter, aut ſine cauſa Borromeo verbum excidiſſe; quod, utcumque difficillimum Viro quotidianis curis diſtento, & variis cujuſcumque generis ſermonibus implicito, tamen veriſſime dici nemo inficiatur. *Perfectus* enim videbatur, *qui in lingua nunquam delinqueret*. Aberant ab Ejus conſuetudine joci, facetiæ, & inane quidquid, aut inutile adeo, ut aut de Deo ſermonem inſtitueret, aut inſtitutum aliis de cauſis, ad Deum referret. Morem hunc ſuum

(*a*) Hæc morum maturitas eluxit in Carolo a teneris uſque unguiculis. Quantum video inter eorum omnium teſtimonia, qui Borromeum ab ineunte ætate cognoverint, unum lego Simonem Boſſium, qui Senator deinde, & Præſes Magiſtratus fuit, id ſibi gloriæ vertiſſe, ut familiari Ejus conſuetudine Ticini frueretur. Hic autem narrat, ſecum aliquando Carolum ludere latrunculis conſueviſſe; ſed per eos dumtaxat dies, quibus mutum Gymnaſium erat, neque Inſtitutoris vox audiebatur; nullo tamen alio ludo diſtineri Eum unquam voluiſſe. Imo Hortenſius a Caſtro S. Petri juratus teſtatur: ſe puerum ſæpe cum Federico Caroli fratre in ſuburbana Villa (Piſcariam vocant) ludere conſueſſe; quo tempore, aliquo diſſitus intervallo Carolus recitare ſemper Marianas preces voluit. Idem addit, ſe, audito Cardinalis Medicæi Avunculi in Pontificem electi nuncio, ad Carolum feſtinaſſe, & gratulabundum prænunciaſſe Illi Romanam Purpuram. Quo audito, Ille repoſuit, *Romam vocor, atque illuc eo animo proficiſcor, ut quod Deus obtulerit accipiam; neque enim alia de cauſa hoc iter ſuſcipio, quam, ut Deo ſerviam.*

Digitized by Google

ſuum optime noverant quotquot ad Eum acceſſiſſent; quamobrem pudebat ſingulos, aut inutili, aut profana narratione Ejus aures obtundere; ex qua hominum perſuaſione commodum aliud Carolo accedebat, ut nulla otioſi temporis pars poſſet elabi. Siquidem duo hæc maxime in Illo admirabantur univerſi, quæ raro admodum alteri contigiſſe comperimus: ut tanta curarum mole obrutus, novemdecim iis, quibus Mediolani ſedit, annis neque ullum verbum inconſiderate effunderet, neque ullo temporis momento abuteretur. Non abuteretur autem? Imo rationem non excogitaret, qua illud utilius impenderet. Nam ſæpe tempus idem geminis curis accommodabat. Cum in triclinio cum ceteris accumberet, famem depellens; aures tamen de more ſacræ lectioni reſervabat: deinde poſtquam, mutato conſilio, ſeorſim ab aliorum conſpectu cibum ſumere ſtatuit, oculos ſupplicibus chartis evolvendis, aut libris, dentes autem pani impertiebatur: quin etiam aliquando genibus flexis tria præſtare eodem tempore potuit, veſcens, legens,& meditans; cui triplici occupationi quarta ſponte ſuperveniebat lacrymarum. Indecore etiam vacuum videbatur tempus illud, quo comas tondendas, aut radendas genas tonſori offerret; quare interim librum præ manibus tenens, aut domeſtico prælegente, animum ſacrarum rerum meditatione paſcebat, dum neceſſitati Eccleſiaſtici decoris ſerviret. Dum equitaret, circumforaneum pluteum in ſummo ephippio apte collocabat, & extractos ex loculis libros legebat; quod ſi feſtinatio impedimento eſſet, libris omiſſis, divina meditabatur. Subſecivas a prandio horas in audiendis Vicariis ſuis, & adminiſtris collocabat. Quare, cum actionum ſuarum ſeriem in ſingulas diei horas digeſtam deſcripſiſſet, exacte ſemper ſervatam, nulla in ea præfinita erat, licèt breviſſima, temporis pars, quam animo laxando deſtinaſſet: in quo Aſcetarum etiam auſteritatem ſuperaſſe videbatur.

Et quandoquidem in ſenſus ſuos imperium quoddam pro libito exercebat, non, niſi ex virtutis norma, iiſdem utebatur, qua item affectiones omnes ita vexabat, ut Illum nec proſpera efferrent, neque adverſa deprimerent: adeoque lætitiam gravitate, gravitatem hilaritate temperabat. Sequebatur inde æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum maxime decôra: prudentia in agendo, in præcavendo ſolertia, ut non ea dumtaxat effugeret, in quibus tantillum a recto deflectere poſſet, ſed etiam minus ſe laudabiliter gereret. Cum accedentibus de more daret aures, ilia feneſtræ crepidini opponebat; ſed tam ſeverâ indictâ oculis lege, ut in ſubjectum Olitorium Forum nunquam illos detorqueret; cumque omnes Cardinalem adeſſe cognoſcerent, Ille unus populum adeſſe veluti non ſentiret. Neque remotis arbitris, neque aliis deducentibus in cubiculo ambulabat, levem illam, & nihil agentis occupationem vocans; quemadmodum etiam nullus Eum privata veſte indutum vidit unquam, niſi qui in penetrale intimum admittebantur domeſtici; cum ſemper Cardinalitio ornatu amictus ſe in aliorum conſpectum daret, nequid de congrua corporis dignitate, ac gravitate remitteret. Ex cubiculo egredientem excipiebat Sacellum, quo litaturus accedebat: neque enim ullum ante Sacrum ſolebat admittere ad colloquium, niſi graviſſima de cauſa, neque a veſpertino precum domeſticarum tempore, uſque ad ſubſequentis diei Sacrificium indictam ſibi voluntarii ſilentii legem violare, niſi cum amanuenſi de antelucanis lucubrationibus differere contigiſſet. Propterea ſive verba, ſive acta Illius omnia, & motum ipſum corporis expenderes, nihil unquam occurrebat, quod ſummam ſanctitatem non redoleret; ſingula enim, leviſſima licèt, ſuis ponderibus æſtimabat; cum Eccleſiaſtica, qua fulgebat, dignitate augeri maxime labis cujuſcumque maculam autumaret [a]. Rogaverat Illum aliquan-

(a) Dum haberentur Cardinalium comitia pro Pii V. Succeſſore deligendo, rogaverat Dynaſtam quem-

quando Vir ceteroquin gravis, cur ab ea consuetudine apud Principes, & negotiosos Præsules passim recepta, & frugifera etiam abhorreret, ut rerum alibi gestarum exactam notitiam acciperet: cui Cardinalis *Alienam*, respondit, *esse hanc curam ab Episcopi munere, cujus est in Lege Dei die, ac nocte meditari, & cogitationem omnem ab humanis rebus avertere*. Cumque docere vellet, quanta Episcopum gravitas deceat, factum illud S. Ambrosii inculcabat sæpius, qui adolescentem motu corporis, & incessu leviorem a Cleri albo expunxerat. Quamobrem nullum ex suis, qui in hac parte peccaret, sine monito dimittebat; cumque adeo mores Sacerdotum ad normam dignitatis compositos exigeret, perfecit, ut illis abunde honoris, & obsequii testimonia deferrent profani homines, qui antea ab eorumdem profanis institutis vitiorum documenta hauriebant.

Ingenitus iste labis cujuscumque contrahendæ metus, & virtutis amor eo etiam vergebat, ut minuendæ innocentiæ periculum Ille quodcumque diligentissime averteret; quare in dubiis, quæ incidebant, rebus Romani semper expectabat Pontificis Oraculum, ut erroris etiam timor abesset (*a*). Siqua ad Pontificiam potestatem spectantia sibi fuissent componenda, ampla se muniri facultate optabat, ne constitutos fortasse sibi fines posset excedere. Commendata sibi negotia, quæ ullam offerrent labendi occasionem, aut ancipiti cura mentem turbarent, nunc repudiabat, nunc diligenter discutere, sed nullo præfinito ad rem dirimendam tempore, malebat. Hinc infinitæ Romam missæ ad consultationem quæstiones sunt, Eo sedente, & plurimi in Urbe gravissimorum hominum cœtus sæpissime convocati. Illa maxime animo hærebat cura de Ecclesiasticorum redituum recta administratione. Hanc, ut penitus evelleret, nihil, nisi utiliter, volebat expendi, sæpissime commemorans, eorum rationem divino Judici reddendam; & mihi aliquando hac super re differenti dixit, *mandatum a se Archiepiscopalium censuum Procuratori, ne teruntium ullum ex iis profundi sineret, cujus male expensi causam esset Deus aliquando exacturus*. Quamobrem trifariam reditus hujusmodi dividebantur; eorumque partem primam in familiæ alendæ sumptus, alteram in egenorum subsidium, & hospitum necessitates, tertiam in Templorum ornamentum expendendam constituerat. Quare ratione dati, & accepti solerter exposita, in Provincialibus Conciliis coram Patribus administra-

quemdam Germanus Princeps: num citius novum Pontificem electum iri appareret? Cui ille: Citius certe habebimus; si comitiis interierit Cardinalis Borromeus. Neque falsus vates fuit; nam intra diei unius spatium novo exemplo renunciatus est Pontifex Caroli operâ Gregorius XIII. Aliàs Trajanus Spandrius Rhandi Sacris Præpositus, conquerens apud Cardinalem de Archiepiscopalis Procuratoris diligentia, responsum hoc retulit: *Siquid grave tibi imperetur, habebis semper paratum in me perfugium; neque enim quidpiam contra, aut præter jus agi sinam*. Glussianus hujus historiæ scriptor novum maturitatis morum exemplum in Tabulis affert. Cum ille Præfectus esset inter ceteros Collegii Helvetici administrationi, a Carolo accepit supplicem libellum, in quo Pharmacopola Collegii oscitantiæ rens arguebatur. Sed cum Pharmacopolæ ejusdem operâ Cardinalis uteretur, Glussiano rem integram deferre voluit in hæc verba: „ Hunc ego homi„ nem probum censeo; sed cum mihi operam suam „ locet, timeo, ne ineptus in hac causa judex sim. „ Tuum igitur erit consulere, ne quid detrimenti „ Collegium capiat; neque quidpiam mitius causa „ mea statuas; Nam, licèt recta mihi sit de hoc „ homine opinio, falsa tamen me opinione labo„ rare non posse quis affirmet?

(*a*) Fatigavit sæpe Pontificias aures precibus suis, ut levem quemcumque infixum animo scrupulum evelleret. Optavit veniam aliquando, ut in lustratione Diœceseos liceret sibi cibum vespere sumere Quadragesimæ tempore; si gravia tamen incidissent negotia. Aliàs rogavit, ut Canonicis suis quæstionem exercentibus, de Sacerdotibus ad Titulos promovendis, fas esset ab Odeo abstinere. Denum, cum sibi demandata a Pontifice provincia esset, ut diligenter curaret, persolvenda a debitore quodam IV. nummum millia Cardinali Atestino, Speciano rescripsit: „ Cum mihi onus incumbat solicitandi „ debitoris, ut summam hanc numeret, atque illam „ egomet a debitore accipiam, semper mihi hære„ ret molesta ea cogitatio, nisi numeraretur: de„ sideratam in me aliquam diligentiam fuisse; hinc „ dubitationem hanc illud periculum sequeretur, „ ne ego pecuniis meis debitoris oscitantiam sup„ plerem. Quare cura, ut me apud Gregorium „ hoc onere liberes.“ Guillelmi Sirleti vota repudiavit præterea, qui oraverat, ut filiam suam e Sacro fonte susciperet; respondens: „ numquam „ passurum, se reum male educatæ prolis esse; „ nam, cum illa Romæ nutriri deberet, Ipse com„ mode non potuisset eamdem Christianis institutis „ erudire, ut Susceptores decet.

Digitized by Google

ſtrationis ſuæ calculos inibat, & tamquam Chriſti patrimonii reus, optabat procurationem ſuam exacte ab omnibus dijudicari. Non enim ſuum appellare audebat, quod ſuæ dumtaxat fidei Deus commiſiſſet. Hiſce de cauſis, quoties labes abſterſurus conſcientiæ per Confeſſionem, ad Sacrum Tribunal accederet, fatebantur electi ad id muneris Judices, prælata Caroli Sanctitatis face, ſuam ipſorum illuſtrari mentem; ſeque rectam virtutis ſemitam edoceri, cum cenſores Illius vitiorum eſſe viderentur. Hæc P. Adurnus teſtabatur, qui, cum Magiſter Sanctitatis eſſet, tamen ponere ſe ſub Borromeo virtutis tyrocinium affirmabat; neque aliter ſentiebat Grifidius Robertus Metropolitani Collegii Theologus, qui audiendis Illius Confeſſionibus quotidianam operam navabat.

In Urbe Brixienſi cum frequentiſſima eſſet Civium illorum Synaxis; propter Miniſtri cujuſdam incurſionem intempeſtivam, delapſum e Caroli manibus Sanctiſſimum Chriſti Corpus in pavimentum inciderat. Acerbiſſimus ex hoc caſu S. Antiſtiti inuſtus eſt dolor, & octiduum auſtero jejunio macerare corpus voluit, imo ad quatriduum Sacro abſtinere. Protrahendus adhuc videbatur hic animi dolor, niſi a propoſito Illum dimoviſſent ſuorum preces, cauſantium, plus damni, ceſſante Sacro, redundare in populum, utpote cum ſacro Cibo deſtitueretur, quem ex ſuis manibus unice percipere optabat; quam in Ipſum ex illo dolore poſſe derivare utilitatis. Præter quotidianam Confeſſionem culparum, cumulabat Caroli innocentiam alia ſemel, aut bis per annum facta Confeſſio, in qua omnes eo anno ſuſceptas maculas eluebat, dum ſacris exercitationibus vacaret, & tanta animi intime commoti ſignificatione, ut lacrymas præ dolore plurimas effunderet. Hoc ſaluberrimum Illi uſque ad vitæ exitum inſtitutum fuit; ſed multo ceteris ſalubrius propter exemplum, quod ex Clero, & Populo imitati ſunt plures. Addebat inſuper exemplo vocem, ſæpe ſuadens ſuis, ut in ſolitudinem ſe ad aliquot dies abderent, ut ibi Domini ſermonem *ad cor loquentis* audirent. Nimirum expertus probe noverat, hoc pacto mentem divino lumine illuſtrari, & diſcrimen inter caduca, & æterna ita patêre conſiderantibus, ut facilius illa reſpuant, hæc conſectentur.

Hæc erant ad noxas avertendas, & noxarum pericula a Carolo comparata remedia: alia tamen Ille excogitavit, ut naturam ipſam pronam ad prava pro virili emendaret. Quamvis enim criminoſum non videatur noſtrarum voluntatum, & appetitionum cauſas naturales, & antecedentes ſequi, quæ in noſtra poteſtate non ſunt; repugnabat tamen naturæ, quæ blanda conciliatrix, & quaſi ſui lena a Philoſophis dicitur; cum noſſet, obſecundantem ejus motibus animum virtutem infirmius ſectari, & inſitam cæleſtium rerum meditatione ſuavitatem deguſtare minus ſolere. Hac itaque ratione omni ex parte perfecta virtus, & ab omni labe aliena in Eo eminebat adeo, ut domeſticos ſuos tacita quædam Illius veneratio caperet; & ſiquando ullum ex iis malefacti alicujus vexaret recordatio, conſtrictum Borromei conſcientiâ teneri crimen ſuum vereretur. Quare unum ex Illius Vicariis novi, qui Cardinalis colloquium antequam peteret, omnes animi ſordes per Confeſſionem eluere conſueverat: metuens, ne ſanctiſſimæ mentis obtutu cordis arcana omnia Ille pervaderet, præſertim cum nonnulla aliquando occultiora conſilia in vaticinantiis ſpeciem aperuiſſe aliquibus diceretur, quod non levibus apud multos indiciis plane conſtabat. Hac inſita hominum animis ſui opinione, divinum certe quiddam tantæ virtuti ineſſe omnibus prænuntiabatur.

CAPUT XXIX.

De ſumma in rebus omnibus religione, & fide.

OMnem labis, tenuiſſimæ licèt, maculam a ſe ipſo abſtergens, & præcavens Borromeus, liberum veluti campum nactus, nullo potuit impedimento retardari, quominus rectum ſemper contento curſu ſequeretur. Nihil apud Eum valuere officia Principum,

Digitized by Google

pum, Propinquorum gratia, aut ſtudia amicorum, neque etiam admotæ aliquando preces armatæ, ut tranſverſum unguem ab honeſto deflecteret. Inſita Ejus animo pietas, & ad favendum prona voluntas permovebant ſemper, ne triſtem quempiam ſine beneficio dimitteret: Verumtamen, cum amorem prudentia moderaretur, inſtituti retinens ſui, permoveri ſe, niſi juſta de cauſa, patiebatur; difficilemque ſe, imo invictum præbebat, ſi quid de ſanctionibus ſuis, aut de inducta morum diſciplina ut minueret, rogabatur. Ajebat enim: *e minimis aliquando clementiæ principiis majora ſemper damna proficiſci, & rerum deinde omnium ruinam conſequi*. Quare quod ſemel eſſet ſancitum, licèt nullius momenti videretur, nunquam voluit antiquari; atque eamdem Vicariis, & Adminiſtris ſuis legem indixerat. Quibus de cauſis invecta in hanc Eccleſiam aliquando diſciplina, aucta ſemper, & amplificata mirifice eſt, cum illius progreſſiones nullus unquam objectus obex retardaret. Itaque quamcumque juberet, ſine ullo diſcrimine pertinere ad omnes legem volebat; infirmis metum, potentioribus conſtantiam objiciens, ne illi impune, hi præfidenter decreta convellerent. Hinc nimiam eorum Antiſtitum facilitatem ſuggillabat, qui aliorum votis, niſi juſtiſſimis, indulgerent legum diſpendio. Opportune hoc loco ſubit, quod vidiſſe me hac in Urbe memini. Conſtrictus vinculis Collybiſta, atque ære alieno oppreſſus, cum in ergaſtulum traheretur; forte ex ſatellitum manibus elapſus in Templum proximum veluti ad aſylum confugerat. Creditores triſtes, amiſſa præda, quam veluti obſidem pecuniarum ſuarum habebant, interpoſitis Præſulis cujuſdam officiis, illius e Templo abſtrahendi facultatem a Romana Curia impetraverant. Unus miſerrimo homini auxilio fuit Borromeus, præter voluntatem; nam, ut intacta Eccleſiæ jura ſervaret, Præſulis primo ejuſdem facilitatem nimiam acri per literas objurgatione perſtrinxit, & Summo Pontifice commonito, revocandum mandatum, utpote Eccleſiaſticæ auctoritati inimicum, & levi de cauſa factum, curavit. Quo tempore Virginum clauſtra ex Tridentini præſcripto ſeverioribus, quam antea, legibus muniebat; ex Primariis Urbis noſtræ Matronis aliqua cum audiſſet, gravi morbo correptam Filiam in Monaſterio quodam decumbere, copiam ſibi illius adeundæ fieri poſtulavit: quo matris amantiſſimæ voto intellecto, plus diſciplinæ Virginum, quam illius amori conſulturus, libere reſpondit in hæc verba: *Brevis admodum tibi erit Filiæ videndæ voluptas; ſed diuturnius omnibus moderatione tua ſtatuetur exemplum, ut decreta noſtra integra maneant; quandoquidem tua in tam gravi cauſa Monaſterii clauſtris adeundis abſtinentis auctoritas ceteros ad imitationem excitabit; atque exinde exemplum tuum proponere potero, ut reliquas omnes in officio contineam*. Suave hoc, & amoris plenum reſponſum fuit in cauſa, ut Matrona Borromei officioſis monitis victa, repulſam ferret eodem animo, quo voti compos fuiſſet. Par ferme inerat Illius vocibus comitas, quotieſcumque leges ſuas ſine diſciplinæ diſpendio tueri vellet, nec ullum novimus, qui a ſpe obtinendæ rei dejectus, a Cardinalis colloquio triſtior, quam venerat, rediret.

Vicit tamen ſe ipſum Carolus, cum de ſervanda Juſtitia, quæ omnium Domina eſt, & Regina virtutum, ageretur. Excubabat quammaxime in Vicariorum ſuorum, & Curiæ univerſæ mores; atque una hæc curas ferme omnes abſorbebat. Nequem lateret Æquitatis ordo, in lucem libellum ediderat, in quo ſingula enucleate deſcripſerat a Judicibus, & adminiſtris exequenda: neque ſeveriorem in Areopago judicandi methodum antiquitas certe admirata eſt. Inimica legibus impedimenta quæque de medio ſuſtulerat, propoſito edicto, ne quis capi ſe pecuniâ, aut deliniri munuſculis ſineret; cumque intelligeret, enervari jura non raro, aut utilitatis, aut propinquitatis, aut gratiæ occulta vi quadam; ne hiſce de cauſis ullus ex ſuis ab æquitate deflecteret, externos homines ſemper in Curiam induxit, qui, cum minus conjunctas habeant rerum ſuarum cum Civibus rationes, minore etiam juris minuendi periculo laborarent. Sed quemadmodum ab exteris viris jus dici; contra a

ſuis

Digitized by Google

ſuis dumtaxat adminiſtrari Eccleſiam voluit. Meditabatur enim hac ratione quamdam veluti in Urbe hac Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcholam inſtituere, ex qua probatiſſimi in futuram ætatem adminiſtri proficiſcerentur. Quamquam èt Ipſe vivens hujus induſtriæ fructum tulit; quandoquidem, cum optime eruditum Metropolitanum Clerum, ſe inſtitutore, videret, gaviſus eſt, domeſticum hunc Sacrorum ſplendorem in agri etiam Mediolanenſis Templa hoc artificio redundaſſe. Sed, ut ad Caroli Curiam redeamus, unde obiter deflexímus: familiares omnes vetuerat officia ſua ad permovendos Judices interponere. Cumque legibus non ſatis devinciri horum animos formidaret, aut ſuam Ipſius vigilantiam eludi poſſe; addiderat legibus Cenſores. Quos enim Urbis, & Diœceſeos Viſitatores elegerat, cenſuram in Vicarios, & Curiæ adminiſtros exercere juſſerat; neque aliorum contentus opera, ſuam ſæpiſſime non recuſabat adjungere, cum iiſdem aliquoties captivos inviſens, eorumque cauſas ab ovo, ut ajunt, ſibi exponi jubens: tum rogans ab iis, num apte conſultum miſeris eſſet, ne quis paternam benevolentiam in Carolo etiam Judice deſideraret. Quamobrem, ſi quid negligenter actum, aut remiſſe ab Adminiſtris intelligeret, pro re nata appoſite providebat; imo aliquando pœnam etiam a Judicibus abeſſe noluit, quos a domeſticorum numero expungebat, ut ſemel cuidam pro accepto munuſculo contigiſſe compertum eſt.

Summi Pontificis, Regum, ac Principum Virorum, qua florebat, gratia effecerat, ut plurimi ad Illius præſidium implorandum confugerent; neque Ipſe pro ea, qua ſingulos complectebatur, benevolentia, ullius preces repudiabat, niſi ubi non admodum juſtam rogandi cauſam eſſe in rogantibus intelligeret. Tum enim amori minus indulgere malebat, quàm a recto deſciſcere. Plena lacrymarum Mater, quæ, Filio captivo, extremum ſupplicium metuebat, ad Eum Romæ degentem venerat. Commotus intime materno dolore Cardinalis paternum induerat animum, miſerrimæ ſobolis calamitatem ſublevaturus. Verumtamen audito, contra jus vitæ illius beneficium peti, naturam vicit; neque Judicum ſententiæ quidquam refragatus, unam mollium verborum mœſtiſſimæ parenti conſolationem admovit, quo unico officio non lædi æquitatem autumabat. Ceterum tantus ſemper in Eo verborum candor fuit, ut nullum fucatis, ùt aſſolet, verbis deliniret, ſed animum cuique ſuum aperiret libere, neque ſententiam diſſimularet; quamobrem, ſi poſtulatis indulgere non poſſet, palam ſe aliud ſentire declarabat, & ne aſperius agere videretur, repulſæ cauſam addebat, ut non obſequi ſe votis nolle, ſed omnino non poſſe teſtaretur. Hoc Illi inſtitutum jamdiu ab iis temporibus fuerat, quibus Romæ, vivente Avunculo, rerum ſummam moderabatur. Nam, cum initio aulico more aliquantulum imbutus, inani ſpe nonnullos paſceret, quibus deinde juſte indulgere non poterat; videretque poſtmodum, quæ data ab aliis putabatur, fidem eſſe neceſſario frangendam, novit ſibi in alterutram ſemper eſſe partem peccandum: idcirco ſaniori conſilio exinde ſtatuit nulli verba dare, neque ullius credulitatem officioſis verbis irretire; quare nudum Illius pectus ſemper univerſi viderunt. Itaque, ſiquando aliqua rogaretur, quibus aſſentiri aut minus liceret, aut minus expediret, aperte quod ſentiebat, dicere conſueverat, Tenedia, ut dicitur, bipenni nodos omnes exſolvens; imo omiſſis ſermonis ambagibus, ſi ineptam, aut indecoram poſtulationem audiſſet, evellere ex aliorum mentibus falſam opinionem, aut ſpem conabatur, qua ſe inaniter lactabant, & contracto quandoque ſupercilio emendare poſtulantium audaciam non verebatur, præſertim ubi Animarum diſpendium timeretur: Ea nimirum ingenuitas fuit, ut nec fronte occultaret ſententiam. Tantam ex hoc verbis ſuis habere fidem omnes ſolebant, ut, ſi certum aliquando quiſpiam de re futura reſponſum retuliſſet, impetratam procul dubio crederet; quis enim ullam Borromeo fallaciam exprobrare poſſet (*a*)?

Hanc in ſententia dicenda veritatem neque

(*a*) Quam recte ſe gereret in rebus ſuis Cardinalis, docebit ſequens epiſtola, data ad Bernardinum

neque pudor unquam, neque timor obruere potuit; & licèt auctoritatem Principum Virorum, & Summi etiam Pontificis maxime coleret, nihil juſtæ reverentiæ illis detrahi poſſe putavit, ſi hoc libere loquendi more cum ipſis etiam uteretur (*a*). Reverâ aucta Caroli exiſtimatio fuit, poſtquam nulla opprimi dignitate libertatem Illius viderunt; nec quidquam grave in Pontificis, aut Procerum conſultationem venit, de quo Borromeus ſententiam non rogaretur. Nimirum, cum nullo Eum duci humano ſtudio, aut favore viderent, certum, & ſine fuco reſponſum opperiebantur. Quanti Illius conſilium faceret, docuit Cardinalis Henricus, poſt Sebaſtiani Regis obitum ad Luſitaniæ Regnum evectus. Hunc vix inauguratum infinitæ circumſtabant curæ: recolentem animo futuras, ſe moriente, in Luſitania turbas; cum ex Regia Familia unus ſupereſſet, & inire conjugium, Sacris initiatus, non auderet. Urgebant eum Procerum vota poſtulantium, ut ad depellendas, quæ timebantur, tempeſtates, impetratâ a Pontifice veniâ, liberis dare operam non gravaretur. Verumtamen novum videbatur, ſe Cardinalem, atque Archiepiſcopum tot ſacra, quibus tenebatur, vincula diſſolvere; quare duriorem Pontificem poſtulatis fore apparebat. Ad expugnandam Gregorii voluntatem uti Borromeo oratore voluit, utpote amiciſſimo, & Cujus aliàs operam, ac ſtudia prompta, atque expoſita habuiſſet. Aperuit per literas nuptiarum cauſas, quas Regni Proceres, adjectis etiam ſuis precibus, confirmavere. Ille, re intellecta, cum ſingula attentius expendiſſet, ſtatuenſque, peſſimum novo hoc conſilio exemplum invehi, ex quo infinita in futuram ætatem mala timerentur, reſpondit: fuiſſe aliquando Principes, qui a re uxoria voluntarie abſtinuiſſent: præſtare Regnum hærede privari, quam caſtitate Sacerdotem: Succeſſorem a Deo dandum: Si illud populorum votum eſſet, poſſe Pontifici exponi, cujus libera vox eſſet expectanda (*b*). Ad Gregorium deinde ſcribens, ſententiam adje-

---

num Cribellum Procuratorem ſuum, qui, audiens a Nobili Mediolanenſi Senatore oblatam operam ſuam, ut cum Demarcho *de Las Naos* jurgia omnia componeret, felix nuncium abſenti Carolo miſerat: „ Age „ gratias verbis meis Senatori Caſtilionæo, qui li„ bens operam omnem ſuam detulit, ut mihi hac „ opportunitate faveret. Neque ego officium ſuum „ recuſo, dummodo ſuas, quæ erga Regem eſſe „ debent, partes impleat; nam, ſiquid cauſa mea „ contra jus agendum ſit: nec ſuum eſſe debet mihi „ diligentiam ſuam deferre, nec meum uti. Adde „ præterea, me hac occaſione ingenue ſententiam „ meam aperire, & commonere, ut, quoniam ex „ tribus iis Senatoribus eſt, qui edocere cauſæ ſta„ tum Demarchum debent, hoc unum ſpectet, ne „ veritas lateat, & pateant errores, qui hactenus „ in hiſce diſſidiis notati ſunt; quo facilius Eccle„ ſiaſtica poteſtas Regia auctoritate ſuſtentetur, quem„ admodum decet Dei gloriam, & adminiſtros pii, „ ac vere Catholici Regis.

(*a*) Auream in Borromeo ingenuitatem quis neget? Sane Comes Georgius Trivultius, qui Romæ diligenter quidquid a Carolo, vivente Avunculo, geſtum eſt, inſpexit, teſtatum nobis reliquit: „ Numquam eum deflexiſſe a jure, cum rerum „ ſummam adminiſtraret: commendationes verò „ aliorum ita eluſiſſe, ut illi ipſi, qui ad Ejus pa„ trocinium confugiebant, triſtiores ſemper ab Eo „ redirent: hinc nunquam ſe recepiſſe id oneris, „ ut quempiam Carolo commendaret, ne a curſu „ ſuo Juſtum deflecteret." Quare Marco Antonio Boſſio, qui enixe cauſam, quæ agenda erat, Ejus tutelæ commendaverat, in hæc verba reſpondit: „ Nunquam putaſſem, eam te animo imbibiſſe opi„ nionem, ut crederes, tam levibus de cauſis poſ„ ſe me a jure deſciſcere; verum, quoniam evelle„ re hanc opinionem debeo, aperte dico, me in ea „ cauſa nec debere, nec velle ea omittere, quæ jus „ poſtulat, ratione alia omni poſthabita." Bonhomium etiam aliquando, qui per ambages aliqua ſcripſerat, ſic libere reprehendit: „ Ex quo apud „ Helvetios es, mihi ſane videris Helvetiorum in„ genium induiſſe, qui leviſſima de cauſa ſuſpicioſi „ ſunt; videris horrere parturituros montes, cum „ fortaſſe naſcituris ſit ridiculus mus.

(*b*) Præſtat audire integrum Caroli reſponſum, quod latine, & fideliter redditum hic ſubjicimus:

S. R. M.

„ HUmaniſſimæ Majeſtatis Tuæ literæ ea me cer„ te voluptate affecerunt, quam facile men„ te etiam aſſequi M. T. poteſt; præſertim cum „ viderem, tantam obſequentiſſimi ſervi tui memo„ riam Regio adhuc animo infixam hærere. Ve„ rum, quod ad illud ſpectat, de quo M. T. me „ conſulere dignata eſt; video utrinque tot adeo „ contraria, eaque ſummi momenti inter ſe con„ fligere, ut difficile admodum videatur, alteru„ trum certò ſtatuere, niſi deliberanti adſit Divi„ num lumen, quod mentem eo ſplendore illuſtret, „ ut liceat illud potius decernere, quod cum Or„ thodoxæ Reipublicæ beneficio, cum Dei honore, „ & gloria magis conjungatur. Equidem hinc ante „ oculos obverſantur M. T. tempora, Regni iſtius „ periculum, & futura tempeſtas, quæ facile Re-

„ giæ

adjecit ſuam: & ſane, feliciſſimo ad Eccleſiaſticam diſciplinam exitu, nuptiis Cardinalis abſtinuit; neque ullum conſequutum eſt Luſitaniæ incommodum, quandoquidem Optimus in illius locum Rex ſuffectus docuit, nihil eſſe unquam homini timendum præter Religionis diſpendium. Tanta erat in Caroli verbis fides, tanta conſtantia etiam, cum in Illius conſilio Regni tam nobilis cauſa, & ſumma verſaretur.

Itaque veritatem, cujus cultor Ipſe erat egregius, in ſuis etiam diligere mirifice conſueverat. Quamobrem peſtem morum aſſentationem execratus, bellum quoque aſſentatoribus indixerat, quorum nullum aluit unquam, neque aditu, aut conſuetudine dignari voluit. Ut hujuſmodi hominum præcaveret inſidias, illorum, quos ejus furfuris noverat, nomenclaturam penes ſe habebat: averſatus animo captioſas eorumdem illecebras, & mellitas dicendi formulas, quibus ne fucus ſibi fieret, ſemper verebatur. Contra ſincere ſecum a domeſticis, atque ex animo agi optabat; & ſententiam ab iis præſertim certam ſine ambagibus exigebat, quos ad Eccleſiæ ſuæ provinciam aliquam admoviſſet. Aderam coram, cum hac ſuper re quemdam ex Adminiſtris ſuis acriter corriperet. Hic enim ab Eo ſententiam rogatus de cauſa quadam, quæ in conſultationem venerat, quemadmodum fit, reſponderat: *Illuſtriſſime Domine, ſi libere depromere*

„ giæ familiæ orbitatem conſequerentur: Inde multæ proponuntur cauſæ, de quibus graviſſimum „ videtur poſtulatum M. T.; cum tota antiquitas „ nullum monumentum ſuppeditet, quo doceamur, „ Sedem Apoſtolicam pari in cauſa cuiquam unquam indulſiſſe, & tot aliena nimium a nuptiis „ nomina M. T. ornent: Cardinalis nimirum, & „ Archiepiſcopi. Legimus quidem, CCC. ante annis liberatos eſſe religionis, quam profeſſi erant, „ vinculo, & Diaconatus legibus abſolutos nonnullos; nullibi tamen, quantum memini, occurrit „ indultum hac in parte Sacerdotibus fuiſſe; ſi tamen de optimæ notæ Scriptoribus loquamur. „ Quamquam alia etiam, quæ innui, exempla incerta admodum videntur; quandoquidem Ramiri „ Arragoniæ Regis, qui Monachus, & Diaconus „ erat, & Siculorum Reginæ Conſtantiæ nuptiæ a „ ſummis Scriptoribus in dubium vocantur. Quod „ ſi etiam hæc, atque alia hujuſmodi exempla pro „ certis haberentur, nunc tamen in diſpari cauſa „ verſari certe videmur; imò M. T. expendat velim, „ ea Pontificia beneficia, ſi tamen conceſſa ſunt, „ in Orthodoxæ Reipublicæ perniciem, & contra „ opinionem deinde vertiſſe; quoniam Conſtantia „ orbi dedit Federicum II. Imperatorem, qui non „ modo nullam Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, „ & pacem attulit; ſed acerbiſſimum Sanctæ Sedi „ bellum indixit: Ductor etiam factus turbarum, „ quæ Orthodoxam tranquillitatem funeſtis Guelphorum, & Ghibellinorum factionibus miſerrime vexarunt. Neque votis reſpondit facta Ramiro Regi connubii poteſtas; nam ejus Regni poſſeſſio „ demum ad Comites Barcinonenſes pervenit. Præterquamquod exempla hujuſmodi libertatis iis permiſſæ, qui religionis vinculis tenebantur, ætas „ prima adoleſcentis Eccleſiæ nulla depromit; nam „ iis temporibus obſervantiſſima Canonum vigebat „ apud Orthodoxos Chriſti diſciplina; aliqua autem „ dumtaxat apparent, poſtquam refrigeratus diſciplinæ ardor fuit; hinc ipſe deinde rerum exitus „ infelici eventu creditur hanc legum imminutionem improbaſſe. Contra vero non defuere Regia etiam dignitate ornati eximii Viri, inter quos „ præcipue commemoratur Henricus I., ſive, ut alii „ malunt, II. hoc nomine Germaniæ Rex, qui vel „ inter ipſas connubii illecebras conſtitutus, ejus „ uſu tamen ſemper religioſè abſtinuit, cum illum „ magis virginitatis, quam filiorum, amor teneret. „ Quare, ſi liberis, cum poſſet, iſte operam dare „ laudabiliter noluit, eo decentius ab iis gignendis „ ille debet abhorrere, qui cœlebs vitæ ſuæ, & dignitatis inſtituto eſſe cogitur, Hoc etiam Majeſtatis Tuæ petitioni accedit valde incommodum: „ quod nova nimis contra Eccleſiæ ſanctiones libertas inveheretur, & omnino ſejuncta ab ea ſplendida utilitate, quæ his nuptiis obtenditur. Obſtat enim procreandæ ſoboli, vergens in ſenium „ M. T. ætas, & parum firma valetudo; neque „ quidquam a vero alienum dicerem, ſi certus „ M. T. periculum vitæ ex hoc conſilio imminere, „ quàm ullam in eo prolis ſpem eſſe affirmarem. „ Quantum habendæ prolis libido obeſſe poſſet ætatis viris ſoleat, locuples teſtis erit Ludovicus XI. Galliarum Rex, & poſtremus Mediolani „ Dux ex Sfortiarum Gente Franciſcus, qui poſt „ paucos a nuptiis menſes inter vivos eſſe deſierunt, nec ullos, quibus Regnum relinquerent, „ hæredes filios habuere. Quibus de cauſis in re „ tam implicita, nullum iniri tutius, atque tranquillius conſilium poteſt, quàm ſi Regni neceſſitas, eaque omnia, quæ in hujuſmodi negotium „ cadunt, defigantur ſincere, & ſine ullo præjudicio ante Summi Pontificis oculos, a quo, utpote „ Dei vices gerente, optima expectari poteſt deliberatio; præſertim cum ſperandum ſit, Illius „ mentem divino lumine opportuniſſimo perfundendam, quandoquidem ea de re agitur, quæ maxime ad Dei gloriam, & Orthodoxæ Reipublicæ „ utilitatem pertineat. Ego interim, ut M. T. impriis obſequar, rem hanc Deo enixe commendare non deſinam: quod ut faciam, etiamſi tuum „ abeſſet imperium, infinita etiam nomina, quibus „ M. T. obſtringor, certe compellerent. Adjungam „ inſuper efficaces aliorum preces, & *beatam immaculatam Deo Patri luminum* per me, & alios offerendam curabo. Ex Vico Decimo XI. Calendas „ Sextiles. MDLXXIX.

Digitized by Google

mere mihi licet, quod sentio, effabor. Hoc Carolus audito proemio, contracta ocyus fronte, *An tu*, inquit, *aliquando minus libere dicis? Certum hoc habe: nunquam me tibi Amicum fore, si aliud dices, quam sentis; neque ejus utar unquam consuetudine, cujus verba ab animo dissentiant.* Hæc præfatus, fusius deinde persecutus est hujusmodi impostorum mala, & vitia honesto homine indigna, & animadversione dignissima. Apte deinde sermonem conclusit, asserens: singularem in amicos fidem, decere quammaxime Christianum Virum, atque eos præsertim, qui in consilium adhibiti, operam reipublicæ sive sacræ, sive profanæ moderatoribus adjungunt. Divinus mihi audienti certe visus est sermo, in quo mirifice tum Ejus sapientia, tum animi candor eluxerunt (*a*).

CAPUT XXX.

De liberalitatis suæ magnificentia.

SIngulas Borromei virtutes enumeranti mihi, deinde etiam universas contemplanti difficillimum videtur unam aliquam præ aliis designare, quæ inter ceteras quodammodo obtinuerit principatum. Quotquot enim familiarius Ejus consuetudine delectabantur, adeo earum perstrinxit splendor, ut nihil in singulis apparere viderent præstantius. Pontificalem Mediolani Historiam cum describeret Franciscus Besutius, ad Carolum veniens, ut Ejusdem virtutes proponeret: quidquid in Antistitum aliorum rebus gestis præclarum sparsim occurrebat, in epitomam quamdam redegit; cumque omnia uni Borromeo convenire diceret, affirmavit: ea, quæ trigintaquinque Ejus Prædecessorum acta illustraverant, decora miro Sanctitatis compendio in Eum unum confluxisse universa. Hinc illud sequitur, ut summam in hoc Cardinali religionem, contemplandi studium, pietatem, æquitatem, ceteraque animi dotes hactenus admirati, summum etiam quodammodo liberalitatis apicem tenuisse Eum certo pronunciemus. Nihil sane Illo magnificentius excogitari poterat, sive remunerandi, sive donandi, sive demum effundendi aliqua offerretur occasio, eaque præsertim, quæ aut ad divini honoris incrementum, aut ceterorum utilitatem redundaret. Itaque sibi, suisque commodis detrahere non dubitabat, ut aliquid alienis rationibus adjungeretur: sibi veluti additum putans, quidquid aliis operâ suâ accederet (*b*). Neque hìc vacat repetere, quod sæpius hanc historiam legenti occurrit; liquidò enim patebit, tantam ab Illo opum ac pecuniarum vim distractam, ut, nisi Ejus actiones singulas virtus egregia semper moderata fuisset,

(*a*) Aliquando, cum legisset oblatum sibi supplicem libellum, ex quo amicum suum in ære alieno esse apparebat, statim literas ad hunc dedit monens, ut quidquid deberet, prompte numeraret; secus a se intentatum actionem iri, ut quantocyus nomen dissolveret. Aliàs Liviam Castaldam Mediceam Marignani Dominam, & Affinem suam voti expertem dimittens scripsit: „ Patieris, credo, repudiatas a me preces tuas; nimirum cum de Sacerdotiis agitur, nec soleo, nec debeo quidquam hominum gratiæ tribuere; sed unum præ oculis „ Deum habeo. “ Ceterum semper docuit in epistolis suis, a se abesse omnem fallaciæ suspicionem. Nam, quoties Amanuensis propter quemdam scribendi impetum res aliquantulum amplificaret, dum eas de more Carolus corrigeret, modum semper quemdam vocabulis imponere voluit; quare interspersa sæpius additamenta sunt, & corrigentis particulæ, *versam, ut puto, quemadmodum audio, si vera audivi*, & his similia. Denique nihil unquam dissimulavit, in quo labem latère aliquam appareret. Legens aliquando datas a se literas, & a Curiæ Cancellario, nomine adjecto confirmatas, cum novisset additam die festo nominis subscriptionem; statim hominem notavit. Item animadvertens, dum Brixiæ esset, ad diem Novembris VI. omissum in Calendario Ambrosiano monitum, de addenda *Dominicæ Officio* S. Leonardi commemoratione, eadem die literas ad Galesinium dedit, erroris sui commonefaciens.

(*b*) Emolumentis non raro se abdicavit suis, ut alienis commodis serviret. Humiliati Ordinis Sacras Virgines in Sancti Martini Varisiensi Monasterio ornavit eo beneficio, ut tritici modios, & vini metretas aliquot, quæ sibi quotannis debebantur, splendide condonaret. Item, cum Belitione esset intentanda quæstio in Medeliæ Villæ incolas, qui propter annuum censum in ære suo erant; noluit primo Cardinalis, hunc illis dolorem inurere, ut coram se controversia ageretur; quare Gorino quodam Centurione, & affini suo, uti interprete voluit. Cum vero Medelienses dicerent, fore in Archiepiscopi Archivo documenta quædam sibi opportuna; Cardinalis statim ad Vicarium suum literas dedit, imperans, ut patère iis Tabularium omne sineret, & documenta hauriri etiam, quæ jus suum oppugnare viderentur.

Digitized by Google

set, cum nullis definita terminis Ejus liberalitas videatur, periculum esset, ne imperitus quispiam tantam Munificentiæ laudem nimiæ largitionis vocabulo dehonestaret. Quapropter, cum illud semper in largiendo servaret, quod recto virtutis ordini conveniret, Liberalitatem hujusmodi splendidum, atque magnificum humanarum rerum contemptum placet appellare. Quæ quidem sententia videtur fuisse eximii cujusdam viri, qui ad Gregorium XIII. de Caroli interitu scribens, asseruit: Borromeo extincto, exhaustum esse fontem Ecclesiasticæ liberalitatis.

Pressius jam, sed veluti per congeriem hujus virtutis nobilissima exempla evolvamus. Romæ plura excitata sacra ædificia, auctus S. Praxedis Templi decor, argentea ingentis pretii Candelabra Liberianæ Basilicæ dono oblata, Attalica plurima, argentea alia, & opulenta supellex pluribus Romanis Delubris attributa, aut hospitalibus locis, horti, atque ædes Marco Antonio Columnæ addicta, atque infinita alia jam commemorata luculentissima sunt eximiæ, & miræ liberalitatis testimonia. Adde dimissos perhonorifice ex familia octoginta Nobiles, & plebejos homines, quorum famulatum nobilissimis donis remuneratus est; ex quo egregiam sane laudem tulit: admirantibus universis, cessante illorum opera, unam Caroli munificentiam cessare non potuisse. Minus tamen effusus sibi videbatur, nisi ceteros etiam ad parem largitatem impelleret. Concilii Tridentini exitum retardaturi erant immanes sumptus, qui Pontificium ærarium afflixerant, nisi Caroli consilia accessissent. Absterrebant Avunculum Pontificem frequentes, ac sumptuosæ in Germaniam, aliasque Provincias Legationes, subsidia eroganda in commeatus, & Tridentinæ Urbis sublevandam inopiam: conquerebantur Quæstores ærarii dispendium; Unus tamen Cardinalis Illius curas abstergebat, horum obruebat voces, objecta universæ Ecclesiæ utilitate, quam tanto etiam opum detrimento optime redimi commonebat. *Verti in hoc Pontificiam dignitatem*, ajebat, *& bene profundi Ecclesiasticum Patrimonium, quod adeo Hæreticorum oculos offenderet.* Splendidum deinde susceptum a Pontifice, Ipsius hortatu, consilium de Carthusianorum excitando Asceterio, & Templo ad Diocletiani Thermas quantam magnificentiam indicat Pontificis tantum onus in se recipientis, & Borromei ad strenue ferendum hortantis. Omitto additos Bononiensibus stimulos, dum eorum Urbem Legatus moderaretur, ut summo impendio publici Athenæi moles ad eam, quæ hodie suspicitur, lautitiam perduceretur. Prætereo publicum in foro fontem, artis vere Phidiacæ spectaculum omnium oculis, unâ Caroli munificentiâ propositum: quarum rerum dignitatem ex hoc uno placet expendere, quòd magnifica semper Borromei vota implevere. Verum multo ampliora hujus virtutis trophæa Romæ defixit, tamquam in arce Palladium. Quot enim Cardinales, ac Præsules summis ab Eo beneficiis aucti, cumulatique discessere? Quæ quidem beneficentia semper aut sublevabat inopum spes, aut literatorum hominum studia acuebat; quorum temporibus Borromei liberalitas nunquam nova, sed sæpius inexpectata sponte occurrebat (*a*).

Ea tamen veluti miraculo fuit largitas, qua eo tempore usus est, cùm maxime intercipienda esse videbatur. Nam, cum pluribus repudiatis Ecclesiasticis censibus, arctiores sibi Ipse beneficentiæ limites quodammodo circumscripsisset, novam liberalitatem ex virtute sua, imminutis reditibus, deprompsit; qua effectum est, ut nisi suam ad benefaciendum operam miseris adjun-

(*a*) Petrus Victorius in epistola sua ad Eum data XVI. Cal. Jun. MDLXV. hanc eximiam beneficentiam commendavit: „ Ad amorem, quo prosequeris hones-„ ta studia, atque artes has liberales, revertar: de „ quo si forte aliquis dubitaret, præclarum specimen „ his ipsis diebus dedisti, cum curasti, ut Guillelmus „ Sirletus, vir haud magna cum re, sed fide plenus, „ ut de Q. Ennio M. Tullius literis mandavit, in am-„ plissimum vestrum Cardinalium Collegium coopta-„ retur . . . . . Exploratum est, illum tuæ gra-„ tiæ, auctoritatique potissimum datum esse: Teque „ ipsum tuis humeris ad sublimem istum gradum ho-„ noris evexisse, captum doctrina hominis egregia, „ & vitæ honestate singulari.

Digitized by Google

jungeret, ſaltem alienam a ſe excitatam offerret. Infinita extant in hac Urbe, atque Diœceſi hujuſmodi munificentiæ teſtimonia, ex quibus patet, Illum, paulatim cum libenter effudiſſet omnia, vicariam veluti ſuæ liberalitatis ſemper aliorum operam habuiſſe. Breviter nonnulla attingam, quæ vel Ejus effuſis opibus, vel aliunde impetratis perfecta ſunt, cum ſingula aſſequi percenſendo me poſſe deſperem. Sacras Ædes exuviis ſuis collucere omni ex parte juſſit, alias hinc reficiendas, aliquas de integro excitandas, hinc aras ornandas decentius, hinc luculentiori ſupellectile inſtauranda Sacraria aut in ſe recepit, aut piorum hominum religioni commiſit. Seminarium Mediolanenſe ut Alumnorum contubernio accommodaret, nobiliſſima aulæa auctioni ſubjecit; Plures autem agri Mediolanenſis pagos, qui in ære Archipræſulis erant, annuis cenſibus facile abſolvit, cum Præfecti Templorum curæ eos ſibi tamquam præſidium ad lautius habendas ſacras Ædes depoſcerent. Metropolitanam Baſilicam abunde rebus ſuis ornavit; Phrygia ſcil., & auro intexta peripetaſmata ingentis pretii a ſe in ejuſdem jura tranſtulit: Veſtes ſacras, quæ præcipuum hodie etiam Templi ornamentum ſunt, atque argentea vaſa multis aureorum millibus æſtimata eidem addixit. Excitavit funditus Canonicorum ædes ea pompa, & artificio, ut nihil par, & ferme nihil ſecundum Italia admiretur. Ex ædibus ſubterraneum aditum ad Baſilicam aperuit ſingulari Architectonices magiſterio, & incredibili officiorum ſuorum ſedulitate; utque nullus ex Metropolitano Clero abiret expers beneficentiæ ſuæ, hoſpitalem domum ſenibus antea deſtinatam, neque longius diſſitam cedere in uſum Canonicorum minoris ordinis voluit; neque interim, dum iſtis conſuleret, ſenum curam abjecit, quos in commodiorem deinde locum traduxit. Alibi, itemque ſæpius docuimus, quot reditibus nobilem hunc Ordinem augeret; & quamvis ad univerſos liberalitatem ſuam pertinere voluiſſet, cumulatiorem tamen in eorum aliquot oſtendit, cum duodecim, & amplius etiam ex eo Collegio domi inſuper aleret, ut ad ineundum canonice vivendi inſtitutum facilius, atque ſuavius alliceret. Archiepiſcopales ædes refecit, amplificavitque: Sacellum privatum, majorem penetralium numerum, carceres, & miro ingenio excogitatam ſtabuli formam pulcherrimo ædificio adjunxit. Hinc mirum accidit univerſis, quod poſt tantam profuſam pecuniarum copiam vis item ingens auri adhuc ſuppeteret, qua complures ab exteris Provinciis diligenti conquiſitione collectos viros, & ad ſe evocatos viatico inſtrueret ex ærario ſuo, magnificis ornaret ſtipendiis; imo alendos ſtudiorum cauſa in publicis Scholis, & nonnullos etiam gravi impenſa titulis, & laurea decorandos curaret. Multiplices hujuſmodi curas graviores etiam aliæ ſubibant pro alumnis in Seminario, atque Collegiis nunc decentius veſtiendis, nunc muniendis libraria ſupellectile, pro eorum inopia, atque opportunitate ſtudiorum. A privatis deinde ad publicas hominum Sodalitates beneficia convertens, hinc Societatis Jeſu Patres, hinc Theatinos, nunc S. Pauli Clericos Regulares, modo Oratorii Sacerdotes, aut Oblatos, hoſpitales convaleſcentium a morbo, mendicorum, Orphanarum Virginum domos, pios Sodalium cœtus, uno verbo, quotquot Ejus auxilio indigerent, opibus, cibis, Sacerdotiis, cenſibus, fundis, privilegiis, ædificiis ſuſtentavit, fovit, auxit, corroboravit, refecit, inſignivit, cumulavit. Sed inter tot, quæ me circumſtant undique, largitatis monumenta, redit iterum ad ædificationes ſermo. Ticinenſe Collegium, cui immortalis tantæ virtutis fama, non autem Cardinalis voluntas Borromei nomen dedit, a fundamentis excitatum, cum ex peritorum hominum ſententia principem inter Ejus Ordinis ædificia, locum obtineat, aperte docet, tam admirandam molem non ab alio, quam a Carolo authore excogitari, & perfici potuiſſe. Gropelli, quo aliquando ſecedere ſolitudinis cauſa conſueverat, poſtquam Templum, mox Parochi ædem ædificaſſet, Villam etiam, ſibi, ac Succeſſoribus ſuis profuturam ad honeſtam quietem, extruere aggreſſus eſt, in qua

tamen Eccleſiaſticus decor emineret, non luxus. Sed inchoatum opus repentina mors intercepit, ut pateret, uni ſibi liberalitatem ſuam prodeſſe non poſſe; Federicus deinde Cardinalis Borromeus abſolvit, Antiſtes vere divinitus datus, ut imperfectis Caroli operibus extremam, & parem certe manum apponeret. Maximum ad Orientalem Portam Seminarium haud multo poſt ejuſdem exordia ſplendidis periſtyliis, amplis cubilibus, & magnifico cœnaculo inſtruxit: Canonicæ ædes domeſticis commodis, & aſceterio auxit; ut tandem præteream Nobilium adoleſcentum Collegium, in quo atria, atque ædes amplificavit; atque tria inſuper in Diœceſi Seminaria, ubi opportunum nihil deſiderari eſt paſſus ad contubernalium commoditatem. Jam vero difficulter perſequar, quot Illi impenſis ſtaret recta Eccleſiæ ſuæ per Judices, & Vicarios adminiſtratio. Abundabat Ejus Curia viris pietate, & ſcientia eximiis adeo, ut qui recte regendi inſtituta ſibi proponere vellet, a Carolo ſemper hac in parte exemplum caperet, & laudabiliter ſequi poſſet. Et ſane ſtupuit Urbs noſtra, tot adminiſtris Diœceſim hunc regi, quæ ante Borromei ætatem unum vix, eumque deſidem Vicarium habebat, qui ad clavum, abſente Archipræſule, ſederet. Itaque, ut tot egregios unus Dux milites numeraret, quanta æris ſumma fuit eroganda! Si evocarentur, donis erant pelliciendi: Venientes, in viæ incommodis ſuſtentandi: Deinde Curiæ addicti, opulentis ſtipendiis augendi. Nulla illis menſæ, cibique cura erat, quæ Cardinalis curabat: Nulla ſupellectilis, quam Ille honeſtam inſtruxerat: Nulla famulorum, quos eorum ſervituti percommode adjunxerat: Nulla librorum, quibus referta patebat omnibus Biblioteca (*a*): Nulla demum, ſi in morbum incidiſſent, Medicorum; quandoquidem frugaliter ſanos accipiebat, laute ſemper agebat cum infirmis. Hæc autem in ſe omnia receperat, ut liberata moleſtis hujuſmodi cogitationibus, ſuorum mens diligentius ad commiſſi Gregis cuſtodiam incumberet, & Domini liberalitatem ſolertiâ ſaltem ſuâ rependere domeſtici non gravarentur. Dati, acceptique rationes inire cum domeſticarum rerum Procuratore aliquando voluit; quibus comparatis, cum ſibi creditos ex ære alieno trecentos nummos eſſe conſtaret, opulentiam veluti ſuam admiratus, *magis decorum eſt*, inquit, *Epiſcopo, ſe in ære aliorum eſſe, quam alios habere in ſuo; Verumtamen Mediolani Archiepiſcopo pudendum eſt, minus quam tria nummorum millia debere.* Mox ſacras veſtes ad Metropolitani Templi ornamentum comparandas mandavit, quarum pretium hanc ſummam perfecte æquaret. Tanta certe in omnium oculis defixa liberalitas Eccleſiaſticis ſuis incitamento fuit, ut Sacra omnia, & Templa ſplendidius, quàm fieri poſſet, ornarent: veriti nimirum tacitum Borromei probrum, quòd comparatis jam opibus non uterentur, cum Ipſe obventuras etiam in Eccleſiæ uſum conferret.

Hæc tamen quotidiana erant benignitatis experimenta. Alia fuere minus frequentia, ſed magis admiranda, quibus prodeſſe etiam Principibus viris ſolebat, atque iis, quorum operâ non indigeret. Recenſuimus alibi præclara munera, quæ Regum magnificentiam, & ſuam decerent optime religionem. Jam juvat exponere, quibus oneratos donis domeſticos a ſe dimitte-

(*a*) Nobiliſſima Carolo fuit Bibliotheca. Etenim quæ olim Julii III. Summi Pontificis fuerat, dono eam ab Avunculo acceperat. Eam opulentiorem etiam fuiſſet habiturus, niſi mors interveniſſet. Nam conditum jam cum Cardinali Sirleto fuerat anno MDLXXXII., interprete Galeſinio, cujus in hanc rem literas legi, ut ad Caroli manus poſt Sirleti mortem perveniret libraria illius omnis, eaque pretioſa ſupellex. Verumtamen in tam copioſa opulentia Galeſinius ſæpe conqueſtus eſt, Carolum fuiſſe egentiſſimum. Scilicet, cum fovere aliorum literas ſummopere conaretur, ingentis etiam pretii codices dono pluribus conceſſit; aliis utendos permiſit. Seminarii, Oblatorum, & Patrum Societatis Jeſu Bibliothecæ Caroli muneribus ornatæ ſunt. Domeſtici vero tot opes etiam diſtraxere. Conqueſtus eſt aliquando Galeſinius, Brixiæ a ſe repertos Borromei libros, & vaſtatam ferme a P. Aduino, aliiſque Bibliothecam Archiepiſcopi. Cui Carolus repetenda eſſe, reſpondit, volumina, quæ otioſa eſſent; ſed concedendum facile, ut cuicumque literato eſſe liceret. Quod ad pecuniarum ſubſidium ſuis oblatum pertinet, reperio domeſticis majoris ordinis numeratam CC. aureorum annuam ſummam, tum menſam, & famulos ſubminiſtratos.

Digitized by Google

mitteret. Multos aliquando vel disciplinæ impatientia, vel impar peragendis rebus solertia ab Ejusdem famulatu avertit. Verumtamen missionem pœnitendam minus faciebant dona, quibus abeuntes prosequebatur: eorumque tantus aliquoties splendor fuit, ut pestilenti anno, cum timor subeundæ mortis nonnullos ab Ejus obedientia absterruisset, statim ex familiarium numero eos Carolus deleverit quidem; ducentis tamen numeratis in capita nummis, magnifice eorum formidinem ulcisci voluerit. Institutæ, & crebro restitutæ de Archiepiscopi jure in Hispaniis, & Romæ controversiæ, vorago quædam, & scopulus Illius redituum fuere; sed ut sartam tectamque Ecclesiasticam auctoritatem servaret, gravissimum non recusavit subire pecuniarum dispendium, sive in excitandis doctissimorum virorum ingeniis, ut jura sua ad recti normam expenderent, sive in Patronis Romam mittendis, sive demum in tabellariis, & certis hominibus hac una de causa in varias regiones destinandis. Caroli a Basilica-Petri in Hispanias, & Lusitaniæ fines legatio, quæ multos menses tenuit, uno Illius ære sustentata est. Plura expedita negotia sive in Romana Curia, sive impetrata Privilegia non levem nummorum summam exhausere. Empta etiam sunt incredibili largitate Helvetiorum Procerum in turbatis Ecclesiæ vel suæ, vel alienæ temporibus opportuna officia; & avidissimam auri nationem facillimam in vota habuit. Facilius tamen Fidei integritati Mediolani consuluit, ubi ducentos annuos nummos Quæsitori in causis Fidei numerandos ex ærario suo mandavit, ut gravem, quam ille sustinebat personam, aptiori etiam ad gradum dignitate ornaret. Infinitum esset singula liberalitatis suæ genera percensere; cum nullus ea ætate Mediolani extiterit, qui se expertem alicujus beneficii sui testari posset. Tanta enim munificentia, ut in proverbio est, fundum non habuit, & quæ largiendo Carolus non potuit, agendo saltem beneficia contulit.

Liberalitatem hujusmodi, quæ spectabilem adeo sanctum Antistitem fecerat, aliis etiam Ille voluit esse commendatissimam (*a*). Qua de causa domesticarum rerum procuratores abesse quammaxime ab omni avaritiæ suspicione optabat, ne alienis spoliis onusta munificentia triumpharet. Quem familiari rei curandæ præposuerat, audiit aliquando, nimis in eam curam incumbere, ut Archiepiscopales census augeret iis etiam artibus, quæ Ecclesiasticum virum non omnino decerent, etsi nihil unquam ab eo contra jus actum apparebat. Solicitum habuit Carolum levis hæc Procuratoris macula, atque ad se coram domesticis evocatum vehementi oratione perstrinxit, allegans: non unum dumtaxat Episcopum, sed ejus etiam administros nullam præ se ferre debere cupiditatis opinionem: Fulgere Antistites non divitiarum splendore, sed rerum humanarum despicientia: Importunum opum amorem in administris, tenebras quasdam Domini exemplis offundere: demum intercipi hac ratione Animarum fructum, qui summam dumtaxat liberalitatem consequitur. Vulneravere adeo Procuratoris animum hæc dicta, quæ asperiora præter morem visa sunt, ut, cum paulo post æger decubuerit, & deinde etiam extinctus sit, nonnulli crediderint ex hac Caroli oratione tanto mœrore illum oppressum, qui mortem posset afferre. Certe in tantum hæ voces valuere,

(*a*) Quæ peculiaris Borromei fuit liberalitas, eam semper ab aliis postulavit. Monuerat aliquando Carolum Specianus non sine gaudii ostentatione, quod CC. aureos in nascentis Collegii Helvetici subsidium a Pontifice impetrasset: Cui Carolus respondit, *pusillum eum animum esse, qui tam levia munera faceret*. Hinc preces admovit, ut CD. impetrarentur; & revera obtinuit. Verumtamen nunquam in rebus inanibus pecuniam voluit collocari. Optaverat Specianus, ut egregii artificii sacram Tabulam emeret; verum Ille sciens eam Speciani esse, rescripsit, *accepturum se, si offeretur dono; nam quidquid in hæc minus necessaria impenderetur, id totum pauperibus detrahebatur*. Idem, utpote Procurator suus, rogaverat, ut certum sibi pro curis demandatis designaret stipendium; nam identidem solum pro diligentia munerari eum consueverat. Hoc Carolus audito, reposuit: *Gravem sibi impensam videri; ut pro negotiis suis incertis certam auri summam expenderet*. Hoc vere splendidum est, opportune uti magnificentia.

Digitized by Google

re, ut exinde paribus uti formulis Carolus neceſſe nunquam habuerit.

Cauſidicorum autem jurgia, & forenſem ſtrepitum ſuis maxime in cauſis refugiebat. Hoc Ille ſentiebat in judiciariis de re ſua actionibus, ut, ſi de privato dumtaxat, quod ad ſe pertineret, negotio ageretur, ſine judicio potius cauſa cadere ſponte vellet, quam Judicis ſententiam expectare. Excipias tamen velim, inſtitutas de Eccleſiaſtico jure controverſias, eaſque cauſas, quæ propter commune Dignitatis vinculum tenuis etiam damni parte Succeſſores ſuos contingere putarentur; neque enim tunc actionem intendere, & perſequi jus ſuum etiam pecuniarum diſpendio gravabatur. Paulo poſt Avunculi Pontificis interitum Procuratores ſui Romæ litem Cardinali cuidam intulerant propter annuum duodecies mille nummorum cenſum percipiendum, quem ad Borromeum ſpectare affirmabant. In Sacræ Rotæ Tribunali quæſtio pendebat, & quædam in limine controverſiæ agitata ita ex Judicum ſententia Caroli cauſæ favere dicta ſunt, ut ſummam omnem Illi adjudicatum iri facile conſtaret. Vix optime inclinari rem Hic præſenſit, juſſit, interrupta actione, judicium conſiſtere, & de jure ſuo voluntarie decedens, atque adverſariis largitus, quod optabant, ſcripſit: *Nolle ſe humanis hiſce de cauſis animum a divinis abſtrahere: Indecorum eſſe in Fratrem judicio contendere; Stare hoc infixum animo, ut nullam exinde de privata re ſua cum quopiam controverſiam inſtitueret: præſtare in cauſis pati, quam agere: jurgiis hujuſmodi ſeri diſſidia, non dirimi; & perceptam ad adverſariis hiſce de rebus moleſtiam, non ſatis redimi quantocumque rei humanæ incremento: nihil demum ſibi magis probari, quam pacem atque tranquillitatem.* Hoc Borromei conſilium, qui ex proximo in opulentum hunc cenſum imminebat, Romæ Pontifex Pius V., ceterique Cardinales pleno ore laudarunt; cum ſaluberrimum tanta moderatione exemplum dediſſet, quod a nullo Ipſe accepiſſet, & ab Ipſo in poſterum accepturus vix quiſpiam crederetur. Infinita alia poſſem congerere, quæ abunde declararent nullis definitam terminis Illius liberalitatem. Quam quidem virtutem ita ſemper moderatus eſt, ut nunquam a recti finibus deflecteret, ſed æquo ordine & Dei, & Fratrum amori unice accommodaret. Quapropter, cum tantam auri vim effunderet, ne minimam quidem æris partem aut ineptis, aut levibus de cauſis ſibi, ſuiſque commodis unquam impertivit, atque adeo de affinium ſuorum commodis cogitationem omnem abjecerat, ut nullius excitandi, aut reficiendi ædificii curam ſuſceperit, quod aut Gentis ſplendorem augere, aut Familiæ rationes adjuvare putaretur. Eum dicere ſolitum accepimus: *Nihil de Eccleſiaſticis cenſibus eſſe in Epiſcopi poteſtate præter diſpenſationem: Idcirco Epiſcopi liberalitatem non in eo ſitam eſſe, ut largiatur, quibus velit; ſed iis, quibus debeat.* Tamen, cum largitate eſſet Carolus immani, modum illi aliquem adhibuit, ſiquando virtutis hujus ſplendorem labes aut inanis gloriæ, aut nimiæ delectationis poſſet inficere. Studebat enim, ne, dum ceteris beneficia adderet, partem ſibi aliquam ſanctitatis detraheret. Idcirco, cum aliquando ad Eum acceſſiſſet alienigena parem nobilitati corporis cultum præferens, & eleemoſynam ab Eo pudibundus poſtulaſſet: Cardinalis veſtium magnificentiam conſpicatus, ſplendide donare hominem conſtituerat. Mox ſecum perpendens tacitus, in hac liberalitate famæ potius captandæ deſiderium, quam virtutem latêre, vim cupiditati ſuæ intulit, & periculi ſui magis, quam alienæ inopiæ ratione habita, denariolum argenteum petentis manibus inſeruit; nec tenuius unquam certe aliquem a ſe donatum dimiſit. Verum tenue hoc donum fortaſſe gravius liberalitati ſuæ, quam Nobilis illius egeſtati fuit. Adeo vel in donando parcitas admirabilis in Borromeo fuit (*a*).

CA-

(*a*) Mirum illud videtur in Carolo, quòd cum liberaliter ſua profunderet, exigere tamen etiam laudabi-

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De Hospitalitate.

EXimiam liberalitatem affinis virtus consecuta est Hospitalitas, quam ex Pauli Apostoli monito intelligebat maxime omnium dignam Episcopo. Patebat itaque Illius perhospitalis domus non egenis dumtaxat civibus, verum peregrinis etiam, atque exteris, cum hopitii sui jura communia cuicumque hominum generi, atque nationibus universis feciisset. Nequem vero ab ædibus suis aut pudor depelleret, aut ignoratio, Nobilem quemdam ex familiaribus hospitio præfecerat, cujus curæ imposuerat, ne ullum ex Cardinalibus, Episcopis, Præsulibus, aut corum Procuratoribus Mediolano iter facere sineret, quin expositio omnibus beneficio uteretur. Idcirco excubabant ad diversoria certi homines ex Præfecti mandato, qui, simulatque accedere illuc hujusmodi viros intelligerent, se ocyus commonerent. Quapropter monitus de eorum adventu Præfectus, ad eos festinabat, deducebatque officiosissime ad Borromei ædes, in quibus illis, servisque, ac jumentis abunde omnia instructa erant. Ubi vero Provinciæ suæ, aut Transalpinos Antistites aut Urbis, aut Ecclesiæ hujus fama huc evocasset, liberaliter ipsos excipiebat Cardinalis, & tanta benevoli animi significatione, ut arcana animi etiam præfidenter sibi aperirent, & libere se ad Illius disciplinam aspirare non raro faterentur. Quare menses aliquot Caroli consuetudine delectabantur complures; dumque apud se essent, si lustratio Diœcesis aliqua incidisset, habebat laboris comites: dum cœtus privatos cogeret, aut Synodos congregaret, adesse testes optabat. Collegia, & Seminaria, curabat, ut secum adirent, & regendorum modum, instituta, & leges edocebat: Non raro in Pontificalium curarum partem vocabat, sive ut ritibus eos sacris erudiret, sive ut dignitatem illorum Civibus commendaret; hinc modo in Sacerdotibus inaugurandis, aut initiandis, nunc in Ædibus, aut Aris consecrandis, vestiendis Virginibus, atque hujusmodi obeundis collocari sæpius eorum operam gestiebat. Quæ amoris testificationes deinde erant in causa, ut frequentius ad Eum diverterent exteri Antistites, Episcopalis veluti disciplinæ tyrocinium posituri. Qui vero huc itineris causa deflecterent, & imparati ab necessariis rebus advenirent, aurum, & præsens sive vestium, sive jumentorum subsidium desiderare non poterant, cum egentibus non implorata adesset Borromei liberalitas. Præstabat sæpissime hæc omnia Carolus; cum trans Alpes concitatam ab Hæreticis tempestatem complures calamitosis illis temporibus Episcopi fugerent, qui Romam veluti ad asylum contendebant, aut cum ad Limina Apostolorum visenda ex Tridentini præscripto festinarent. Nihil enim curabat solertius, quam ut dignitatem Antistitum externo etiam nitore, ac cultu ornatam Populi oculis offerret. Hæc cum sanis adhiberet officia, incredibile dictu est, quantam in infirmos benevolentiam veluti effunderet. LXXVI. supra sesquimillesimum anno redux Roma Antistes, citius trans Alpes rediturus, Mediolanum advenerat. Ibi dum apud Carolum esset, importuna vis morbi oppressit. Assidere illius lectulo Cardinalis, curare, siquid opus esset, postmodum, intellecto mortis instantis periculo, sacra Mysteria manu sua porrigere, atque Extrema Unctione munire, demum morientem

---

dabiliter solebat, quod pendendum a pecuniosis hominibus erat. Hinc, cum differri pensionis solutionem postularet Cardinalis de Gambara, causatus importunæ grandinis damna; per Procuratorem respondit Carolus: „ Parum se ejus damno commoveri: „ facile posse numerari sibi quod debebatur, si de „ Gambara pretiosa aulæa, & opulentam supellec„ tilem vendidisset.“ Certe Cardinalis hujus luxum sæpe amicè increpuit, & lepide alibi ad eumdem scripsit: „ Non igneras, quantum tibi obser„ vantiæ deferam; atque optem, ut mea omnia tui „ sint juris. Utinam tua juris sint mei; nam sum„ mopere vellem, datam mihi hujusmodi potestatem „ Bagnajæ in Villa tua exercere, ubi juberem, are„ scere sumptuosos illos fontes tuos, & immode„ ratis expensis tandem finem, aut modum aliquem „ imponerem.

Digitized by Google

tem opportunis monitis, & officiis corroborare non deſtitit. Neque illius mors beneficentiæ occaſionem eripuit; ſumptibus enim ſuis curari ejuſdem Funebria ſplendide voluit adeo, ut, quæ extrema videtur calamitas longe a ſuis interire, Epiſcopo illi ſumma felicitatis fuiſſe crederetur.

Principes vero, & nobiles Viros, licèt ab inſtitutis ſuis alienos, cum haberet hoſpites, gratiſſimam veluti occaſionem ſibi oblatam arbitrabatur, qua æternæ felicitatis illis comparandæ aut aditum patefaceret, aut viam muniret illuſtriorem. Neque enim is dumtaxat propoſitus Illi finis hoſpitalitatis fuit, ut corporibus ſolum neceſſaria ſubſidia afferret, verum animæ potius remedia conſiliis, atque exemplis compararet. Gemina hæc itaque cùm ſemper in hoſpitibus quibuſcumque ſpectavit, tum maxime in Principibus Viris, atque Dynaſtis excipiendis. Ejus hoſpitio uſi fuere Andreas Bathorius ex Regis Poloniæ Fratre Filius, qui ſecum quinquaginta equitum comitatum habebat: Viginti ſecum duxit equites Petrus Cajetanus, cùm apud Eum fuit, in Belgium belli cauſa profecturus. Venêre Annibal Altempſius, Vaſtallæ Princeps Cæſar Gonzaga, Marcus Altempſii Filius, aliique ex Gonzagarum Gente, omnes cum magnifico comitatu, ut complures alios prætream: Atque hac occaſione primores Civitatis adhibere convivio conſueverat in ædibus ſuis, ut parem eorum dignitati honorem deferret. Interim Exteros ſimul, & Cives perhonorifice habebat adeo, ut ſplendorem Illius Sanctitas, Sanctitatem viciſſim ſplendor commendaret. Hinc omni benevolentiæ ſignificatione ornati diſcedebant hoſpites, & tanta Illius virtutis capiebat admiratio, ut aut ægre divelli, aut libentiſſime redituros ſe ad Ejus conſuetudinem teſtarentur. Illud tamen admirationem augebat ſemper, quod magnificentia nihil unquam Eccleſiaſticæ moderationi detraxit, ſed ſuis ſemper hæſit temperantiæ legibus etiam, cùm ſolitum morem excedere Carolus videbatur (a). Domeſtica ſcilicet retenta eſt cum hoſpitibus cujuſcumque Ordinis conſuetudo, ut in ædium triclinio cibum coram domeſticis ſumerent, & epularum ſuavitatem ſacra ſemper lectione condirent. Satagebat hujuſmodi exemplum aliorum etiam mentibus infigere, præſertim apud Cardinales, & Eccleſiarum Antiſtites, quod ad ſuas ædes utiliter referrent; nec ſane propoſitum ſemel ab Eo ſequi gravati ſunt complures ſacrorum hominum. Siquando ex Helvetiorum, Rhætorumque Provinciis Proceres exciperet, in quorum Ille Nationem ſingulari ſemper benevolentia ferebatur, ut adjutores in Fide Orthodoxa amplificanda, aut tuenda haberet, vim quamdam conſuetæ ſuavitati ſuæ inferebat, ut totam effunderet. Cum ipſis accumbere, iiſque etiam uti cibis, quibus de more abſtinebat, non recuſabat; vino etiam aliquantulum indulgere, ut receptum apud eos bibendi morem moderate bibendo imitaretur: accommodare demum ſe inſtitutis ſuis, & moribus non dedignabatur, ut ſe ipſum ſimul, atque eos vinceret. Adeo ingenioſa caritas minus ſapere cum inſipientibus docebat, ut ex Apoſtoli exemplo *omnibus omnia factus, omnes ſalvos faceret*.

Hinc facile effectum eſt, ut continenti ferme exterorum, peregrinorumque agmine ædes ſuæ redundarent. Invitabat ſcilicet tacite repugnantes oblata ultro, nec precibus fatiganda Borromei humanitas. Confluebant ad Eum Germani, Belgæ, Angli, Scoti, & ex Provinciis Tranſalpinis innumeri homines tum profani, tum ſacri; cum

(a) Paratum omnibus erat in Caroli Ædibus hoſpitium adeo, ut ſæpiſſime tertiam eorum partem, qui in triclinio Ejus accumbebant, hoſpites exteri conſtituerent. Cardinalem Ateſtinum in Gallias proficiſcentem excepit cum L. nobilibus Viris, qui eumdem honoris cauſa deducebant, quatridui ſpatio, & immani ſumptu. Hoc tamen voluit, ut luxus omnis abeſſet, & nitor unice in ſupellectile retineretur. Carignani dum lateret, audiit, ad Ædes ſuas Cardinalem Novocomenſem velle divertere. Ocyus ad rei domeſticæ procuratorem ſcripſit: „ut „curaret ſibi commodanda aulæa ex picto corio; „quæ ſi aureum aliquod ornamentuum haberent, „ſtatim detraheret; atque iterum deinde aptaret, „cum eſſent reddenda.

Digitized by Google

cum ipse Urbis Mediolanensis situs opportunitatem quamdam ab Alpibus venientibus afferat, propter quam ad eam divertant. Idcirco triginta non raro, aut quadraginta ex alumnis præcipue Germanæ nationis, quos Gregorii liberalitas ad Romana Collegia evocabat, ad Carolum ex via deflectebant, & facile ad Eum revertebantur, cum regredi ad Patriam post literarum studia molirentur. Pervium enim illis erat, & gratis apertum in Illius ædibus tamquam diversorium, quo uti, & frui libere velut jure suo possent. Hìc amantissimum Patrem, atque Magistrum Religionis nacti, ad Fidem augendam monitis, & efficaci sermone inflammabantur, & siquid in reliquum viæ subsidii opus esset, facile impetrabant. Et quoniam dissеminata alibi fuerat tantæ benignitatis fama, augebatur ipsâ hospitalitate supervenientium hospitum multitudo. Illa una Sanctitatis suæ, quam hominum animis infixerat, opinio erat in causa, ut exteri, & Nobiles complures coram Eum agnoscere cuperent, & consuetudine, ac colloquiis delectarentur. Alios etiam compellebat necessitas, utpote qui de gravibus negotiis cum Eo agere, aut subsidia ad animæ remedium poscere cuperent. Sed omnium maxime Ipsius alliciebat humanitas; cum tanta lenitate gravitatem temperaret, & adeo officiosa inesset suis dictis urbanitas, ut nec suæ, nec aliorum dignitati unquam deesset, & publicis curis, & privatis distractus, utrisque semper egregie perfungeretur. Præfectum cubiculo monuerat, ut nomenclaturam eorum, qui in dies advenirent, sibi quotidie recitaret: veritus fortasse, ne aliorum incuriâ desiderari in se quidpiam officii posset. Verum tanta hospitum frequentia, & advenientium, & recedentium, ut assolet, tumultus nihil domesticæ disciplinæ turbabat, & cum novos quotidie hominum vultus Familiares aspicerent, nihil tamen, quod suum non esset, intuebantur; equidem eam morum modestiam præferebant aliorum exemplo edocti alienigenæ, ut omnes unius familiæ, atque ejusdem instituti credidisses. Hunc veluti virtutum in omnibus concentum mirificum ipse Cardinalis effecerat, qui jusserat, ab hospitibus præscriptas domesticis leges servari: quamobrem ad vespertinas preces recitandas in Sacello conveniebant universi, aptam ad meditandum materiam ibidem audiebant, sacris colloquiis, piisque juxta morem exercitationibus vacabant: neque dignitas hospitum eos hac lege solvebat; cum Antistites præsertim, atque Ecclesiasticos viros imitari hæc instituta Carolus optaret, ut pium haurirent Mediolani exemplum, quod frugiferum suis esset. Eodem liberalitatis genere etiam aliena in urbe usi sunt, quicumque ad Borromeum, vel Borromei tecta diverterent. Nam Romæ ædes ad S. Praxedis, quæ sui juris erant, esse etiam in aliorum jure voluit; cumque illic anno LXXV. supra sesquimillesimum Ipse Jubilæi causa degeret, expensis suis, imperavit, ut omnia præberentur non Mediolanensibus dumtaxat, sed alienigenis etiam, præsertim Helvetiis, & Rhætis, quotquot frui Illius beneficio desiderarent. Tantum domesticæ supellectilis, atque esculentorum copiam Caroli hospitalitas exhausit, ut, cum Publicani tantâ rerum copiâ instrui Borromei domum viderent, in aliquam fraudis suspicionem præsidenter venirent. Urebat avidissimum hominum genus expers de more vectigalium, invecta in penuariam, & vestiariam Archipræsulis cellam vis ingens rei domesticæ; cumque alienam liberalitatem ex sua avaritia metirentur, conquesti acriter cum Regiorum redituum Supremo Moderatore, eumdem impulerunt, ut ad Cardinalem accederet, rogaturus, ne obfuturos ærario Regio procuratorum suorum dolos fovere vellet, qui supra domesticam Ipsius necessitatem procul dubio Cardinalis nomine abuterentur, ut publicanos vectigalibus fraudarent. Benigne legationem Carolus excepit; & *quæ sunt Cæsaris, reddere Cæsari* paratissimus, ut exacte rei veritatem inquireret, jussit, ad se dati, & accepti libros deferri: in quibus dum diligenter rationes singulas evolvit, liquido apparuit, omne fraudis periculum abesse, cum emptæ, atque in Civi-

tatem

tatem invectæ res optime quotidianis usibus responderent: interim adnotatum ea occasione fuit, trecentos hospites mensis unius spatio in Ejus domo exceptos fuisse. Sic exempta ocyus omnis infidelitatis dubitatio fuit; quamquam nec quisquam, ut importunam, publicanorum suspicionem accusavit, cum tanta effusio omnem certe fidem excederet.

Revera non istos dumtaxat anxios, atque solicitos habuit Caroli largitas; verum etiam rei domesticæ procuratores; cum impares Caroli census infinitis hujusmodi sumptibus judicarent. Supputabant, quamquam exacte supputare non poterant, cum nullus finis largiendi esset: supputabant, inquam, magnam auri vim in eleemosinas erogari, alias insuper extra ordinem expensas, quas in dies augeri intelligebant. Quamobrem adeo querelis suis Cardinalis aures obruerunt, ut rem seria consultatione certe indigere responderit. Vocatur itaque domesticum concilium: rogat præsentes procuratores suos sententiam: hinc enumerat, quantum æris opus sit in quotidianos sumptus, inde liberalitatis utilitatem, ac fructum commemorat. Variæ diutius audiuntur consultorum sententiæ. Quid expectamus? Cum res implicita admodum videretur, laudat utrinque audita consilia: demum reus Ipse, & judex controversiam omnem dirimit, & insigni sententia nodum hunc Gordium solvit, inquiens: *nihil imminuendum esse de consueta largitate; quandoquidem, si impares reditus domestici viderentur, par certe expensis etiam majoribus Divina Providentia esset.* Sic sublata quæstio est, quæ Carolo inutilis videbatur: qui, cum omnia, quæ haberet, Deo accepta referret, sperari etiam posse credidit, quidquid forte deesset. Nimirum præ omnibus liberalitatem Ipse æstimabat, ut domesticarum rerum curatori aliquando reposuerit in hæc verba: *Episcopum decet hospitalem esse; quare si virtutem hanc illi velis detrahere, splendidius certe eripis, quod apud homines, & Deum habere possit ornamentum.* Sed tantum abfuit, ut revocare Cardinalem ab hoc instituto familiares possent, ut rationem imo ante obitum novam excogitaverit, qua hospitalitatis hujusmodi jura inauditâ etiam lege firmaret. Ut Cleri disciplinam, & sancta instituta communiret, jamdiu curaverat, ut quam in Ecclesiis suis virtutis normam, & morum sanctimoniam Sacerdotes præseferrent, eamdem in Urbem advenientes retinerent. Itaque, ut omnem vitiorum occasionem venientibus adimeret, decreto sanxerat, ne ad cauponas unquam diverterent, & pervium illis apud ædes suas hospitium instruxerat, nitida supellectili, quæ necessaria tamen videretur, ornatum: addideratque congruum piorum servorum numerum, prout expediens in rem videbatur. Suas insuper adjecerat leges, propter quas, canonicam veluti, vivendi disciplinam in eum locum invexerat. Quod maxime opportunum imperitis erat, ære quidem alebantur suo; verumtamen ita moderabantur expensas Præfecti a Carolo destinati, ut tenui pretio laute haberentur: nimirum & multitudo non leve sumptuum compendium faciebat, & cura non venalis administrorum. Cum tamen Ejus magnanima Caritas nollet fortasse, sibi meriti ullam particulam decerpi, cum in illius communionem hoc pacto venirent etiam hospites; præsertim vero cum magnis profectibus Caroli virtus in dies augeretur: sub vitæ exitum rationem Ille invênit, ut majorem excogitare hospitii munificentiam non posset. Voluit, quidquid pro excipiendis exteris expedire sui cognoscerent, id totum ære suo curaretur. Itaque domesticis negotiis præpositum Antonium Senecam jussit, novos inire calculos pro supellectili instruenda: augeri servorum numerum, qui esculenta pro hospitibus, & stipendia sua omnino ex Archiepiscopi penu, atque ærario acciperent. Sed idem ferme consilii hujus initium, atque exitus fuit, non eo quidem, quòd sententiæ susceptæ Borromeum pœniteret unquam; sed quòd invida mors tantam Illi laudem, & Ecclesiasticis hominibus commodum intercepit. Quamquam verisimilius videtur,

Deum

Digitized by Google

Deum Optimum Maximum noluiſſe, Caroli benignitatem tamdiu præmii expertem eſſe, cum vinci ſe nunquam hominum munificentiâ patiatur, & virtutis deſiderium æque, ac virtutem ipſam ſoleat remunerari. Placet etiam audire ex Carolo, quæ ad id conſilii rationes Ipſum impulerint. Domus enim Præfecto, ærarii cenſus funditus affligendos hoc pacto eſſe, & extremam conſecuturam inopiam, vere objicienti reſpondit: *Jam id deliberatum eſſe omnino; & ſe Cleri utilitatem domeſticis rationibus anteferre: Etenim Eccleſiaſticos homines hac benignitate victos, cogitationem omnem in ſacris negotiis unice abdituros: Plures inpoſterum ex Sacerdotibus haud ita facile gregem deſerturos; cum a ſuis abſentes, ſubire Archiepiſcopi oculos deberent; nec unquam niſi juſta de cauſa abſuturos, aut ultra neceſſarium tempus: omnia etiam ab iis abſore pericula, quæ frequentiora eſſe in Urbibus ſolent: Eccleſiaſticam diſciplinam non eſſe intermittendam hoc pacto; ſed locum dumtaxat mutandum; imo ſanctiores redire poſſe fortaſſe, quàm veniſſent. Demum hac Sacerdotum frequentia continuatam veluti Synodum celebratum iri; cum ex hoſpitibus Eccleſiarum, & Plebium neceſſitates cognoſci, & ſublevari facillimum eſſet.* Hæc erant rationum momenta, quæ Carolum facile ad tam effuſam hoſpitalitatem adduxerunt; ſed tot opportunitates alia etiam non minor utilitas conſequuta eſt: Eccleſiaſticorum ſcilicet a Caroli exemplo hauſta liberalitas; cum illi etiam imitati exinde ſint præclariſſimum Antiſtitis ſui inſtitutum, & omnia Ordini ſuo eſſe communia voluerint. Sane extitere nonnulli, qui diverſoria publica vacare Eccleſiaſticis hoſpitibus impetravere, & caupones adduxere, ut in privata Parochorum domicilia Sacerdotes hoſpitium petentes ablegarent. In quo quidem utrum laudem ignoro: num liberalitatem Parochorum, qui ſe ultro tot onerarent impenſis; an cauponum moderationem, qui objectam prædam tam facile e manibus dimitterent.

CAPUT XXXII.

De Humanarum rerum Contemptu, & ſtudio Paupertatis.

QUemadmodum animum fluxis, & caducis rebus ita abſolverat, ut nulla ex parte illis hæreret: ita adeo humana omnia deſpicere videbatur, ut quo loco infima hæc omnia haberet, univerſi plane cognoſcerent. Perſuaſum hoc certe ſingulis erat, Carolum veluti infra ſe poſitas opes negligere penitus, atque conterere; imo ne titillationem quidem ullam, propoſita quavis opulentiæ ſpecie, ſentire. Itaque inter magnifica omnia conſtitutus, ſplendorem animo, atque ipſo corporis habitu refugiebat; cumque univerſa circa ſe lauta, atque ampla haberet, & Dignitas ipſa ad decus augendum, & commoda ad voluptatem inflammandam conſpirarent, unam ſibi moderandæ cupiditatis impoſitam neceſſitatem in tanta rerum copia arbitrabatur. Nemo certe religionis vinculis obſtrictus, ſe paupertatem cautius colere profeſſus eſt, quam Carolus libere ſectaretur, qui tanto magnificentius eidem ſtuduit, quo majora certe repudiavit. Principatum, Dominatum, & Sacerdotia opulenta ſtrenue abjecit: Auri immenſam vim tam facile profudit, quàm excitatum pulverem ventus diſperdit, ac diſſipat: in quo eximiam certe virtutem admirati ſunt omnes, cum Unus, quæ ſummo apud homines in pretio ſunt, facile contemneret. Objecta pecunia oculos, & manus avertebat; aut ſiquando dexteræ illapſa eſt, facili tranſitu ad aliorum manus ſtatim pervênit. Quamquam, & hoc ægre impetratum eſt, ut manibus ſuis ad alienam inopiam ſublevandam uteretur. Ajebat, *inertes in Epiſcopi domo otiari pecunias non debere, atque tum bene domeſticas res curari, cum aut nihil ex annuis cenſibus ſupereſſet, aut liberalitas nondum exactos cenſus exhauſiſſet.* Divendito Uritano Principatu, cum conficiendæ eſſent venditionis tabulæ, effuſa eſt ante oculos auri, argentique vis ingens,

Digitized by Google

ingens, quæ quadragies mille nummorum ſummam explebat. Tantæ pecuniæ aſpectus Carolum offendit: in aliud ſe penetrale recepit ſtatim, ac menſæ illatus theſaurus increpuit. Perfectis vero tabulis, inimicam illam paupertatis opulentiam execratus, ut veluti auro pollutam domum expiaret, diſtrahi ocyus ingentem eam ſummam juſſit, & in aliorum uſum dividi, ut ſe importuno onere liberaret. Quæ ampliora hominibus videntur ad dignitatem, ea ſemper in poſtremis habuit. Cum enim nihil illuſtrius Borromeæ Genti poſſet accedere, quàm Arcium, Oppidorumque tradita ſibi a majoribus poſſeſſio, nihil ſibi ex eorum privatione detractum putavit, quemadmodum ex dominatu nihil in ſe redundare cenſebat. Aronenſem Arcem ditionis Borromeæ ornamentum, imo in Inſubrica Provincia poſſeſſionem nobiliſſimam, & regionis contra Tranſalpinorum impetus propugnaculum eripi ſibi paſſus eſt, ne leviter quidem commotus animo; neque enim deturbari ſe a jure ſuo doluit, qui ferme dolebat, ſe tanto jure ornari. Hinc tantum abfuit, ut integra ſibi reddi omnia a Rege Philippo poſtularet, ut etiam pro ſe poſtulanti Pontifici interceſſerit, cauſatus: melius tam gravia officia pro Eccleſiæ libertate, quam pro Familiæ ſuæ dignitate eſſe interponenda.

Qui tamen ad Ejus latus continenter hærebant domeſtici, certiora moderationis hujus documenta poſita ante oculos habuere. Adeo ab humanis rebus averſum Ejus animum teſtati ſunt, ut neque de domeſticis negotiis injici mentionem vellet; & ſiquid ex Illius nutu expediendum procurator referre debuiſſet, audire domi recuſaret: quare cum equo vectus iter aliquod longius ingrederetur, ille adequitans de neceſſariis breviter diſſerebat, & ferme nolenti moleſtam de domeſtica curatione ingerebat commemorationem [a]. Hoc etiam notavere diligentius nonnulli, non modo alienum ab honeſtis deliciis animum habuiſſe, ſed oculos etiam, quibus nihil incautius eſt, incredibili ſolertia temperaſſe. Etenim ædium magnificentiam, hortorum amœnitatem, factas ad voluptatem ſive naturæ, ſive artis ingenio illecebras nedum non conquirebat; verum, ne temere quoque in eas incideret, ſummopere formidabat. Eram egomet in Illius comitatu, cum Præſul Alexander Simonetta, notus æque Generis ſplendore, ac dignitate, ſed cumprimis Caroli amicitia clarus, Cardinalem ad Villam ſuam divertere officioſe compulit, quam Caſtellatium vocant. Decimo ab Urbe lapide ea ſita eſt, deliciis undique referta, atque ad ruſticantium voluptatem mirifice appoſita; ut-

(a) Plura docent Borromei animum ab humanis omnibus valde alienum. Cum Pontificia diplomata ægre pateretur differri pro Sacerdotum conferendis titulis, Carniliam præmonuerat, *ut ære ſuo omnia curaret expedienda*; licèt expenſam ſummam a divitibus ſemper deinde repeteret. Alibi Carniliam eumdem monuit, ut penſionem quamdam annuam in Luſitania exigeret; addiditque, *ut ea repeteret, quæ ipſe ſciret ſibi deberi; nam penes ſe nullam habebat accepti rationem*. Audiens aliquando, tenues admodum ſibi obventuros eſſe ex Supremo Pœnitentiæ Tribunali cenſus, reſpondit: *Inopiam hanc optimum eſſe indicium*. Alibi conquerenti Speciano, nullas ſibi Romæ amplius Caroli ſupereſſe pecunias, in hæc verba reſcripſit: *Miraris tam cito fluxiſſe e manibus, quod mei juris aurum erat? unus ignoras, terrenum hoc eſſe & luteum*. Nihil tamen magis commendabit Cardinalis animum ſupra divitias poſitum, quam epiſtola ad Franciſcum Bernardinum Cribellum rei domeſticæ Præfectum data. Hic a Borromeo commonitus fuerat, ut curaret ſtatim abroganda quædam, propter quæ auditæ fuerant querelæ aliquot, & nimium utiliter *Archiepiſcopalis Menſæ* negotium agi videbatur. Quapropter præter morem, hominem hoc reſponſo notavit: „ Melius Eccleſiaſticis proventibus conſultum fuiſſet intermiſſa negotiatione illa, quàm perfecta. Neque moleſtum „ tibi ſit, quod te omnes irrideant; etenim ex „ hoc pii homines moderationis exemplum ſument, „ ac fructum percipient. Hac ratione tandem uterque terrenarum rerum curis expediti ſumus, propter quas in ſordido hærebamus altius luto. Neque placet ille, qui obtenditur, color Eccleſiaſtici Patrimonii amplificandi, quod retinere quidem, & conſervare debemus, non tamen anxie curare, ut augeatur." Adeo vehemens epiſtola, & conceptus ex eadem mœror juxta Teſtium dicta fuerunt in cauſa, ut paulo poſt Cribellus ex viris excederet; cujus mortis audito nuncio, Carolus ocyus Breves literas a Summo Pontifice impetravit, *retrocedendi venditoribus bona nomine Menſæ Archiepiſcopalis, empta a quondam Franciſco Bernardino Cribello, quorum pretium nondum integrum ſolutum eſſet; vel alia bona dicta Menſæ loco eorum danda, aut vendenda, pro eis ſolvendis*.

Digitized by Google

utpote amplis hortis, ambulacris, fontibus, & piſcinis, præſertim vero proceris populis hoſpitalem umbram præbentibus apte diſtincta, ac commendata. Ingens circum eam effunditur planities, ad cujus oram leni clivo aſſurgunt tumuli, ac molli lapſu valles ſubſidunt, eo conſilio, & artificum opera diſpoſitæ, ut ars imitari naturam videatur. Huc devectum Cardinalem de induſtria per obverſam ædium partem horti primum excepere, ubi infinita oculorum lenocinia ſe prætereunti offerebant. Objecta tamen tot voluptatis irritamenta omnia ſtrenue repudiavit, & honeſtum deducentis Equitis conſilium, qui reficere obrutum curis urbanis Carolum meditabatur, moderatione ſua fefellit. Nullis Ille loci deliciis conſtantiſſimos impertivit oculos; ſed arreptam ex proximo vaſe frondem in contemnentis ſpeciem odoratus, atque ad me converſus, hoc dumtaxat ſivit ex ore verbum excidere: *Pulchrum enimvero locum:* Neque, quam videbat, pulchritudinem loci commendabat; ſed quam ineſſe ſuſpicabatur. Sane adeo, ne videret eas delicias, timuit, ut, cum in ædes ſe abdidiſſet, nunquam totam eam diem limine pedem extulerit; & mane etiam poſtero abſtinuiſſet, niſi Sacris operandi cura Illum ad domeſticum Sacellum pergere ſuaſiſſet, quo ut perveniret, cum nullus, niſi per eoſdem hortos, aditus eſſet, novo ſupplicio nuſquam ne raptim quidem deflexis oculis, eo tetendit, & omnibus rite perfectis, eamdem viam pari moderatione remenſus, ſe in ædes iterum conjecit. Aliàs celebrem Farneſiæ Familiæ Villam, Caprarolam nomine, ingreſſus, rectâ in deſignatum ſibi cubile divertit, ex quo nunquam digreſſus eſt, ut quæ ante oculos ferme poſita erant, loci magnificentiam, & luxum ſpectaret; licèt ea exterorum adeo cupiditatem inflamment, ut longe poſita avidius intueri curent. Cum verò in familiari ſermone adſtans coram ſe Præſul pleno ore ſplendorem Villæ commendaret, intempeſtivum Ille ſermonem exoſus, ineptas laudatoris voces obruit hac gravi ſententia: *Æterna nobis domus, non manufacta, comparanda eſt; & multo nobiliora ædificia ſunt extruenda.* Viglevani dum de addito Epiſcopi tectis viridario mentio fieret, ſubjecit quidam ex circumſtantibus, opportunum fore, animi relaxandi gratia, par Archiepiſcopo Mediolanenſi commodum. Cui Carolus: *Nullum Epiſcopus opportunius viridarium habet, quam ſacra Biblia.* Dum agrum Viterbienſem prætergrederetur, in via exceptus Bagnajæ fuerat a Cardinali de Gambara: qui cum immani ſumptu nobiliſſimam illam Villam ædificaſſet, quæ loco nomen fecit, geſtiebat per hortos Eum deducere, & omnia ſingulatim indicare. Hæc cum ille magnifice exponeret, & notanda quæque diligentius objiceret, pertinaci ſilentio Carolus ingratam ſibi eam commemorationem teſtabatur. Tandem cum importunius ille urgeret, has a Borromeo voces extorſit. *Satius fuiſſet Illuſtriſſime Domine Virginum Deo Sacrarum Monaſterium excitaſſe, quàm tantam auri vim inaniſſimo hoc ædificio profudiſſe.* Hoc dictum ſerio perpendens Cardinalis, Borromeum tacitus in conclavia ab hortis traduxit. Nihili itaque faciebat, quæ præclariſſima ducunt inepti rerum humanarum æſtimatores; quandoquidem hauſerat Euangelicam a Chriſto diſciplinam, & ipſa terrenarum rerum ſeria contemplatio contemnendi facilitatem indiderat. Idcirco, cum Funebrem ad Mediolanenſem populum haberet in Caroli parentalibus orationem P. Franciſcus Panigarola, in præclaram eam erupit ſententiam: *Tantum ſcilicet de ſuis opibus ſumere Carolum conſueviſſe, quantum canes ab heri liberalitate fruendum acciperent: aquam nimirum, panem, & ſtramenta;* id enim ex cenſibus non contemnendis ſibi Ille reſervaverat, quod utendum ſola neceſſitas poſtulaſſet. Quare, licèt ſumma eſſet in Ejus ædibus hoſpitum frequentia, nullus tamen unquam aut in conclavibus luxum, aut in ſupellectili pompam vidit, ut doceret, poſſe in Principum etiam Virorum domo moderationem quamdam eminere, & ornatiores eas ædes videri, quibus

Digitized by Google

bus paupertatis, temperantiæ, & virtutum aliarum ornamenta unice accederent. Hac ratione veram Ecclesiastici splendoris opinionem aliorum mentibus inferebat; & sane omnia in Borromei domo admiranda semper exteris fuerunt hoc uno, quod nihil ibi splendidum admirarentur. Tanti vero hanc Caroli continentiam fecere Mediolanenses, ut, cum, Illo extincto, alios Antistites viderent, dignitatem suam splendidius Populo objicientes, suos offendi oculos moderata etiam magnificentia affirmarent [a].

Quantum autem eximiam hanc paupertatem diligeret ex animo Cardinalis, illud argumento est, quod nullo unquam tempore hilarior Ejus frons, ac lætior vultus notaretur, quàm cum nihil domi reliquum liberalitas feciſſet. Gestiebat enim opum pondere, veluti Etna depositа, sublevatus; & siquando per syngraphas, aut internuncios Potentiorum excutere loculos cogeretur, aut in egenorum subsidium æs alienum corrogare per administros suos, cum sibi ad id officii pecunia non suppeteret: grave, credo, Illi visum non fuisset stipem ea occasione emendicare, nisi dignitatem suam veritus esset, ne minoris faceret, quam deceret. Neque minus paupertatem colere visus est etiam, cum summum opulentiæ suæ apicem Romæ teneret. Adeo siquidem excelso animo opum cogitationem abjecit, ut, cum Ejus annui reditus centies mille nummorum summam conflarent, sæpius tamen in alieno ære Eum esse omnes intelligerent. Altius itaque imbiberat animo hanc de caducis rebus opinionem, ut Apostolicæ vitæ institutum sequeretur: quamque Ipsemet disciplinam colere se profitebatur, aliis etiam ad imitandum proponebat. Idcirco remotissimum ab omni avaritiæ labe Clerum suum esse jusserat: neque ferendum ullo pacto putabat, incubare divitiis, aut earum cupiditate duci Ecclesiasticos homines, cum opes sordem tanti nominis, aut dignitatis nobilissimæ maculam esse intelligeret. Docent hoc luculenter sapientissima decreta, quibus vetuit, quidquam in Sacris pretio offerri, & venalem Sacerdotum operam pœnis mulctandam constituit. Ajebat: *Sacerdotum ministeria caritate constare, & gratis dandum, quod gratis accepissent.* Utque acerbiorem cupiditati securim infligeret, libera voce eos suggillabat, quos laborare hac in parte cognovisset, nec leges silere in potentiorum vitiis patiebatur. Quidam Provinciæ suæ finibus comprehensus Antistes, cum in Sacerdotii cujusdam vacui possessionem avidius immineret, ad Eum tabellarium celerrime miserat, ut aliorum preces festinata petitione occuparet. Rogabat autem per literas, ut quandoquidem tenui censu ægre hactenus dignitatem suam sustentasset, vellet hanc sibi provinciam sumere, ut officiosâ, atque efficaci ad Pontificem epistolâ sibi illud Sacerdotium addici postularet. Audita petitione, Carolus literas ad Antistitem ocyus dedit in hanc sententiam: „ Promptam semper illi, atque expositam suam operam fore, siquid „ ne-

(a) Hinc profecta est ingens illa animi moderatio, qua munus quodcumque oblatum fere repudiabat. Nobili Brixiensi Carolo de Martinengo eburneum Crucifixi Redemptoris signum remittens, hæc scripsit: „ Facile conjicere potes, quam libenter „ munus accepissem tuum; cùm propter ipsum, „ quod offerebatur, donum, tùm propter singula„ rem, qua te prosequor, benevolentiam. Verùm, „ cum temporis rationem habeam, quo lustrandi „ munus obeo, atque hoc in munere nihil accipe„ re nec possim, nec debeam; idcirco repudian„ dum est etiam, quod ex manibus tuis venit. " Gluffianus etiam hujus Auctor Historiæ testatus in in Tabulis fuit, se cum in Villa esset, obtulisse Cardinali mala Persica aliquot, atque hæc addidisse: *se ejus lege non teneri.* Verumtamen dono repudiato, Cardinalem reddidisse: *Legibus suis obstrictos etiam Legislatores.* Cardinalis de Gambara conquestus leniter fuerat, quod nullum a Carolo nuncium accepisset, de masculea prole, quam Renatus Ejus Patruelis susceperat. Cui Carolus: „ Nihil scripsi de prole susceptа a Patruele meo; hæc „ etenim dona sunt, quibus homo uti, sed etiam „ abuti quandoque potest; quare ex his non videtur justa admodum offerri Lxtandi causa. " Ultimò, cum monitus esset de dubia Procuratoris sui fide, respondit: „ Nihil minus curo in administris „ meis, quàm in custodienda pecunia diligentiam. „ Hoc me Christus ipse docuit exemplo suo; qui „ cum Judæ avaritiam, & furta cognosceret, at„ tamen illi zrarii sui coram demandavit.

Digitized by Google

„ neceſſarium in Paſtoralem curam vide-
„ retur: Sed nunquam paſſurum ſe, ut tam
„ importuno voto ſe adjutorem præberet,
„ cujus implendi nulla neceſſitas eſſet.
„ Nonnullos in ea Sede Epiſcopos fuiſ-
„ ſe, qui tam tenui cenſu magnam ſan-
„ ctitatis ſuæ famam reliquiſſent. Imita-
„ retur proinde eorum ſanctitatem æque,
„ ac paupertatem. Sacerdotium, quod po-
„ ſtulabat, alia fuiſſe de cauſa inſtitu-
„ tum. S. Auguſtinum enixe a Deo po-
„ ſtulaſſe, ut omnem divitiarum amorem
„ funditus ex animo evelleret, cum iis
„ maxime ab rerum cæleſtium amore alie-
„ nari mentem intelligeret. " Demum apte concludens: „ Non adeo imparatum „ eum ab opibus videri, utpote ſexagin-„ ta nummos tabellario ad petitionem „ ſuam maturius offerendam numeraſſet: „ Si hanc ſummam ad inopum, aut Ec-„ cleſiæ commodum reſervaſſet, certe uti-„ lius aliquid ſibi, atque aliis fuiſſe fa-„ cturum [a].

CAPUT XXXIII.

De immani effuſione opum in pauperes.

AB infantia cum Carolo *crevit miſeratio*, quam hæreditario veluti jure a Giberto ſanguini inſperſam præ ſe adeo tulit, ut effuſo ſemper amore proſequeretur inopes, & luculentum acceptum a Patre exemplum non imitari, ſed vincere conaretur. Si inſpiciamus a puero, a teneris uſque unguiculis Illum Patronum miſerorum videbimus extitiſſe; neque minus ætate, quàm in miſeros amore provectum. Sane admirabunda ſuſpexit Roma, quas vivente Avunculo effudit, nunquam intermiſſa largitate, pecunias [b]; Verumtamen Mediolani degens, licèt minus uti poſſet beneficentiâ propter anguſtiorem fortunam, majore tamen virtute uſus videtur, & privatam fortunam effuſiori liberalitate ſuperaſſe. Mihi ſe offert in primis, quod ex fluxa Fratris extincti felicitate

(a) Mihi certe maximum voluntariæ in Carolo inopiæ indicium illud eſt, quod ſubiit pro curanda antelucana vigilia incommodum. Narrat Poſſevinus, Eum uſum primo galli cantu, ut vigilaret ante lucem: deinde gravi globo, qui ſolutis per ſomnum manûs nervis excidens, ſtrepitu excitaret ſuo; ut hac ratione depulſo ſomno, ſtatim ſibi manibus ſuis lumen apponeret. Attamen conſtat, Eum ſtatim ab Avunculi Pontificis obitu vendidiſſe ingentis pretii horarum indicem, qui facile ſomnum artificio ſuo poterat excutere. Splendidus hic humanarum rerum contemptus effecit, ut tamquam in tuto poſitus, alienam uſque opulentiam irrideret. Nocturni fures Cardinalis abſentis ædes invaſerant, aliquando, & Angli cujuſdam, qui inibi hoſpitabatur, marſupium exterſerant. Territus infortunio Audoënus Vicarius, dum Carolum moneret, viſus eſt timere ſuo ipſius marſupio; quare hoc illi Cardinalis reſponſum dedit: „ Hoſpitis mei calamitatem do-„ leo, atque ut conſulatur, curabo. Neque id me „ abſente acciditſe miror; nam teſtatum eſt omni-„ bus, nullas domi meæ pecunias latêre. Cave in-„ terim marſupio tuo; quod enim in præſens aver-„ tit Deus damnum, tibi forſan alia nox afferet. „ Vide tamen, quantum te angat pecuniæ etiam in-„ tactæ cogitatio.

(b) Venit ad manus ſcheda cum inopum omnium nomenclatura, quibus quotidiana, aut menſtrua vitæ ſubſidia Romæ Carolus ſuppeditabat. Ex pauperibus LXXXVII. in ea numerantur. Animadvertendum eſt enim, cenſus quoſcumque, qui aut ex Supremo Pœnitentiæ Tribunali, aut ex Nobiliſſimo Liberianæ Baſilicæ Sacerdotio ſibi obveniebant, in Romanorum ſemper beneficium ceſſiſſe. Adde novam Romæ profuſam pecuniæ ſummam, poſtquam Pœnitentiarios Minores adſcivit Patres Societatis Jeſu; quibus cum certos deſignaſſet cenſus, nihil tamen de veteri ſua erga alios liberalitate remiſit. Adde iterum ſuſtentatos Cardinalis munificentia ibidem Capuccinos Patres, Fratres Sanctiſſimæ Trinitatis, PP. Societatis Jeſu, Ordinis S. Dominici, & Clericos Regulares Theatinos, Fueros Orphanos, Quatuor Hoſpitales Ædes, Judæos, qui Chriſtianam Fidem amplecterentur, tria demum Fœminarum Monaſteria; ſcilicet S. Marthæ, S. Annæ, & Domus Piæ. Ingens certe, & vix ferendum onus tanta liberalitas Carolo impoſuerat, ad quod ſuſtinendum ſæpius in ſubſidium venit Toletana Penſio. Conſtanter tamen tulit, quo ad uſque, Gregorio XIII. in Summum Pontificem electo, Romanis omnibus Titulis ſe abdicavit. Iis honoribus abjectis, Romanorum etiam alendorum onus depoſuit; quod conſilium ubi Romæ auditum eſt, tanta miſerorum comploratio fuit, ut Adrianus Dolcettus, qui Borromei nomine ultimum illis ſubſidium diſtribuit, ineunte anno MDLXXIII., ſcripſerit: *miſerandum illud fuiſſe ſpectaculum, quo ſibi diſrumpi cor pene ſentiret; cum videret tam effuſum luctum, & gratiis actis, inopes quoſcumque a ſe diſcedere triſtiſſimos.* Ceterum excidere omnino amorem erga Romanos inopes ſuum non eſt paſſus; quandoquidem comperio, aliquod poſtmodum etiam ex S. Philippi Nerii conſilio, cujus dictis ſemper audiens fuit, continuatum nonnullis fuiſſe ſubſidium.

Digitized by Google

tate creditur hauſiſſe contemnendæ pecuniæ argumentum. Pervenerat ad Ejus manus hæreditario jure ingentis pretii Muſæum. Pluribus illud optime notæ ſignis, tabulis, & marmoreis ſimulacris abundabat. Attamen, certo pretio cum omnia propoſuiſſet venalia, & ingentem ex divenditis conflaſſet auri ſummam, carere Muſæi pretio æque, ac Muſæo voluit; quare centum nubilibus puellis ad certum diem in Baſilicam Liberianam evocatis manu ſua dotale aurum ſingulis diſtribuit, poſtquam operatus eſt Sacris: hac liberalitate teſtatus, ſe inopum earum Virginum Patrem, quæ unice, ut olim Gracchi Corneliæ, ornamenta erant Borromei. Supererant argentea vaſa, quorum partem cedere in Templorum uſum, aut miſerorum ſubſidium voluit, inquiens: *quandoquidem caduca adeo ex immatura Federici morte mundi felicitas eſſet, ſtultos eos videri, qui in terra theſaurizarent theſauros, quos ærugo demoliretur; proinde eos dumtaxat ſapere, qui in Cælo theſaurizarent ea, quæ tinea demoliri non poſſet* [a].

Poſtmodum ad Eccleſiæ ſibi commiſſæ clavum ſedens, cum videret pia inſtituta complura propter inopiam excidere, ea eleemoſinis ſuis ſuſtentare conſtituit. Quidquid argenteum ſupererat rarius utendum, & pretioſam ſuppellectilem, haſtâ poſitâ, Romæ, Mediolani, & Venetiis auctionatus, tricies mille nummis, quos in ærarium redegerat (ſi quidem redegit), ſatiavit Sacrarum Virginum famem, & miſerorum incommoda recreavit. Sed aliæ identidem ex aliis offerebantur ſublevandorum inopum opportunitates; quare nova erant excogitanda novis calamitatibus remedia. Idcirco Uritanum in Neapolitano Regno Principatum, propoſito quadragies mille nummorum pretio, facile divendidit, & uno impetu venditi pretium effudit, nobilemque inſuper præcipitis liberalitatis pœnam tulit. Nam, cum Cæſar Specianus tum domeſticis Caroli negotiis præpoſitus acceptam ſummam ex Cardinalis imperio in partes divideret, poſtremo ſingulas diviſæ pecuniæ portiones in ſummam integram redigens, comperit male initos diviſionis calculos; cum plus æris diſtribuendum juſſiſſet, quam quod eſſet ærario inferendum. Itaque cum prænonere Carolum cœpiſſet, ut quod excederet ſaltem, e ſumma dividenda vellet detrahere; (excedebant autem duo nummorum millia) hoc ab Eo reſponſum tulit: *Supervacaneum ſibi videri jam collatum beneficium minuendo corrumpere: & hunc errorem multo utiliorem pauperibus fore.* Sic beneficii ſui hanc retulit mercedem, ut domeſticam inopiam augeret. Hæc erant extra ordinem conquiſita ſolatia miſerorum; Non tamen deerat quotidiana pro iiſdem ſublevandis lex. Etenim de more comparabatur menſtruum ducentorum aureorum auxilium pro ſacris Collegiis, quod inter quotidianos Familiæ ſumptus numerabatur; inopes enim pro domeſticis habebat. Inſuper certum ſibi virum ex Cubiculo Præfectis elegerat, quem Eleemoſinarii nomine appellabat: Hujus erat pauperum nomina in elenchum referre, neceſſitatem agnoſcere, ærumnas allevare. Opportuniſſimus huic muneri erat inter domeſticos Julius Petrucius Senenſis civis, qui Romæ deinde ſextum ſupra octogeſimum ætatis annum agens, ſupremum diem obiit, vir probitate morum inſignis, ſed pietate præſertim commendandus. Hunc ſui plane ſimillimum nactus erat Cardinalis, cujus manibus optime uteretur. Cum peten-

(a) Beneficentiam ſuam ad Orientem uſque pervenire voluit. Inter MSS. Marci Aurelii Grattarolæ ſchedas extat teſtimonium in cauſa Apotheoſis productum, in quo legitur, geminos Sacerdotes, alterum Armenum, alterum Abiſſinum juratos expoſuiſſe: quemadmodum Borromei ære tria Antiochiæ refecta eſſent Templa; ſcilicet S. Anaſtaſiæ, S. Leandri, & S. Ignatii: Damaſci item Sacræ Ædes S. Ananiæ, ubi videlicet baptizatus eſt S. Paulus, & SS. Euphraſii, & Euphroſini: Alexandriæ in Ægypto S. Marci Ædiculam, & S. Paphnutii: Ultimo Jeroſolymæ facta nonnulla ex Sacris iis locis, & quandoquidem abunde ſuppetebat pecunia, juſſiſſet, reliquum auri diſtribui in Religioſorum hominum Monaſteria: in cujus partem venêre Jacobitæ, Georgiani, & Franciſcani, addito inſuper mandato, ut nullibi Borromeum nomen aut ſtemma præferretur.

Digitized by Google

petentibus omnia præter animam daret, adeo moleſtus largitionibus procuratori domeſtico videbatur, ut ſæpius tantam ſibi exprobrari liberalitatem audiret. Edixerat enim Borromeus, nihil illi ut clauſum domi eſſet. Tandem procurator, ut beneficentiam utriuſque moderaretur, leniter conqueſtus apud Cardinalem fuerat: cui Iſte, *hanc optimam juvandæ neceſſitatis rationem eſſe*, reſpondit, *ut quidquid miſeri poſtularent, facillime acciperent*. Imo tantum abfuit, ut quidpiam munificentiæ ſuæ imminueret, ut alium adminiſtrum Petrucio adderet, qui eleemoſinarii ſecretioris munere fungeretur. Præſtantiorem autem huic curam demandaverat, ut diligenter exploraret incommoda Nobilium, & pauperum Civium, quibus paupertate gravior eſſe ſolet pudor, ut ſua liberalitas etiam ad abditos, & ignotos perveniret. Cumque hujuſmodi hominum calamitas, & ingenuarum præſertim Virginum, aut Viduarum ærumnæ majori, ut plurimum, ſubſidio indigeant; idcirco quantamcumque eleemoſinario huic petenti pecuniæ ſummam, numerandam ocyus prædixerat; ne beneficentiæ meritum ſuæ diutius expectatum beneficium detraheret, aut retardata liberalitas tacentium miſerorum neceſſitatem oneraret. Hac Ille ratione plurimos ex Illuſtribus Familiis, quos adverſa vis ſortis pene oppreſſerat, ad meliorem ſpem revocavit; neque expers tot beneficiorum fuit Thomas de Marinis inter Mediolanenſes Cives divitiis æque, ac calamitatibus memorandus. Itaque, cum geminas miſeris apertas ſemper teneret manus, tertiam Ipſe etiam addere voluit; ſcelus enim putabat, ærumnoſum quempiam a ſe inanem dimitti. Quare peram monetis refertam ſub veſte exteriore linea latentem circumferre ſolebat, cum nullum penes ſe ex Eleemoſinariis haberet: eo majore inopum beneficio, quod monetarum pretium Ipſe ignoraret. Siquidem *pauperum Patrem dici, atque eſſe Epiſcopum* dicebat; *neque a Patre quempiam vacuum redire oportere*. Manu itaque ſua ſæpius largiri pecunias etiam ſtatuit, ut nemo propoſitum a ſe exemplum imitari recuſaret; doceretque, plura in miſerorum opem effundi debere, quàm in domeſticas neceſſitates reſervari; quandoquidem Ipſe tres miſeris crumenas; unicam vero familiæ ſuæ alendæ patêre voluit.

Virginia a Ruvere Urbinatium Ducis Filia, & Uxor Federici Borromei, qui Frater Caroli fuerat, ſupremis tabulis legaverat Cardinali triginta aureorum millia, quæ pluribus Illi nominibus debebat. Re cognita, Borromeus expendi omnia in miſerorum uſum juſſit, ad quorum manus integra ea ſumma pervênit, quin partem ſibi minimam retineret. Siqua publica ingrueret calamitas, tum palam ferme expoſiti omnibus erant Ejuſdem cenſus: quid enim aut in arca reconditum, aut in ærario abditum fuit vel in annonæ penuria, vel peſtilenti anno, quod æque in Populi, ac Cardinalis jure poſitum non videretur? Quoniam vero nunquam diſtribuendæ pecuniæ ſummam ex tenuitate ſua, ſed ex animo dumtaxat æſtimavit; idcirco ſæpe largiebatur ultra, quam domeſticarum rerum ratio pati poſſet. Una ſcilicet Donantem Divinæ Providentiæ ſpes ſuſtentabat; utque aliena incommoda depelleret, ad incitas familiam redigere non verebatur. Ideo rerum ſuarum curator, cum domeſticis pariter conſulere vellet atque externis, monuerat aliquando, ut non, quantum vellet, effunderet; ſed quantum poſſet. Verum præclaro reſponſo obruit querelas, inquiens: *Caritatem nullis teneri finibus; atque adeo liberalitati, quæ ex caritate proficiſcitur, videri modum imponendum nullum*. Erat tamen aliqua ratio pecuniæ inveniendæ, cum ſuam ſuppeditare miſeris non liceret. Habebat plures exemplis ſuis ad pietatem omnem imbutos Nobiles ex familia adminiſtros, qui tergo manticis onuſto, oſtiatim eſculenta, & quidquid in Civium neceſſitatem peſtilenti anno faceret, emendicare non erubeſcerent. Quod ſi inanes caſſo labore domum illi rediiſſent, potentiorem, ac largiorem domi Patronum habebat, ad quem confugeret. Ubi ſcilicet hominum

Digitized by Google

ceſſaret liberalitas, Divinam opem enixis precibus poſtulabat, a qua nunquam ne vacuus rediret, timuit. Etenim novo miraculi genere, ſuppreſſo donantis nomine, opulenta Illi pecuniæ dona non raro offerebantur, & donis addebantur preces, ut, in quemcumque ſibi libuiſſet uſum, ea expenderet. Tanta enim erat de Caroli ſanctitate opinio, ut Eo melius uti pecunia crederetur nemo. Hæc divinitus accedebant beneficentiæ ſubſidia; aliud tamen Ipſe humanum adjunxerat: penſionem ſcilicet ex Toletani Archiepiſcopatus cenſibus annuam, quam retinere ſemper idcirco voluit, ut liberalius cum miſeris ageret. Accuſabant in quotidiana æris penuria Cardinalem domeſtici, quòd dimittere alios Eccleſiaſticos cenſus antea voluiſſet; quoniam, qui ſupererant, tam bene collocaret. Verum Ille nec vetus conſilium damnans, nec præſentem tenuitatem dolens, reſpondere conſueverat: *Munificentius agere eum, qui arborem cum fructibus; quàm qui fructus ſine arbore donaret.* Quo reſponſo indicavit, non interceptam dimiſſis opibus liberalitatem, ſed auctam fuiſſe adeo, ut ipſum etiam liberalitatis fontem exhauriret. Sane alias etiam parem ab Antonio Seneca querimoniam audiit: qui intuens peſtilenti anno, ſeptuaginta circiter inopum millia unius Cardinalis ære, atque opera ſuſtentari, importunam illam tot redituum abdicationem objiciebat. Cui Carolus reſpondit: *nunquam pœnitendum illud conſilium fore: Sic liberatum ſe eſſe infinitis laqueis, in quos ſe induiſſet, cenſibus illis retentis: Latêre magnum æternæ ſalutis periculum in Chriſti patrimonio optime adminiſtrando: Se rationis Divino Judici reddendæ onere fuiſſe ſublevatum: Præterea demptam ſibi etiam improbam opulentorum curam eſſe, ut quidpiam domi minus neceſſarium haberet. Denique Epiſcopo unam dotem ſufficere; quandoquidem unicam, cui hærere deberet, Sponſam duxiſſet* [*a*].

Breviter: in aliis unice paupertatem ferre non poterat, quam ſibi certe, aliis conſulturus, attulerat. Ut eſculenta, & veſtes nudis, atque fameſcentibus ſufficerent, eo devenerat, ut cibo, & ſupellectile indigeret; neque quiſquam ab Eo vitæ ſubſidia retulit, qui ſe Carolo miſeriorem vere teſtaretur. Amabat nihil, quod lautum eſſet; quare ab Ejus menſa non luxus duntaxat aberat, ſed quod ceteri neceſſarium putant. Nullius pretii veſtes erant, quas oblatas inopes etiam repudiarent. Malebat enim Ipſe attritis uti, cum novas aliis libentiſſime largiretur. Siquod indumentum ingentis pretii (ingens autem videbatur, quod non viliſſimum eſſet) ad arcendas hyemis injurias ſibi compararetur, ad hoſpitalem Senum ædem amandabat; atque ægre ſemper inducebat animum, ut novis veſtibus uteretur: imo ipſa vetuſtate conſumpta tibialia, aut thoracem diſplicebat dimittere, quòd eſſent paupertatis ſibi commendatione cariſſima. Denique intercipere hanc in pauperes munificentiam nec ipſa mors potuit, quæ illam quodammodo cumulavit. Legavit enim ſupremis tabulis Mediolanenſi Xenodochio, quidquid ſibi reliquum ſumma benignitas fecerat, teſtatus, ſe Patrem inopum etiam, cum eſſe deſineret. Nihil autem hæreditatis jure pervenire ad ſuos voluit, quibus etiam relictum ſibi ab Avis patrimonium, ut ſæpe dixit, adimere fuiſſet paratiſſimus; niſi leges, & teſtamenta Majorum obſtitiſſent. Neque inane hæreditatis nomen Xenodochio fuit; quandoquidem, diſſolutis apud creditores nominibus omnibus, ingens adhuc pecuniæ ſumma reliqua in miſerorum levamen ex hæreditariis Borromei rebus illi ceſſit. Quamquam non uno beneficio hanc ædem ornavit, dum hæredem ſcripſit. Monuit enim alios profanos æque, atque

(*a*) Poſt tot in miſeris ſublevandis collocatas opes adhuc reliqua ſibi erat venditarum triremium ſupellex, cujus pretium cum Mediolanum contrahi Genuenſes non ſinerent, Ipſe expeditiore conſilio uſus, contineri alienis edictis beneficentiam ſuam noluit; modumque excogitavit, quo largiretur etiam, quod habere non poſſet. Quare literis ad Reipublicæ Ducem, & Urbis illius Archiepiſcopum datis, Xenodochio Genuenſi, quidquid ſibi debebatur, dono attribuit.

Digitized by Google

atque Eccleſiaſticos viros inſigni hoc documento, ut optime cenſus ſuos in eadem ornanda collocarent; quos inter præcipue Auguſtinus Cardinalis Cuſanus, & Gaſpar Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus Carolum ſibi ad imitandum propoſuere, dum Loci hujus reditus opulenta relicta hæreditate augerent (*a*).

CAPUT XXXIV.

De Scientia, & Doctrina.

DEus Optimus Maximus, qui nunquam vinci ſe munificentia hominum patitur, liberaliſſimum Antiſtitem ingentibus donis cumulaverat liberaliſſime, inter quæ doctrinæ, & ſcientiarum ornamenta præſertim eminebant (*b*). Jam ab ineunte ætate factus ad literas Carolus videbatur, & pronum ad eas ingenium accedens inſuper moderatorum ſolertia, & ſua Ipſius diligentia quotidie excoluerat. Maturiorem deinde aſſequutus ætatem, & amœnioris literaturæ curriculum emenſus, Ticinum ſcientiarum veluti Emporium profectus, in Juris ſtudia ſe totum abdidit, & tanta vi mentis, ut intermiſſa delectatione omni, animum ſimul, & corpus obrueret: quo diuturna contentione demum fracto, in graviſſimum morbum inciderat. Quamquam ſalubriore poſtmodum Cælo uſus, Divina ope

(*a*) Donis ipſis mihi videtur magnificentior ipſe donandi modus, & cauſa. Cum Ille opes ſuas profunderet, hoc unum cavit, ne munificus videretur. Comminiſcebatur ſiquidem rationes aliquas, quibus benefacere minus crederetur, cum magis prodeſſet. Hinc ſæpe alienis utebatur manibus, ſed ære ſuo; nam teſte Hieronymo Caſtano, ipſius etiam monetæ contactum refugiebat, neque dignoſcebat, quod eſſet ſignato metallo pretium. Verumtamen peſtilenti anno odium hoc, quo in pecuniam exardebat, vicit; ſiquidem cum Caſtanus & Petrucius dixiſſent, optimum videri, ut manu etiam ſua monetas pauperibus diſtribueret, conſilium accepit; & mox mandavit, ut comparatæ in hoc crumenæ quotidie inſererentur nummi; eamque quotidie exhauriebat. Peram hujuſmodi nobile Ejus liberalitatis pignus, inter cetera, quibus abundat, Urbis noſtræ monumenta religioſe penes ſe cuſtodit in hanc uſque diem Mediolanenſis Patricius, & Eques Don Carolus Trivultius Patriæ Antiquitatis ac Literaturæ cultor egregius & ſplendidus Cuſtos; ſimilem Fulginates habuere. Quod vero ad cauſam benefaciendi ſpectat, unam hanc ſemper habuit, ut alienis commodis ſerviret. Rigida aliquando ſæviebat anni tempeſtas; cumque pelliceas, quibus initio utebatur, tunicas in veſtiaria apotheca latère ſciret, natalitia Chriſti Domini nocte eas juſſit ad Hoſpitalem Senum Domum aſportari, miſeris illis frigore rigentibus ſubſidio futuras. Peſtilentiæ initio cum audiſſet in Limocomio ægros nonnullos ſine lecti commodo obiiſſe; miſerrimum ipſum, quo utebatur, lectulum illuc miſit, renuitque, quoad peſtis viguit, grabato uti. Demum miſero adeo corporis cultu, & tam arcto cibo fuit, ut Ipſemet diceret, *ſibi abunde conſultum iri ducentis annuis nummis*; & domeſtici teſtarentur minoris ſtare Cardinalis victum, quàm viliſſimi cujuſque mancipii. Hinc magnifice, & vere de tanta liberalitate ſentiens Joannes Baptiſta Caſtellus, dicere ſolitus fuit, *Mediolanenſem Eccleſiam Caroli eleemoſynis, quibuſdam veluti nervis, conſtare*.

(*b*) Qui in Carolo Scientiam aut uberiorem deſideret, aut miram in Eo extitiſſe non fateatur, ille ſane vel ſupra hominem ſapere ſe putat, vel Carolum ignorat. Mihi quidem Literaturæ decus, & fama teſtata adeo in Illo ſunt, ut nihil magis. Gemina in Eo diligentius expendi, ex quibus conſtare Scientiam neceſſe eſt: Ingenium ſcilicet, atque Exercitationem. Ingenium in Carolo ſummum fuiſſe, non ego affirmem, ſed ii omnes, qui ex propinquo divinæ ſuæ mentis vim cognovere. Simon Boſſius ſummæ vir nobilitatis, atque eruditionis, in Tabulis teſtatus eſt: „ Se in Ticinenſi Gymnaſio Caroli contubernalem fuiſſe; tantam verò in Illo ſuſpexiſſe ſemper ingenii excellentiam, ut cum Alciatus Borromeo Lauream deferret, & multa mira de Ejuſdem Scientia diceret, capta opportunitate Solis ex improviſo poſt diuturnam obſcuritatem affulgentis, tamen ex ſententia ſua adhuc minora vero conſequeretur.“ Cardinalis Valerius aperte dicit, Eumdem „ excellens Ingenium, & judicium acre a natura habuiſſe; quod quidem judicium tantum in corrigendis aliorum ſcriptionibus adhibere erat ſolitus, ut præſtantes ingenio, & doctrina Viros in admirationem traheret.“ Neque minus magnifice de S. Cardinalis ingenio ſenſere Guillelmus Sirletus, Silvius Antonianus Cardinales, Carolus a Baſilica-Petri, Michaël Thomaſius, Onuphrius Panvinius, Julius Poggianus, Alexius Filliuccius, Jo. Baptiſta Amaltheus, Petrus Victorius, Petrus Galeſinius, Hieronymus Ruſcellus, Paulus Manutius, aliaque ætatis illius lumina præclariſſima, quorum teſtimonia cùm partim typis edita, partim Epiſtolis conſignata, extent, exponere hic fuſius non vacat. Nec laudatores ii fuiſſe dicendi ſunt, ſed teſtes. Quot enim Scientiarum genera iidem Carolum vidère ſublimi mentis acie complexum. Nimirum Ille Juriſprudentiam calluit egregie; eamque indicant poſtulata ſæptus, & Romam miſſa in difficillimis rebus Ipſius ſuffragia. Theologicam facultatem aſſecutus eſt optimè, Duce Hieronymo Vielmio, S. Thomæ diſciplinam ſecutus; eamque cum neceſſariam omnino ſacris ſtudiis duceret, quis neget Illum in Divina abditum, tantum præſidium negligere voluiſſe? Audi, quàm enixe id ſtudii commendaverit Cardinali Bathorio: „ Finem faciam, ſi illud addidero, ut „ Theo-

Digitized by Google

„ Theologiæ Scholasticæ operam omnino naves; „ est enim necessaria his, qui accuratam Sacræ Do- „ ctrinæ scientiam consequi studeant, nostris præ- „ sertim temporibus, quibus eam Hæretici depra- „ vare omni ratione tentant. Hac de causa opor- „ tebit, Te domi habere Doctorem doctrina æque, „ & moribus gravem, S. Thomæ sectatorem, a „ quo certis horis eam Theologiam quotidie au- „ dias. " Politioris Literaturæ studia diligentissime amavit, & coluit, præsertim verò eam Rhetoricæ partem, quæ in Inventione, & Dispositione versa- tur. Quàm belle inveniret, quàm apte disponeret, præter editas Homilias, & XIV. adhuc edendas, utpote sero repertas, docent IX. ingentia volumina in Bibliotheca Ambrosiana custodita, in quibus ex- tant concinnatæ Ejus manu Orationum suarum Syn- taxes, dignæ omnes luce publica, ut jamdiu ante nos, vivente Carolo, judicavit Cardinalis Valerius. Quamquam Rhetoricam adeo exosculatus est, ut novam inire illius methodum Ecclesiasticos juvenes optaverit, quod sane consilium nonnisi summi in- genii fuit, & ante ipsum nemo tentavit. Causas, quibus permotus est ad illud suscipiendum, enu- merat Galesinius in sua Præfatione præfixa *Rhetoricæ Ecclesiasticæ Augustini Valerii*, atque ex iis facile erit dignoscere acre Caroli mentis acumen. Quod si in ea edenda usus est Valerii ingenio; idem tamen Veronensis Episcopus docuit, eam Rhetoricam Ca- rolo authori esse adscribendam. Hæc enim ille ha- bet in Præfatione sua authographa, quæ Operi ad- juncta extat in Mediolanensi Seminario: „ Tua „ Rhetorica ad Te venit, tamquam filia ad patrem. „ Ne mireris, quod ejus Te appellem patrem, cum „ Tu primus eam animo conceperis, tuis Clericis „ eam necessariam judicaveris; me velut instrumen- „ to sis usus, ut in lucem proditet. " Latinita- tem adeo in deliciis habuit, ut nihil adnotaret, nihil digereret ex iis, quæ quotidie in Conciones comparabat, nisi Latino stylo. Quare e vestigio La- tinis Orationibus gratulatoriis Bononiæ, & Triden- ti, ut jam suo adnotavimus loco, apte congruen- terque responsum dedit. Omitto minores Scientias, quibus ante Pastorales curas vacavit: Architecto- icen nimirum, & Musicen, in quibus præter men- tem, eruditam etiam vocem, atque oculos habuit. Verum, quod maxime divinum Illius Ingenium ve- luti exhausit, sacra studia fuere: scilicet in Bibliis Sacris enodandis, atque ad animarum fructum tra- ducendis, Sanctorumque Patrum Scriptis expen- dendis enucleate, mirum, quantum semper fuerit versatus. Hinc author fuit Paulo Manutio emenan- di S. Cypriani Scripta, Cardinali Sirleto transferen- di in Latinum Sermonem S. Jo. Chrysostomi com- plures Homilias, Galesinio SS Gregorii Nazianze- ni, & Nisseni Orationes, aliorumque Græcorum Opera, Cardinali Felici Peretto, postmodum Sixto V. Pont. Max., curandæ emendatissimæ Editionis Operum S. Ambrosii, Bernardo Baldo Latine effe- rendi alia S. Chrysostomi Opera, demum Achilli Statio S. Hierouymi Libros ex fide veterum codi- cum corrigendi. Quare Angelus Maria Torsanus Or- dinis Servorum Orationes nonnullas Eidem nuncu- pans Anno MDLXII. hæc de Eo scripsit: „ Artium „ liberalium studiis, & omni ingenua doctrina ex- „ coluisti animum tuum: Jus Civile didicisti, ut „ præsto multis esses, & in iis omnibus denique „ Scientiis multum elaborasti, quæ multis essent pro- „ futuræ. " Et pudibundus Petrus Victorius, dum Terentii Opera a Gabriele Faërno emendata Ipsi of- ferret, hæc habet: „ Non sum tamen nescius, hos „ labores ad Te erudiendum magnopere aptos non „ esse; Nam ætas Tua, ac dignitas, & tantus usus „ rerum longe aliam doctrinam requirunt; & quidquid „ temporis e magnis, gravibusque occupationibus „ eripere potes, in Sapientiæ studiis, Divinisque „ nostris Literis perscrutandis collocas, unà cum „ doctis, & probis Viris, quos domi habes, legens „ semper aliquid nostræ institutionis proprium, ut „ magis adhuc personam istam, quam sustines, or- „ nes: Quæ profectò satis jam satisque ornata est, „ si modus ullus adhiberi, terminusque in vita hu- „ mana emendanda, omnique virtute expolienda „ constitui debet. " Ne pluribus: Ingenium cer- te summum indicat amor ille, quo Literatorum homi- num ingenium est prosecutus; quod Ipsemet Carolus aperte, & ingenue fateri voluit Lusitaniæ Regi, III. Non- as Aprilis Anni MDLXV., cum ad eum remitteret Franciscum Forerium: „ Facit non solum fides mea, „ sed perpetua vitæ ratio, quam jam usque a pue- „ ritia habeo institutam, ut hominum virtuti liben- „ ter faveam, nullamque hujusmodi facultatem, „ aut tempus prætermittam.

Exercitationem vero Ingenii cotem qui in Carolo desideret, næ ille ignorare videtur, quid Carolus egerit. Concilium Tridentinum ad felicissimum exi- tum perductum eximiam Theologicam facultatem, & Juris scientiam pene omnem ab Eo postulavit. Synodi, Concilia, Congregationes, nihil certe aliud sapiunt, præter immensam Canonum peritiam. *Ho- miliæ*, *Conciones Synodales*, facultatem dicendi pene divinam. Libri *de Fabrica Ecclesiæ*, *de Sacramento- rum administratione institutiones*, non aliud præfe- runt, præter ubertimam Ecclesiasticæ eruditionis copiam. *Vaticanæ Noctes* an aliud indicant, quàm exercitatissimam in dicendo ubertatem? Ipsa fami- liarium suorum consuetudo, ipsæ antelucanæ vigi- liæ, tot aliis demandatæ lucubrationes, tot a se perfectæ testantur nihil ab Eo cogitatum, nisi aut de Literariis laboribus suis, aut alienis promoven- dis. Modus ipse elucubrandi relatus a Possevino cùm summum Ingenium, tùm Exercitationis desi- derium pene incredibile denunciat. Tempus vero docet tantum a Carolo literariæ Exercitationi da- tum, quantum somno, cibo, atque adeo vitæ ipsi surriperet. Copia verò Scriptionum suarum abunde declarat, quantum operæ in lucubrando collocaret. Sane utramque in Eo Ingenii, & Exercitationis lau- dem Silvius Antonianus admiratus, hæc magnifice ad Eum scripsit: „ Omni liberali doctrina, literis- „ que politioribus mirifice delectaris. Quamvis enim „ maximis, & gravissimis Christianæ Reipublicæ oc- „ cupationibus ita distinearis, ut nullum tempus „ fere tibi a labore vacet; tamen Ingenium tuum „ naturâ præstans, atque excellens industriâ alere, „ optimarumque Artium studiis excolere nunquam „ intermittis. " Quamobrem mirum non accidit, si Dominicus Cardin. Pinellus in publico Cardinalium Concilio coram Summo Pontifice, Caroli Sanctitatem exponens, cum de Ejus Sapientia differeret, sen- tentiam hanc suam splendide pronunciaverit, affere- rans: „ Servum Dei (Carolum) in discendo, & „ docendo diligentem adeo, & accuratum fuisse, „ ut antiquis Patribus, quos æmulari studebat, „ similis esset. " In eamdem sententiam ivit P. Ja-

Digitized by Google

ope convaluit, & vixdum confirmata valetudine, Ticinenſe iterum ſtadium remensus, in juris ſcientia, & pietate adeo profecit, ut luculentas honoris ſignificationes ab Inſtitutoribus, perhonorifica autem a ſociis exiſtimationis, & obſequii teſtimonia referret. Evocatus Romam ab Avunculo Pontifice, ubi Unius humeris tota ferme regendæ Eccleſiæ moles incubuit, cum diem quotidiana Apoſtolicæ Sedis negotia abſumerent, noctem in literarum ſtudia conferebat. Præterea raro admodum in negotioſis viris exemplo, Eruditorum Hominum cogere ſolebat in Vaticano Palatio concilium, cui cœtui *Noctium Vaticanarum* indiderat nomen. Conflaverat ſiquidem egregium Aulicorum manipulum, & frequentibus indictis conventibus, haberi viciſſim limatos a ſingulis ſermones juſſerat, profanæ primum, deinde ſacræ eruditionis genere omni refertos, quos ingenii quaſi cotem fore, cenſebat, & optimum ad avertenda otii pericula incitamentum. Hinc effectum eſt, ut tanto exemplo commoniti, & nobili exercitatione diſtenti, Præſules complures Academiæ huic nomen darent, & magni facere perhonorifica hujuſmodi ſtudia inciperent. Quod ſaluberrimum inventum in Eccleſiæ univerſæ utilitatem vertit; cum ex eo ludo, tamquam ex equo Trojano, profecti Antiſtites plurimi ſint, qui in periculoſis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus eam doctrinâ in illis Conventibus hauſtâ, & corroboratâ ſuſtentarunt. Major deinde acceſſit Erudito illi Cœtui dignitas; cum ex profanis ſcientiis ad ſacras curæ Academicorum traducerentur. Intervenere poſtmodum nonnulla, propter quæ ad ſublimiorem doctrinam Carolus aſpirare cogeretur. Idcirco Herculeo pluſquam labore, Philoſophiæ primum præceptis ſe imbuendum Magiſtro tradidit: ex quibus ad Divina advertens animum, Theologiæ dogmata excuſſit omnia, & quidquid ſupra humanam mentem ſitum eſt, ſubtiliſſimâ ingenii acie eſt contemplatus. Quocirca, ſubciſiva quæque incurrerent tempora, perire ſibi non paſſus, ſecundas, eaſque intentiores curas ſtudiis accommodare Ille conſueverat, quas furtim quaſi negotiis ſubtrahebat. Hinc non raro ad geminas horas dumtaxat nocturnus protrahebatur ſomnus: ſplendido in poſteritatem omnem documento, ſummum literarum amorem poſſe cum vividiore ætate, & divitiarum ſplendore pulcherrime copulari. Quin imo Divina meditandi, quod ſuſceperat, conſilium nunquam abjecit: indicans a Deo primum bonorum omnium petenda auſpicia, neque, graviſſimis licèt, publicæ adminiſtrationis curis aut poſſe, aut debere mentem unquam a cæleſtium rerum cogitatione averti.

Verumtamen Eccleſiæ ſuæ tandem redditus, continenti labore aliam ſucci plenam ſtudiorum rationem inivit; cum in aſſidua Sanctorum Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lectione verſatus, coloraret veluti nobilius, & gravioribus nutrimentis ſuam Scientiam educaret. Tres, aut quatuor ſive diurni, ſive nocturni temporis horæ in id ſtudii fuerant conſtitutæ, quamvis obeundæ Diœceſeos, aut Provinciæ cogitatio diſtraheret. Circumforaneus idcirco comparatus ſibi

Julius Mancinellus Societatis Jeſu; qui Borromei doctrinam, & acta comparans, palam affirmare non dubitavit: „ Eum inter Sanctos Eccleſiæ Doctores „ eſſe recenſendum, atque potiori jure: cum alii „ credendi dumtaxat normam docuerint, Hic vi„ vendi. " Adde ſapientiſſimum ſuffragium Benedicti XIV. Pont. Max., qui lectis S. Caroli Homiliis nuper editis, ſe ingenti voluptate perfuſum teſtatus eſt in Brevibus Literis ad Ambroſianæ Bibliothecæ Præſides datis, eaſque appellavit: „ Opus „ digniſſimum tum Sancto ac docto Cardinali, & „ Paſtore, de Chriſti Grege, & Apoſtolica Sancta „ Sede, atque adeo de Catholica Eccleſia benemerentiſſimo. " Hæc omnia deprompſimus ex certis teſtimoniis, qui vel Caroli viventis Scientiam admirati, vel extincti ſuperſtitem in ſcriptis contemplati doctrinam, certum ferre judicium potuere. Quare facile erit intelligere, num aliqua haberi fides poſſit Scriptoribus nonnullis, licet graviſſimis, qui aliter de Eo ſentire viſi ſunt, aut imperitis aliquot, qui ſapere ſe arbitrantur, ſi alienos dumtaxat errores conſectentur. In hos optime facit Cardinalis Valerii teſtimonium, qui cauſam aperit, cur alii diverſam habere poſſint de Caroli Ingenio opinionem, mihique verba offert opportuniſſime, quibus concludo: „ Si quis eruditionem variam, & recon„ditam in Carolo Cardinali Borromeo non animad„ vertit; aut Ejus conſuetudine non eſt uſus, aut „ non conſideravit, quæ Ipſe in medium afferre „ conſueverat.

sibi erat librarius pluteus, quem in geminas divisum partes apte aperiret, usibusque suis iter faciens accommodaret. Inibi reposita, quæ ad rem facerent, minoris molis volumina, pro re nata, consulebat; nec hujus commodi ipsa erat aliquando expers equitatio. Commendabat tamen continens studium ipsa studentis moderatio, qui nec libris hærebat impensius, ut avelli non posset, nec ita divellebatur, ut ad eos redire gravaretur. Siquidem, ubi gravius quidpiam incidisset, Pastorale officium voluptati lectionis præferebat; atque hæc erat frequens Illius sententia: *Tantum esse debere in deliciis Episcopo literas, quantum muneris sui ratio patitur: Nec enim aliud studiis impendi ab eo tempus posse, nisi quod vacuum a negotiis relinquitur, aut ad melius sustinendas, quæ suæ sunt, partes postulatur.* Itaque tam diuturno labore collecta primùm eruditio est, deinde tot insperſa sermonibus, tot Pastoralibus Literis, Decretis, Conciliis demum, singulari prudentia, & doctrina refertis adeo, ut eximiam in Eo literaturam omnes admirarentur. Neque has dumtaxat, quas indicavimus, excoluit scientias Borromeus: alia insuper accesserant doctrinæ ornamenta, & Moralis præsertim Philosophiæ, quam ex Epitecti institutis diligenter hauserat, eo nobilius, quo felicius sub profano illo magistro virtutem animi consectabatur. Dicebat autem: *infimi pretii hominem videri, qui in uno dumtaxat genere excellens, ad alia etiam, imò omnia, quæ sciri possunt, animum non adjiciat.* Igitur incredibili labore, & plurimis vigiliis Illi stetit inexplebilis discendi cupiditas; præsertim cum aleret studiorum desiderium ipsa studendi consuetudo, quæ ante vitæ exitum adeo in immensum excreverat, ut sex fere horas literis vacare consuesceret, antequam Sacris ad Aram operaretur.

Admirabilis autem ipsa legendi, studendique ratio videbatur, ex qua divina quædam plane ingenii vis in Eo esse argueretur. Libros non evolvere, sed vorare dicebatur a suis; quandoquidem raptim objecti voluminis paginas percurrebat oculis: in quo ego quidem maximam latuisse etiam virtutem puto, cum non literarum ornamenta sibi ad doctrinæ pompam comparare studeret, sed quod in ovium suarum utilitatem redundaret, quodam veluti lectionis impetu, arriperet. Vidimus nimirum, non ad mentis delicias regustare, quæ legeret, consueviſſe; sed vixdum delibata, tumultuario opere aut in silvam conjicere, aut in syntaxim inserta, habendis e vestigio sermonibus accommodare. Hinc opulentissima illa ad Cleri institutionem congesta Decretorum supellex, hinc concinnata ad Populum Monita solidâ eruditione referta, hinc quodam divinitatis rore perfusæ, ac delibutæ Hortationes, Literæ, & Statuta, quæ ex hoc Doctrinæ veluti penu derivatum incredibilem, & perutilem universis Ecclesiasticæ Eruditionis apparatum luculentissimum suppeditant. Impressa typis Ecclesiæ Mediolanensis Acta me omni fallaciæ suspicione liberant; & fidem dictis meis majorem adstruerent, si in hominum oculis defigerentur complura concionum volumina, quæ ad cumulanda, seu verius dicam perficienda Bibliothecæ Ambrosianæ ornamenta, sumptu, & labore immenso ab interitu vindicata, immortalis memoriæ, & literarum Patronus Federicus Cardinalis Borromeus nobis, ac posteris servavit feliciſſime. Extat in iis Sermonum suorum brevis syntaxis, quorum singulos una, aut altera pagella comprehensos apte, & concinne Ille partiebatur. Ex Oratoriis legibus patet primo Exordii fons; mox delinitis animis, docet, quæ sibi ad dicendum membra veluti orationis sumat. Sic apte partitus singula, subjicit Confirmationis partes, quas opportune ex locis Rhetoricis digerens, omnia ex ordine evolvit, innuitque postremo affectuum permovendorum modum in Peroratione. Porro ex iis constat, quàm Ille vehemens in dicendo, quàm efficaciter audientium versaret animos, quo demum rationum pondere triumpharet. Utinam impressæ typis emergerent ex pluteis aliquando ad communem lucem, atque ad Christiani populi utilitatem summam loquentem iterum Carolum ætate nostra audiremus! Sperare equidem licet, tanto ornandam

bono

bono Dei Eccleſiam, quo certe ſi frueretur, emineret inter Illius lucubrationes Paſtoralis Silva, quam incredibili contentione ex Sanctis Patribus, & aſſidua Sacrorum Bibliorum lectione contexuit, ut Eccleſiarum Paſtoribus ſatis amplum literaturæ ſuæ patrimonium relinqueret.

Itaque mirari deſinam, ſi, quam in ſe Ipſo expreſſit Eruditi, ac Literati Paſtoris imaginem, eam deinde in aliis etiam effingere conaretur, & nullius ſibi adjungi operam vellet, qui inſigni ſcientiarum fama non commendaretur. Fovebat Ille literas, literatoſque ſimul, quos cum magni faceret, & cumprimis amplecteretur, beneficiis inſuper, & dignitatibus ornabat. Unde enim putemus, niſi ex ſcientiarum amore, profecta tot Athenea, Collegia, Seminaria, quæ funditus excitavit, deinde attributis optimis inſtitutoribus ingenti literarum bono firmavit legibus, & doctrinæ veluti domicilia conſtituit? Ingentes habent huic Mecenati gratias, habebuntque ſemper Canonicorum Collegia, Theologorum, Doctorumque nominibus ornata, itemque liberalibus diſciplinis inſtituta tot Diœceſeos Oppida, in quibus ludos aperuit; ut nihil dicam de tot inſtitutionibus, quibus Clerum univerſum formare optime contendit. Ille igitur literarum, & bonarum artium reſtitutor dicendus eſt, earumque præſertim, quæ ad Eccleſiaſticorum decus, & ornamentum ſpectant; qua in parte laborare maxime commiſſam ſibi Diœceſim intelligebat. Unius opera exinde deleta eſt illa macula ſuperioribus annis a Clero Mediolanenſi ſuſcepta, quòd Sacris admoti, aut initiati homines omnino rudes, aut nulla elementa latinitatis ſalutaſſe palam dicerentur. Sane ex Caroli ætate viguere ſemper in hac Urbe reconditarum artium, & Sacræ Theologiæ, ac Juris ſtudia, ut facilius hoc tempore ſit Eruditis Sacerdotibus præmia virtutis etiam in tanta Præfecturarum copia deeſſe, quàm ullum aliquando in ſacris Præfecturis Theologum, aut Juris-conſultum deſiderari. Obſcuri etiam nominis pagi laureatos nacti Paſtores, indicant, quantum invecta a Carolo in Clerum diſciplina viguerit, atque in immenſum amplificata ſit, ut merito literarum, Parens, Educator, atque Altor dici poſſit, & ſecundam hanc *Romam*, *quam lateritiam accepit, marmoream reliquiſſe*

CAPUT XXXV.

De Prudentia, & Conſilio in Eccleſiaſticis muneribus conferendis.

CUm æque periculoſa Antiſtiti ſit, atque Divino honorifica nomini, præſertim vero populo utilis, & ad Cleri ſtudia fovenda admodum efficax Eccleſiaſticarum Dignitatum æqua diſtributio: idcirco ſummam habebat in Sacerdotiis deferendis Carolus cautionem; ne laberetur imprudens, aut ullam injuſti damni inferendi occaſionem candidatis offerret. Ampliſſima Illi a Pontifice facta poteſtas fuerat, ut cujuſcumque Ordinis Sacerdotia, quæ vacua incidiſſent, aut dimiſſa ſponte eſſent, ab Ejus unice penderent arbitrio; qua Ille poteſtate ne abuteretur, ſacros alicui Titulos demandaturus, primum id omnium caverat, ne gratiæ, aut favori aliorum quidquam deferret, aut interpoſita quælibet ſeu Conſanguineorum, ſeu Potentium officia æſtimaret. Hinc ſe difficilem adeo gratioſorum hominum poſtulatis præbebat, ut hoc uno repulſam laturus candidatus crederetur, quòd magnifica ſibi commendatione aditum ad impetrandum muniiſſet (*a*). Deinde Sacer-

(*a*) Cum de Sacerdotiis deferendis ageretur, nec aliena ſibi admoveri officia paſſus eſt Carolus, nec ſua interponi. Comiti Lucretio de Gambara optanti, clientem ſuum apud Veronenſem Epiſcopum ut commendatum facere vellet, reſpondit: „ Nunquam id ego præſtare ſoleo, ut quempiam ulli „ commendem Sacerdotio ornandum; cum libera ſit „ relinquenda Epiſcopo poteſtas, ut optimum eligat juxta Canones. Quare nullas ad Veronenſem „ Epiſcopum pro cliente tuo literas dedi; Tu autem, & amicus tuus hoc pro certo habeatis: Si „ tot egregia commendant clientem veſtrum merita, ut ſcribis; ſibi certe Valerius non deerit; „ & quod a me rogas, ſponte ille faciet. " Quamquam nobilius fortaſſe moderationis hujuſmodi teſtimonium offeret epiſtola, quam Cardinali Sanctæ Se-

Digitized by Google

cerdotia nunquam veterum laborum mercedem esse putavit; sed novorum initia. Quod si præmium etiam esse posset, nunquam sane hoc beneficii genere domesticos suos munerari voluit, inquiens: *Christi patrimonio male admodum alienam servitutem rependi*. Quare nullum ex familiaribus, atque administris suis aut Sacerdotio quopiam, aut Ecclesiastica pensione ornavit. Siquando obstrictus alienis officiis videretur, non nisi ære suo absolvi voluit, sive stipendia augens, sive largiens præter ordinem effuse, aut ex patrimonio suo decerpens, quod a se deberi intelligeret. Idcirco, dum munera quædam domesticis testamento etiam legaret, id oneris imponere consanguineis voluit. Pensiones annuas nunquam sivit ab ullo suorum persolvi, imo etiam desiderari (*a*). Multæ autem ad hoc Illum impellebant causæ; nimirum ne desides alienis reditibus, atque otiosi alerentur: deinde Ecclesiarum allegabat damna, quibus attribui optimi Moderatores non possunt, si justi imminuantur census: aut Ecclesiasticorum, qui licèt hanc administrationem suscipiant, optime tamen pietatem, ac religionem exercere nequeunt; præterquamquod aliam fuisse, ajebat, eorum mentem, qui opulenta prædia Templis legarunt. Addebat insuper: carere eum Pastorali virtute Antistitem, qui Sacerdotes residentiæ, ut vocant, gravatos onere, novo, & minus ferendo pensionum jugo opprimeret; præsertim si illis etiam commissa esset Animarum regendarum cura. Neque id citra noxam fieri affirmabat unquam posse, nisi aut justa iis merces esset rependenda, qui diuturnam, & perutilem Ecclesiæ operam navassent, aut alendi essent senio, vel morbo confecti, qui aliunde vitæ subsidia difficile peterent. Hæc erat de Ecclesiasticis pensionibus sententia, quam altius Episcoporum animis infigere frequenter in Provinciali etiam Synodo conabatur. Quod autem ceteris

Severinæ dedit roganti, ut Specianum eligendum in Novariæ Episcopum Pontifici commendaret. Eam scripsit, dum Varalli degeret, paulo ante obitum, die scil. XXIII. Octobris: „ Ago, ut par est, maximas gratias propter susceptam a te Mediolanensis Provinciæ curam, & præsertim Novariensis Ecclesiæ, quæ hoc tempore Pastoris operâ indiget. Plurimi item facio sententiam, & testimonium tuum de Speciano, homine mihi jamdiu explorato, & cognito. Cum verò in literis tuis mihi eumdem commendes, rem breviter aperiam. Quamvis ea esset S. Gregorii sententia, ut timide & pedetentim expenderet renunciandos Episcopos, atque justa hinc mihi quoque offerretur timoris causa; tamen obsequendi gratia Summo Pontifici jam indicavi, quinam potissimum huic Provinciæ videbantur opportuni. In eorum numerum Speciani nomen retuli; quamobrem votum jam occupavi tuum. Verùm nihil a me ulterius postulandum est; sed integra est permittenda electio Summo Pontifici, qui cum S. Spiritus lumine regatur in Ecclesia administranda, atque omnes, quos nominavi, intime cognoscat, illud certe statuet, quod ad Dei gloriam, Novariensis Ecclesiæ utilitatem, & Gregis illius commodum expedire magis intelliget. Non dubito, quin & tibi probetur consilium meum, & illi etiam, qui renunciabitur deinde Episcopus; nam placato animo subibit onus impositum, & utilem fore suam operam sperabit, si a Deo ipso vocabitur. Hæc habui, quæ breviter scriberem &c.

(*a*) Pensionum ex Sacerdotiis decerpendarum usum summopere improbavit. Ad Specianum, qui hac de causa Eum oraverat, auxilium aliquòd externo cuipiam Sacerdoti allaturus, sic respondit: „ Nonnulli sunt, qui Ecclesiæ meæ multorum etiam annorum operam adjunxere; nihilo tamen minus „ nunquam mihi in mentem venit, eorum causa „ pensionum usum inducere, quantum in me est, „ & Sacerdotum meorum census hac de causa imminuere. Quare ex hoc conjicies, quantum ab ea „ opinione absim, ut pensiones in externorum beneficium imponam. Imo nescio, quis te malus „ spiritus agat, ut hoc mihi consilii afferas. " Sed multo acrius Specianum eumdem arguit, postquam intellexit ejusdem consilia eo spectare, ut ex Mirasolis Præpositura, quæ in Helvetici Collegii census erat referenda, pensio aliqua sibi reservaretur: atque vidit seipsum rogari, ut in id officia sua interponeret. Etenim hisce acribus verbis in eum invehitur: „ Quod mones, ut hac occasione memor sim inopiæ tuæ: video jam te prava cupiditate agi, quandoquidem pium hoc & omnino „ sacrum opus profectum a liberali & religiosa Altempsii voluntate, imminuere vis, aut turbare, obtentâ aliâ præter eleemosinam causâ. Licèt de „ te optime de Apostolica Sede merito agatur, hoc „ summopere dedecet, atque videtur optimum Cardinalis illius animum offendere, aut saltem refrigerare. Quod si Altempsius a me consilium „ peteret, tantum abesset, ut votum hoc tuum „ laudarem, quin imo pro virili dissuaderem; nec „ unquam paterer, si eum me esse contingeret, „ qui ipse est, ut perperam tanti beneficii usus interciperetur. Quare tu ipse indue Altempsii animum; & sine, integram ejus beneficentiam hac „ pervenire. Tuum interim erit sperare, fore, ut „ rebus tuis Deus consulat, quantum decet; etenim „ quantum necesse est, satis consultum videtur. „ Imo ista tibi tam alienâ occasione injecta cogitatio, apette indicat, spiritum hunc ex Deo non „ esse,

Digitized by Google

teris inſtitutum præſcripſerat, adeo religioſe retinebat, ut minoribus Titulis, quos *ſimplices* appellamus, perraro quempiam ornaret; ſed Pontificia, qua pollebat, auctoritate, aut eos Baſilicis addiceret, ad excitandam Pſallentium in Odeo diligentiam, aut Parœciis, ſiquæ Adjutoris ſubſidio indigerent, aut etiam iis, qui ordine ſuperiores ceteris, impares dignitati reditus haberent. Hac Ille ratione Metropolitanam Baſilicam, ad eum, quem hodie ſuſpicimus, ſplendorem perduxit. Non recuſavit tamen quandoque hiſce uti titulis, tamquam congruis ad inaugurandos Sacerdotes cenſibus, eoſque præſertim, qui opportunis carentes reditibus, initiari juxta Conciliorum ſanctiones non poſſent, & magnam concitarent expectationem ſui. Statuerat autem beneficium hoc ſuum certo tempore definiri, & abdicare ſe his titulis hujuſmodi Sacerdotes juſſerat, quoties donari eos aliis contigiſſet. Alteram enim legem ſanxerat, ut ad removendam a ſuis quamcumque avaritiæ labem, & alienandos a fluxis rebus eorum animos, qui *hæreditatis ſuæ partem Deum* unice præſtituiſſent, uno contenti eſſe titulo mallent, licèt pluribus augeri Canones ſinerent. Hauſtam hanc ab antiqua Eccleſiæ conſuetudine diſciplinam inſerere ſemper ſuorum mentibus ſtuduit; nec difficile impetravit, cum luculentum, & nunquam imitandum ceteris in ſe Ipſo ſtatuiſſet exemplum, tot ſplendide repudiatis Eccleſiaſticis honoribus: maxime autem, cum ad nutus paratiſſimum Clerum haberet. Quamobrem nonnullos, cum veterem plurium titulorum poſſeſſionem retinere vellent, & ignominiæ etiam ſibi ducerent, dicto Paſtoris minus audientes videri, ſeque refugi viderent a ceteris, tamquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ inimicos, tantus inobedientiæ ſuæ ſubibat pudor, ut, potentiorum adhibitis virorum officiis, optarent, uno dumtaxat adjecto titulo ſua nomina pronuntiari ab Eo, qui in Synodalibus examinibus compellare quoſque elata voce conſueverat. Recreabat ſummopere Cardinalem injectus contumacibus hujuſmodi pudor, cum ex paucorum verecundia intelligeret, quantum apud ceteros vigeret diſciplina, quam ii etiam laudare veluti cogebantur, qui ſequi tamen reformidarent.

Illud vero maxime intolerandum malum execrabatur, & dolebat intime, quòd qui aliis Sacerdotia deferrent, Candidatorum magis commodo, quam Eccleſiarum utilitate ducerentur. Noverat Ille plura eſſe in hujuſmodi collatione exactius revocanda ad trutinam: modo opportunitatem locorum, nunc incolarum ingenium, modo Eccleſiarum dignitatem, quæ diverſa identidem videntur poſtulare: alicubi requiri Paſtoris doctrinam, alibi prudentiam, conſtantiam aliquando, non raro auctoritatem, ſæpius ſanctitatem. Idcirco Eccleſiarum deſignaturus moderatores, prima omnium a Deo enixis precibus petebat auſpicia, ut ſapientius ea diſcerneret, quæ in rem expedirent, & ovium præcipue utilitati commodarent. Deinde Sacerdotum merita diligentiſſime expendens, ſi quem haberet Paſtoralis curæ adjutorem idoneum (cujuſmodi potiſſimum Oblatos eſſe voluit), cooptari in Metropolitanæ, aut Urbanarum Baſilicarum Collegia volebat, ut paratam, atque expoſitam haberet ejuſdem operam: minores vero titulos iis reſervabat, qui parem leviori muneri ſcientiam, aut ſolertiam afferre poſſent, imo etiam majorem; cum præter impoſitum Parœciæ munus aliis etiam expediendis ſacris negotiis illos pares ut plurimum vellet. Sic inter innumeras, eaſque diſſimiles Diœceſeos Provincias partiebatur aptiſſime ſingulorum dotes; cum in ampliſſima Diœceſi facile ſuppeterent Sacerdotia plurimorum adminiſtrorum votis, atque virtutibus accommodata. Itaque dicebat: *Epiſcopo non illud eſſe curandum, ut Eccleſiaſticum Virum Sacerdotio inſigniret, ſed ut Sacerdotium ipſum viri dignitate ornaret: hoc enim pacto facile ſervari rectum juſtitiæ ordinem; & illud maxime vitari incommodum, ut admoti ſacris Præfecturis homines citius impoſitum onus deponere cupiant, & imponenda deinde curent conſanguineis, aut amicis, qui ſuſtinendis hujuſmodi oneribus impares ſint.* Quas Ille abdicationes *digniſſimas lacrymis* appellabat, & *ſordidam Chriſti patrimo-*

trimonii negotiationem. Ita tamen Ecclesiæ simul, & Pastoris utilitati serviebat, ut commodum utriusque respiceret. Quo enim esset candidatus animo, qua valetudine, quibus moribus, solerter introspiciebat, ne quem difficilem subeundo muneri haberet, aut intempestivum beneficium collocaret. Vacuam Nobilis cujusdam præfecturæ possessionem dare cuipiam ex suis meditabatur, quem sibi diuturno ministerio addictum intus & in cute noverat. Verùm solicitum Carolum habebat perspecta jamdiu viri indoles, quem opinionis suæ retinentissimum, difficile a suscepta semel sententia dejici posse compererat. Quare apparebat, hominis constantiam non raro disciplinæ perutilem, posse tamen aliquando in pertinaciam erumpere plenam periculi, utpote quæ Collegii, cui præficiendus erat, pacem turbare posset. Ad quindecim dies itaque suspenso animo hæsit deliberaturus. Continuata prece, Deum primo, deinde in privatis colloquiis suos in consultationem adhibuit. Demum evocatum ad se hominem sic placide interpellavit: *Nullum unquam libentius Sacerdotium a me attributum cuipiam censeo, quàm quod in te sum collocaturus. Duo tamen a te exigo: primum, ne quod imponetur onus, unquam abjicias: Alterum, ut illud ferens, auxiliariam adjungas Archiepiscopo manum in Ecclesiastica disciplina retinenda, atque amplificanda.* Tum ille utrumque libentissime spondens: *Primum*, inquit, *a me Christi lex postulat; alienam enim rem diripio, si inire censuum Ecclesiasticorum possessionem velim hac impia mente, ut me Sacerdotio abdicem. Alterum vero ut exequar, cum mihi præfidere non possim, Deum oro, obtestorque, ut me vivis eripiat, siquando prævideat, me disciplinæ conservandæ adversaturum, quam tamdiu ut custodirem, tecum laboravi.* Erexit summopere, & refecit Carolum tam apposita, & homine digna responsio: quare e vestigio ornatum Sacerdotio dimisit; & sane opportunissimum semper Pastoralium curarum socium, atque administrum sibi habuit, & Successoribus reliquit.

Itaque hoc unum reliquum videbatur, ut Sacerdotia petentibus concessurus, digniores semper ex Canonum, & Tridentini præscripto seligeret; & ingenia, ceteraque Cleri dotes Ecclesiarum temporibus accommodaret. Quamquam id laudis interceperat pene Carolo Cleri Mediolanensis moderatio. Præstituebatur quidem palam præfixis Literis dies, ad quam a Candidatis doctrinæ suæ periculum fieret; sed diu tabellis propositis, ingens semper erat ad Tribunal solitudo petentium. Etenim nemo subire judicium audebat, licèt libera adeundi cuique potestas esset; cum tanta foret Sacerdotum in paterna Cardinalis tutela collocata fiducia, ut, nisi evocatus, quisque a petitione abstineret. Noverant plane omnes defixa in Borromei oculis merita, virtutemque singulorum; cumque amantissimo Patrono curam commisissent sui, ab Illius semper pendebant arbitrio: rati, nec se justa spe unquam dejiciendos, neque Cardinalem unquam ullius oblivisci posse. Hinc, cum Eum sapientissimum virtutis æstimatorem nacti essent, titulos impetraturi, novum etiam obedientiæ meritum afferebant; quare indigni beneficio apud ceteros videbantur, qui postulassent. Imo non defuere, qui cum egregiam, & diuturnam Ecclesiæ operam navassent, ne apud Deum collectam longo labore gratiam perderent, oblata etiam opulenta Sacerdotia splendide repudiarent. Avulsam hanc ex Cleri animo Ecclesiasticorum redituum cupiditatem sibi intime gratulabatur Cardinalis, intuens hujusmodi testatissimum Sanctitatis præstantioris testimonium: Verumtamen metuens, ne de Tridentini Sanctionibus quidquam imminueret, cum in Præfecturis sacris distribuendis voluntaria abesset candidatorum petitio, Pontificium consulere oraculum statuit, rogans, an sibi pro arbitrio destinare non petentibus illas liceret? Re intellecta, Gregorius effusis laudibus singularem Cleri Mediolanensis moderationem prosecutus est; atque intelligens, eam ab optimis Cardinalis institutis profectam, respondit: *licere id Mediolani fieri; utinam vero id alibi etiam præstari licuisset.*

Hoc confirmatus responso, nihil tamen

Digitized by Google

men intentatum omisit, ut omnem erroris periculum removeret. Clericorum omnium nomenclaturam, adjecta morum in singulos testificatione, ad se identidem mitti jusserat, quorum maxime ætas opportuna beneficio videretur. Alumnorum, qui in Seminariis, atque Collegiis vivebant, mores inquirere erat eorum, qui Locis præerant: aliorum vero cura aut Præfectis, si in Urbe essent; aut, si in agro, Visitatoribus incumbebat. In quatuor deinde ordines dividebantur universi, cum ad exhibendum scientiæ specimen vocarentur, ut dilucide, quo *in* gradu essent, appareret. Qui literaturæ eximiæ nomine celebrarentur, Principem obtinebant in hisce ordinibus locum: deinde pro doctrinæ ratione inferiores gradus tenebant reliqui: nullo iis relicto, qui indocti essent; nam qui minus docti dumtaxat haberentur, ultimo censebantur, & his deinde committebantur Sacerdotia minoris notæ. Itaque cum mitti aliquem in vacuam Provinciam oporteret, & nullus ad petendum accederet, neque nomen daret; accersitis Visitatoribus, atque Urbanis Præfectis, de Sacerdotii ipsius ratione agebat Carolus, attente expensa regionis, & temporum opportunitate: Mox eruebat cujus notæ Parochus ibidem desideraretur. Sic præstitutis eligendi Viri conditionibus, libellum, quem penes se habebat semper, indicem morum, & uniuscujusque ingenii, extrahens, adhibitis in consilium Visitatoribus, illum designabat, qui ætate, doctrina, prudentia, corporis valetudine, morumque probitate singillatim consideratis, aptior dignitati crederetur. Et quamvis singulorum indolem apprime nosset, imo etiam oris lineamenta, & nomen ipsum teneret, atque idcirco sapientissime deliberare per se Ipse posset; nunquam tamen opinioni suæ tantum tribuit, ut prudentissimum quemque ex administris suis nollet audire. Tanti enim Pastorum electionem faciebat, quanti Sanctiones ipsas, & Synodalia Decreta; cum utrobique de Ecclesiæ suæ utilitate ageretur, in qua procuranda alieno semper uti consilio optimum Antistitem decet. Itaque cum destinasset animo idoneos vacuis præfecturis Sacerdotes juxta eas, quas opportunas duxerat, conditiones: ut de illis periculum fieret, deinde imperabat. Erat autem eorum, qui eligebantur, incredibile, & sincerum gaudium; quoniam oblatam, veluti divinitus, sibi eam possessionem viderent, nec *ipsi honorem sumerent*, sed *a Deo tamquam Aaron vocarentur*. Hoc animo ut curam Sacrorum Sacerdotes susciperent sui, spectabat unice Cardinalis. Ubi vero, coacto Judicum cœtu, probatus quis præ ceteris esset, hunc dignitate ornabat, atque in hæc verba dimittebat humanissime: „ Fili non Sacerdotium tibi, „ sed te Ecclesiæ dedimus. Ideo tuum est „ religiose, & solerter in iis, quæ Dei „ honorem, & animarum utilitatem spectant, illi inservire. Cum tuam Ecclesiam lustrabimus, diligenter in mores „ inquiremus tuos, atque an decreta, & „ edicta nostra custodiantur. Pastorales literas ad Populum tuum dabimus, testes „ fiduciæ nostræ, quam in pietate, religione, & caritate tua collocamus, quemadmodum in Conciliis ediximus. *Pacificus sit ingressus tuus;* & tibi Deus adsit [*a*].

Adolescentes nisi omnibus absolutos numeris esse appareret, veluti per gradus ornabat. Primò enim minoris momenti Præfecturas deferebat; Interim, tamquam e specula, excubabat, visurus, quomodo se

(*a*) Neque auxilio suo, adesse Ecclesiarum Rectoribus recusavit, cum nollet honesta a Sacerdotibus suis vitæ commoda desiderari. Preontii Populum monens, ut justa Sacrorum Præsidi subsidia conferret, hæc habet: „ Cur grave videatur, Pa„ rocho vestro bene a re domestica esse. Etenim, „ quo minus ille terrenis rebus adjiciet animum; „ eo diligentius, atque intentius in Sacra incumbet; neque honestis commodis Sacerdotem carere „ decet. Quod si graves doletis in templi nitorem, „ atque ornamenta factas impensas, næ vos igno„ rare videmini, quo vos apud Deum Opt. Max. „ merito cumulaveritis, quod certe maximum est; „ neque enim homines unquam hujusmodi de cau„ sa excedere modum possunt.

Digitized by Google

ſe in commiſſa adminiſtratione gererent [a]. Edoctus deinde de ipſorum probitate, & veluti certior, aliis opulentioribus titulis admovebat, ſi petendo abſtinuiſſent; petitio ſiquidem impedimento fuiſſet futura, quominus impetrarent. Multæ ſane utilitates hoc conſilium ſequebantur. Scilicet ſiqua nobilior Præfectura optimum Præſidem poſtulaſſet, gaudebat hominibus rerum uſu exercitatiſſimis; & diuturna Paſtorali cura eruditis. Deinde nulla erat Sacerdotum querela, cum nullus ſe neglectum doleret. Eorum vero, qui hujuſmodi curis impliciti erant, animus excitabatur, & acuebantur ſtudia, intuentium, ſe cordi eſſe Antiſtiti ſuo, qui opportunum rependere laborantibus præmium & poſſet, & vellet. Neque hoc modo ſpes aberat ab iis, qui minores ætate ad Sacerdotia aſpirarent; nam contento curſu ad literarum, & pietatis ſtudia inflammabantur, quam muniri unicam ad præmium intelligebant viam; nec rudiores deſperabant, qui pro viribus ſuam ſibi deſtinari militiam intuebantur. Demum monebantur præfervidi adoleſcentiæ vitio juvenes, ne a recti ſemita excederent, qui virtutis viam ineuntes, inſtare propoſita ſemper probis hominibus præmia prænoſcebant.

Alios deinde alienigenas habebat ſub ſignis; eumdem tamen ſervabat ordinem, ſi eos Præfecturis ſacris ornaret. Quamquam exteros titulis augebat perraro; atque inde orta hujuſmodi parſimonia putabatur, quòd, cum eorum conſuetudine uteretur quotidie, diligentius etiam illorum indolem introſpiciebat, verebaturque, ne minus utiles ad Sacra adminiſtranda forent, cum nullâ aliâ præter hanc causâ Ille in provinciarum partitione duceretur. Idcirco quotquot Roma, aliiſque regionibus Sacerdotes ſecum in hanc vineam excolendam duceret, ne temere in eorum delectu faciendo laberetur, ad Collegia amandabat, ut ibi veluti Eccleſiaſticæ diſciplinæ ponerent tyrocinium: Poſtmodum quos decretorum patientes noſſet, titulis augebat: (b) reliqui vero, qui edicta non adeo ferrent toleranter, facile diſcedendi veniam referebant. Itaque optimus erat in Mediolanenſi Eccleſia, ejuſque Rectoribus, atque idem virtutum concentus, mirus ordo, eximius ſplendor: Tanta autem pax, Eo ſedente, ac rerum tranquillitas viguit, ut mutum jurgiis forum, & elinguis contentionibus Curia eſſet; quandoquidem nec, abdicatis Sacerdotiis, Succeſſores laceſſebat abdicantium aviditas; nec, mutatis, de cenſuum inæqualitate ſerebantur controverſiæ; cum redituum cogitationem omnem in paternam Antiſtitis curam rejicerent univerſi, nec ullam aliam, niſi de virtute, probiſque moribus, ſuſciperent. Equidem ipſius Caroli hæc erat ſententia, & frequens vox: *facile Eccleſiaſticam diſciplinam inſeri mentibus poſſe, & pravas radices, unde ſtirps malorum omnium in Domini vinea exoritur, nullo negotio evelli; ſi omnis avaritiæ, & cupiditatis extinguatur in Sacerdotibus amor: hæc autem*

(a) Eximiam morum integritatem ab Eccleſiæ ſuæ adminiſtris exegit. Oſnagi Rectorem, qui de more ſermonem a ſe habitum per literas ad Archiepiſcopum miſerat, cum inani quadam gloriolæ oſtentatione, ſic brevi epiſtola monuit: „ Reverende Paroche. Miſſum a te ſermonem accepi; & pro certo habe, gratos etiam futuros, quos in poſterum mittes; multo autem gratiſſimos fore, ſi Chriſtianæ humilitatis acceſſerit commendatio. Hæc habui, quæ reſponderem &c. " Tradati autem Parochum, de cenſuum tenuitate conquerentem ſic corripuit: „ Quod ſcribis multa tibi iſto in loco commoda deeſſe, id optimum tibi duco; quoniam prima hæc fuit tua hanc provinciam ingredientis cogitatio, ut humana prius commoda tua curares, quam populi iſtius utilitatem, & Eccleſiæ decus. Quare patienter ea feras moneo, ut a te ipſo erroris tui pœnam exigas.

(b) Ægre imo admodum patiebatur ab Eccleſiæ ſuæ ſinu optimos, ſiquos nanciſceretur, adminiſtros divelli. Audi quid ad Arimini Epiſcopum ſcripſerit, cum Paulum Salodium a Carolo Mediolanenſi Seminario præfectum, Joannes Baptiſta Caſtellus revocaret in Patriam: „ Nunquam putaſſem tot uſurum te machinis, quibus expugnare Pauli Salodii animum conatus es, quo facilius ad te evocares; qua de cauſa omnem ſpiritus, carnis, & ſanguinis vim admoviſti. Verum ille tot hoſtibus circumſeptus, quemadmodum conatus omnes egregie vicit, ita conſtanter propoſitum tenet, ut facile cognoſcas, ſerio illum, & invicto animo meam Oblatorum Congregationem ingreſſum eſſe. Quare ne te, quæſo, conſilii pœniteat tui, nec tollas quod jamdiu dediſti: pro certo autem habe, non minus urgeri me Eccleſiæ Mediolanenſis neceſſitate, quam te Arimenenſis.

tem malorum ſemina extirpari, ſi Chriſti patrimonium dividens Antiſtes, dignitatem candidatorum ſpectet, non officia; & Eccleſiæ potius æſtimet tempora, quàm Eccleſiaſticorum. Cumulabat demum delata Sacerdotibus beneficia liberalitate ſua Cardinalis; atque hoc complementum addebant promulgata pro Curiæ adminiſtris edicta. Etenim nihil de beneficio decerpebant, aut Scriptorum inſatiabilis opera, aut diplomatis referendi neceſſitas: Statuerat Ille, literas poſſeſſionis ineundæ Sacerdotibus dari, omni ſumptu abſolutas, pretio uno chartæ, & amanuenſis præſcripto; quæ omnia cum certis limitibus ex edicto præfinita eſſent, opulentiſſimi licèt Sacerdotii diploma unico nummo ſemper æſtimabatur.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE

DE MIRACULIS SANCTI CAROLI BORROMEI S. R. E. CARDINALIS MEDIOLANI ARCHIEPISCOPI LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quàm multa Deus a Carolo exoratus mirabilia egerit.

PERICULOSÆ plenum aleæ opus aggredimur, in quo detrahi potius justa Carolo laus debeat, quã falsa affingi. Etenim mirum quidquid, & supra naturę vires divinitus, Illo deprecante, peractum est, brevi comprehendere libro cogimur, & arctis circumscribere finibus, quæ sine verborum fuco nitide, ac nude expositа, justæ molis volumen implerent. Porro difficilius erit unum aliquem ex Mediolanensibus reperire, qui expers aliquando Caroli patrocinii fuerit; quàm eos omnes complecti, ad quos Ejusdem sive nobiscum, sive cum Superis viventis providentia, atque amor pervenerit. Quare, cum difficile admodum scribenti sit amplissimæ Urbis Cives, atque incolas singulatim percensere, diversa deinde beneficiorum iisdem collata genera enumerare multo certe erit difficillimum. Adde cumulatam beneficiis Diœcesim, Provinciamque Mediolanensem: Adde Italiam universam, gentes exteras, & longissime dissitas nationes in hujusmodi potentissimæ Tutelæ expectationem erectas, & donis insuper mirificis divinitus, Borromeo postulante, ornatas. Publicæ in plurimis Urbibus confectæ sunt Tabulæ miraculorum testes: Institutæ quæstiones legitimæ Mediolani, Ticini, Cremonæ, Placentiæ, Bononiæ, Pisis, in Monteferrato, & in remotissimis usque Poloniæ partibus; atque tot mira leguntur ubique, ut in Cremonensibus tabulis huc per Cæsarem Specia-

cianum Episcopum missis sexaginta supra naturæ ordinem accidisse miracula jurati testes affirment. Authographa vero volumina, in quæ referuntur accedentium cum donis testimonia, innumeris prodigiis abundant; iisque scriptis accedit certior votivæ ceræ, argenti, & tabellarum fides, cum nullus ad tumulum Illius vacuus veniat, nec beneficii expers recedat. Decem millia, & quinquaginta supra trecenta numerantur jam argentea donaria, quæ apte, congruenterque distributa in tabulas, pulcherrimum Basilicæ huic ornamentum addunt, & objecta intuentium oculis, exorabilem facile per Caroli preces Deum luculentissime testantur. Itaque video, mihi hac in parte non copiam quærendam esse, sed modum. Idcirco nonnulla ex tabulis, primum Ordinaria, ut ajunt, deinde etiam Apostolica auctoritate factis, delibare placuit, ut levi hoc prolato Divinæ Virtutis indicio, postulantium votis indulgerem, non autem ut Caroli dignitati servirem [a]. Utque res ordine suo procedant, primò in *unum* locum congestis, quæ Miranda vivens Carolus præstitit; deinde ad ea exponenda dilabemur, quæ divinitus statim Ejus obitum consequuta sunt. Hinc modum, quo edita miracula fuerunt evolventes, ea, quæ per preces, & vota primum, mox quæ ad Illius tumulum, ultimo per Ejusdem imagines, & vestes, aut suppellectilem mirabilia evenere, gradatim innuemus.

CAPUT II.

Recensentur miracula, quæ Caroli vitam illustrarunt.

NE eamdem iterum cantilenam canamus, juvat omittere depulsum, Divina ope, intentatæ per Donatum, cognomento Farinam, mortis periculum. Satis jam alibi sceleratos ejusdem conatus, & plumbeam irrito ictu defluentem ad Borromei pedes glandem commemoravimus. Novum potius enarrabimus reddiæ valetudinis genus, quod in Historiæ descriptæ seriem apte etiam incidisset, nisi huic opportunius loco visum esset. Quo tempore Modoëtiam Henrico Regi occursurus festinavit, Nobilis quædam mulier paulo ante nupta, (hæc nomen suum noluit inferri historiæ) occultâ morbi vi affecta, contabescebat, quem, ut præferebant indicia, venis insperserant Sagarum pessimæ artes, aut insidens intime malus Genius. Ingestum quidquid foret, stomachus aversabatur, & nauseâ gravior animum mœror, atque anxietas occupaverant; fatebatur autem

(a) Hæc, quæ subjecit, Author miracula Apotheosis Tabulas ornavere, non impleverunt tamen; quandoquidem video, in iis exponendis delectum *potius spectasse* Glussianum, quàm exactam singulorum commemorationem. Optimo autem consilio id factum est, ne rerum prope similium recensendarum copia aut scriptorem obrueret, aut fastidium lecturis crearet. Quantula autem miraculorum, quæ Caroli ope patrata sunt, pars ea est, quæ extat in *Tabulis*, si cum illis ea comparemus, quæ post Apotheosim omnium penè Gentium sermonibus celebrata sunt. Joseph Castalio suam *Dimetriam de Institutis Congregationis Oratorii* nuncupans Cardinali Federico Borromeo anno MDCXII., & loquens de S. Carolo paulo ante SS. Albo adscripto, hæc habet: „ Consilium de S. Caroli Vita versibus conscribenda meum, quod Tibi Romæ commoranti offenderam, intermissum variis de causis resumam. Equidem admoneor, & stimulis quibusdam impellor ad opus prosequendum, percrebrescentibus in dies S. Caroli miraculorum præconiis. Sunt qui scribant, Signorum virtutem aliis a Deo concessam, quò facilius ad Canonizationem perveniatur. Sed S. Carolum Deus post Ecclesiæ Catholicæ decretum, quo inter Sanctos est relatus, magis magisque quotidie illustrat, & clarificat. Nullus jam est Fidelium locus, nulla regio, nulla civitas, nullus vicus, quo S. Caroli gloria non pervaserit, ubi nomen Ejus devote non invocetur, pieque colatur. Templa Ei magnificentissime construuntur: Altaria, & Ædiculæ in Templis omnibus eriguntur: Sodalitates instituuntur: cultus incredibili veneratione Ejus imagini pictæ, fictæque exhibetur. Omnibus Ejus fidem implorantibus præsens est; omnibus fert opem. " Quare ad Sextilem mensem ejus anni, quo hæc scribebat Castalio, XLVII. jam Aræ S. Carolo dedicatæ in Principe Urbium Roma numerabantur, ut mihi constat ex literis ad Grattarolam datis. Non enim Almam Urbem puduit, hac in parte obsequii erga S. Carolum exempla petere a Civitate nostra, in qua jam luculentiora extabant hujusmodi observantiæ testimonia. Utrinque deinde per Italiam universam amplificata Ejusdem fama est, & paulo post Europam omnem, & præsertim Galliam, & Belgium implevit.

Digitized by Google

tem misera, pungi sibi viscera, implexo veluti latente in præcordiis rubo, cujus causa constrictis faucibus non raro intercludebatur anhelitus. Ægerrime tamen omnium, Sacerdotum præsentiam ferebat, & matris ipsius; quod si Templum introisset, Sanctissimum Christi Corpus, Fidedelium præsertim venerationi inter Sacra propositum, refugiebat adeo, ut inhonesto etiam corporis motu ingenitam sibi præter voluntatem molestiam testaretur. Diu itaque intestinis hujusmodi jaculis confossa, & animi non intellectis fluctibus obruta, ad Medicorum artem, & præscripta etiam sacra remedia frustra confugerat. Cum repente audiens, illic adesse Cardinalem cum Rege collocuturum, speravit, nullum inveterato malo præsentius, quam ex Illius manu, peti remedium posse. Idcirco Prætereunti extra domus fores occurrens, flexisque genibus benedictionem sibi de more impertientem venerata est. Ocyus discussa omnis morbi vis: affirmavit exinde, se, veluti hausto medicato poculo, imbecillitatem summam repente in venis sensisse, mox egesta tamquam morbi causa, levari stomachum: sensim deinde refectis viribus ad pristinam valetudinem ex tempore rediisse, omni penitus deleto mali diuturni vestigio.

Sub pestilentis anni exitum Margarita Vertua Francisci a Guardia Aurificis Mediolanensis uxor pestiferæ contagionis, quæ Urbem pervaserat, expers, in febriculam inciderat, quam peste crudeliorem fore apparebat. Sextus jam mensis agebatur, ex quo pertinaci æstu tentabantur præcordia, in cassum adhibita semper Medicorum arte, quæ vitam fortasse ad doloris incrementum protraxerat. Adeo exsuccam, atque monogrammam morbus effecerat, ut umbra dumtaxat hominis supereresset, & sub pellucenti cute ossa numerarentur. Vires vero adeo eam defecerant, ut lectulo affixa latera versare non posset; & vix accedente subjectæ syndonis subsidio, & domesticorum opera in alteram revolvi partem esset necesse, ut locum mutaret. Deserta a Medicis, virum obtestabatur crebro, ut sibi saltem excipere a Cardinali Benedictionem liceret; hoc enim uno beneficio sibi melius fore certo pollicebatur. Maritus, utpote notus, votum suum, atque uxoris Borromeo aperuit. Conditum est, ut, quoniam supplicationis de more indictæ causa prætergrediendum Illi ejus domo foret, adesset uxor ad limen, ubi voti compotem certe feciisset. Itaque, dum supplicabundus eodem anno die SS. Trinitati sacra ad Hospitalem Mendicorum Ædem procederet Carolus, collocatam ad januæ limen ægram Margaritam conspicatus, mox in vestigio subsistens, illi benedixit. Tum illa valere se, statim exclamavit, atque adeo confirmatam viribus fassa est, ut tenui accedente suorum auxilio, scalas ocyus ascenderet; hinc lecto valedicens, & cibo hilariter sumpto, egrederetur domo, nulloque sustentata fulcro totam, quantamcumq; supplicabundus populus emensus viam fuerat, strenue iniret, atque feliciter conficeret: quæ cum ad mille passus extenderetur, valenti etiam fœminæ incommoda visa esset. Neque exinde ullo tentata ek morbo, nisi bis, aut ter brevi febricula, quæ non molestiam valetudini acceptæ, sed quamdam potius commendationem afferret.

Mediolani item Joannem Baptistam Berettam ab ineunte ætate corripuerat pertinax adeo hæmorragia, ut ingens sanguinis copia septies etiam, circumagentibus se diebus, noctibusque singulis, per nares effluereet. Frustra erumpentis sanguinis vim cum cohibere Medici conarentur, vivo, videntique funus parabatur; præsertim cum insperfum naturæ vitium hoc dictitarent, ex quo Patruus etiam ipsius occubuerat. Notabatur jam oris pallor, & mortui similis exanguis cutis: quare sucidiuo poplite, genua etiam lababant propter inductam humoris vitalis jacturâ imbecillitatem nervorum. Saluti fuit misero penes Euangelii Scriptores legere, hæmorrhoissæ Mulieris historiam, quæ, contactâ leviter Christi vestis fimbriâ, *virtutem ab Eo exeuntem* feliciter decerpsit.

Hinc

Digitized by Google

Hinc in parem ſpem ſalutis erectus eſt, ſi Cardinalis veſtes, quem Chriſti videbat eſſe ſimillimum, poſſet forte contingere. Itaque fiduciæ plenus ſecunda *Rogationum* die Caroli veſtigiis inſiſtens, ingredientis S. Nazarii Ædem paludamento manum reverenter admovit; & tangentis fidem ocyus par conſequutum eſt reſtitutæ valetudinis beneficium. Utque magis teſtatum eſſet, ea tempeſtate cohibitus eſt ſanguis, qua propter ineuntem æſtum promanare largius ante conſueverat.

Luſtrata Travalea Valle, in Helvetios proceſſerat anno MDLXXXI. menſe Sextili Cardinalis; cumque Polegii eſſet in Villa ad trium Vallium umbilicum ſita, Iraniam haud longe diſſitum vicum inire meditabatur die Aſſumptæ in Cælos Deiparæ ſacra. Auctus effuſis imbribus Ticinus, utrumque pagum interfluens, metum adventantibus fecerat. Verumtamen Cardinalis, duce Joanne Baptiſta Pelanda vadorum gnaro, feliciter equo ſublimis tranſnatavit; nec minus tutò ceteri etiam comites flumen trajecerant. Poſtremus omnium ingredi vadum cœperat Abbas Bernardinus Taurufius Vallium earum Viſitator, quem Joſeph de Cavaleriis Notarius ſequebatur. Ubi medium ambo ingreſſi ſunt flumen, circumſtrepente undarum æſtu perterriti, remiſere equorum lora: mox vincente aquarum impetu, deorſum delatos profundo gurgite hauſtum iri conſtabat, cum redundante undarum mole obruti, vix ægre caput e flumine proferrent. Pelanda ex altera ripa inſtante periculo commotus, atque ad Carolum converſus, actum de utriuſque vita jam eſſe, exclamat, neque ulla, niſi divina, ope poſſe eos emergere. Flexit oculos Cardinalis; mox junctis manibus, oculiſque in Cælum ſublatis, ſignum Crucis effinxit. Ecce autem, veluti alarum remigio fulti, equi improviſo ſaltu ex aquis undique ſuperantibus emicuere, atque in ſublimem, quæ Ticino incumbebat, oram evolantes, reddidere ſeſſores geminos incolumes admirantibus domeſticis; quorum non minor lætitia de receptis comitibus fuit, quàm ingens de Cardinalis ſanctitate concepta opinio.

Quindennis puer viduæ probæ mulieris Filius, adjacentes S. Simpliciani Templo Ædes incolens, novo morbi genere jamdiu conflictabatur. Artus ſiquidem inſederat Dæmon, cui cum horrendum ex Eccleſiæ ritu intonaret carmen P. Pius Camutius ejus Templi Cimelio tum Præfectus, poſtmodum Monaſterii Abbas, inanem tamen ſe operam ſemper luſiſſe doluit. Demum, quo tempore inſtruebatur magnifico ornatu Baſilica propter indictam a Carolo S. Simpliciani translationem, Pius potentius in Borromei ſanctitate, quam in recitatis diris collocatum præſidium ratus, his adoleſcentem aggreſſus eſt verbis: *Tanta eſt Caroli Sanctitas, ut Ejus nutu facile fugatum iri Dæmonem certo putem*. Paruit conſilio puer, & flexis genibus advenientem ſtatuta die Cardinalem præſtolatus, benedictionem accepit; qua impertita, exanimis ferme concidit improviſo; ſed repente etiam ſibi redditus, & permoleſto hoſpite liberatus, nullas inpoſterum reſidere in ſe inteſtini mali reliquias ſenſit.

Deo ſacram Virginem, cui Luciæ Caimæ nomen erat, in Sanctæ Marthæ Monaſterio probitate morum inter æquales ſpectabilem vexabat acris, quæ e cerebro in oculos influxerat, pituita: Deo id, credo, ſinente, ut conſtantiæ illius periculum faceret. Apponebat malagamata diligens Chirurgus, non quaſi depellendi morbi ſpem foveret aliquam, verùm ne illa ſe deſertam doleret. Serpens itaque ſenſim acris humor ita alterum ex oculis exederat, ut jam tabes efflueret, & offuſâ caligine, ſæpius etiam lectulo hærere cogeretur. Paulo ante Caroli obitum accidit, ut ad Monaſterium Ille Sacrum facturus aliquando accederet; quo audito, Lucia convolavit in Templum, & Deo ſic movente, in hæc verba erupit: *Obteſtor te Deus Opt. Max., ut uſum mihi oculi reddas, Fedeliſſimi hujus Famuli tui gratia, quem Sanctitatis fama tibi acceptum ego, atque univerſi veneramur*. Vera certe dixerat Virgo; Quare

Digitized by Google

Sanctitati Cardinalis novum testimonium accessit restituta ocyus divinitus luminis claritas. Sed aliquam beneficio accepto laudem detraxit Virginis silentium, quæ causam recepti luminis aliis aperire, nisi post Borromei obitum, noluit.

Atque hoc loco infinita alia me circumstant prodigia, quæ prætereunda ingrato silentio non sunt. Percrebuerat apud Cives hæc fama, Borromei præsentiâ salutem certam infirmis afferri. Nimius profecto sim, si commemorem singulos, quibus illa saluti fuit. Marcellus Rincius, & Joannes Paulus Balbus gravi recreati morbo, Borromei unius adstantis officio sunt: Ferdinandus Novatus lethali confossus vulnere, mortis periculum, dum illum Cardinalis Merati inviseret, creditur evasisse: Stuppanum Joannem Petrum, & Philippum Estensem, illum quidem gravissima laborantem febri, hunc sanguinis vomitione confectum, utrumque nulla ferme in spe trahentem animam, lectulo assidens discrimine liberavit, ut aliàs etiam exposuimus. Neque vacat commemorare Ferdinandum Mediceum adhuc infantem nullo alio remedio, præterquam Borromei contactu, incolumem dolenti matri restitutum, quo tempore jamjam excessurum e vita omnes affirmaverant. Sed huiusmodi exemplis abundant publicæ tabulæ, quæ ad minuendum molestæ narrationis tædium consulto omittimus. Unum prodigii instar Caroli vaticinium adjungemus, quod juratus Dominicus Missalea Mezanæ Sacris Præpositus ibidem indicavit. Hic narrat, Cardinalem, cum eo in loco versaretur, & confluenti populo Sacrum Panem distribueret, forte advenienti ad Aræ cancellos ignoto homini, cui Buschinus nomen erat, constanter impertiri Mysteria noluisse. Divinitus siquidem noverat, eum integram famem ad Cæleste illud convivium non attulisse. Et sane de hoc monitus a Carolo Præpositus, cum hominem remotis arbitris rogasset, num præscriptum a ritibus jejunium violasset? rei veritate cognita, acriter corripuit; atque intellexit, Divino afflatu crimen Borromeo patuisse, quod ferme reus ipse ignoraverat.

CAPUT III.

Miracula, quæ Ejus mortem comitata sunt.

COnstantia Rabbia, quæ jamdiu instituendis Fidei primordiis fœminis piam impenderat operam, multis ante annis ita alterius brachii usu fuerat destituta, ut nec admovere operi, nec rectum tenere, imo vix flectere, aut movere posset. Itaque pondus illud inutile inseruerat fasciæ e collo suspensæ, cum, spe ipsa recuperandi brachii deficiente, una ferendi patienter doloris cura supereresset. Vulgatâ per Urbem Cardinalis extincti famâ, lacrymarum, & amoris plena, in has querelas erupit: *Miseram me! Cui ego senex, infirma, & telluris onus reservor, dum interim Sanctus hic Pastor, Ecclesiæ, & Populo universo eripitur? Unum restat solatium, ut Ejus Cadaveris conspectu oculos saturem; quandoquidem spero, si sors dabit, ut Illud infirmo hoc brachio contingam, me incolumem Ejus ope ad lares redituram.* Festinationem mulieris auxit fiducia; quare statim ad invisendum Cadaver in feretro expositum convolans, seque Deo enixe commendans, admotum brachium ocyus expedita retrahit, & crebro motu fidem prodigio faciens, absolutos diuturno stupore nervos jam esse comperit. Triumphans gaudio redit ad suos: mox abluendis pannis, cædendisque lignis utrumque brachium pari conatu applicans, dubitare cogitur, utrius usum receperit, cum neutrum operi impar esse sentiret.

Par beneficium, sed minore emptum conatu retulit Octavianus Varisius Mediolanensis Patricius. Trimestri spatio hunc lecto affixerat duplex tertiana febris; atque aliquod præsagiebat Medicus vitæ, aut saltem diuturnioris morbi periculum, cum videret ægrum suo prius, deinde etiam autumnalis temporis vitio laborare. Hic itaque, postquam Caroli mortem intellexit, molestius ferebat morbum, utpote qui impedimento erat, quominus justa Patri amantissimo persolveret. Quod reliquum erat, absentem invocans rogavit, ut

Pa-

Digitized by Google

Patrem se saltem Borromeus e Cælis testaretur, cum sibi Filio esse non liceret. Utrumque tamen impetravit; paternam Borromei benevolentiam, recepta statim valetudine, expertus, & sibi factam potestatem, ut ducere Defuncto funus filii amore posset.

Pius quidam erat Fœminarum Mediolanensium manipulus, quæ cum singulari studio in Borromei Sanctitatem ferrentur, vix unquam ab Eo pedem amovebant. Deducebant Templa adeuntem, concionantem audiebant, Sacris operanti adstabant, avebant demum Sacri Panis Mysteria Ejus manu percipere. Ex his Nobilis quædam ex Besutiorum stirpe nobilissima, Ursula nomine, humanas nuptias aversata, ad unius Cælestis Sponsi purissimos amplexus aspirabat. Idcirco ab hominum commercio sejuncta, sacris exercitationibus intra privatos lares vacabat, & hausta a Sancto Carolo vitæ instituta sequebatur. Constantiam Virginis remuneraturus Deus permiserat, ut ex animi deliciis corporis dolorem referret. Nimirum, dum diu nixa genibus in cælestium rerum contemplatione defixa hæreret, intumuit præter modum genu; deinde affluente paulatim humore, & concrescente sensim, tantus consecutus est dolor, ut neque genu valeret inflectere, nec ullam in arte solatii spem esse Chirurgus testaretur. Conceptum ex morbo dolorem obruit acceptum de Cardinalis interitu nuncium, de quo unice dolendum sibi esse intelligebat. Quare confecta lacrymis ad Sacellum, ubi depositum Illius Cadaver jacebat, festina accurrit, neque inde avelli, nisi elato, voluit: saturatura, quantum licebat, oculos jucundo simul, & gravi Illius aspectu. Ubi vero domum rediit, admirata nullum in genu doloris sensum superesse, inspicit diligenter, atque omnem evanuisse mirabiliter humoris affluxum cognoscit. Gratius beneficium fuit, quod inopinatò accidit, imo ultro delatum non roganti fuerat. Atque exinde athletice adeo Virgo, quoad vixit, valuit, ut semel impetrata valetudo omnem etiam postulandi novi beneficii facultatem adimeret.

CAPUT IV.

Alia plurima, quæ, Caroli extincti ope implorata, divinitus accidêre.

CIrcumegerat se a Borromei morte annus, qui Euphrosinæ Balconæ in S. Barbaræ Asceterio degenti permolestus fuit. Hæc totum illud ab Ejus obitu spatium dolens traduxerat; & doloris causa fuerat lævum genu latente vitio ita tumidum, ac verrucâ prominente turgens, ut, cum illud curvare niteretur, sui impos præ dolore esset. Augebat mœrorem desperatæ salutis, quod a Medico retulerat, responsum; quare procurandæ etiam consilium abjecerat. Dum aliquando cum Sororibus in Odeo sacris vacaret precibus, ceteras intuens nixas in genua, doluit, sibi earum Religionis imitandæ potestatem deesse. Sedens itaque, ùt erat, Carolum obsecravit, ut liberam sibi genu flectendi facultatem impetraret. Dum optat, credit jam impetrata, quæ postularet. Quapropter, afflanti velut interius Deo assensa, flectere genu dum tentaret, flexit: reliqua cum ceteris peregit: mox in Cellam abdita, scrutata, num extarent morbi vestigia, tuta omnia vidit, imo in posterum periculi etiam suspicionem abesse experta est.

Pinciani agri Mediolanensis vico Dominicus Agricola, cognomento Provasius, novem circiter menses aqua intercute laborans, & febri, inhoneste adeo corpore intumuerat, ut intuentes quosque intime commoveret. Diu decubuit, urente febri præcordia, & immani ventris mole oppressus; neque spes ulla morbi depellendi erat, cum, si quod ab arte expectare potuisset remedium, neque optare per inopiam liceret. Prima illi fuerat Nosocomii publici adeundi cura; mox utilior alia subiit cogitatio, ut Borromei patrocinium imploraret, quod compendiariam magis salutis viam offerebat. Ad Illius itaque præsidium confugit, vovitque, se certas, quoad viveret, in dies singulos recitaturum preces, si voti compos fieret. Interim dum se religione solvere incipit, sensim cœpit morbi inveterati

longo dolore absolvi. Primò febris æstus conquievit; neque decimus quintus exactus est dies, quin omnis ex albo corpore aquosus fugeret languor, & flavus oris abstergeretur color. Integris demum, ùt antea, viribus, ad rusticæ vitæ laborem redeuntem vidêre domestici eo majore cum gaudio, quo minore dispendio salus parta steterat.

Quartum jam supra decimum egerat annum sanguinis fluxu pene confecta Archangela Gussona S. Barbaræ Clausstris addicta Virgo. Nimirum venæ majoris, quam Medici Portam appellant, disrupta derivatione, redundans identidem in os erumpebat sanguis; quare nunquam occluso meatu, ad summam virium imbecillitatem perducta, eo tandem devenerat, ut aut vitali humore destituta, aut oppressa, instare jam, vel certe appropinquare mortem formidaret. Ad Sextilem mensem anni sexcentesimi supra millesimum accisis prope rebus, ac perditis, Sacram Asceterii Ædem ingressa, atque ante aram prostrata, enixe Carolum obtestabatur, ut valetudinem redderet, si hanc sibi opportunam duceret; & impetrandi beneficii veluti obsidem, fidem obligavit suam, vovens, se hoc dono auctam, habituram inposterum auctori gratias, cujus natalem recurrentem diem austero jejunio auspicari quotannis vellet. Dum votum nuncuparet, perfundi se intime gaudio sensit, & fiduciæ plenam, quæ impetrata jam omnia certo prænunciaret. Neque vana spes fuit: Regressa e Templo, tumultum omnem pectoris sedatum sensit; mox præscripta legibus ministeria intrepide obiens, ceterarum laborem strenuè æmulabatur, imo vincebat. Cæsar Bergamius Medicus rei novitate perculsus, publicis in tabulis, nihil certe magis supra naturæ vires accidere posse, affirmavit.

Agnes Giezzia, inter domesticas famulas cooptata in S. Catharinæ ad Braydam Monasterio, quotidie colebat Cardinalis memoriam, cujus beneficio sacras Vestes acceperat. Illi tamen neque Extincti beneficium defuit. Siquidem, cum hernioſa esset, & fœdo lapsu decennio ante intestina defluxissent, ex quo assiduus hærebat peritonæo fracto dolor; permoleſto vexata morbo, & desperato remedio, ad Ejus patrocinium confugiebat, cui omnia referebat accepta: ita tamen preces temperabat suas, ut in ferendo constantiam dumtaxat postularet. Mense Octobri ejusdem anni cum perrexisset cubitum, augeri adeo morbi acerbitatem sensit, ut nec sopori indulgere, nec quietem capere posset. Luce appropinquante, insomnis adhuc, & dolore tandem victa, atque imo ex pectore suspiria trahens, oravit Superos, misereri ut saltem imbecillitatis suæ vellent; cum se angi molestius diceret, quàm ut par ferendo esset. Affirmabat, nisi divinitus adesset auxilium, cujus causa dolere desineret, se citius vivere desituram. Votum secuta est quies aliqua: & obrepente deinde levi somno, adstare coram sensit Cardinalem, qui fulgido vultu Solis radios vinceret. Mox accedentem, & mollibus verbis audit hortantem, ut reficeret animum: etenim fore, ut omne etiam inposterum doloris periculum depelleretur. Hæc dum diceret, manum intestinis labentibus admovit, iisque loco restitutis, evanuit. Ocyus somno excusso, evigilavit Virgo, & effuso gaudio gestiens, comperit nulla enteroceles vestigia, suumque in locum viscera rediisse. Advolavit statim ad Monasterii Præsidem, rem totam ex ordine docuit, gaudiumque suum ceteris impertita, laboriosis quibusque defungens curis, testatam fidem miraculo fecit.

Anno insequente ad Ticinensem Mediolanensis Urbis Portam Joannes Baptista Brasca adolescentulus febri correptus primùm, mox aliis accedentibus malis, & præsertim tumore corporis, nulla jam in spe trahebat animam. Introrsus recesserant oculi, eorumque turbida acies instantem certe mortem prænunciabat: constricti dentes, nullus sensuum usus, diffusus per totum corpus rigor, & motu carens inferior pars, dolentes parentes funeris impendentis expectatione suspensos tenebant adeo, ut quæ curando cadaveri viderentur necessaria, jam expedirent. In tanto mœrore una salutis spes in Caroli patrocinio collocanda affulsit: Colebat nimirum Extincti memoriam pater morientis Franciscus,

Digitized by Google

ciscus, atque ad vitæ impetrandæ fiduciam excitatus certo Illius sanctitatis testimonio, rogavit quammaxime, ut sibi septem jam præmortuis filiis destituto, Joannes Baptista saltem servaretur, seu potius redderetur. Hæc inter prolem respexit, & depelli orbitatem admiratus est suam. Deploratus enim jam filius cessavit mori: suique compos factus, placide serenos oculos aperuit, cibum sumpsit, & calore per rigentes artus diffuso, nullius accedente ope, resedit in lecto, cui post quatriduum omnino incolumis valedixit. Vixit deinde, seu ut verius dicam, revixit; atque octiduo post, nisi tanti beneficii memoria hæsisset, obliterari morbi memoria poterat, cujus nullum vestigium supererat.

Filiam habebat Julius Bonacina Mediolanensis Causidicus, nomine Barbaram, cui eodem anno dexter laboravit oculus acris defluentis e cerebro humoris copiâ, qui, cum illaberetur genis, violenter adeo eas exedebat, ut sulcum per cutim, in quam incidebat, profundum duceret. Brevi vitiata acie, ipse etiam absumptus est oculus; unde vacua sub fronte omnino patebat lacuna. Anxia Filiæ morbo Mater, & in Caroli, in cujus clientelam se dederat, patrocinio spem collocans, puellam permovit, ut votum Illi nuncuparet; atque ipsa etiam voti ejusdem rea esse voluit, ut ad utramque spectaret obsequium, quandoquidem ad utramque beneficium erat perventurum. Itaque, dum junctim Parens cum Filia votum solvit, noctu inopinatò languentis oculo lux affulsit, & tanta in illo restituto claritas emicabat & fulgor, ut (jurati Patris verbo utor) vere datus cælitus, & Divinum præferre munus videretur.

In Mediolanensi S. Agnetis Monasterio Angela de Senis, septuagesimum circiter ætatis annum agens, oppressa diuturno rheumate, eam totis artubus imbecillitatem contraxerat, ut fluctuantibus membris ægre consisteret. Non sumendis vestibus pares vires suppetebant, nec deponendis: Non pedibus niti, non figere vestigia sine aliarum præsidio poterat; quare lecto hærebat ut plurimum. Octo annos tenuerat insita genis infirmitas, & tum corporis, cùm ætatis vitio confecta, spem etiam in Medicorum arte collocatam abjecerat. Sextus inierat mensis Seculi XVII., & prægravis licèt senio, ausa est diuturniorem a Carolo vitam sperare, cujus tantopere salutare universis præsidium audierat. Vovit, se preces quasdam in Ejus obsequium recitaturam; & antequam quintus, postremus scilicet ad sperandum præstitutus, dies exiret, intenta precibus, novas ex improviso vires subire sensit, & mirabiliter confirmatâ valetudine, rectà in Templum perrexit: quo reliquæ Virgines certatim confluxere, studio videndi depulsam repente perpetuam illam virium imbecillitatem, atque senectutem pene ipsam, majorem sane imbecillitate morbum. Publicæ statim beneficentissimo Patrono actæ sunt gratiæ; & in sanatæ Virginis corpore extitit acceptæ valetudinis indicium, quandoquidem subter genu liventia quædam notabantur signa, quæ impressæ veluti manûs volam exhibebant.

Quatuor post mensibus versabatur Mediolani Toparcha quidam Ferrarienſis, cujus periculum satius est commemorare, quàm nomen. Hic quadam ingenii levitate elatus, dum casu Francisci Moghini Mediolanensis Sacerdotis ædem ingressus, videt pendulam Caroli effigiem, exprobravit veluti amico credulitatem, quòd tanto in honore Cardinalis imaginem haberet: addiditque probro crimen gravius, effutita nimirum sive per imprudentiam, sive per consuetudinem obscœna quædam dicteria. Non sine animi horrore audiit tantam impudentiam Moghinus; utque licentiam illam verborum comprimeret, minatus est etiam, non impune illi eam audaciam fore. Irrisit hominem Toparcha, qui paulo post domum reversus, febri viscera torreri sensit; quæ cum præcordia dies aliquot ureret, mortis etiam præsentissimum periculum induxerat. Decumbentem invisens Moghinus, hortatus primùm est, ut impia retractaret dicta, & crimine per Confessionem depositio, ad Ejus auxilium confugeret, cujus imaginem nefandis verbis incesserat. Utrumque persecit æger Eques: & labe animi absterſa,

adfuit ocyus corporis remedium; quare brevi convaleſcens, palinodiam cecinit, Borromei laudum eo luculentior teſtis, quo fuerat beneficio accepto indignior.

Vix annus effluxerat, cum Molenæ in Villa Fori Licinii comprehenſa finibus, honeſtis parentibus genita Eliſabeth de Porris ignoto ex morbo cœpit decumbere. Medicorum aliquot opinio in eo fuerat, ut crederent, peripneumoniam eam eſſe, ex qua facile phtiſis exoriri poſſet: alii ad facile illud artis incertæ perfugium ſtatim convolaverant, ut crederent Dæmonis operâ invectum eum morbum, cujus ipſi cauſam, & rationem dignoſcere non valebant. Sacra itaque puellæ, & profana admota remedia fuerant, ut diſceptantium Medicorum ſententiam in utramque partem parentes ſequerentur. Sed, cum nihil profici viderent, illi nullam ſupereſſe, niſi vitæ aliquantulum protrahendæ, ſpem, demum una voce conſenſerant. Hoc unum feliciter ſuaſerant; nam ad biennium adhuc ſupervixit Virgo, ſive ad diuturniorem mortem fuit reſervata. Itaque contractis artubus, & ſenſim deficiens, animam ferme exhalabat; cum Sacerdos morientis frater, qui extremum excepturus ſpiritum adſtabat, fidem Carolo obligavit ſuam: fore, ut, ſi incolumem ſibi Sororem redonaſſet, eam ad Illius ſepulcrum Mediolanum deduceret, ibique Cereum accepti muneris teſtem defigeret. Nec plura. Certa vitæ indicia protulit moribunda Virgo; & tanta brevi facta eſt virium acceſſio, ut die poſtero hilaris lecto ſurgeret, & poſt triduum uti publico inciperet.

Ex Juriſperitorum Mediolanenſi Collegio Virginius Caſatus identidem per quinquennium torminibus colicis agitatus, ita crebro æſtuabat, ut miſero ejulatu irrequietus, vitæ finem adeſſe crederet, aut certe optaret. Itaque ineunte Auguſto anni MDCII. præter morem convulſis viſceribus fremens, inter miſerum illum alvi turbatæ æſtum ad Carolum converſus, quo maxime poterat, pietatis ardore argenteam tabulam præfixurum ſe Ejus tumulo ſpopondit, ſi tandem turbidus ille inteſtinorum motus quieviſſet. Arrha impetrati jam beneficii fuit leniter obrepens poſt promiſſum ſomnus: quo correptus, videre ſibi videbatur Cardinalem flexis genibus pro ſe Crucifixi Redemptoris imagini ſupplicantem. Neque inane ſomnium illud fuit; cum brevi ſopore depulſo, nullas in ſe reſidere morbi reliquias ſenſerit. Utque muneri cumulus accederet, immunis exinde inveterato malo fuit; quamquam, repudiatis Medicorum, quibus utebatur, legibus, cibis etiam antea vetitis liberius indulgeret.

Paulo poſt Nonas Septembris ejuſdem anni Angelica Landriana auſterum S. Claræ inſtitutum in S. Praxedis Aſceterio profeſſa; cum novem ante annis in hydropem inciſſet, excreſcente paulatim tumore ventris, occupari etiam præcordia dolebat adeo, ut neque leviſſime urgeri digito ſtomachum ſine maximo moleſtiæ ſenſu pateretur. Permanaverat inſuper in articulos quoſque dolor; cumque obrui pectus ſentiret, ægre admodum ſemeſa verba effutiebat. Quod ſi vocem aliquam emittere conaretur, conſequebatur illico grave viſcerum murmur (borborygmum Medici vocant), quod vocis ſonum omnino turbaret. Tot malorum ſeriem cumulabat cibi faſtidium, qui blande licèt ingeſtus, opprimere pondere ſuo præcordia videbatur. Sic omni pene corporis deſtituta motu, & vix aliarum ope ſuſtentata, deſperatâ prorſus valetudine, lectum terebat, ſibi gravis, ceteris non ſuo, ſed morbi vitio permoleſta. Domeſticis prodigiis ſpem edocta miſerrima Virgo (audierat enim nonnullas ex Sororibus Caroli patrocinio votorum ſuorum compotes factas) communis Patris auxilium cœpit implorare; quamquam ea tacite ſubibat precantis animum cogitatio, inane fore precum officium; cum major videretur malorum cumulus, quàm ut ſperare remedium poſſet. Quare trimeſtri ſpatio intenta precibus, cum nullum adeſſe eorum finem videret, Patrono ſuo veluti tacite ſubiraſcens, atque amanter objiciens, ſe in poſtremis habitam: alios apud Deum Oratores ſubſtituit, SS. nimirum Raymundum, atque Hyacinthum, quibus nuper Cæleſtes Pontificio Oraculo honores decreti fuerant. Auſa etiam fuerat poſtremò

Digitized by Google

ſtremò precibus contumeliam addere : exclamans, *ſe a Patre deſtitutam, ad exterorum patrocinium confugere, quandoquidem Eum immemorem ſui crederet*. Præceps tamen conſilium ſtatim pœnitentia excepit, & reclamitante conſcientia, ſalubriter abjecit propoſitum : veluti commonita, nullum ſalutis ſuæ obſidem, præter Carolum fore. Quamobrem ad inſtitutum rediens, iterum ſe in Cardinalis clientelam retulit, cujus auxilio paulo ante deſperaverat. Dum vota renovaret, tacitis quibuſdam urgeri ſe ſtimulis ſenſit, ut in triclinium pergeret, & crederet, iter hoc ſalutare certo fore. Verùm reſpuit, moventi Deo obſecundare ; *quò enim*, ajebat, *fieri poſſit, ut eò perveniam, cui perveniendi conatus ipſe periculoſus ſit futurus?* Vehementius tamen inſequente nocte intima veluti vox reluctantem ſtimulabat, ut in triclinium pergeret ; eadem ſolicitavit mane ; cumque ægre tandem in Templum prorepſiſſet, vim quamdam ſibi inferri ſenſit, ut Deum illuc ducentem ſequeretur. Inteſtino hoc vexata bello, Aſceterii Præſidem, & Sacerdotem ipſum, qui ſibi a Confeſſionibus erat, conſuluit, ne quid temere faceret. Acceptâ utriuſque veniâ, atque inſtante prandii tempore, teſtudineo gradu ad triclinium contendit. Ubi ad portam conſtitit, (mirum) in limine ipſo morbum omnem depoſuit, & abjectâ moleſti ponderis ſarcinâ, ex improviſo vividum oris colorem induit. Mox menſæ una cum ceteris aſſedit, optimam famem ad cibum attulit, & expleto cibi mirabiliter accepto deſiderio, vires e triclinio integras retulit. Nulla exinde vitæ aſperitas fuit, quam conſtanter, & fortiter non ferret. Præterea beneficii complementum fuit inſitus animo Religionis ſenſus, & Divinæ implendæ voluntatis amor eximius, præſertim vero erga Carolum obſequentiſſima pietas, quæ Illum tot donorum auctorem luculenter teſtaretur.

Nondum exierat annus memorabilis, cum Joannes Baptiſta Podius ſeptennis Mediolanenſis puer, ad aquam e puteo hauriendam intentus, dum obverſum in marginem caput inclinaret, repente prægravis ſitulæ victus pondere, præceps ita in puteum influxit, ut ſummum caput fundo illideret ; quandoquidem poſtmodum extractus, limo illitam cæſariem adſtantium oculis offerebat. Verumtamen dum caderet, Deiparæ, & Caroli memor, utriuſque opem imploravit, & in promptu habuit. Siquidem eorum auxilio repente emerſit ex unda, atque ſuperſtans ſummis aquis, comperit ſe ignotâ manu elatum, atque ita tranſverſum muro hærere, ut ex una parte manus, ex altera pedes opponens, aquam eminus, ulnam circiter diſtans, ſpectaret. Accurrentes deinde domeſtici madidum, ac fluentem extraxere, ſed incolumem : ſcilicet unum ſitulæ damnum fuit, quam ſæpe muro impactam immoderatus lapſus pene contriverat.

Neque eo anno finis prodigiis fuit. Gemini Societatis Jeſu Patres Alphonſus Vagnonius Pedemontanus, & Joannes Baptiſta Porrus Mediolanenſis *Chriſti legatione* apud Ethnicos Indos functuri, munierant ſe egregio Caroli præſidio, ut bellum *tenebrarum Rectoribus* tutiùs indicerent. Nonnullas ſecum Illius imagines, ac veſtium partes ferentes, Genuæ conſcenderant navim, quam negotiatorum turba refertam in portu offenderant. Inde altum tenentes, & Barcinonem navigantes, vix dum Gallicum ſinum ingreſſi, vidêre inhorreſcens paulatim mare intumeſcere, mox acrioribus concitatum ventis ita exæſtuare, ut immenſi undique cierentur fluctus. Diſjecta diu navis, linteorum, nautarumque deſtituta officio, & inſultantibus undis pene obruta cum fatiſceret, præſentiſſimam mortem omnia intentabant. Nimirum redundantibus in tranſtra fluctibus, tanta aquarum vis affundebatur identidem, ut mergi navigantes appareret, antequam ponto haurirentur. Deſperantibus nautis, non abjecere fiduciam Patres, qui ad Borromei auxilium confugientes, ſocios etiam, oſtensâ ſalutis viâ, perpulere, ut votum Illi nuncuparent. Repente conquievit procellæ impetus, & placidiſſime ſubſidentes fluctus, Cælum, ac portum aperuere. Nullus fuit, qui de præſentiſſimo Caroli Patrocinio ambigeret ; Quare, ut ſe data ſolverent fide, diem

Digitized by Google

posterum cibo ex jejunii ritu, ùt voverant, abstinuere universi.

Caroli laudes cumulavit hoc anno Emmanuel Philibertus Rotarius Severinus ex Sabaudiæ Ducis Proceribus, qui in maximum vitæ discrimen adductus, languebat Augustæ Taurinorum. Immitis stranguria viscerum exitus constrinxerat, atque alia invexerat mala: stomachi nimirum indignantis omnia perpetuum tumultum, incertam febrim, quæ sæpius per dies invadere consueverat, ut absychiam omittam, quæ molestissime recurrens, & crebro, nobilissimum Virum pene confecerat. Inani operâ absumptum est, quidquid Medicorum ars solet depromere. Una salutis via restabat, quam divinitus afferre Borromeus poterat. Hujus opem obtestatus Philibertus vovit, se, cum primum e morbo convaluisset, Mediolani ad Illius Tumulum adfore, ut grates tanto Liberatori redderet. Ex tempore reddita est valetudo; nam somno victus, quem prænuncium mortis veternum circumstantes putabant, somniavit, affulgere sibi vitalem lucem. Sane vix sopore discusso, stranguria evanuit, & cum illa febris, dolor, absychia; quod cum præsentes Medici viderent, tantum in arte sua præsidii esse non potuisse, apertissime confessi sunt. Voti memor Rotarius deinde Mediolanum venit, & præter argenteas tabulas duas, aureumque cordis signum præfixit tumulo torquem S. Mauritii Ordinis Insigne, quod dignitatis indicium collo adnexum gestabat; adjecitque publicas tabulas luculentum accepti beneficii testimonium.

Anno insequente Dominicus Brusatorius cæmentarius Faber ad Mediolani, quæ Vercellas spectat, portam accola, quotidianis precibus jamdiu Borromeo ab Ejusdem obitu addictus cliens, non leve obsequii sui præmium retulit. Etenim a Donato Tonsio in Suburbii villam evocatus, ut operam suam ædificio extruendo locaret, sub meridiem ad depellendum immodici æstus incommodum in proximam S. Jacobo sacram Ædem divertere solebat. Verumtamen die quadam cum in Aræ gradibus tutò propter solitudinem loci recumbens, somno indulgeret, Pontificio ornatu amictus, se coram stitit Cardinalis; atque ad Dominicum conversus, *amove hinc*, ait, *te ocyus frater, & instantem Templi ruinam fuge*. Depulso repente somno Faber, & ostento territus, cum adhuc infixa menti hæreret species Caroli fugam indicentis, majorem somnio, quàm oculis suis fidem habuit; quare egredi Templo festinavit. Vidêre properantem nonnulli, atque ex turbata facie commotum hominem credidere. Rogarunt, quæ illum causa tam festinanter egredi compulisset; quibus dum audita aperit, illi irridentes credulitatem hominis, ratique, id somnium vigilantis esse, firma omnia munimenta Templi per contemptum indicabant. Verum, dum alia ex aliis ultro citroque jactant, conversis in Templum oculis, repente apparuit, utri somniarent. Fatiscens enim, quæ ad illius latus extabat, Turris lapsu suo fornicem Ædis ita oppressit, ut in Aram ipsam, ubi Faber quieverat, major ruinæ moles incubuerit.

Nondum alter exierat annus, cùm nova Ticino nuntiata sunt, patrata per Carolum miracula. Puer quinquennis Bernardi Tironi filius ex S. Theodori Parœcia forte in subjectum Urbi flumen prolapsus, quo tempore aquarum alluvione turgidius solito æstuabat, cum inter labendum Borromei imploratset auxilium, adesse statim Illum divinitus cognovit. Nam vixdum influeret undis, vidit se Illius manu exceptum; dumque ipso profluentis impetu secundo stadium circiter raperetur, felicissime innare se fluitantibus circum, & frementibus fluctibus stupuit: donec nauta, qui procul cadentem spectaverat e littore, natandi peritus, cum sponte abjectis vestibus descendisset in flumen, quod gulâ tenus ipsum ferme obruerat, ad fluitantem puerum demum accedens, & ex Caroli acceptum manibus oræ tandem incolumem reddidit. Aderant rei miraculo attoniti complures; & quoniam uni se puero videndum Borromeus obtulerat, mirabantur universi, rem ipsam intuentes, sed rei causam ignorantes. Fieri enim contra natu-

ræ

ræ leges apparebat, ferri puerum tamdiu potuiſſe inſtar inflati utris, aut leviſſimæ aviculæ, quæ levitate ipſa in ſummas aquas ſolent urgeri; præſertim cum in quoſdam influxiſſet gurgites, quibus hauriri urinatores ipſi artis peritiſſimi facile debuiſſent. Verùm admirationem diſcuſſere omnem ipſa pueri verba, qui converſus ad Matrem filii periculo, quod antea ignoraverat, attonitam, *Abſterge*, ait, *fletus Mater: Incolumis ſum: Vitam Carolo debeo, qui manibus me ſuſtentavit ſuis, quominus abſorberet me flumen*. Eadem Patri etiam Bernardo inculcabat puer, poſtquam ad paternam ædem regreſſus eſt: & pueriliter intento in Caroli imaginem, quam domi pendentem certis precibus venerabatur quotidie, digito, Eum identidem deſignabat vitæ Servatorem ſuæ, inquiens: *Hic ille eſt, qui me amplexu ſuo a fluctuum incurſu, & gurgitibus liberavit*. Utque certam beneficii, & Authoris teſtificationem proferret, addebat dictis veſtium purpurearum, ſtaturæ, & vultus ſereni indicia. Affirmabat præterea, Caroli manum ſtatim ab hoc tenendi officio ceſſaſſe, poſtquam nautæ præſidium acceſſit; & quo tempore ſe dimiſerat, Borromeum in ſupernas ſtatim ſedes evolaſſe.

Verùm, dum externos patrocinio ſuo tegeret Carolus, Mediolanenſium interim ſuorum obliviſci non potuit. Quinto poſtquam hæc Ticini evenerant menſe, puero, qui clauſos ex materno utero oculos retulerat, amantiſſime ſeu aperuit, ſeu dono dedit. Ex iis, qui peſtilenti anno editi in lucem, & ſalutari Baptiſmo perfuſi a Borromeo fuerant, vivebat adhuc inſequente Seculo Lucretia, quæ Caprini lactis auxilio enutrita infans eo, quòd liventes peſtilentiæ notas toto corpore præferret: deinde feliciter ætate provecta, demum Philippo Navæ nupta, filium etiam ex eodem ſuſceperat. Sed vixdum in lucem editum animadvertit infantulum vacuas oculis lacunas præferre, quorum loco, dum palpebras diligenter attolleret, vidit latère intus concretam tabem, quæ ex rimis in genas guttatim illabens, cutim etiam, in quam influxerat, acerbe vitiabat. Biduo poſt intumuere improviſò palpebræ, accreſcente ſemper ex cerebro purulento humore, quem dolens Mater identidem abſtergebat pannorum ope; quandoquidem hæc una minuendi doloris, non mali ſpes apparebat. Itaque conſcia licèt *a ſeculo non fuiſſe auditum, quòd quis oculos cæci nati aperuiſſet*, non deſperavit, poſſe aliquam ſalutis ſpem Filio affulgere, poſtquam in ſua ipſius vita certam Borromei patrocinii arrham ſe tenere fatebatur. Capto itaque feliciſſimo auſpicio ex Caroli nomine, quod cæco infanti indiderat, IV. Idus Novembris, qui ab ejus nativitate XXV. erat dies, ſummo mane dum ignem excitat, faſcias ad puerum involvendum exſiccatura, atque hunc privignæ adſtantis brachiis inſerit; intuens præter morem graſſari morbi vim, humentes præ lacrymis oculos a filio avertens, & ad Carolum attollens, obſecrat enixe, ut alumni ſui miſereri ſimul velit, & Matris, quoniam nullus ferme expers votorum ab Eo diſceſſiſſet. Hæc dum orat, repente quinquennis filia, quæ aderat, flexis genibus, atque gaudio geſtiens exclamat: *Mater viden' Carolum benedicentem Fratri, atque hujus apertos oculos?* Converſa Lucretia ad filium, videt, emicuiſſe improviſo nitens in vacuis orbibus lumen, & deletum tabis indicium. Victa celeri beneficio, ocyus procumbit in genua, mox Filium ſecum delatum ad Sepulcrum Liberatori offert ſuo, addito argenteo donario. Filia vero, propter ætatis innocentiam ab omni fraudis ſuſpicione aliena, teſtata eſt, quo corporis ornatu amictus eſſet, quomodo ſignum Crucis Carolus effingeret, cùm apparuit, & puerili fide geſtum Illius, atque habitum imitabatur (*a*).

CA-

(*a*) Geminas ſuper hoc Caroli miraculo poſt Ejus conſecrationem Tabulas legi: primas quidem confectas, inſtante P. D. Franciſco Modrono ex Clericis Regularibus S. Pauli, per Benedictum Peregum publicum Notarium anno MDCLXVIII.; alteras per Franciſcum Applanum ex Notariorum, & Cauſidicorum

CAPUT V.

Miranda multa, quibus ornatum Illius Sepulcrum fuit.

INter nonnullos, qui dolore, atque ira insanire in Caroli memoriam videbantur, erat Mediolani Joannes Jacobus Lomatius, qui antiqui moris tenax, iniquissimo semper animo tulerat expunctam a Bacchanalibus Ejus decreto Dominicam diem in Capite Quadragesimæ. Addebat injustas iracundiæ faces annua pensio, quæ cum ex Templi Maximi censibus ipsi antea immerito numeraretur, idcirco Cardinalis jussu, qui moderandos inutiles operarum sumptus statuerat, Jacobo fuerat intercepta. Hinc itaque diuturnum, & fere Vatinianum odium hujus exarserat adeo, ut passim Antistitis viventis operibus palam detrahere, imo & defuncti immortalem famam minuere, imbellis licèt, & nulli acceptus, conaretur. Plagæ tandem Pharaonem hunc emendare cœperunt, quem nullus a pessimo detrahendi instituto revocare potuit. Post febrim tentari primùm pruritu quodam crura senserat, qui eo demum erupit, ut carne vitiata, sanies undique ex suris diffluueret, inani prorsus remedio, & spe, imo intolerabili fœtore ulcerum. Quinquennium ita impeditus est morbo, ut vix pedem, scipione innixus, efferret a limine. Tandem triennio postquam excesserat e vita Carolus, cum eumdem fore finem mali, & vitæ appareret, nocte quadam illum acerbius vexaverat dolor; quare impatientia tandem victus, summo mane, fremens, credo, & consilio irascens suo, statuit, labantibus licèt poplitibus, baculi adminiculo ad Caroli Tumulum proficisci, a quo haud multum aberat. Ubi illic constitit, acrior solito pupugit morbus, qui has misero voces expressit: *Adesdum mihi Carole, quoniam regnare te in Cœlis omnes affirmant, & potentiæ tuæ testimonium utinam sit incolumitas mea.* Hæc dum orat, & Sacrum peragi videt, omnis interim conquievit dolor. Tum facile induxit animum, ut gratias Liberatori ageret; cumque suis fultus egregie pedibus, domum rediisset, & nudatis tibiis obductas jam cicatrices videret ulcerum, uberrimis lacrymis impium detestatus obloquendi Carolo morem, novo miraculo mentem etiam sanavit. Convocatis amicis, palinodiam cecinit; & nequa de Borromei Sanctitate dubitatio ulli ex dictis suis hæreret, ostentabat passum integra crura; quare postmodum unus præ ceteris Patroni sui deprædicabat laudes, qui unus antea contra sententiam omnium Illi detraxerat.

In Mediolanensi agro Antonia de Geronis ad Vicum Turrem veterem incola, non amplius ab Urbe, quam XIV. millia passuum distantem, ex malo, qui eam infederat, Genio id morbi retulerat, ut vitiato dextro femore, & genu, vix aptum ad necessaria ministeria usum corporis haberet.

---

tum Collegio anno MDCLXXVI. Illæ memoriam loci consecrarunt immortalitati; quamquam splendido extructo Sacello, & lautitia omni ornato, locum ipsum dedicavit Nobilis Corbellæ Gentis religio, & pietas in hanc usque ætatem, quâ Demarchi Aloysii viventis, & Antonii Canonici Ordinarii summa cum probitatis fama superioribus annis extincti pro sua in S. Carolum observantiâ magnificum monumentum ibidem constitutum est. Verùm secundæ Tabulæ latens aliud in exposito miraculo S. Cardinalis veluti vaticinium prodidere. Siquidem eadem Clara Nava, cui puellæ oblatus fuerat per speciem Carolus, jurejurando interposito, testata est: „ quòd dictus S. Carolus in discessu a domo „ tunc temporis per eam habitata viam accepit semper in actu benedictionis rectâ viâ versus Cælum „ super Palatio Excellentissimorum DD. de Odescalchis, videlicet SS. D. N. Papæ Innocentii XI., & Excell. Principis D. Livii Ejus Nepotis: dictaque D. Clara dixit, & protestata fuit, „ semper habuisse, & conservasse, & conservare de „ dictis reiteratis Benedictionibus S. Caroli superi „ præfato Palatio bonam, vivam, & integram memoriam. " Verba hæc ex ipsis desumpta sunt Tabulis, & certe aliquod Caroli vaticinium crebræ illæ benedictiones indicare videntur. Num dandum significavit Ecclesiæ universæ in Innocentio XI. optimum Petri Successorem? an in Benedicto Odescalcho egregium successorem Ambrosio, & Sibi? Sane uterque ex eadem Gente profectus est: vixit alter iisdem in ædibus; alter occubuit: uterque demum dignus S. Caroli benevolentia, & divino præsagio fuit. Neque alienum quidquam a veritate dicerem, si affirmarem, eâ Caroli benedictione expiatam fuisse universos utriusque Nepotes, qui morum constantiæ, liberalitatis, & religionis laude celebrati, cùm Deo accepti, tùm Patriæ singulari sunt ornamento.

Digitized by Google

beret. Consequutum deinde est appositi cibi fastidium, quem vix perdifficile ingerebat; hinc intercipiebantur etiam vitæ subsidia, cum domesticam rem quotidianâ operâ sublevare non posset. Itaque cum sacra etiam omnia inaniter admovisset ignoto morbo remedia, statuit tandem Caroli Tumulum, veluti Divinæ beneficentiæ fontem ipsum, adire. Præsensit consilium territus Dæmon; cumque irrita omnia ejus deducendæ consilia diu reddidisset, tandem sacrâ Stolâ revinctam Antoniam, curruique impositam Patruus, invitam licèt, reluctantemque, ante sacrum Sepulcrum Quintili mense statuit anno MDXCI. Illic repente constituta, corruit in exanimis speciem; atque post duarum horarum spatium sibi iterum reddita, stetit, eoque corporis vigore, qui bene valentem deceret; solutis enim nervis, & importuno hospite ejecto, motus corpori, & stomacho vires redierè. Gratiis actis, deinde uti pedibus voluit, eo reditura, unde venire non potuerat.

Fœdius aliud urgebat malum Virginem quamdam ex S. Ursulæ Sodalitio, cujus consulto supprimimus nomen. Hanc domi vexabat permolestus ex Inferis advenieus diu, noctuque hospes, seu, verius dicam, hostis; & decorâ assumptâ viri imagine, menti saltem inferre vim moliebatur, quam integro corpori non poterat. Vilissimum certe Orci mancipium hoc erat; etenim infra dignitatem suam conabatur impiis artibus ad stuprum generosam fœminam pellicere aliquando, & corroboratâ ex Virginis contemptu audaciâ, dolorem suum verberibus etiam audebat ulcisci. Atrox lucta quadriennium tenuit, neutro inclinatâ victoriâ; donec Sacerdos, cujus auspiciis docebatur fœmina strenue pati, & hostis occursum variis artibus declinare, in eam tandem mentem venit, ut doceret, pugnæ auspicia ad Caroli tumulum petere. Paruit illa; dumque ineunte seculo XVII. IX. Cal. Aprilis illic perstans obsecraret, conjunctis veluti Caroli viribus, repente profligatum est bellum; nam in certam primo triumphi spem erecta, mox domum rediit: veterem scilicet, in qua hostis exultabat, arenam. Sed adeo certa subsecuta est pax, ut ibi nunquam exinde hostis appareret.

Martha novennis filia Joannis Ambrosii de Vicis, ex male depositis variolarum squamis morbum quemdam contraxerat, ex quo incluſus venis pestilens humor, per caput in oculos fuerat illapsus, tam pernicioso exitu, ut tenebras luminibus offunderet. Caliginem oculorum consequuta demum est cæcitas, desperata adeo, ut alieno ductu opus eunti esset, nec ullam sibi, nisi divinitus, affulgere lucem crederet posse. Atque affulsit sane; nam oblatâ primum mentis oculis ter, aut quater Cardinalis tamquam viventis specie, moneri se audivit, receptum iri oculorum usum, si ad suum Ipsius tumulum constitisset. Facile persuasum est, atque feliciter; namque Junio mense anni primi supra MDC. illuc Aviæ manu ducta Virguncula, dum longas preces lapidis sepulcralis osculo claudit, surrexit videns, quæ cæca procubuerat. Acceptos itaque circumvolvens oculos dum notat adstantium lineamenta, & vultus, fidemque miraculo adstruit, puduit alio prius intendisse, quàm in Patroni Sepulcrum: hinc illos amantissime in felicissimo lapide defigens iterum, geminæ horæ spatio uti ibidem dono voluit, donec se diu Tumuli beatissimi aspectu non saturasset.

Neque minus testata fuere miraculi indicia, quod Carolus prope Maximum Mediolani Forum eodem anno edidit. Filiam susceperat nomine Margaritam Angelus de Monte, qua visa, orbitatem præoptasset. Ita nimirum fœde retortæ videbantur pedum volæ, ut in tibias inciderent, imo ipsis retrorsum hærerent. Gravius Parenti videbatur sobolis malum, quòd nulla arte solvi illud coalescentium tibiis pedum vinculum posse constaret. Itaque, cum sex annos tenuisset Patris filiæque dolor, inani semper patientia; utilius postmodum utrique profuit Militiæ Virgæ matris spes. Hanc sperare jusserat tempus ipsum, tot miraculorum, quæ ad Caroli tumulum

fie-

fiebant, frequentiâ vere memorandum. Illuc ſive prorepſit, ſive grallatorio gradu evaſit inflammata matris vocibus filia; Cumque prefixo ad ſepulcrum cereo, fundit preces, repente dextri pedis liber fit uſus. Parte accepta valetudinis, integram iterum ſpem ad novum beneficium diebus ſubſequentibus attulit; cumulanſque novis cereis Tumulum, experta eſt, vinci Caroli liberalitatem non ſolere, qui eam utroque ſuſtentari pede ocyus juſſit: eo cumulatiore dono, quòd nullum inveterati morbi veſtigium ſuperfuit.

Quartus nondum exierat menſis, cum novum Borromei potentiæ extitit in Jacobo Antonio Taveggio argumentum. Hic in ſuburbano pago, cui Bruzzani nomen, diuturno oppreſſus morbo, intumuerat immaniter; diffuſuſque in ventre humor, concreverat adeo, ut latêre in viſceribus ſilicem pejeraſſes. Dolebat infelix, & nondum quadriennis puer; neque alia, niſi ſuprema parati jam pollinctoris officia expectabat. Liventem jam vultum conſpicatus, qui aderat, pater, & ægre reciprocantem ſpiritum, Carolum oravit, ut tamdiu ſaltem filius viveret, quamdiu illum ſiſtere ad Ejus Tumulum poſſet. Vota hæc fuere primum accipiendi beneficii indicium. Conquievit extemplo omnis in ægro dolor, & remiſſa morbi vi, die poſtero votum ſolvit pater: ſic ſoboles geminum ſe parentem habuiſſe cognovit, dum valetudinem integram reciperet; quandoquidem unius preces primùm, mox Alterius amor profuere.

Paulo poſt morum integritate ſpectata Virgo, & Cardinali, cum viveret, dilecta inprimis Franciſca de Criſpis, utpote inter Sanctæ Urſulæ Sodales cooptata, Viglentino ſuburbano item pago huc venerat menſe Novembri MDCI., finem aliquem comitiali morbo, quo ad quinquennium laboraverat, impoſitura. Vix ad Sepulcrum interpoſuit pro impetranda valetudine preces, improviſo eam vehemens opprimit vis morbi. Dum ore ſpumeo, & agitante intus malo, terræ affligitur; videt Pontificio amictu ſplendidum Carolum adſtare: audit præterea pollicentem, abfore in poſterum omne morbi, quo tenebatur, periculum; non tamen defore alias patientiæ exercendæ opportunitates. Recreata his vocibus, ad ſe redit Virgo. Intimo perfuſa gaudio, ut in lacrymas uſque erumperet, rem aperit fœminæ, quæ in comitatu erat. Certa beneficii, Medicorum leges colere deſtitit, qui antea quibuſdam cibis interdixerant: Sane veteris mali vim abeſſe penitus experta eſt, & ſubſtitutas, quæ frequenter poſtmodum incidêre, tolerantiæ occaſiones, beneficii loco perlubenter accepit. Neque enim Cardinalis vaticinium rerum exitus ullatenus fefellit.

Inter domeſticos Ephœbos cooptaverat Franciſcum Cuniolum Nobilis inter Mediolanenſes Patricios Alexander Siccus. Ille ex Urbe Derthonenſi, unde huc venerat, inhærentem jam a quinquennio lithiaſim attulerat, qua crudeliter æſtuabat de more, præſertim autem vertente ſe anni tempeſtate. Conſulturus Ephœbi periculo Alexander, coëgerat Medicorum cœtum, a quo triſte reſponſum accepit, extrahendam ferro eſſe morbi originem: concretum ſcilicet, qui procul dubio latebat, calculum. Horruit miſer acerbius morbo remedium; verum ſaluti fuit ipſa Sectorum mora. Quo enim tempore ſecandi opportunitatem iſti præſtolantur, Cuniolus ſtuduit certiorem a Carolo medicinam impetrare. Per octo dies ad Ejus Tumulum tetendit, urgente ſemper in dies periculi metu, & ſalutis ſpe. Exeunte octiduo, diſſoluta repente eſt morbi, & ſolicitudinis cauſa; & quod jucundius fuit, liberatus omnino terrifici apparatus metu, nihil rei cum Chirurgis ſibi eſſe vidit, quorum non minus ferrum horrebat, quam manus.

Quadriennium amplius laboraverat paralyſi Hieronymus Bajus ad pagum Albairatum accola; jamque diuturno tremore concuſſos artus adeo deſtituerat motus, ut præter linguam nihil in eo ſani reſtaret. Exederat carnem macies, totiuſque corporis nuda ſuperfuerat imago. Deſertus a Medicis, ſpe-

ſperare cœpit; nam vulgatâ Caroli miraculorum famâ, intellexit, nullam ſibi, niſi cælitus, oſtendi ſalutis ſpem debere, & poſſe. Salubre primò deſiderium ipſum fuit; nam dum ad Illius Sepulcrum venire optaret, reddi ſibi aliquem manuum uſum ſenſit. Quare ligneam ſibi aream conſtrui juſſit, in qua huc minus incommode veheretur. Vix Auguſti Templi limen invectus eſt, tamquam in feretro ſpirans cadaver, eæ ſtatim ſuppeditatæ ſunt vires, quibus ſtrenue elato brachio per ſe nudare caput valeret. Dum inibi perſtaret, ſenſim viguit ſemper. Demum confirmatæ adeo valetudinis primordia domum retulit, ut brevi priſtinam valetudinem, & robur reciperet.

Tot rerum mirabilium fama huc etiam evocavit Placentiâ Patrem Sebaſtianum ex Capuccinornm Ordine, poſtulaturum a Carolo præſidia valetudinis, quæ fruſtra a Medicis exoptaverat. Hos enim non puduerat fateri, nihil opis in arte ſua ſitum eſſe, cum morbi ipſius naturam, atque nomen ignorarent. Nimirum invaſerat miſerrimum Patrem corporis univerſi, artuumque ſingulorum agitatio, quæ naturalis morbi vires excedere crederetur. Subeunte primum malo, mox acrius invaleſcente, infelix illidebat caput, manuſque parietibus; atque ipſum accurrentium officium morbo acerbius erat; quandoquidem graviſſimum dolorem, impreſſa licèt leviſſime, æſtuanti corpori manus inurebat. Sic per tres, quatuorve horas furente agitationis vi, tum demum remittebat impetus, cum fœdiſſima corpus gonorrhæa vitiaſſet. Quamquam remittere vix putabatur malum, quod quinquies aliquando invadens in dies ſingulos, nullam commoto ferme continenter corpori quietem impertiebat. Poſtquam ad Sepulcrum hoc ſtetit Sebaſtianus, parum abfuit, quin ſibi ipſe beneficium interciperet, quod impetraturus advenerat. Nam animo recolens, illud nunquam a Deo tot precibus impetratum, mutato conſilio, ſtatuerat, ſtrenuam potius morbi tolerantiam petere, quam remedium. Vicit ſe ipſum tamen, movente interius Deo: mox tanto cumulatus eſt gaudio, ut conceſſæ jam valetudinis habere ſe omen teſtaretur. Neque fruſtra ſperavit; nam communem ex inſtituto ſuo vivendi rationem amplexus pancratice ſemper valuit; atque ut omnem mali cogitationem deponeret, oblata illi aliquoties per quietem fuit Caroli ſpecies affirmantis, ſalva certò eſſe omnia, & fore.

Anno tertio Seculi XVII. Beatrix de Criſpis Mediolanenſis quindennis Virgo, domum rediit incolumis ex S. Cardinalis Sepulcro, quæ vix aliena ope ſuſtentata, illuc accedere videbatur poſſe. Quintum jam menſem fœtido ulcere laboraverat, quod, mammâ primùm vitiatâ, ſerpens paulatim, demum intime adeo pervaſerat, ut viſceribus exeſis, ſanie ſorderent omnia; quare patente inter humeros novo meatu, hinc, appoſitâ fiſtulâ argenteâ, egerebatur tabes, quæ ceterum in fauces uſque redundabat. Interim ad dorſi vertebras permanante peſtifero humore, non erectâ cervice ſtare Beatrix poterat, ſed gibbâ immani prominente, in eam, quæ ſenſim abſumebatur, partem curvatis ſcapulis inclinabat. Pater filiæ dolore commotus, & ſuo, eam jubet ad Caroli tumulum ter contendere; ſed ad Imperii ſeveritatem mitigandam (neque enim exequendi poteſtatem fore conſtabat) itineris comitem famulam addit, quæ & lapſuram ſuſtentet, & fatigatam morâ interpoſitâ recreet. Verumtamen ipſum feſtinantis filiæ deſiderium valetudinis inſtar fuit. Expedito greſſu, illuc contendit nullo auxilio: beneficium popoſcit & retulit; nam domum reverſa, coaluiſſe ulcus vidit, abſterſam ſaniem, & ſponte delapſam in veſtes fiſtulam. Paulo poſt rediere ad officium ſuum nervi; ſcapuliſque erectis, niſi gratus perſeveraſſet animus, oblivi ſci penitus morbi poterat.

Vidêre inſequente anno Mediolanenſes evectam in Urbem Dominicam Petri Nabonis filiam ex Cavarnionibus, quæ, Porletiæ Sacris Præpoſito monente, par beneficium a Carolo petiit, & impetravit. Quindecim menſium ſpatio motus expers omnino, & vocis vivebat illa, novum cadaveris genus: neque enim fœtor & pallor a corpore aberat; ſed adhuc ſupererat ſingultien-

tientis identidem animæ murmur. Eam asello impositam in viminea cista condiderat Pater, dum in Urbem veheret; cumque bis ad sepulcralem lapidem deposuisset, tertiùm deponere non licuit: nam vigentem adeo filiam accepit, cum secundùm deponeret, ut, gratiis actis, domum suam illa pedibus reverteretur.

Notum est Mediolani Templum, quod Sancto Michaëli sacrum patrio vocabulo *ad Clusam* appellatur. Inde haud multum aberat Joannes Baptista Maronus infelix susceptâ Joannâ filiâ pater; Caroli postmodum beneficio felicissimus. Hanc ubi primùm fasciis exsolverat nutrix, agnovit pedum, tibiarumque usu carentem, quas nullâ hærere genibus compage, sed pendulas fluctuare, imo in, quam liberet, partem flecti, & circumagi nullo negotio posse intuebatur. Ipsa aliquando miserrima soboles ludum sibi ex corporis vitio faciebat. Nam puerili joco identidem humeris flexibiles tibias imponere, atque in adversam colli partem detorquere, grato propter infantis simplicitatem, sed miserando propter fœditatem, spectaculo consueverat. Itaque, quod unum supererat, corporis fulcrum ex natibus comparaverat, quibus incumbens, addito manuum præsidio reptare utcumque, & sedendo incedere conabatur. Obtulit tamen desperato malo medicinam Veronica mater, quæ quadriennio elapso, non passa est diutius filiæ incommodum, suumque dolorem protrahi. Rogavit Joannam, num ferri ad Caroli Sepulcrum vellet? Gestiit audito consilio proles: cumque famuli probro verterent, pudendum Eum, quo utebatur, incedendi morem; illa supra ætatem, non tamen præter spem, pedibus se ituram respondit. Vera dixisset, si pedibus redituram se affirmasset. Nam illuc translata, Matre, fratreque pro ea supplicantibus Carolo, mox in pedes se tentavit erigere, & reapse erexit; imo factura miraculo fidem, obire celeriter, ac pueriliter sepulcri cancellos cœpit, matremque inclamans objicere: *Viden', ut me pedibus meis fulcio*. Tridui deinde spatio firmatis vestigiis, nulli inposterum pedum usu concessit.

Hæc Quintili Mense Mediolani acta anno MDCIV. Verum insequens mensis antequam exiret, geminæ Ticinensis fœminæ testificatione Caroli Tumulus fuit illustratus. Utraque diuturna febri laborans, & malis Geniis præterea conflictata, ad eamdem patentem omnibus, veluti salutis, aram accedens ab incommoda valetudine, & dæmonum vinculis emersit. Nomen uni Juliæ Milliavaccæ, alteri Margaritæ de Simonibus, & utraque inaniter sibi conquisitum alibi tot malis finem fuisse testabatur.

Alia item, depositio morbo, fœmina Mediolanensis, Antonia scilicet Michaëlis Ughetti filia ad S. Georgii in Palatio Templum degens, morbi tamen reliquias deponere nunquam se potuisse frequenter dolebat. Renum præsertim infirmitas dolori erat, cujus causa nec decumbens, nec sedens assurgere unquam per quadriennium, nisi implorata alterius ope, valuit. VIII. Cal. Novembris anno MDCV. concitari se divino veluti instinctu sensit, ne salutis spem omnino amitteret, & potentem Beneficiorum Caroli manum obtestaretur. Orta luce, perrexit ad Tumulum; dumque anceps, an genu flectat, hæret, rata scilicet, nullam resurgendi potestatem fore: Deo iterum afflante commonita, flexit, & dubitationem abjecit. Sic Marianum Psalterium bis recitans, se Carolo enixe commendabat; cumque niti in genua moliretur, ut sese erigeret, nova incessit dubitatio; sed nova iterum divina vox oblata est, ut, repudiato cancellorum, quibus nitebatur, adminiculo, surgeret. Se credidit posse, & potuit; atque perstans in lateribus exinde firmitas fuit incausa, ne unquam in posterum virium suarum periculum dubitanter faceret.

At enim latêre in eo Tumulo divinum quiddam palam omnes affirmabant, aut *eam virtutem, quæ inde exiret, & sanaret omnes*. Neque falsa ajebant; cum prænuncia inde *divinorum unguentorum* suavitas afflasset, *in cujus odorem currerent universi*. Sane primo XVII. sæculi anno, XIII. Cal. Novembris sub vesperum, dum ante illum procumberent Julius Cæsar Corius ex Nobilissimo Juris-

Digitized by Google

risperitorum Palatinorum Collegio, & Joseph de Regibus, inde sensere exhalari fragrantiam, quæ violarum verno tempore erumpentium instar imitaretur. Rem ipsemet Corius in tabulas retulit, locuples testis, & præ ceteris electus, qui nobis hoc gaudium denunciaret.

CAPUT VI.

Miracula per Ejus effigies edita.

QUanti Caroli Imagines fierent a Principibus æque, ac infimis Viris, nec vacat referre, nec facile est cogitatione complecti; cum & divinos honores palam iis deferri plurimi, non expectato Apostolicæ Sedis judicio, auderent, imo absonam a Religione ipsam venerationis dissimulationem existimarent. Certe adhibitam Caroli imaginibus quamcumque honoris significationem, acceptam sibi esse Deus luculenter ostendit, quam, plurimis editis miraculis, prodesse colentibus posse non raro declaravit. Subtexemus itaque nonnulla, ex quibus constet, quantum suffragetur ante Caroli Imaginem orantibus divinus favor, licèt ipsa malè, ut plurimum, expressa oris sui lineamenta facilius Borromei potentiam indicent, quam vultum. Conspiravere scilicet invicem Cardinalis modestia, & artificum imperitia, ne germana ad nos Caroli facies perveniret; cum Ille pingi se nollet, hi contra volentes pingere, nunquam feliciter inspersas illas, nescio quas, supra communem hominum speciem sanctitatis notas neque consequi, neque assequi valerent.

Sed primo se offert loco prodigium, in quo Imago ipsa miraculum fuit. Parvam Caroli Icunculam fingi sibi jusserat Radegunda Poliascha in Mediolanensi S. Agnetis Parthenone degens Virgo. Plastici operis periculo obnoxii infirmitas suaserat, ut illam, parvâ jam inclusam tabulâ, appositâ exterius chrystallo muniret. Perfecto opere, retulit ad Monasterium tabulam artifex; Certatim irruêre de more ad vestibulum sociæ Virgines, & pro se quæque gaudebat contingere; sed dum universæ intentis oculis aut artificium laudant, aut sacrum Vultum contemplantur, repente conspici se Carolus noluit. Nam lucidæ chrystallo offusa ocyus fusca nubecula insedit altius, quàm ut facile posset abstergi; licèt orarium, aut vestis laciniam crebrò, & diligenter nonnulla ex contubernalibus affricaret. Ingens erat omnium admiratio; cum repente resilire e chrystallo nebula, & sursum efferri: Mox lente descendens, & arctius glomerata in medium vitrum recidens, humani cordis imaginem ibidem impressit. Qua impressa, in altum resiliit rursus; & paulo post in tres divisa partes, iterum speculo paululum incubuit, atque exinde penitus evanuit. Hæsere attonitæ ostento Virgines, & facile interpretatæ nubem, & cordis imaginem fuere. Ajebant enim, vetera jurgia, quæ cum vivente Cardinali exarserant, dum Ille nova vellet instituta, & regimen inducere, nube illa, quæ totum sepserat vitrum, designari: Hinc facile addebant, in cordis imagine Sancti Pastoris amorem adumbrari. Sed reliquum ænigma paulo post sine Œdipo patuit; nam tria, quæ in eo Monasterio paulo post mirabiliter, Carolo, authore evenere, indicaverunt, quid Illius divisum trifariam cor significasset. Intellexere scilicet triplici miraculo Caroli in Virgines suas benevolentiam certissime fuisse testatam.

Sane postridie amoris sui Carolus argumentum dedit, quod supra jam explicavimus. Sed septimo post die alterum quoque exhibuit. Jacebat eodem in Parthenone Candida Franciscа de Fortibus febri, & rheumate jamdudum laborans. Supervenerat miseræ epilepsis, quâ cum crebro convellerentur nervi, interceptus fuerat membrorum usus adeo, ut, nisi decumberet, statim eam animus linqueret. Præterea, cum vocem fermè ademisset rheuma, alterum crus vis epipleptica palmum ferme contraxerat; neque sperare meliora jubebant Medici, cum ejus curam jam Sacerdoti, & Vespilloni demandassent. Verùm languens Candida facile cum Medicis subsidium tunc desperasset, nisi Caroli patrocinium, Sorore

Digitized by Google

rore sanata, fiduciam docuisset. Quare præmisso Monasterii Sacerdote, qui ad Caroli Tumulum pro se funderet preces, advertit per id temporis, quo ille consistere ad Sepulcrum poterat, quiescere rheuma, & febris æstum imminui; verùm recrudescere adeo doloris per membra omnia invalescentis impetum, ut adesse jam mortem arbitraretur. Conversa ad comites, licèt secum haberet Caroli Icunculam, nuper commemorato ostento nobilitatam, sisti tamen ad Ejusdem Aram voluit. Eò delata, cum genua jam deficientia flectere non valeret, lecto iterum imponitur. Ibi Caroli signum peramanter complexa, &, quo animi ardore maxime potuit, Dominicam Orationem, & Salutationem Angelicam reddit: deficientibus viribus, spem corroborat: jamque mitigato ocyus dolore, sentit, rore veluti quodam, aut blande permeante venas aurâ irrigari nervos: mox videt contractam tibiam sensim extendi alteri parem: Quid plura? Toto corpore confirmata, grabatum uno, ut erat, induso tecta deserit. Commonita de indecenti corporis habitu, tunicam raptim brachiis inserit, &, gaudio urgente, nudipes, discincta, inculta in Templum actura gratias convolat. Sequuntur extemplo, re intellecta, Sorores, vicissim sibi gaudium, & lacrymas impertientes: supplicabundæ universa claustra obeunt, ducente agmen Candida, quæ miraculo erat intuentibus. Hæc deinde totum festinato gradu Monasterium pererrare voluit, firmæ valetudinis factura periculum, aut tam longæ quietis tædium crebro cursu, ac recursu ultura. Ilicet servare Monasterii leges voluit, quæ leviores visæ sunt, quod Carolo authore conditæ. Neque profecto graves videri poterant; cum fateretur palam, se non minus corpore, quam animo fuisse cælitus confirmatam.

Tertium, quod prænunciaverat imago Caroli miraculum, VIII. capite hujus libri exponemus; interim, quod patratum biduo post in vicinia fuit, audiamus. Haud longè abest S. Mauritii Monasterium, utpote via dumtaxat interjecta a Sanctæ Agnetis Parthenone sejunctum. Illud nobiliore nomine *Majus* Mediolanenses appellant. Octo jam annis infelicissimam ibi vitam protraxerat Paula Justina Bernardi Casati Patricii Viri filia. Videbatur diuturnitas morbi hoc misero levaminis genere recreari, quòd integro corpore dolere non poterat. Nam dextra ex parte brachium, femur, & crus expers motus erat omnino; neque ferro, vel igne tentata ea corporis pars, aut sanguinis, aut vitæ indicium afferebat; imo abesse jam inde animam testabantur fœtor, & squalor. Verum vehementiori urgebatur morbo, quæ retinere spiritum pars dicebatur. Etenim identidem comitiali morbo correpta, præter modum concusso capite æstuabat, & convellebatur adeo, ut ægrè torosæ geminæ adjectæ Virgines continerent. Nihil cautius, diligentius nihil adhibita curatione fuit; sed nihil inutilius. Una profuit injecta languenti mentio patrati nuper in finitimo Monasterio miraculi. Equidem tanti Patroni mox poposcit imaginem: vovit impetratâ Præsidis veniâ, se vestem pauperi fœminæ daturam dono. VIII. Cal. Quintiles vehiculo transferri in Templum voluit. Speravit, se, Angelico Pane sumpto, sanandam; sed nunquam compos voti fuisset futura, cum neque se erigere, neque attolli apte posset in eam partem, unde de more sacrum erat percipiendum Donum, nisi Monasterium ingressus Sacerdos, Illud ori ingessisset. Refecta, sed adhuc immota, animum non despondit tamen. Subiit, opportunum beneficio cubiculum fore. Illuc revecta, ut limen intravit, stridere statim læsum antea brachium sensit. Lectulo reddita, urebatur vehementissimo valetudinis desiderio. Quare ad horam XVI. sustentata a geminis sororibus, jussit sibi proxime Caroli imaginem opponi: quâ visâ, prona in eam facie incubuit. Enixe obsecrans, valetudinem recepit ex tempore. Reddita manus, femur, & tibia: rediit color, & motus. Erecta, nullo adminiculo stetit, in Templum tetendit. Ingens omnium fuit gratulatio, & gaudium: gratiæ liberatori Carolo actæ a Virginibus sunt. Morbi reliquiæ fuit imbecillitas aliqua virium, quæ paulatim excessit. Unum mali vestigium

fuit

Digitized by Google

fuit obliterata præteritorum omnium memoria adeo, ut neque Dominicæ Orationis formula hæreret. Beneficii tamen memoria una viguit, quod morbi fuerat finis.

Sed antequam consecrandus æternitati fausti ssimus ille mensis exiret, mira alia Mediolani edita, authore Carolo, fuerant ad eam Urbis regionem, ubi S. Mariæ Templum summo in honore est a Bertrada antiquitus excitatum. Ibi Aurelia de Angelis Antonio Cabiato nupta, triennium ex ulcere in genu decubuerat; & morbo tam diuturno cumulus accesserat febris, & sensim suram exedens cancer. Fœtida, quæ exhalabatur, mephitis Chirurgum ferme a manu, & ferro admovendis absterruerat: atque utinam abstinuisset sane; nam, cum profunde in vulnerum hiatus scalprum ex artis præscripto mergeret, incredibili dolore putrescentes jam nervos inciderat, inani prorsus operâ. Quare, serpente latius desperato malo, valere eam supremùm Chirurgus jusserat. In re tam perdita adfuit Caroli auxilium, Cui Aurelia fiduciæ plena peramanter objiciebat, *cur se unice desertam vellet, cum tot aliis præsto esset?* Salutis pignus habebat ante oculos Cardinalis imaginem; spoponderatque, præfixuram se ad Ejus sepulcralem lapidem cereum, si vota exaudisset. Audiit primo Carolus, deinde exaudiit. Etenim quo die voverat, insperſum est animo suavissimum gaudium. Mane postero excitata, exturbatam a venis febrim, ulcera purgata, imo & sanata, tuta demum omnia intuetur. Sibi reddita, valere èt ipsa Chirurgum libentissime jussit.

Hæc erant effusi erga Mediolanenses suos amoris in Borromeo argumenta. Sed alia postea nunciata a Cremonensibus miracula docuere, quàm late ad universos spectaret Caroli patrocinium. Sacrum Numisma Cremonæ erat penes P. D. Joannem Antonium Gabutium S. Vincentii Collegio Præfectum, quod S. Cardinalis imaginem exhibebat, & patêre Civibus iis divinæ Beneficentiæ fontem, indicabat. Impertiebat Pater ille petentibus, eo salutis signo, valetudinem; sed tria præsertim miracula in tabulas retulit, quæ operæ pretium est hoc loci referre. Sextili ea mense edita sunt universa, Author omnium Carolus, administer Gabutius: quæ beneficium accepere, Nobilis Clara de Boccolis, Catharina de Bignonibus, Elisabeth de Burgis Deo consecrata Virgo. Diversa tamen fuere morborum genera. Nam Clara non appetens cibi, turbidâ oculorum acie, cephalalgiâ pene enecta, & febri, ali pejus quid monstri in venis suspicabatur, Dæmonis opera: Catharina, ex lapsu divulsis e sede sua lateris ossibus, corporis motum ferme amiserat: Elisabeth postremò histeralgiâ penitus oppressa, & impos frequenter sui, prætumido jam corpore, & sæpius linquente animo, mortem appropinquantem metuebat, seu potius optabat, cum duos supra viginti annos didicisset identidem mori. Omnes ad idem auxilium confugerunt, & admotâ Caroli imagine, par valetudinis domum, in dispari licèt periculi causa, retulere.

Sed qui faustus Cremonensibus annus, Bononiensibus item fuit. Quamquam eo uti consilio in beneficiis deferendis visus est Carolus, ut cum iis liberalius ageret, quorum sanctiora essent vivendi instituta: Sacrum ea in Urbe est Deiparæ Angelorum Reginæ Sacrum Monasterium, quod præ ceteris Borromei amor nobilius fecit. Quatuor in eo diuturno morbo confectæ Virgines Augustina Bonfilia Præses, Ludovica Gozzadina Propræses, Jacoba Boccadella, & Seraphim Mingantia ex Caroli imagine hausere remedium, quod Medici nunquam attulerant. Bonfilia ulceratis viscеribus ad biennium dire vexata, aliquoties sibi benedici, apposita Caroli imagine, voluit. Ultimo dum fiduciæ plena applicitam sibi imaginem colit, evelli pestem omnem ex viscеribus experta est.

Eadem, quæ cœliacum sanaverat in Bonfilia morbum imago, cephalicum planè Gozzadinæ remedium fuit, & herniosæ postmodum Boccadellæ opportunum, sed speratum auxilium obtulit. Una supererat Mingantia, quæ quinquaginta,

quos vixerat, annos inter acerbiſſimos capitis cruciatus traduxerat. Alienam vocem vitiatis ex cephalæa auribus ferebat moleſtiſſime; imo ſuam etiam nec elicere ferme poterat, nec pati. Vergente in ſenium ætate, invaluerat morbus, quem frequens animi deliquium, mentis ſtupor, & nervorum contractio oneraverat. Sed malorum acerbitas pene in pretio fuit, ut commendationem miraculo afferrent. Sanata Monaſterii Præſes facile perſuaſit, ut ab eadem imagine opem imploraret. Quamquam vix imploravit; cum ægre ſuppeterent ad orandum vires. Implorare tamen potuit, mox impetrare beneficium: quorum utrumque gemini inſtar miraculi fuit.

Sed Mediolanum, unde deflexerat ſermo, nos revocat Anaſtaſia de Maddiis, quæ terris ſalutare, ſed Inferis timendum Caroli nomen teſtata eſt. Sextum illa ſupra trigeſimum numerabat annum, ex quo, quidquid in humanum genus alunt furoris impii ex Orco Lemures, totum ferme exhauſerat. Peregrinationes crebrò ad ſacras Ædes ſuſceptæ, pronunciatæ a Sacerdotibus de more diræ, Cælitum invocatum præſidium nullas inducias cum hoſte importuniſſimo fecerant. Statuit tandem per dies XV. certas ad Caroli Tumulum recitare preces: ultimam hanc, & ſacram in tanta tempeſtate jactura anchoram. Dum voti rea, illic ad dies aliquot verſans, ſe Religione ſolveret, præter morem omni doloris genere vexabat miſeram inſidens Dæmon; ſed nonnullæ identidem excidebant voces, quæ tortorem ipſum acrius torqueri teſtarentur. Ajebat enim ululans Genius, *vinculis ſe quibuſdam adſtringi, & decedendum eſſe diuturno illo hoſpitio:* adjiciebat præterea, dolorem ſuum augens contumeliâ: *Hei mihi jam e ſede mea exturbor! Gratificabor tandem, immanis Carole, gratificabor?* Itaque labente octiduo, dum domi Anaſtaſia ad Caroli imaginem precibus uteretur, improviſo fauces obſedit Dæmon, & præfocare jam miſeram credebatur: demum, contuſo vehementer pectore, hoſtis abſceſſit, & hoſpitem terræ afflixit. Atroci pugnâ defuncta mulier, geminæ horæ ſpatio tandem confirmata, debellatum eſſe penitus intellexit.

Oppreſſerat Ticini articularis morbus Angelam Paulam Bottigellam, cui etſi in mariti domo pateret pharmacopæa, nullum unquam nacta erat opportunum pertinaciſſimo malo pharmacum. Fuit tamen comparatum ſupra naturam remedium, quod nullus ignorat, niſi qui deſperet. Vidit illa præfixam ad lectulum Borromei imaginem: audiit Ejus res geſtas, prælegente filio. Quod unum poterat, in eam oculos intendit. Attamen votum moderata; id unice petiit, ut jungere ſaltem in precantis ſpeciem liceret manus. Modeſta poſtulatio ad fœminæ patientiam ſpectare viſa eſt; non item Carolo ad munificentiam ſuam pertinere. Vicit Hic rogantis deſiderium, & docuit, majora ſperari debuiſſe; cum repentino exhilaratam gaudio, integra valetudine, & viribus ſplendide donaverit.

Sed nova ex agro Ticinenſi audita mox fuere miracula. Cuneoli in oppido quinquennis puer Melchior Bariola, fluentibus ex diſrupto peritonæo fœde inteſtinis, ſalutis ſpem ferme amiſerat, & vitæ. Immani ſumptu evocati Mediolano, Ticino, Placentia, & Laude Pompeja Medici in triſtiſſimam conſpiravere ſententiam, affirmantes, nihil in arte ſupereſſe præſidii. Tum vero ſpes omnis excidit penitus, quando Agnes mater alio evocata cum diem integrum abfuiſſet, filium ſibi, & dolori relictum, imo deſtitutum cingulo, quo frenare enterocelem conſueverat, veſpere comperit diurni fletus violentiâ ita labefactatum, ut prolabi jam ad genua uſque turgentia viſcera intueretur. Perculſa caſu parens, quæ in promptu erant, appoſuit: inani tamen officio. Quare, cum humana deficere videret auxilia, ad divina confûgit. Pendebat ante oculos Caroli imago, vera ſalutis ara, atque aliàs deſtinata ad utriuſque preces. Sed tum moribundo filio, una adſtans Mater vim inferre piam Borromeo ſtatuit, obſecrans amantiſſime, ut filium aut penitus

Digitized by Google

nitus eriperet, aut integrum redderet; illud enim minus moleſtum, hoc multo jucundiſſimum fore. Dum hæc oraret, obrepſit languenti ſoboli ſomnus. Placide tres horas ille cum quieviſſet, tandem evigilans, proximam Parentem compellat, rogans, an dormiat. Illi ſe vigilem teſtanti, reponit puer: *An ignoras, me a Cardinali noſtro ſanatum?* Anxia modum illa exquirit: Hic, *manum*, ait, *morbo applicuit; & fulgentem in digito gemmam vidi*. Appoſito lumine, videt Agnes, ſalva eſſe omnia. Dum hæc gaudio geſtiens erumpit in Caroli laudes, ille contra viſi Cardinalis habitum, tegumentum purpureum capitis, aliaque hujuſmodi puerili-ter, & ſincere exponebat.

Neque ſe deſertos doluere Bergomates. Idibus Februarii filium ſuſceperat quarto ſeculi XVII. anno Januarius Foreſtus aromatum venditor Bergomenſis; ſed ſobole donatus, patris nomen propediem videbatur amiſſurus. Certa jam tenebantur in filio comitialis morbi indicia, eaque tam teſtata, & gravia, ut obſtetrix ipſa, cognitâ mali indole, Patrem monuerit, ne perdendum ocyus de ſuſcepto filio gaudium inaniter antecaperet. Sexta poſt nativitatem die, tanta vis morbi crebrò ſubeuntis fuit, ut livido primum vultu, mox pallido, e vita exceſſiſſe infantem conſtaret. Parentes, & tertius præſens teſtis vidêre illum efflantem animam, & rigere verum cadaver ipſa etiam retulerat manus Verumtamen ſpes, quæ ultima omnium occidit, adhuc vivebat in Patre, qui audaci prece (quid enim amans non ſperet!) ante Caroli imaginem procumbens rogavit, ut filium, quem viventem ſanare noluerat, vitæ daret extinctum. Interim votum illi facit. Redit paulo poſt ad cadaver: diligenter explorat: cumque nullum videret extare beneficii indicium, lento greſſu in officinam deflectit, & funebrem ceram cunctabundus parat: ægre ſcilicet obſequente manu, cum præſagiret animus, ſpem nondum, licèt amiſſo filio, eſſe amittendam. Dum geminæ horæ ſpatio dolori obſiſtens ſimul, & indulgens, comparat, quæ ad ducendum funus ſpectant: animadvertit, improviſo reviviſcere filium; quo viſo, ipſe etiam revixit Pater. Hic ſtatim Mediolanum convolans, votum libens ſolvit, & in tabulas juſſit referri, prout acta res fuerat. Temporis brevitas, quo mortuus infans jacuit, & collatum citius Caroli beneficium aliquibus dubitandi cauſam injecerant, quominus puer haberetur pro extincto. Verùm factum ſuſpicione omni liberat obſtetricis ipſius, quæ inſtantem mortem prænunciaverat, & teſtium, qui aderant, fides; ſed multo certius parentis utriuſque teſtimonium, quorum alter authoritatem, atque artis, quam profitebatur, peritiam, altera rerum experientiam ad facti veritatem certiſſimam attulere. Teſtatus ſcilicet eſt Pater in hæc verba: *Inſertus erat uxoris brachiis puer: Egomet vidi exhalantem animam; ſenſum, vitam, & vitæ indicem calorem cognovi abeſſe. Paria fuere in præmortuæ ſobolis obitu indicia*. Mater autem: *Deficiebat in infante ſpiritus, qui cum deficeret, livere ille primum, mox ater fieri cœperat. Paulo poſt palluit; nec me feſellit fugientis animæ motus, qualem in filiabus geminis, quas adhuc amiſſas fleo; plane cognovi. Admovi naribus, & arteriis manum; nec ullum motus, aut anhelitus veſtigium erat: certam nunciabant mortem manus, pedeſque rigidi, & gelu conſtricti*. Paria affirmavit Jacoba de Aldeganis, certior parentibus teſtis, quo minus ad eam pertinebat hujus filii amor, qui in deteriorem ſemper partem amantes inclinat. Sed illud multo certiſſimum beneficii argumentum fuit, ipſa conſequuta filii valetudo, & firmitas, quæ cum expers deinde morbi hujuſmodi fuerit penitus, imo ſupra ætatem videretur, aliam certe redditam illi vitam indicavit.

CAPUT VII.

Una Illius imago in Poloniam delata, plurimis eſt ſalutaris.

VErum ab ultimis Europæ finibus nunciabantur, quæ Caroli gloriam amplifi-

plificarent latius, atque Poloniam universam Ejusdem beneficentiæ, & amoris famâ implerent. Anna Miskowskia ex Mirowiensium Demarchorum Gente Nobilissimâ, & Joanni Branikio nupta, qui ex Ruisciæ Comitibus natus, Præfectus erat Biecensi Arci, & Dux in Nepolomecensi Pago prope Cracovienſem Urbem Regis Sedem, novo, & acerbissimo morbi genere manuum usum omnem amiserat. Nullus inerat digitis vigor: tumebant immaniter palmæ: subierat articulos stupor; quos cum neque flectere posset, nec pati, alienam ad necessarios usus opem implorabat miserrime, & mortem ipsam tanto dolori identidem præoptabat. Undecim annos excogitata, conquisita undique, & perdita semper ad sublevandam acerbitatem remedia sunt: totidem scilicet morbus tenuit. Fatigaverat præterea precibus Superos, quos cum minus audientes votis haberet, recrudescente in dies malo, effusis lacrymis id saltem exorare conabatur, ut morbum, quem ars vincere non poterat, nec Cælitum pietas depellere statuerat, patientiâ saltem superaret. Verumtamen reservabatur ignoto ad eam diem Patrono integræ valetudinis concedendum donum. Forte in Italiam missus, & in eas regiones reversus Annæ famulus, Rinaldus secum attulerat Caroli imaginem, quam a Felice Riaria Bononiensi Sacra Deo Virgine acceperat. Eam sibi dari optaverat, tamquam novum offerendum Annæ valetudini pene desperatæ præsidium. Gaudens allatam Anna excepit, & flexis genibus, atque in ipso conclavi apte collocatam venerabatur: dolore manuum simul, & spe enixas exprimentibus preces. Nondum alter ab ea accepta effluxerat mensis: cum Cal. Novemb. Anni MDCIV. præter morem subiret atrocitas morbi, humi procumbens Anna, & manantibus ubertim lacrymis, coram Imagine miserabiliter ejulans, votum suum in hæc verba concepit: „ Tuas „ pro me preces Deo admove, Cardina„ lis Sancte; indigna scilicet sum, quam „ ille exaudiat. Effice, ut mei misereatur perditæ dilectus mihi Jesus; etenim dubito, ne superans impatientiam „ meam dolor Divinâ me obruat justissimâ indignatione. “ Verùm, dum Cælestem deprecatur iram, adesse favorem videt. Depositâ extemplo doloris, & manuum mole, vetus rediit in nervos, & digitos vigor. Maritus statim evocatus, venit in gaudii, & beneficii communionem. Disseminata, ùt fit, per finitimos rei fama, ingentem excivit hominum multitudinem, qui doni Authorem de facie agnoscere summis votis optabant. Imaginem inde amoveri oportuit, ut confluentibus potestas videndi fieret. Illata ea ocyus est primario Loci Templo, decies mille Martyrum memoriæ dedicato, & S. Annæ Sacello imposita. Accessere splendida Polonorum Religionis testimonia, inter quæ eminebat geminæ manus argenteum signum, quo beneficii memoria consecraretur. Unius editi miraculi cum per omnes Regni partes pervasisset rumor, fons & origo aliorum fuit. Expositus hic erat, & patens; quare infiniti illuc convolarunt mortalium, dumque inibi orarent, afflictis rebus subsidium facile plurimi impetravere. Venit in partem immensæ Beneficentiæ Rex ipse Sigismundus, ùt geminæ testantur literæ, quarum primas fideliter latino elatas sermone, alteras, prout conceptas legi in Actis Apotheosis, hìc subjicio:

Reverendiss. Antonio Senecæ Anagninorum Episcopo

Jo. Maria Bellettus Pontificii in Polonia Internuncii Auditor.

„ REddetur tibi ex me literarum exem„ plar, quas Sereniſſima Poloniæ „ Regina ad Summum Pontificem scripsit, „ enixe rogans, ut Divini B. Carolo „ honores decernantur. Fervent enim ve„ hementius in dies universæ hujus Natio„ nis studia erga Patronum istum Poloniæ „ amantissimum; & Regis præsertim re„ ligio in Eum acrius inflammata est,

„ qui

„ qui cum superioribus mensibus odontal-
„ gia laboraret acerbissime, neque ullam
„ prodesse medicinæ vim experiretur; ad-
„ esse sibi Caroli opem cognovit. Nam
„ cum primò Regina Ejusdem auxilium
„ pro dolente Marito imploraſſet, irrita
„ prece; mox adjunctis Annæ Miskowskiæ,
„ quæ Borromei auxilio morbum manuum
„ ante depulerat, officiis, mitigatâ re-
„ pente doloris acerbitate, somnum ce-
„ pit: quo excitatus, sensit debilitatos
„ antea, & dissolutos dentes consistere,
„ atque maximas, ut par erat, invocato
„ Liberatori gratias habuit. Quare, ut
„ obsequio indulgerem meo, & religioni
„ tuæ, impertiri nuncii hujus felicissimi
„ gaudium tibi constitui, qui viventem
„ dilexisti Carolum, & nunc in Cælis
„ regnantem veneraris. Cracoviæ IV.
„ Idus Majas MDCVIII.

Habe jam datam ad Paulum V. Summum Pontificem a Poloniæ Regina Constantia Austriaca Epistolam:

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater Domine Domine Clementissime.

„ POst oscula Beatorum Pedum S. V.,
„ meique humillimam commendatio-
„ nem. Jamdiu est, quod Beati Caroli
„ Cardinalis Borromei Archiepiscopi Me-
„ diolani admirabilis vitæ sanctimonia,
„ multis & insignibus post mortem Illius
„ comprobata miraculis, in hoc inclyto
„ Poloniæ Regno celebratur; eoque magis
„ increbrescit, ac propagatur in dies,
„ quo se divina Viri virtus in homines
„ longissime ab Illius sepulcro dissitos,
„ nempe in his oris, Ejusdem opem, &
„ auxilium implorantes, largius, & mani-
„ festius effundit; cujus rei multa, & il-
„ lustria documenta fidelissima longum es-
„ set recensere. Sed cum ego ipsa eam-
„ dem Virtutem in Regia Majestate Do-
„ mino, & Conjuge meo observandissi-
„ mo, qui nuper gravis, repentinique
„ sui morbi, conctis admiratione stupen-
„ tibus, depulsionem huic ipsi Beato Ca-
„ rolo, cujus per merita ad Deum vota
„ pro interceſſione feceramus, acceptam
„ se ferre affirmaverat, manifestissime a-
„ gnovissem; & præterea non ignorassem,
„ eumdem Beatum Virum, & Austriaco
„ nostro Generi, & nomini Polono, cum
„ in terris ageret, caritate quadam &
„ benevolentia peculiari propensissimum
„ extitisse: tanto equidem Ejus non tam
„ admirandi studio, quam venerandi exar-
„ seram, quo etiamnum flagrare me in-
„ genue profiteor, ut id in summa mea
„ Christianique populi necessitate repu-
„ tem, si quem Divina Clementia *Pre-*
„ *tiosum* esse *in conspectu suo*, prodesse-
„ que humano generi, quasi digito, de-
„ monstret, Eum Sancta Catholica Eccle-
„ sia honore illo, cultuque prosequatur,
„ quem aliis Sanctis in Cælo regnantibus
„ impendere consuevit. Quod cum in gra-
„ vissimo Sanctitatis Vestræ judicio, &
„ potestate sit positum; nec dubitem, id
„ ipsum & S. V. cordi esse, & plerosque
„ Principes Christianos pro sua quemque
„ pietate ab Ea contendere: prompto e-
„ quidem animo piis illorum, bonorumque
„ omnium desideriis meas etiam humiles
„ preces, & vota hoc nomine adjungo.
„ Sic enim existimo, magnam inde quo-
„ que felicitatis S. V. accessionem futu-
„ ram; cum Ejus Ipsius decreto Is An-
„ tistes in Sanctorum Confessorum Ponti-
„ ficum numerum referretur, qui ipse
„ S. V. notissimus extiterit, præstanti-
„ busque suæ Sanctitudinis exemplis, &
„ meritis Apostolicum Senatum, Urbem
„ Romam, atque adeo totam Italiam,
„ ut vivus illustraverit, & mortuus divi-
„ no munere glorioſus illustret. De ce-
„ tero opto S. V. prosperam, & diutur-
„ nam incolumitatem: meque ipsam Il-
„ lius gratiis, sanctisque ad Divinam Ma-
„ jestatem precibus, & Sacrificiis com-
„ mendo. Dat. Cracoviæ die XX. mensis
„ Aprilis anno Domini MDCVIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissima Filia
Constantia Regina Poloniæ.

Quamquam id unum ſponte curabat Pontifex Paulus, ne minus ceteris ſtudere Caroli gloriæ crederetur. Vixdum audierat ex Polonia, ornatam celebrato nuper beneficio Annam, e re eſſe judicavit, ut facti ſeries in legitimas Tabulas referretur; permiſitque, ut qui Internuncii ſui nomine in eo Regno agebat Franciſcus Simonetta Fulginatium Epiſcopus, re diligenter explorata, eas conficeret. Egit ex voto Franciſcus, ſive, novis adjectis beneficiorum teſtificationibus, deſiderium cumulatius implevit; cum alia Caroli dona confectis Tabulis adjecerit, quæ breviter innuemus.

Conſtantia ex Mirowienſium familia, Annæ jam ſanatæ Soror, Cracovienſi in Urbe degens, & S. Agnetis Parthenoni addicta, æque ac Adrianus Lubowieckius Nobilis ex Skontinko Pago profuiſſe ſibi Caroli patrocinium teſtati fuere. Illa capta oculis cæcutiebat plane; hic linguâ, verbum efformare non poterat. Una annum; alter plures dies: uterque ſpem, inani ſemper Medicorum opera, perdiderat. Illa domeſtico, hic publico teſtimonio commonitus, ut unam a Carolo opem expectarent, ad facile præſidium confugêre. Uterque impetravit ante eamdem Aram procumbens: uterque ſupra naturæ vires id accidiſſe affirmavit; neuter præter expectationem. Utrinque etiam extitit par grati animi indicium: nam argenteum oculorum Signum Conſtantia, Adrianus ex argento hominis Simulacrum Aræ præfixit.

Latêre aliud beneficium facile poterat propter clientis obſcuritatem, ſi tenebras pati poſſet Borromei fama. Exeunte anno MDCVI. Marina uxor Joannis, qui prope Cracovienſem Urbem ferrariam exercebat, febri correpta & hydrope, ventris & vultus formam ac lineamenta amiſerat. Ad ſemeſtre ſpatium miſeram vitam protraxerat; quo confecto, & ipſam ocyus conficiendam apparebat. Objecta eſt ſanitatis fiducia, auditâ Caroli beneficentiâ; in cujus partem venire cum vellet, ante Ejus imaginem, accedente aliorum ope, ſiſtere ſe morituram voluit. Quamquam vivere non recuſavit, poſtquam exturbato penitus ex viſceribus morbo, firmiter valens, & incolumis, ſtupente circum populo, domum pedibus rediit.

Alia etiam ſuppetebant in Tabulis illis, quæ teſtatam Caroli virtutem facerent. Nam & Albertus Krupiella Nepolomecenſis cephalalgiâ quadrimeſtri, & amplius debilitatus ac fractus: Sophia Ligocka ex Annæ Mirowienſis familia annuâ febri: & Eliſabeth Magni in eo Regno Mareſcalli Uxor odontalgia divinitus, Carolo auſpice, ante triumphalem Ejus Aram liberati, uno ore confeſſi ſunt, nihil Medicorum arte inanius, nihil vero tutius Borromei patrocinio fuiſſe, aut poſſe exiſtere.

CAPUT VIII.

Veſtes, & quidquid uſui Carolo fuit, ſummo in honore habentur; & pluribus appoſita, mirabiliter ſanant.

COmmunis de B. Cardinalis Sanctitate opinio etiam, cum in terris ageret, eo creverat, ut quæcumque Ipſi fuerant uſui, apud omnes maximi fierent, & veluti Sacrario digna cuſtodirentur. Hinc populi obſidere Illius vias: Eidem tacite appropinquare, ut multa conſecrarent veſtium ſuarum contactu: conſervare religioſe ſcipiones, quos adhibuiſſet: cubicula, in quibus noctes tranſegiſſet, ſacra habere; aliquando etiam facere. Hoc Hieronymus Luciagus antea Brixiæ; poſtmodum Comes Paulus Camillus de Marlianis Poliani præſtitit, Vir & religione ſua & nobilitate celeberrimus. Sacram uterque in Ædem convertit cubile, quod Borromeo unius noctis hoſpitium fuerat: religioni ducens, profanis uſibus locum pollui, tanti Viri præſentia jam dedicatum. Camillus tamen illuſtratum pulcherrimis picturis Sacellum hac inſuper Inſcriptione ornavit:

QUID

Digitized by Google

QUID MIRARIS SACELLUM EX CUBICULO EFFECTUM?
P. CAMILLUS MARLIANUS
ET JULIA MARTINENGHA
OPTIMA ET AMANTISSIMA EJUS UXOR
REVERENTIÆ CAUSA ERGA B. CAROLUM
ILLUD COMMUTARUNT NE PROFANUM HABERETUR
QUOD OLIM TANTUS ANTISTES IN OBEUNDA DIŒCESI
NOCTURNA COMMORATIONE
CONSECRAVIT.

Ejuſdem exiſtimationis erat cuſtodiri cultros, quibus menſæ aſſidens utebatur: panis, veſtium reliquias, veluti divinum aliquid, & illa etiam, quæ Ipſius Corpus, imaginem, aut ſepulcrum contigiſſent, tamquam certiſſimam, ſiquis accidiſſet, morbi futuram medicinam. Mira videri poſſet hæc tanta apud ſuos Caroli opinio, niſi ab Hæreticis ipſis nihilo minorem Viri Sanctitas obtinuiſſet. Inter hos Sigiſmundus Curtius a S. Gallo in Helvetiis, cum memorati ſæpius Fornerii in domo eſſet, hoſpitis uxorem vidit verſare manu lineum ſacculum Caroli ſanguine imbutum, quem Auguſta Taurinorum rediens Cardinalis, diſſecto ſibi a Chirurgo pedi ſuppoſuerat, & forte in Illius tibialibus repererat mulier, dum hæc aſſueret. Habendi deſiderio captus Sigiſmundus, viſum ſacculum enixe poſtulavit a fœmina: cui cum illa repoſuiſſet: *quid tu, hoſpes, cum ſis, Lutheriane Catholici hominis theſaurum ſtudes obtinere?* adjecit: ſummam ſibi eſſe de Carolo opinionem: vidiſſe ſe, atque audiſſe de Eodem adeo mira, ut Sanctorum honoribus ſibi colendus videretur: optare aliquid ad tanti Viri memoriam: felicem ſe, ſi rem eam ſuo cruore infectam habuiſſet. His voti compos fuit, ſecumque ſemper acceptum donum pretioſiſſimum habuit.

Quidquid ad Carolum ſpectaſſe aliquando videbatur, tanto erat in pretio, ut aqua ipſa, quam ſuis Ille manibus rite conſecraverat, ſummo ſtudio quæreretur, deferretur in remotas Orbis partes, & in Hiſpaniam uſque a Principibus Viris, ut inde opportunum corporibus, animiſque remedium haurirent. Plurima autem propter miracula jure, ac merito aquam hujuſmodi tanti fuiſſe pro certo habeo; ſed ad hiſtoriæ fidem unius commemorationem crediderim ſatis. Urſulæ de Caballis nobili loco Mediolani natæ filia erat nomine Catharina, cujus caput miſera & diuturna porrigine, ut in pueris aſſolet, intabuerat. Vincebat morbus remedia: abluto demum capite, morbum ipſum hæc aqua vicit.

Neque vero plebejos duntaxat animos ea religio ſolicitabat; Principes etiam quæ Caroli fuerant ſummo ſtudio conſectabantur, neque minori in pretio habebant: Philippus III. Hiſpan. Rex cilicii partem ſibi a P. Didaco Torreſio Societ. Jeſu Mediolano allatam: Margarita ejuſdem Uxor Sacerdotalem Ejus Caſulam a Federico Card. Borromeo dono miſſam: Maria Auſtriaca Margaritæ ipſius Mater induſii partem ab Archipresbytero Mediol. Eccl. poſt multas preces impetratam. Magnum illud fuit honoris teſtimonium; cum Emmanuel Sabaudiæ Dux miſſum ſibi a Federico item Card. Borromeo lineum amiculum, quo Carolus conditus fuerat, Auguſtæ Taurinorum in Templo Maximo excipere publice voluit coram Internuncio Apoſtolico, & Civitatis illius Archiepiſcopo, Liberis ſuis omnibus atque Aulæ adminiſtris: juſſit eâdem in Theca, quâ Sacra Redemptoris noſtri Syndon, & S. Mauritii Martyris Thebanæ Legionis Ducis latebant exuviæ, ſublimem Aræ imponi: Hieronymo Caſtano tanti muneris latore pretioſiſſimâ gemmâ donato. Hunc imitata Chriſtierna eſt Magna Etruriæ Dux. Hæc miſſam ſibi ab eodem alteram ex Pontificalibus Chirothecis, mortuo Carolo detractam, ibidem, ubi publicas legationes, & Principes Viros ſolebat, excepit coram Familia omni;

Digitized by Google

ni; flexisque genibus ad quartam horæ partem, Liberosque, qui aderant, hortata, ut Carolum sibi in Patronum deligerent, venerandam & osculandam singulis obtulit, & tandem manu propria, pulcherrima in Arcula depositam, in domestici Sacelli Ara collocavit. Id muneris acceptum adeo fuit Magno Duci Ferdinando, ut & Cardinali ejusdem Authori ampliſſimas scripto gratias ageret; & Abbati Jo. Baptistæ Besutio latori inter ceteras grati animi significationes testaretur: *pluris se illud facere, quam novam Ditioni suæ adjectam Provinciam.* Infinitum esset singulis immorari: illud unice prætereundum non est, maximam fuisse apud Transalpinos Principes hujusmodi donorum æstimationem. Inter ceteros Maximilianus Austriæ Archidux, Rodulphi Augusti frater, Guillelmus Bavariæ Dux, & Austriaci item fratres Archiduces, aliique Germaniæ Proceres, cum Grajaci essent, ab Ecclesiæ Mediolanensis Archipresbytero, qui anno MDCVII. apud ipsos degebat, dissectis ex Caroli indusio particulis donati, illas adeo gratas habuere, ut officiosissimis verbis, quibus se eidem obstrictos tanto beneficio testati sunt, pretiosa dona adjecerint vasa argentea nonnulla. Neque operæ pretium est hoc loci referre, quanti eadem facerent Cardinales, & reliqui Præsules, quorum in oculis adhuc hærebat Borromei Sanctitas. Marcus Aurelius Grattarola, Oblatorum Sodalitio Præpositus, Cæsari Cardinali Baronio Romæ obtulit adhibitam a Carolo Stolam. Eâ conspectâ, humi procubuit venerabundus Vir religiosissimus, iterato pectoris plangore se indignum clamans, qui pretiosum adeo pignus contingeret manu; quare, cum ea religio Baronii animum non desereret, Aurelii ipsius manu, sua in theca reponi Stolam oportuit, quæ deinde a Cæsare accepta, semper illi pretiosissima fuit. Sed unus instar omnium sit Paulus V. Pontifex Maximus, qui lineo amiculo (Rochetum appellant) dum in Anagnini Episcopatus collatione Antonium Senecam indueret, intelligens, illud olim Carolo usui fuisse, summa honoris testificatione osculatus est: partem vero indusii, quo S. Cardinalis conditus fuerat, sibi ab eodem Seneca donatam quàm acceptissimam habuit. Tanta ampliſſimis Principibus immissâ erga Carolum reverentiâ, Deo placuit ostendere, quanti Servus hic suus apud se esset; quod ipsum etiam atque etiam patêre voluit, salutifera vi quadam ad depellendum morborum insanabilium genus quodlibet inditâ rebus iis omnibus, quas Ille adhibuisset (*a*).

Et

(*a*) Ubique exarsere studia pro impetrandis rebus usu Caroli consecratis. Lego in literis Petri a Valle, cognomento Peregrini, missas hujusmodi Reliquias ad Persarum Regem Abbas I. eo consilio, ut in illo amor erga Orthodoxam Religionem excitaretur. Tantum in Borromei patrocinio collocatum fuit fiduciæ, ut non videretur desperandum, mutari posse impiam Regis illius mentem, qui, capta Ormusio, celeberrimo Orientis emporio, Catholicorum res iis in partibus penitus afflixit. Verum præstat audire feliciora, quæ in Sabaudia evenere, postquam illuc delata sunt S. Cardinalis Lypsana, & dono oblata S. Francisco Salesio, qui nobile conscripsit de Caroli Sanctitate, & beneficentia testimonium, dum pro iis acceptis eucharisticas Cardinali Federico Borromeo literas mitteret. Has ex autographo ipso latine reddo:

Illustriss. & Reverendiss. Domine mihi ter colende.

„ SUaviſſima fuit mihi Dominationis Tuæ Illustriss. „ sancta Caritas, qua habere animum peramanter voluit memorem mei, indigni plane homi„ nis, ejusque amabile adeo specimen exhibere, „ offerens dono maxime venerandas Reliquias Ma„ximi S. Caroli, quas per Bellicensem Præsulem, „ eximiæ virtutis virum accepi. Imparem certe aga„dis, ut decet, gratiis me esse fateor; unamque „ observantiæ meæ testificationem esse gratiarum „ loco arbitror; neque enim ullus suppetit eas age„di modus, quàm silentio. Ne tamen Dominat. „ Tuam Illustriss. jucundâ hâc notitiâ fraudem, „ hoc unum dicam: in hisce regionibus, imo per „ universam Galliam mire, & excellenter diffundi, „ atque amplificari Gloriam, & Cultum Beatissimi „ hujus Cardinalis; cum singuli admirentur, atque „ ex animo colant omni ex parte perfectam Illius „ Sanctitatem. Hac in urbe præsertim, die Ejus „ memoriæ sacro, Archiepiscopus Lugdunensis, cum „ me præsentiâ suâ dignatus esset, Sermonem ha„buit in Clericorum Regularium S. Pauli Tem„plo, tanta Apostolicæ facundiæ vi, ut omnes „ ad se raperet ejus orationis suavitas; neque „ recensere valeam, quo animorum gaudio com„memorari tam Eximii Viri laudes, universi au„dient. Oblatorum Lypsanorum munere multa „ jam in ægris pluribus miranda patrata sunt;

„ ex

Digitized by Google

Et primum quidem teſtimonium dabit Magdalena Doctoris Octavii Bonamici Uxor Ticinenſi in Urbe. Annus nondum a Caroli obitu exierat: gravida hæc quintum admodum menſem, cum immaturo ad pariendum tempore, acerbiſſimis doloribus horas amplius XXIV. exſtimulatâ alvo, neque fetum edere poſſet, neque remitteret cruciatus, imo actum jam de illa putarent omnes: fiduciæ plena alterum ex Caroli tibialibus corpori ſuperpoſuit. Ejuſdem ope implorata, fœminam difficultate nulla peperit, quæ ad diem ſuperſtes, ad Templum deferri Baptiſmi cauſa opportune potuit.

Idem ferme Mediolani accidit, XV. Cal. Auguſti triennio poſt, Clementiæ Areſiæ Proſperi Cribelli Nobilis Mediolanenſis, & anno MDXCIII. Claræ a Monte-Regali Jacobi Philippi Calerii Uxoribus. Primam partui proximam exorti utero dolores vehementiſſime cruciabant; ſed tranſverſum corpori fetum emittere non poterat. Vigeſimum jam diem periculoſiſſime laborabat, ut ex Medicorum, & obſtetricis ipſius judicio, cùm nulla matri ſalutis ſpes eſſet, tum nulla puero vitæ indicia. Morbo igitur humanam ſpem eludente omnem, Clementia confûgit ad Carolum, admotoque corpori Ejuſdem induſio, quod Vir domi cuſtodiebat hujuſmodi, aliiſque curationibus jam probatum, feliciter filium effudit, ſed tumore, & livore in capite præſertim, ac gutture decoloratum penitus, ac prope corruptum, ut moriturum in momenta credidiſſes. Baptiſmo tamen perfuſus infans, & Carolus appellatus, decedente ſenſim corporis vitio, ſuperfuit. Alteram maturus partus cum præſentiſſimo vitæ periculo jam octiduum urgebat, & diſrupta pluribi ventris cute, pejora matri minabatur. Oravit Carolum mulier; orantem Carolus audiit. Allatam enim a marito epiſtolam, Cardinalis manu olim Hieronymo de Arabia Canonico Ordinario ſcriptam, ubi collo appendit, editus repente puer dolore nullo, & proprio in pallio a Patre ipſo exceptus, unâ Caroli manu cælitus obſtetricante.

Quamquam ingrati plane eſſet communicata aliis recordantem, impertita ſibi a Carolo præterire. Jacebam egomet (Gluſſiani verbis utor plane) recurrente plurium annorum morbo; articulorum ſcilicet doloribus diſcruciatus ſub Quintilis exitum anno MDC., & dextera in manu adeo ſævientibus, ut ipſam obduratam uſu patientiam vincerent. Sed feſſo mihi invaleſcens adhuc ingruebat in momenta dolor; & præſenti perditum futuri expectatio conficiebat. Deum, Deiparam, & quidquid in Cælis Sanctorum eſt, ferventiſſime invocanti, tandem forte fortuna ſuccurrit ſacrum illud Cardinalis Palliolum, quod aſſervabam domi. Quam citiſſimè afferendum curavi: allatum ægrotæ manui admovi. Eo contactu primum dolor remittere; imo puncto temporis prorſus extingui: manus ſentire quidem tridui ſpatio permeantis humoris fluxum, ſuum adhuc curſum tenentis; ſed nihil pati: certiſſimum ſane opis indicium divinitus allatæ per Palliolum illud pluribus aliis beneficiis, atque inter cetera gravidæ mulieris ſanitate celeberrimum. Hanc enim trium dierum, totidemque noctium angoribus, partu difficillimo, & certo vitæ periculo ſolvit, re deſperata, applicatum parituræ a Bartholomæo Alchiſio Sancti Carpophori Parocho, ex cujus manibus divinum remedium ad noſtras pervênit.

Calendis Junii anno inſequente Dorothea Joannis Baptiſtæ de Regibus Ticinenſis

---

„ ex quo facile intelligimus, Dei hoc certe conſi-
„ lium eſſe, ut dilecti ſibi Famuli veneratio hiſce
„ in partibus augeatur, atque efflorescat. Si major
„ mihi uſus, & copia Italicæ Linguæ foret, neque
„ vereret Dominat. Tuæ Illuſtriſs. auribus permo-
„ leſtus videri, fuſius ſingula perſequerer; Verùm
„ hoc etiam decet, me intra obſervantiæ fines,
„ quam excellentiſſimæ dignitati Tuæ debeo, con-
„ tineri. Quare humillimo obſequio Sacras deoſcu-
„ latus Manus, & veram felicitatem precatus,
„ finem faciam: eumque me eſſe teſtor, qui æter-
„ num ero

Dominat. T. Illuſtriſs., & Reverendiſs.

Annecii Prid. Cal. Mart. MDCXVI.

Humillimus & ter devotus Servus
Franciſcus Epiſcopus Genevæ.

Digitized by Google

nensis Patricii uxor, cum gravissimâ teneretur febri, & nullis videret saluti suæ remediis subveniri; usa B. Cardinalis tibiali, quod ægro corpori superposuit, & nos alibi meminimus, repente convaluit.

Annus idem crebris aliis curationibus insignis fuit. Soror Candida de Agudiis in Mediolanensi S. Praxedis Asceterio tres supra quinquennium menses desperata, ex phtisi lecto detinebatur: illud unice, ut morbum producerent, studentibus Medicis. Vires ne suppetebant quidem brachio offerendo exploraturis venam: accesserat odor, veluti ex cadavere, teterrimus: putrescens cum carne cutis: postremis autem diebus convulsi vehementissime nervi, & vox penitus intercluſa, ut omnibus jam demigrantis animæ præsidiis rite instructa, spem vitæ nullam reliquam ostenderet. Quid expectamus? Omnibus in Ejus obitum intentis, sana, vigensque lecto exsiluit Virgo III. Cal. Quintil. Caroli enim veste sibi eo mane impositâ, quæ Ludovici Monetæ beneficio a Borromei obitu in eodem Asceterio conservatur, eâque ægro corpori in Crucis formam adhibitâ, idem fuit morbum abire omnem, vires restitui, consurgere lecto; elataque veste, miræ sanitatis trophæo, sacram in Ædem convolare, ibique una cum affluentibus ad rei novitatem contubernalibus Virginibus gratias agere Deo, quo Authore, & Carolo, quo Deprecatore tam mira sibi facta fuerant, & salutaria.

Novum in eodem Asceterio miraculum eamdem vestem celebriorem fecit. Multos jam annos Soror Beatrix Besana ex disruptâ pectoris vena eam imbecillitatem contraxerat virium, ut nec moveri posset adulto jam morbo, neque verbum ullum, nisi ægre, exprimere. Desertæ ab officiis Medicorum ineunte Julio, Caroli vestis Beatrici salutem; Beatricem intermissis multorum annorum intervallo muneribus restituit.

Ad Portam Novam in S. Augustini Parthenone Mansueta Cribella ex inferiore Sanctimonialium ordine febri tabescebat. Morbi summa erant assiduus ad quadrienium capitis, & stomachi dolor, fractæ penitus vires, debilitata oculorum acies, & ipsa demum Medicorum desperatio. Audiit XII. Cal. Aug., allatum in Monasterium fuisse alterius ægrotæ beneficio quoddam Caroli Sudarium; speransque, si admovendi illius copia fieret, nullum exinde malum fore, testudineo gradu in Sororis cellam evasit. Ibi Sudario non reperto, chartam ipsam, qua involutum illud fuerat, prostantem ægro corpori appositi fiduciæ plena; multisque nuncupatis votis, silentio se recepit in lectulum, cum jam advesperasceret. Decumbentem arctus complexus est somnus; quo excitata mane postero, & belle se habens, permanasse ad involucrum inditam Sudario divinam vim intellexit.

In Suburbano aliàs memorato pago, cui Viglentini nomen, Franciſca de Crispis, quæ, ùt superius innuimus, alio Caroli beneficio deinde ornata est, sperare in posterum facile didicit impetrando. Vehementissimâ febri correpta, & morti proxima, linguæ usu amisso, & cibo per triduum repudiato, pauca tamen refecta a Bernardino Borrono Parocho filamenta ex S. Cardinalis birreto, cujus illa partem collo appenderat, medicatæ potioni immissa perlubenter ingessit. Dum ea in stomachum trajiceret, devolutæ velut in puteum fistulæ, auditus est sonus. Paulo post, dum Extremæ Unctionis mysteria rite obiret Parochus, fœtidum, atque uberem ex ea sudorem exhalari animadvertit. Sudoris effusionem sequuta vox est; jamque implere responso suo preces Franciſca cœperat, dum cæremonia perageretur. Sacro Oleo munita, cibum popoſcit; imo corpus corripere meditabatur e strato. Parocho vetante, resedit tamen; sed postridie, cum optime sibi esset, decumbere noluit, atque solemnem exinde diem, III. scilicet Idus Octob., accepti beneficii memoriâ consecratum semper habuit.

Insignia èt illa visa sunt, quæ Juliæ de Abdua Ludovico Buschæ Mediol. Patricio nuptæ, & Ursulæ Saronæ Cassinæ evenerunt. Utraque nobili orta genere; verùm illa laterum & stomachi, hæc coli doloribus vexa-

Digitized by Google

vexata: una cibo per vomitionem egesto, debilis; altera mentis usque impos, medicinæ vim inesse Caroli vestibus cognovere. Nam Julia cum Ejus cilicium supra pectus explicasset; Ursula indumenti partem: adhibitum facile utrique remedium fuit.

Alia tamen complura memorandum effecere annum secundum Seculi XVII., quo postremum hoc Saronæ beneficium celebratum est; nam superiore alterum evenerat anno. Nobile est Mediolani Monasterium S. Marthæ dedicatum, ubi Joanna Franciscа Mendotia frigidâ pituitâ laborabat in capite, quod sibi identidem diffringi dictitabat. Male affecta pars, tenuissimi etiam veli impatiens, ita rigebat, ut ferventissima quæque admota frigefaceret. Accedebat summa debilitas pedum, hebes luminum acies, cibi capiendi difficultas: quare eam emortuæ loco habebant sociæ Virgines, noctu assidentes lecto, velut ad cadaveris curam excubantes. Ex geminis allatis Caroli crepidis XIV. Cal. Majas, alteram applicaverat capiti in salutis impetrandæ spem erecta, postquam Illius patrocinium imploraverat. Post semihoram crepidam simul, & dolorem removit; sed illam veluti ex igne calidissimam, cum antea capitis sui contactu calidissima quæque frigerent. Eodem die mali ignara surrexit, non beneficii.

Sacer Quadragesimæ tempore futurus Orator Mediolanum venerat P. F. Angelus Cerrus Mediolanensis ex Capuccinorum Ordine: & podagrâ dexterum pedem subeunte, XV. die ante statutum habendis Concionibus tempus, conscius, morbum cum cùm gravem esse solere, tùm diuturnum, præmonuerat, ut alteri a se concionandi provincia demandaretur. Jacens, & dolore æstuans, optavit prætumido pedi Caroli palliolum imponi. Una nocte illo ter applicato, recitatisque nonnullis precibus, mane postero solutis nervis convaluit; atque ex hoc Borromei munere cùm ille sanitatis donum, tùm uberrimum animarum fructum Civitas retulit, quæ concionantis deinde vocem audivit.

Ad VIII. ab Urbe nostra lapidem Bollati in pago ægrotaverat ex pleuritide Pauli Aresii nobilis Civis filia. Medico desperante valetudini, languentem invisit ejus loci Sacris Præpositus Jo. Baptista Samaruga. Summâ spe item, ac reverentiâ Cardinalis birretum puellæ imponit; quæque ardentissima vix accesserat febris, repente deferbuit; idemque lethiferi morbi initium fuit, & finis.

Fluxerat rheuma in genua, & tibias Corneliæ de Grampis Sacræ Deo Virginis in Monasterio S. Mariæ ad Vallum nuncupato; eæque partes humore vitiatæ, glacie veluti constrictæ tenebantur adeo, ut assidue dolens Cornelia earum officiis destitueretur. Sed gravior accedebat senectutis morbus; cum V. supra LX. numeraret annum. Biennium laboraverat; & instare jam laborandi finis, ætate tam provectâ, credebatur; præsertim cum aliud in mamma jam a VII. supra XL. inveterasset malum. Pridie Cal. Jun. certe finis malorum fuit; verum præter opinionem a morte alius. Scilicet cum Monasterii Antistita S. Caroli palliolo supra pectus, & genua bis effinxisset Crucis signum, mammæ sanatæ primò nullus superfuit dolor; mox permanante in genua salutifero calore, omnes abire morborum reliquias, præter vigentem senectutem, sensit, quæ morbus esse ferme desierat.

Postulat hic locus, ut tertium ex prænunciatis ab imagine Caroli beneficiis, & celebratum in S. Agnetis Monasterio exponamus, ut superius indicavimus. Ibi Clara Franciscа Decia, malo vexata Dæmone XII. amplius annos, exturbare violentum, & diuturnum hospitem plane desperabat. Gemino tamen, quod ibidem Carolus patraverat, miraculo edocta, adesse præsidium cælitus posse, quinquies recitaturam se singulis in mensem diebus certas preces ad Ejus opem implorandam spopondit. Dum se datâ fide liberaret Virgo, Dæmonem acerbius solito vexantem quidem, sed confitentem audivit: *Cogi se ex ipsius corpore abire, S. Cardinalis jussu: imo ad diem S. Jo. Baptistæ sacrum penitus ab ea excessurum*. Bonam fœminam mendacissimi Genii confessio non fefellit. Etenim mane

desi-

designatæ diei, dum conscientiæ suæ moderator Sacerdos diras rite pronunciaret in Dæmonem, invocato ad id Caroli auxilio, cujus imaginem geminis miraculis insignem ab oculos habebat, erumpere ille ex Virginis corpore visus est in immanis Draconis speciem, nigris alis, anguino capite, bifurca, atque ignita lingua, patulo ore, aduncis unguibus, stridore demum horrendo, qui absentes quoque perterrefaceret: pediſſequâ adjectâ Lemurum phalange, tamquam comitatu, diversa belluarum, earumque horribilium spectra referente. Concidit Clara mortuæ similis, & sacram in Ædem delata, ad quinque horas jacuit; donec in se reversa, turpi illa obsidione se liberatam agnovit. Sed egressi hostis vestigia miseranda permanserant, ulcera & plagæ, quæ cum intra uterum essent, ab omni medicina remota, pessime illam afficiebant gravissimis non modò læsarum partium, verum etiam pectoris, & capitis doloribus; quare Dæmonum jam potestati erepta, eorum adhuc ignes, & laniatus, viscerumque evulsiones pati sibi videbatur. Interim occulto morbo decumbere: continuos ferme dies atrocissime cruciari: contrahi nervi, & lævum cum nervis crus infra dexteri longitudinem. Annum integrum se invictâ patientiâ, & Borromei patrocinii spe sustentaverat, cujus opem quotidie obtestabatur. Tandem filamenta quædam ex Caroli indusio decerpta, impigre hausit jusculo immista; quibus stomacho receptis, tanta fuit viscerum perturbatio, ut ex doloris præstantia ejularet desperatissime. Acerbissimi cruciatus impatiens, insignem illam Dæmonum victoriâ Caroli imaginem quæsiit. Qua allata, ter Dominica Oratione, & Salutatione Angelica recitatis, precibus simul, & malis finem imposuit, protenso ad alterius æqualitatem crure, sanatis ulceribus, dolore absterso. Mox publicæ tanto Liberatori gratiæ actæ.

Jo. Baptistam Portam ex Jurisperitorum Collegio gravissimus stomachi oppressérat dolor, & ægritudo, quam febris, vomitus, & nausea miserrime consequuta sunt. Coacto præstantissimorum Medicorum concilio, responsum est, ut de morte cogitaret. Verumtamen de vita potius cogitare tùm cœpit, cùm appositis pectori S. Cardinalis birreto & thorace, nihil in se residere mali expertus est, præter virium imbecillitatem; qua etiam paulatim depulsa, sibi eum Carolus obstrinxit memoriâ beneficii sempiternâ.

Canturii in Sacrarum Virginum Monasterio Ursulæ Parolinæ ex Parthenonis Synoditis puellis, tertio quoquo, aut quarto die male erat sinistro in crure; cujus cum usum haberet nullum, sedem vertere, implorato aliorum auxilio, oportebat. Ad Cal. Febr. anno MDCIII., vim morbi proximum genu jam occupantem, facessere penitus jussere adstantes Virgines, quæ, impositâ ægro popliti conscriptâ a Carolo epistolâ, Ursulæ valetudinem, sibi gaudium impertivere.

Verùm illud inter cetera præclarum, ac memorabile miraculum, quod Mediolanense S. Catharinæ ad Braydam Monasterium ipsâ Deiparæ, & S. Caroli præsentiâ decoravit. Ex Virginibus inferioris ordinis ibidem lecto detinebatur Apollonia de Ridolphis febri ad decennium confecta, cum magna brachiorum, crurum, corporis demum inflatione, & immani præsertim ad os ventriculi tumore, atque cephalalgia. Quare soluto stomacho, nihil ferre ciborum poterat: hinc rei cujusque subita vomitio, & permanens ex vomitione virium languor. Obscuri admodum mali latebant indicia, nisi tandem patuisset celari in venis malorum omnium artificem Dæmonem. Multa, & magna remedia experta, nihil profecit; unicum profuit tamen: Caroli scilicet thorax, quem se Eidem & Deiparæ commendans, induit pridie SS. Trinitatis festum anno MDCIII. sub vesperum. Tum enim cælesti se urgeri Potentiâ sentiens Dæmon, ferocius infremuit; cumque ad IV. usque noctis horam acerbius solito Virginem torsisset, tandem spatium ad quietem reliquit. Itaque Apolloniæ in levem somnum dilapsæ, Deipara, & Carolus se per speciem obtulere: Illa quidem cæruleâ pallâ induta, & lilium præferens manu; Hic Pontifi-

tificiis, & candidis insignibus confpicuus. Ubi ſtetere propius, Deipara naribus lilium admovit; Cardinalis verò lecto juſſit conſurgere, manuque capiti impoſita, ſubitam Dæmoni fugam indixit: quibus peractis, uterque ex oculis evanuere. Experrecta Virgo eſt; & ſtuporis plena ſe non lecto decumbere, ſed humi genibus nixam animadvertit, recenti adhuc lilii odore in cellam omnem diffuſo; oſtio autem, & feneſtris, quæ ſub veſperum clauſæ fuerant, adapertis, atque patentibus. Verum hæc prodigia cumulabat acceptius ſanitatis beneficium; hoſtis enim ex viſceribus exceſſerat: cumque appetente matutinarum precum tempore, actura gratias convolaſſet in Templum, ceteræ Virgines teſtatæ ſunt, auditum nocte illa horrendum Dæmonis fugientis ſtrepitum, & diffuſum per conclavia ignoti tumultus terrorem. Apollonia exinde animo, & corpore confirmata, fatebatur, in pretio ſibi morbum fuiſſe, utpote eam multo valentiorem, quàm antea, oblata a Carolo ſanitas fecerat.

CAPUT IX.

Caroli Corpus in Sepulcro recognitum miraculo eſt. Brevis alia miraculorum epitome.

PHilippus Archintus Novocomenſium, & Claudius Rangonus Placentinorum Epiſcopi, delegatâ ſibi a S. Sede Apoſtolica provinciâ inquirendi ſuper vita, & miraculis S. Caroli, ut inferius dicemus, poſtquam teſtes audierunt, S. Cardinalis mortales Exuvias obſervaturi, poſt VI. Martii diem anno MDCVI., ex Pontificis mandato, nocte concubia, aperto Ejuſdem Sepulcro, diſſolutum nihil, ſed membra omnia inter ſe perfecte conjuncta invenerunt, multis etiam in partibus integra, molli adhuc carne, & incorruptâ; licèt ex humore in Sepulcri locum permeante, interior arca ipſa ex plumbo, in qua Corpus conditum erat, itemque altera exterior ex craſſis tabulis compacta, vitium undequaque feciſſent; imo, eâ multis in locis perforatâ, tantum ibi humoris collectum eſſet, ut ſacrum illud Cadaver, veluti merſum in foſſa, totum aqua maderet. Mirum erat, oſſa ipſa duorum ſupra viginti annorum ſpatio (tamdiu enim ibi delituerant) non eſſe conſumpta: indumentis partim corruptis, proximam carni ſubuculam integriorem eſſe: præſtante ſcilicet, ne putreſceret, ipſa corporis vicinitate, per quam corrumpi facilius debuiſſet. Illud etiam magnæ admirationis: veſtes illas ita vitiatas, & putres, nihil male olere conjunctas corpori; ſejunctas graviſſimi odoris eſſe (*a*). Itaque deterſo ſqualore omni, novis indui Cadaver Pontificiis inſignibus, & nobili ex cupreſſu arcâ iterum condi; quin etiam ſepulcrum ipſum refici oportuit, vetere exeſo jam, & plane fatiſcente.

Subuculæ quod integrum fuit, in partes diviſum: modicum ex ea quid in manus pervênit mulieris Mediolanenſis honeſto loco natæ,

(*a*) Veſtes, quibus conditus Carolus in ſepulcro eſt, magna ex parte, in Philippi Archinti Novocomenſium Antiſtitis manus venere, qui eas, veluti Trophæa, Canturii defixit in magnifico ibidem extructo Templo, auro inſuper, & picturis ornato. Dedicatum illud fuit ab Eodem Epiſcopo magna cum celebritate, & cauſam excitandi docuit præfixa hac inſcriptione:

S. CAROLO
CUJUS INCOMPARABILEM SANCTITATEM
AUCTORITATE APOSTOLICA EXAMINAVIT
QUEMQUE IN SUUM
AC FAMILIAE ARCHINTORUM
PATRONUM ADOPTAVIT
PHILIPPUS ARCHINTUS EPISCOPUS COMENSIS
AC SUMMI PONTIFICIS ASSISTENS
SACELLUM HOC A FUNDAMENTIS
EXTRUXIT. MDCXVII.

Equidem tam potenti præſidio ſuſtentata Archintorum Gens inter Italos Nobiliſſima, egregios belli, paciſque artibus Viros in lucem protulit. Ut enim præteream etiam, quæ hoc ſeculo teſtata fuit, Joſeph S. R. E. Cardinalis, & Mediolanenſium Archiepiſcopi, atque Comitis Caroli laudatam ubique gentium Prudentiam, & Doctrinam, domeſticas tam inſignis Familiæ dotes: hac ætate nobilius extitit clientelæ a S. Carolo ſuſceptæ teſtimonium, quâ pulcherrimo, & feliciſſimo connubii vinculo Borromeum Nomen ac dignitas in eamdem invecta eſt; & gemina præterea, tamquam ſolidæ virtutis inſtar, celebrantur illius ornamenta, Albericus Pontificius in Polonia Internuncius, atque Ludovicus omnibus Togæ ſtudiis imbutus, in quorum uno Patriæ ſpes, in altero ſunt collocatæ deliciæ.

Digitized by Google

natæ, cujus nomen juſtis ſiletur de cauſis. Maximis hæc veneficiis multos jam annos affecta erat; denique monſtroſum quid, cujus dilucidam explanationem honeſtæ aures refugerent, ſuis in viſceribus ferebat, Dæmonis operâ procreatum, atque adeo horribile, ut nihil unquam ſimile fuerit auditum: maxima ſane, atque incredibili infelicis mulieris vexatione, quam pariter melius fuerit ſilentio præterire. Mihi quidem rem omnem pleniſſime edocto, (optima fide dico) ùt nihil unquam hujuſmodi, neque ex hominum ſermone, neque ex librorum lectione accepi; ita horrorem incutit ipſa cogitatio mali omnem humanam opem longe excedentis. Ideo mulier ſpes ſuas omnes in Dei miſericordia, & Caroli patrocinio, cui quotidie ſupplicabat, unice collocaverat. Sacræ igitur Subuculæ particulam cum obtinuiſſet, certa ſalutis, ore hauſit, involutamque exiguâ ofellâ, in ſtomachum trajecit. Neque votum fefellit fides: ubi enim cæleſtis medicina in guttur venit, ſuffocari primum viſa eſt fœmina; verum ubi illapſa in ſtomachum eſt, veneficia ſolvit omnia, & monſtrum ipſum in liquorem, qui eodem temporis articulo abunde ex ægro corpore effluxit: muliere quidem perquam debili tum relicta, ſed plena lætitiæ, & conſolationis. Eadem horæ ſpatio corporis etiam vires recepit, ipſamque multos jam annos amiſſam priſtini coloris bonitatem. Neque ex die XXIII. Martii MDCVI. uſque ad illud, quo hæc Gluſſianus ſcribebat, tempus ex impetrata divinitus valetudine quidquam deceſſerat.

Illud etiam, quod Dariæ Fratæ ad Mediolanenſe S. Satyri Templum degenti accidit, notam Caroli in Inferos poteſtatem illuſtriorem facit. Jamdiu hæc malo Dæmoni in ſervitutem data, liberari ope humanitus nullâ poterat. Ejus amita, nomine Angela, ſudariolum, quo S. Cardinalis contactum fuerat Cadaver, illi impoſuit; cui ferendo impar Dæmon, poſt ingentes editos clamores, *ne ſe ulterius cruciarent*, rogavit: *abiturum ſcilicet ſe, & certum diſceſſionis indicium relictum iri*. Eodem ferme momento ſemiviva, & pene exanguis concidit adoleſcens; deinde libera ſurrexit, fracto calceo, dato a Dæmone fugæ ſigno.

Hæc quidem ereptæ Dæmoni: Cæcilia Litotti in Bergomenſi S. Gratæ Parthenone Virgo ſibi reſtituta Caroli munere fuit. Jam ex biennio in ſtultitiam inciderat; adeoque conſtricta vinculis erat, & fidiſſimam in cuſtodiam tradita. Implorato Borromei auxilio, votoque pro ejus ſanitate a contubernalibus nuncupato, ubi Cardinalis purpureum palliolum applicatum eſt, furere extemplo, & delirare exinde deſtitit.

Margarita Simonis Spinelli uxor, qui in noſtræ Urbis vico agebat, cui Briſæ nomen, Sextili menſe anni MDCI. quintum jam diem parturiens, doloribus cruciabatur, & mortuo tandem intra matrem fetu, ipſa etiam morti proxima erat; cum admoto S. Caroli cilicii fragmento, & fundentibus pro ipſa preces nonnullis, quæ parturæ aderant, mulieribus, puerum tandem ejecit, putrentem adeo, ut non mox inferendus ſepulcro, ſed inde erutus videretur.

Ex Clericis Regularibus Paulus Toloſa, Bovini Epiſcopus anno MDCII. menſe Octob. Mediolani in Archiepiſcopi ædibus detinebatur, aſſidua febri impeditus, & frequentiſſimo animi defectu, cum Auguſtam Taurinorum a Clemente VIII. Apoſtolici Internuncii nomine inſignis mitteretur. Vita prius ſe defuncturum ratus, quam Legatione fungeretur, ſe B. Carolo commendavit. Adfuit ægroto Borromeus, lineo amiculo, & palliolo, conſueto Cardinalis habitu, conſpicuus, ipſa hæc verba locutus: *Non te hic morbus opprimet, ſed vexabit diutius. Etenim decet Legationis tuæ initia a doloribus ducere.* Secuta oraculum res eſt; febris enim nonniſi poſt XL. diem: quod reliquum a morbo fuit, X. poſt menſem deceſſit.

Eodem anno Suſanna Jo. Ambroſii Tettamantii filia Carati in Agri Mediolanenſis Pago ex arca in caput prolapſa, tanta vi extremum ventrem in ejuſdem angulum impegit, ut interiora diffringerentur, continuatâ ex veſpere diei VII. Decemb. ad XV. ſequentis horam propemodum inſanabili ſanguinis fluxione. Cum vitâ periclita-

Digitized by Google

taretur, Patre hortante, vovit, Caroli ſepulcrum ſe aditurum pedibus, ſi tum ſibi auxilium præſtitiſſet, & gemini cerei adjectum iri donum. Hæſit ocyus ſanguis; & vires, quibus ſe religione ſolveret, ſuperfuere.

Doctori Jo. Aloyſio Leoni, Novocomenſi in agro, filius fuit, Jo. Jacobus nomine, qui XII. menſes natus, variolis, vermibus, & comitiali morbo ægrotavit: adeo autem invaluerat malum, ut in mortis articulo conſtitueretur. Tandem ab omni lactis ope biduum impeditus, datiſque manifeſtis proximi interitus indiciis, ad X. Martii diem an. MDCIII. extremo ictu morbi petitus, in ipſo Parentum conſpectu animam efflavit, iteratis nequidquam Deo, atque Deiparæ pro ſalute ipſius votis. Mortuum puerum intuita Mater, ſuæque jam certa orbitatis, eumdem ulnis ſublatum ante S. Caroli imaginem repoſuit, quæ inter ceteras pictas Tabulas ibi ornamento pendebat, ubi Aloyſius ſtudiis operam dabat. Humi ſupplices ipſa, & Maritus cum quinis Virginibus filiabus, pleni omnes fiduciæ, ſimulque in uberes ſoluti lacrymas, pro infelicis pueri vita S. Cardinalis patrocinium imploravere. Ecce tibi puerum miraculo excuti, veluti e ſomno expergefactum: mammas ultro appetere, exſugere, idem ac ante morbum. Tridui ſpatio priſtinæ ſanitati reſtitutus, ſimilia nunquam paſſus in poſterum eſt, tanti miraculi admiratione per viciniam diffuſa. Mira hæc; ſed illa multo magis fuere, clariſſima in puero datæ divinitus indolis indicia: tertium ſcilicet agentis annum expreſſa dedicandi ſe Deo voluntas: voluptates ejuſdem omnes, ac ludi, aſſidua Sacerdotum Myſteria obeuntium, laudeſque Deo canentium imitatio

In Bergomenſi Regione ad S. Pauli villam Salvatrix Jo. Baptiſtæ de Panitiis Uxor annum obſeſſa a Dæmone erat, & tot malis obruta, ut nec liberum eſſet quieſcere, nec agere. Subierat præterea cibi faſtidium; quare ſe habebat peſſime, colore omni immutato, & plane flavo. Cum nihil ex profanis ſacriſque remediis proficeret, menſe Auguſto MDCIII. obtinuit, ut Mediolanum a Viro duceretur ad Cardinalis ſepulcrum, ubi ſimul ac biduum oravit, tandem voti compos domum rediit, Dæmonis vinculis, maliſque reliquis liberata.

Jo. Baptiſtæ Limidi filia Camilla ex hydrope biennium Mediolani tumido penitus ventre, ac præturgido periculoſiſſime ægrotavit. Summa diligentia omnem illi adhibendam medicinam curaverat Pater, quæ victa omnis a morbo fuit. Tandem Caroli opem obteſtatus, vovit, ſi filia convaleſceret, ſe ejuſdem veſtes ad Illius ſepulcrum miſſurum dono. Mox Borromei thoracem filiæ appoſuit, quo induta adoleſcens, e veſtigio relevata maxime eſt, & octidui circiter ſpatio optime ſanata.

Verum hoc anno Seculi XVII. quarto evenerat; quo item ad Cal. Aug. Victoria Feſti, religioſæ vitæ inſtitutum Romæ profeſſa in S. Suſannæ Monaſterio, adeſſe ſibi Carolum intellexit. Quatuor amplius menſes, graviſſimo in capite rheumate laboraverat, ex quo magnus dentium dolor, nocturnæ, ac diurnæ quietis impedimentum. Terebrari item ſibi, veluti infixis acubus, ſinciput videbatur; & quemcumque leviſſimæ licèt rei contactum horrebat. Ingraveſcente ex medicina malo, deſperatam ſalutem commendavit Carolo, certas pollicita in ſingulos anni unius dies fundendas preces. Eadem dies, quæ voti ſolvendi initium fuit, finem morbo attulit.

Herculem Peregum Gluſſiani in domo paterna XIV. annos inſanabilis ſiniſtro in crure iſchias tenuit. Duobus poſtremis annis ea in parte, mortuâ licèt ac ferme depoſitâ, tantus fuit dolor, ut interdum linqueret animus. Decubuit demum præter morem ſæpius, & peſſime ſe haberi fatebatur. Tandem Carolo ſupplicans, ſenſit illico melius ſibi eſſe; & ſpes ſubiit, fore, ut certam ex Ejus Sepulcro, veluti ex beneficentiæ fonte, ſalutem hauriret. Equo vectus, huc intra triduum venit: & menſe Martio MDCV. grallas, & morbi cogitationem abjecit.

Febri & rheumate, gravi utroque ac mortifero morbo, tenebatur Catharina Sarona intra Mediolanenſis Parœciæ fines, cujus

Digitized by Google

cujus vetus nomen S. Mariæ ad Portam. III. nonas Novemb. MDCVI. Carolo, cui ſacer jam dies inſtabat, ſe commendavit enixe, votumque ſuſcepit. Mox ei ſe conſpicuum Cardinalis dedit, & benedixit. Quare eodem die lectum deſeruit, Medico ipſo teſtante, tam ſubitam valetudinem manifeſti miraculi eſſe.

Præſul Antonius Seneca ex Oblatis, poſtmodum Anagniæ renunciatus Epiſcopus, jam ad biennium vertigini obnoxius, tandem ita circumacto capite fluctuabat, ut vix quietem aliquam impertiente lecto, in publicum prodire non poſſet; niſi gemino utrinque ſuſtentaretur auxilio. Januario menſe an. MDCVII., confirmato cerebro, abſterſum eſt morbi vitium, dum Romæ ex eo graviter decumbens, Caroli miracula de ſcripto audiret. Atque eo dignior fortaſſe viſus eſt beneficio, quod votum valetudinis ſuum moderatus, eam poſtulaverat, ſi opportunam ſibi atque Eccleſiæ Superi duxiſſent. Quare noluit S. Cardinalis, alumnum ſuum ea beneficentia deſtitui, quam paratam ſemper, atque expoſitam ceteri habuiſſent [a].

CAPUT ULTIMUM.

Carolus oblatum multorum animæ periculum præſentiſſimo auxilio depellit.

ANtequam perducatur ad umbilicum Hiſtoria, offerunt ſe in ipſo exitu infiniti alii, qui, deprecatore Carolo, vertêre in hominum utilitatem, animi morbi. Equidem hæc cùm frequentiora viſa ſunt beneficia, tùm etiam multo ſpendidiora fuere, teſtante S. Gregorio, (Lib. III. Dialog. Cap. XVII.) *majus eſſe miraculum, peccatorem convertere, quam carne mortuum ſuſcitare; in iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura.* Verum, cum hoc uſuveniat ferme, ut accepti hujuſmodi muneris diſſimulatio afferat muneri commendationem; quoniam plurimum pudoris habet, hujus generis auxilii indigentem vi-

(a) Equidem alienum a meo inſtituto videbitur alia commemorare miracula, quæ poſt Apotheoſim Caroli auxilio evenere, & quorum numerus incredibilis, publica populorum fide teſtatus certiſſime extitit. Ignoſcet tamen Lector, credo, ſi unum duntaxat ex iis eligam, quod propter beneficii magnitudinem diſſimulandum omnino non videtur; cum huic Caroli miraculo debeamus conſervatum Eccleſiæ Nobiliſſimum Ordinis S. Mariæ Viſitationis Inſtitutum, a S. Franciſco Saleſio conditum, & a Ven. Joanna Franciſca Fremiot mirifice auctum, atque ſuſtentatum. Scilicet qui S. Cardinalis Joannam vitæ dedit, is eum Ordinem ſervaſſe incolumem dicendus eſt. Rem aperte narrat Antonius Saccarellus in hujus vita Romæ edita MDCCXXXIV.; & factum eo commemoratione dignius cenſeo, quo citius Eamdem Matronam Beatorum Albo adſcriptam venerabimur; cum ſuperioribus diebus a Benedicto XIV. Summo Pontifice editum de honoribus divinis Eidem deferendis Decretum ſit. Saccarelli verba fideliter, & latine reddo ex Parte II. Hiſtoriæ ſuæ Cap. XIII. „ Decumbebat Joanna Lugduni anno „ MDCXVIII., graviſſimo ferme oppreſſa morbo. „ Eam intuens Saleſius, illis obrutam doloribus, „ qui proximam mortem fere denunciant, objici „ languentis oculis juſſerat Venerandam imaginem „ Chriſti Redemptoris extincti, atque in Sepulcro „ jacentis: Monebat, ut in illud amoris plenum „ ſpectaculum oculos attolleret: inſpiceret pium illud, atque amabile exemplar, conſolationis, virium, & conſtantiæ ſuæ fontem: Hortabatur præterea, ut caput ſuum Sacræ Crucis pedibus ſubjiceret, quò redundantia inde Divini Sanguinis „ merita poſſet excipere. Interea, Deo afflante, „ Franciſco in mentem venit, ut votum S. Carolo „ nuncuparet, & exhalanti jam animam Joannæ „ benedictionem Ejuſdem Reliquiis impertiretur. „ Utrumque perfecerat; cum illa, novo quodam „ diffuſo per venas calore recreata, redire divinitus „ vitam, & vires intellexit. Quare ſtatim reclusis „ ab eadem oculis, atque ingenti emiſſo ſuſpirio, „ credidere ignari miraculi circumſtantes, efflari „ animam, cum liberius ſpiritum proflaret. Revera „ converſa mox ad Epiſcopum Joanna, *non moriar*, „ ait, *dilecte mihi Pater; non moriar*. Cui ille: *neutiquam moriere, Filia, neutiquam: æternùm Deo miſericorde, victura. Hìc*, illa repoſuit, *hìc vivam; reddita enim ſalus fuit; & optime eſt mihi, Deo Auctore, & Carolo impetrante.* Tam celer, & teſtata mortis inſtantis in vitam certam commutatio, admirationem primò omnium, mox gaudium, ultimo gratum animum in Saleſio, & Virginibus, quæ aderant, excitavit. Hæ omnes lætitia geſtientes, intermiſſis precibus, quas pro felici vitæ exitu eò uſque fuderant, egêre Deo pro vita reſtituta immortales gratias. Apparebat ſcilicet in ejus vitæ „ beneficio Ordinis univerſi conſervata ſalus, reſtitutum ſuæ diſciplinæ magiſterium, auctus in eo „ meritorum cumulus, amplificata demum Dei gloria. Tantum hoc Caroli donum maxime commendavit, quòd nullus eam ægrotationem conſecutus eſt languor, aut diuturna virium imbecillitas, quæ ſemper antea ejus morbos ſolebat „ excipere. Nam, cum *Dei perfecta ſint opera*, non„ niſi præter ordinem, & perfecta ſanitas conſequi „ Divinum munus debuerat.

Digitized by Google

videri: idcireo supersedebo ea narrare, quæ aut palam edere non decet, aut permolesta esse Caroli clientibus possent. Aliquot tamen evolvam, quæ citra offensionem in Historiam illata, atque ex certis testimoniis deprompta, amoris summi laudem Borromeo adjungent, neque ullius existimationem imminuent.

Ex præclaro, & celeberrimo Vicecomitum Genere orta, Paula Jo. Baptistæ filia, Hermetis Soror, Pomponio deinde Cusano Augustini Cardinalis fratri nupta, in ipso ætatis flore extincto Marito, humanæ pertæsa felicitatis, & divinæ appetens, inire cum eo Sponso nuptias optavit, cujus thalamum ingressa, *Dilectum teneret, quem nunquam dimitteret*. Quo Illum amabat impensius, sequi etiam durius statuerat; quamobrem, cum *Deo adhærere* concupiscceret, ire per Ejusdem vestigia meditabatur, & austeriora Capuccinarum Sanctimonialium instituta profiteri. Neque defuerat hortator, & dux, quamdiu vixit, Borromeus; cujus arbitrio cum se moderandam Paula permisisset, tertio post Conjugis obitum mense pervium sibi S. Praxedis Monasterium fecit, in quo Sacris eamdem vestibus induit, deinde ad præscriptum tempus rite jurantem in leges Claustris addixit, & mutato nomine, Franciscam appellavit. Celebrior illa fuit hoc nomine, quod Sanctitatis fama, egregia virtus, & nobilis Asceterii administratio immortalitati commendavit. Carolo extincto, & sibi relicta Franciscæ, adeo infirmâ utebatur valetudine, ut Monasterii leges sequi per imbecillitatem non liceret. Gravius hoc certe videbatur malum; id enim peculiare solidæ virtutis est, ut moleste ferat molestiis privari: neque abnuebat corpus opprimi, sed dolebat, corporis commodis servire necessario animum, qui molliorem vitæ rationem extra ordinem infirmis concessam inire invitus cogebatur. Itaque, dum anceps illam distraheret cogitatio, ut aut instituta, aut valetudinis curam omitteret, pugnamque hujusmodi intestinam vehementiorem faceret objectus ab Inferis terror; nocte quadam oblata in somnis est Caroli species. Visus Ille est Pontificalibus velatus insignibus aliorum subsequentium Sanctorum præire agmen. Cumque adstitisset coram, ad Franciscam conversus dicere: *Metere in exultatione placet? Serere prius in lacrymis decet, atque hæc certe exemplum dabit*. Simul digitum in pone sequentem Sanctam Virginem intendit, quam ex quibusdam indiciis Theclam esse illa intellexit: Mox ex oculis omnia evanuere. Excitata Franciscæ, & cumulata insolito gaudio, geminum se comperit eo ostento beneficium accepisse. Etenim primò infixa est altius menti cogitatio, quam Deus olim injecerat: viam scilicet, qua ad gloriam ducimur, per Christi Crucem muniri, neque spinoso hærere capiti membra delicata posse. Hinc virium imbecillitatem, & curas mitigavit omnes insita divinitus consolatio. Secundò novum doloris genus experta est in ipsa rerum suavitate collocatum. Nam fatebatur exinde, nihil sibi jucundum videri, quod commodi causa juberetur accipere; imo lautiores ipsos cibos, qui præter ordinem apponebantur, omnino desipere. Sic Carolus, in unum tempus geminato beneficio, infirmitati Franciscæ consuluit, & Sanctitati; cum suavitatem doloribus aspergeret, dolorem suavitati adjungeret.

Verum hæc salutaris Caroli pietas visa est, qua non minus salubrior alibi terror fuit. Quadriennio post Caroli obitum, in conclavi intimo vacabat precibus Mediolanensis Nobilis, & pius Adolescens, Sanctique Cardinalis apprime studiosus. Forte famula ex domesticis in idem conclave advenerat, quæ sui muneris erant præstitura. Arsit ad ejus conspectum insolens periculi Juvenis: urente hinc fœminæ specie, inde Dæmone subdente faces, cum æstum jam ferre non posset, victum se fatebatur in campo stans, qui ex arena cedens vicisset. Itaque interruptis precibus, atque ad visam formam adhinniens, dum suum, & famulæ pudorem videtur profligaturus, improviso supervenit conspicuus utriusque servator Carolus. Eadem,

dem, quæ viventis, frons erat, sed multo contractior, ac terribilior. Injectus repente pudor, & terror æstuantis animi flammas oppressit. Ad se rediit adolescens, egitque Borromeo gratias, quòd ex cælis adveniens, obstitisset, quominus jam in inferos præcipitem Dæmon penitus impelleret.

Quamquam nec dedignatus est Carolus jacentes etiam, & perditos erigere. Quinquagesimum ætatis annum numerabat hac in Urbe degens Civis, qui vix integrum primum decennium ab impura libidinis labe vixerat, non continentiæ laude, sed luxuriæ ignoratione innocens. Nam, postquam venenatum voluptatis mulsum deguſtaverat undennis puer, resipuerat nunquam, & tamquam Circeo hausto poculo, bestiarum more immensam libidinem in omne voluptatis genus effuderat. Ubi vero hominis cogitationes induit, superante rationem cupiditate, videbat meliora, & probabat; sequi tamen deteriora pergebat. Vitæ melioris susceptæ instituta, voluntaria corporis supplicia, adjuncta etiam optimorum Sacerdotum opera effecerant, ut inveteratam consuetudinem odisset, non tamen omitteret. Uni Carolo reservabatur continentiæ donum, qui ea de cælis sanare vulnera statuerat, quibus hìc degens medicam manum apposuisset libentissime. Dictum misero fuit, ut Illius patrocinium imploraret. Oravit fiduciæ plenus, exoravit statim; imo expectatione cumulatius beneficium fuit, cum non vires dumtaxat ad pugnam sibi suppeditatas fateretur, sed domesticum præterea hostem veluti exturbatum ex animo: & ipsemet ingenue diceret, *objecta libidinis occasione, rigere se stipiti similem aut trunco.* Addebat ultimò, se vehementius Ejus auxilio ad sanctitatem confirmatum, inflammatumque ad austera inunda vitæ studia, quibus susceptas animi maculas deleret omnino.

Salodii, celebri ad Benaci Lacus oram Oppido, Virum ab honesta stirpis suæ conditione moribus degenerem accepimus, qui fœde in scorti domestici complexibus contabuerat. Urgebant hinc monitis amici, & consanguinei, inde pœnarum metu Sacri Judices; sed suo profundius hærens in luto totis corporis vestigiis sordide volutabatur. Præsentissimum animæ periculum, in quo misere versabatur Pater, solicitam habebat religiosam filiam, quæ cum amorem continentiæ hausisset ex S. Ursulæ Sodalitii disciplina, tantas Parentis sordes pati non poterat. Cum liberæ vocis officium ille respueret auribus, hæc in Carolo patronum habuit, qui vota facile exaudiret. Flens ante Ejus imaginem rogabat, ut meliorem mentem Genitori daret. Neque diutius poposcit, cum tam justa peteret. Præter opinionem omnium sponte alter mutavit consilium, scortum eliminavit domo, vivere castigatius, atque ex Christiani hominis Legibus cœpit, perseveravit, filiæ demum pietatem vitæ continentiâ consolatus est.

Sed tegendum silentio est Patriæ nomen, quam sortita est impurissima quædam fœmina, ne ullibi hujusmodi monstrum dicatur extitisse. Hæc eo cupiditatis effrenatæ eruperat, ut pati a Dæmone stuprum non recusaret. Plures annos tenuit execrandum commercium: illo animæ damnum postulante, hac immensam corporis voluptatem. Tandem emergere ex vado illo periculosissimo conata, rem esse cum potentiore, quam putaverat, hoste cognovit. Prædam nolebat e manibus elabi obscœnus amator; sive, ut verius dicam, pœnam hanc justissimam a Supremo scelerum vindice fœmina retulerat, ut, cum se tot expedire laqueis tentaret, frustra vellet; nam frustra eam Deus excitaverat, cum ipsa nollet. Itaque quo se verteret infelix? Desperaverat plane animæ saluti, nisi sperare omnia Carolus juberet. Votis, precibus, lacrymis tanti Defensoris auxilium diu postulavit infelicissima, & ipsa auxilii tarditas commendavit auxilium. Nam primùm cunctando Carolus docuit, quantum indigna favore esset: Deinde, expulso penitus hoste, favorem suum a nemine frustra desiderari. Sane utrumque illa probe intellexit; nam Ejus præsidio ab impuri Lenonis amplexibus distracta, per-

Digitized by Google

perdere in posterum tam opportunam sibi beneficentiam abutendo noluit.

Plura alia hujusmodi supperterent partim multorum confessione comperta, partim publicâ testificatione celebrata. Alii enim, invocato Caroli nomine, aut penes se custoditâ cilicii sui parte, impuris se cogitationibus liberatos: alii unam Borromei memoriam profuisse sibi ad retinenda pietatis, & religionis instituta aperte pronunciaverunt. Quotus verò quisque est, qui haustam a Borromeo vivente disciplinam abjecit, cum ipsa Magistri Sanctitas eam in hominum animis altius quotidie defigat? Adde miraculorum copiam, quæ mirum in modum ad Sanctitatem universos inflammat, cum nullum corporibus oblatum ab Eo beneficium, soleat unquam ab animarum utilitate esse sejunctum. Quapropter in hoc plurimi consentiunt, a vivente in terris æque, ac in Cælis S. Cardinali pari amoris significatione *respici ac dirigi Vineam istam, quam Ejus dextera plantavit*.

Coronidis loco liceat mihi impositam hactenus personam deponere, & Glussiani verbis non minus, quàm meis Historiam hanc claudere. Equidem doleo, styli, & ingenii mei tenuitate imminutam tot præclare factorum, & Caroli ipsius dignitatem. Multum scilicet detractum est splendoris scribendo, quem Ille semper agendo præ se tulit; quare in bono jam collocatam lumine rerum seriem rudi imagine deformanti quis ignoscat? Ille tamen ignoscet, spero, cujus causa onus hoc libens suscepi. Tu unus Carole ille es, quo auspice, cum omnia hactenus vitæ meæ studia transegerim, eorum fructum, siquis fuit, repetere a me jure veluti debebas tuo. Neque enim apud exteros inire ingenii famam, sed apud Parentem Optimum officii memor esse volui. Quare traduci per ora hominum non recuso, dummodo in publicis sermonibus Tuum nomen cum laude versetur. Facilius scilicet est consilii mei exitum displicere, quam consilium ipsum. Hoc unum supplex oro, obtestorque, ut disciplinæ tuæ Sanctissimæ leges sequi, Te adjutore, valeam; iisque Institutori maximo vinculis semper hærere, quibus me susceptæ vitæ rationes obstringunt.

LIBRI SECUNDI ET ULTIMI FINIS.

Digitized by Google

DIARIUM
ACTIONUM OMNIUM, IN QUIBUS PASTORALIS S. CAROLI CURA VERSABATUR.

PER HEBDOMADAM.

FERIA II.

Congregatio super rebus ad SS. Inquisitionis Tribunal spectantibus.
Congregatio Curiæ Archiepiscopalis.
Conventus pro Metropolitanæ Fabricæ, & Basilicæ rebus.

FERIA III.

Congregatio de disciplina Cleri, & Populi.
Alia item de institutis, & disciplina Monialium.

FERIA IV.

Congregatio de sacra Seminarii, & Collegiorum administratione.
Concio habenda in S. Sepulcri Templo.
Congregatio de Tribunali.

FERIA V.

Congregatio super rei Seminariensis profanæ administratione.
Conventus Pœnitentiariorum.

FERIA VI.

Congregatio pro recte administrandis Collegii Helvetici reditibus.
Sermo habendus in Oratorio S. Sepulcri.

SABBATO.

Conventus pro Hospitali *Pietatis* Æde.

DOMINICA DIE.

Sacra, & preces statis horis in Odeo Basilicæ Maximæ cum Canonicis obeunda.

QUOTIDIE.

Audiendi mane, & pomeridianis horis, quicumque ad colloquendum accesserint.

IN MENSES SINGULOS.

Congregatio Parochorum, & Sacerdotum in singulis Urbis Regionibus, & Diœceseos Plebibus.
Congregatio de Ritibus bis in mensem.
Visitatio Archiepiscopalis Familiæ.
Congregatio pro Nobilium Collegio.
Congregatio pro Mendicorum Xenodochio.
Concilium Oblatorum in S. Sepulcri, & in quatuor Diœceseos Conventibus.
Congregatio de studiis literariis Cleri universi.
Congregatio Virorum electorum pro extinguendis dissidiis.
Congregatio super bonorum Ecclesiasticorum conservatione.
Congregatio Patrum-familias de modo bene, & sancte regendæ Familiæ.

PER ANNUM.

MENSE JANUARIO.

Pontificalia ter celebranda cum Vesperis: scilicet diebus Dominicæ Circumcisioni, & Epiphaniæ, atque S. Sebastiano sacris.
Congregatio de Cleri disciplina, præparans conventum totius Cleri.

Con-

Digitized by Google

Congregatio ipsa Cleri ex Decreto XVII. Synodi IV. per primam Jan. hebdomadam habenda, & sic in dies divisa: scilicet

Postrid. Cal. Jan.

Conventus Collegii, & Cleri Basilicæ Metropolitanæ, in quo Sermo habetur ab Archiepiscopo. Ibidem expenduntur res ad Dei cultum pertinentes: agitur scil. de recitatione Sacerdotalium precum, de servandis Legibus, & Institutis Collegii in Odeo, de studiis literarum, de spiritualibus conventibus, de disciplinæ Ecclesiasticæ observantia.

III. Non. Jan.

Conveniunt Urbana Canonicorum Collegia. Ad eos habetur Sermo, & singula peraguntur, quæ cum Metropolitano.

Prid. Non.

Cœtus Parochorum Urbis pari ritu, & forma. Præterea inquiritur de administratione Sacramentorum, & animarum cura.

Nonis.

Cœtus Sacerdotum, addito Sermone, & examine rerum ad eosdem spectantium.

Postrid. Non.

Congregantur Clerici inferioris Ordinis, iisdem servatis.

Secunda Januarii hebdomada.

Convocantur Confessarii etiam ex Regularibus, & Concione ad omnes habita, de ipsorum munere, & conditione instituitur quæstio.

Congregatio Jurisperitorum Palatinorum Equitum in ipsorum Collegio: Synaxis ibidem, & Concio.

Conventus Medicorum in S. Sepulcri Æde: Synaxis item habetur, & Sermo.

In Metropolitanæ Basilicæ Confessione congregantur utriusque Fori Causidici; itemque Synaxis celebratur, Concione adjecta.

Secretus Parochorum electorum Cœtus ad inquirendum de Cleri disciplina, & Legum cultu. Hujusmodi autem Cœtus quater habetur in annos singulos.

Visitatio Curiæ Fori Ecclesiastici.

FEBRUARIO.

Congregatio pro moderandis Legatis piis, si res postulet; iisque exequendis.

Benedictio cereorum die Purificatæ Deiparæ sacro.

Congregatio prævia ad Vicariorum conventum ex Diœcesi, in qua præsertim de futura Synodo, & rebus a Vicariis exquirendis agitur.

Ipsa Vicariorum Congregatio ex Decreto Synodi IV. in Fer. III. hebdomadæ Septuagesimam præcedentis indicta. In hac Vicarii de statu Diœceseos referunt, remedia postulant, ut Synodi habendæ decretis in rem consulatur.

Visitatio Congregationis Oblatorum S. Ambrosii.

Septuagesimæ hebdomada.

Supplicatio Cleri, & Populi ad septem Stationales Basilicas, quæ per hebdomadam quotidie fit a Civibus in suam Regionem statо die divisis.

Oratoria in S. Sepulcri Templo, in quibus, dempto Sabbato, sermo quotidie habetur ab Archiepiscopo.

Hebdomada Sexagesimæ.

Synaxis Populi in sex Regiones divisi pro dierum hebdomadæ numero. Quotidie post Synaxim habetur ad Populum Oratio.

Oratoria item in S. Sepulcri Æde, ut superiore hebdomada.

Exercitationes sacræ indictæ in Collegiatis Ecclesiis, & Paroeciis ad populum a profanis spectaculis avertendum.

Per Quinquagesimæ hebdomadam.

In Basilica Maxima Civium Synaxis die Dominico.

Sequentibus feriis aliæ item Synaxes certis locis, & diebus præstitutæ.

Oratoria in S. Sepulcri eodem ordine, quo superioribus hebdomadis.

Fer. IV. Populi Supplicatio ad S. Mariæ Gratiarum Ædem: itemque Archiepiscopi Oratio de modo procedendi, & supplicandi in Stationalibus Templis.

Prima Quadragesimæ Dominica die Pontificali Ritu habendæ Vesperæ.

Quæstio de moribus, & scientia eorum, qui initiandi Sacris Ministeriis sunt. Concio ad hos habetur ab Archiepiscopo.

Inauguratio Cleri.

Digitized by Google

MARTIO.

Luſtratio Parthenonum, & Sodalitatum, in quibus Fœminæ congregantur.

Altera per Quadrageſimam Sacerdotum initiatio, præhabitis examine, & oratione, ùt ſupra.

Quotidie audiendæ Quadrageſimali tempore ſacræ Orationes, & ſæpe habendæ.

APRILI.

Viſendi captivi in Archiepiſcopi carceribus.

Benedictio Palmarum.

Fer. V., & Sabbato *in Authentica*, ſeu Hebdomada majore Pontificalia obeunda.

Conſecratio Fontis, & Chriſmatis.

Inauguratio Cleri, præhabitis de more Sermone, & examine.

Paſchali die Pontificalia celebranda.

Fer. II. poſt Paſchale Octiduum, conveniunt Præfecti Regionum Urbis, & Vicarii Plebium ex decreto Synodi IV. ad comparandam habendæ Synodi materiem.

Congregatio de Legatis Piis, ut, quod opportunum iis erit, in Synodo ſanciatur.

Luſtratio Seminariorum, atque Helvetici Collegii, in qua diligenter in Alumnorum ſtudia, & mores inquiritur.

III. Feria poſt Paſchale Octiduum Congregatio, in quâ digeruntur, & ordinantur per ſeriem futuræ Synodi actiones.

MAJO.

Tribus ante Synodum diebus Documenta, & Scripta inſpiciuntur, coacto per totidem dies Conventu. Decreta condenda examinantur, & alia in Synodum accommodata expediuntur.

Congregantur die Synodum antecedente Vicarii Plebium. Tùm ſtudioſe de ſtatu, & conditione Diœceſeos inquiritur, & de corroborandis inſtitutis agitur.

Synodus ipſa Diœceſana habetur ſequente triduo. Quotidie verba ad Clerum congregatum facit Archiepiſcopus, ad ea orationem flectens, quæ in rem maxime faciunt.

Diebus Dominicæ Crucis Inventioni, & Chriſti Aſcenſioni dedicatis Pontificali ritu Sacra habentur.

V. Non. Majas, elato Sacro Dominicæ Crucis Clavo, ſupplicabundus cum Clero, & Populo Archiepiſcopus ad S. Sepulcri procedit.

JUNIO.

Plures Conventus habentur ante inſtituendam Diœceſeos luſtrationem.

Deſtinantur in ſex Diœceſeos Regiones Viſitatores eamdem obituri.

Pentecoſtes diebus.

Conſecratio Fontis Baptiſmalis.

Celebrantur Sacra Pontificali ritu Pentecoſtes die, atque antecedente.

Biduo ſequente, præſtitutis in Urbis Regionibus Templis, ibi Sacro Chriſmate muniuntur Cives, & Archiepiſcopi Sermonem audiunt.

Inaugurandorum Clericorum examen, delectus, atque ad eoſdem ſermo. Ipſa demum inauguratio.

Pontificalia die SS. Corpori Chriſti dedicatâ: itemque ſolemnis Supplicatio.

Cogitur generale Oblatorum S. Ambroſii Concilium.

Convenit univerſus Urbanus Clerus; quo in conventu rite omnia peraguntur, quæ ſuperius ad menſem Januar. indicavimus.

Rogationum Triduanarum tempore a Clero habetur ſupplicatio ad deſignatas Eccleſias quotidie cum Archiepiſcopo, cujus item eſt quotidie ſermonem habere.

Sacra Pontificalia cum Veſperis habentur diebus SS. Protaſio, & Gervaſio, S. Jo. Baptiſtæ, & SS. Petro, & Paulo dedicatis.

Deſignatam Diœceſeos partem præſens Archiepiſcopus luſtrat, ſuamque item deſtinatam eodem tempore obeunt Viſitatores.

QUINTILI.

Singulæ Diœceſeos partes per Archiepiſcopum, & Viſitatores diligenter luſtrantur.

Poſtrid. Cal. Solemni Supplicatione cum Clero ad VII. Stationales Baſilicas ab Archiepiſcopo, ſi adſit, proceditur.

Pontificalia cum Veſperis habentur, recurrente SS. Martyrum Nazarii, & Celſi ſolemnitate.

SEXTILI.

In Diœceſeos luſtrationem ſtrenue incumbitur.

Pontificalia, & ſolemnis Supplicatio habentur,

Digitized by Google

tur, dum S. Laurentio ſacra dies incidit.
Eadem celebrantur die Aſſumptæ in Cælos Deiparæ conſecrato.

SEPTEMBRI.

In Seminarienſium, & Helvetiorum Alumnorum mores & ſtudia, præhabito examine, inquiritur.
Idem ferme præſtatur in Nobilium Adoleſcentum Collegio.
Bis habentur Pontificalia, recurrentibus ſcil. Deiparæ Natali die, & S. Theclæ feſto.
Sermo ad initiandos Clericos, antehabitis quæſtione, & delectu.
Ipſorum inauguratio, ut fert Autumnalis temporis ratio.

OCTOBRI.

Cleri univerſi ſtatus recognoſcitur.
Congregatio generalis de Cleri ſtudiis. In ea indicatur, quidquid in ſequentem annum prælegendum eſt Clero. Ordine recitantur eorum nomina, qui excipere lectionem debent: ſive audiendus in Collegiis Canonicorum Theologus ſit, ſive in Braydenſi Gymnaſio Lector.

NOVEMBRI.

Pontificalia de more, cum celebratur Sanctorum Omnium Solemnitas.
III. Nonas Oratio ab Archiepiſcopo habetur ad Senatum, & Magiſtratus.
Luſtrantur Urbana Templa, Xenodochia, & Pia Loca.
Congregatio Urbani Cleri, eadem porro, quæ menſe Januario.

DECEMBRI.

Urbis Luſtratio, donec perfecta ſit, hunc etiam menſem tenet.
Pontificalia ter celebrantur: videlicet dedicatis diebus S. Ambroſio, Chriſti Domini Nativitati, & S. Stephano Protomartyri.

PER ANNUM EXTRA ORDINEM.

Conſecrationes Epiſcoporum, Abbatum, vel Antiſtitarum.
Inaugurationes Sacerdotum, Pontifice indulgente.
Conſecrationes Sacrarum Ædium, Altarium, Calicum, & Æris Campani.
Sanctimoniales ſacris veſtibus induendæ, aut Religioſis Familiis addicendæ.
Expiationes Vaſorum, Veſtiumque Sacrarum, Signorum S. Crucis, & Imaginum.
Benedictio Armorum, Signorumque militarium.
Nobiles Equeſtri Torque ornandi auctoritate Apoſtolica.
Decorandi Laurea ex Pontificia facultate Seminarienſes, & Helvetici Alumni.
Plures habendæ Supplicationes de more, vel præter conſuetudinem ad Divinam opem in calamitatibus implorandam. Item Supplicatio SS. Roſarii primâ quaque, & SS. Sacramenti tertiâ recurrente in menſes Dominicâ die.
Frequentiſſimæ Conciones, VI. præſertim Feria de Dominica Paſſione.
Frequens item Synaxis habenda præcipue in Collegiis, Parthenonibus, & piis Marium, Fœminarumque Sodalitatibus.
Congregationes Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ.

LUSTRATIONUM ORDO.

Hyeme Urbs luſtranda.
Vere Monialium Clauſtra.
Æſtate Diœceſis.
Autumno Seminaria, & Collegia.
Tertio quoquo anno cogendum ex Provincia Concilium; itemque plures prævias habendæ Conſultationes.

Digitized by Google

SYNOPSIS EORUM,
QUÆ GESTA SUNT,
UT IN SANCTORUM NUMERUM
B. CAROLUS
REFERRETUR.

BEati Caroli Borromei Cardinalis, & Mediolanenſium Archiepiſcopi virtutes ubique terrarum, qua late patet Chriſtiana Religio, cum fama celebraret, & majora in dies Ejuſdem patrocinio divinitus fierent: Oblatis Sancti Ambroſii, quorum Congregationis Carolus ipſe author fuerat, cùm multis de cauſis, tùm ne tot rerum egregie geſtarum, virtutum, & miraculorum memoria, deferveſcente hominum ſermone, interiret, viſum eſt, quidquid de Parente optimo per ora hominum jactabatur, publicarum tabularum fidei committi, & probatum communibus, legitimis etiam judiciis confirmari. Igitur IV. Calendas Martii MDCI. datæ ſupplices literæ Bartholomæo Georgio Mediolani agenti Vicario Federici Borromei Archiepiſcopi nomine in hæc verba: „ Ut dignaretur decernere, „ quod ſuper Ipſius Illuſtriſſimi, ac Reve„ rendiſſimi Cardinalis vita, moribus, ge„ ſtis, concurſu ad Sepulcrum, voce, fama, „ gratiis, ac miraculis omnes opportunæ „ teſtificationes, & probationes publicæ, „ & authenticæ, tam jure Ordinario, quam „ omni alio meliori modo, & tam ad æter„ nam rei memoriam, quam ad omnem „ alium bonum finem, & effectum recipe„ rentur. “ Annuit Georgius juſtiſſimis precibus, &, ne quid in re tam gravi temere fieret, peritiſſimos Theologiæ, & Canonum viros in conſilium advocavit, quorum opera, & ſedulitate triginta ſupra trecentos juratis teſtibus auditis, perfecta res eſt. Hæc dum Mediolani agerentur, ſimilis cura, ac labor eadem de cauſa plures alias Provincias, ac Regiones exercuit: ac præcipuè Civitates Ticinum, Cremonam, Placentiam, Bononiam, Piſas. Verum, dum facta cognoſcerentur, nova quotidie fiebant, quæ Caroli vim, & numen apertiùs declararent, & tacitis veluti vocibus undique ex Italia, ac Regionibus aliis Tranſalpinis infinitas prope gentes ad Ejus Tumulum arceſſerent. Hinc fieri liberior in dies hominum religio: accedere turmatim ſupplices ad Caroli Sepulcrum, accendere cereos, lampades, pictas tabellas, argentea ſigna, & cerea voti compotes offerre. Hæc cum admiraretur, commota univerſa civitas eſt, habuitque miraculi loco hanc ipſam tam ardentem in unius Hominis gloriam populorum conſpirationem. Igitur rata ſe Divinitus commonefieri, ut, omni abjecta mora, Paſtorem Optimum in Sanctorum numerum cooptandum curaret, in id incubuit. Quare ineunte Majo MDCII. habita Diœceſana Synodo, Congregato Clero placuit, facultate ab Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo conceſſa, Oratores Romam mitti ad Pontificem Maximum Clementem VIII., qui Sanctorum honores Carolo poſtularent. Et, quoniam expeditius per paucos res geruntur, ſex ex Cleri Primoribus libera procuratione ſummæ rerum præpoſiti ſunt, quorum authoritate Oratores juſſi tres: Octavianus Abbiatus de Foreriis Metropolitani Collegii Archipresbyter, Joannes Petrus Barchius ex Canonicis Sancti Ambroſii Majoris, Hieronymus de Septara Archipresbyter Modoëtiæ. Cleri Conſilium imitata Civitas eſt, quæ per delectos Procuratores eumdem numerum Oratorum ex ſuis ordinibus decrevit: Joannem Baptiſtam Caſti-

Digitized by Google

ſtilionæum ex Juriſperitorum Palatinorum Collegio eo tempore annonæ Præfectum, & Comites Octavium Vicecomitem, & Joannem Baptiſtam Serbellonum. Menſe Januario MDCIV. Legati Romam profecti ſunt comitatu ex Civitatis, Cauſæ, atque Hominum ipſorum dignitate ſane ſplendidiſſimo: quique publica Civitatis Legatione fungebantur, ſecretò Pridie Non. Februarii; qui Cleri nomine orabant, unis adhibitis colloquii arbitris Paulo Camillo Sfondrato, Flaminio Plato, & Alphonſo Vicecomite Cardinalibus Mediolanenſibus, VII. Id. ejuſdem menſis privatim Pontificiæ aures patuere; quo item tempore Marcus Aurelius Grattarola Oblatorum Sancti Ambroſii Sodalitio Præpoſitus acta Caroli legitimis libellis deſcripta offerebat. Quæ Mediolanenſium ſtudio pondus adderent, Principum Virorum poſtulata non defuerunt. Idem petebant Philippus III. Hiſpan. Rex, Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, Ranucius Farneſius Parmæ, Helvetia omnis, quæ Catholica eſt. His accedebant preces Curatorum Fabricæ Templi Maximi Mediolani, & Congregationis Oblatorum Sancti Ambroſii. Æquiſſima poſtulantes Pontifex benigniſſime excepit, remque omnem ad Sacrorum Rituum Congregationem rejecit, quæ, omnibus bene perpenſis, Pontificem docuit, cauſam hujuſmodi ad S. R. Rotæ Auditores poſſe referri, ut rite, atque ex edictis procederet. Delegit igitur Pontifex ex Auditoribus Franciſcum Peniam ejus Collegii Decanum, Joannem Garziam Mellinum, & Alexandrum Littam: quibus animadvertentibus, non eſſe ex Apoſtolicæ Sedis conſuetudine conſecrare aliquem Sanctum, cujus acta ab aliis, quam ab conſtitutis per ipſam Judicibus, cognita eſſent; novas quæſtiones Apoſtolica auctoritate haberi placuit, electis ad id muneris Reverendiſſimis Philippo Archinto Novocomenſium, & Claudio Rangono Placentinorum Epiſcopis. Sed tanto huic de Caroli honoribus ſtudio multa intervenerunt, quæ moram facerent: mors Clementis VIII., & proxima huic etiam Leonis XI., cujus cauſa effectum eſt, ut nonnili menſe Junio MDCVI., Paulo V. Pontifice Maximo, ad Romanum Tribunal deſignatorum Judicum acta deferri potuerint. Addita his incommodis Auditorum commutatio propter novam in Hiſpaniam Mellini Legationem, cui ſucceſſit Alexander Giuſti; mortem Littæ, cui Bernardinus Scottus; tandem Bernardini ipſius, dum pro Sancta Sede Apoſtolica in Bohemia ageret, cui Horatius Lancellottus. Ne tamen longius res protraheretur, obtinuere Cardinalium Collegium, Reges Hiſpaniarum Philippus III., Poloniæ, & Sveciæ Sigiſmundus III., Conſtantia Auſtriaca hujuſce uxor, Vincentius Gonzaga Mantuæ, & Montisferrati Dux, Epiſcopi Provinciæ Mediolanenſis, qui, habito ad hoc Concilio Provinciali VII., totius Provinciæ nomine legatos Romam decreverant, Carolum a Baſilica-Petri Novariæ, & Tullium Carettum Caſalis Epiſcopos: precibuſque aliorum Principum, & ipſius Mediolanenſis Civitatis repetitis, Pontifex juſſit, Treſviros ex Rotæ Auditoribus delectos in cauſam incumbere ſine mora, mature, ac diligenter pro rei dignitate. Communibus votis, & Pontificis mandato Triumvirorum diligentia, & labor aſſiduus ſatisfecit; & octies habito conventu, Caroli actis, & teſtimoniis cognitis, judicaverunt, nihil ad Ejuſdem Conſecrationem ulterius deſiderari. Giuſti autem per id temporis vita functo, Penia, & Lancellottus VII. Id. Decembris MDCIX. verbo, & ſcriptura ad Pontificem inprimis retulerunt; deinde etiam juſſu Pontificis ad Congregationem Sacrorum Rituum pridie Id. ejuſdem menſis in Palatio Cardinalis Dominici Pinelli Collegii Apoſtolici, & ipſius Congregationis Antiſtitis. Auditis Penia, & Lancellotto Pontifex, licèt aliæ ex aliis a Principibus literæ idem poſtularent, & omnia ita clara, atque teſtata eſſent, ut brevi per Sacros Ritus expediri res poſſet; tamen Religioſum habuit legitimi temporis aliquid remittere, & de conſilio ipſorum Cardinalium maturius etiam, atque etiam omnia perpendi voluit, tum ex cauſæ gravitate, tum ne quid cupide actum videretur propter Cardinalitii Ordinis cum Carolo neceſſitudinem. Id curæ fuit penes Illuſtriſſimos Cardinales Domi-

ni-

Digitized by Google

nicum Pinellum, Antonium Mariam Gallum, Franciſcum Mariam de Monte, Robertum Bellarminum, Hieronymum Pamfilium, Joannem Garziam Mellinum, Joannem Baptiſtam Lenî, Eduardum Farneſium, Andream Peretti, Silveſtrum Aldobrandinum, Ferdinandum Gonzagam, & Aloyſium Capponi, qui, concilio undecies habito, Auditorum actis ſummo ſtudio, ac diligentia recognitis, rata omnia habuerunt: & ſatis liquere de Caroli Sanctitate, Fide, Miraculis communis ſententia fuit. Ita, re per Pinellum Pontifici communicata, terni conventus Cardinalibus indicti, in quibus de more Apotheoſis perageretur. Primus ſecretò habitus III. Cal. Septembris MDCX., in quo Pinellus gravitate ſumma, ac fide cauſam omnem expoſuit, enarratis breviter Borromei virtutibus, ac miraculis: quæ omnia Concilio approbante, ſenſere unanimes, licere Pontifici, ſi ita videretur, ulterius progredi. Secundus Publicus fuit XVIII. Cal. Octobris, ibique Julius de Roma Mediolanenſis Advocatus Conſiſtorialis eleganti, ac latina oratione præcipua Caroli geſta, ac miracula verâ cum gloria prædicavit: deinde Pontificis pedibus provolutus, Regis Catholici nomine, Principum aliorum, ac Mediolanenſis Civitatis, Apotheoſim rogavit. Pontifex per Petrum Strozzi a Secretis reſponſum dedit: *perquam gratas ſibi accidere tam juſtas preces: maximi momenti rem eſſe: caute, ac pedetentim agendum: maturiori animadverſione opus eſſe:* deinde hortari Cardinales, & quicumque aderant, Præſules, ut jejuniis, piis precibus, ac largitionibus eum ſibi animum a Deo poſtularent, quo ex majori Ipſius gloria, & Romanæ Eccleſiæ utilitate rem decerneret. Tertius Semipublicus XI. Cal. ejuſdem menſis, & anni; ſed multo, quam ſuperiores, ornatior: ea die unum in locum collectis, quicumque Romæ erant, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, multis etiam ex Protonotariis Participantibus, Auditoribus Rotæ, Magiſtro Sacri Palatii, Procuratore Fiſcali ſplendidiſſimi Concilii formam complentibus. Clauſis foribus, graviſſima Pontifex oratione, quibus virtutibus, ac miraculis Caroli ſanctitas emineret, quantum ex Eo decoris in Cardinalium Ordinem, utilitatis in Eccleſiam univerſam redundaret, compendio oſtendit. Orationem hanc ſecuta ſuffragia ſunt; cumque totius Concilii ſententia foret, de Caroli ſanctitate, ac miraculis ſatis liquere ad Ejuſdem Conſecrationem, idem probatum habuit Pontifex, atque univerſos hortatus, ut omnem ab graviſſimo judicio errorem, piis ad Deum orationibus, atque operibus, deprecarentur, de Conſilii ſententia Carolum Sanctorum honoribus dignum pronunciavit. Interim cogitante Pontifice Paulo V. ſuper ſolemni Apotheoſis die, Mediolanenſes cives conſuetæ pompæ cura agebat; & ſacra ſupellex Sancti Petri Baſilicæ, ac neceſſaria reliqua Apotheoſi parabantur. In quo ſecunda hæc a Roma Civitas Principi illi, quod ipſa etiam miraretur, objecit. Templum Sancti Petri in Vaticano, ubi Apotheoſis celebrata eſt, immani in pulcherrimi Theatri formam ſubſtructione pluribus innixâ columnis, conſpicuum erat. Vita, & Caroli miracula peritiſſimorum artificum manu duodequadraginta tabulis expreſſa totidem Theatri arcus implebant: phrygia ex auro, atque argento ſupellex, qua inſtruebantur aræ, amictus erat Pontifex, & ſacræ ornabantur umbellæ, tanti erat pretii, tam miri artificii, ut reliquas pompas una hæc memorabilis exempli futura apud poſteros exſuperaret. Apotheoſis autem diem Pontifex dixit Cal. Novembris Cælitum omnium commemoratione ſolemnem, ut eadem dies & Sanctos omnes, & Sanctorum omnium perfectiſſimum Imitatorem commendaret. Mirum dictu eſt quantum populorum motum celebranda Apotheoſis fecerit ex diverſis Italiæ partibus Romam confluentium. Quorum expectationem deinde Pontifex cumulavit, omnibus magnificentiſſime, atque ex Romanorum Rituum præſcripto diligentiſſime peractis, ita inſtante Cardinali Ferdinando Taberna, cui potiſſimum cauſæ graviſſimæ exitus debebatur. Dedicata autem eſt Caroli memoriæ quarta Novembris dies eo, & ſingulis inpoſterum annis: cultus, qui Illi deberetur, præſcriptus idem, qui Confeſſorem Pontificem decet.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
NOMINUM, ET RERUM
NOTABILIUM,
QUÆ IN HAC HISTORIA CONTINENTUR.

A

Abbatiæ quamplures a S. Carolo Pontifici Max. reſignatæ . 73
Abbiate Guazzono translata Mediolanum a S. Carolo Sacerdotia ob conflandum Canonicorum Collegium in Templo S. Thomæ . 246
Abbiati Octaviani de ſedula S. Caroli in adminiſtrando Pontificali munere diligentia teſtimonium . 72 (c) (d)
Abbiatum cognomento Craſſum a S. Carolo Collegio Canonicorum ornatum . 131 413
A S. Carolo luſtratum . 204 (a)
Abbiatus de Foreriis Canon. Ordinar. Mediol. Civibus intra ædes proprias incluſis eſculenta defert ſubſidia . 318 (b)
Idem S. Caroli in luſtratione Vallis Meſolcinæ ſocius . 689
Abdicationes quantum a S. Carolo improbatæ in Sacerdotibus . 1075
de Abdua Comes Eraſmus egregiam mulam S. Carolo dono obtulit . 584 (b)
S. Abundii Sacerdotium pro Theatinis Patribus a S. Carolo impetratum . 210 (a)
Academia a S. Carolo Romæ inſtituta ob informandos Præſules methodo habendarum ad populum concionum . 645 (a)
Academia Noctium Vaticanarum a S. Carolo Romæ inſtituta . 21 (b) (c)
Achillis Galiardi teſtimonium de conſtantia S. Caroli ſomno repugnantis . 997
Acta Eccleſiæ Mediolanenſis a Galeſinio primùm collecta . 165 (a)
Quam anxie a Præſulibus eorum exemplaria peterentur . ibid.
Actiones forenſes Eccleſiaſticis fugiendæ . 1035
Adminiſtratio ſacrorum redituum optime curata a S. Carolo , & quàm religioſe . 1014
Adventus Chriſti Ambroſiano ritu quomodo celebratus . 238 (d)
de Advocatis Octavius Caput factioſorum hominum in Agro Brixienſi . 545
S. Caroli Sacro intereſſe exoptat, & qua conditione admiſſus . 546 (a)
Adurnus P. Franciſcus Soc. Jeſu cum S. Carolo Auguſtam Taurinorum peregrinatur ad Sacram Syndonem inviſendam . 390 (c) 391 (a)
Ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem optimis conſiliis imbuendum a S Carolo miſſus . 567
Ad Comitia Societatis Romæ habenda proficiſcitur . 569
Eumdem totius Ordinis Præſidem eligi S. Carolus peroptavit . ibid.
Hæreticorum furorem e Rhætia fugiens declinat . 721
Varallum a S. Carolo vocatus . 758 (c)
Cum eo Borromeus arcana conſcientiæ confert , ibid. & ſeq.
Eidem morienti conſilium , & operam præſtat . 765 (b) & ſeq.
Carolum e vivis ſublatum cæleſti gloria amictum videre promeruit . 794
Genuam reverſus e vivis exceſſit . 795
Præclarum ejuſdem de S. Caroli virtutibus teſtimonium . 829
Eidem dormienti S. Carolus lumen accendit , & caput inclinat . 877
Ædes S. Caroli Romæ patent hoſpitibus quibuſcumque . 1042
Ædificia a S. Carolo Mediolani , & in Diœceſi excitata . 1029 & ſeqq.
Airolo pertranſiens S. Carolus , nullam ibi moram ad corporis levamen ducere voluit . 585 (a)
Albæ Dux S. Caroli cauſæ in Aula Hiſpanica favet . 563
Alberto Cardinali Auſtriaco S. Carolus conſolatorias literas mittit . 407 (a)
Albonenſius Tullius Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ Patronus . 896 (a)
Albuquercius Dux , Mediol. Provinciæ Moderator S. Carolo ob electionem Pii V. in Pont. Max. ſuis literis gratias agit . 62 (a)
Acta a Senatu contra S. Carolum improbat . 136
Ad eum literæ a Summo Pontifice miſſæ . ibid.
A S. Caroli hoſtibus contra Eumdem ſolicitatus . 168 & ſeq.
Exploſam contra Cardinalem lethalem glandem intelligens , illico Eumdem inviſit , & humaniſſimis officiis obſequii ſui certiorem facit . 187 (a) & ſeq.
Ab anathematis vinculo abſolutus . 192 197 (b)
In magna annonæ caritate ad S. Caroli imitationem multas pauperibus eleemoſynas diſtribui mandat . 210 (b) 211
Mediolani diem poſtremum obit . 215 (c)
Alcaniſius Marchio miſſus Romam pro Eccleſiaſticæ poteſtatis juribus expendendis . 360 (c) 361 (a)
Philippi II. ad Romanum Pontificem Legatus . 418
Poſt acceptas a Rege Philippo II. literas , S. Carolo non amplius Romæ adverſatur . 564 (b)
Alciatus Franciſcus , poſtea Cardinalis , in Juriſprudentia S. Caroli inſtitutor . 13 & 17 (a)
Ejus teſtimonium in laudem Concilii I. Provincialis a S. Ca-

Digitized by Google

S. Carolo celebrati. 100 (a)
S. Caroli precibus Mediolanum a peste liberatum scribit. 353 (b)
Cœnobitarum S. Ambrosii ad Nemus Protector. 452 (a)
Alexandrinæ Sedi Episcopo vacuæ aliquem ex S. Caroli Administris Romana Curia assignare peroptat. 726
Alphonsus Dux Estensis S. Carolum Ferrariæ excipit. 494 & seq. (a)
Altempsius Annibal Hortensiæ sororis S. Caroli maritus. 5 (c)
S. Caroli funus subsequitur. 773 (a)
Ejus & Hortensiæ S. Caroli sororis filii in Collegio Nobilium Mediolani educati. 627 (a) 630
Altempsi s Cardinalis Mediolani degebat, quo tempore S. Carolus petitus fuit ad necem. 188 (a)
Præposituram Mirasolis Collegio Helvetico cedit. 462 (b)
Alverniæ Montem S. Carolus invisit. 248
Iterum S. Carolus adivit. 478 (e)
Amalthæus Jo Baptista S. Carolum Mediolanum venientem comitatur. 48
Ambrosiani Ritus introducendi, seu restituendi in Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis facultas a Gregorio XIII. S. Carolo attributa. 253 (c)
S. Ambrosii ad Nemus Fratres, præsente S. Carolo, comitia ineunt. 272
A quibus instituti. 451
Leges a S. Carolo eisdem præscriptæ. ibid. (a)
Concitatis turbis Eidem obsistunt. ibid. & seq.
Ab Innocentio X. hic Religiosorum Ordo deletus. 453
S. Ambrosii antiquæ effigies rasam in mento barbam præseferunt. 336 (a)
Idem Sanctus a S. Carolo in præcipuum Patronum, ac Magistrum delectus. 73
Eum summa veneratione S. Carolus est prosecutus. 861
Idem nubi insidens, & flagello armatus victores prope Parabiagum Mediolanenses de hostibus reddit. 741 (†)
S. Ambrosii Basilicæ addictus Clerus communem vitam olim profitebatur. 370 (a) & seq.
S. Ambrosii hospitium pro excipiendis Romæ Sacerdotibus peregrinis S. Carolus excitari omni nisu contendit. 739 (a)
Amedæus Ulissiponensis S. Francisci Institutum ad primævam integritatem Mediolani revocat. 148
Ejus Assectæ ab eo nomen accipiunt. ibid. (c)
S. Carolo perfectam vivendi disciplinam restituere volenti se palam opponunt. 148 & 149 (a)
S. Ampellii Mediol. Antistitis Corpus in Basilica S. Simpliciani servatum. 606
Et a S. Carolo magnâ pompâ translatum. 610
S. Andreæ Monasterii Modoëtiensis Virgines in aliud S. Martini a S. Carolo translatæ. 247
S. Andreæ Sacerdotium in Belgio a S. Carolo abdicatum. 749
S. Andreas Avellinus Mediolanum veniens a S. Carolo peramanter excipitur. 166 (b)
Per literas a S. Carolo rogatur, ut alios Clericos Regulares Mediolanum mittat. 469
S. Caroli operam pro Mediolanensi Ecclesia laudibus prosequitur. 489 (a)
Literas spei in Deum plenas a S. Carolo accipit. 903 (a)
Angelorum Reginæ Ascetarium Capuccinarum in Urbe Mediolanensi institutum. 481
Angleriæ S. Carolus quatriduum est immoratus. 583
Anguissola Joannes, jubente Provinciæ Gubernatore, Aronensem Arcem occupat. 232
Animæ remedia pluribus a S. Carolo oblata. 1152
Animarum saluti quanto studio, & cura S. Carolus consuluerit. 941 & seq.
S. Annæ Matris Deiparæ dies festus a S. Carolo in Mediolanensi Diœcesi præscriptus. 741
S. Annæ Sodalitium Viduarum a S. Carolo Mediolani institutum. 276 (c)
Annibaldus Matthæus quo anno obierit. 98 (b)
Antelmi Bonifacii Venetorum ad Mediolanenses Legati filium S. Carolus baptizat. 725 727 (a)
Antonianus Sylvius una cum S. Carolo Mediolanum venit. 48
S. Caroli familiaris, deinde S. R. E. Card. 83
Librum de Nobilium Adolescentum educatione, rogante S. Carolo, conscripsit. 237 (c)
De S. Caroli virtutibus præclara protulit testimonia. 823
Ejus judicium de Ingenio, & Exercitatione S. Caroli. 1064
S. Antonii extra muros Papiæ Præceptoria Collegio Helvetico assignata. 464 (d)
Apostata S. Caroli patrocinio in Ecclesiæ, & Religionis suæ sinum revertitur. 915
Apotheosis S. Caroli per synopsim exposita. 1167
Applani Plebs a S. Carolo lustrata. 667
Aquam-nigram Brixiensis agri S. Carolus lustravit. 529
Aqua sacris precibus a S. Carolo expiata multis est salutaris, & optabilis. 1133
Aquilejensis Patriarcha ob veterem de Pallio suscipiendo controversiam Venetiis a S. Carolo inventus. 500 (b)
de Arabia Hieronymus virtutum laude insignis Metrop. Mediol. Ecclesiæ Canon. Ordinar. 69 (a) & 157 (a)
Primus Congregationis Oblatorum Præpositus. 372
Sodalitii Doctrinæ Christianæ Moderator. 895 (a)
Aræ in compitis, viisque a S. Carolo erectæ, ut domibus clausi ob vitandam contagionem cives Sacra Mysteria spectarent. 315 (a)
Aragonia Elisabetha Matrona Hispana tutandæ mulierum pudicitiæ contubernium Mediolani excitat. 156 (a) & seq.
Arca, quæ S. Caroli cadaver includit, Philippi IV. Hispaniarum Regis donum. 845 (a)
Archiepiscopales Ædes exædificatæ a S. Carolo. 1030
Archiepiscopalis Palatii exitus turmis Equitum circumsepti. 233
Archiepiscopi Mediolanenses quot numero inter Sanctos relati. 1 (a)
Gregorii XIII. S.P. testimonio concelebrati. Ibid. & 3
Archiepiscopus Valentiæ optat S. Carolum mollius vivere. 1000
Archintorum Gens feliciter S. Caroli patrocinio commendata. 1145 (a)
Archintus Philippus, & Claudius Raugonus Episcopi S. Caroli corpus in sepulcro recognoscunt. 1145
Archintus Romulus a S. Carolo in Novariensem Episcopum inauguratus. 247
Arcimboldus Jo. Angelus Archiep. Mediol. 67 (b)
Nonnulla sanxit edicta ad morum integritatem in Urbe, ac Diœcesi restituendam. 69 (b)
Aretinorum Equitum discordia cum S. Stephani ad Nuxigiam Rectore a S. Carolo composita. 657 (b)

Digitized by Google

Argentus Modoëtiæ Archipresbyter peſtilentiâ infectis opem ferens, eodem morbo correptus interiit. 208 (a)
Arimini S. Carolus Româ regrediens moram traxit. 650 (a)
Armamentarium Venetorum a S. Carolo viſum. 500 (a)
Arona Arx ad Verbanum Lacum, in qua S. Carolus prodiit in lucem. 8
Aronæ Mons a Cardinali Federico Borromeo S. Carolo conſecratus. 402 (c)
Aronâ Mediolanum translatæ SS. Fidelis & Carpophori Martt. exuviæ. 439 (c)
Eòdem S. Carolus Varallo divertit, ut cum Cardinali Vercellenſi colloquatur. 759 (b)
Illuc ægrotans revertitur, & quæ ibidem peregerit. 764 (b)
Aronenſem Abbatiam Patribus Societatis Jeſu attribui S. Carolus exoptavit. 73 (b)
Aronenſe Monaſterium a quo conditum. 11 (a)
S. Carolo adhuc puerulo commendatum. ibid.
Qui neglectam illius diſciplinam ad priſtina inſtituta revocavit. 14
Aronenſe Oppidum ingenti militum numero ad hyberna miſſorum gravatur. 556 (b)
Aronenſe Seminarium a S. Carolo erectum. 94 (a)
Aronenſis Arx Borromeæ Genti erepta. 362
Hanc privationem S. Carolus æquo animo tulit. ibid. (b)
A Regiis Militibus occupata. 232 (a)
Reſtituta. 563 (a)
Arragonius Carolus Mediolanenſis Urbis, ac Provinciæ Gubernator deſignatus. 558 (b) & 652 (b)
Catholici Regis juſſu amice cum S. Carolo agit. ibid.
Literæ a Borromeo ad eum Româ miſſæ. 653 (a)
Militem temerè nimis ſibi increpanti reſpondentem morte damnat. 654 (b)
S. Carolo expoſcente, vitâ, & libertate donat. ibid.
Veneti Oratoris filium a S. Carolo baptizatum e Sacro Fonte ſuſcipit. 725
Borromei accommodum tempori, & Baptiſmatis Sacramento Sermonem audit 727 (a)
Publico Edicto perſonatorum hominum concurſus vetat. 728 (b)
S. Caroli conſilia ob Rhætiæ luſtrationem ineuudam adjuvat. 749
Morienti Borromeo adeſt, & flens ab Ejus conſpectu recedit. 768 (a)
S. Arſacii Epiſcopi Oſſa a S. Carolo in Baſilicam S. Stephani translata. 571 (b)
de Arte mediandi Synopſes a S. Carolo conſcriptæ, & a Cardinali Valerio in libellum digeſtæ. 638 (b)
Aſconenſe Seminarium quando apertum. 94 (a)
Ad erudiendos pueros, ex teſtamento Bartholomæi Papii excitatur. 660 & ſeq. (b)
Pancaldus Laurentius duo aureorum millia pro illius erectione poſtremis tabulis legat. 716 (a)
Legibus conditis, & in tabulas redactis a S. Carolo rite erectum. 762 & ſeq (a)
Aſſander Bartholomæus Medicus S. Carolo ægrotanti operam ſuam navat. 765 (a)
Aſſii Monaſterium fœminarum a S. Carolo extinctum. 105 (a)
Aſſium a S. Carolo luſtratum. 746
Aſula Brixienſis Agri a S. Carolo luſtrata, & inimicitiæ ibidem ab Eo ſedatæ. 529
Audoënus Ludovicus Cameracenſis, S. Caroli Famiſtaris. 77 (c)
Deinde Caſſanenſis Epiſcopus. 83
Ejus laudes, & merita. 85 (a)
S. Caroli Vicarius Generalis. 566 (b) 935 (a) 937 (a)
Averariæ S. Carolus fuit. 624 (c)
Eadem a S. Carolo luſtrata 664 (b)
Auguſtæ Taurinorum, S. Carolo adnitente, erectum Domicilium pro avocandis ab impuro quæſtu meretricibus. 442 (a)
S. Auguſtini Fratrum Mediolanenſi Monaſterio moderator integerrimus aſſignatus. 741
Ejuſdem Ordinis Fratres aliquot peſte laborantes in Agro Mediolanenſi interriti adjuvant. 213 (a)
de Auguſtinis Carolus Sodalitio Doctrinæ Chriſtianæ Præfectus. 490 (b)
Aularius Archipresbyter Modoëtienſis literas a S. Carolo accipit, quibus Clero illi conceditur Romanis Ritibus uti. 415
S. Aurelii Redicianenſis Epiſcopi oſſa a S. Carolo in Confeſſione Templi Max. collocata. 367
Aureoli Romanorum Militum Ducis mors, & tumulus. 365 (b)
Aurifices Mediolanenſes argenteum S. Caroli Simulacrum effingunt, Eique in obſequii pignus offerunt. 843
Auritanus Princeps argentea lampade S. Caroli tumulum ornat. 842
Auronæ, ſeu Oronæ Monaſterium a Theodori Archiepiſcopi Mediol. Sorore conditum. 751 (a)
Proximo S. Auguſtini Cœnobio adjunctum. ibid.
A Joanna Viſtarina emptum. ibid.
Capuccinarum S. Barbaræ domicilio inſeruit. ibid.
Auſteritas vitæ S. Carolo ſalutaris. 994 993 (a)
Auſtriacam Auguſtam Familiam S. Carolus quantum dilexerit, & obſervaverit. 591 (b) 604 (b) 1030
Auſtriacus Joannes Mediolano pertranſit. 274 (a)
Ayamontia Anna Inſubriæ Moderatoris Uxor Sacri Chriſti Clavi imagine a S. Carolo donata. 346 (c)
Quam bene de S. Caroli virtutibus ſenſerit. 353 (b)
Ayamontius Mediolanenſis Provinciæ Moderator S. Caroli Decretis pro dierum Feſtorum ſervanda religione indictis obſiſtit. 421 (a)
Faces diſcordiæ attulit Religioſus quidam Sacerdos eidem a Confeſſionibus. 422 (b)
Sæviente Mediolani Peſtilentia Urbe diſcedit, poſtmodum redit, S. Caroli monitis ad munus ſuum implendum excitatus. 290 (d)
Non æquo fert animo S. Carolum a Mediolanenſi populo diligi. 359 (a)
De Diſciplina a S. Carolo Mediolanum inducta conqueritur. 471 (a)
Apud Romanos Proceres Eumdem novitatis accuſat. 473 (a) (b)
Primo Quadrageſimæ Dominico die haſtiludia iterum indicit. 507 (a)
Ad ea conficienda Centurionem cum equeſtribus Militibus Ticino advocat. ibid.
Contra eos Eccleſiaſticas Cenſuras S. Carolus infligit. 509 (a)
Morti proximus extrema pietatis officia a S. Carolo percipit. 524 (d) & ſeq.
Azpilcueta Martinus SS. Euchariſtiæ Sacramentum e S. Caroli manibus recipere voluit. 484 (c)
In ea ſententia fuit, Parochos Peſte afflictis Sacramenta miniſtrare debere. 285 (a)

B

S. Babylæ Parochus ſuo in lectulo peſtilentiæ morbo ægrotans a S. Carolo viſitur. 323 (b)
Bacchanalium licentia a S. Carolo damnata. 238 (c) 337

Bac-

Digitized by Google

Bacchanalium ſpectacula, S. Carolo in Urbes ditionis Venetæ, atque Eſtenſis adveniente, penitus ceſſant. 494 (c) 503 (a)
Bacchanalium tempore S. Carolus Stationales Eccleſias viſitari præſcribit. 729 (a)
Geminos iis diebus a Sacris Oratoribus haberi a prandio Sermones in Sancti Sepulcri Templo mandat. 730
Bagnajæ Cardinalis de Gambara Villa a S. Carolo inſpecta. 493 (b)
Inutilis vocata. 1050
Balabium a S. Carolo luſtratum. 665
Balbianus Comes Jo. Franciſcus Redeſeſii Præpoſitus. 94 (b)
Balneoli S. Carolus hoſpitatur. 537
Balthaſſar Suffraganeus Conſtantienſis præclaro elogio S. Caroli virtutes deprædicat. 832
Bambergenſi Epiſcopo Epiſtola a S. Carolo miſſa ob Hæreticorum conatus cohibendos. 853 (a)
Baptiſma, vigente peſte, a S. Carolo quo ritu miniſtratum. 321 (b)
Barbadicus Gregorius Cardin. Patavii Sodalitium Oblatorum inſtituit. 386 (a)
Barbam nutrire S. Carolus Clero ſuo prohibet. 534 (b)
Radendæ barbæ uſus in Eccleſia Latina apud Eccleſiaſticos Viros ſemper invaluit. 335 (a)
Barbara Auſtriaca Alphonſo Ferrariæ Duci nupta. 56
S. Barbaræ Monaſterium pro Virginibus Capuccinis a S. Carolo Mediolani apertum. 431
Iiſdem ſubſidium opportunum ad propoſitum ſervandum S. Carolus e Cælo præſtat. 797 & ſeq.
Barbeſta Petrus temerario auſu S. Caroli Vicarium Sacris interdicit. 170 (e) & ſeq.
Idipſum contra eumdem S. Carolum peragit. 172 (e)
In carcerem conjectus, Carolum ipſum patronum habet. 196 & ſeq. (a)
Barcinonenſis Epiſcopus literas a S. Carolo accipit. 908 (b)
S. Barnabæ Apoſtoli Cineres Mediolani ſervati. 216 (c)
S. Barnabæ Præpoſitura Clericis Regular. S. Pauli conceſſa. 443 (a) (b)
Ab iiſdem Eccleſia ædificata. ibid.
Aræ maxima a S. Carolo conſecrata. 444
Lypſanotheca inſignium Reliquiarum ab Eodem Cardinali ei Templo donata. 446 (a) & 863
Barnabitæ, ſeu Clerici Regulares Sancti Pauli Mediolanenſibus peſte infectis Sacramenta miniſtrant. 213 (d)
Baronius Cæſar Cardinalis S. Carolum quanti faceret, & quo illum obſequio proſequeretur. 251 (b)
A S. Philippo Nerio Mediolanum mitti exoptat, ſed fruſtra. 261
Stolam S. Caroli religioſe accipit. 1136
S. Bartholomæi in Æde Mediolanenſi S. Carolus Veneti Oratoris filium baptizat. 725 727 (a)
Idem Templum, ob nundinas ibi prope habitas, juſſu S. Caroli occluſum. 169
Bartolinus Jo. Baptiſta S. Caroli domeſticus. 935 (a)
Baſiliani Monachi in SS. Coſmæ, & Damiani Monaſterio Mediol. degebant. 659
Eorumdem luſtratio S. Carolo demandata. 660
Qui illuc S. Dominici Fratres inducere inutili conatu curavit. ibid.
Baſilica Apoſtolorum Mediol. Nazariana etiam appellata. 435
S. Nazarii Mart. exuviæ ibidem inventæ. ibid. (a)
S. Petri Apoſtoli reliquiæ in eâdem repertæ. 436 (a)
Plura SS. Mediolani Antiſtitum Corpora ibidem ſepulta. 438
Baſilicæ Septem Mediolan. perpetuis Indulgentiis a Gregorio XIII. cumulatæ. 268 (b)
a Baſilica-Petri Aloyſius poſtremus Ordinis Humiliatorum Præſes. 145 (a) 207 (b)
Poſtea S. Agathæ Præfectura Romæ ornatus. ibid. (c)
a Baſilica-Petri Carolus S. Caroli familiaris, Novarienſi Infula ornatus. 84
Primò Canonicus Ordinarius, deinde Clericorum Regularium S. Pauli Congregationi adſcriptus. 445
Præcipua ejuſdem geſta commemorantur. 447 (a)
Novarienſis Epiſcopus renunciatur. 448
Ejus obitus. ibid.
Laudes a Collegio Eccleſiæ Majoris Mediol. eidem attributæ. 448 (b)
In Hiſpanias a S. Carolo miſſus. 552
Quo verè anno hæc illi Legatio fuerit demandata. ibid. (b) 554 (a) (b)
Cum Cardinali Riario Summi Pontificis Legato ad Aulam Catholici Regis proficiſcitur. ibid. (d) 555 (a)
Ad Philippi II. conſpectum admiſſus, quæ in mandatis habuerat, libere profert. 161 (a) 559 & ſeq. (b)
Legationem ad felicem exitum perducit. 562
S. Carolo morem gerens P. Ludovicum Granatenſem inviſere ſatagit. 163
Mariam Auſtriacam Laude-Pompeja Genuam uſque comitatur. 575 (c)
Cilicium benedicto cinere aſperſum S. Carolo morienti imponit. 768 (a)
Quis fuerit Mediolanenſium dolor in Borromei funere fuſe deſcribit. 770 (a)
De obitu S. Caroli inſcriptam Latinam Epiſtolam ad Ludovicum Granatenſem mittit. 801 (a)
Alias quoque ad Epiſcopum Placentinum hac de re literas ſcripſit. 802
Jubente S. Carolo Librum ſcribit de SS. Lypſanis Mediolani aſſervatis. 264 (a)
Baſilicarum Mediolan. aræ, jubente S. Carolo, tabulatis interſeptæ. 263 (b)
S. Baſilidis Mart. Reliquiæ in S. Celſi Templo a S. Carolo recognitæ. 573 (a)
S. Baſilius Magnus a S. Carolo pro concione laudatus. 724 (a)
P. Baſilius Ordinis Capuccinorum ad Clavennenſes a S. Carolo miſſus. 725
Baſſus Joannes in Lepontiis Vallibus S. Caroli Vicarius. 525 (a)
Opportunum S. Caroli auxilium experitur. 907 (a)
Bathorius Andreas Poloniæ Regis fratris filius in Italiam deſcendit. 672 676
A S. Carolo Mediolani excipitur. 677 (a) (b)
Inſtructiones ad vitam perfecte inſtituendam ab eodem recipit. ibid.
Romæ degens literas a Borromeo accipit. 678 (b)
Collatam ſibi Romanam Purpuram S. Carolo denunciat. 680 (b)
Reverſurus in Patriam Borromeum iterum inviſere peroptavit. 681 (a)
Dominicum Ferrum a S. Carolo ſocium itineris accipit. 682
Româ redux Mediolani a S. Carolo perhonorifice excipitur. 746
Veræ animi demiſſionis præcepta a S. Carolo accipit. 967 (a)
Bathorius Stephanus Poloniæ Rex Literas ad S. Carolum mittit. 467 (a) 830 (a)
Caroli reſponſa ad eumdē tranſmiſſa. 467 (a) 672 (b)

Digitized by Google

Grati erga Borromeum animi præclara edit teſtimonia. 679 (a)
Crucifixi Domini ex ebore ſimulacro a S. Carolo donatus. 681
Bavariæ Duces auream coronam gemmis ornatam ad S. Caroli tumulum dono mittunt. 846 (a)
Bavariæ Dux Guillelmus ad S. Carolum pro tutanda in Colonienſi Archiepiſcopatu contra Hæreticos Catholica Fide literas mittit. 458 (c)
Beatrix Scaligera Templum Deiparæ Mediolani erigit. 170
Belgii tutela a S. Carolo dimiſſa. 225 (a)
Belinzagus Gaſpar probatæ vitæ Sacerdos in Eccleſia S. Sepulcri tumulatus. 69 (a)
Inter primos Doctrinæ Chriſtianæ Sodales. 895 (a)
Belitionem brumali tempore S. Carolus adiens, viam cruore ſignat. 350 (c) & ſeq.
Ibidem S. Carolus cum eſſet, liberalitatem ſuam exercet. 584 (c)
Ibidem S. Carolus fuit. 689 703 (a)
Sermonem ad populum habuit. 704 (a) 713 (a)
Bellarminus Robertus Inſtitutor in Collegio Braydenſi fruſtra a S. Carolo expetitus. 227 (a)
Bellaſii in Ædibus Sfondratæ Familiæ S. Carolus fuit. 620 (b)
Bellettus Jo. Maria per literas docet, Poloniæ Regem a S. Carolo ſanatum. 1128
Bellinus M. Antonius Canon. Ordin. de S. Caroli Religione præclarum affert teſtimonium. 865 (a)
Benedicendi populo in Miſſis Defunctorum ritus, quo Religioſi Ordinis Aſſeclæ utebantur S. Carolo rogante, a Summo Pontifice proſcriptus. 750
S. Benedicti in Porta Nova ſacra Ædes antea Parœcialis. 157
Curam animarum S. Carolus aliò transfert, ibid.
Ibi Collegium figit ad tutandam mulierum pudicitiam. ibid. (a) 125 (b)
Benedictus XIV. Pont. Max. quibus laudibus S. Caroli merita celebraverit. 263
Ejuſdem teſtimonium de doctrina S. Caroli. 1065
S. Benigni Mediol. Antiſtitis Corpus in Baſilica S. Simpliciani repertum. 606
Hunc S. Carolus Boſſiorum nobili Familiæ adſcribendum judicavit. ibid. (a)
Sacræ ejuſdem Exuviæ magnificâ celebritate tranſlatæ. 610
Bentivolius S. Caroli familiaris, ab Eo transfuga, iterum admitti rogat. 939 (a)
Benzonus M Antonius Romanus Civis cum Gaſpare Micinello ſingulare certamen indixerat, quod S. Carolus impedire curavit. 948 (a)
Bergomum a S. Carolo Viſitatoris Pontificii titulo luſtratum. 258 (c) (d)
Bertazolus dux factioſorum hominum in Agro Brixienſi. 545
Berzettus Canonicus Cathedralis Vercellenſis ob componendam cum Collegis pacem S. Carolum adit. 740 (a)
Beſutium Oppidum a S. Carolo luſtratum. 583
Ibidem repertæ S. Niconis exuviæ. 132 (b)
Item Collegium Canonicorum a S. Carolo inſtitutum. 246
Ejus loci Clerus S. Carolo ſuadente, Ambroſianos ritus amplectitur. 413
Beſutius Albertus Cœnobitarum S. Ambroſii ad Nemus Inſtitutor. 452
Beſutius Branchinus Bergomenſis Epiſc. nonnulla Sacerdotia Monati inſtituit. 246
Beſutius Franciſcus Pontificalem Mediolani Hiſtoria ſcribens quid de rebus S. Caroli ſentiat. 1026
Biancianus Ord. Humiliatorum, conjurationis in S. Carolum particeps, Eodem impetrante, ſupremum ſupplicium non ſubit. 202 (b)
Biaſca ad Helvetiarum Vallium fauces S. Carolum excipit. 350
Biblia Sacra qua devotione a S. Carolo legerentur. 858
Eadem Hiſpanicâ linguâ Baſileæ impreſſa. 601
Ejus Exemplaria intercepta, ne Bruxellas deducerentur. 630
Bibliotheca Julii III. Pontif. Max. donata S. Carolo. 1031 (a)
Bibliotheca S. Caroli quàm abunde inſtructa, & inſtruenda eſſet, & facile pateret omnibus. 1031 (a)
Bidretti Vicus in Lepontiis a S. Carolo luſtratus. 585
Bilia Pontificius Legatus Vindobonæ. 147 (a)
Bimius Jo. Petrus *S. Caroli laudationem* ſtatim poſt Ejus mortem conſcripſit. 803
Biſciola Lælius Soc. Jeſu a S. Carolo Scholis Braydenſibus Inſtitutor datus. 227 (a)
Blanchettus Pallantiæ nobilis incola S. Carolum domi ſuæ hoſpitari exoptat. 404 (c)
Blancus Bernardinus Collegio Canonicorum Eccleſiæ Scalenſis Præpoſitus ab Eccleſiaſticis Cenſuris abſolvi impetrat. 194 (c)
Blaſphemiæ ſeveriſſimis legibus a S. Carolo vetitæ, & punitæ. 857
Bobienſis Eccleſiæ Pontificius Viſitator deſignatur Boſſius Epiſcopus Novarienſis. 735
Boffalora Vercellas adiens S. Carolus pertranſiit. 662 (a)
Boldoni in Vico quem animarum fructum S. Carolus ſit conſecutus. 538 (b)
Boldonus Nicolaus Ticinenſis Gymnaſii Archiater S. Carolum ferrea glande impetitum ocyus inviſit. 188 (a)
Bollati Sacrorum Præfectus qua de cauſa a S. Carolo ære multatus. 125 (a)
Bolognettus Maſſæ Epiſcopus Pontificius apud Poloniæ Regem Internuncius. 676 (a)
Boncompagnus Hugo, poſtea Gregorius XIII., a conſiliis S. Caroli. 21 (a)
Ad Summum Pontificatum promotus adnitente potiſſimum S. Carolo. 219. *Vide* Gregorius XIII.
Bonhomius Carolus Franciſcus S. Caroli condiſcipulus. 12 (b)
S. Caroli familiaris, deinde Epiſcopus Vercellenſis. 23
Romam a S. Carolo miſſus ad obtinendam Concilii II. Provincialis a Pontifice Max. approbationem. 164
Vercellenſi Clero barbæ prolixæ cultum interdicere ſatagit. 334 (b)
Vercellis Auguſtam uſque Taurinorum S. Carolum comitatur. 393 & ſeq.
Novocomenſem, & Novarienſem Diœceſes luſtrat. 456 (b)
Pecuniarum ſubſidia depoſcens quod a S. Carolo reſponſum acceperit. ibid. (c)
Delectus Pontificius Internuncius apud Helvetios. 457 (b)
Cleri illius, & populi mores ad Tridentini Concilii leges componit. 458
Nuncius Pontificis Max. ad Cæſarem miſſus. ibid.
Leodii diem extremum obit. 459 (a)
Ad fortiter in Germanica Legatione agendum per literas a S. Carolo conſilium, & ſolatium accipit. 990 (a)
S. Euſebii reliquias in Cathedrali Templo reperit. 576 & ſeq.

Ger-

Digitized by Google

Germaniæ Legatio eidem a Pontifice Max. demandata. 578 (b)
Eidem S. Carolus Concionum ſuarum ſupellectilem legavit. 774 (b)
Scriptorum a S. Carolo Voluminum hæres ab Eodem inſtitutus. 931
Bononiæ S. Carolus triduum immoratur. 477 (a)
In reditu Româ Mediolanum iterum illac pertranſiit. 494 (c)
Bononienſem Clerum vectigalibus exonerare S. Carolus contendit. 736
Bononienſis Civitas S. Carolum Mediolanum proficiſcentem magna honoris ſignificatione excepit. 49 (a)
Atheneo, & publico Fonte a S. Carolo ornata. 1028
Bontius Antonius Congregationis Oblatorum Præpoſitus Generalis. 661 (a)
Borbonius Cardinalis, S. Carolo ſuadente, Concilium Provinciale Rhotomagi cogit. 566 (b)
Ad fortiter pro Eccleſia Dei laborandum literis a S. Carolo extimulatur. 981 (a)
P. Bormius Ordinis Capuccinorum in Helvetiis ſui Inſtituti Patribus domicilia aperit. 550
Borromea Anna, S. Caroli Soror, Fabritii Columnenſis uxor. 6 19 (c)
Virtutibus, ac morum integritate celebrata. ibid. (d)
Vidua Panormi obiit. 7
Ejus Laudes. ibid. (a) & 636 (b)
S. Philippo Nerio CCC nummos aureos legavit. ibid.
Borromea Camilla, S. Caroli Soror, Cæſaris Gonzagæ uxor. 6 (b) 19 (c)
Eidem roganti ut captivum Seculari poteſtati permitteret, quod S. Carolus reſponſum dederit. 970 (b)
Obit. 635 (a)
Borromea Eliſabeth, S. Caroli Soror, Aſceterium Virginum ingreſſa Coronæ nomen aſſumpſit. 6
Borromea Helena Comitis Joannis Baptiſtæ S. Caroli patrui filia Capuccinarum Inſtitutum amplectitur. 431 (a)
Poſt mortem etiam perfectæ obedientiæ perhibuit teſtimonium. 432 (b)
Borromea Hieronyma, S. Caroli Soror, Principi Venuſino deſponſa. 6 (b)
Borromea Hippolyta Comitis Alberici Balbiani uxor. 431 (a) & 929 (a)
Borromea Hortenſia, S. Caroli Soror, Comiti Altempſio nuptui data 6 (c)
Borromeæ Gentis decora a quo Literis conſignata. 3 (a)
Ejuſdem laudes. 963 (a)
Borromeus Federicus, S. Caroli frater. 6
Virginiam Urbini Ducis ſororem uxorem ducit. ibid.
Quo anno obierit. 27 (b)
Ejuſdem ſupellex a S. Carolo vendita, & pauperibus diſtributa. 1055
Borromeus Federicus Comes, & poſtea Cardinalis in Bononienſi Academia ſextumdecimum ætatis annum agens verſabatur. 542 (b)
Literas ad S. Carolum Bononiâ dedit. ibid.
P. Adurnus Soc. Jeſu illuc a S. Carolo miſſus voluntatem, & conſilia ſua explorat. ibid.
Mediolanum revocatur, & per Roſignolium Bernardinum, quodnam vitæ genus inire vellet, rogatur. ibid.
A S. Carolo Patruele Clericali habitu induitur. 543
Ad Ticinenſe Borromeum Collegium mittitur. ibid.
Ad progrediendum viriliter in literis, ac pietate Caroli epiſtolis excitatur. ibid.
Mediolani Archiepiſcopus electus. ibid.
Ad intuendam S. Simpliciani aliorumque Sanctorum Corporum translationem Mediolanum a S. Patruele Ticino evocatus. 610 (c)
Collegio Ticinenſi ab Eodem præſes deſtinatus. 32 (b)
Leges pro optimo hujus regimine præſcripſit. ibid. (c)
S. Carolum e ſuggeſto laudantem S. Baſilii virtutes audit. 724 (a)
Helvetici Collegii Alumnorum numerū deſignat. 463
Mirum Mediolanenſis populi ad S. Caroli tumulum concurſum vetare primò nititur, deinde ex Romanorum Patrum indulgentia impedire ceſſat. 811
S. Caroli funus ſubſequitur. 773 (a)
Borromeus Franciſcus Patruus Sancti Caroli e vivis abit. 601
Borromeus Gibertus S. Caroli pater. 3
Ejus laudes, & mores. 4
Quàm acriter in blaſphemiæ vitium inveheretur. ibid. (d)
Erga egenos liberalis. 5
In templo Podonis Mediolani tumulatus. 14 (a)
Borromeus Gibertus Card. Novariæ inſtituit Sodalitium Oblatorum. 386 (a)
Borromeus J. Cæſar S. Caroli patruus. 11
Fratris Filio Aronenſe Sacerdotium ceſſit. ibid.
Seminarii Mediol. inſtitutioni liberalitate ſua favit. 91 (b)
Borromei Comitis Renati nuptiæ cum Herſilia Parmenſi. 476 (c)
Idem Cardinalem febre laborantem Mediolanum deducit, neque ad obitum uſque dimittit. 675 (a)
Solemnes Cardinalis exequias ſubſequitur. 773 (a)
Borſatus Franciſcus Roveredum a S. Carolo præmiſſus. 673 786 (a)
Quæſtiones de Maleficis inſtituit. ibid.
Boſſio Ægidio in Civitate Cremonæ Fiſci Patrono S. Carolus literas dat. 605 (a)
Boſſiorum familia cum Fuggeriorum gente ſanguine juncta. 752 (b)
S. Carolo dilecta. ibid.
Boſſius Franciſcus Epiſcopus Novarienſis, Bobienſis Diœceſeos Pontificius Viſitator. 735
Item Genuenſis Regionis Pontificius Viſitator electus. 599
Mediolani ægrotat. 664 (b)
Ad extremum vitæ exitum pervenit. 752
Illi morienti S. Carolus adeſſe cupit, & mortuo exequias celebrat. ibid. & ſeq. (a)
Boſſius M. Antonius Bavariæ Ducis favorem, S. Carolo auſpice, promeretur. 752 (b)
Boſſius Marchio Galeaz Mediolanenſis Urbis Præfectus S. Caroli ſacras Exuvias Urbe ſolemniter circumferendas curat. 607
Boſſius Simon Magiſtratus Præſes Mariana Corona a S. Carolo donatus. 736
Cum Carolo puero latrunculis ludit. 1009 (a)
Boſti Collegium Monialium a S. Carolo extinctum. 105 (a)
Boterus Joannes Cardinali Bathorio S. Caroli mortem deſcribit: & hæc ſcripta Epiſtola typis committitur. 802 (a)
Latinas Ejuſdem literas in lucem produxit. 926 (a)
Botius Bartholomæus Phyſicus Aronenſis. 9
Bottonius Timotheus Ordinis Prædic. a Confeſſionibus Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis per S. Carolum delectus. 668 672 (a)
Optimis a S. Carolo monitis inſtructus, Augustam Taurinorum mittitur. 675

Digitized by Google

A Vincentio Lauro laudatur. ibid.
Boverius Dominicus Congregat. Clericorum Regular. S. Pauli ad Cismontanos Rhætos missus. 449
Ab Hæreticis Rhætis in vincula conjectus. 721
Clavennensibus ad Sacra ministranda a S. Carolo datus. 725
Mandante S. Carolo, Sondrium proficiscitur. 740 (a)
Brayda Humiliatorum Fratrum olim Cœnobium. 226
Cardinalis ab Ecclesia, cui postea fuerat commendatum, rogante Carolo, Patribus Soc. Jesu illud attribuit. ibid. (b)
Collegium idem Aronensis Sacerdotii reditibus a S. Carolo auctum. ibid.
Senator Odescalchus certam pecuniæ summam pro instruenda ibidem Bibliotheca assignat. ibid.
Cribellus Jo. Thomas aureorum sex millia pro extruendis ibidem ædibus persolvit. ibid.
Loyrani prædia eidem Collegio assignata. ibid.
Scholæ Scientiarum sub eorumdem Patrum Disciplina eo in loco aperiuntur. 227
Præcipuos Societatis Jesu ac doctissimos Institutores ad id Lycæum S. Carolus advocat. ibid. (a)
Braydenses Ædes primum S. Philippi Nerii Sociis a S. Carolo designatæ. 209 (a).
Deinde Societatis Jesu Patribus concessæ. ibid.
Horum Collegium Summi Pontificis liberalitati a S. Carolo paulo ante obitum per Literas commendatum. 761 (a)
Brebiæ Canonici in Mediolanense Templum S. Thomæ a S. Carolo translati. 246
Brennus Pagus a S. Carolo lustratus. 530
Breviarium Ambrosiani ritûs Pastoralibus S. Caroli Literis commendatum. 627 (a)
Breviarium Novocomensis Ecclesiæ a S. Carolo emendari, Episcopus Novocomensis exoptat. 631 (a)
de Brocardis Gulielmus S. Matroniani Eremitæ Corpus reperit. 438 (b)
Brippiensis Præfectura a S. Carolo reditibus aucta. 204 (a)
Brippius Eques Sfortia S. Caroli extincti oculos clausit. 769 *in nota*.
Brixiam Societatis Jesu Patres, S. Carolo adnitente, vocati. 227 (b)
Brixia peste afflicta. 348
S. Carolus eam in tanto periculo invisere deliberaverat. ibid. (d)
Episcopus in tanta calamitate eam deseruit. ibid. (c)
A S. Archiepiscopo per Literas increpitus. ibid.
Illac S. Carolus Venetiis redux pertransit. 504 (c)
Ejusdem Urbis, ac Diœcesis lustrationem Cardinalis suscepit. 536 (d) 544 (a)
Quo tempore Borromeus illius Ecclesiæ lustrationem perfecerit. 594 (c)
Illic degens quatuor Sanctorum Brixiensium Antistitum Corpora ex Arce in Basilicam maximam transtulit. ibid.
Decreta Generalia memoratæ Visitationis typis commissa. 599
Ejus Urbis Episcopo morienti S. Carolus extrema pietatis officia præstat. 476 (c)
Brixienses Moniales a S. Carolo perfectam in Claustris vivendi normam recipiunt. 545
Brixienses Virgines quamplures S. Ursulæ Societati, S. Carolo suadente, nomen dederunt. 546
Brixiense Capuccinatum Asceterium a S. Carolo excitatum. 546
Brixienses S. Carolum ad lustrandam Diœcesim illam advenientem magnâ pompâ excipiunt. 523 (a)
Totam Diœcesim Borromeus circuit, & ad meliorem Christianæ vitæ normam reducit. 528 (b) (c) & seqq.
Bruna-Vallis a S. Carolo visitata. 746
Brutus Guarinus, Vir doctus, Federici Borromei Institutor. 541 (b)
Bugellæ S. Carolus fuit. 758 (b)
Büntiner Ambrosius Uranienſis Catholicorum Legatus ad Concilium Curiense. 740 (a)
de Burgis Hieronymus falsum contra P. Galiardum, plurescque alios Catholicæ Fidei patronos testimonium profert. 719
Busti aliquot dies S. Carolus fuit. 599
Dum illic Sacrum faceret, Illius facies cælesti fulgore coruscavit. ibid.
Ferrum Dominicum ad Quadragesimales Conciones ibi habendas Ticino advocat. ibid.
Ibidem residêre Collegium Canonicorum S. Carolus jussit, quod prius Olgiati morabatur. 231

C

CAccivium a S. Carolo lustratum. 667
Cæpolius Balthassar a Cubiculo S. Caroli. 583 (b)
Cæremoniarum Magister, ac Pro-Magister a S. Carolo instituti ac Metropolitano Clero aggregati. 120 (d)
Cæsius Cardin. Bononiæ Legatus Carolum orat, ut asperam dormiendi rationem aliquantisper mitiget, & quod ab Eo responsum tulerit. 434 (b)
Caffarus a S. Philippo Nerio designatus, a S. Carolo inter familiares suos adscitus. 76 (c)
S. Caji Mediolan. Antistitis exuviæ in Basilica Naboriana servatæ. 216
Caimus Metropolitanæ Mediolan. Canon. Ordin. antea Medicus. 219 (c)
In sacram solitudinem se recipit, ut sacris exercitationibus vacet. 892 (a)
Calanca in Valle Templum Deiparæ sacrum in vertice Montis locatum S. Carolus invisit. 696 699
Calendaria emendationis Gregorianæ Mediolani venalia prostare impetrat S. Carolus. 630
S. Calimerii Præposituræ reditus Canonicis Ordinariis Ecclesiæ Mediol. attributi. 118 (b)
Caloltium a S. Carolo lustratum. 664 (b)
Camairanus, olim Arcus-Marianus, Novarienſis Agri Vicus. 393
Ibi S. Carolus Augustam Taurinorum procedens moram habuit. ibid. (a)
Camaldulensem ad Eremum S. Carolus Romam pergens deflexit. 477 (d)
Cœnobitas illos Mediolanum inducere decrevit. ibid.
Camaldulenſis Monachus adventum S. Caroli ad illam Eremum prævidet. 248 (d)
de Cam Antonius Mesaucorum Primas, ob favorem S. Carolo præstitum ad Curiam vocatus. 718 (d)
Camonicam Vallem S. Carolus ingreditur. 530 & seq.
Campaina Laurentius, seu Levata, Ordinis Humiliatorum contra S. Carolum conspirat. 183 (a)
Campegius Camillus Ord. S. Dominici, Mantuæ Fidei Quæsitor. 150 (d) 151 (c)
Campi-Mortui Ecclesia a S. Carolo visitata. 743 (a)
Ibi Sacra faciens SS. Eucharistiæ Sacramento Dorotheam Brunsvicensem reficit, & sermonem ad populum habet S. Carolus. ibid.
Campus Bernardinus Bobiensis Episcopus Actorum Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ Mediolan. Volumen in Sinarum Imperio reperit. 165 (a)
Candor animi mirus in S. Carolo. 1020
Canegratum a S. Carolo luſtratum. 673
Canetum Brixienſis Agri S. Carolus luſtravit. 529
Canigianus Alexander Aquarum-Sextiarum Archiepiſcopus S. Carolum Mediolani convenit, & in Diœceſis luſtratione comitatur. 746
Cannobienſe Templum ſub Architecti Peregrini ſchemate extructum. 601
Cannobii S. Carolus Templum excitari curat. 663 (a)
Noctem integram precibus ad Deum effuſis ibidem tranſegit. 762 (b)
Aſconâ illuc revertitur febri correptus, & in Ædc Sanctæ Pietatis ſequenti die Sacrum facit. 763 (a)
Canonicæ Ædificia, & horti in jus Seminarii Mediolanenſis translata. 209 (a)
Canonici Baſilicæ S. Ambroſii Mediol. Cappis violaceis a Pio IV. decorati. 115 (b)
Canonici Eccleſiæ S. Theclæ a S. Carolo Eccleſiæ Metropolitanæ addicti. 116 (c)
Canonici Ordinarii Eccleſiæ Metropol. Mediolanenſis. 116
Cappis purpurei, violaceique coloris utuntur pro temporum diverſitate. ibid. (b)
Pluribus reditibus a S. Carolo impetratis donati. 118 (a) (b)
A S. Carolo trifariam diviſi. 119
Quatuor ex iſtis tres Helvetiorum Valles, Comitum nomine, poſſederunt. 139
Canonicorum Collegia Mediol. quo tempore communiter vivendi normam amplexa fuerint. 370 (a)
Hanc S. Carolus reſtituere fruſtra tentavit. ibid. & ſeq. (a)
SS. Cantianorum Martt. reliquiæ in Confeſſione Templi max. a S. Carolo collocatæ. 367 (b)
Cantium a S. Carolo v[illegible]atum. 746
Canturienſes S. Mariæ Moniales ſub Cluniacenſis Abbatis tutela. 601
Canturii Præpoſitura a S. Carolo erecta. 620 (b)
Canturium a S. Carolo transfertur Collegium Canonicorum, Galliani antea reſidens. 131 204 (a)
de Canutis Rochus ab adverſæ factionis aſſeclis Porletiæ occiſus. 623 [a]
Exortæ ob hanc cædem inimicitiæ a S. Carolo ſedatæ. ibid.
Cappacellus Hieronymus Placentini Epiſcopi frater. 650 [a]
Caprarola, Cardinalis Farneſii Villa, a S. Carolo inſpecta. 493 [b]
Et improbata. ibid.
Capriaſca Vallis a S. Carolo viſitata. 624 [c]
A Trevicenſi Epiſcopo luſtrata, Ejus juſſu. 111 [b]
Capuccinarum Inſtitutum a S. Carolo in Mediolanenſem Urbem inductum. 427 [a] [b] & ſeq. 431
Capuccini nonnulli Limocomiis Mediolan. inſervientes peſtem contrahunt, & præclara morte occumbunt. 313 [d]
Iiſdem certæ ſedes in Helvetia deſignatæ. 411 549 & ſeqq.
Eorum Cuſtos Lugani in vincula conjectus. 213 [a]
Iidem Mediolanenſibus Peſte laborantibus opem ferunt. 282 [d]
Iis Aſceterium ad Vicum-Martis a S. Carolo excitatum. 595
Alia quoque Uraniæ, & in Subſylvania. 601
Aliud Porletiæ conditum. 622
Eorum Sacra Ædes prope Cannobium a S. Carolo conſecrata. 985
Carabellius Antonius Maria Carmen in laudem S. Caroli conſcripſit. 803
Carabellus Sodalitii Oblatorum, Celanenſis Seminarii Rector. 93 [a]
Caraffæ familiæ reconciliationi cum Romana Sede S. Carolus favet. 132 [c]
Cavariæ Monaſterium Virginum a S. Carolo everſum. 105 [a]
Caravagii bona ab Humiliatis relicta, Seminario Mediolanenſi aſſignata. 646
Carcanus Leo Jo. Baptiſta Corpus exanime S. Caroli exenterat. 772 779 [a]
Exenterationis S. Caroli narrationem elucubravit. 803
Cardanæ prædia a S. Carolo Mediolanenſi Seminario aſſignata. 246 [c]
Cardinales S. R. Eccl. S. Carolus amoris, & reverentiæ officiis proſequitur. 871 877
Hujuſce dignitatis decus et Ipſe ſervare non omiſit. ibid.
Carduinus Marius a Joanne Auſtriaco Legatus ad S. Carolum miſſus. 406 [b]
Carignani in Carthuſianorum Monaſterio S. Carolus poſt mortem a Donato intentatam ſe recipit, ut totum orationi ſe dedat. 190 [b]
Caritas Annonæ Mediolanenſem Urbem vexat. 209
Ea ſæviente S. Carolus abunde cibos pauperibus diſtribui jubet. ibid. [b]
Eadem iterum ſæviente S. Carolus pro pauperibus alendis ſubſidia comparat. 411
Caritatis Societas a S Carolo inſtituta. 129 [a]
Carlettus Joannes Meſauci Miniſtralis ob adjutricem S. Carolo præſtitam manum Curiam vocatus. 718 [d]
Carmelitani Ordinis aliquot Sacerdotes peſte laborantibus in Agro Mediolanenſi peramanter inſerviunt. 213 [d]
Carmia Margarita Sacram Syndonem Civarone in Sabaudia relinquit. 387
Carnagus Cornelius S. Caroli in Hiſpania Procurator. 555 [a]
Carnagum e Seprii ruinis translatum a S. Carolo Collegium Canonicorum. 131
S. Carolus; e qua ſtirpe progenitus. 3
Ejus Affines. 4 & ſeq.
Quo anno natus. 8
Zona lucida Ejus ortum portendit. 8 (c)
Quæ fuerint Ejus ſtudia erga Deum, & qui profectus in Scientiis ab ineunte ætate. 9 & ſeq.
Puerulus pomorum multitudinem in varios ordines diſtinxit, & quare. 9
Clericali Militiæ adſcriptus. ibid.
Deiparæ Templa ſæpenumero devotus inviſit. 10
Ab æqualibus ob cultum pietatis deriſus. 11, & 13
Aronenſi Sacerdotio donatus, illius patrimonii adminiſtrationem ſuſcepit, reliquam cenſuum partem in pauperes erogans. 11, & ſeq.
Illius Diſciplinam collapſam reſtituit. 14
Ticini Juriſprudentiæ operam dedit. 12
Poſt obitum patris domeſticas res adminiſtrat. 14
Fœminæ tentamenta præcoci fuga ſuperat. 15
Ticini infirmatur, & ad levandam animi moleſtiam Muſicæ operam dat. ibid.
Romagnani, & Calvenzani Sacerdotiis donatus. 16
Juris Utriuſque laureâ Ticini, nec ſine portento, inſignitur. ibid.

Digitized by Google

Romam ab Avunculo Pio IV. vocatus Eccleſiaſticis Dignitatibus cumulatur. 18
S. R. E. Cardinalis, & Mediolani Archiep. renunciatur. 18 (c)
Publico Conſilio in Alma Urbe præfectus. 20
Vaticanarum Noctium Academiam inſtituit. 21 (b)
Novas pellicis illecebras in Villa Romæ proxima fugâ victor eludit. 23 (a)
Præclara virtutum ſuarum indicia præbet. 24, & ſeqq.
Supremo Pœnitentiæ Tribunali quo tempore præfectus. 26 (a)
Quamplurimorum Religioſorum, ac Equeſtrium Ordinum protectionem ſuſcipit. 27
Poſt mortem Federici fratris ſanctiorem vitæ normam amplectitur. 28 (c) (d)
Haud multo poſt ad Sacerdotium ſe promoveri curat. 29 (c)
Die Sacro Ordinationis S. Ambroſii Epiſcopus inungitur. 30 (c) & 73
Collegium educandæ Nobili juventuti Ticini condit. 31 (a) (b) (c)
Tridentini Concilii felicem exitum curat. 33
Tridentum frumenti copiam transferri mandat. ibid. (a)
Literis, ac conſilio ad illud perficiendum Eccleſiæ Patres ſolicitat. 35 (a)
Eo adnitente, Catechiſmi Romani editio perficitur. 36 (c) & ſeq.
Noctu Templum Deiparæ in Eſquilino flexo poplite aſcendit. 38
Pauperibus puellis dotalia ſubſidia ſuppeditat. ibid. (d)
Domeſticam familiam reformat. ibid. (e)
Frequenter ad Paſſionis Domini contemplationem incumbit. 39 (a)
Dialecticæ, ac Theologicæ facultati operam dat. 40 (c)
S. Praxedis Titulo ornatus, eamdem Sacram Ædem ære ſuo reſtaurat. 41 (a)
Uritano Principatu a Catholico Rege donatus. 42 (b)
Quàm multas ſubſtructiones Sacris Ædibus magnificentiſſimè addi ære ſuo curat. ibid. (c)
Romæ degens primam Diœceſanam Synodum per Ormanetum cogi mandat. 44
Seminarium Clericorum Mediolani inſtituit. 46 (e)
Mediolanum adeundi veniam a Pontifice impetrat. 47 (b) (c)
Quos inſignes doctrinâ Viros ſecum adduxerit. 48
Itineris ab eo tranſacti ſeries. 49 (a)
Bononiâ pertranſiens pro illius Urbis optimo regimine plura ſanxit. ibid. (a)
Solemni ritu Mediolanum ingreditur. 50 51 (a) (b) & ſeq.
Primum Mediolani Sacrum peragens Orationem ad populum habuit. 52
Concilium Provinciale celebravit. 53 (a) & ſeqq.
Avunculo Pont. Max. morienti adſtat. 57 (b)
Comitiis Romæ habitis pro eligendo Succeſſore intereſt. 58
Quantâ modeſtiâ Avunculi Pii IV. Sepulcrum inſtrui juſſerit. ibid. (c)
Michaelis Ghiſlerii in Pontificem Max. electioni favet. 59 (a)
Henrico Cardinali Luſitaniæ literas dat. 60
Alias Sebaſtiano Luſitaniæ Regi. 61 (a)
Pium V. recens electum de graviſſimis rebus ad Eccleſiæ regimen pertinentibus admonet. 62
Eidem Pontifici approbandam offert primam Synodum Provincialem Mediol. 62 (b)
A Pio V. Eum Romæ retinere cupiente, Mediolanum redeundi enixis precibus facultatem obtinet. ibid., & ſeq. (a)
Ob Humiliatorum Ordinem reformandum Bullatas a Romana Sede Literas recipit. 63 (b)
Mediolanum reverſus familiam ſuam reformat. 64 (c) (d)
Diœceſis ſuæ moribus informandis ſe totum devovet. 71
Quo animo, quibuſque auxiliis arduum hoc opus aggreſſus ſit. 72
Ob ſolicitam S. Ambroſii Prædeceſſoris ſui imitationem alter Ambroſius appellatus. 73
Abbatias quamplures Pontifici Max. reſignavit. 74
Hæreditatem fraternam venumdari, pretiumque pauperibus erogari jubet. 74 (c)
Avunculi Pontificis ſimulacrum, quod penes ſe habebat, illius tumulo apponi jubet. ibid.
Familiæ ſuæ mores componit. 75, & ſeq.
Quæſitori Fidei in Mediol. Provincia CC. nummos annuos ex proprio patrimonio aſſignavit. 76 (b)
Priuſquam Domeſticos ſibi addiceret, tyrocinio probabat. 77
Familiarium ejuſdem Officia quo ordine diſtributa. 78, & ſeq.
Cenſores binos delegit, ut, ſi in quo peccaſſet, ſe liberè admonerent. 79
Leges ad Divinum cultum pertinentes Familiaribus ſuis a S. Cardinali præſcriptæ. ibid., & ſeq.
Communi menſa reſici, & quampluribus per anni circulum jejuniis eoſdem macerari præſcripſit. 81, & ſeq.
Mores eorum integerrimi. 86 (b)
Viginti ex hiſce Familiaribus ad primos Eccleſiæ honores promoti. 83
Quos Miniſtros ad Provinciæ ſuæ regimen delegerit, & quo ordine diſtribuerit. 84
Vicarium Generalem inſtituit. 85
Duos Vicarios Civilibus, ac Criminalibus cauſis dijudicandis. 86
Fiſci Procuratorem, atque Auditorem deſignavit. ibid
Cancellarii munus uni ex Metropolitani Templi Canonicis detulit. ibid.
Curiæ ſuæ leges præſcripſit. 86 (c) (d) & ſeq.
Ara in Carceribus pro Miſſæ Sacro celebrando a S Cardinali erecta. 88
Præfectos in Urbe Mediol., & Luſtratores in Diœceſi pro recta Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione curanda collocavit. ibid.
Vicarios LX. in Diœceſi conſtituit. ibid. & ſeq.
Monialium Aſceteriis Vicarios, ac Protectores deſignavit. 89
Seminaria inſtituit. 90 (b) & ſeq. 93 (a)
Mediolani Seminarium ejus juſſu magnificè ædificatum. 91 (a) (b) & ſeq.
Canonicæ Seminarium ab Eodem Mediolani erectum. 92 (d)
Prope Fulcuini ſacram Ædem minus doctos Animarum Rectores, ac Sacerdotes erùditi curat. ibid. (e)
Seminarium ad S. Joannis ad Domos ruptas aperuerat. ibid. (f)
Nonnulla alia in Diœceſi. 93 (a)
Typographiam in Seminario excitavit. 98 (d)
Qua diligentia Seminarienſes Clericos probaret, ante-

Digitized by Google

antequem eos admitteret. ibid. (a)
Concilii I. Provincialis exemplaria ad quosdam Archipræsules transmisit. 100, & seq.
Quàm sedule Hæreticorum insidiis occurrere satageret. 101
In Sacerdotum mores diligenter inquirit. 103 105
Sanctimonialium Claustra emendare studet. 104 (a)
Doctrinæ Christianæ Scholas aperit. 105 (b)
Chrismatis Sacramento Mediolanenses Cives inungit. 106
Patres Societatis Jesu Mediolanum vocat, iisque certas ædes assignat. 107 (b)
Patribus Congregationis S. Pauli utitur administris. 107 (d)
Leges indicit pro Paschalis Communionis præcepto ab omnibus in Diœcesi servando. 108
Ob curatam morum integritatem calumniis lacessitus. 108, & seq.
Pedibus, & quandoque sarcinas deferens Diœcesim lustrat. 110, & seq.
Sanctissimam Eucharistiam frequenti populo impertitur. 113
Summo studio perditos hominum mores in Diœcesi corrigere nititur. ibid.
Quot Sacras Ædes suis manibus consecraverit. 113 (a)
Templi Maximi Mediol. lustrationem suscipit, ejusque dignitatem restituendam curat. 116 (a)
Hierarchiam hujusce Cleri reformat. ibid. (b)
Collegium Canonicorum ab Eod. Card. pluribus reditibus auctum. 117 (a) 118 (b)
Novos perutiles Ministros Metropolitano Clero adjungit. 119, & seq.
Odeum excipiendis honorifice Magistratibus in Templo Max. fieri jubet. 122 (d)
Ejusdem Templi decorem, ac majestatem auget. ibid. & seqq.
Ecclesiarum Urbis Mediol. lustrationem aggreditur. 124
Disciplinatorum Sodalitates instituit. ibid.
Triduanam Litaniarum ritum restaurat. 126, & seq. (a)
Oblationum Templo Max. ab Urbis Regionibus delatarum profanos usus delet. 128 (c)
Mediolanensium docilitatem, ac pietatem laudat. 129 (a)
Quamplures in Urbe ac Diœcesi Societates instituit ad cultum SS. Sacramenti promovendum. ibid.
Humiliatorum Religionem ad rectam vivendi normam revocare curat. ibid. (b)
Nonantulæ, & S. Andreæ in Belgio Sacerdotia dimittit. ibid.
Diœcesis lustrationem prosequitur. 130 (b)
Pravos Civium mores reformare curans in gravissimas incidit tempestates. 132, & seq.
Ob captum, exilioque damnatum Satellitii Archiepiscopalis Curiæ Circitorem Sacris interdictum hujus sententiæ Auctoribus pronuntiat. 136
Objecta sibi a Regio Ministro diluit, eique Romam pergenti apud Pontificem Max. deprecatorias literas dat. 138
Helvetiorum Valles lustrare aggreditur. 139 (b)
Controversiarum exitum a Summo Pont. quinque Cardinalium examini commissum pacato animo expectat. ibid. (a)
Expleta lustratione, Sacerdotes Vallium ad Concilium convocat, & ad bene agendum hortatur. 142 (c)
Vix Mediolanum redux, Varisium adit. 143 (a)
Cremonam ad Comitia universi Ordinis Humiliatorum accedit. 143 (a)
Omni nisu contendit eos ad Sanctiorem vitæ disciplinam revocare. ibid.
Leges sancit pro recta Conventualium S. Francisci Fratrum institutione. 147 (a) & (b)
Tentanti Carolo ad perfectam Instituti methodum Amedæos Fratres revocare, isti nequaquam assentiuntur. 148 & 149 (a)
Pontificii Legati nomine insignitus, Mantuam petgit, & quam feliciter ibi omnia expedierit. 149 & seqq.
Mediolanum reversus Diœcesanam Synodum celebrat. 154 (d)
Suis in Ædibus Cleri Præfectos hospitio excipit, & ære suo alit. ibid. (f)
Collegium ad tutandam mulierum pudicitiam, antea Mediolani institutum confirmat, & auget. 156 (a) & seq.
Trans flumen vectus, mediis in aquis a deferente dimittitur. 159
Dæmonem variis terroribus Monasterium Virginum Modoëtiense vexantem compescit, & fugat. 160
Quo ordine Concilia indiceret, & teneret. 161
Theatinos Clericos Mediolanum advocat. 166 (b) 167 (a)
In S. Fidelis Templi fundamentis primum Lapidem ponit. 167
S. Mariæ Scalensis Templum lustrare aggreditur, a quo vi, atque armis repellitur. 168 & seqq. 171 (b)
Qua moderatione tantam contumeliam tulerit. 172 (c) (d)
Contra offensores Sententiam Execrationis pronunciat. ibid.
A quibusdam Humiliatorum Ordinis Fratribus petitur ad necem. 183, & seqq.
Hac super re longam scribit ad Ormanetum Epistolam. 185 (b)
A tanto periculo divinitus servatus. 186 (b)
Albuquerœi Ducis, & omnium Urbis Ordinum plena amoris, & gratulationis erga Eumdem officia. 187, & seq.
Quam pacato animi sensu de intentata sibi nece ad Summum Pont. scripserit. 189
Carignanum Carthusianorum Monasterium adit, ubi se totum precibus devovet. 190 (b)
Superbiæ irrepentis vitium quam caute compresserit ea occasione. ibid. (c)
Regios Ministros sibi antea adversantes, & Ecclesiasticis Censuris illigatos præ Templi Max. fotibus ad Sacrorum communionem recipit. 193
Scalenses Canonicos omni pœnarum vinculo absolvit. 194, & seqq.
Ad Pium V. Pont. Max. literas dat. 199 (a)
Reos intentatæ in se ipsum mortis excusare nititur. 200 (c), & seqq.
Pœnas in eosdem inflictas mitigari omni nisu contendit. 202 (b)
Collegium Societatis Jesu Patribus in Supremo Pœnitentiæ Tribunali Romæ excitat. 204 (a)
Helveticas Valles iterum lustrat. 203, & seq.
Subsilvaniam invisit. 205
Einsidelense Monasterium, aliudque apud Constantiæ Lacum visitat. 206 (b)
Pro emendandis Fratrum Humiliatorum moribus quæ remedia proposuerit. 207 (a)

Pre-

Digitized by Google

Precibus apud Pontificem Max., ne hic Ordo antiquaretur, fruſtra intercedit. 208 (b)
Eodem Ordine extincto, quamplures reditus ad populi ſui utilitatem a Summo Pontifice impetrat. 208, & ſeq. (a)
Populum Mediolan. annonæ caritate laborantem ſublevat. 209
Catholicam Fidem in Helvetiæ finibus periculo liberat. 212, & ſeq.
Ob nimios exantlatos labores febri correptus. 214 (c)
Mitiorem vivendi normam ſuadentibus quod reſpouſum dederit. 215 (a)
Morienti Albuquercio poſtrema caritatis officia perſolvit. ibid. (c)
Reliquias SS. in Naboriana Baſilica ſervatas inviſit. 216 (c) (d)
Licèt ægrotus, ad Comitia pro eligendo novo Pontifice Romam properat. 217, & ſeq.
Electionem Gregorii XIII. in Summum Pontificem promovet. 219
Qua de re Chriſtiani Principes Eidem per literas gratulantur. Ibid. (a)
Româ diſcedens a novo Pontifice quamplura pro Eccleſia Mediolanenſi beneficia impetrat. 221 (a)
Noctem integram in Lauretana Ædе tranſigit. 222
Mediolano reſtituitur. ibid. (b)
Rigidiorem vivendi normam amplectitur. 223 (a)
Se ampliſſimis Præfecturis abdicat. ibid. & ſeq. (a)
Patres Soc. Jeſu in Braydæ Cœnobium advocat, ibique Scholas aperit. 226 & ſeq.
Quampluribus etiam in Urbibus ejuſdem Societatis Alumnis Collegia aperiri curat. 227 (b)
Graves iterum tumultus in Eum excitati. 228 (c) & ſeq.
Provinciæ Moderatori Sacris interdicit. 231 233 (b)
Eumdem poſtea Eccleſiæ reconciliat. 234 & ſeq.
Collegium Nobilium Mediolani excitat. 236
Adventum Chriſti religioſo ritu celebrandum Mediolanenſi populo ſuadet. 238 (d)
Bacchanalium licentiam damnat. 238 (e)
Henricum Galliæ Regem Modoëtiæ inviſit. 239 (b) 241 (b)
Congregationem Vicariorum Plebium Diœceſis convocat. 244 & 244 (b)
Canonicorum Collegium in Ædе S. Thomæ Mediol. inſtituit. 246
Et aliud Beſutii. ibid.
De colligendis in unum hoſpitium pauperibus conſilium init. ibid. (d)
Romam ob celebrandum Jubilæi Annum proficiſcitur. 247 & ſeqq.
Ejus itineris deſcriptio. 249 (a) (b)
Romæ eximia pietatis exempla relinquit. 250 (d) 251 (a)
Crebra cum Pontifice Max colloquia init, eique quamplura ad Eccleſiæ utilitatem pertinentia ſuadet. 252
Viſitatorem Apoſtolicum Eccleſiæ Mediolanenſi aſſignari poſtulat. 253 (a)
Quamplura ad Eccleſiæ ſuæ ornamentum a Pontifice Gregorio impetrat. Ibid. (b)
Mediolanum reverſus Pontificium Viſitatorem excipit. 255 & ſeqq.
Cremonenſem Diœceſim interim Ipſe luſtrat. 257 (a) (b)
Bergomum concedit, ibique magnifice excipitur. 258 (c) (d)
Quid in illius Urbis ac Diœceſeos viſitatione peregerit. 259 (a)
Quanto amore S. Philippum Nerium, illiuſque Oratorii Patres ſit proſecutus. 260 (c) & ſeq.
Jubilæum Mediolani a Pontifice Max. conceſſum celebrat. 261 & ſeqq.
S. Monæ exuvias in Templum Max. transfert. 264 271
Soleas calceis detrahit, ut nudis plantis incedat. 265 (a)
SS. Fidelis & Carpophori exuvias in Templum PP. Societatis Jeſu ſolemniter transfert. ibid.
Severiorem vivendi normam amplectitur. 268 & ſeq.
SS. Victoris, & Satyri corpora in novam Portianam Baſilicam ſolemniter tranſfert. 270 (d)
Epiſcopo Laudenſi exequias celebrat. 275 (a)
Quæ Mediolani peregerit in acerbiſſima Peſtis calamitate. Ibid. & ſeqq.
S. Urſulæ Virginum, & S. Annæ Matronarum Sodalitia ab Eo inſtituta. 276 (c)
Teſtamento obſignato, ſe totum civibus Peſte laborantibus devovet. 277 278 (b) & ſeqq.
Clavam argenteam & vaſa pretioſa ob excudendos ex eis nummos ad Monetarios mittit. 280 (b)
Cœnobitas ad opem Peſte laborantibus ferendam hortatur. 281 283 (c) 307
Familiares ſuos cum vitæ periculo ſe comitari renuentes ad omnem depellendum timorem inducit. 282
Nullum ex ejuſdem aſſeclis peſtilentiæ morbus inficit. 283 (b)
Præcepta, & regulas condit pro adminiſtrandis cautè in contagionis periculo Sacramentis. 287 (b)
Patricios Viros ad bene adminiſtranda Urbis infectæ morbo negotia deſignat. 289 (b)
Plebem omni ope deſtitutam ſuſtentat. 291 (a)
Pauperes in unum colligit, ac ſuis ſumptibus alit. 292 (c)
Nudato aulæis Palatio ſuo, eoſdem veſtibus donat. 293 (a)
Ad mitigandam Dei iracundiam ſupplicationes inſtituit. 296
Crucis Vexillum nudis pedibus geſtans, vulnus in ferrum impingens excipit. 297
In Baſilica Ambroſiana Sermonem de pœnitentia ad populum habet. ibid. (c)
Item in altera S. Laurentii. 298
Ad Deiparæ prope S. Celſum Ædem Clavum Chriſti morientis ſanguine conſecratum ſupplicabundus geſtat. 299 (a) & (b)
Urbis Primores hortatur, ut votum S. Sebaſtiano nuncupent. 301
Mediolanenſibus intra domos proprias incluſis preces, & piam vivendi normam præſcribit. 315 & ſeqq.
Ad levandam pauperum inopiam ære alieno gravatur. 305 (a)
Limocomia frequenter inviſit, & lue infectis Sacramenta adminiſtrat. 306 (c) (d) & ſeqq.
Crucis ſigno puellam morti proximam ſanat. 314 (b)
Quam tranſigendi temporis rationem, vigente peſtilentia, ſibi præſcripſerit. 317 (a)
Lue infectis, ac morti proximis Eccleſiæ Sacramenta manu propria miniſtrat. 318 & ſeqq.
Sæviente peſte, aſperius vivendi genus inivit. 319 (a) 333 (a)

Mori-

Digitized by Google

Monitus ut pericula vitaret, quid responderit, 320 (b)
Agrestem populum pestilentiâ laborantem invisit. 325 (a)
Peste interiisse ab aliquibus creditur. 329 (a)
Acriori voce populi vitia reprehendit. 331 (b)
Brixiensi Episcopo opportuna, dum pestilentia serperet, consilia suppeditat. 332 (c)
Radendæ a Clero suo barbæ Decretum promulgat. 334 (b) & seq.
Jubilæum a Romano Pontifice liberaliter concessum Mediolani celebrat. 337 (a)
Primum Quadragesimæ Dominicum diem justis innixus fundamentis, a licentia liberat. ibid.
Pastorales literas in lucem edit, ut convulsis vitiorum radicibus Virtutum semina in populo spargat. 340 (b)
Templum Mediol. Maximum solemniter lustrat. 341
SS. Clavum, inita supplicatione, Urbe circumfert. 346
Quadraginta horarum spatio ad hoc venerabile Pignus venerandum in Templo Max. moram trahit. ibid. (c)
Primum lapidem pro extruendo Sebastiani Mart. novo Templo in fundamentis deponit. 349
Citato cursu ob seditionem compescendam ad Helveticas Valles proficiscitur. 350
Sedatâ Pestilentiâ gratias Deo agit. 351 (b) (c)
Fontanam Joannem ære suo Romæ alit. 354 (d)
Metropolitanam Basilicam solemni ritu consecrat. 355
Curiæ Archiepiscopalis disciplinam restituit. ibid.
Pro Ecclesiastici juris defensione contentiones habet. 357 & seqq.
Invictâ animi constantiâ illatas perturbationes sustinet. 363 (b)
Collegium Canonicorum e Ponte-Aureoli in Basilicam S. Stephani transfert. 366 & seq.
Plurium Sanctorum exuvias in Confessione Templi Max. deponit. 367
Leges condit pro rectè ineunda sacrarum Stationum visitatione. 368 (c) & seq.
Quintam Diœcesanam Synodum convocat. 369
Vitæ communis normam in Collegia Canonicorum inducere frustra nititur. 370 (a) & seq.
S. Crucis Societates instituit. 371 & seqq.
Pauperibus tum viris, tum fœminis domicilia comparat. 373 & seq.
Oblatorum Sodalitatem instituit. 375 (b) & seq.
Seminariorum curam incumbere iis voluit 385 (a)
Ad invisendam Sacram Syndonem Augustam Taurinorum contendit. 386 & seq.
Peregrinantis habitu cum XII. sociis hoc iter aggreditur. 390 (c) & seqq.
Qua pompa, & comitatu a Sabaudiæ Duce exceptus fuerit. 395 (c) & seq.
Lacrymis, suspiriisque Sacram Syndonem veneratur, & frequentissimo populo unà cum aliis Episcopis ostendit. 398 & seq.
E suggesto animos ad ejusdem venerationem accendit. 399 (b) (c)
E Taurinis ad Varalli Montem digreditur. 403 (a)
Itinere per Verbanum lacum suscepto Mediolanum revertitur. 405 (a)
Literas dat Henrico Lusitaniæ Regi. 406 (c)
Alias quoque Alberto Cardinali Austriaco. 407 (a)
Post mortem Ferdinandi Hispaniarum Principis Epistolam ad Philippum II. Patrem Catholicis monitis refertam conscribit. 409 (a)
Paupertbus Urbis ciborum caritate afflictis subsidia comparat. 411
Sveciæ Regem per literas hortatur ad Catholicam Fidem in Regno suo tuendam. 411
Hæreticos Milites ab Agro Mediolanensi amoveri curat. 411 & seq.
Modoëtiensibus Ambrosianæ Ecclesiæ ritus restituere frustra contendit. 413 415
Quibusdam Monialium Parthenonibus in agro Mediolanensi constitutis novam Mediolanensi in urbe sedem figere meditabatur. 412 & seq.
Jurisdictio Ecclesiastica in controversiis contra illum agitatis ab Eo viriliter defensa. 417 & seqq.
Hujus causæ exitum precibus Deo commendari jubet. 419
Dierum Festorum violatores Ecclesiasticis pœnis subjicit. 420 (b)
A Verbi Dei præcone injuriis e suggesto adpetitus. 423
Quanta patientia, atque animi moderatione contra eumdem se gesserit. ibid. (a) & seqq.
S. Praxedis Asceterium Capuccinarum instituit. 427 & seq.
Earumdem Monasterium a fundamentis erigi curat. 429 (b) (c)
Concilium V. Provinciale convocat. 432 (c)
Patres in eo congregati; ut lenius erga se ipsum ageret, exorarunt. 433 (b)
Nonnullorum Sanctorum Reliquias in Basilica Apostolorum inventas recognoscit, & earumdem translationem cum Episcopis Provinciæ celebrat. 435 & seqq.
SS. Fidelis & Carpophori Martt. ossa Aronâ Mediolanum antea translata in novo S. Fidelis Templo solemniter collocat. 439 (c)
Pro avocandis ab impuro quæstu meretricibus domicilia in urbe aperit. 441 (a)
Barnabitarum Constitutiones expendit, præscribit, & approbat. 449 (a)
Fratribus Sancti Ambrosii ad Nemus leges indicit. 451 (a)
Viglevanensem Diœcesim lustrat. 453 (a)
Brixiensis Visitatio quo verè tempore delata Illi fuerit. 455 (a)
Colonicnsem Ecclesiam ab Hæreticis vexatam subsidiis conquisitis, & prece tuetur. 458 & seq.
Helveticum Collegium Mediolani condit. 460 (b) & seqq.
Sodalitas sacra ibidem instituta. 466
Gratiæ ad Helvetiis ob hoc Collegium conditum Eidem actæ. ibid. (b)
Pro impetrandis aliis Theatinis Clericis Literas ad S. Andream ab Avellino mittit. 469
Ob defendenda Mediolanenfis Ecclesiæ jura Romam pergit. 471 & seqq. 475
Brixiam prius deflectit postrema illius Ecclesiæ Episcopo morienti pietatis officia præstiturus. 476 (c)
Inde Mantuam proficiscitur. ibid. (d)
Bononiam pergit. 477 (a)
Quinquaginta millibus passuum pedes ad Lauretanam Ædem procedit. 478 & seq. (a)
Romam intrans, magno populi plausu excipitur. 479 (c)
Tusculi dies aliquot cum Pontifice Max. moram dacit. 480 (c) & seq.
Cardinales Romæ degentes alternis vicibus ad mensam invitabat. 482 & seq. (a)
Quænam Romæ peregerit. 883 (c)

S. Phi-

Digitized by Google

S. Philippum Nerium familiariter invisit. ibid.
Cum Pontifice Max. responsiones decernit Legatis dandas Civitatis Mediolanensis nomine Romam missis. 486 (d)
Re bene transacta, Literas ad Provinciæ Episcopos mittit. 489
Edicta, quæ in controversiam venerant, renovari jubet. 490 (b)
Româ discedit, vix exceptis Legatis adversus Eum Civitatis nomine ad Pontificem missis. 491 (a)
Mediolanum properans, Florentiam ingreditur. 494
Inde Ferrariam, ubi honorificentissime excipitur. ibid. & seq. (a)
Secundo Pado Venetias descendit. 495 (b) (c)
Quibus ductus rerum momentis, eam Urbem ab Apostolico Visitatore lustrandam esse judicaverit. 498
Quot Episcopos ea in Urbe degentes invenerit. 500 (b)
Patavio, Vicentia, Verona, ac Brixia iter facit, & quanta religione ab incolis exceptus fuerit. 501 & seqq.
Civibus sibi obviam occurrentibus, festivoque plausu excipientibus, Mediolanum revertitur. 504 (c) & seq. (a) (b)
Adversariorum machinas iterum offendit, & dissolvit. 506 & seqq.
Brixiensem Diœcesim lustrare aggreditur. 523 & seqq.
Ayamontio Insubriæ Moderatori suprema pietatis officia in morte, & exequiis præstat. 524 (d) & seqq.
Erysipelate, & febri laborat. 525 (a)
VII. Diœcesanam Synodum habet. ibid.
Brixiam revertitur. 526 (a)
Brixiensis Diœceseos regiones lustrare pergit. 528 (c) 544 & seqq.
Et Camonicam Vallem. 531 (a)
Quo tempore Brixiensis Ecclesiæ visitationem perfecerit. 594 (c)
Deiparæ Ædem Tirani in Vulturenis sitam invisit. 533
Trompiam, ac Sabiam Valles adiit. 536 & seq.
Lianum ignobilem Vicum in montium jugis præsens visitat. 539 & seq.
Castilionum adiens S. Aloysium Gonzagam salubribus præceptis imbuit, & Sanctissimæ Eucharistiæ utiliter sumendæ modum docet. 540 & seq. (a)
Federici Patruelis institutionem solerter curat, eumque Clericali habitu induit. 542 (b) & seq.
Capuccinos, & Societatis Jesu Patres in Helvetiam introducit. 549 & seqq.
Ejus Decretis obversantes contumaciæ suæ pœnas luunt. 557 & seqq.
Equestris Ordinis Alcantaræ Miles Eidem infensissimus in adversis Eum Protectorem depoposcit, & obtinuit. 559
Carolum a Basilica-Petri Legatum in Hispanias mittit. 552 (a) & seqq.
Hujus Legationis fructus uberrimi. 562 (b) & seq. 565 (a)
Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis optimam indolem ad rectam paternæ Ditionis administrationem erudire satagit. 567
Synodum Octavam Diœcesanam habet. 570
Quadragesimalium Concionum munus in se suscipit, & Mediolanensis Urbis lustrationem init. 571
Sanctorum sacras exuvias in S Stephani Basilica recognoscit, ac reponit. 572 (b)
Alias quoque Sanctorum Reliquias in Æde S. Celsi inventas recognoscit. 573 (a)
Mariam Austriacam in Hispanias per Insubriam proficiscentem excipit, & Laude-Pompeja omni honoris genere prosequitur. 575 (a) & seq.
Vercellas ad colendos S. Eusebii cineres proficiscitur. 576 (d) 578 (b)
Sabaudiæ Ducem Masini invisit. 579
Magadinum perveniens, Cauponi, cujus ædes per incendium conflagraverant, pecuniâ suâ damnum restaurat. 583 (b)
In Lepontias Valles penetrat. 585 (a)
Desertinense Monasterium in Rhætia adit. 586 (b) & seq.
Ubi magno cum honore suscipitur. 587 (a) & seqq.
Ejusdem erga Austriacam Familiam studium mirificum. 591 (b)
Joannæ Austriacæ Hispaniarum Reginæ defunctæ solemni ritu parentalia celebrat. ibid. & seq.
Deiparæ Imaginem in Oppido Seroni magna supplicationis pompa transfert. 593 (a) & seq.
Sponsæ cum Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce matrimonio jungendæ delectus Eidem injungitur; & quæ hac de re consilia mente versaret. 596 & seq.
Varisium pro Monasterii S. Antonini negotiis contendit. 599
Busti cum esset Sacra faciens, Ejus facies cælesti fulgore coruscare visa est. ibid.
Conciones Quadragesimales in Templo maximo habendas cum P. Mathia Salodiensi partitur. 600
Laudensem, & Vercellensem Ecclesias propriis Episcopis destitutas tuetur, & regit. ibid.
Ragazzonio Bergomensi Episcopo mittit Libellum *Institutionum Prædicationis Verbi Dei*. ibid.
Novum Edictum contra personatos homines evulgari mandat. 602 (a)
Sextum Provinciale Concilium celebrat. 603 & seq.
Literas suo, & Provincialium Episcoporum nomine ad Rodulphum Cæsarem mittit. 604
S. Simpliciani, aliorumque Sanctorum Corpora cum Provinciæ Episcopis magnificâ pompâ circumfert. 605 & seq. 610 (d)
S. Joannis Boni Prædecessoris sui Ossa e S. Michaëlis sub Domo Æde in Metropolitanum Templum transfert. 614 & seq. (a)
Cum Cardinali Paleotto ad invisendam Sacram Syndonem Augustam Taurinorum iterum pergit. 616 (d)
Agit cum Sabaudiæ Duce de recuperanda Geneva. 617 (b)
Lucano, & Lario conterminas Diœcesis Regiones lustrat. 619 & seqq.
Cavarnionum fallacias evertere studet. 621 (a)
In obeunda Diœcesi agrestibus Ecclesiis Sacras Vestes dono dedit. 625
Ludovicum Granatensem ad novam Concionum digerendam seriem cohortatur. 627 (b)
Honorificas de eo literas etiam ad Gregorium Summum Pontificem mittit. 628
Romam denuo proficiscitur. 631
Literas dat ad Philippum II. Regem Hispaniarum. 633
De suo Romam versùs itinere Provinciæ suæ Decanum per literas certiorem facit. ibid. & 639
Quibus potissimùm de causis ad Limina Apostolorum iter suscepterit. 634 (a)
Vastallam versùs proficiscitur. 635 (a)

Sabu-

Digitized by Google

Sabulonetæ per aliquot dies moram traxit. 637
Illinc Romam versùs iter prosequitur. 641
In Ædibus S. Praxedis hospitatur. ibid. (a) 642 (b)
Romæ degens abstinentiæ, ac precibus se totum devovit. 643 (b) & seq.
Congregationem Sacrorum Rituum Romæ institui curat. 645 (b)
Visitator Apostolicus in Transalpinis, & Cisalpinis Rhætorum, & Helvetiorum partibus designatur. 647
Româ redux ad Lauretanam Ædem deflexit. 650 (a)
Pisauro, Cesena, Ravenna, & Ferraria pertransiens Parmam advênit. ibid.
Militis morte damnati vitam, & libertatem ab Aragonio Urbis Moderatore poscit, & impetrat. 654 (b)
Decimam Diœcesanam Synodum celebrat. 653 (a)
Prædicationis munus Quadragesimali tempore obit. 655 (a)
Parmam iterum contendit, ut Margaritæ Farnesiæ cum Mantuano Principe nuptæ causam cognosceret. 657 (b)
Seroni sermonem ad populum habuit, ad religionem erga Deiparam incolas excitans. 558 (b)
Monachorum S. Basilii Monasterium Mediolanense lustrat. 660
Asconensis Seminarii institutioni adjutricem manum porrigit. 661 (b) & seq.
Ob hanc causam Asconam proficiscitur. 662 (c) & seq.
Quamplura Diœcesis suæ Loca visitat. 664 & seq.
Ad Catholicæ Religionis promovenda negotia cum Jojosæ Duce Mediolani degente multa tractavit. 665 & seq.
Ut Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci ægrotanti opem ferat, Vercellas contendit. 668 (a)
Iis Civibus publicas XL. horarum preces indicit. 670
Ducem Eucharistico Pane reficit, qui convalescit. ibid. (b)
Margaritam Farnesiam Parmæ Monasticis vestibus induit, & Religionis vota ab eadem suscipit. 674 & seq.
Annam de Mannis ditissimam Virginem in S. Marthæ Mediol. Monasterio sacris Vestibus induit. 675 & seq.
Bathorium Poloniæ Regis fratris filium Romam adeuntem Mediolani excipit, & salubribus monitis informat. 677 & seqq.
Eidem inter Cardinales cooptato, quæ consilia dederit. 680
Illum in Patriam redeuntem iterum Mediolani excipit. 682 (a)
Rhæticam Legationem obiturus Catholicorum Principum officia implorat. ibid (b) & seqq.
Borsatum illuc præmittit, qui quæstiones de Maleficis instituit. 686 (b)
Mesaucum Ipse concedit, & miseram Catholicæ Religionis ea in regione conditionem suis literis describit. 687 (a)
Roveredum Pontificali pompa conspicuus ingreditur. 690
Dignissimam Ecclesiastico Principe liberalitatem ibidem exercet. 691 (a)
Quem animarum fructum in Mesaucis collegerit. 695 (a) & seqq.
Roveredi Collegium Soc. Jesu instituit curat. 698
Ad Curiense Rhætorum Concilium Legatum mittit Bernardinum Moram. 705 (c) & seq.
Quæ illi in mandatis dederit. 709 (a)
A Belitionensibus evocatus eorum oppidum lustrat. 712 (d) & seqq.
Asconam navigat, ubi Seminarii erectionem urget. 716
Fornerium in Helvetiam mittit, ut Catholicis male ab Hæreticis vexatis patrocinium comparet. 723 (a)
Ad Galliatum in Rhætia Oratorem iterum dirigit. 734 (b)
Ob impetrandum Catholicis in Rhætia diversatis auxilium P. Panigarolam Romam mittit. 725
Postremo vitæ suæ anno Congregationem Vicariorum Mediolani convocat. 724 (a) 726 (a)
Erysipelate correptus, Pastoralis officii munera non intermittit. ibid. (b) & seq.
Bacchanalium spectacula prorsus evellere contendit. 727 (a) (b) 729 (a)
Stationales Basilicas Bacchanalium tempore visitari præscribit. ibid.
In Rhaudensis Templi fundamentis primum lapidem ponit. 732 (a)
Valetudinarium pauperibus e morbo convalescentibus Mediolani aperire meditatur. 734 (a)
Singulis Quadragesimæ VI. Feriis Sermonem de Passione Domini ad populum habet. 735
SS. Rosarii Societatem in Metropolitana Basilica excitat. ibid.
Synodum Diœcesanam ultimò convocat. 737 (a)
Ut postrema caritatis officia Brixiensi Episcopo impendat, Brixiam contendit. 738
Everti in Vulturenis Hæreticorum Collegium solicite curat. 740 (a)
Collegium Canonicorum Parabiago Legnanum transfert. ibid. & seq.
Zibidum lustrans, Arcam, in qua S. Jacobi Apostoli Corpus servari asseritur, pretioso peripetasmate cooperit, donisque ornat. 744 (a)
Albensem, & Alexandrinum Episcopos consecrat. 742 745
Rhætorum saluti consulere paratissimus omnem movet lapidem, ut eas regiones lustrare queat. 747
Modoetiensis Basilicæ Collegio Almutiarum usum, & Archipresbytero Violaceum a Summo Pontifice impetrat paludamentum. 750
Primum Ejusdem præsentientis mortem indicium. ibid.
Alterum Capuccinarum Virginum Asceterium Mediolani instituit. 743 751
Novariensem Episcopum ægrotantem invisit, eique mortuo justa persolvit. 752 (b)
Toletano Cardinali Actorum Ecclesiæ Mediol. volumina transmittit. 754 (c)
Taurusium Legatum ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem mittit. ibid.
Ab Eodem Sabaudiæ Duce rogatur, ut Taurinum adeat. 755
Illuc contendens plura ad Religionem pertinentia cum Duce transigit. ibid. (a)
Varallum ad Christi passionis mysteria meditatione prosequenda se transfert. 757
Voluntarios corporis sui cruciatus auget. 759 (a)
Aronam contendit, citò Varallum rediturus. ibid. (b)
Febri corripitur. ibid.
P. Adurno hortante, aliquid ex instituta cibi abstinentia remittit. 760 (c) & seq.
Ad Christi Sepulcrum in Varalli Monte orans, impea-

Digitized by Google

pendentis mortis nuncium accipit. 761 (a)
E Viralli monte pedibus deſcendit, licèt ægrotans. 762 (b)
Cannobii noctem integram in cæleſtium rerum meditatione tranſegit. ibid.
Aſconenſe Seminarium rite erigit, & Cannobium redit. 763 (a)
Aronam reverſus in PP. Societatis Jeſu Collegio hoſpitio excipitur. 764 (b)
Ea in Æde poſtremum Miſſæ Sacrificium celebrat. ib.
Ticino, ac navigabili ejuſdem alveo vectus Mediolanum redit. 765 (a)
Lecto decumbens Paſſionis Domini myſteria depicta in tabulis ſibi ante oculos ſiſti jubet. 766 (b)
Cæleſte Viaticum ſumit. ibid. & ſeq. (a)
Extrema Unctione munitur. 768 (a)
Spiritum Deo reddit. 769 *Nota*.
Corpore prius exenterato, parentalia Ei ſolemni pompa celebrantur. 773 (a)
A P. Franciſco Panigarola in funere laudatus. ibid.
Quæ ſupremis tabulis de ſe, ſuiſque rebus facienda mandaverit. 774 (b)
Tumulatur cum inſcripta ſepulcro epigraphe. 775
Ejus vultus, ſtatura, & corporis habitus deſcribuntur. ibid. & ſeq.
Cæleſti lumine ornatum ſe P. Adurno per viſum oſtendit. 794 & ſeq.
Nec non alteri ex Sacerdotibus domeſticis ſuis. ibid. & ſeq.
Virginibus Capuccinis in S. Barbaræ Clauſtris degentibus ſubſidium e Cælo præſtat. 797
Communis ex Ejus interitu dolor; & quot celebres Viri illius geſta ſcriptis conſignaverint. 801 (a) & ſeqq.
In Baſilicis, ac Templis ſumptuoſo ac lugubri apparatu ad Illius requiem perlitatum. 805
Imagines S. Caroli typis impreſſæ, & ære ſignatæ quanti habitæ. 808
Suffragia pro Ejus requie interdicta, & cultus tamquam Sancto permiſſus. 809
Quanti a principibus Viris Borromei viventis, & poſtmodum vitâ functi virtutes haberentur. 812 & ſeqq.
Ad Ejus tumulum a Mediolanenſibus exteriſque preces, & dona offeruntur. 838 & ſeqq.
Eidem Sepulcro ingens cereorum, auri, argentique copia oblata. 842 & ſeq. 843 (a)
Caroli Corpus ex argento & criſtallo affabre elaborata Arca incluſum. 845 (a)
Ejus Fides quàm firma, & pro ea tuenda quantum laboraverit. 846 & ſeq.
Germaniam, Galliaſque adire paratus erat, ut eas provincias ab erroribus expurgaret. 852
Literas ad quamplures Præſules dirigit, eoſdem ad Catholicam Fidem tuendam accendens. 853 & ſeq.
Dei nomen quo devoti animi teſtimonio coleret, ac proſequeretur. 857
Blaſphemias in Deum ſeveriſſimis legibus vetat & punit. ibid.
Sanctorum cultum legibus, & exemplo promovet. 858 & ſeq.
Deiparæ amorem, ac reverentiam profitetur. 859
Quo cultu S. Ambroſii merita, & exempla fuerit veneratus. 861 862
SS. Protaſii, & Gervaſii Martt. memoriam præcipue coluit. ibid.
Sacras Ædes diu, noctuque adibat, plures horas precibus vacans. 864
Jeroſolymam peregrinari peroptabat. ibid.
Quænam in Sacris peragendis fuerit Ejus oris majeſtas, & animi ſolicitudo. 865
Romanum Pontificem, Eccleſiæque Miniſtros ſingulari obſervantia reveritus eſt. 869 & ſeqq.
Cardinales, & Epiſcopos domi ſuæ excipit, ac omni honoris ſignificatione liberaliter afficit. 872 & ſeq. (a)
Nimiam in Sacerdotibus abjectionem improbat. 876
Sacrarum Cæremoniarum leges ad priſtinam praxim revocat. 879
Ambroſiano Pſalterio emendando ſuam adjecit manum. 886 (a) & ſeq.
In divinis meditandis Ejus ardor, & ſolicitudo. 889 & ſeq.
Paſſionis Domini memoriam coluit, & aliis inſerere non omiſit. 890 (a)
Ejus hiſtoriam recitari audiens, a ſenſibus alienatur. 895
Doctrinæ Chriſtianæ Scholas inſtituit, & legibus confirmat. ibid.
Doctrinæ Chriſtianæ Societatem Legibus informat, & optimis adminiſtris. 897 & ſeq.
Quàm firma fuerit, atque inconcuſſa Ejuſdem ſpes, ac fiducia in Deum. 903 (a)
Amoris in Deum igne æſtuabat. 908 & ſeq.
Quàm intimo amoris ſenſu omnium hominum genus proſequeretur. 913
Peculiari amore Eccleſiam Mediolanenſem diligit. 917
Eam beneficiis auget. 921
Quid de audiendis per Epiſcopos Confeſſionibus ſentiret. 919 (a)
S. Ambroſio comparandus. 921
Quanta Ejuſdem in luſtranda Diœceſi celeritas, & diligentia. ibid. (a)
Quamplura ſive Templa, ſive Aras ſacris cæremoniis explaverit. 922
XI. mille Fideles una die ſacra Communione refecit. 923
SS. Magorum Reliquias a Colonienſibus impetrare tentavit. ibid. (a)
Frequentes ad populum conciones habuit. ibid. (b)
Ex diverſis Italiæ, atque Europæ partibus literas accepit, & remiſit. 925 (a)
Quo amore conſanguineos proſequeretur. 928 & ſeq.
Eorum nonnullos ad perfectam vivendi normam perducere curavit. 929 (a)
Ut id ipſum facerent, Eccleſiæ ſuæ Adminiſtri perſæpe monebat. 933
Quodnam benevolentiæ genus erga familiares ſuos oſtenderit. 934 & ſeq.
Ejus ſtudium, & cura de animarum ſalute. 939 & ſeq.
Perditos homines omni opera ad rectam ſalutis viam reducere ſatagit. 945
Lepontios obiens vilem puerum Crucis ſigno ſe munire, & Orationem Dominicam recitare patientiſſime docet. 946
Cujuſque facultatis homines in cœtum congregat, & accommodata oratione ad bene implendum munus ſuum accendit. 947
Abſentes per literas ad id ipſum ſolicitabat. ibid. (a)
Ejus eximia in hoſtes beneficentia. 949
Equitem ſuſcepti in Se belli auctorem benigne excipit, & favoribus cumulat. ibid. & ſeq.
Magno Inſubriæ Cancellario olim ſibi adverſario, ma-

Digitized by Google

magnam amoris atque existimationis significationem exhibet. 951
Ticinensis Curiæ Vicario, qui Eum læserat, & veniam, & Summo Pontifici commendationem offert. 951 (a)
Quàm facile veniam demisso animo petentibus concederet. 953 (a)
Sacerdotum famam servare summopere curavit. ibid.
Demisse de se ipso sentiebat. 956 959
Domesticos, atque exteros rogabat, ut quidquid notâ dignum sibi liberè objicerent. 927
Balbæ linguæ impedimentum vitio sibi datum in virtutis subsidium convertit. 960
Familiæ stemmata dimittit, & e parietibus deleri jubet. 962
Urbem pedes obibat, ut quoscumque commodius audiret. 965
Quænam humilitatis præcepta ad Cardinales de Jojosa, Bathorium, & Vindocinum per literas miserit. 967 (a)
Summa Illius lenitas, & mansuetudo. ibid.
Adhuc adolescens animi æstus indicia nulla ostendit. 968
Peccantes libere reprehendebat, sed eos a scelere revocare contendens. 970
Quemdam, a quo mimice irrisus fuerat, ad se venientem mitissimo responso dimisit. 971 (a)
Prudentia in horrore vitæ amplectendo. 992
Literis ad Summum Pontificem datis defendit austera vitæ suæ instituta. 991 (a)
Austeritas Illius sine rerum delectu. 995
Quid manducaret, & quomodo. 995 (a)
Oculis dormire creditur, sed auribus vigilat. 998
Ejus dictum de somno suo, & de Episcoporum quiete. 999 & 999 (a)
Prohibetur a Pontifice tam durè vivere. 1000
Tuetur vitæ suæ austeritatem respondens P. Ludovico Granatensi, & Archiepiscopo Valentiæ. 1000 & 1000 [b]
Ejus monita ad Cardinalem Bathorium pro castitate tuenda. 1003 [a]
Horret dysuriæ morbum, utpote pudori periculosum. 1004 [b]
Ejus cautio in corpore denudando, & decumbendo. 1005
Coram domesticis aliquot, semper Moniales alloquitur. 1007
Ejus dictum de ingressu Episcopi in Monasteria Virginum. 1008
Puer lusibus abstinet. 1009 [a]
Ejus animi moderatio, cum Romam ab Avunculo vocaretur. 1010 [a]
Negotiosus est etiam, dum cibum sumit, & barbam deponit. 1011
Timet, ne injuste amicis indulgeat. 1011 [a]
Ejus maturitas in deliberando, & scrupuli aliquot. 1014 ibid. [a]
Ejus dolor, & pœna, cum ex manibus SS. Christi Corpus per errorem excidisset. 1014
In Judicum suorum acta inquirit. 1019
Recusat aliorum favorem, si contra jus deferatur. 1019 [a]
Libere, & ingenue animum semper aperit. 1021 ibid. [a]
Assentatores execratur, eorumque nomenclaturam habet, ut fugiat. 1024
Minatur actionem intendere in debitorem injustum alterius. 1025 [a]
Levia quæque emendat in aliis. 1025 [a]
Summis impensis curat Jus ab optimis Vicariis dici. 1031
Ejus dictum de libris commodatis repetendis. 1032 [a]
In ære alieno curat, ut fit. 1032
Gravissimæ Illius impensæ, etiam extra ordinem. 1033
Reprehendit acriter domesticæ rei Procuratorem velut avaritiæ reum. 1034
Ejus moderatio in expensis inutilibus. 1033 [a]
Lites forenses fugit, & vetat actionem pro causa sua intendi. 1035
Cum hospitibus aliquid de austeritate vitæ remittit. 1040
Quid responderet procuratori domestico objicienti hospitalitatis suæ sumptus. 1043
Deliberat Diœcesis suæ Ecclesiasticos homines hospitio gratis excipere. 1044
Delicias oculorum omnes fugit. 1049 & seq.
Quid sibi de rebus suis reservasset. 1050
Ejus dictum, dum objiceretur dubia fides Procuratoris sui. 1051 [a]
Irridet furum conatus ædem suam invadentium, & Vicarii sui timorem. 1053 [a]
Ejus error utilis pauperibus, dum Uritani Principatus venditi pretium distribueret. 1056
Tribus utitur ad eleemosynas distribuendas manibus. 1058
Pecuniis destitutus, fiduciam in aliena liberalitate, & Divina Providentia collocat. 1058
Ejus responsum iis datum, qui objiciebant malo consilio repudiatos a se opulentos Titulos. 1059
Quando cœperit manu sua pecunias distribuere. 1061 [a]
Necessitatem suam negligit, ut alienam curet. 1061 [a]
Quot scientias calleret. 1061 [b]
Literatorum hominum studiosissimus. 1064
Ad omne scientiarum genus animum dicit adjiciendum. 1067
Literarum Parens, & Literatorum Mæcenas. 1069
Ejusdem sententia de Pensionibus Ecclesiasticis. 1071 ibid. [a]
Deferens Sacerdotia caute deliberat. 1074, & seq.
In Cleri mores quantum excubaret. 1077
Quid a Parochis exigeret. 1078
Ejus cura in partiendis Præfecturis pro conditione candidatorum. 1079
Ejus edictum pro moderandis Curiæ exactionibus in collatione Titulorum. 1082
Vivens quot miracula patraverit. 1086, & seqq.
Ejus invocatio quàm salutaris fuerit plurimis. 1094, & seqq.
Illius Imagines insignes miraculis patratis, licèt parum feliciter expressæ. 1117, & seqq.
Ejus sepulcrum multis miraculis illustratum. 1107 & seqq.
Corpus mirabiliter integrum in sepulcro recognoscitur. 1146
Post mortem mirabiliter apparet conspicuus. 1104 1106 1111 1144 1148 1151 1154
P. Carolus N Soc. Jesu S. Carolum in Mesolciæ Vallis lustratione operâ suâ adjuvat. 692 [b]
Maleficas ibidem deprehensas, ignique damnatas, ad deponendas apud se per Confessionem culpas omnes inducit. ibid., & seq.
Carolus Emmanuel Pedemontii Princeps S. Caroli Augu-

Digitized by Google

Auguſtæ Taurinorum appropinquanti cum Patre Sabaudiæ Duce obviam occurrit. 395 [c]
Cum Eo prandet. 397 [a] [b]
In genua provolutus a S. Cardinali benedictionem accepit. 400
Patri ſuccedens monita a S. Carolo humaniter excipit, ſeque tamquam Borromei filium gerit. 401 [a] [b]
Manu propria conſcriptas literas ad S. Carolum mittit. 402
Primum Quadrageſimæ Dominicum diem a carnis edendæ conſuetudine liberat. 340 [a]
Decimas a Pontifice impetraturus S. Caroli opem implorat. 631 [a]
Literas benevolentiæ plenas ad S. Carolum mittit. 567
Maſini S. Carolum humaniſſimè excipit. 579 [a]
Ejuſdem periculoſus morbus. 667
Ad eum inviſendum S. Carolus citato curſu Vercellas contendit. 668 [a]
A Borromeo Euchariſtico Pane reficitur. ibid. [b]
Convaleſcit. ibid. & ſeq.
Lampadem ad Caroli tumulum per Legatos tranſmiſit. 671 [a]
Sponſæ ſibi matrimonio jungendæ delectum S. Carolo committit. 596
Philippi II. Hiſpaniarum Regis Filiam uxorem ducit. 598
S. Carolum rogat, ut Taurinum ad Sacram Syndonem inviſendam redeat. 755
Quæ in Ea Urbe Borromeus ad Religionis cultum promovendum illi Borromeus inſinuaverit. ibid. [a]
Ejus conſiliis inhærens Edicta contra Judæos proponit. 756
S. Caroli tumulum veneratur. 839
Eidem argenteam Lampadem cum XI. lychnis dono dedit. 842
Summa cum reverentia ſuſcipit *Agni Dei* cereum ſignum, quod e S. Caroli collo pependerat. 863
Quanti veſtem S. Caroli æſtimaret. 1134
Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis argenteum Simulacrum S. Caroli tumulo dono datum. 845 [a]
Carolus Saxonicus Apoſtata Villacci falſam Doctrinam diſſeminat. 853 [a]
Carpignani S. Carolus fuit. 753 [a]
Carvajalius Hiſpanus S. J. primus Seminarii Mediol. Præſes. 91 [b]
Carnilia Bernardus Gregorio XIII. a S. Carolo Adminiſter datus. 220 [b]
Caſalenſis Eccleſia a Viterbienſi Epiſcopo mandante Pontifice Max. luſtrata. 829
Hujus Dioeceſeos Antiſtiti S. Carolus literas dirigit, ut præſens ovibus adeſſe ſuis Eum horterur. ibid. & ſeq.
Caſatus Hieronymus Eques Jeroſolymitanus Ordinis ſui diſciplinam reparari exoptat. 634 [a]
Caſelium a S. Carolo luſtratum. 746
Caſoreti in Æde Canonicorum Lateran. ſe aliquando ab hominum ſtrepitu S. Carolus recipiebat. 190 (b)
Caſoretium a S. Carolo luſtratum. 673
Caſſinus Bernardinus in Templo max. Mediolan. Cæremoniarum Magiſter laudatus. 372 627 [a]
Penes ſe conſervat Templi max. Iconographiam S. Caroli manu delineatam. 886 [a]
Caſſirati Pagus a S. Carolo luſtratus. 443 [a]
Caſtalda Medicea Livia fruſtra S. Carolo Sacerdotem commendat. 1025 [a]
Caſtalio Joſeph molitus eſt S. Caroli vitam verſu deſcribere. 1085 [a]
Caſtanus Hieronymus, ut lateri ſuo adſtaret, quotidie a S. Carolo delectus. 79 [a]
Dum S. Caroli Crucem præfert, e mula prolabitur, & incolumis ſurgit. 906
Caſtelbergius Chriſtianus Deſertinenſis Monaſterii Abbas, & Princeps. 587 [a]
S. Carolum illuc accedentem honorifice ſuſcipit. ibid. & ſeqq.
Caſtellatii ab Equite Alexandro Simoneta S. Carolus honorifice excipitur. 673 & 1048
Caſtellus Jo. Baptiſta S. Caroli familiaris, poſtmodum Epiſcopus Ariminenſis. 83
Ejus probitas, & præconium. 85 (a)
Eidem Caroli Vicario per injuriam a quodam Presbytero Sacris interdicitur. 170 (e)
E veſtibulo Eccleſiæ Scalenſis contumeliis, ac verberibus ejectus. 171 (e)
Diœceſanam Synodum Mediolani celebrat anno MDLXXII. 220
Ariminenſis Epiſc. S. Carolo rigidam vitæ diſciplinam tantiſper remittendam ſuadet. 364
Quod ab Eo reſponſum acceperit. ibid. (c)
Sua in Urbe Societatem Doctrinæ Chriſtianæ inſtituit. 902 (a)
Ab Eodem conſilium accipit, ut a Conſanguineorum immoderato amore abſtineat. 933 (b)
Eidem ægrorum peſte laborantium curam diſſuadenti quid Carolus reſponderit. 277 (a)
Apud Henricum Galliarum Regem Pontificius Internuncius. 666
Legatus in Galliam proficiſcens a S. Carolo Mediolani conſilia haurit ad rem opportuna. 595
Ad impigre obeundum Pontificiæ Legationis in Gallia munus a S. Carolo per Literas excitatus. 982 (a)
Ejus dictum de S. Caroli eleemoſinis. 1061 (a)
Caſtellum, in quo Academia Amoris inſtituta erat, peſtis occupat, & habitatores delet. 333
Caſtenetulo S. Carolus pertranſiit. 537
Caſteni Collegium Virginum a S. Carolo extinctum. 105 (a)
Caſtenus Canonicus Modoëtienſis ab Oppidanis ſuis Romam miſſus, ut Ambroſianæ Eccleſiæ ritus repudiarent. 415
Caſtilionæus Bonaventura S. Carolo adhuc puero venerationem, & obſequium præſtitit, in Eo deprehendens clara indicia ſanctitatis. 11
Barbæ radendæ morem amplectitur. 335 (a)
Caſtilionæus Senator Mediol. favorem ſuum S. Carolo defert. 1019 (a)
Caſtilionum Gonzagæ Gentis nobile Oppidum a S. Carolo luſtratum. 540
Ibidem S. Carolus Sermonem ad populum habuit. 529
Caſtitas a S. Carolo ſemper cuſtodita, & quomodo. 1002 & ſeqq.
a Caſtro S. Petri Eques Hortenſius a quibuſdam Religioſis Patribus Romam miſſus eorumdem preces ad infirmanda S. Caroli Decreta Summo Pontifici oblaturus. 644 (d)
Quod a Gregorio XIII. reſponſum habuerit. ibid.
de Caſtro Rudericus Cardinalis VI. Provincialis Concilii exemplar a S. Carolo miſſum accipit. 958 (a)
Caſtrum-Martyris in Brianteis Collibus a S. Carolo luſtratum. 746
Caſula, & pars cilicii S. Caroli ad Regem, & Reginam Hiſpaniarum miſſa, & ſummo in honore habita. 1134

S. Catha-

Digitized by Google

S. Catharinæ ad Pallantiam Præfectura Præpositi Leuci reditus auget. 209 (a)
Catharina Galliarum Regina S. Caroli patrocinium implorat. 601
Catharina Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci nupta. 754 (c)
Catechiſmi Romani editio a S. Carolo ſolicitata. 36 (c)
Cattaneus Petrus Franciſcus in Nazariana Mediol. Baſilica Canonicus. 717
Cavalium pagus in Plebe Cannobii a S. Carolo luſtratus. 905
Cavarniæ Vallis incolæ fallaces, & impoſtores. 620
Hoſce e Provincia eliminandos S. Carolus curat. 621 (a)
Eorum ſcelera deſcribuntur. ibid.
Anathemati a Borromeo ſubjiciuntur, niſi illico reſipuerint. 623
Caufidicorum pius Congreſſus in Ædibus S. Sepulcri. 384 (b)
Cautio S. Caroli in Titulis Clero conferendis. 1070 & ſeqq.
Caymus Zacharias Medicus Mediolan. celeberrimus. 268 (c)
Celanæ Seminarium a S. Carolo inſtitutum. 93
Illuc Somaſchenſe Seminarium translatum. ibid. (a)
S. Celſi Mediolanenſi Monaſterio majorem Canonicorum S. Salvatoris numerum aſſignari S. Carolus efflagitat. 644 (d)
Cenſores duo a S. Carolo delecti, ut, ſi in aliquo peccaſſet, Eum admonerent. 79
Cenſores Collegiis Sacerdotum a S. Carolo aſſignati. 887
Centurio, qui primum Quadrageſimæ diem Mediolani violaverat, violenta morte punitur. 511
Centurionus Jo. Baptiſta Mariani in Corſica Epiſcopus. 532
S. Carolum in Viſitatione Camonicæ Vallis comitatur. ibid. (b)
Ab Eodem in Trompia Valle ad conſtituendam diſciplinam a S. Carolo relictus. 538 (b)
Cerri S. Carolus fuit. 673
Cerrus Joannes Angelus Medicus honeſtate celeberrimus. 268
Ceſenæ S. Carolus cum Cardinali Ferrerio colloquium habuit. 650 (a)
Charta ipſa, quâ involutum S. Caroli ſudarium fuit, mirabiliter ſanat. 1140
Chriſmatis Sacramentum a S. Carolo Mediolanenſibus Civibus miniſtratum. 106
Chriſtierna Magni Etruriæ Ducis Uxor quanti cum Marito S. Caroli chirothecam faceret. 1135
S. Chryſoſtomum Carolus Borromeus peculiari veneratione coluit. 362
Nonnullas ejuſdem Homilias, in latinum verti ſermonem curavit. ibid. (d) & ſeq.
Ciliani S. Carolus Auguſtam Taurinorum adiens pernoctavit. 394 (e)
Cilianus Michaël Diariis ſuis nobilem S. Caroli virtutum commemorationem inſeruit. 484 (c)
Cilicium S. Caroli in Noſocomio Mediolanenſi ſervatur, & colitur. 991
in Cimara Valle S. Carolus Sacrum faciens, vini loco, Calici oleum infuſum ſenſit. 972
Circitori Archiepiſcopalis Curiæ arma publice reſtituta. 193
Ciſnuſculum quandoque S. Carolus ſe recipiebat. 190 (b)
Ejus loci Templum, S. Carolo opus urgente, refectum. 745
Cittadinus Epiſcopus Caſtrenſis in Miraſolis Suburbana Æde, abſente S. Carolo, Clericos ad majores Ordines promovet. 627 (a)
Contra conjuratos in S. Caroli vitam, jubente Pontifice Max., inquirit. 183 (a)
Claræ vallis Cœnobium Ord. Ciſtercienſis IV. ab Urbe Mediolanenſi lapidem diſtans. 50 (a)
Clava argentea ad Monetarios a S. Carolo miſſa, ut ex ea nummos excuderent. 278 (b)
Clavaſii Taurino redux S. Carolus fuit. 758 (b)
Clavennenſes S. Caroli adventum in eam regionem exoptant. 705 (b)
Claveſius P. Didacus Ord. Prædic. Philippi II. Hiſpaniarum Regis a Confeſſionibus S. Caroli cauſe favet. 555 (a) 561 (b)
Clavus Crucis Chriſti Mediolani religioſe ſervatur. 299 (a)
Per Urbem a S. Carolo ſupplicatione indicta circumlatus. 655 (a)
Machina quadam nubis in ſpeciem compoſita e ſumma Templi Max. teſtudine, ubi ſervatur, ad ima demittitur. 345
Quotannis V. Non. Maji eadem peragitur ſupplicatio. ibid. (c)
Die præcedente a S. Carolo celebrata. 347 (a)
Clemens VIII. Legatos pro impetrandis S. Carolo Cæleſtibus honoribus Romam Mediolano miſſos humaniſſime excipit. 818
Literas hac de re ad Federicum Borromeum mittit. 819
Cleri Mediolanenſis moderatio, & pax ſedente S. Carolo. 1073 1076 1080
Clerici Regulares Mediolanenſibus peſtilentia infectis opem ferunt. 213 (d)
Ope S. Caroli, Domum Mantuæ aperiunt. 647
Clericorum Regular. S. Pauli Congregatio a quibus inſtituta. 442
In Æde S. Barnabæ ſedem figit. 443 (a)
A Clemente VII. Pont. Max. confirmata. ibid.
Eorum Conſtitutiones a S. Carolo probatæ. 449 (a)
Eorum Conſtitutiones a S. Carolo declaratæ. 405 (a)
Clericus caput factioſorum exulum in agro Brixiensi. 545
Clerus S. Carolo omnis de facie cognitus. 1077
S. Clicerii Mediol. Antiſtitis Oſſa in Baſilica Apoſtolorum ſepulta, & a S. Carolo ſolemni pompa translata. 438 & ſeq.
Clivatum a S. Carolo luſtratur. 746
Collegium Adminiſtrorum Societatis Doctrinæ Chriſtianæ a S. Carolo inſtitutum. 888 & ſeq.
Collegium Borromeum Ticinenſe quo anno apertum. 566 [b]
A S. Carolo conditum. 31 [a]
Summo artificio, & impendio. 1030
Collegium Juriſperitorum Mediolanenſium curâ S. Caroli magnificentiſſimo Palatio auctum. 41 [c]
Collegium Nobilium Mediolani a S. Carolo excitum. 236
A Card. Vicecomite PP. Societatis Jeſu regimini traditum. 237 [b]
Colleonii Bartholomæi ſepulcro ſpolia triumphalia juſſu S. Caroli ablata. 259 [a]
Coloniam mittitur Pontificius Internuncius, S. Carolo hanc expeditionem ſuadente. 665
Colonienſis Eccleſia ab Hæreticis impetita a S. Carolo pecuniarum, ac precum ſubſidiis foverur. 458 & ſeq.

Columna Conſtantia, Marito Sfortia morti proximo, S. Caroli præſentiam impetrat. 665
Columnæ Annæ Sorori ſuæ Mundo valedicere S. Carolus ſuadet. 913
Ejus colloquium devitat. 1006
Columnæ Alcanio Affini ſuo Divinum amorem ferventiſſime exoptandum S. Carolus inculcat. 912 (b)
Columna Fabritius Annæ Borromeæ Maritus. 6
Siculæ Claſſis Præfectus occubuit. 7
Columna M. Antonius Annæ S. Caroli Sororis Socer. 7 (a)
Comitia pro Pontifice eligendo non protrahuntur, ſi Carolus adſit. 1011 (a)
de Comitibus Joannes Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ Sodalis. 896 (a)
Commendonus Cardin. Legatus Summi Pontif. ad Cæſarem miſſus. 153 (b)
Conciliorum Provincialium Mediolan. exemplaria per varias Europæ provincias tranſmiſſa. 488 (b)
Concilium I. Provinciale a S. Carolo celebratum. 53 (a) & ſeqq.
Ejuſdem exemplaria ad quoſdam Archipræſules a S. Carolo miſſa. 100 & ſeq.
Concilium II. Provinciale quo anno a S. Carolo celebratum. 160 161 (a)
Concilium III. Provinciale quando celebratum. 227
Concilium IV. Provin. Mediolan. a S. Carolo indictum. 267
Romæ vocatum ad limam. 473 (c)
A Gregorio XIII. approbatum. 480 & ſeq. 481 (c)
Concilium V. Provinciale a S. Carolo celebratum. 432 (c)
Hujus exemplar ad Urbini Archiepiſcopum mittitur. 433 (a)
In eo Epiſcopi coram rogant, ut cubandi rationem aliquantiſper mitiget. 434 (b)
Concilium VI. Provinciale a S. Carolo celebratum. 603 & ſeq.
In eo actum ut licentiæ Feudatariorum modus imponeretur. ibid. (b)
Antequam ſolveretur, ſolemnis S. Simpliciani, aliorumque Sacrorum Corporum translatio peragitur. 605 & ſeq.
Concionator quidam S. Carolum e ſuggeſto injuriis laceſſit. 423 (a)
Ejuſdem Inſtituti aſſeclæ illius audaciam tueri nituntur. 425
Romam a Summo Pontifice vocatus. ibid.
Illic clamitatum, judicium oppreſſum S. Caroli auctoritate. 426
Pronunciata contra eumdem Sententia Romæ evulgatur. 427
Confeſſiones audire num ſit Epiſcopi peculiare munus? 919 (a)
Confeſſionis Templi Max. in Ara S. Carolus Oſſa S. Monæ Prædeceſſoris ſui collocat. 265
Eadem quo anno exædificata. 367
In ejus Ara S. Carolus plurium Sanctorum reliquias condit. ibid. (b)
Congregatio S. Officii a S. Carolo Mediolani inſtituta. 102
Congregatio Sacrorum Rituum S. Caroli operâ Romæ inſtituta. 646 (b)
Conſanguinei contra leges non admittendi ad colloquia in Monaſteriis. 1018
Conſtantiæ Auſtriacæ Literæ ad Summum Pontificem pro Apotheoſi S. Caroli. 1129
Conſtantius P. Joannes Soc. Jeſu Sacra in Meſaucis curans ad Curienſe Tribunal a Rhætis vocatur. 719
Ab iiſdem dimiſſus gratulatorias a S. Carolo Literas accipit. ibid.
Quando illuc miſſus. 725
Conſtitutiones Clericorum S. Pauli a S. Carolo datæ. 405 (a)
Convaleſcentibus hoſpitium aperire S. Carolus meditatur. 411
Conventuales S. Franciſci Fratres optimas a S. Carolo ſanctiones accipiunt. 147 (a) (b)
Iiſdem optimus Præſes a S. Carolo impetratus. 741
Cor S. Caroli Romæ collocatum. 780
Corbellæ Nob. Familiæ Religio dedicat locum, ubi S. Carolus apparuit. 1105 (a)
Coridi S. Carolus quatuor Sacella luſtravit. 624 (b)
Corius Julius Cæſar J. C. Mediolanenſis Urbis Præfectus. 515 (a)
Cornelius Bergomenſis Epiſcopus S. Caroli ſolicitudinem laudat, & imitatur. 158 [c]
S. Carolum eam Urbem adeuntem magnifice excipit. 258 [d]
Cornelius Cardinalis S. Carolo addictiſſimus. 483 [a]
Cornelius Federicus Patavii Epiſcopus S. Carolum eam ad Urbem comitatur. 501
Corobioli Sacerdotium Congreg. S. Pauli Clericis Regularibus a S. Carolo impetratum. 94 [a] & 209 (a)
de Corrigio fratres inimicitias cum Alexandro de Gambara excitatas, S. Carolo pacis ſequeſtro, penitus deponunt. 674
Cremeno pertranſiens S. Carolus cum Villicis illis eodem vocis tono Sanctorum nomina invocavit. 963
de Cremona Ambroſius inter primos Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ aſſertores. 896 [a]
Cremonæ habita Comitia univerſi Ordinis Humiliatorum. 145
Ibidem Capuccinarum Aſceterium inſtitutum. 431
Cremonenſes Cives pellere ea ex Urbe Hebræos exoptant. 633
Cremonenſis Eccleſia a S. Carolo Pontificio Viſitatore luſtrata. 256 257 [a]
Quæ eâ in Urbe ac Diœceſi S. Carolus inſtituerit. ibid. [b]
Crepidæ uncis ferreis munitæ, quibus S. Carolus in luſtranda Diœceſi utebatur, ubi ſervatæ. 111 [a]
Cribellus Alexander Card. Franciſcanæ Familiæ Protector. 146
Cribellus Alexander Cœnobitarum S. Ambroſii ad Nemus Inſtitutor. 452
Cribellus Franciſcus Bernardinus in Brianteos Colles, & ad Verbanum Lacum a S. Carolo miſſus, ut peſte laborantibus opem ferret. 325 [a]
Crucis Chriſti effigies a S. Carolo, graſſante lue, per Urbem circumlata ubi ſervetur. 297 [a]
Crippa Franciſcus Sodalitio Oblatorum a S. Carolo adſcriptus. 69 [a]
Ex primis Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ aſſertoribus. 896 [a]
Critonius Jacobus S. Caroli Epicedium conſcripſit, 801 [a]
Croba Vicus, per quem S. Carolus Auguſtam Taurinorum adiens pertranſiit. 394 [e]
a Cruce Paulus in Hiſpanias a S. Carolo miſſus. 656 (a)
a Cruce Pompejus Mediolanenſium Gubernatoris Orator in Helvetia. 723 [a]
Catholicorum gratia plura cum eo S. Carolus egit. 736

Digitized by Google

Crucejus Rodulphus Metropolitanæ Mediol. Primicerius, Scholarum Doctrinæ Christianæ Sodalis. 596 [a]
Crucem, Archiepiscopos docet S. Carolus, ut in eorum Diœcesi ubique deferri curent. 874
S. Crucis Præpositura in Agro Novariensi pro Collegio Helvetico a S. Carolo impetrata. 488 [a]
S. Crucis Signum quo tempore ante S. Joannis Itolani Ædem a S. Carolo erectum. 619 [a]
S. Crucis Societates a S. Carolo institutæ. 371 [b] & seq.
Leges iisdem assignatæ. 373 [a]
Earum cura Oblatis Sacerdotibus ab Eodem demandata. 384
Crux e collo S. Caroli pendula ab Eodem Ludovico Monetæ legata, Capuccinis S. Barbaræ postmodum relicta. 863
Crux altera a S. Carolo Joanni Simonetæ dono data. ibid.
a Cueva Gabriel Mediolanensis Provinciæ Moderator, Ducis Albuquercii vitulo postea insignitus. 51 (b)
Curiensis Episcopus S. Carolo Mesolcinæ Vallis Lustrationem obeunti Literas dat. 701 (a)
Et ab Eodem responsum accipit. 702
Alias ad Borromeum Literas mittit. 711 (a)
Curia Archiepiscopalis Mediol. a S. Carolo ad rectam integritatis, & justitiæ normam redacta. 85 [c] [d] & seq.
In ea quamplura gratis, vel tenuissimo censu expediri mandavit. 87 [a]
Ejusdem disciplina iterum curata. 355
Eadem tertiùm lustrata. 600
Curiæ convocatum Rhætorum Concilium. 705
Bernardinus Mora a S. Carolo Legatus ad illud missus. 708 [b]
Curiensia Rhætorum Comitia S. Caroli expectationem, & preces eludunt. 748
Curiensis Ecclesiæ Præpositus Patres Soc. Jesu ad Tribunal vocatos in Mesaucos remitti liberos curat. 719
Curtis-nova in Vallesaxina a S. Carolo lustrata, & quanta devotione ab illo populo fuerit exceptus. 959
Cusani nobiles fratres quam ob causam in Carcerem conjecti. 482 [c]
S. Carolo addictissimi. 489 [a]
Cusanus Augustinus, postea Cardinalis, afflictæ Mediolanensi Urbi ingentem auri summam præstat. 304 [d]
Xenodochio Mediolanensi Bona sua legat. 1061
Cusanus Pomponius Mediolanensibus peste afflictis largum pecuniæ subsidium transmittit. 304 [d]
S. Cypriani Parœcia a S. Carolo extincta. 125 [b]
S. Cyrini Mart. Offa in Æde S. Celsi a S. Carolo recognita. 573 [a]

D

Dæmones S. Caroli adhuc viventis sanctitatem testantur. 959
Ac humilitatem pertimescunt. 966 & seq.
S. Dalmatii Ædes Societatis Doctrinæ Christianæ conventibus a S. Carolo assignata. 901
Decimæ Clero Mediol. imperatæ, S. Carolo adnitente, imminuuntur. 488 [a]
Decumani Sacerdotes ab Ecclesiæ Mediol. Hierarchia sublati. 118
Decimi, Vicariorum suorum Concilium S. Carolus convocat. 476 [b]
Ejus Vici incolæ falso rumore decepti, Decretis S. Caroli obsistunt. 454 [c]
Inde pertransiens S. Carolus, illapsus in foveam cadit. 905
Deiparæ ab Angelo salutatæ imago ab Etruriæ Duce S. Carolo dono data. 123 [b]
Deipara in Rhaudensi Sacello ab imagine sua uberes lacrymas emittit. 731 [a]
Ibidem magnificam Ædem extrui S. Carolus jubet. 732. *Vide* Rhaudense.
Delphini Joannis Brixiensis Episcopi mors. 738
Huic demortuo S Carolus parentalia celebrat. ibid.
Depositum, nomen domicilii a S. Carolo aperti pro avocandis ab impuro quæstu mulieribus. 441
Derthonensis Episcopus ob nimium Consanguineorum amorem a S. Carolo reprehensus. 934 [a]
Desertinense Monasterium in Rhætia Ordinis S. Benedicti. 386
SS. Sigiberti, & Placidi Reliquias servat. ibid. [b]
Illuc S. Carolus proficiscitur, & honorifice excipitur. 587 [b] & seq.
Qui nonnullos ejusdem Pagi pueros Mediolani suis sumptibus alendos deligit. 598 [b]
Despicientia rerum humanarum mira in S. Carolo. 1046 & seqq.
Diaria rerum novarum legere Episcopum non decet. 1015
Diarium Actionum S. Caroli. 1159 1160
Didacus Philippi II. Hispaniarum Regis filius vivis ereptus. 651
Supplicationes ob ejus mortem a S. Carolo indictæ. ibid. [a]
Diligæ S. Carolus impetrat ut Societatis Jesu Patres recipiantur. 227 [b]
Dinna Bartholomæus a Card. Andrea Austriaco S. Caroli patrocinio commendatus. 654 [a]
S. Dionysii Mediolan. Antistitis Ossa a S. Carolo in Confessione Templi max. collocata. 367
Idem S Eusebii sapientiâ ab Arianorum fraudibus liberatus. 577 [a]
Disciplinatorum Sodalitates Argenteum S. Caroli Simulacrum Illius tumulo offerunt. 843
Divinarum literarum studia diligentissime exculta a S. Carolo. 1063
Doctrinæ Christianæ Societas Vexillum phrygio opere elaboratum S. Caroli tumulo offert. 843
Ejus Societatis Scholæ a S. Carolo apertæ, suisque legibus confirmatæ. 895 & seqq
Doctrina S. Caroli maxima. 1062 & seqq.
Doctor in Sacris Canonibus a S. Carolo Collegio Metropolitanæ Ecclesiæ additus. 119
Domestici S. Carolo inservientes quomodo ab Eo habiti. 934 & seq 937 [a]
Timent, ne Illi conscientiæ suæ arcana pateant. 1036
Donis ornantur, cum ab Eo dimittuntur. 1033
Domi in Valle Travalea Aram maximam, & Cœmeterium S. Carolus consecravit. 662 [c]
S. Dominatoris Ossa a S. Carolo e Brixiensi Arce in Cathedrale Templum translata. 526 & seq. [a]
S. Dominici Fratres gemini Mantuæ occisi. 149 [b]
S. Dominici Mediolanense Virginum Monasterium a S. Carolo eversum. 105 [a]
Donatus Hieronymus, Farina nuncupatus, Ordinis Humiliatorum contra S. Caroli vitam conspirat. 183 [a]
Sacram Monasterii supellectilem diripit, & Venetias contendit. ibid. [b]

Ad

Ad S. Barnabæ Templum S. Carolum opperitur, Eumdem interfecturus. ibid.
Igneam glandem contra Eum in domestico Sacello orantem explodit. 186 [a]
Vinculis constrictus a Philiberto Sabaudiæ Duce Mediolanum mittitur. 201 [a]
Capitali pœna damnatus. ibid. [b]
Quæ verba protulerit cum manus a Carnifice abscinderetur. ibid.
Donatus Sebastianus Bobiens. Episc. S. Caroli Suffraganeus in regimine Mediolan. Ecclesiæ. 43 [b]
Dorothea Brunsvicensis in Campi-Mortui Sacra Æde à S. Carolo Angelico Pane reficitur. 743 [a]
Deinde Borromei apud Summum Pontificem patrocinium implorat. 744 [a]
Draghettus Causidicus de Varallensium discordiis cum Patribus S. Francisci pro administratione Sacri Montis cum S. Carolo transigit. 600
Dugnanus Clemens S. Mariæ Passionis Monasterii Abbas ad inquirendum contra S. Caroli vitam conjuratos a Summo Pontifice delectus. 183 [a]
Dugnanus Hieronymus Scholarum Doctrinæ Christianæ ex primis Patronis. 895 [a]

E

EBriosus homo S. Carolum alloquens pravum bibendi morem dimittit. 955
ab Ecclesia Jo. Paulus Mediol Senator, postea Cardin. Romam missus, Regis Catholici Orator. 134 & 418
Mediolanum rediens binas Summi Pontif. Epistolas Provinciæ Gubernatori, & Senatui datas defert. ibid.
Factus Cardinalis Braydæ Cœnobium sibi commendatum, rogante S. Carolo, Patribus Soc. Jesu dimittit. 226 [b] & seq.
Mediolani degens amicam operam Carolo præstat. 230
Ecclesiæ reditus quomodo administraret S. Carolus. 1036
Echinadas prope Insulas victoria a Joanne Austriaco de Turcis relata. 211
Ad eam impetrandam S. Carolus populi Mediolan. preces, & vota inflammavit. ibid. [b]
Einsidelense Templum S. Carolus devoto pietatis obsequio invisit. 205
Ab eodem Cardinali suis in literis laudatum. ibid. [b]
Einsidelensi Abbati Pontificalium usum S. Carolus impetrare conatur a Pontifice Max. 735
Electio Parochorum qualis esse debeat. 1074
Qualis in S. Carolo. 1077
Ellum a S. Carolo visitatum. 746
S. Emeritæ Virg. & Mart. reliquiæ S. Carolo donо datæ. 589 (a)
Episcopi Provinciæ ad Concilia venientes quo ritu Mediolani a S. Carolo exciperentur. 162
Episcopi præcipua amoris, & obsequii significatione a S. Carolo habiti, & excepti. 873 & seq.
Eorum mens quænam esse debeat in Titulis conferendis. 1074
Præsentia in propria Diœcesi quàm necessaria. 78 [a]
Quid hac de re S. Carolus senserit. ibid. [b]
Munus, ex Sententia S. Caroli quàm laboriosum. 928
Epitecti Manuale sæpissime a S. Carolo perlectum. 22
Eporediensis Episcopus S. Carolo affinis, ad Novariensem Sedem aspirat, nec obtinet. 934 [a]
Equus ligneus in oblatione Portæ Ticinensis ad Templum max. deducebatur. 128 [c]
Ernestus Bavariæ Ducis frater ad Colonien sem Archiepiscopatum electus. 458
Eruditionem, & Doctrinam S. Caroli negant, qui Illum, & Ejus scripta ignorant 1061 [b]
Estensis Philippus a S. Carolo mirabiliter sanatus. 619 (a)
Eucharistiæ Sacramentum, vigente pestilentia, quo Ritu Mediolani ministratum. 321 [b]
Ejus cultus optimis a S. Carolo Institutis in Ecclesia Mediolanensi firmatus. 885
S. Eusebius Vercellensis Episcopus S. Dionysii Mediolanensis indemnem famam servavit. 577 [a]
Ejus Corpus in Cathedrali Vercellensi repertum. ibid.
Exteri Sacerdotes, nisi probatissimi, nunquam Sacris Præfecturis a S. Carolo admoti. 1019 1079 & seq.

F

FAbricæ Templi Maximi administratio novis a Carolo legibus emendata. 601
de Fabris Melchior Parochus Tridentinæ Diœcesis, Literis ad Eum datis, S. Caroli virtutes celebrat. 838
Fabritius P. Marius Soc. Jesu Annæ Borromeæ Sancti Caroli sororis a Confessionibus. 636 [b]
Hujus mortis nuncium per literas ad S. Cardinalem mittit. ibid.
Faciardus Timotheus Congregat. Clericorum S. Pauli S. Carolo acceptus. 449
Aronensis Seminarii Præses. 94 [a]
Fagnani in Monasteriis Monialium qua industria Sanctus Carolus disciplinam induxerit. 105 [a]
Fagnanus Jacobus S. Caroli amicus. 19 [c]
ex Fagnanorum Gente Præsules duo. 335 [a]
Faidi in Oppido Helvetiorum quid S. Carolus egerit. 351 [a]
Fallacias verborum S. Carolus refugit. 1020 & 1025
Familiares S. Caroli assiduis prope laboribus destinati. 115
Farnesia Brisilia Uxor Renati Patruelis Sancti Caroli. 929 [a]
Farnesia Margarita Principi Mantuæ nupta. 648 [a]
De dirimendo ejusdem matrimonio agitur, & hoc negotium S. Carolo a Pontifice Max. injungitur. ibid. & seq.
Propter verecundiam gravia pati experimenta recusans, Mundo valedicere statuit. 658 [b]
Mediolanum veniens S. Pauli Monasterium ingreditur, ibid.
Farnesiorum Villa Romana improbata a S. Carolo. 1049
Farnesius Alexander se, suaque negotia Sancti Caroli precibus commendat. 406 [b] & 815 (a)
Farnesius Ferdinandus Parmensis Episcopus Mediolani sermonem ad populum habet. 725
Federicus Ænobarbus Imp. a Mediolanensibus prope Legnanum in prælio victus. 608 611
Federicus Hieronymus S. Caroli familiaris, deinde Laudensis Episcopus & Romæ Gubernator. 83
SS. Felicis & Fortunati Martyrum exuviæ Mediolani servatæ. 217
Ferdinandi Hispaniarum Principis mors. 406
Ferragatta Hieronymus Mediolanum a Sancto Carolo missus, ut Suffraganei vices gereret. 43 [b]
Ferreria Romaniani Domina S. Caroli amita. 442 [a]

Ferra-

Ferrariæ S. Carolus honorificentiſſime excipitur. 494
Eodem appulit iterum. 650 [a]
Ferrarienſis Seminarii perfectionem S. Carolus pecuniis juvat. 740 [a]
Ferrarius Bartholomæus Congregationis Clericorum S. Pauli Inſtitutor. 445
Ferrerius Cardinalis Guido Auguſtâ Taurinorum Sancto Carolo appropinquanti obviam occurrit. 395 [c]
Ceſenæ cum S. Carolo eſt collocutus. 650 [a]
S. Carolum Vercellas comitatur. 753 [a]
Ferrerius Cæſar Savonenſis Epiſcopus una cum aliis Epiſcopis S. Carolo prope mœnia Auguſtæ Taurinorum obviam occurrit. 396 [c]
Initum de S. Paſtore occidendo conſilium Eidem per literas aperit; quas tamen ne reſignatas quidem Carolus combuſſit. 971
Ferrerius Federicus Romagnani dynaſtia a S. Carolo donatus. 75
A Sabaudiæ Duce obviam S. Carolo Vercellas miſſus. 394 [d]
Ferrerius Jo. Georgius S. Carolo amicam operam præſtat. 758
Ferriolum Vicus ad Verbani Lacus ripas. 404 [c]
Ferrus Dominicus Viterbienſis ſtudiis Seminarii Mediol. Præfectus. 97 [d]
Typographiæ in Seminario Clericorum a S. Carolo excitatæ præpoſitus. 488 [a]
Federici Borromei in Theologica facultate Inſtitutor a S. Carolo deſignatus. 543
Ad Quadrageſimales Conciones Buſti habendas a Sancto Carolo miſſus. 599
Inter Oblatos cooptatus ſtudiis Seminarienſibus præeſt. 615 [c]
Deinde Metropolitanæ Baſilicæ Canon. Ordinar. renunciatur. ibid.
Cardinali Bathorio in Poloniam reverſuro a Sancto Carolo datus eſt comes. 616 & 682
Mediolani moriens Bibliothecam ſuam S. Sepulcri Collegio legavit. ibid.
Ferrus Theopompus S. Caroli condiſcipulus. 12 (b)
Feſtorum dierum religio a S. Carolo ſervanda præſcribitur. 244
Eorum violatoribus Eccleſiaſticæ pœnæ ab Eodem indictæ. 420
Eorum ſanctitatem S. Carolus in Eccleſia ſua retinere, & reparare contendit. 883 [a]
Feudatariorum quorumdam in Provincia Mediolanenſi licentia effrenis. 603 [b]
SS. Fidelis & Carpophori Sacra Corpora a S. Carolo Aronâ in Templum vetus Mediol. S. Fidelis ſolemniter translata 265
Eorum exuviæ Aronâ Mediolanum translatæ, & a S. Carolo in Templum novum S. Fideli dicatum exportatæ. 440 [c]
Eorumdem Martyrum reliquiæ Aronenſibus a Borromeo tributæ. ibid.
Sacrorum horum Pignorum poſſeſſionem Novocomenſes fruſtra ſibi vindicare nituntur. 441
S. Fidelis Sacra Ædes Patribus Societatis Jeſu a Sancto Carolo aſſignata. 107 [b]
Antea Parœcia a S. Carolo extincta. 125 [b]
Ibi primus lapis in fundamentis ſolemni ritu a Sancto Carolo poſitus. 167
de Fidelibus Alexander Congregationis Oratorii a Sancto Philippo Netio Mediolanum miſſus. 261
Fides S. Caroli firma, & quantum Ille pro ea tuenda laboraverit. 845
SS. Firmi & Ruſtici exuviæ in Urbem Bergomenſem a S. Carolo translatæ. 259
S. Firmi pagus, in quo Seminarium pro adoleſcentibus Clericis. 93
A quo Archiepiſcopo hoc inſtitutum. ibid. [a]
A S. Carolo luſtratus. 746
Flamma Gabriel Foſſæ-Novæ Epiſcopus S. Caroli virtutes præclaris laudibus celebrat. 824
de Fleury Gallorum Regis Orator in Rhætia. 706 [c]
Quamdam animo ſuſpicionem concipit, ob quam Catholicorum partes tueri negligit. 719
Florentiæ degens Sanctus Carolus quid peregerit. 393 [c]
Inde S. Carolus, Mediolanum rediens, pertranſivit. 494
Ibidem S. Carolus Romam pergens biduo fuit. 641
Fœmina verſipellis Mediolani Sanctitatis famam aucupabatur; ejus artes ſolus S. Carolus non probavit. 977
Fœminarum præſentia refugienda etiam conſanguinearum. 1006
Fœmina veſtium pompa luxurians a S. Carolo objurgata. 327
Fontana Joannes S. Caroli familiaris, poſtea Epiſcopus Ferrarienſis. 83
S. Caroli ære Romæ nutritus, Bibliothecæ Vaticanæ manuſcriptos Libros evolvit. 354 (d)
Ejuſdem Vicarius Generalis Xenodochii Mediolanenſis Libros rationum ſibi occultari comperiens, ſeditionis auctorem Communione Sacrorum arcet. 556
Eidem unum ex ſuis equis S. Carolus legavit. 775
Metropolitanæ Archipresbyter Teſtamenti ſui Arbiter a S. Carolo delectus. 774 (b)
S. Barbaræ Virginibus Capuccinis, ut ſacra vota emitterent, ſuam operam præſtitit. 799
Forerius Franciſcus Catechiſmi Romani perutile volumen concinnavit. 36 (c)
Fornerius Ambroſius ad Helvetiorum Magnatum Concilium a S. Carolo miſſus. 213
Ab iis nonnulla impetrat ad tutandam Catholicam Fidem admodum utilia. ibid. (a)
Capuccinos ad ſigendum illic hoſpitium in Helvetiam deducit. 551
Ad Helvetios a S. Carolo miſſus. 723 (a)
Ad Galliarum in Rhætia Oratorem cum Borromei mandatis iterum pergit. 734 (b)
Inde promiſſis oneratus Mediolanum revertitur. 739 (a)
de Forreriis Abbiato Octaviano Mediol. Eccleſiæ Archipresbytero Maria Auſtriæ Archidux Litteris ſuis acceptum a S. Carolo beneficium teſtatur. 844
Foſoconus Sebaſtianus Meſauci Locumtenens ob favorem S. Carolo præſtitum ad Tribunal vocatus. 718 (d)
Foſſanus Jo. Baptiſta teſtatur ſe audiviſſe hæreticos quoſdam S. Caroli virtutem, & ſanctimoniam celebrantes. 836
Foyſſæi Gaſtonis monumentum e Mediolanenſi Templo Max. amotum. 122 (c)
S. Franciſci Saleſii Literæ euchariſticæ pro acceptis S. Caroli reliquiis. 1135 (a)
S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Alumni S. Carolum cauſæ patronum nanciſcuntur. 634 (a).
Franciſcus II. Mediol. Dux Privilegium impetrat a Clemente VII. favore Canonicorum Eccleſiæ Scalenſis. 170

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus Dux Urbinatium S. Carolo Lauretanam ad Ædem accedenti cum illius Urbis Archiepiſcopo obviam occurrit. 478 (f)
Fraxinetum ad Padum S. Carolus inviſit. 618 & 754 [d]
Fremiot Joanna Franciſca Ordinis Viſitationis Fundatrix per S. Caroli reliquias mirè ſanata. 1151 [a]
Friburgi Patres Societatis Jeſu Scholas pro inſtituendis juvenibus aperiunt. 551
Friburgenſis Senatus pro perfecto opere gratias S. Carolo habet. ibid. [a]
Ejus Nationis aliquot Romam feſtinantes a Borromeo Pontif. Max. commendantur. ibid.
Fuggeriorum gens cum Boſſiorum familia ſanguine juncta. 752 [b]
Fulcuini Sacra Ædes Collegio Canonicorum ornata. 92
Ibi S. Carolus Parochos, alioſque illiteratos Sacerdotes eruditi mandat. ibid. [e] *Vide etiam* 93 (a)
Fures S. Caroli Ædes invadunt. 1053 [a]
Fuſcus Paulus Sarnenſis Epiſcopus de S. Caroli meritis præclaram ſuis libris teſtificationem inſeruit. 825

G

GAddius Gulielmus Seminario Inſtitutor a S. Carolo datus. 92 [f]
Gaidi S. Carolus fuit. 537 *Nota*.
Galbiati S. Carolus Aram Max. conſecravit. 664 [b]
S. Galdini Archiep. Mediol. Corpus a S. Carolo in Confeſſione Templi Max. collocatum. 367
Galdivillius Thomas Epiſcopus Aſaphenſis S. Caroli abſentis vices geſſit in adminiſtranda Eccleſia Mediol. 44 [b]
Galerius Nicolaus S. Caroli Vicarius Generalis Concilii contra Eum Mediolani habiti ſeriem ad Eumdem tranſmiſit. 485 c]
Galeſinius Acta Conciliorum, quæ S. Carolus tenuit, in unum volumen redigit. 165 [a]
Nonnullas S. Jo. Chryſoſtomi Homilias in Latinum convertit. 362 [d] & ſeq.
Eidem aureos centum quotannis, quoad viveret, numerandos S. Carolus aſſignavit. 774 [b]
Idem S. Caroli vitam in Galliis laudatam aſſerit immortali præconio. 836
Ejus mores, & indoles ſummam a S. Carolo lenitatem promeruere. 973 [a]
Galiardus P. Achilles Soc. Jeſu S. Caroli ſocius in Luſtratione Vallis Meſolcinæ ibidem acta deſcribit. 687 & ſeq. [c] 695 [a]
Quam bene de S. Caroli virtutibus ſentiret, publicis tabulis conſignari mandavit; & eadem ipſius verba deſcribuntur. 825 & ſeq.
Gallarati exiſtens S. Carolus qua de cauſa Prætorem ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuerit. 329
Ibidem Nobilis quidam Concubinarius, jubente S. Carolo in carcerem conjectus. 133 [a]
Gallaratus Comes Ludovicus Romæ degens. 252 [c]
S. Carolo addictiſſimus 292 [c]
Galleſius de Monte Curienſis Urbis Prætor, Catholicorum patronus 706 [b]
Literæ ad eumdem a S. Carolo miſſæ. 723 (a)
Galliani Præpoſitura cum Collegio Canonicorum a S. Carolo Canturium translata. 620 (b)
S. Galli Monaſterii Patres S. Carolum honorifice excipiunt. 206 (b)
de Gambara Cardinalis quibuſdam munetibus à S. Carolo donatus. 74 (c)
Salubribus conſiliis a S. Carolo recreatus. 363 (a)
Eidem S. Carolus literas mittit. 493 [b]
Idem penſionem differre non poteſt apud S. Carolum propter ſuam opulentiam. 1035 [a]
de Gambara Comes Lucretius S. Caroli amicus. 528 [c] & ſeq.
Ejus Mors. 529
Gardonum Brixienſis Agri a S. Carolo luſtratum. 530 & 537 [a]
Gavardum in luſtratione Brixienſis Agri S. Carolus divertit. 537
Genuæ Patres Soc. Jeſu, S. Carolo adnitente, excipiuntur. 227 [b]
Genuenſes quam ſplendide ulciſceretur S. Carolus. 1059 [a]
Genevam Urbem ab Hæreticorum manibus recuperari a Sabaudiæ Duce, S. Carolus ſummopere exoptavit. 617 [b]
S. Georgii Cardinalis Romam contendens a S. Carolo Concilio II. Provinciali intereſſe monitis, precibuſque compellitur. 161 [b]
Georgius Marinus Brixienſis Epiſcopus, quantum Eccleſia illa S. Carolo debeat, per literas teſtatur. 548
S. Geruntii Mediol. Antiſtitis Oſſa in Baſilica S. Simpliciani reperta. 606
Et per Urbem a S. Carolo ſolemni ſupplicatione translata. 610
Ghiſlerius Michaël Card. Alexandrinus in Romanum Pont. electus. 59 [a] *Vide* Pius V.
Giberti Veronenſis Epiſcopi imago a S. Carolo petita, & penes ſe conſervata. 73 [a]
Gibonotus Aronenſis S. Caroli condiſcipulus. 9
Gilius Nicolaus Congregationis Oratorii a S. Philippo Nerio Mediolanum miſſus, & Romam revocatus. 261
Gloria vana fugienda in ipſa liberalitate. 1036
Gluſſianus Jo. Petrus S. Carolum jam extinctum, cæleſti lumine circumfuſum vidit, ſecumque loquentem audivit. 795 [a]
Gnoſcæ ad Ticini oram S. Carolus Aram conſecravit. 624 [c]
Gonella Jo. Baptiſta Congr. Somaſchæ Seminarii eo in Pago inſtituti Rector. 93 [a]
Gonzaga S. Aloyſius Soc. Jeſu ſalubribus præceptis a S. Carolo imbuitur, ab Eoque modum diſcit utiliter ſumendæ Sacroſanctæ Euchariſtiæ. 540 & ſeq. [a]
Gonzaga Cæſar S. Caroli Sororius morti proximus ad eodem viſitatus. 255
Ob gravem morbum delirans, eo adveniente, ad ſe redit. 256
Sacramentis expiatus tranquilliter moritur. ibid.
Gonzaga Novellaræ Comes auri ſummam pauperibus Mediolan. ſubminiſtrandam ad S. Carolum mittit. 304 [d]
Gonzaga Octavius S. Caroli Conſanguineus Marignani moritur. 655 [a]
S. Carolus ejus Familiæ adminiſtrationem aſſumit. 656
Gorgontiolæ vicus a S. Carolo luſtratus. 430 [b]
Gorgontiolæ luſtratio quo anno a S. Carolo peracta. 158 [c]
Gorinus Centurio Luganenſis S. Carolo affinis, & electus ab Eo arbiter controverſiæ ſuæ. 126 [b]
Granatenſi P. Ludovico Ordinis Prædicatorum S. Carolus

Digitized by Google

solus literas dat, quas a Carolo a Basilica-Petri reddi jubet. 563
Idem ad novam Concionum digerendam seriem a S. Carolo excitatur. 627 [b]
Quam ob causam Gregorio XIII. literas dat, ut Pontificiam apud eum auctoritatem interponat, & liberaliter in eum agat. 628
Supremus idem Hierarcha Breves ad Ludovicum literas direxit. 629
Borromeus in votis habuit, ut in Cardinalium numerum idem cooptaretur. 620
Literis suis conceptam de S. Caroli virtutibus existimationem testatur. 834
S. Caroli austeritatem moderati per literas tentat. 1000
S. Gratæ Asceterii Bergomensis Moniales Jura in Tertii Monasterium retinere contendunt. 633
Grattarola Marcus Aurelius inter Oblatos a S. Carolo adscitus. 95 [b]
Plurium a S. Carolo missus. 722 [a]
Coram Judicibus vocatus objecta sibi criminum capita facili negotio dissolvit. ibid. & seq.
Iterum a S. Carolo Plurium missus. 736
S. Gregorii Ædibus proxima prata sepeliendis Mortuorum ex peste cadaveribus assignata. 287 [a]
Illuc S. Carolus supplicabundus cum populo accedit. 739 [a]
S. Gregorii Nazianzeni Corpus Romæ solemni celebritate circumlatum. 611 (a)
Gregorius XIII. P. M. pluribus Sacerdotiis, ac reditibus Seminarium Mediolanense locupletavit. 94 [b]
Ad Summum Pontificatum, S. Carolo omnibus viribus contendente, promotus. 219
Collegium Helveticum a S. Carolo Mediolani conditum approbat, pluribusque reditibus ditat. 462 [b] 464 [d]
Ejus temperantia a S. Carolo laudata. 482 [d]
Idem Legatis Mediolanensium Breves literas dat, quibus S. Caroli virtutes testatas facit. 512
Aliis Brevibus literis querelas contra Borromeum sibi exhibitas diluit, ac dissipat. 517
Appropinquantem Romam S. Carolum comperiens ambulationem illico deserit. 641
Audito S. Caroli obitus nuncio, celebri ejusdem virtutes elogio celebrat. 802
Ejusdem dictum de Clero Mediolanensi. 1076
Gregorius XIV S. Carolum novum Ambrosium appellabat. 818
Griffidius Robertus Anglus Canon. Ordin. Mediol. Civibus intra Ædes proprias inclusis esculenta defert subsidia. 318 [b]
Grimaldus Hieronymus Genuensis Civis S. Caroli amicus. 319 [a]
Grimaldus Ludovicus Episcopus Ventiensis cum pluribus Episcopis S. Carolo Augustam Taurinorum appropinquanti obviam occurrit. 396 [c]
Grittus Antonius jus Præposituræ S. Barnabæ in Attilium fratrem transferre tentavit. 443 [a] [b]
Grodegandus Metensis Episcopus num S. Nazarii Mart. Corpus Mediolano in Germaniam transtulerit. 436 [b]
Gromius Cæsar Augustensis Episcopus cum pluribus Prælatis S. Carolo extra mœnia Augustæ Taurinorum obviam occurrit. 396 [c]
Gropelli quæ S. Carolus construxerit. 1030
Guarnerius Jo. Canonicus Sanctorum Bergomensium Acta a se conscripta ad S. Carolum mittit, & quod responsum ab Eo acceperit. 861 [a]
Guascus Annibal Oden in S. Caroli laudem concinnavit. 803
Guastavillanus Cardinalis familiam suam ad normam familiarium Borromei instituit. 482
Guenzatus Jo. Baptista Polignani Episcopus, S. Caroli familiaris. 906
Guevara Sanctius Mediolanensis Arcis Præfectus. 557 [a]
Illius mores integri a S. Carolo laudati. ibid.
Guidus Ubaldus Vincentius ex Congreg. Oblatorum magna a S. Carolo accepta beneficia, per literas testatur. 880
Guillelmus Bavariæ Dux nonnulla a S. Carolo postulat. 571
Literas a S. Carolo accipit. 752 [b]
Ad S. Carolum humanissimam Epistolam mittit. 832
Complura sacra Lypsana S. Carolo dono mittit. 862 (b)
Summo in pretio habet S. Caroli Reliquias. 1135

H

HÆreditas S. Carolo legata, in pauperes distribuitur. 1058
Hæresis virus quibus artibus a Diœcesi sua avertere S. Carolus curaret. 101
Hæretici Mediolanensem agrum clam ingressi. 212
Trans Alpes S. Carolo adnitente abire coacti. 214
S. Caroli res plurimi faciunt. 1133
Hæretici Rhæti S. Carolum orant, ut ad eas regiones accedat. 701
Eorum Magistri salubriter instituta in Rhætia a S. Carolo Decreta omni nisu infirmare, ac convellere nituntur. 715 717 [d] & seq.
Helvetia S. Caroli tutelæ tradita. 27
Helvetiæ Septem Provinciæ Catholicæ amorem & benevolentiam suam S. Carolo literis ad Eum scriptis testantur. 832
Helveticæ Valles a S. Carolo iterum lustratæ. 203 & seq.
Literis ad Card. Altempsium datis S. Antistes hoc iter describit. 205 [b]
Helveticum Collegium Mediolani a S. Carolo institutum. 460
Ejus Alumni primùm in Clericorum Seminarium recepti. ibid. [b]
Gregorius XIII. istud Pontificia auctoritate confirmat. 462 [b] 463 [a]
Rhætorum, Helvetiorumque Provinciis Alumnorum numerus designatus. 463
Privilegia pro iisdem a S. Carolo impetrata. ibid. [b]
Aliis reditibus a Gregorio XIII. auctum. 464 [d]
Quot insignes doctrina, & dignitatibus Ecclesiasticis Viri ex eo prodierint. 465 [a]
Sacra Sodalitas a S. Carolo ibidem instituta. 466
Novum pro his Helvetiis Collegium condendam curat, ut Grammaticæ elementis eos informet. 736 *Nota*.
Helvetii Sacerdotes ad ministranda Peste laborantibus Sacramenta a S. Carolo acciti. 281 [a]
Helvetii Pontificio Internuncio, adnitente S. Carolo, donati. 457 [a]
Eorum Valles a S. Carolo lustratæ. 139
Quænam iis in regionibus Sacerdotum eo tempore flagitia repererit. 140
Eorumdem patrocinium S. Carolus sponte deponit. 225 (a)

Digitized by Google

Henrici Higudſtanni Sacrum Corpus in Baſilica Apoſtolorum Mediol. ſervatum . 438 [a]
Henrico Luſitaniæ Regi, & Card. literas S. Carolus mittit . 406 [c] & 468 [a]
Ad eum S. Caroli Epiſtola . 60
Idem conſilium a S. Carolo petit de ineundis nuptiis . 1021
Henricus Poloniæ primùm, deinde Galliæ Rex Mediolanum appropinquat . 239
Hunc S. Carolus Modoëtiæ invitit . ibid. [b] & ſeq.
S. Antiſtiti Miſſam celebranti aſſiſtit . 241
Aurea Crucifixi Domini imagine a S. Carolo donatus . ibid. [a]
Quàm bonam de S. Caroli virtutibus opinionem haberet, teſtatum facit . 814
S. Herculani Corpus a S. Carolo recognitum, & honorifice repoſitum . 545
Herneſtus Coloniæ Archiepiſcopus Literas a S. Carolo accipit . 855
Arculam ſacris Lypſanis refertam S. Carolo donat. 862 [b]
Cui Borromeus magna animi obſtricti ſignificatione per Epiſtolam gratias agit . ibid.
Herſilia Parmenſis Ducis filia Comiti Renato Borromeo nupta . 476 [c]
B. Hieronymi Æmiliani oſſa a S. Carolo cognita, & in honore habita . 158 [c]
Hildebrandus Epiſcopus Sedunenſis Literas ad S. Carolum mittit . 832
Hippolytus Ateſtinus Senior Archiep. Mediol. 67 [b]
Hippolytus Ateſtinus Junior Mediol. Archiep. Eccleſiam iſtam reſignavit cum jure regreſſus . ibid.
Homacinus Jacobus Cannobii S. Carolum ægrotantem domi ſuæ excipit . 763 [a]
Homatus Julius S. Caroli in itinere Romano comes ex rupe cum equo præceps cadit . 477
A S. Cardinali Signo Crucis in medio lapſu ſuſtinetur . 477 [c]
Homodeus Paulus vir probatæ virtutis inter Clericos Regulares Congreg. S. Pauli . 448 [a]
S. Carolo perquam carus . 449
Homodeus P. Antonius Telii in Vulturenis Rector ad aſpera quæque perferenda a S. Carolo ſuis Literis exſtimulatur . 939 [a]
Hortenſia Altempſia S. Caroli Soror : ad eam inviſendam Cardinalis accedit . 205 [b]
Hoſpitali Stultorum Romæ ſito S. Carolus quamdam pecuniæ ſummam vivens legavit . 74 [c]
Hoſpitalitatis amor in S. Carolo eximius . 1037 & ſeqq.
Hoſpites in S. Caroli domo domeſticorum leges ſervant . 1041 & ſeq.
Eorum CCC. unius menſis ſpatio ad S. Carolum divertunt . 1045
Humiliatorum Ordo S. Carolo a Pio V. Pontifice Max. commendatus, ut piis inſtitutis reformaretur . 64 [b]
Ut ad perfectam vivendi methodum eum redigat, S. Carolus operam præſtat . 129 [b] 143 & ſeq.
Ejus initium quo anno contigerit . 143 [b]
Seculo præcipuè XVI. in complura vitia prolapſi eorum Præpoſiti . 144 [c] [d]
Quibus artibus, quaque ſolicitudine S. Carolus ad ſanctiorem diſciplinam eos revocare ſtuduerit . 145 [a]
Ex eo nonnulli contra S. Caroli vitam conſpirant. 183 [a] [b]
Contra eoſdem animadvertitur . 201
Ut mitius in eos agatur, S. Carolus omni niſu contendit . 202 [b]
Idem Pio V. Pont. Max. ex ſacrorum Cœtuum numero expunctus . 208
Quid de hujuſce Ordinis Alumnis poſtea actum . ibid. [c]
Hujus Ordinis Monaſteria fœminarum, poſt extinctionem Fratrum, quibuſdam eorum reditibus ſublevata . 210 [a]
Humilitas S. Caroli quàm profunda . 956
Hanc aliis ſuadere Ille contendit . 966
Hugonotorum in Galliis Hæreticorum errores Sanctus Carolus præſens convellere meditabatur . 852

I

S. Jacobi Apoſtoli Corpus Zibidi in Plebe Lactarellæ ſervari aſſeritur . 744 [a]
Arcam pretioſam hoc pignus ſervantem S. Carolus auro interlito peripetaſmate cooperit . ibid.
S. Jacobi Præpoſitura Cremonæ Clericis Regularibus S. Pauli conceſſa . 209 [a]
P. Jacobus Ordin. Capuccinorum peſtilentiâ ægrotantibus Mediolani inſervit . 291 [a]
Jant Oppidum in Rhætia . 718 [d]
Jejunium Quadrageſimæ per contemptum violans quomodo punitus . 339
Jeroſolymitani Ordinis patrocinium S. Carolo commendatum . 634 [a]
Imagines obſcœnæ S. Carolo permoleſtæ . 1006 [a]
Imago S. Caroli in Poloniam delata, multis miraculis inſignis . 1126 & ſeqq.
Incurabilibus Templi S. Jacobi in Urbe S. Carolus ſupellectilis propriæ partem aſſignavit . 74 [c]
Infans e matris demortuæ gremio a S. Carolo abſtractus, & nutrici traditus . 305 [c]
Infans alter vix natus a Sancto Carolo ſuſcipitur, & baptizatur . ibid.
Ingenium S. Caroli ſummum & peracre ex Summorum Virorum, qui Illum noverunt, teſtimonio . 1061 [b]
Inſtructionum Prædicationis Verbi Dei Libellus Ragazzonio Bergomenſi Epiſcopo a S. Carolo miſſus . 600
Integritas animi a S. Carolo ſervata, & quomodo. 1009, & ſeq.
Intimilienſis Epiſcopus Mediolanum ingrediens barbam abradit, ut S. Caroli decretum colat . 876 [b]
Literas a S. Carolo accipit . 883 [a]
Introitum a S. Carolo luſtratum . 159
Ibi cum eſſet S. Carolus, Dæmones obſtrepere non ceſſabant . 625 [b]
Ad benedicendum æs Campanum ſummum Turris faſtigium conſcendit Cardinalis . ibid.
Inzagum, ab antiquis Anticiacum appellatum, peſtilentiâ infectum a S. Carolo viſitur . 326
Joanna Auſtriaca Franciſco Medicæo deſponſa . 56
Joannæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ mors . 590
Eidem parentalia ſolemni exequiarum pompa Mediolani S. Carolus celebrat . 591 [c]
Quam Oratione funebri laudat . 592 [d]
Joannes Antonius Card. S. Georgii S. Carolum Epiſcopum conſecravit . 30 [c]
Joannes Archiepiſcopus Valentiæ Epiſtolam honoris ſignificatione plenam a S. Carolo accipit . 878
Joannes Auſtriacus Supremus Belgii Moderator S. Caroli opem, & commendatitias Summo Pontifici literas implorat . 406 [b]

Joan-

Digitized by Google

Joannes Episcopus Achadensis Hibernus literas humanissimas ad S. Carolum dirigit. 829
S. Joannis Boni Mediolanensis Antistitis Corpus e S. Michaëlis sub Domo Æde in Templum max. a S. Carolo transfertur. 614 [d] & seq. [a]
S. Joannis ad Domos ruptas Sacræ Ædes Seminario a S. Carolo instituto attributæ. 91 [b] 93 [a]
S. Joannis Baptistæ Sacra Ædes in Seminarii Mediolanensis jus translata. 209 [a]
S. Joannis de Deo Patribus Valetudinarium pro Convalescentibus Mediolani traditur. 734
S. Joannis Decollati Societas a S. Carolo quamplurib. Nobilibus viris aucta, & Misericordiæ nomine appellata. 125 [d]
S. Joannis Euangelistæ Ædes Collegio Nobilium attributæ. 209 [a] 237 [a]
S. Joannis Modoëtiensis Templo addicti Canonici communem vitam olim profitebantur. 370 [a] & seq.
S. Joannis Parmense Monasterium Ordin. S. Benedicti, ubi S. Carolus moram traxit. 648 [a] & seq.
a Jojosa Cardin. literas amoris plenas ad S. Carolum dirigit. 833
Ab Eodem accipit. 877 (a)
Humilitatis veræ præcepta a S. Carolo excipit. 967 [a]
Jojosæ Dux Mediolani ægrotans a S. Carolo invisitur. 666 & seq.
Jornici in Lepontiis S. Carolus fuit. 624 [c]
Iricus Jo. Andreas Ambrosiani Collegii Doctor. 745
Jubilæi celebrandi causâ S. Carolus Romam proficiscitur. 248 & seq.
Idem Mediolani ex Pontificis concessione S. Carolo celebratum. 261 & seqq. 265 & seq. 267 [a]
Aliud post cessationem Pestilentiæ a S. Carolo Mediolani celebratum. 337 (a)
Judæi Ferrariæ degentes quoddam vestium indicium præferre jussi. 495 [a]
Judices in S. Caroli Curia Exteri. 1018
S. Juliani Episcopi cineres in Confessione Templi m.x. a S. Carolo collocati 367
Jurisdictionis Ecclesiasticæ Causa contra S. Carolum Romæ agitata. 417 [a] & seq.
Quænam accusationum capita adversùs Ipsum producta. ibid. & 417 & seqq.
Jus optime administratum in S. Caroli Curia. 1018
Justinianus Vincentius Ord. Prædicat. postea Card. ad S. Carolum scribit. 191
de Justis Petrus Franciscus in Aula Hispanica degens, S. Caroli amicus. 747

K

KRus Nicolaus Nobilis Lucernensis Catholicorum Legatus Curiam mittitur. 740 (a)

L

LAcarellæ Plebs a S. Carolo lustrata. 743 (a)
Lambertengus Tirani in Vulturenis S. Carolum excipere enixè optat. 533 (b)
Lambrugum a S. Carolo lustratum. 746
Lampugnana de Rhaude Cornelia spectabilis pietate Matrona in Templo S. Sepulcri tumulata. 384 (b)
Lampugnano Hippolyto Titulum quemdam postulanti S. Carolus non annuit, & quare. 931
Lancellottus Scipio J. C. a S. Carolo Mediolanum accersitus. 48 (d)
Landriana Franciscа Ascæterii Capuccinarum S. Barbaræ Præses. 799
Landrianus Marsilius S. Antonii Ædes sibi commendatas Patribus Oratorii cedit, & deinde Clericis Theatinis. 367 (a)
Idem postea Viglevanensis Episcopus candelabra, ac vasa argentea S. Caroli tumulo offert. 843
Langhecrucius Jo. quamplures S. Caroli laudes suis in operibus complexus est. 836
Lanius venales carnes Clero exponens, in custodiam traditus. 556 (b)
Lateranenses Canonici nonnulli ægrotantibus pestilentiâ Mediolanensibus opem ferunt. 213 (d)
Lateranus Carolus Ferdinandus Vindobonæ typis edit Institutiones Oblatorum. 386 (a)
Latine scribendi studium quotidianum S. Caroli. 1063
Lattuada Servilianus rerum Mediol. Scriptor: Literæ Angeli Matiæ Card. Quirini ad eumdem datæ. 548 (b)
Laude Pompeja S. Carolus Mariam Austriacam omni honoris genere prosequitur. 575 (a) & seq.
Laudensis Diœcesis Visitatio Francisco Bossio demandata. 456 (b)
Laudensis Ecclesia, absente proprio Episcopo, S. Caroli curæ committitur. 600
Laudensium Seditiones post Pontificis nomine initam ea in Urbe lustrationem, S. Carolus sedare studet. 735
Laurea in Theologica facultate a S. Carolo Seminariensibus Alumnis collata. 99
S. Laurentii Basilica Mediol.: de ea elegantius restituenda S. Caroli vaticinium. 350 (b)
Ibidem S. Carolus Sacrum Chrisma ministrat. 739 (a)
S Laurentii Vicum S. Carolus adiens, literas ad Cardinalem de Gambara mittit. 493 (b)
Lauretana in Æde S. Carolus noctem integram orando transigit. 222
Laurus Vincentius Montis Regalis Episcopus Summi Pontificis apud Sabaudiæ Ducem Internuncius. 616 (d)
Vercellis S Carolum invisit. 754 (d)
Literas ad Borromeum mittit. 756 (a)
S. Lazarus Mediol. Antistes Triduanas instituit Rogationes. 126 [e]
S. Ejusdem Corpus in Basilica Apostolorum sepultum, & a S. Carolo solemniter translatum. 438 & seq.
Legati Mediolanensium nomine adversus S. Carolum Romam missi. 485 [c] 516 [a]
Eam ad Urbem adveniunt. 491
A S. Carolo coram Summo Pontifici sistuntur. ibid. [a]
Prava Mediolanum consilia per Literas mittunt. 507
Quod responsum a Pontifice Max. acceperint. 512 [a]
In Patriam inglorii, & pene repulsi revertuntur. ibid.
Literas Gregorii XIII. recipiunt, quibus S. Caroli Acta probat, & laudat. ibid. & seq.
Eadem Præfecto Urbis non offerunt. 514 [b]
Ex postmodum a Ricardo Decurionibus redditæ. 515
Quibus momentis Pontifex Max. productas adversus S. Caroli sanctiones querelas diluerit, ejusque Decreta probaverit. 517
Legatio Mediolanensium nomine contra S. Carolum Romam missa. 485 491 [a]
Legendi desiderium immensum in S. Carolo. 1068
Leges constanter a S. Carolo latæ, & retentæ. 1017

Digitized by Google

Legiodunum S. Carolus visitavit . 583
Legnanum S. Carolus transfert Parabiago Præpositu-ram , & Collegium Canonicorum . 740 & seq.
Eo in Vico tumulatus Leo de Perego Mediol. Ar-chiep. 742 [a]
Legnanus Hieronymus Ordinis Humiliatorum con-tra S. Carolum conspirat . 183 [a]
Leinatum a S. Carolo lustratum . 667
Leo XI. Pont. Max. Carolum in Sanctorum album referre exoptat . 819
Literæ a S. Carolo ad eumdem adhuc Cardinalem missæ . 820 [a]
Epistolam ad Mediolanenses Urbis Decuriones dedit . ibid.
Ejus mors . 821
Leodii erectum Sodalitium Oblatorum sub nomine Congregationis S. Caroli . 385 [a]
Leonardus de Leonardis Sacerdos Helvetius mini-strandis in Limocomio Mediolan. Sacramentis a S. Carolo evocatus . 281 [a]
Leonetus Soc. Jesu Sacerdos indivisus S. Caroli co-mes in Diœcesi obeunda . 107 [c] 213 [b]
S. Leonis Mart. Corpus in Basilica S. Stephani a S. Carolo recognitum, ibique repositum . 571 [b]
Lepontiæ Valles a S. Carolo lustratæ . 585 [a]
Earum Clerus seditionem movet . 350
S. Carolus citato cursu ad eam compescendam pro-ficiscitur . ibid. [c]
Leslæus Joannes Pontificius in Scotia Legatus . 468 (a)
Literas ad S. Carolum mittit . ibid.
de Leva Franciscus Asculitanæ Principis filius ut Re-ligionis voto solvatur, S. Caroli officia expetit . 745
Leuci intra mœnia S. Carolus transferre optat e Vi-co Castelli Collegium Canonicorum . 131
Inde S. Carolus pertransiens, Sacrum peregit . 626 [c]
Idem oppidum a S. Carolo visitatum . 664 [b]
Quo tempore Collegium Canonicorum e SS. Pro-tasii, & Gervasii Templo ad S. Nicolai transmigra-verit . 746 .
Lianum Vicus ignobilis in Montium jugis . 539
Veritatem falsi miraculi S. Carolus ibidem depre-hendit . 540 [b]
Liberalitas S. Caroli mira . 1026 & seq.
Libri hæretici ab ipsomet S. Carolo in Librariis of-ficinis conquisiti . 102 [b]
Limocomium Mediolanense descriptum . 278
Limocomia pro peste laborantibus in pomœrio Me-diolanensis Urbis disposita . 302 [d]
Limontâ rediens S. Carolus præceps ex jumento ce-cidit, sed illæsus surrexit . 746
Linus Albertus in reformanda Mediolanensium reli-gione S. Caroli Minister . 46 [d]
Linus Franciscus Sabaudiæ Ducis a Secretis, & S. Carolo devinctissimus . 389 [b]
a Sabaudiæ Duce obviam S. Carolo Vercellas mis-sus . 394 [d]
Litaniæ triduanæ ab antiqua usque ætate Mediolani cum jejunio celebratæ . 126
Earum ritus a S. Carolo restitutus . ibid. & seq.
Literæ S. Caroli dehortatoriæ ad Henricum Cardi-nalem Regem Lusitaniæ, ut nuptiarum consilium deponat . 1022 [b]
Literæ S. Caroli ad Episcopum Sacerdotium opulen-tum postulantem . 1053
Literarum studia de somno S. Caroli, non autem de religione quidpiam imminuunt . 1066
Locarnensis Præfectura Collegio ibidem erigendo de-stinata . 209 [a]
Locarni Archipresbyter Ecclesiasticis vinculis ope S. Ca-roli solutus . 663
Locarnum Oppidum apud Verbanum Lacum : cubi-culum, in quo ibi S. Carolus noctem transegit, summa veneratione cultum . 206 [b]
Ejus Loci Templum S. Carolus invisens, nonnul-la de futuro ibidem Deiparæ cultu vaticinatur . ibid.
de Loffredo Hippolyta, & Portia Sorores in Neapo-litano Monasterio degentes literas a S. Carolo ac-cipiunt . 949
Lomatii Præpositus Concionatoris munus in Quadra-gesima exercere a S. Carolo jubetur . 725
Lomatium a S. Carolo lustratum . 667
a Lotharingia Antonia Clivensis Dux argenteam lam-padem ad S. Caroli tumulum mittit . 842
S. Lucæ Mediolanense fœminarum Monasterium a S. Carolo deletum . 105 [a]
Lucernæ in Helvetia Scholæ pro instituendis juve-nibus sub disciplina PP. Societatis Jesu aperiuntur . 227 [b] & 552 [a]
Eam Urbem adit S. Carolus, & quid ibi egerit . 205 [b]
Lucernenses tabulam S. Caroli vultum referentem in eorum Curia collocari decernunt . 807 [a]
Luciagus Alexander S. Caroli tutela, & institutis efformatur, & eximiam morum religionem præ se fert . 549
Qua animi demissione ad Borromeum scriberet . 550
Mediolani in Domo Professa Soc. Jesu feliciter mo-ritur . ibid.
Luciagus Hieronymus Nobilis Brixiensis S. Carolum Diœcesim illam lustrantem officiis suis est prose-cutus . 548 [c] & seq.
S. Carolum hospitio suscipit . 574 [c]
Ab eodem Mediolani amicè exceptus . 595
Sacellum extruit in cubiculo, ubi S. Carolus fuit . 1132
P. Luciani a Florentia de virtutibus S. Caroli testi-monium . 640
S. Lucii Ædes in vertice montis a S. Carolo lustra-ta . 623
Ludimagistri a S. Carolo Belitionensibus dati . 714 [c]
S. Ludovici in Porta Nova Sacra Ædes . 157 [a]
Ludus fortium, etsi pro re Sacra propositus, a S. Carolo rejectus . 601
Luerum ad finem Lacus Sebini a S. Carolo invi-sum . 530
Luganensis Humiliatorum Fratrum Præfectura Col-legio Locarni erigendo destinata . 209 [a]
Luinati Monasterium fœminarum a S. Carolo ever-sum . 105 (a)
Luini Templum, S. Carolo opus urgente, exædifica-tum . 601
Lunati Puteolis novem Virginum Monasteria a San-cto Carolo ad tria tantùm redacta . 105 (a)
Lupus P. Alphonsus Ordinis Capuccinorum ob exi-miam in dicendo facundiam S. Carolo probatissimus. 510 (a)
Ab eodem Panormum ad Sacras Conciones habendas dimissus . ibid. & 570
Luragum a S. Carolo lustratum . 667
Lusignana Anna Ludovici Sabaudiæ Ducis uxor . 387
Lusitaniæ Regni protectio S. Carolo commendata. 27 (a)
Eam deponit . 225 (a)

Lusi-

Digitized by Google

Lusitaniæ Infanti Cardinali Literæ a S. Carolo missæ. 847
Lussius Helvetius Pontificiarum excubiarum Præfectus. 550 (a)
S. Carolo amicus. 740 (a) 748
Mediolanum proficiscitur, S. Caroli Sepulcrum veneraturus. 839
Lustratio Urbis Mediolani S. Carolo jubente cœpta post Pestilentiæ cessationem. 341 (a)
Qua de causa intermissa. ibid. (b)
Luxum quantum detestaretur S. Carolus. 1035 (a)

M

MAcanei S. Carolus ægrotans in vili tugurio decumbit. 964
Maceconici Ecclesiæ Mediolan. quare sic appellati. 116 (c)
Maderni Villa in Agro Brixiensi S. Herculani Corpus servat, a S. Carolo recognitum, & solemniter translatum. 545
Maddius Dominicus Castellanus Patricius Mediol. Dux Vigilum, pestilentia in Urbe grassante. 294 (a)
Madrucius Senior Tridentinus Episcopus Mediolanensis Provinciæ Gubernator. 608 (a)
Madrucius Junior Cardinalis Tridento Romam petit, ut ibi S. Carolum inviseret. 493 (a)
I. Provinciale Concilium a S. Carolo dono accipit. 957 (a)
Magadini ad Verbanum Lacum S. Carolus tabulæ innixus somnum cepit. 206 (b)
Ibidem jumenta S Carolo inservientia fortuito incendio absumuntur. 585 (a)
Flammæ a S. Carolo injecta Agni Cælestis cerea imagine extinguuntur. 583 & seqq.
de Magnis Aloysius S. Carolo per literas a Rodulpho Augusto commendatus. 592 (b)
SS. Magorum reliquias S Carolus a Colonienſibus impetrare conatus est. 923 (a)
Maleficæ in Mesolcina Valle deprehensæ culpas per Confessionem deponunt. 692 (b)
Flammis damnatæ rogo imponuntur. 693
Maletta Hieronymus Congregat. Clericorum S. Pauli S. Carolo acceptissimus. 449
Melitam Pontificio nutu missus. ibid. & 595 & 634 (a)
Malvaliæ populo in Lepontiis S. Carolus literas dat. 673
S. Mammetis vicus a S. Carolo lustratus. 624 (a)
Mancinellus Julius Soc. Jesu S. Carolum vocat Ecclesiæ Doctorem. 1065
Mandellus Tatius Urbis Mediol. Præfectus Carolum rogat, ut cum Provinciæ Moderatore mitius agat. 231
Manlia Dædalia Mediolanensis piissima fœmina. 487
Manervii S. Carolus triduum fuit. 629
de Manetibus Antonius Scholarum Doctrinæ Christianæ Sodalis. 896 (a)
de Mannis Anna Cremonensis virgo ditissima, S. Caroli patrocinio adjuta, ut procorum, & consanguineorum insidias eluderet. 675
S. Marthæ Monasterium Mediol. ingressa Prudentianæ nomen assumpsit. 676
Manrichius Hieronymus Ulyssipone degens literas a S. Carolo accipit. 627 (b)
Manriche de Lara Aloysius, S. Carolo operam suam interponente, fratri reconciliatus. 659
Mantuæ occisi duo Fratres Ord. Prædicatorum. 150 (c) (d)
Illuc missus S. Carolus Pontificis Summi Legatus ibid.
Ibidem Societatis Jesu Patres, S. Carolo operam præstante, sedem figunt. 227 (b)
Illuc S. Carolus adiit, & qua de causa. 476 (d)
Margarita Austriaca Mediolano pertransiens S. Caroli tumulo preces obtulit. 839
Margarita Farnesia quo tempore in S. Pauli Asceterio moram traxerit. 673
Parmam redit. ibid.
Monasticis vestibus a S. Carolo induitur. 674
In cujus manibus Religiosum Institutum professa est. 675
Maria Austriæ Archidux Literis ad Octavianum de Forreriis datis acceptum a S. Carolo beneficium testatur. 844
Partem indulsii S. Caroli postulat, & impetrat. 1134
Maria Austriaca Aug. in Hispanias proficiscens per Insubriam transit. 573 (a)
Brixiæ a S. Carolo invisitur, deinde Soncini, postmodum Laude-Pompeja. 574 (c) 593 (c)
S. Caroli virtutes magni fecit. 747
S. Mariæ Magdalenæ Sodalitium a S. Carolo institutum. 441
Mariæ Scotiæ Reginæ S. Carolus literas mittit. 813 (a)
Alias Borromeo Literas eadem dirigit. 829 (a)
S. Mariæ ad Montem prope Varisium Monasterium Virginum. 453
Ejusdem Constitutiones a Nicolao Sormano Bibliothecæ Ambrosianæ Præfecto editæ. ibid.
S. Mariæ ad Nucem Seminarium a S. Carolo institutum. 93
S. Mariæ ad Succursum Ædes excipiendis impuris fœminis assignatæ, ut meliorem vivendi normam amplecterentur. 441 (a)
Exdem quare vetitæ indusia S. Caroli purgare. 626 (b)
S. Mariæ ad Stellam Mediolanense Virginum Monasterium a S. Carolo extinctum. 105 (a).
S. Mariæ a Valle Moniales annonæ subsidium a S. Carolo recipiunt. 630
S. Mariæ Ægyptiæ Ædes excipiendis pœnitentibus fœminis destinatæ. 442 (a)
S. Mariæ Consolationis de Viglevano Mediolanense fœminarum Monasterium a S. Carolo delectum. 105 (a)
Ejusdem Moniales ad S. Magdalenæ ad Circum Claustra translatæ. 464 (c)
Earum Ædes Collegio Helvetico a S. Carolo attributæ. ibid.
S. Mariæ in Vallicella Sacram Ædem S. Carolus Romæ degens frequenter invisit. 483 (c)
S. Mariæ Lauretanæ Monasterium Capuccinarum Mediolani apertum. 431
S. Mariæ Magdalenæ ad Circum Monasterio, Moniales Ordinis Humiliatorum Lunato amotas S. Carolus aggregat. 140 (b)
S. Mariæ Magdalenæ Monasterium in Castello ad Leucum S. Carolus intra Leuci mœnia transferre meditatur. 664 (b)
Eaſdem ad implenda mandata S. Carolus obsequentissimas habuit, & humanissimis Literis benevolentiæ suæ certiores fecit. 969 (a)
S. Mariæ Majoris Romana Ædes a S. Carolo restaurata, & Canonicorum in ea numerus auctus. 41
S. Mariæ Podonis Templum Mediolani, in quo Sepulcra Majorum S. Caroli. 14 (a)
S. Mariæ prope S. Calimerium ædificia primum Theatinis

tinis Clericis affignata; reditus vero Metropolitano Collegio attributi. 209 (a)
Ex poſtmodum Ædes excipiendis pauperibus puellis a S. Carolo deſignatæ. 373 (b)
S. Mariæ Scalenſis Templum Mediolani. 168
Illud luſtrare S. Carolus quærens, vi, atque armis repellitur. 169 (b) (c) 171 (b) (c) (d)
Ob intentatam Cardinali injuriam illius Eccleſiæ Canonici excommunicationis pœnæ ſuppoſiti. 172
Huic Collegio Præpoſitus pœnâ inflictâ poſt quatriduum ſolutus. 194 (b)
Canonici ad limen Templi Max. a S. Carolo Anathematum vinculis ſoluti. 195 (a)
Nonnulli ex iis Seditionis contra Carolum excitatæ Auctores, & Anteſignani, Ejuſdem patrocinio adjuti, veniam impetrant, & mitiori pœna multantur. 196 (b)
Eccleſia ipſa ritualibus cæremoniis a S. Carolo expiata, atque luſtrata. ibid.
Contra eoſdem intentatæ in S. Carolum mortis calumniam commentus Sacerdos, gravi pœna a Borromeo mulctatus. 198 (b)
Mariæ Virgini amorem, ac reverentiam S. Carolus profitebatur. 859
Ejuſdem ab Angelo ſalutatæ effigies Metropolitano Templo ab Eodem Borromeo dono data. 860
Qui in Templis omnibus ſuæ Diœceſeos Deiparæ effigiem præfigi mandat. ibid.
S. Marini Mart. Exuviæ a S. Carolo in Baſilica S. Stephani inventæ, ac recognitæ. 571 (b)
de Marinis Thomas ſuſtentatus a S. Carolo. 1057
Marinus Leonardus Albenſis Epiſcopus Mediolano aberat, cum ignea glans contra S. Carolum exploſa eſt, ut falsò Ughellus aſſeruit. 187 (a)
de Marlianis Comes Paulus Camillus S. Caroli ſtudioſiſſimus. 489 (a)
S. Caroli faciem cæleſti fulgore coruſcantem vidit. 599
Cubiculum, in quo S. Carolus quievit, dedicat. 1132
S. Maroli Mediol. Antiſtitis exuviæ in Baſilica Apoſtolorum inventæ, & a S. Carolo ſolemni celebritate translatæ. 438 & ſeq.
S. Marthæ Romano Monaſterio S. Carolus vivens pecunias aſſignavit. 74 (c)
S. Marthæ in Romana Porta Sodalitas a S. Carolo inſtituta. 619 (a)
Martignonus Ludovicus pietatem S. Caroli erga infantem vere paternam commendat. 305 (c)
Martinellus Georgius Maria Congreg. Oblatorum Collegium inſtituit Sacerdotum ejuſdem Inſtituti prope Rhaudenſe Deiparæ Templum. 733
Martinengum Oppidum Ditionis Venetæ in Agro Brixienſi. 504 (d)
Prope illius Mœnia S. Carolus nocte concubia quamplures factioſos exules ad colloquium recipit, & ad propoſitum vitæ melioris hortatur. 546 (a) 547 (a)
S. Martinianus Mediolan. Antiſtes in S. Stephani Baſilica depoſitus. 365 (a)
S. Martini in Compito Paroeciam S. Carolus aliò tranſfert. 225 (b)
S. Martini Modoëtienſe Monialium Cœnobium. 159
Martis-Vicus a S. Carolo luſtratus, & Præpoſito donatus. 130 (b)
Ejus loci plebs a S. Carolo pedibus luſtrata. 578 (b)
de Martyribus Bartholomæus Bracharenſi Archiepiſcopatu ſe abdicat; & hac ſuper re literas a S. Carolo accipit. 894 (b)
Maſcardus Nicolaus S. Caroli familiaris, poſtmodum Bruneti Epiſcopus. 83
Opus *de Probationibus* in lucem edidit; ex quo Plagiarii notâ ſibi inuſtâ, aliud ad tuendam veritatem producere meditabatur, ſed S. Carolus, hanc injuriam ut diſſimulet, per literas ei ſuadet. 966 (a)
S. Caroli conſtantiæ præclara teſtimonia profert. 983 (a)
Maſini in Vico S Carolus cum Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce colloquium habet. 579 (b)
Maſnagæ Pagus a S. Carolo viſitatus. 746
S. Materni Mediolan. Antiſtitis Oſſa in Baſilica Naboriana a S. Carolo recognita. 216
Matthias Salodienſis ex Ordine Capuccinorum Conciones habuit in Templo Max. Mediol. 121 [a]
Bergomenſibus Quadrageſimæ tempore Orator Sacet a S. Carolo conceditur. 569 (a)
Iterum Quadrageſimales Conciones Mediolani in Templo Maximo habet. 600
Matreria Vallis a S. Carolo luſtrata. 664 (b)
Matronarum pia Sodalitas in Templo S. Sepulcri. 384 (b)
S. Matroniani Eremitæ Corpus in Baſilica Apoſtolorum Mediolani ſervatum, & a S. Carolo ſolemni pompa translatum. 438 (b)
Maturitas ſumma in S. Caroli actionibus, & decor. 1012
Maurocenus Cardin. Brixienſis Epiſcopus aſſeveravit S. Caroli legibus populum ſuum gubernari. 548
S. Maximi Mart. reliquiæ in Confeſſione Templi majoris a S. Carolo collocatæ. 367
Maximilianus Archidux Auſtriæ ad S. Carolum literas mittit. 832
Idem, aliique Auſtriæ Archiduces S. Caroli reliquias maximi faciunt. 1135
de Mayno Comes Gaſpar S. Carolum a viſitatione Eccleſiæ Scalenſis avertere, illi periculum metuens, humaniſſime nititur. 171 (b)
Medelienſes rei cenſus S. Carolo ſolvendi, humane ab Eodem habiti. 1026 (b)
Medicæa Cæcilia Octavii Gonzagæ Uxor, & S. Caroli conſanguinea. 655 (a)
Medicæa Margarita, S. Caroli mater. 5
Solitudinis amans. ibid.
Medicæus Jo. Jacobus, S. Caroli avunculus. 4
Martiæ Urſinæ ejus uxor. ibid (a)
Medicæus Jo. Angelus ad Summ. Pontificatum evectus, aſſumpto nomine Pii IV. 17
Romam advocat S Carolum Sororis filium, eumque Eccleſiaſticis dignitatibus cumulat. 18
Sub ejus Pontificatu feliciter ad exitum perducitur Concilium Tridentinum. 35
Inter Caroli amplexus moritur. 57 & ſeq.
Medicorum conſilia S. Carolus parvi pendit. 268 (c)
Mediobarbus Politonius Romæ moritur. 418 (a)
Mediolani Concilium Decurionum habitum ob legationem contra S. Carolum ad Romanum Pontificem mittendam. 485
Quid in eo peractum fuerit. ibid. (c)
Legati Civitatis Romam intrant. 491
Poſt illorum adventum illico S. Carolus Mediolanum redit. ibid. (a)
Mediolanenſes S. Carolo ſolemni pompa Urbem ingredienti occurrunt, Eumque magna obſequii & amoris ſignificatione excipiunt. 50 51 (a) (b) & ſeq.
Propriis e domibus, ſerpente per Urbem peſte, edicto egredi vetiti. 315 & ſeqq.

Quo

Digitized by Google

Quo tempore libertate donati. 344 (b)
Nomenclatura Civium peſtilentiæ morbo mortuorum. 354 (c)
Anniverſario recurrente Borromei obitus die, ab operis omnino ceſſant. 809 & 810
Magna animorum contentione, honoris, & cultus teſtimoniis Borromei memoriam conſecrant. ibid.
Mediolanenſis Civitas a S. Carolo per partes luſtrata. 571
Mediolanenſis Eccleſia quot Præſules inter Sanctos adnumeratos recenſeat. 1 (a)
Ejus ſtatus, & mores corrupti ſub Adventum S. Caroli Mediolanum. 65 & ſeq. (a)
Ea ad Summam Sanctitatem, morumque diſciplinam a S. Carolo compoſita. 948
Mediolanenſis populi docilitas ac pietas a S. Carolo laudata. 129 (a)
Mediolanenſium nomine querelæ ad Pontificem Max. contra S. Carolum miſſæ. 473 (a) 474 (f)
Eorum dolor audito S. Caroli ægrotantis periculo, & poſt Ejus mortem luctus. 767 & ſeq. 770 (a) & ſeq.
Ejulatu, & fletibus Borromei funeri parentarunt. 773 (a) 801
Hujus Urbis Decuriones triſtiſſimum caſum, & S. Caroli exiſtimationem Gregorio XIII. denunciant. 803 (a)
In ſingulis ferme Templis ad Illius requiem ſolemni, ac ſumptuoſo apparatu perlitatum. 805
Mediolanum ſeculo XVI. ineunte, fame, peſte, & bello laboravit. 68 (d)
Iterum anno MDLXXVI. peſtilentiâ afflictum. 273 & ſeqq.
Civium eo tempore numerus ad CCC. millia. 316
Quæ ſubſidia in tanta calamitate a S. Carolo, Ayamontio, Regiaque liberalitate perceperit. 284 (d)
Pœna M. Aureorum indicta ab Urbis Præſide, ne quis graſſante lue egredi auderet. 288 (c)
Patricii Viri ad bene adminiſtranda infectæ morbo Urbis negotia a S. Carolo delecti. 289 (b)
Melitam ex nutu Pontificio mittitur P. Hieronymus Maletta Congregat. Cleric. Regul. S. Pauli. 634 (a)
Meltium Caſtrum a S. Carolo luſtratum. 744 (a)
Memoriale, titulus Libri a S. Carolo conſcripti. 353
Quo ille tempore a S. Carolo elucubratus. 420 (a)
Menaſii per Vallem S. Carolus Porletiam contendens iter fecit. 620 (b)
Menechinus Fabius in intentatæ in S. Carolum mortis Auctores diligenter inquirit. 220 (c)
Merula Jo. Jacobus S. Caroli pædagogus, deinde Parochus Beſanæ. 10 (c)
Meſolcina Vallis a S. Carolo luſtrata. 682 & ſeqq.
Ibi maleficas mulieres, viroſque eâdem peſte infectos Borromeus invenit, & ad meliorem frugem reducit. 686 (b)
Quinam in ea Valle mores hominum forent, & inſtituta. 687 (a) 691 (a)
Rectam vivendi normam S. Caroli operâ incolæ amplectuntur. 695 (a) & ſeqq.
Leges ad rectam vivendi normam diu ſervandam ibidem a Borromeo ſancitæ. 699
Meſaucum quamplures Hæretici incolebant. 700 (a)
Optimi Ludimagiſtri ea in Valle a S. Carolo conſtituti. 715 [a]
Quæ ibi pietatis monumenta perſeveraverint. 719
Meſſerani S. Carolus ejus Loci Dynaſtam ægrotantem convenit. 753 [a] [b]
Illuc Borromeus iterum redit. 758 (b)
Methymnæ Aſidoniæ Dux S. Caroli cauſæ in Aula Hiſpanica favet. 563
Literæ a Borromeo ad eumdem miſſæ. 565 [a]
Metropolitanæ Mediolanenſis Canonici Ordinarii Literas amoris plenas ad S. Carolum Romæ degentem mittunt. 487
Ejuſdem Collegii Ædes a S. Carolo excitatæ. 42 [c]
Metropolitanum Mediol. Templum a S. Carolo pretioſis aulæis, aliiſque muneribus donatum. 73 [c] 75
Ab Eodem ſolemni ritu conſecratum. 355
S. Michaëlis ad Murum-ruptum Paroecia a S. Carolo abolita. 125 [b]
Eidem Sacra Ædes juſſu S. Caroli diruta. 614 [d]
S. Michaëlis ſub Domo Paroeciam S. Carolus ſuppreſſit. 125 [b]
Ejuſdem ædes deſtructæ. 570 [a]
Inde Borromeus S. Joannis Boni Prædeceſſoris ſui Oſſa in Metropolitanum Templum ſolemniter tranſfert. ibid.
Michaëllus Ludovicus Albenſis Epiſcopus a S. Carolo conſecratus. 742 & ſeq. [a] 745
Micinellus Gaſpar cum M. Antonio Benzono ſingulare certamen indixerat, quod S. Carolus impedire curavit. 948 [a]
Miracula S. Caroli ante Apotheoſim plurima. 1083 & ſeqq.
Poſt Apotheoſim innumerabilia. 1085 [a]
Miramundenſi Sacerdotio injunctum onus MCC. aureorum Metropolitano Collegio perſolvendi. 117 [a]
Mirapici Epiſcopo Literas S. Carolus mittit, eum ad Catholicam Fidem impigre tuendam accendens. 854
Miraſolis ſuburbana Ædes S. Carolo accepta, ut ab hominum ſtrepitu nonnunquam ſe ſubduceret. 190 [b]
Ejus Præpoſituræ prædia Mediolanenſi Helvetiorum Collegio aſſignata. 210 [a] & 462 [b]
Miriſius Clemens Ordinis Humiliatorum in S. Carolum conſpirat. 183 [a]
S. Carolo peracti ſceleris ſeriem patefecit. 200 [c]
Miskowskia Anna per S. Carolum ſanata. 1127
Miſſaleæ Eccleſia a S. Carolo luſtrata. 215 [a]
Mochantius Franciſcus Pontificius Cæremoniarum Magiſter. 802
Moderatio animi in S. Carolo eximia. 1012
Vocabulorum, curata a S. Carolo in ſcribendo. 1025 [a]
Et in ſupellectili utenda hoſpitibus. 1039 [a]
Modoëtia anno MDLXXVI. peſte laborat. 286 [b]
Illius Eccleſiæ Archipresbyter ad opem ægrotis ferendam a S. Carolo per literas ſolicitatus. ibid.
Ibi S. Carolus Henricum Galliæ Regem illinc tranſeuntem viſit. 239 & ſeqq.
Modoëtienſes Ambroſianæ Eccleſiæ ritus ſequi recuſant. 413
Contra S. Carolum eorumdem uſum indicentem legationem Romam mittunt. ibid. & ſeq.
A Ritibus Ambroſianis deficiunt. 903 [a]
Modoëtienſis Baſilicæ Clero S. Carolus inſignia Violacei paludamenti pro Archipresbytero, & almutiarum pro Canonicis a Pontifice Max. impetravit. 417 & 750
Ejus Archipresbytero S. Carolus Pontificalia Inſignia impetrare meditatur. 634
S. Monæ Mediolanenſis Antiſtitis Oſſa a S. Carolo in Templum maximum ſolemniter translata. 264 271
Et in Confeſſione Templi Max. a S. Carolo depoſita. 367

Digitized by Google

Monasteria fœminarum a S. Carolo Vicarios, ac Protectores recipiunt. 89
Serpente Mediolani pestilentia, ab omni clade præservata. 330 & seq. [a]
Monasterii Mediolanensis Virgines S. Carolo ad lustrationem accedenti, agmine facto se opponunt. 969
Has lenitate, ac patientia Borromeus tandem ad leges accipiendas perduxit. ibid.
Monati Sacerdotia quædam in Mediolanensem Sancti Thomæ Ædem ad complendum Canonicorum Collegium translata. 246
Moneta Ludovicus S. Marthæ Monialium a Confessionibus. 69 [a]
Individuus comes a S. Carolo adscitus. 79 [a]
Ejus laudes. 84 & seq.
S. Carolum præcessit Ecclesiam S. Mariæ Scalensis adeuntem. 171
Civibus intra ædes proprias inclusis butyrum, & salem in cista deferebat. 318 [b]
Barbæ radendæ morem amplectitur. 335 [a]
Moniales alloqui sine arbitris indecens. 1007
Moniales Varisienses Humiliati Ordinis a S. Carolo censu donantur. 1026 [b]
Mons-Cineris magno cum labore ob glaciem a Sancto Carolo superatus. 351
de Monte Augustinus Scholarum Doctrinæ Christianæ Sodalis. 856 [a]
de Monte Christophorus patruelium suorum institutor a S. Carolo delectus. 102 [c]
Montis-Oliveti Monasterium S. Carolus invisit. 248
Montius Hieronymus, peste sæviente, Magistratus ad Sanitatem tuendam instituti diligentissimus Præses. 289 [a]
Mora Bernardinus Auditor S. Caroli ad Curiensem Episcopum missus. 700 703 [a]
Deinde ad Rhætorum Curiense Concilium. 705 706 (c)
Quid eo in itinere illi contigerit. 707 [a]
S. Caroli familiaris, deinde Episcopus Aversanus. 83
Moresco P. Ambrosius Soc. Jesu ad instruendos in Mesaucis pueros Institutor designatus. 715 [a] 719
Ad Curiense Tribunal a Rhætiis vocatus, iterum ad Mesaucos missus. 725 Not. s.
Morigia Jacobus Antonius Congregationis Clericorum S. Pauli Institutor. 442
Mornicus Ambrosius quid de S. Caroli indefessis laboribus testatus sit. 113 [b]
Præsens, cum ignea glans contra Eumdem explosa fuit. 286
Hujus facti seriem diligenter describit. ibid. [b]
Moronus Jo. Mediol. Card. ad Tridentinum Concilium Legatus. 34
Moronus Comes Sforcia Gubernatoris Mediol. ad S. Carolum Legatus. 229 [a]
Mors S. Caroli multis miraculis illustris. 1092
Mortariæ S. Carolus moram traxit. 454 [a]
Morteroni in Diœcesi Mediolanensi S. Carolus fuit. 634 639
Mortui a S. Carolo in vitam revocati. 1125 & 1149
Mozaniça Virgo Mediolanensis Monasterium Capuccinarum S. Praxedis ingreditur. 430 [d]
Mulierum licentia in frequentandis Templis a Sancto Carolo edicto compescitur. 244 245 [b]
Munera a S. Carolo repudiata, præsertim tempore lustrationis. 1051 [a]
Munificentia S. Caroli in Basilicam Mediolani Maximam, Canonicos suos, Templa omnia, & cujuscumque Ordinis Religiosos homines. 1029, & seq.

N

SS. Naboris ac Felicis Martyrum Corpora in Mediolanensi Basilica eorum nomini dicata servantur. 216 [d]
S. Naboris Mart. exuviæ a S. Carolo in Æde S. Celsi recognitæ. 573 [a]
de las Naos Hispaniarum Regis Legatus ad Pont. Maximum. 246 [d]
Nardinus Stephanus Mediol. Archiep. Collegium Romæ instituit. 468 [a]
Nassinus Bartholomæus Ordin. Humiliatorum Præpositus S. Carolo reos patrati in Eum criminis indicat. 200 [c]
Capitali supplicio S. Caroli ope liberatus. 202 [b]
Natalem Domini noctem S. Carolus Romæ degens insomnem, & in assidua meditatione transegit. 483 [b]
Nationum ferme omnium hospites S. Caroli ædibus utuntur. 1038 & seqq.
Nava Lucretia a Matre pestilenti anno in lucem edita, a S. Carolo baptizatur. 306 (d)
Nauta in blasphema verba erumpens, a S. Carolo objurgatus. 953 (a)
S. Nazarii in Basilica S. Carolus Sacrum Chrisma ministrat. 739 (a)
S. Nazarii Mart. Corpus Mediolani repertum in Basilica Apostolorum, & a S. Carolo recognitum. 435 (a) (b) & seq.
Ejus translatio ab Eodem cum Episcopis Provinciæ solemniter celebrata. 439 (a) (b)
S. Nazarii ad Petram Sanctam Paroeciam S. Carolus alio transfert. 125 (b)
Nervianum a S. Carolo visitatum. 667
S Nicolai Eremitæ Cineres in Subsilvania servati S. Caroli obsequiis coluntur. 205 (a)
Nicolaus Episcopus Cremonensis suis literis S. Carolum ad bene administrandam rempublicam excitat. 24 (b)
S. Niconis exuviæ a S. Carolo repertæ. 132 158 (c)
In primarium Bestii Templum translatæ. ibid. (b)
Hujus Sancti Acta typis edita. ibid.
Ejusdem corpus quo tempore translatum. 158 (c)
Nix ad justam hominis staturam Anno MDLXX. e cælo lapsa. 211
Ejus, quæ timebantur, incommoda suis precibus Sanctus Carolus avertit. ibid. (a)
Noctes Vaticanæ institutæ a S. Carolo, & qua de causa. 1065
Earum utilitas. ibid.
Nonantulana Abbatia a S. Carolo Supremo Pontifici resignata. 71 (a)
de Nores Cæsar Parentii Episcopus ad regendam Brixiensem Ecclesiam aptissimus a S. Carolo judicatus. 750
Notarii Ecclesiæ Mediolanensis. 116
Novariæ institutum Sodalitium Oblatorum. 386 (a)
Novaria S. Carolus pertransiit Augustam Taurinorum adiens. 392 (d)
Ibidem Sacrum fecit S. Carolus cum Vercellas se transferret. 668 (a)
Novariensis Diœcesis lustratio Bonhomio Vercellensi Episcopo destinata. 456 (b)
Novariensi Ecclesiæ designandum Antistitem post mortem Francisci Bossii S. Carolus ex his proposuit: Francisco Panigarola, Gaspare Vicecomite, & Cæsare Speciano. 754 (c) 757 (b)
Novioduni Episcopo S. Carolus Literas dat, iisdem anima-

animarum ſalutis curam ſummopere commendans. 943 (a)
Novocomenſis Diœceſis Viſitatio Bonhomio Vercellenſi Epiſcopo injuncta. 456 (c)
Novocomum S. Carolus utrum adierit. 619 (b)
Probabilius cenſetur Borromeum eam per Urbem tranſiiſſe. ibid. & ſeq.
Noxæ etiam leves quibus remediis a S. Carolo fugerentur. 1014
Nubis ſpecies, qua e ſumma Templi Max. teſtudine Sacratus Chriſti Domini Sanguine Clavus ad ima deducitur. 345
Nuditas corporis etiam levis a S. Carolo improbata. 1005

O

OBedientiarii Sacerdotes ab Eccleſia Mediolanenſi expuncti. 118
Oblati Sacerdotes quo tempore Seminarii gubernationem acceperint. 97 (d) & 385 (a)
Eorum quamplures a S. Carolo Collegiis Canonicorum adſcripti. 372
Oblationes Regionum Urbis Templo Max. inferendas S. Carolus a profanis ſpectaculis ad pietatis normam revocat. 128 (c)
Oblatorum Congregationis XXVIII. Sacerdotes peſtilentiâ oppreſſi, quæ Mediolanum afflixit Anno MDCXXX. 323 (a)
Eorum Sodalitas a S. Carolo inſtituta. 375
Leges iiſdem indictæ. ibid. (b) & ſeq.
A SS. Philippo Nerio, & Felice a Cantalicio approbatæ. 381 (a)
Præpoſituræ Ottaciorum reditus huic Collegio attributi. 377
S. Sepulcri Ædes iiſdem aſſignatæ. 378
A Gregorio XIII. approbata eorum Sodalitas, & donis ampliſſimis aucta. 380 (d)
Alii reditus pro eadem Congregatione a S. Carolo impetrati. ibid.
Nonnulli Pontifices Max. hanc plurimis beneficiis ornarunt. ibid.
Inſignes doctrina, & pietate viros S. Carolus huic Sodalitio adſcripſit. 381
Oratorii S. Philippi Nerii Patres duo naſcenti huic Sodalitio dati Collegæ. ibid (a)
Conſortia quotannis celebranda. 382 (b)
Oblati Seculares a S. Carolo inſtituti. 385 (a)
Oblatorum Congregationi primùm adſcripti Natalitiis Chriſti Domini diebus obedientiæ votum emittunt, & in Inſtituto confirmantur. 483 (b)
Obſervantes S. Franciſci Fratres quidam peſte laborantibus inſervientes eodem morbo correpti interiere. 213 (d)
Oculi caute a S. Carolo cuſtoditi. 1012
Odæi Sedilia in Eccleſia Metropolitana S. Caroli ære elaborata. 467 (a)
Odæum prope locus Magiſtratibus in Templo Max. deſtinatus a S. Carolo. 122 (d)
Odeſcalchæ Genris Nobiliſſimæ Palatio S. Carolus apparens benedicit. 1105 (a)
Odeſcalchus Benedictus Card. Archiepiſcopus Mediol. Collegium Oblatorum ad Rhaudenſe Deiparæ Templum erectum beneficiis fovet, & auget. 733
Viſitationis B. M. V. Moniales in hanc Urbem induxit. 374 (b)
Odeſcalchus Thomas Senator Teſtamenti ſui Arbiter a S. Carolo inſtitutus. 774 (b)
Officia pro Sacerdotibus promovendis nec audienda, nec admovenda. 1070 ibidem (a)
Officium B. M. V. a Canonicis Eccleſiæ Metropol. Mediol. in Odæo recitandum, & quando. 119
S. Olderici Auguſtani Epiſcopi Corpus utrum Mediolani ſervetur. 438 (a)
Olginatum dum iret, in domo Equitis Patei S. Carolus cœnam ſumit. 327 (b)
Olgiati ad Olonam plebs a S. Carolo luſtrata. 599
Ejus loci populus Præpoſituram ab eo Pago Buſtum Arſitium a S. Carolo translatam ſibi iterum vindicare fruſtra contendit. 659
Olginatum Plebis caput a S. Carolo luſtratum. 664 (b)
Olivarius Comes Antonius Regis Hiſpaniarum apud Pontificem Max. Orator Miſſæ Sacro a S. Carolo celebrato intereſſe voluit. 643 (a)
Olivetani Monachi nonnulli peſte afflictis Mediolanenſibus ſubſidium præſtant. 213 (d)
Portianam Baſilicam Mediol. extruunt, & exornant. 270 (d)
Oratio Veſpertina a S. Carolo in Archiepiſc. Palatii Sacello inſtituta. 507
Oratoria ars S. Carolo in deliciis fuit. 1065
Orientis Templa a S. Carolo refecta 1055 (a)
Ormanetus Nicolaus primam Diœceſanam Synodum nomine S. Caroli Mediolani coëgit. 44 & ſeq.
Romam redire meditatur. 46
Sanctum tamen Carolum advenientem Mediolani præſtolatur. 16 (a)
Sancti Caroli Vicarius, poſtmodum Epiſcopus Patavinus. 83
Ejus Laudes. 85 (a)
Seminarii excitandi provincia eidem a S. Carolo demandata. 90 (b)
Quo Anno Mediolanum a Sancto Carolo miſſus. 107 (a)
Veronam a S. Carolo remiſſus, & deinde Romam, eum vocante Pontifice Max. 129 (b)
Orphanotrophiis S. Martini pro pueris, & Sanctæ Catharinæ pro fœmellis leges a S. Carolo datæ. 619 (a)
Orphanotrophium in Hoſpitali S. Celſi, vigente peſtilentia, a Carolo apertum. 306 (b)
Orrigonus Gregorius Mediol. Medicus a S. Carolo adductus, ut peſtilentiâ ægrotantibus præſto eſſet. 324 (b)
Oſium Bergomenſis Agri a S. Carolo luſtratum. 666
Oſtiariorum Collegium ad cuſtodiam Templi maximi a S. Carolo erectum. 120
Ottaciorum Præpoſitura Seminario Mediolan. a S. Carolo impetrata. 210 (a)
Ovvinermus Dux Juliæ negotium ſuum Romæ tranſigendum Sancto Carolo per Literas commendat. 830 (a)

P

PAcis, ſeu S. Mariæ de Pace Sacra Ædes a B. Amedæo S. Franciſci Alumno condita, ubi illius Oſſa quieſcunt. 148 (c)
Padolironeſe Monaſterium S. Carolus adiit, ibique per biduum moram traxit. 476 (d)
Pagnonæ Templo pretioſam impluviam veſtem Sanctus Carolus dono dedit. 625 (a)
Palatium Archiepiſcopale S. Caroli, ſtrictioris diſciplinæ Cœnobio aſſimilatum 81
Paleottus Cardin. Bononiâ Mediolanum evocatus a S. Ca-

Digitized by Google

Carolo, ut Sanctorum Corporum translationi interesset. 610 (c)
Una cum S. Carolo Taurinum pergit. 616 (d)
Sacris donis a S. Carolo cumulatus Bononiam redit. 618 (c)
S. Carolo operam suam præstante, primus Bononiæ Archiepiscopus renunciatur. 634 (a)
Congregationi Sacrorum Rituum nuper Romæ a S. Carolo adnitente institutæ præest. 646 (b)
Magnis præconiis S. Carolum cumulavit. 822
Palmius Benedictus celeberrimus Divini Verbi Præco cum aliis Societatis Jesu Sacerdotibus a S. Carolo Mediolanum missus. 44 (d)
S. Carolo utilis administer. 106 & seq. (a)
Pancaldus Laurentius ultimæ voluntatis suæ executor a Papio designatus. 662 (b) (c)
Idem duo Aureorum millia pro Asconensis Seminarii erectione postremis tabulis legat. 716 (a)
Panigarola Franciscus Euangelicus Concionator Augustam Taurinorum a S. Carolo missus. 401 (b)
S. Carolum in lustratione Vallis Mesolcinæ comitatur. 687
Ad impetrandum Catholicis in Rhætia male vexatis auxilium, à S. Carolo Romam missus. 725
S. Carolum in funere laudat. 773 (a) 801 (a) 824
Ejus dictum de S. Caroli moderatione. 1050
Papazonius Flaminius Federici Borromei Institutor. 541 (b) 930 (a)
Paphius Hieronymus S. Caroli administer. 129 (b)
Papienses confugientibus ad se Mediolanensibus Peste afflictis pertinaciter obstitunt. 284 (d)
Mitius cum iisdem egere Mediolanenses. ibid.
Papius Bartholomæus Collegium Asconæ excitari testamento sancit. 660 & seq.
Gothardum Nepotem hæredem universalem instituit. 661 (a)
Parabiagum celebratus Vicus Victoriâ ope S. Ambrosii a Mediolanensibus relatâ. 74 & seq. (†)
Inde S. Carolus transtulit Collegium Canonicorum cum Præpositura Legnanum. 741
Lustratum. 673
Paræciæ cujusvis Sancto Patrono dicatum diem pro festo intra Paræciæ limites habendum esse S. Carolus decrevit. 362 (c)
Paravicinius Antonius S. Severinæ Archiepiscopus. 465 (a)
Paravicinus Octavius Alexandrinus Episcopus a S. Carolo consecratus. 743 (a) 745
Paravicinus Ubertus Comes S. Carolum rogat, ut filiis suis benedicat. 649 *Nota*.
Parazozerus S. Carolo coævus ephemeridem rerum, quæ agebantur tunc temporis, conscripsit. 197 (b)
Parochianinus fidicen celeberrimus. 242
Parochi Mediolanenses ad opem Peste laborantibus ferendam a S. Carolo exstimulati. 285 (b)
Parochi quidam Mediolanenses contra S. Carolum querelas Romam mittunt. 376 (a)
Parochis leges a S. Carolo datæ. 940
Parochi Sermones ad populum habitos ad S. Carolum mittunt. 1079 (a)
Parochorum honesta commoda curata a S. Carolo. 1077 (a)
Parochus Mediolanensis qui S. Carolum ludicre irriserat, summa tamen clementia ab Eo excipitur, & veniam impetrat. 952
Parpalea Joseph Archiepiscopus Tarantasiensis S. Carolo Augustam Taurinorum adeunti cum pluribus Episcopis obviam occurrit. 396 (c)
Passionis Domini memoriam in Mediolanensibus excitare S. Carolus sedulo contendit. 735
Ejusdem memoriam fidelium animis insculpere omni studio conatur. 890 [a] & seq.
Patanella M. Antonius Regius Œconomus S. Carolo Ecclesiam Scalensem visitare aggredienti se cum armatorum manu opponit. 171 [a]
Romam ad Causam dicendam evocatus. 178
Romæ moritur. ibid. [d]
Patavii institutum Sodalitium Oblatorum. 385 [a]
Patavio S. Carolus pertransiit. 501 [b]
Paterus Pompejus Congregationis Oratorii a S. Philippo Nerio Mediolanum missus. 260 [c] & seq.
Patres familias in Paræciis singulis convenire S. Carolus jubet, ut documenta percipiant bene moderandæ domui aptiora. 941
SS. Patrum scripta vel in latinum sermonem e Græco translata, vel emendata curâ, & operâ S. Caroli. 1063
S. Pauli in Compito Parochus Cadaver Rectoris Ecclesiæ S. Raphaelis pestilentiâ absumpti suis manibus abluit, & in feretro composuit. 323 [a]
S. Pauli Parthenonis Mediol. Moniales mortem S. Caroli mœrore, & luctu prosequuntur. 771
Tabula picta eidem Cœnobio a S. Carolo legatur. 775
Paulus V. Pont. Max. qua laude Acta Mediolan. Ecclesiæ cumulaverit. 165 [a]
S. Carolum aris imponere peroptat; & hoc præclarum opus ad felicem exitum perducit. 821
Ejusdem Vestes maximi facit. 1136
Pauperes Mediolanenses, sæviente Pestilentia, omni ope destituti ad S. Carolum confugiunt. 291
Humanissimè ab Eodem excepti. ibid. [c]
Quas leges iisdem Cardinalis indixerit. 293
Vestibus ab Eodem donati. ibid. [a]
A S. Carolo in Stellæ Monasterio postea collecti. 374 (c) & seq.
Quomodo a S. Carolo sublevati, cujuscumque generis essent. 1056 & seq.
Quot numero Romæ aleret S. Carolus. 1053 (b)
Paupertas S. Caroli inter opes summas. 1051
In Eo fuit maxima. 1060
Pecuniæ insignis contemptus. 1047 (a)
Ejus pretium S. Carolo ignotum. 1061 (a)
Ejusdem vis ingens a S. Carolo profusa. 1055 & seqq.
Pedemontanæ Regionis lustratio Viterbiensi Episcopo commendata. 740 (a)
S. Pelagiæ Virg. reliquiæ in Confessione Templi maximi collocatæ. 367 (b)
Pelanda Eques Jo. Baptista ab accepto vulnere S. Caroli auspicio convalescit. 907 (a)
Pensiones non imponendæ Sacerdotiis, & quare. 1071 & seq.
Perachionus Petrus Congregationis Oratorii a S. Philippo Nerio Mediolanum missus, & Romam revocatus. 261
Peregi Pagus in Brianteis Collibus a S. Carolo invisitur. 328
de Perego Leo Mediolan. Archiep. quo vere anno obierit. 742 (a)
Ejus Corpus S. Carolus Legnano Mediolanum transtulit. ibid.
Peregrinus de Peregrinis Sacelli, in quo Taurini Sacra Syndon servatur, Schema delineat. 674
Item Collegii Asconensis. 662 (c)
Et Rhaudensis Diœcesis sacri Templi. 732

Pesti-

Peſtilentia Mediolanenſem Urbem invadit. 273 & ſeqq.
In Oppido Modoëtienſi ſævit. 285 [b]
Quot Limocomia pro peſte laborantibus extra Mediolanum poſita. 302 (d)
Cives domi ſuæ ſe continere publico edicto juſſi. 303 [a]
Hoc morbo infectis Sacramenta miniſtrare S. Carolus Martyrio comparat. 311 (a)
Ordinum Religioſorum quamplures Alumni ægrotis inſervire parati S. Carolo ſe offerunt, & operam præſtant. 311 (b) & ſeq.
a Petra-Sancta Antonius Cœnobitarum S. Ambroſii ad Nemus Inſtitutor. 452
Petra-Sancta Balthaſſar Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ Sodalis. 896 (a)
S. Petri Apoſtoli reliquiæ in Baſilica Apoſtolorum Mediolani repertæ, & a S. Carolo ſolemniter tranſlatæ. 436 (c) 439 (b)
S. Petri in Campo Laudenſi Ædes, S. Carolo, & Chartuſianis Monachis auxilium præſtantibus, excitata. 741
SS. Petri, & Lini Parœcia a S. Carolo deleta. 125 (b)
Petrus Bracarenſis Epiſcopus a S. Carolo magni habitus. 39 (b)
Petrutius Julius inter domeſticos a S. Carolo iterum cooptatus. 937 (a)
Dignus S. Carolo Eleemoſinarius. 1056
Pfiffer Scultetus, Nobilis Lucernenſis. 739 (a) 748
Philibertus Sabaudiæ Dux Donatum, vulgò Farinam, intentatæ in Carolum mortis reum vinculis conſtrictum Mediolanum mittit. 201 (a)
S. Caroli amantiſſimus. 389
Chamberiaco Auguſtam Taurinorum Sacram Synodum transferri jubet. ibid.
S. Carolo Auguſtæ Taurinorum appropinquanti obviam occurrit, & in Urbem deducit. 395 (c) 397 (a)
Ut S. Carolus Crucis ſigno filiis ſuis bene precaretur, enixe rogavit. 400
Quid de S. Caroli decretis ſentiret. 516 *Nota*.
S. Philippus Nerius quo nomine S. Carolum appellaret. 84 (b)
A S. Carolo exoratus, Mediolanum ſe transferre meditatur. 260 (c) & ſeq.
Quoſdam Congregationis Oratorii Sacerdotes Mediolanum mittit, & Romam deinde revocat. ibid.
Idem Vir immiſericors quam ob cauſam a S. Carolo appellatus. 308 (a)
A S. Carolo Romæ degente frequenter, ac familiariter viſitur. 484 (c)
Borromei faciem cæleſti lumine perfuſam vidit. ibid.
Nullum inter Oratorii Patres, & Presbyteros S. Hieronymi vinculum ſocietatis intercedere teſtatur. 562
CCC. aureis ab Anna Borromea Columna moriente donatus. 636 (b)
Literis a S. Carolo miſſis amice reprehenſus. 644 (d)
Philippus II. Hiſpaniarum Rex literis ſuis S. Carolo de electione Pii V. in Pont. Max. gratulatur. 62 (a)
Quàm bene de Carolo ſentiret. 175 191
Illius adhuc viventis imaginem in conclavi ſuo appenſam tenebat. ibid. (f)
Crucis Dominicæ Clavi imagine a S. Carolo donatus. 346 (c)
Literas dat Mediol. Gubernatori, ut ad evellenda populi vitia una cum S. Carolo incumbat. 360 (c)
Poſt filii Ferdinandi interitum religionem ſuam, literis ad Proviuciæ Præfectos miſſis, oſtendit. 407
Hæreticos Milites in Inſubria ſtationem habentes, a S. Carolo rogatus, dimitti jubet. 412
a Baſilica-Patri S. Caroli Legatum humaniſſime excipit. 559 (a) 561 (b)
Ejuſdem votis indulget, & rata habet S. Caroli decreta. 562 & ſeq.
Literas humaniſſimas ad S. Carolum dirigit. 748
S. Caroli virtutes ſumma in exiſtimatione habuit. 814
Philippus III. Hiſpaniarum Rex preces Pontifici Max. obtulit, ut S. Caroli Apotheoſis curaretur. 815
Philippus IV. Hiſpaniarum Rex pretioſam ex argento arcam, qua Sacrum S. Caroli cadaver includeretur, dono dedit. 845 [a]
Philoſophia Moralis a S. Carolo eximie culta, & unde hauſta. 1067
Pii IV. ſimulacrum avunculi tumulo Cardinalis juſſu appoſitum. 74 [c]
Pinelli Dominici Card. Sententia de Sapientia S. Caroli. 1064
Pintus Luſitaniæ Regis Romæ Internuncius. 225 [a]
Pionnius Andreas Seminarii Mediolanenſis curator. 97 [d]
S. Carolo familiariſſimus. 911
Pirovanus Philippus Mediol. Gubernatoris ad S. Carolum Legatus. 229 [a]
Piſauri S. Carolus aliquantulum ſubſtitit. 650 [a]
Piſcarius Marchio S. Caroli edictum a domeſticis ſuis impleri mandat. 108
Idem Sororem Mantuæ Ducis uxorem duxit. 476 [d]
Pius V. in Pontificem Max. electus. 59 [a]
Ejus virtutes, & erga S. Carolum benevolentia. ibid.
Ejuſdem virtutem ac pietatem laudat. 153
S. Caroli adverſariis quibus verbis reſpondetit. 173 [c] 174 [e]
Hac ſuper re geminas ad Gubernatorem Mediol. Literas mittit. 177 179
S. Carolo ad mortem petito humaniſſimas literas dat. 198
Intentatæ necis auctores diligentiſſime perquiri jubet. ibid.
Eidem monenti Borromeum, ut cautiorem ſibi cuſtodiam adhiberet, quid Iſte reſponderit. 199 [a]
Literæ a S. Carolo ad eum miſſæ. ibid.
Ejus mors. 217
S. Carolus ſolemnibus Sacris, & Oratione ad populum habita eidem juſta perſolvit. ibid. [b]
Humiliatorum Ordinem delet. 208
De ejuſdem virtutibus S. Carolus morti proximus præclaram exhibet teſtificationem. 763 [a]
Idem luculentum de S. Caroli virtutibus teſtimonium perhibet. 817
Placentiæ erectum domicilium, S. Carolo ſuadente, pro avocandis a meretricio quæſtu mulieribus. 442 [a]
Ibidem S. Carolus noctem unam degit. 650 [a]
S. Placidi Mart. exuviæ in Deſertinenſi Monaſterio ſervatæ. 526 [b]
Particulæ earumdem S. Carolo dono datæ. 589 [a]
Plantanida Martha Collegium Virginum Mediolani congregat. 428 [a]
Eædem Virgines rigidius S. Claræ inſtitutum amplectuntur. ibid. [b]
Pocalodius Aloyſius in Baſilica Metropolitana Pœnitentiarius. 800
Pœnitentiarii Baſilicæ Vaticanæ menſtruo ſtipendio a S. Carolo aucti. 132 [c]

Digitized by Google

Pœnitentiarii Summi munere quo tempore S. Carolus fuerit insignitus. 26 (a)
Eumdem titulum S. Carolus dimittit. 225 (a)
Pœnitentiarii minores ad ministrandum in Ecclesia Metropol. Mediolan. Sacramentum Pœnitentiæ a S. Carolo delecti. 119 (c)
Pœnitentiarius Supremus a S. Carolo ex Canonicis Ordinariis Metropolitanæ Mediol. selectus. 119
Poggianus Julius a S. Carolo Mediolanum evocatus. 48
Polegii Seminarium a Card. Federico Borromeo constitutum. 674
Idem erigere S. Carolus curavit. 750
Pontidæ cum Episcopo Bergomensi S. Carolus nonnulla agit negotia. 405 (a)
Pontirolum, rectius Pons-Aureoli, Collegio Canonicorum olim insignitum. 365
Inde S. Carolus hoc Collegium in Mediolanensem S. Stephani Basilicam transtulit. 366 (c) 367 (a)
Ejus loci Ecclesia a S. Carolo lustrata. 130 (b)
Quo Anno. 158 (c)
Ab Aureolo Romanorum militum duce nomen accepit. 365 (b)
Pontis-Vici Templum a fundamentis erectum. 600
Ibidem S. Carolus fuit. 529
Porletiæ in Templo Aram maximam S. Carolus consecravit. 620 (b)
Ibi prope conditum Asceterium Capuccinorum. 622
Porrus Franciscus ad invitandum Henricum Galliarum Regem per Mediolanensem Agrum transeuntem a S. Carolo præmissus. 240 (c) 241 (b)
Portæ laterales in Templis, jubente S. Carolo obstructæ. 122 & seq.
Portiana Mediol. Basilica ab Olivetanis Monachis restaurata. 270 (d)
Portus Cæsar Varisii Sacris Præpositus. 951
Moderationis S. Caroli præclarum testimonium refert. 971 (b)
Possevinus Jo. Baptista S. Caroli familiaris. 935
Prædicatio Evangelica in Templo Max. Mediol. jussu S. Caroli mane, & vespere omnibus festis diebus habita. 121 (a)
Idem munus ex ambone quo primum tempore a S. Carolo susceptum. 297 (c)
Præfectus Rerum Capitalium in Mediolanensi ditione anathematis vinculis illigatus inexpectata morte percussus. 193 (a)
Præfectus Urbis Mediol., & Decuriones S. Carolum obsecrant, ut vigente pestilentia saluti suæ præcavere velit. 321
Præsulis Romani dictum de dormitatione S. Caroli, & ejusdem error. 998
Pratum Alboinum Brixiensis Agri S. Carolus obivit. 529
S. Praxedis Romana Ædes a S. Carolo restaurata. 41 (a)
Quadam pecuniæ summâ ab Eodem donata. 74 (c)
Ejus titulum, dimisso Borromei cognomine, quando S. Carolus sumpserit. 254 (e)
Illius Templum Romæ S. Caroli expensis reparatum, atque exornatum. 571
In Ejus Ædibus S. Carolus moram traxit. 641 (a) & seq. (b)
S. Praxedis Societas a Mediolanensibus piis fœminis instituta ad memoriam S. Caroli perennandam. 805 & seq.
Principes viri plures, & perlubenter S. Caroli hospitio utuntur. 1039
SS. Protasii, & Gervasii Martt. Natalis dies operarum cessatione celebratus. 361
A quo usque tempore Festum hunc diem Mediolanenses coluerint. ibid. (b)
Eorumdem SS. patrocinio se, suamque Ecclesiam S. Carolus voluit commendatam. 861
S. Protasii ad Monachos in nova Æde S. Carolus primum lapidem rite benedictum ponit. 412 414
Ptolemeus Card. Novocomensis, commutatione inita, Præposituram Ottaviorum Seminario Mediolanensi cedit. 246 (c)
Publicani propter S. Caroli hospitalitatem fraudem in Ejus procuratore suspicantur. 1042
S. Pudentianæ Ædes Romæ refecta Sfondrati Card. liberalitate. 571 741
Puella pestilentiâ infecta morti proxima, S. Carolo ei bene precante, convaluit. 214 (b)
Puellæ nubiles centum dote ornatæ a S. Carolo Romæ una die. 1055
Pulpita duo eleganti forma in Metropolitana Mediolan. a S. Carolo extructa. 123
Pusianum a S. Carolo lustratum. 746
Pusterla Familia oblationibus Portæ Ticinensis præerat. 128 (c)
Puteobonellus Joseph S. R. E. Card., & Mediol. Archiep. Monasterium Ordinis Visitationis strenue ædificandum in se recipit. 373 (b)
Puteoli Vicus XII. ab Urbe Mediol. lapide distans. 504
Putheus Eques S. Carolum transeuntem domi suæ excipit. 327 (b)

Q

QUadragesimæ primum diem S. Carolus a Bacchanalium licentia liberat. 337 (b) & 421 (a)
Idem dies publico hastiludiorum spectaculo Mediolani fœdatus. 507 (a)
Ejus spectatores Ecclesiasticis Censuris a S. Carolo confixi. 509 (a)
Quadrius Vincentius bona sua obtulit ob condendum in Vulturenis Collegium Societatis Jesu. 647
Quæsitor Fidei in Mediol. Provincia annuam CC. nummùm summam a S. Carolo percipit. 76 (b) & 101
Quattrinus Dominicus Roveredi Sacris Præpositus Maleficarum Magister, & Antesignanus. 686 (b)
Ab Ecclesiastico gradu depositus, Secularium Judicum potestati permittitur. 694 (a) 703 (a)
Igni damnatus. 698
Quirinus Angelus Maria Cardin. Brixiensium Episcopus asseverat, Acta Visitationis illius Ecclesiæ a S. Carolo peractæ in hanc etiam ætatem coli. 548 (b)

R

RAcellus Julius Soc. Jesu Aronam Mediolanum transfert SS. Fidelis, & Carpophori Martt. exuvias. 439 (c)
Ragazzonius Hieronymus Famæ-Augustæ Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ Visitator a Summo Pontifice designatus. 253 (a)
Deinde Bergomensi Infula donatus. ibid.
Ejus de bene administrata a S. Carolo Mediolanensi Ecclesia testimonium. 270 (b)
Absente S. Carolo, Pontificalem Missam in Templo Max. Mediolanensi celebrat. 627 (a)
Pontificius Internuncius apud Galliarum Regem designatus. 674
S. Raphaëlis Parochus peste laborans a S. Carolo cæleſti Viatico præmunitur. 321

Digitized by Google

Ravennæ biduum S. Carolus moram traxit. 650 (a)
Raynoldus Jo. Baptiſta Mediolan. Senatus Præſes, vir integerrimus. 228 (d) 230
Redeſcſii Præpoſitura a Pio IV. Seminario Mediol. attributa. 94 (b)
Reditus Eccleſiaſtici conſervandi, non augendi. 1047 (a)
Requeſenius Caſtellæ Commendator S. Carolo ad Comitia pro eligendo Summo Pontifice proficiſcenti quid dixerit, & quod reſponſi ab eo acceperit. 219 (a)
Religioſus quidam Aſceta S. Caroli famam lædere conatus eſt. 836
In cuſtodiam traditus miſerrime moritur. 837
Religioſus alter S. Caroli nomini injurioſa dicteria ſcriptis ſuis inſeruit. ibid.
Ejus Opera a Sixto V. Pont. Max. damnata. 838
Reliquiæ S. Caroli miſſæ ad Regem Perſarum. 1135
Reſcius Stanislaus Româ ad S. Carolum Epiſtolam dirigit. 831
Reyna Jo. Baptiſta jus quoddam in Seronenſi Deiparæ Templo exercere contendit. 659
Reyna Lanfrancus S. Carolum Romam adeuntem comitatur. 249 (a)
Aſperrimam vivendi methodum a S. Carolo ſuſceptam interpoſito jurejurando teſtatur. 223 (a)
Rhætia S. Carolum Apoſtolicum Legatum, & Luſtratorem ſuſcipit. 682 & ſeqq.
Quinam eo tempore foret in iis regionibus Catholicæ Fidei cultus, & veræ Religionis ſtatus. 685 (a)
Rhætorum Reſpublica quibus legibus, ac Provinciis conſtet. 705 (b)
Ad eorum Concilium Curiæ coactum S. Carolus Legatum mittit. 708 (b)
Calendarii Gregoriani uſum iis in Vallibus permittere Proceres nolunt. 721
Rhaudenſe Deiparæ Templum, S. Carolo jubente, a fundamentis excitatum. 731 (a) & ſeq.
Hujuſce Templi cultum ac regimen Borromeus Oblatis Sacerdotibus committere meditatur. 732 (b)
Jus iſtud a Gaſpare Vicecomite Oblatis collatum a Gregorio XIV. confirmatur. 733
Collegium eorumdem ibi prope inſtitutum. ibid.
A Benedicto Card. Odeſcalcho beneficiis auctum. ibid.
Rhetorica Eccleſiaſtica S. Carolo Authore delineata. 1063
Riarius Cardin. Legatus Pontificis Max. ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem. 554
Ribera P. Jo. Bapt. S. J. Romæ degens S. Carolum in virtutum tramite, direxit, ob hoc Aulicis inviſus. 29 (b)
Ricardus Jacobus Laudenſis Romam miſſus, ut actionem contra S. Caroli jura promoveret. 360 (c)
Falſum rumorem ad infirmanda Ejus Decreta Romæ, & Mediolani diſſeminari ſtudet. 454 (b)
Mediolanenſium nomine contra S. Carolum querelarum libellum Summo Pontifici offert. 473 (b) 474 (f)
Rituum Congregatio in Mediolanenſi Eccleſia a S. Carolo inſtituta. 881
Ambroſiani Ritus in Eadem exculti, & defenſi ab Eodem. ibid. (a)
de Rivolta Præpoſitura Collegio Helvetico a Gregorio XIII. attributa. 464 (d)
Robecca Sidonia quaſdam Domus pro conſtruendo Capuccinatum S. Fraxedis Aſceterio dono dedit. 429 (b)
Robertus Antonius nomine S. Caroli Mediolanenſis Eccleſiæ poſſeſſionem iniit. 18 (c)
Robertus Griffidius Anglus S. Caroli a Confeſſionibus. 749
Theologi in Metropolitana Baſilica munus dimittit. 750
Robertus Mediol. Archiep. S. Crucis ſignum ad Orientalem Portam erexit. 372 (b)
S. Rochi in Orientali Porta Sodalibus S. Carolus pauperum e morbo convaleſcentium curam committere deſignaverat. 734 (a)
Rocio Benedictus conditor Templi S. Sepulcri Mediol. 345 (b)
Rocius Andreas Canonicus Ordinar. Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ Sodalis. 896 (a)
Rodulphus Imper. Literas ad S. Carolum mittit. 591 [b]
Suo, & Provincialium Epiſcoporum nomine alias a S. Carolo ſcriptas accipit. 604
Rogationes triduanæ Ambroſiano ritu per cinerum benedictionem inchoantur. 613 [c]
Rollius Eques Capuccinorum Familiam in Uranienſe Oppidum induci conatur. 488 [a]
S. Carolo curante Equeſtri dignitate a Gregorio XIII. ornatus. 550 [a]
Romagnani Dinaſtia a S. Carolo Federico Ferrerio dono data. 75
Ibidem S. Carolus fuit. 760 [b]
Romana Urbs quot beneficiis a S. Carolo aucta. 1027 & ſeq.
Romani Cives, mortis S. Caroli nuncio accepto, de Ejus obitu triſtitiam capiunt. 802
Romi Ferdinandus Monachus Carthuſianus obſequium ſuum S. Carolo per literas teſtatur. 834
SS. Roſarii Sodalitas in Metropolitana Baſilica a Sancto Carolo excitata. 735
Altera etiam in Oppido Modoëtienſi. 745
In Metropolitanæ Mediol. Ara Eidem ſacra erecta. 860
Roſſeus Jo. Jacobus Canon. Regul. Carmen funebre de S. Caroli morte concinnavit. 803
Rovellum a S. Carolo luſtratum. 667
Roveredi in Meſaucis Collegium Societ. Jeſu, Sancto Carolo manum, conſiliumque præſtante, erigitur. 698
Ibi S. Carolus fuit. 703 (a)
Ejus loci populus Sacrorum Præpoſitum a S. Carolo expoſcit. 726
Rubeus Bartholomæus Librum ſcripſit de origine, & progreſſu Congregat. Oblatorum. 238 (b)
Rubeus Hyppolitus Ticinenſis Epiſcopus S. Carolo prope Mœnia Auguſtæ Taurinorum cum pluribus Præſulibus obviam occurrit. 396 (c)
Ruſca Nicolaus ab Hæreticis acerbiſſima morte affectus. 465 (a)
S. Caroli de eo vaticinium. ibid.
a Ruvere Hieronymus Taurinenſis Archiepiſcopus obviam S. Carolo miſſus a Duce Sabaudiæ. 395 (a)

S

SAbbia Vallis a Sancto Carolo luſtrata. 536
Sabulonetæ in Aſceterio PP. Capuccinorum Sanctus Carolus dies aliquot moram traxit. 635 (a) 637
Saccus Joannes S. Caroli iter ad Deſertinenſe Monaſterium deſcribit. 587 (b)
Saccus Jo. Baptiſta Meſauci Miniſtralis ad Tribunal vocatus. 718 (d)

Digitized by Google

Sacellum ſubterraneum in Metropolitano Templo a S. Carolo extructum, & ornatum. 124 (c)
Sacerdos Canonicæ Vallis Incola a S. Carolo beneficiis obrutus, Ejuſdem pietatem laudat. 531 (a)
Sacerdos turpitudinis domeſticæ infamia notatus, Sancti Caroli benignitate correctus. 955
Sacerdos ſolo oculorum intuitu a S. Carolo reprehenſus. 955 (a)
Sacerdotes Diœceſis Mediolanenſis S. Carolo noti, & ab Eo ad perfectam vivendi normam adducti. 103
Sacerdotes alieni eſſe ab avaritia debent. 1073 & 1080
Iis debitam præſtari reverentiam S. Carolus mandat; in iiſque nimiam abjectionem improbat. 875 & ſeq.
Eorumdem famam ſervare S. Carolus ſtuduit ſemper. 953
SS. Sacramenti Societas a Sancto Carolo in Templo Max. Mediol. inſtituta. 664 (b)
Sacratus Paulus Humilitatis præcepta a S. Carolo accipit. 968 (a)
Sà Emmanuel Soc. Jeſu in Scholis Braydenſibus a Sancto Carolo Inſtitutor impetratur. 227 (a)
Sala caput factioſorum hominum in Agro Brixienſi. 545
Salodii S. Carolus per aliquot dies moram traxit. 530
Epiſcopalem eo in Oppido Sedem erigi optavit. ibid.
Salodius Paulus dilectus S. Carolo, & Mediolani retentus. 1080 (b)
S. Salvatoris Canonici Regulares cum Præfectis Templo Deiparæ ad S. Celſum, Borromeo pacis ſequeſtro, lites componunt. 741
Sanctacrucius cum Claſſe Hiſpanica Victoriam de Luſitanis reportavit. 626
Ob hanc rem indicta Mediolani ſupplicatione, gratiæ Deo actæ. 627 (a)
Sancte, beneque vivendi methodus a S. Carolo brevibus comprehenſa. 978
Sanctimonialium mores omni niſu a S. Carolo ad ſanctitatis, & pudicitiæ leges compoſiti. 104
a Sancto Auguſtino P. Hieronymus Min. Convent. pauperes Mediolanenſes, ſæviente Peſtilentia, quæſitis oſtiatim eleemoſinis ſuſtentat. 291 (a)
Salutiarum Epiſcopus S. Caroli precibus opulentiores reditus a Pontifice Max. impetrare conatur. 632 (a)
Sanctorum cultum S. Carolus in Synodis indixit, atque promovit. 858
Eorum memoriam, & Reliquias S. Carolus magni fecit. 861 (a)
Sandeus Alvarus Mediolanenſis Provinciæ adminiſtrator. 215 (b)
Sapientia S. Caroli quot in rebus eluxerit, & quomodo. 1064
Satellites cum Circitore in Curia ſua a S. Carolo collocati. 87 (b)
Iiſdem indictum, ne laicos homines in vincula conjicerent. 133
Eorum Ductor, comprehenſus, tortus, & in exilium miſſus. 135
S. Satyri Corpus a S. Carolo recognitum, & translatum. 270 (d)
S. Savinæ Matronæ cineres in Baſilica Naboriana a S. Carolo recogniti. 217 (a)
Saulius Alexander Congregat. Cleric. Reg. S. Pauli ad S. Carolum Mantuæ degentem Mediolano miſſus. 152 & 153 (a)
Alerienſis poſtea Epiſcopus plura Ei præſtitit obſequii ſui teſtimonia. ibid.
a S. Carolo Alerienſis Epiſcopus inauguratus. 204 (a)
Beatorum numero adſcriptus. 444 (c)
Theologi nomine I. Mediol. Provinciali Concilio interfuit. 445 (a)
Conciones in Templo Max. ad populum habuit. 446
Sequeſter pacis inter quaſdam Familias Bergomenſes. ibid.
Nonnulla Mediolanenſis Diœceſeos negotia abſens ab Urbe S. Carolus eidem demandavit. ibid.
Alerià literas ad S. Carolum dedit. 447
Literas amoris in proximum teſtificatione refertas a S. Carolo accipit. 916 (a) & ſeq.
Savonenſes Cives Apoſtolicum Viſitatorem a Sancto Carolo depoſcunt. 673
Saxina in Valle Ædem S. Martino nuncupatam S. Carolus conſecravit. 624
Saxius Joſeph Antonius Homilias S. Caroli in lucem protulit. 924 (b)
Scacabarotii Orrici Canon. Eccl. Metropol. imago purpureo paludamento induta. 115 (b)
Scalenſi in Templo olim inchoabantur Cleri, & Populi Mediolan. ſupplicationes. 343 (a)
Scarampus Epiſcopus Laudenſis a Summo Pontifice delectus ad habendam quæſtionem eorum, qui in S. Caroli vitam conjuraverant. 183 (a). 200 (b)
Ejus mors, & exequiæ a Sancto Carolo celebratæ. 275 (a)
Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ a Sancto Carolo apertæ. 105 (b)
Earum leges, & ordo. 895 & ſeqq.
Sciornus Eques Svitienſis Catholicorum Legatus ad Comitia Curienſia. 740 (a)
Sclafenatus Alexander cum Verro Alexandro a Sancto Carolo ad pacem ineundam incitatur. 948 (a)
Sclavius Bartholomæus ægrotans a S. Carolo Cremonæ ſanatus. 258
S. Sebaſtiano Mart. ut Mediolanum a peſtilentia liberaretur, Primores Urbis Votum nuncupant. 301
S. Carolus primum lapidem in fundamenta novi Templi demiſit. 549
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex; Literæ S. Caroli ad eum ſcriptæ poſt electionem Pii V. in Summum Pont. 61 (a)
Moritur. 406 (b)
Secedii Sacerdotium in Agro Alexandrino Oblatorum Sodalitio addictum. 646
Seghebbiæ S. Carolus fuit. 624 (b)
Seminarienſes Clerici a S. Carolo probati, priuſquam in hunc Cœtum reciperentur. 97
Iiſdem dicatum ab Auguſtino Valerio Opuſculum, *Rhetoricæ Eccleſiaſticæ* titulo inſignitum. 98 (a)
In Theologica facultate excellentes Doctorali Laurea S. Carolo donati. 99
Qua diſciplina eoſdem a Miniſtris S. Carolus regi juſſerit. ibid.
Eorum Cœnaculum, ac Philoſophorum cubiculum quo tempore ædificata. 210 (b)
Illis, graſſante peſtilentia, quomodo S. Carolus præcaverit. 331 (a)
Eorum cura a S. Carolo Sodalitio Oblatorum injuncta. 385 (a)
Primum, & maximum eorum domicilium a S. Carolo Mediolani inſtitutum. 46 (e) 90 (b) & ſeq.
Alia pro Clero domicilia in Urbe & Diœceſi erecta. 93 (a)
Cardanæ prædia iis attribuit. 246 (c)

Item

Item Præpoſituram Ottaciorum. ibid.
Patres Soc. Jeſu eidem Inſtitutores primò attributi. ibid. & 91 (b)
Hanc curam poſtmodum dimiſerunt. 96 (a) (d)
Quos reditus a Romana Sede eidem impetraverit S. Carolus. 94 (b)
Hujuſce Seminarii Alumni ad alias Diœceſis adſciti. 96 (b)
Seminarium, Canonicæ appellatum, Mediolani conditum. 92 (d)
Seminarium Ferrarienſe, S. Carolo adjuvante, perficitur. 667
Seminarii Mediolanenſis alumnos Græcis, Hebræiſque Literis informari S. Carolus decernit. 488 (a)
Typographia iis in Ædibus excitata. ibid.
Seminarium Mediolanenſe cœptum ædificari pretio dulcorum S. Caroli. 1029
Sempronii-Foro Lauretum uſque S. Carolus pedes proficiſcitur. 479 (a)
Seneca Antonius S. Caroli familiaris ad Anagniæ Sedem promotus. 84
Quo tempore a S. Carolo Brixiam miſſus. 163 (a)
Honorificam ſuis Libris de S. Carolo commemorationem inſeruit. 825
Senenſis Epiſcopi lautities quomodo a S. Carolo reprehenſa. 649
Senis quo verè tempore S Carolus pertranſierit. 648 & ſeq. (a)
Senonenſis Cardinalis S. Carolum quanti faceret. 481
Fratris filium priuſquam in Gallias remitteret, a S. Carolo benedictionem recipere exoptat. ibid. (b)
Ejus ex fratre filius S. Carolo hoſpitio exceptus. 572 (a)
Idem ſuam, & Cardinalis Borbonii per literas erga S. Carolum exiſtimationem teſtatam facit. 833
Sepulcra honoraria e Templorum parietibus, & fornicibus, jubente S. Carolo, amota. 123 (a)
S. Sepulcri Templum Mediolani a quo conditum. 345 (b)
In ejuſdem ſubterranea Ædc S. Carolus XXIV. Sacella extruere meditabatur. ibid.
Congregationi Oblatorum a S. Carolo aſſignatum. 376 (b) & ſeq.
In eo primùm morabantur Canonici nonnulli; & deinde pii Loci, quem *Sancta Corona* nuncupant, Conditores. 379 (a)
Ibidem B. Hieronymus Æmilianus pueros noctu congregabat. ibid.
Hoc in Templo qui Sacerdotes Sacra exercebant. ibid. (b)
Sacella Chriſti cruciatus referentia a S. Carolo in hoc Templo excitata. ibid. (c)
Altare majus ampliſſimis Indulgentiæ donis cumulatum. 380 (d)
His in Ædibus, quas *delicias ſuas* nuncupabat, S. Carolus quandoque ſe recipiebat. 382 (c)
Aperta ibi ad pios Congreſſus utrique ſexui Sacella. 384 (b)
Ibidem poſtremis Bacchanalium diebus geminos a ſacris Oratoribus haberi a prandio ſermones præſcribit. 730 (a)
Sepulcro S. Caroli preces, & vota cùm a Mediolanenſibus, tum ab exteris offeruntur. 838 & ſeq.
Vallo circumducto, & aquâ effuſâ curatum, ut multitudo illinc arceretur. 841
Deinde ejus colendi facultas permittitur. 842
Seralvius Demarchus Catholici Regis nomine Romam pergit pro ſine imponendo controverſiis inter S. Carolum ac Senatum excitatis. 137
Commendatitias apud Summum Pontificem literas a S. Carolo accipit. 138
Serbellonius Cardin. Congregat. Clericorum Regul. S. Pauli Protector. 450 (a)
Ejus Literæ ad S. Carolum miſſæ. ibid.
Sermondus Fabius S. Caroli amanuenſis. 420 (a)
Sermonum S. Caroli ſyntaxes optime digeſtæ, & ubi aſſervatæ. 1068
Seronum Oppidum ſacra Deiparæ Ædc perquam celebre. 593
Ejuſdem Imago a S. Carolo ſolemni ſupplicatione translata. 594 (b) & ſeq.
Id Oppidum S. Carolus adivit iterum, & ſermonem ad populum habuit. 658 (b)
Serra Epiſcopus Placentinus morum ſuorum Cenſor a S. Carolo delectus. 957
Seta Hyppolitus Olgiati primò, deinde Buſti Sacris Præpoſitus. 599
Suo in Templo Oratione funebri S. Carolum laudat. 803
Ob nimiam, qua uſus fuerat in Sacerdotem, ſevcritatem a S. Carolo reprehenſus. 954 (a)
Seveſi plebs a S Carolo diligentiſſime luſtrata. 595
Sextus Vicus prope Mediolanum; ibi S. Carolus peſte infectos viſit, & Sacramentis communivit. 320 & ſeq. (a)
Sextus Ultrajanus Pagus Mediolanenſis agri, quem prope S. Matroniani Eremitæ Corpus inventum. 438 (b)
Sfondrata Agatha in Cœnobio S. Pauli Monialis mortis S. Caroli lugubrem ſeriem deſcribit. 771
Sfondratæ Sorores in Afceterio S. Pauli Moniales reſervari ſibi micas expoſcunt ex menſa S. Caroli. 626 (b)
Sfondratus Abbas Paulus Camillus a S. Carolo Porletiæ Subdiaconus inauguratur. 620 (b) 622 (b)
Sfondratus Baro S. Carolum monet, ut miraculo ſervatus ſuperbiæ vitium præcaveret. 190 (c)
Quod ab Eo reſponſum tulerit. ibid.
Sfondratus Nicolaus Cremonenſis Epiſcopus Mediolanum veniens in Templo Max. Sermonem ad populum habet. 253 (a)
Eidem S. Carolus de recuperata ſalute gratulatur. 269
S. Carolo benevolentiæ vinculo adſtrictus. 909
S. Caroli extincti funus ducit. 775 (a)
Sfortia Caravagii Dominus ſupremo fato defunctus. 665
Sfortia Columna Conſtantia Caravagii Domina S. Carolum rogat, ne Collegium Canonicorum ex Ponte Aureoli Mediolanum transferat; & quod ab Eo reſponſum acceperit. 366 (c)
Sgury Georgius Epiſcopus Eſtephanenſis in Dalmatia S. Caroli adhuc viventis ſanctitatem laudat. 833
Siccus Comes ad Eccleſiaſticam militiam a S. Carolo vocatus, & Sacris Ordinibus initiatus. 110 (b)
Siccus Bernardinus in laudem S. Caroli Carmen compoſuit. 803
Sigillum Archiep. Mediolan. imaginibus S. Ambroſii, & SS. Protaſii, & Gervaſii inſigne. 254
Sigiſmundus Poloniæ Rex dolore dentium ſanatus per S. Caroli imaginem. 1129
S. Sigiberti Confeſs Reliquiæ in Deſertinenſi Monaſterio ſervatæ. 586 (b)

Digitized by Google

Pars earumdem S. Carolo dono data. 589 (a)
Silentium S. Caroli ante Sacrum. 1012
Silva Paſtoralis a S. Carolo ſummo labore, & ſtudio concinnata. 1069
Silvaticus Jo. Baptiſta quod de S. Caroli morte teſtimonium protulerit. 772
Simonetta Ludovicus Card. Med. ad Tridentinum Concilium Legatus. 34
Simonetta Eques munificæ liberalitatis. 304 (d)
Simonetta Eques Alexander S. Carolum Caſtellatii liberaliter excipit. 673
Simonetta Joannes Cruce aurea a S. Carolo donatus. 863
S. Simonis Mediolan. Ædes a S. Carolo pro Patribus Congregationis Oratorii deſignata. 210 (a) 262
S. Simpliciani in P. Orientali Parœcia a S. Carolo deleta. 125 (b)
S. Simpliciani Baſilica Mediol. a Monachis Caſſinenſibus reſtaurata. 606
S. hujus Antiſtitis Corpus in Ara maxima repertum, una cum pluribus aliorum Sanctorum exuviis. ibid. & ſeq.
Ejuſdem laudes, & merita. 607 (b)
Magnifica per Urbem ejus exuviarum translatio a S. Carolo celebrata. 610 (d)
Hac de Cauſa ſermonem ad populum Borromeus habuit, ac XII. pauperibus menſæ accumbentibus cum ceteris Provincialibus Epiſcopis miniſtravit. 613 (a)
Sinveſſæ Dux Mediolan. Provinciæ Gubernator S. Caroli edictum a domeſticis ſuis ſervari jubet. 108
Siponti Concilium Provinciale celebratum a Cardinali Novocomenſi. 101 (a)
Sirletus Cardin. Guillelmus S. Caroli memoriam luculentiſſimo Elogio proſequitur. 803 823
Cardinalitia dignitate auctus operâ S. Caroli. 1027 (a)
Ejuſdem Bibliotheca ab eodem legata S. Carolo. 1031 (a)
SS. Siſinii, Martyrii, & Alexandri Martt. Reliquiæ in Mediolanenſi S. Simpliciani Baſilica ſervatæ. 607
Nonnulla eorumdem Oſſa Tridenti probabiliter remanſere. ibid. (a)
Horum Martyrum ope Mediolanenſes victoriam de Ænobarbo retulere. 609 (a)
Sacri eorum cineres magna celebritate a S. Carolo translati, ac repoſiti. 610 & ſeq. 613 (b)
Sixtus V. Federicum Borromeum in Cardinalium Collegium adſcivit. 818
Societates SS. Sacramenti, & Caritatis a S. Carolo in Urbe inſtitutæ. 129 (a)
Societatis Jeſu Patres a S. Carolo Mediolanum miſſi. 44
Quas primùm ædes incoluerint. 45 (a)
Supellectile, ac victu a S. Carolo abundè inſtructi. ibid.
S. Fidelis Ædibus donati. 107 (b)
Quantam huic Archiepiſcopo operam impenderint in ſalute Animarum procuranda. ibid. (c)
Collegium in Supremo Pœnitentiæ Tribunali pro iiſdem a S. Carolo Romæ excitatum. 204 (a)
Pro iiſdem Mantuam inducendis S. Caroli officia, ibid.
Ægris Mediolan. in tuguriis morientibus inſerviunt. 213 (d)
In Collegium Braydenſe inducti. 226 & ſeq.
Et in Monaſterium Aronenſe. 227
Collegii Nobilium Inſtitutores a S. Carolo primum delecti. 237 (b)
Luceriam, ac Friburgum opera S. Caroli inducti. 551 (a).
Item in alias regiones. 227 (b)
Sodalitates Virginum Marium, & Fœminarum a S. Carolo erectæ. 1008
Sodalitia piorum hominum inauditis legibus per vim exagitata. 232 (a)
Somaſchæ Congregationis Patres ædibus S. Majoli, ope S. Caroli Ticini donati. 32 (c)
Somaſchæ Seminarium a S. Carolo inſtitutum. 93 (a)
Somnus ſæpe obrepens S. Carolo permoleſtus, & aſſiduus hoſtis. 996
Illum qua ratione vinceret S. Carolus. 1053 (a)
Sondrii Archipresbyter ob veræ Fidei tutelam in carcerem detruſus, & crudeliter vexatus. 720
Data per vadem ſponſione dimittitur. ibid.
Sondrii inſtitutum Hæreticorum Collegium S. Carolus everti curat. 740 (a)
Sonvici Novocomenſis Diœceſis S. Carolus noctem unam tranſegit. 624 (b)
Sormanus Nicolaus Opuſculum *de Anathemate S. Ambroſii contra Gallos in lucem protulit*. 742 (†)
Conſtitutiones Monialium S. Matiæ ad Montem prope Variſium typis edit. 453
Sormanus Philippus Scalenſis Templi Canonicus Mediol. Seminario ædificando præfectus. 91 (a)
de Sourdis Franciſcus Cardinalis a Mediolani portis pedes uſque ad S. Caroli Sepulcrum proficiſcitur. 840
Specianus Cæſar S. Caroli familiaris, deinde Cremonæ Epiſcopus. 83
Eccleſiæ Mediol. Can. Ordin. a S. Carolo Romam miſſus. 173 (a)
Iterum Romam a S. Carolo miſſus, ut extincti antea Humiliatorum Ordinis quamplures reditus ad populi Mediol. utilitatem impetraret. 208
S. Caroli Romæ Procurator. 285 (a)
Gemmatam Crucem, & Calicem cum patena S. Caroli tumulo offert. 843
Ob neglectum Eccleſiæ ſibi commendatæ debitum ornamentum a S. Carolo amice reprehenditur. 868 (a)
Literis a S. Carolo acceptis intelligit, quomodo Epiſcopus Orationi vacare debeat, & Gregis ſui neceſſitatibus providere. 893 (a)
Aptus ad Novarienſem Sedem a S. Carolo creditur, non tamen commendatur. 1069 (a)
A S. Carolo increpitus, quòd penſionem optaret. 1071 (a)
Spectacula publica Mediolani abolita. 597 602 (a)
Spes Fidem corroborat. 903 (a)
Spinellus Philippus Cardin. lampadem auream S. Caroli tumulo donat. 842
Spinula Maximilianus Genuenſis lampadem argenteam ad S. Caroli tumulum mittit. 843
S. Spiritus Sacra Ædes Mediol. olim propria Fratrum Humiliatorum. 208 (c)
Ejus Ædes Collegio Helvetico primùm aſſignatæ. 463 (a) (d)
Splendor domeſticus a S. Carolo repudiatus. 1051
Stanislaus Archiepiſcopus Gneſnenſis literas humaniſſimas ad S. Carolum mittit. 830
Stationes, quas vocant, a Pontifice Max. pro Mediolanenſi Urbe a S. Carolo impetratæ. 221 (a)

Hoc

Digitized by Google

Hoc donum Pius IV. Mediolanenſi Monaſterio, *Virginum* appellato, antea conceſſerat. ibid.
Earum in Eccleſia Mediolan. duplex genus. 368 (c)
Leges a S. Carolo conditæ, ut ad eas confluentium licentiam compeſceret. ibid. & ſeq.
Statius Achilles Romæ a S. Carolo retentus, donec Catechiſmi Romani editio perficeretur. 37 (a)
Stellæ Monaſterium colligendis in unum Mendicis a S. Carolo delectum. 374 (c) & ſeq.
S. Stephani in Nuxigia Eccleſia Parœcialis Mediolani. 107
S. Stephano dicatæ Mediolan. Baſilicæ antiquitas. 365 (a)
In eam Canonicorum Collegium ex Ponte-Aureoli S. Carolus transfert. 366 (c) 367 (a)
Studia literarum qualia eſſe in Epiſcopo debeant. 1067
Studium literarum quotidianum in S. Carolo, & ad ſex horas productum. 1067
Stuppanus Petrus Congr. Oblatorum morti proximus lecto aſſidentem S. Carolum, & reſtitutam Ejus precibus integram valetudinem promeritus. 383 (a)
Sveciæ Regi Literæ a S. Carolo miſſæ. 856
Suggeſtum, in quo S. Carolus Auguſtæ Taurinorum Sermones ad populum habuit, religiosè ad hanc uſque diem ſervatur. 400 (c)
Superbiæ vitio quàm caute S. Carolus obſtiterit. 190 (c)
Superſtitio in Mediolanenſem populum inducta, a S. Carolo penitus diſſipata. 300 & ſeq. (a)
Supplicationes, graſſante peſtilentia, a S. Carolo inſtitutæ. 296
Syndon Sacra, qua Chriſti Salvatoris Cadaver involutum fuit, Vercellas translata. 387 (a)
Chamberiaco Auguſtam Taurinorum mittitur. 389
Ob eam inviſendam Sacram peregrinationem S. Carolus ſuſcipit. 390 (c) 391 (b)
Qua religione S. Cardinalis, quibuſque ſuſpiriis eamdem fuerit contemplatus. 398 (c)
Ab eodem Archiepiſcopo cum aliis Epiſcopis omnium venerationi primùm propoſita. 399 (a) (b)
Synodus I. Diœceſana per Ormanetum habita. 44
II. a S. Carolo celebrata. 154 (b)
III. habita poſt Romana Comitia. 227
IV. ab Eodem coacta. 244
V. congregata. 369
VI. celebrata a S. Carolo. 440
VII. habita. 525
VIII. congregata, & quid in ea actum. 570
IX. habita præſente Card. Paleotto. 615
X. celebrata. 656 (a)
Huic interfuit Card. Valerius. 658
XI. & poſtrema convocata. 737

T

TAbernaculum æneum Metropolitano Mediol. Templo donatum. 42 (c)
Taberna Ferdinandus, poſtea Cardinalis, a S. Carolo Sacris Ordinibus initiatus. 595
Taberna Laudenſis Epiſcopus in Aula Hiſpanica Pontificius Internuncius. 666
Taëgii Vallis a S. Carolo luſtrata. 624 (c)
Taëgius Alexander Eccleſiæ S. Barnabæ Abbas Commendatarius. 443 (a)
Talliaviæ Simoni Cardinali Litteras Divini Amoris plenas S. Carolus mittit. 911 (a)
Taparellus Joannes Maria Salutiarum Epiſcopus una cum aliis Epiſcopis prope Mœnia Auguſtæ Taurinorum, S. Carolo obviam procedit. 396 (c) & ſeq.
de Taſſis Rugerius a Joanne Auſtriaco Legatus ad S. Carolum miſſus. 406 (b)
Taurella Ludovica Vaſtallæ Domina Clericis Regularibus S. Pauli favorem præbuit. 443 (a)
Tauruſius Bernardinus qua conditione inter familiares S. Caroli adſcitus. 78 (b)
Verbani Lacus regionem, jubente S. Carolo, luſtrat. 131 (b)
In S. Martini Vallem a S. Carolo miſſus. 259 (a)
Ad Carolum Emmanuelem Legatus a S. Carolo mittitur. 754 (c)
De S. Caroli morte narrationem concinnavit. 802 (a)
Tauruſii Franciſci M., poſtea Cardinalis, de præſervato ab intentata nece Carolo laconica ſententia. 189 (c)
Idem Mediolanum a S. Philippo Nerio mitti fruſtra exoptat. 261
Templi Maximi Mediolanenſis amplitudo. 121
Subſellia pro Sacerdotibus S. Caroli ære elaborata. ibid. (d)
Quot aureorum millibus eidem comparata ornamenta. 124 (e)
Templis quæ reverentia ſit adhibenda, S. Carolus edicto ſancit. 244 867 883 (a)
Ea, ubi opus foret, reſarcienda mandavit. 887
Eorumdem libertas a S. Carolo defenſa. 1017
Templum Maximum Mediol. a S. Carolo luſtratum. 115 (a)
Quot in eo Sacerdotum Ordines exiſtant. ibid.
Iterum ab Eodem ſolemni ritu luſtratum. 342
Tempus quàm utiliter a S. Carolo conſumptum. 1011
Terræ Novæ Dux Mediolanenſis Urbis ac Provinciæ Moderator. 652 (b)
Tertius P. Andreas Soc. Jeſu a S. Carolo Collegii Nobilium adminiſtrationi Præfectus. 237 (b)
Teſſeredi ad Cereſium Lacum S. Carolus fuit. 592 (d) 624 (c)
Ibidem S. Carolus Miſſam fecit, & Sermonem ad populum habuit. 689
Ejus incolarum mores integri, & ad pietatem eruditi. ibid.
Teſtamentum S. Caroli Xenodochio Mediol. admodum utile. 1060
Theatini Clerici a S. Carolo Mediolanum inducti. 166
Quam hac in Urbe Sedem primum occupaverint. ibid. (b)
In S. Antonii Sacras Ædes, Eo adnitente, introducti. 167 (a)
S. Theclæ Virg. & Mart. exuviæ in Confeſſione Templi max. a S. Carolo collocatæ. 367 (b)
Theodorus Archiepiſcopus Eborenſis per Literas S. Caroli precibus ſe, ſuamque Eccleſiam commendat. 835
Theologiæ ſtudia a S. Carolo exculta, & commendata. 1061 (b)
Theologus Præbendatus a S. Carolo in Metropolitana Mediolanenſi inſtitutus. 119 (b)
Thermæ Diocletianæ, S. Carolo promovente, Carthuſianis Monachis a Pontifice Pio IV. conceſſæ. 41
Theſaurus Chriſtianarum Inſtitutionum juſſu S. Caroli Veronæ in lucem editus. 724 (a)
S. Thomæ Ædes in Regione Portæ Novocomenſis Canonicorii Collegio a S. Carolo aucta. 245 & ſeq.
Ticinenſi Agro S. Carolus abſtinuit, & qua de cauſa. 650 (a) & ſeq.

Digitized by Google

Ticinenſis Curiæ Vicarius, qui S. Carolum læſerat, ab Eodem veniam, & apud Summum Pontificem commendationem refert. 951 (a)
Ticini Capuccinarum Monaſterium inſtitutum. 431
Tiranum in Vulturenis a S. Carolo luſtratum. 533
Ædem Deiparæ Sacram inviſit, & magnam noctis partem orando ibi Ille conſumit. 534 [b]
Provinciæ Prætorem S. Cardinalis alloquitur, eumque concioni ab ſe habitæ intereſſe ſinit. ibid. & 535 (a)
Tituli, dominatus, & ditio a S. Carolo nihili æſtimata. 1046 & ſeq.
Tituli ſimplices quibus conferendi. 1073
Toletano Cardinali Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis volumina S. Carolus dono mittit. 754 (c)
Idem, S. Carolo flagitante, Concilium Provinciale convocat. 629
Tonſius Ord. Humiliatorum conjurationis in S. Carolum reus ab extremo ſupplicio, Cardinali adnitente, liberatus. 202 (b)
Torta-Vallis a S. Carolo viſitata. 624 (c)
Tradati Parochus conquerens de præfecturæ ſuæ incommodis, a S. Carolo corripitur. 1079 [a]
Tragurii Epiſcopus Literas ad S. Carolum dedit. 642
Tranquillitas Animi inter acerbas concertationes a S. Carolo ſervata. 236 [c]
Travalea Vallis a S. Carolo luſtrata. 583
Trecati S. Carolus Miſſam celebrat. 392 [d]
Trevicenſis Epiſcopus ad luſtrandam Capriaſcam Vallem a S. Carolo miſſus. 95 [a] 111 [b]
Tridentini Concilii, S. Carolo adnitente, exitus felix. 33 & 1027
Ejus Sanctiones S. Carolus ſervare, & alibi inconcuſſas vigere omni niſu contendit. 847 & ſeq.
SS. Trinitatis Ædes ad vacationis uſum pro Seminarienſibus Clericis a S. Carolo impetratæ. 98 (b)
SS. Trinitatis Sodalitio curam Mendicorum committere S. Carolus meditabatur. 734 [a]
Obedientiæ Societas eadem, ac SS. Trinitatis. 734 [a]
Tritii Eccleſia a S. Carolo luſtrata. 130 [b]
Ejuſdem viſitatio quo Anno a S. Carolo ſuſcepta. 158 [c]
Triventi Epiſcopus Literas demiſſionis plenas a S. Carolo accipit. 968 [a]
Trivilii Sacrorum Præfectura a S. Carolo excitata. 666
Illuc Româ redux S. Carolus adveniens feſto æris campani pulſu excipitur. 504 (d)
Trivilienſes Modoëtienſium exemplo permoti, Ambroſianæ Eccleſiæ Ritus amplecti renuunt. 416
Iidem argentea donaria S. Caroli tumulo offerunt. 843
Trivultia Borromea Margarita S. Caroli amita. 314 (a) 928
Federici Borromei mater. 542
A S. Philippo Nerio *Prudentiſſima* appellata. 543
Trivultius Comes Georgius Senator: ejus de profuſa erga pauperes S. Caroli liberalitate locuples teſtimonium. 290 (e)
S. Carolum e ſuggeſto concionantem audivit. 346 (c)
Primus omnium pario marmore S. Caroli vultum effingi curat. 807 (a)
Trivultius Don Carolus Patricius Mediol. peram S. Caroli penes ſe habet. 1061 (a)
Trivultius Theodorus Alexander Mediolanenſis Patricius. 386 (c)
Trompia Vallis a S. Carolo luſtrata. 536
Ejus incolæ rudes, ac plane ferrei. 537 (a)
Rectam vivendi normam amplectuntur. 538 & ſeq.
Trucazzani Pagus a S. Carolo luſtratus. 744 (a)
Truchſeſſius Gebhardus e Colonienſi Sede depoſitus. 458 (c)
Tuſculanum Brixienſis Agri Oppidum a S. Carolo luſtratum. 530 544 [a]
Ibidem Templum excitatum. 741
Tuſculi S. Carolus cum Pontifice Max. dies aliquot commoratur. 480 [e]
Pontificii Aulici Cardinalis pietatem admirantur. 482 [d]
Typographia in Seminario Mediol. a S. Carolo excitata. 98 [d] 488 [a]
Typographus Seminarii Mediolan. in vincula conjectus. 524 (c)

V

VAdemontius Cardinalis S. Carolum rogat, ut opportunis ſe præceptis informet. 566 (b)
S. Carolo ſuadente, Tullenſis Diœceſis luſtrationem init. 629
Ad virtutum iter capeſſendum a S. Carolo per literas provocatur. 833 847
Chriſtianæ prudentiæ monitis refertam Epiſtolam a S. Carolo accipit. 980
Valdenſium in Sabaudia Hæreticorum conatus, & meditamenta S. Carolus comperta habere ſtuduit. 851 (a)
Valentiæ Archiepiſcopus literas ſpei in Deum plenas a S. Carolo accipit. 904 (a)
Iterum alias, quibus animarum ſalutis curam quàm maxime commendat. 945
Valentinus P. Antonius Soc. Jeſu S. Carolo in itinere Lauretano comes. 476 (d) & 638 (b)
Ferrariam, & Vaſtallam a S. Carolo remiſſus. 479 (a)
S. Valeriæ Parœcia a S. Carolo extincta. 125 (b)
Ejus Ædes excipiendis pœnitentibus fœminis inſtitutæ. 442 (a)
Valerius Auguſtinus, ſuadente S. Carolo Rhetoricæ Eccleſiaſticæ Opuſculum conſcripſit. 98 (a)
Quibus præconiis S. Carolum ſit proſecutus. 330 (a)
Quanti fecerit Sodalitium Oblatorum. 382 (c)
Librum *Chriſtianarum Inſtitutionum* Eidem nuncupavit. ibid.
Nec non alterum *de Arte Meditandi* a S. Carolo concinnatum, & a ſe in Synopſes redactum. ibid. & 638 (b)
Veronæ inſtituit quoddam veluti Sodalitium Oblatorum. 386 (a)
Quo tempore primum Sermonem ad populum e ſuggeſto habuerit. 630
Borromeum per literas rogat, ut Romanum iter per Adriaticum Mare ſuſcipiat. 640 (b)
Reſponſum hac ſuper re a S. Carolo accipit. ibid.
Synodo Decimæ a Sancto Carolo celebratæ intereſt. 658 (a)
Veronâ Mediolanum ad inviſendum S. Carolum venit. 738 (b)
S. Carolo preces ſuas admovet, ut conciones ſuas typis conſignari permittat. 739
S. Caroli res geſtas in commentarium redigit. 822
Valetta Joannes Equitum Ordinis Jeroſolymitani Magiſter. 634 [a]
Vallinellus Dominicus S. Carolum trans flumen ferens, mediis Illum in aquis deſtituit. 159

Val-

Digitized by Google

Vallis-Umbroſæ Monaſterium S. Carolus adiit. 248
Varallenſium diſcordiæ ob adminiſtrationem Sacri Montis a S. Carolo ſedatæ. 600
Varallum Oppidum Novarienſis Provinciæ: proximus illi Mons myſteriis Chriſti patientis admodum celebris. 404
Inibi S. Carolus contemplationi ſe devovit. ibid. (c)
Varenæ Monaſterium Virginum a S. Carolo everſum. 105 (a)
Ejus loci Clerus, S. Carolo ſuadente, Ambroſianæ Eccleſiæ ritus amplectitur. 413
Quos poſtea, Eo indulgente, omittit. 416
Variſienſis Eccleſiæ Præpoſitus S. Carolum domi ſuæ excipit. 328 (b)
Ea Eccleſia a S. Carolo reditibus aucta. 204 (a)
Variſium Oppidum a S. Carolo viſitatum, qui per octiduum ibi moratur. 143 (a)
Illuc S. Carolus proficiſcitur a Virginibus Monaſterii S. Antonini evocatus. 599
Vaſtallæ Sacra Ædes a S. Carolo ſolemniter conſecrata. 256 (b)
Vedanum a S. Carolo luſtratum. 667
S. Venerii Mediolan. Antiſtitis Corpus in Baſilica Apoſtolorum ſepultum, & a S. Carolo translatum. 438 & ſeq.
Venetias S. Carolus advenit, amoris, & obſequii præclara ſignificatione ab illo Senatu exceptus. 495 (b) & ſeqq.
Id ipſum Literis ad Specianum datis Ipſe teſtatur. ibid. (c)
Aliis quoque ad Cardinalem Sabellum miſſis. 407 (a)
De Apoſtolico Viſitatore illuc mittendo S. Caroli mens. 498 (b)
Quot Epiſcopos ea in Urbe degentes invenerit. 500 (b)
Sex diebus ibi fuit Borromeus. 501 (a)
Venetorum invitatio ad S. Carolum, ut ſua quadriremi Romam iturus utatur. 639 (b)
Verba inhoneſta quantum S. Carolus refugeret. 1005 & ibid. (a)
Verba inutilia nulla in S. Carolo. 1010
Vercellas appropinquans S. Carolus ab Epiſcopo, Clero, & populo magna honoris ſignificatione excipitur. 393 (b)
Vercellenſis Eccleſia, abſente proprio Epiſcopo, Borromei curæ commendata. 600
Vercellenſium Canonicorum cum Epiſcopo concordia a S. Carolo ad exitum perducta. 656 (a)
Ejus Collegii diſſidia a S. Carolo componuntur. 740 (a) & 753 (c)
Vercellis Societatis Jeſu Patres, interveniente S. Caroli operâ, ſedem figunt. 227 (b)
Ibi Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ infirmatur. 667 [a] & ſeq.
Vercuragum a S. Carolo viſitatum. 664 (b)
Verdelli in agro Bergomenſi Sacrorum Præfectura a S. Carolo conſtituta. 666
a Verme Luchinus Federici Borromei in Ticinenſi Collegio ſocius. 543
a Verme Thadea S. Caroli noverca. 10 [b]
Veronâ pertranſiens S. Carolus a Civibus officiis, precibuſque aliquantulum immorari ea in Urbe cogitur. 503 & ſeq.
Ibidem S. Carolus ſermonem habuit ad populum. 658 (b)
Eo Societatis Jeſu Patres Sancti Caroli operâ inducti. 227 (b)
Verro Alexandro Patric. Mediol. ſuadet S. Carolus, & controverſiarum arbitros proponit, ut cum Alexandro Sclafenato litem componat. 948 (a)
Verrus Antonius Metropolitanæ Mediol. Baſilicæ Decanus. 947 (a)
Verrus Eques Gabriel a Magno Etruriæ Duce obviam S. Carolo miſſus. 641
Idem S. R. Rotæ Auditor delectus a S. Carolo literas accipit. 947 (a)
Verrus Gabriel Regius Senator, S. Stephani Equeſtris Ordinis Commendator, Vir Clariſs. 947 (a)
Veſtes ſacræ ingentis pretii a S. Carolo donatæ Mediolani Baſilicæ. 1032
Veſtes & res S. Caroli quo in honore eſſent. 1132 & ſeq.
Eædem infirmis ſalutares. 1137 & ſeqq.
Veſtis S. Caroli pauperi oblata, ab iſto reſpuitur. 961
Vexillum Sancti Ambroſii a Sancto Carolo ſacris precibus rite expiatum. 130 (b)
Uglonum a Sancto Carolo luſtratum. 746
Via compendiaria ſubterranea, qua e Palatio Archiepiſcopali ad Templum Max. itur, a S. Carolo extructa. 121 (b) 123
Vicariorum poſtrema Congregatio a S. Carolo collecta, & quæ Ipſe in ea ſanxerit. 624 & ſeq. 726 (a)
Vicecomes Alexander Metropolitanæ Præpoſitus ædificandi Seminarii curam habuit. 91 (a)
Vicecomes Card. Romæ mortuus. 38 (c)
Vicecomes Eques Gubernatoris Mediol. ad S. Carolum Legatus. 229 (a)
Vicecomes Federicus Cardin. Arch. Mediol. Collegii Nobilium adminiſtrationem PP. Soc. Jeſu demandat. 237 (b)
Vicecomes Gaſpar Mediol. Archiep. Seminarium in Pago S. Firmi aperuit. 93 (a)
Idem, cum eſſet S. R. Rotæ Auditor, Melitam miſſus. 634 (a)
S. Caroli in Archiepiſcopatu Succeſſor Rhaudenſis Templi regimen Sacerdotibus Oblatis committit. 733
Hæredes ſcribit Xenodochii Mediol. pauperes. 1061
Vicecomes Hieronymus S. Caroli conſanguineus Literas Eidem obtulit, quibus initi contra Ejus vitam conſilii ſeries continebatur. 971
Vicecomes Jo. Baptiſta Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ Sodalis. 896 (a)
Vicecomes Otho Mediol. Archiep. nonnulla ſanxit edicta, quibus Moniales intra Aſceteriorum Septa continerentur. 69 (b)
Vicecomes Paula, relicta Pomponii Cuſani, inter Angelicas Parthenonis S. Pauli aliquandiu vixit. 430 (d)
Deinde Monaſterium Capuccinarum S. Praxedis ingreditur, indulgente S. Carolo. ibid.
Cælitus ab Eodem animi morbo liberata. 1153
Vicentiâ S. Carolus pertranſiens apud Patres Theatinos hoſpitatur. 502 (b)
Illinc priuſquam diſcederet, frequentibus Civibus ſacra Myſteria impertitur. ibid.
Vici-Boldoni Ædes olim Fratrum Humiliatorum. 208 (c)
Victoriæ ædes extra Mediolanum ſitæ excipiendis, graſſante peſte, pauperibus a Sancto Carolo aſſignatæ. 292 (c)
Eædem a Sancto Carolo Xenodochio Mediol. donatæ. 630
Victorii Petri judicium de ſtudio Sapientiæ S. Caroli. 1064
S. Victoris Mart. Oſſa a S. Carolo recognita, & tranſ-

Digitized by Google

translata. 270 (d)
S. Victoris in Meſaucis ad Oppidum S. Carolus Pontificalibus ornamentis conſpicuus proceſſit. 690
S. Victoris ad Portam Romanam Parœcia a S. Carolo abolita. 125 (b)
S. Victoris ad Theatrum Parochus peſte laborans, a S. Carolo inviſitur, & Sacramento Euchariſtiæ præmunitur. 323 (b)
Vida Hieronymus Epiſc. Albenſis, Epiſtolam ad S. Carolum mittit. 47 (b)
Literas a S. Carolo accipit, monentes, ut, quàm primum liceat, ſuæ ſe Diœceſi reſtituat. 71 (b)
Vidua capite damnata, S. Caroli patrocinio abſolvitur. 915
Viduarum pius Congreſſus in Templo S. Sepulcri a S. Carolo inſtitutus. 384 (b)
Vighignolum a S. Carolo luſtratum. 667
Vigletii in Vallem Grammaticæ Magiſter a S. Carolo inducitur. 750
Viglevanenſis Civitas Vexillum phrygio opere elaboratum S. Caroli tumulo offert. 843
Viglevanum a S. Carolo luſtratum. 453 (a)
Ejus Cives ad inviſendum Borromei Sepulcrum cum donis advenerunt. 454
Vigluvium vicus peſtilentiâ laborans a S. Carolo inviſitur. 328 (b)
Vignola Aloyſius a Pio IV. Mediolanum miſſus ad illuc deducendum S. Carolum. 17 (b)
Vielmius Hieronymus a conſiliis S. Caroli. 21 (a)
Idem in Theologicis ſcientiis S. Caroli inſtitutor. 40 (c)
Villa Fori Licinii a S. Carolo luſtrata. 746
S. Vincentii in Monaſterio Novo Parœcia a S. Carolo deleta. 125 (b)
Vindocinus Cardinalis ad Humilitatis ſtudium a S. Carolo per literas excitatus. 967 (a)
Virgines Orphanæ a S. Carolo in unum collectæ, atque in tuto poſitæ. 373 (b)
Virginia Urbini Ducis ſoror Federico Borromeo nupta. 619 (c)
Virginum ad Ticinenſem Portam Monaſterium *Stationum*, quas vocant, munere a Pio IV. donatum. 221 (a)
Virgo Catholica ab hæreticis Conſanguineis malè habita, omnique præſidio deſtituta, a S. Carolo in Brixienſi Monaſterio collocatur. 539 (a)
Virolis Brixienſis agri in Vico S. Carolus cum Comite de Gambara eſt collocutus. 528 (c)
Viſcardus Marcellus Caroli capiti cæleſtem imminere ſplendorem videt. 258 (e)
Viſitationis B. M. V. Moniales quo tempore Mediolanum inductæ. 374 (b)
Viſitationes Diœceſis quo ritu a S. Carolo peractæ. 112
Viſtarina Joanna puellarum cœtum congregat. 744
Eaſdem in antiquo Auronæ Monaſterio alit. 751
Hæ Virgines legibus a ſe datis ut vivant, per vim contendit; ſed fruſtra, cælitus impediente S. Carolo. ibid. & 797
de Vitalibus Bartholomæus Vitam S. Herculani Brixienſis Epiſcopi ſcribit, & S. Carolo nuncupat. 861 (a)
S. Vitalis Parœcia a S. Carolo deleta. 125 (b)
Viterbienſis Epiſcopus, Caſalenſis Eccleſiæ Luſtrator deſignatus, ſalubria a S. Carolo monita per literas accipit. 889
Volfangus Hamaſtienſis Germaniæ Orthodoxæ populos S. Caroli nomini devotos eſſe aſſeverat. 812
Uranienſes S. Carolo gratias habent ob initam ab Eo Belitionis luſtrationem. 714 [b]
Eorum in Oppido Capuccinorum Monaſterium erigitur. 488 [a]
Urbinatium Dux Piſauri S. Carolum convênit. 650 (a)
Ab eodem pium librum dono datum accipit. ibid.
Urceis-novis S. Carolus quatriduum immoratur. 528 (c)
Uritanus Principatus a S. Carolo venditus, ejuſque pretium una die profuſum. 1047
Urſinus Cardin. executor Teſtamenti ſui a Bartholomæo Papio conſtitutus. 662 (b)
S. Urſulæ Sodalitia Virginum a S. Carolo Mediolani, & in Diœceſi excitata. 276 (c)
Ejus Sodalitatis Virgo quædam infectis peſte fœminis inſerviens, contracto morbo occubuit, quòd Chirurgi remedia honeſtatis causâ reſpuiſſet. 314 (b) & ſeq.
Hujus Societatis Virgines in Templum S. Sepulcri ad pia peragenda opera conveniebant. 384 (b)
Vulpius Jo. Antonius Epiſcopus Novocomenſis. 538 (a)
S. Carolo tubera dono mittit. 620 (b) & ſeq.
Vultureni Collegium Societatis Jeſu, Stuppano Oblato inſtante, aperiunt. 647
Iidem conſtanti animo contra Hæreticorum minas Catholicam Religionem profitentur. 720
In iis hæretici S. Carolum libenter audiunt, multique inter eos ad Fidei Catholicæ gremium revertuntur. 535 (a) (b)

X

XEnodochium Majus Mediol. a S. Carolo viſitatum. 272
Ejus loci rationum libri Vicario Generali S. Caroli occultantur. 555 & ſeq.
Hujuſce ſeditionis Auctor Anathematis vinculo illigatur. 557 (a)
Jus Xenodochii luſtrandi ad Archiepiſcopum pertinere Pontificiâ ſententiâ declaratur. 558
Rerum ſuarum hæreditas Eidem a S. Carolo delata. 774 (b) 776
Xenodochium e morbo convaleſcentibus deſignatum. 734

Z

ZAccaria Antonius Maria unus ex Inſtitutoribus Congregationis Clericorum S. Pauli. 442.
Zaccaria Franciſcus Antonius Soc. Jeſu Corporum SS. Fidelis, & Carpophori Martt. poſſeſſionem Mediolano aſſerit contra Novocomenſes. 441
Zambrunus Helveticorum Legatus S. Carolum comitatur in luſtratione trium Vallium. 142 (c)
Zappa Prothonotarius in Curiam S. Caroli qua de cauſa non receptus. 936 (a)
Zelus ſalutis Animarum a S. Carolo in adminiſtris ſuis voce, ac exemplo accenſus. 943 (a)
S. Zenonis Parœcia a S. Carolo deleta. 125 (b)
Zibidum in Lactarellæ Plebe a S. Carolo viſitatum. 743 (a)
Zucchius Gaſpar Modoëtienſium Legatus ad Romanam Aulam pro repudiandis Ritibus Ambroſianis. 415

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google